This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06825155 6

BRARY

ollection.
in 1893.

George Bancroft



PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

INNUMERABILIBUS INDICIBUS LOCUPLETATA; SED, PRÆSERTIM DUORUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM AUTEM UNUSQUISQUE PATRUM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, DUABUS PARTIBUS CONSTAT SIMUL AC DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. ILLA PENITUS EXARATA, NOVEMDECIM ET DUCENTIS VOLUMINIBUS EST IMMENSA, CENTUMQUE ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA SUBDIVIDITUR ET DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM, UNA CUM VERSIONE LATINA, LATERALIS AMPLECTITUR, ET FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEDET NUMERUM. POSTERIOR AUTEM HANCCE VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUAGINTA CIRCITER VOLUMINA RETINEBITUR. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR: VERUM, IN UTROQUE CASU, ID EST AD FRUENDUM HOC BENEFICIO, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE ORIENTALEM, SIVE OCCIDENTALEM CONDUCAT EMPTOR NECESSE ERIT; ALIAS CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT.

PATROLOGIÆ TOMUS XLII.

S. AURELII AUGUSTINI

TOMUS OCTAVUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1845

SG.

LENOX LIBRARY
NEW YORK

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA,

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM,

CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, BELGICOS, ETC.,

NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio noviſſima, emendata et auctior,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORUM.

TOMUS OCTAVUS.

16 VOL. PRIX : 86 FR.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE

1841

5 G

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC OCTAVO TOMO CONTINENTUR.

	Pag.
De Hæresibus ad Quodvultdeum liber unus.	21
Tractatus adversus Judæos.	51
De Utilitate credendi ad Honoratum liber unus.	63
De duabus Animabus contra Manichæos liber unus.	93
Acta seu Disputatio contra Fortunatum Manichæum liber unus.	111
Contra Adimantum Manichæi discipulum liber unus.	129
Contra Epistolam Manichæi quam vocant Fundamenti liber unus.	173
Contra Faustum Manichæum libri XXXIII.	207
De Actis cum Felice Manichæo libri II.	519
De Natura boni contra Manichæos liber unus.	551
Contra Secundinum Manichæum liber unus.	577
Contra Adversarium legis et Prophetarum libri II.	603
Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas liber unus.	669
Sermo Arianorum.	677
Contra Sermonem Arianorum liber unus.	685
Collatio cum Maximino Arianorum episcopo.	709
Contra eumdem Maximinum Arianum libri II.	743
De Trinitate libri XV.	819

CONTENTA IN APPENDICE.

Tractatus contra quinque Hæreses.	1101
Sermo contra Judæos, Paganos et Arianos.	1117
Dialogus de altercatione Ecclesiæ et Synagogæ.	1131
De Fide contra Manichæos liber Evodio tributus.	1139
Commonitorium (vulgo Augustini) de recipiendis Manichæis qui convertuntur.	1153
Contra Felicianum Arianum de Fide Trinitatis liber Vigilio Tapsitano episcopo restitutus.	1157
Quæstiones de Trinitate et de Genesi ex Alcuino descriptæ.	1171
De Incarnatione Verbi ad Januarium libri duo collecti ex Origene.	1175
Liber de Trinitate et Unitate Dei.	1193
De Essentia divinitatis.	1199
De Unitate sanctæ Trinitatis	1207
De ecclesiasticis Dogmatibus.	1213

LENOX LIBRARY NEW YORK

Ex typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

IN OCTAVUM TOMUM

Præfatio.

Cum doctoris catholici duo sint officia, alterum christianæ religionis veritates illustrare ac confirmare, alterum easdem ab insurgentium hæreticorum erroribus vindicare ; nemo veterum aut recentiorum utrasque partes implevit felicius Augustino, qui omnium judicio id merito assecutus est, ut præcipuus ac summus Ecclesiæ Doctor haberetur. Hactenus ejus opera quæ christiana dogmata explicant exhibuimus : nunc ea quæ ad infidelium hæreticorumque confutationem pertinent, quæque vulgari jam nomine Polemica vocare solemus, in tribus quæ restant voluminibus repræsentanda sunt. Nam etsi in prioribus illis scriptis aliquando ex occasione grassantes errores Vir sanctus perstringat ; non his tamen ejusmodi generis operum scopus erat, qualem sibi ipse in reliquis operibus proposuit. Quod si Augustinum obiter in hæreticos disserentem tanta cum voluptate lectores huc usque revolverunt : longe major ex sequentibus libris fructus sperandus est, in quibus recto ordine ac dedita opera universum errorum corpus in particulas discinditur ac dissipatur ; hæreticorum antesignani tum publicis concertationibus, tum editis lucubrationibus vincuntur ac prosternuntur ; achillea denique ac primaria eorum scripta in favillas rediguntur ; adeo ut cum ex primi generis scriptis Doctoris catholici nomen, quod nonnullis etiam præcipuis Ecclesiæ Patribus commune est, retulerit Augustinus ; ex his posterioribus unum sibi proprium, quo nullum aliud illustrius, elogium a Catholicis Hieronymo teste meruerit, ut veluti alter antiquæ fidei conditor etiam vivens et in terris degens agnosceretur. « Macte virtute, » inquit ille ad ipsum Augustinum scribens, « in orbe « celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt » (*Epist.* 195 *inter Augustinianas*).

Nihil ad hujusce tituli et elogii commendationem videtur adjici posse : sed tamen eodem in loco Hieronymus subdit, « signum majoris gloriæ esse, » quod Virum sanctissimum ob eamdem causam, « omnes hæretici detestarentur. » Eorum vero malevolentia et abalienatio eo usque progressa est, ut eum e medio tollere quovis proposito præmio tentaverint, nec sibi ad concepti capitalis odii cumulum sufficere putarint, nisi etiam Deum eidem consilio suffragari suis asseclis persuadere conarentur, quibus polliceri non dubitarunt, « omnia peccata a Deo indubitanter esse credendum posse dimitti eis qui hoc facere ac « perficere potuissent » (*Possid. in Vita Augustini, cap.* 9). Sed miranda est hoc in loco Augustini moderatio, quod cum non solum privatis criminationibus ab adversariis impeteretur, sed et ab eis quæreretur ad necem, privatas inimicitias illas ita æquanimiter tulit ac dissimulavit, ut vix ullam de eis in suis disputationibus fecerit mentionem : nec quidquam certi de intentatæ illi necis machinatione resciremus, nisi Possidius in ejus Vita rem posteris consignasset. Quod si quandoque ad injurias sibi illatas aliquid reponere cogebatur ; id non justæ indignationi suæ tribuebat, sed lectorum utilitati, qui iniquis ejusmodi criminationibus a veritate possent abduci. Sed nemo melius tam moderati animi in his occasionibus statum expresserit, quam Augustinus ipse, cujus hæc verba sunt in libro contra Petilianum tertio, cap. 1 : « Ego quando cuique vel dicendo vel scribendo, respon- « deo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi Dominus donat, fræ- « natis atque contritis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorive consulens, non ago ut « efficiar homini conviciando superior, sed errorem convincendo salubrior. » In his itaque disputationibus res tota rationum et argumentorum validis momentis agebatur. Non illum a proposito difficultatis scopo conviciorum propriæve læsionis sensus avocabat ; sed satis sibi factum existimabat, si vel proprii honoris dispendio Ecclesiæ et veritatis jura (quod unum sibi ob oculos ponebat) asseruisset. In refellendis etiam hæreticorum argumentis ita se gerebat Doctor sanctus, ut non tantum eorum animos exasperare quam maxime caveret ; sed etiam, quantum in ipso erat, eos ad veritatis agnitionem mollioribus et humanioribus verbis et appellationibus revocare conaretur. Hunc agendi modum statim ab initio concertationum suarum sibi proposuit, uti ipse testatur : « Deum rogavi et rogo, ut in « refellenda et revincenda hæresi vestra, cui et vos fortasse imprudentius quam malitio- « sius adhæsistis, det mihi mentem pacatam atque tranquillam, et magis de vestra cor- « rectione, quam de subversione cogitantem. Quanquam enim Dominus per servos suos « regna subvertat erroris ; ipsos tamen homines, in quantum homines sunt, emendandos « esse potius quam perdendos jubet » (*Lib. contra Epistolam Manichæi, cap.* 1). Utinam qui fidei controversias tractant, eodem animo ducerentur !

Etsi porro in omnibus Augustini operibus summa ejus facultas elucet, nonnihil tamen majoris splendoris catholicæ ejus disceptationes præ se ferunt : ut in bello et prælio magis quam in pace militum virtus probatur. In ipsis enim scriptis vis et acumen ingenii, do-

etrina, eruditio, Scripturarum peritia, eloquentia, prudentia et dexteritas, ut in proprio argumento lumen suum explicant, dum urgentium adversariorum impetus omnes animi nervos ad eos debellandos excitant et proritant.

Jamvero quoniam plura sunt Augustini Polemica opuscula, quam ut in unum volumen cogi possint; ea in plures tomos partiri necessarium fuit. Et primus quidem ea quæ adversus Manichæos, Priscillianistas, et Arianos condita sunt complectetur : de quibus hic multis præfari otiosum et supervacaneum fuerit; cum primo loco sese offerat Augustini liber de Hæresibus, in quo historiam harum omniumque hæreseon compendio descriptam lector inveniet.

Manichæorum hæresim, qua deceptus atque imbutus fuerat adolescens, statim a suo baptismo aggressus est strenuissimus pugil, quinque libris in eos editis, nempe de Libero Arbitrio, de Genesi contra Manichæos, de Moribus Ecclesiæ catholicæ, de Moribus Manichæorum, et de Vera Religione : quos quia neophytus et nondum presbyter composuit, in primo tomo, ut in antea vulgatis, reliquimus. Hos libros nomine Pentateuchi contra Manichæos designat Paulinus in epistola 25 inter Augustinianas, laudatque in hunc modum : « O lucerna digne supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ late catholicis urbibus de septi- « forui lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines « discutis, et lucem veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubi- « las ! » Hactenus Paulinus de primis illis in Manichæos scriptis; in quibus si tantum luminis ac splendoris deprehendit, quid de aliis subsequentibus, quæ progressu temporis majore diligentia et rerum usu ab Augustino condita sunt, exspectandum est?

Ex his primum quod a suscepto sacerdotio composuit in gratiam amici sui Honorati, qui Manichæorum erroribus tenebatur, de Utilitate credendi inscripsit, ubi his præclaris usus est verbis, quæ in fronte Polemicorum ipsius operum adhiberi merentur. « Quæ ut tibi « prosint, aut certe nihil obsint, omnibusque omnino, quorum in manus forte devenerint, « et rogavi Deum, et rogo; et spero ita fore, si bene mihi conscius sum, quod ad hunc « stilum pio et officioso animo, non vani nominis appetitione aut nugatoriæ ostentationis « accessi » (*Cap.* 1). Post hæc eosdem Manichæos denuo exagitavit edito libro de Duabus Naturis, quarum dicebant unam partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum : quæ deliramenta perspicuis et a lumine naturali petitis rationibus sic eludit, ut magis animos commovendo, quam disputando, adversarios ad veritatis agnitionem reducere videatur; dolens interim quod olim easdem rationes non adhibuisset, ut ne in pravissimæ sectæ perniciem laberetur. His porro scriptis et gravibus suis ad populum concionibus ita omnium in se admirationem excitavit, ut illam causam salvam et sanam reputarent omnes, quam vir tantæ moderationis et sinceritatis, tantæ doctrinæ et eloquentiæ propugnasset. Hinc est quod Hippone civitate per Fortunatum presbyterum manichæum magnam partem corrupta, non modo Catholici, sed et Donatistæ sanctum Doctorem ad singularem cum eo disputationem adduxerint : ex qua ita debilitatus et fractus recessit Fortunatus, ut ejus pestilentissimo contagio Hipponenses omnes deinceps caruerint. Possidius describit prosperum fortunatumque successum hujusce collationis (*In Vita Aug.*, *cap.* 6), cujus acta hic referuntur : ex quibus discimus hominem loquacissimum ad unum Augustini argumentum (idem scilicet quod olim a Nebridio audierat [*a*]) ita obmutuisse, ut captato per speciem suos consulendi asseclas ad respondendum spatio, turpi fuga ex urbe Hippone, nedum ex collatione aufugerit, nunquam eo rediturus. Patrata hac victoria, aliquanto post procusum est opusculum contra Adimantum : quo in opere Veteris ac Novi Testamenti loca simul conciliantur, satisfitque cavillationibus quas ex locis illis veterator iste, Manichæi quondam discipulus, deduxerat.

Idem in Manichæos certamen prosecutus est Augustinus jam episcopus, refellendo primum Manichæi Epistolam, Fundamenti appellatam, in qua totius perversæ doctrinæ summa continebatur, id est « doctrinæ initium, medium, et finis, » testante Felice manichæo (*Lib.* 2 *de Actis cum Felice*, *cap.* 1). Unde tanta ab ipsis Manichæis reverentia hæc epistola legebatur, ut non nisi ab inclinatis disceretur. Sic enim habetur hic locus in duobus vetustis exemplaribus, « Inclinatis discebatur a nobis : » tametsi aliam prætulimus lectionem ex optimæ notæ codice Corbeiensi, « Ipsa enim nobis illo tempore miseris quan- « do lecta est, illuminati dicebamur a vobis » (*Lib. contra Epist. Manich.*, *cap.* 5).

Ab hac lucubratione forte non ita pridem manum removerat Augustinus, cum Catholici aliud eidem onus imponunt, ut scilicet responderet ad librum Fausti Manichæorum episcopi tantopere a suis prædicati; « cujus nobis adventus, ait Augustinus, ad explican- « da omnia quæ nos movebant, quasi de cœlo promittebatur » (*Lib. de Utilitate credendi*, *cap.* 8). Verum tam magnificis promissis non bene respondit eventus : imo vero contraria sorte factum est, ut Doctor sanctus quasi de cœlo missus merito existimari possit ad revincenda commenta ineptissimi præstigiatoris, qui miserandis nugis multorum animos seduxerat; maxime vero ad vindicanda veterum Patriarcharum acta, quibus infaustus ille hæreticus fucum facere tentaverat. Hoc in opere cum apostoli Jesu Christi nomen, quod Manichæus initio epistolarum suarum sibi tribuebat, ab indigno homine removeret, tempus exortæ hujus hæresis nobis indicat Vir sanctus, aitque constare, « non solum post Ter- « tullianum, verum etiam post Cyprianum hanc hæresim fuisse exortam » (*Lib.* 13, *cap.* 4). Huic sententiæ concordat Epiphanius, qui ejusdem hæresis ortum revocat

(*a*) Vide confess. lib. 7, cap. 3.

ad nonum Gallieni annum (*Epiph., lib. de Pond. et Mens.*), qui cum anno Christi 263 coincidit. Eusebius vero ad tempus Felicis papæ et Diocletiani imperatoris (*Euseb., lib. 7, cap* 30–32), qui tamen ad imperium non pervenit, nisi fere post decennium a morte Felicis papæ, quæ contigit anno 275. Leo Magnus longius eamdem originem submovet, ad annum scilicet a Christi resurrectione 260, Probo imperatore et Paulino consule (*Leo, serm. 2 de Pentec.*). Acta Collationis cum Felice manichæo, qui Catholicos seducturus cum venisset, per Augustinum feliciter ad Ecclesiæ communionem reductus est, nova catholicæ veritatis tropæa suppeditant, eodem Augustino duce reportata. Liber de Natura boni exsecrandi quorumdam illius sectæ hominum, « non tantum in Paphlagonia, sed etiam in Gallia » degentium (*Cap.* 47), facinora detegit; habetque pro argumento ut ostendat, naturam incommutabilem Deum esse ac summum bonum, atque ab illo esse cæteras naturas, easque in quantum naturæ sunt bonas; tum quid vel unde sit malum, et quanta mala Manichæi ponant in natura boni, quanta bona in natura mali, quas naturas finxit error ipsorum. Denique postremus liber contra Secundinum, dogmata perniciosissimæ hæresis penitus evertit, adeoque suo auctori placuit, ut ejus sententia, omnibus quæ adversus illam pestem scripserat, facile præponeretur.

De horum omnium scriptorum dignitate si quis judicium ferre velit, ea conferat cum aliis aliorum auctorum de eodem argumento lucubrationibus, quales sunt inter Græcos Serapion Thmueos Ægypti urbis episcopus, « qui ob elegantiam ingenii cognomen Scholastici meruit, » ait Hieronymus (*Lib. de Scriptoribus ecclesiasticis*); et Didymus Alexandrinus, Titus episcopus Bostrenus, et Zacharias episcopus Mytilenensis; inter Latinos Victorinus Afer: ex quibus hic a Sirmondo editus inter opuscula dogmatica veterum quinque scriptorum, illi a Canisio tom. 5 antiq. lect.

Ad alia tomi hujus scripta quod attinet, unus codex qui sive casu, seu dedita opera, in platea maritima Carthaginensi venalis expositus erat, cujusdam hæretici anonymi librum continens, materiam præbuit duobus libris contra adversarium Legis et Prophetarum; in quo Cassiodorus senator scribit multa de Legis divinæ quæstionibus enodari.

Librum contra Priscillianistas et Origenistas Orosio acceptum referre debemus. In hujus consultatione libro præfixa ambiguam quamdam de anno recondito lectionem, quæ negotium legentibus facessebat, unius codicis ope restituimus. Nam cum antea legeretur, « Terra illa..... si eamdem anno illo recondito apud te mandando; » ita scriptum habetur in veteri exemplari, « si eam de manna illo recondito tu apud me mandando et replendo visitaveris. » Quæ verba ab Orosio diriguntur ad Augustinum, de quo in consequentibus ait, se et plurimos secum, ut Augustini « eloquium velut ros super eos descendat » exspectare. Ad hæc autem elogia ingenitam sibi modestiam objecit Augustinus, cum de obscuris quibusdam quæstionibus interrogatus, qualis est illa de Angelorum distinctione, ab his solvendis se excusat, ignorantiam ingenue professus his verbis: « Sed, quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, et quid inter se differant, nescio » (*Lib. contra Priscill., cap.* 11).

Denique postrema hujusce tomi opuscula adversus Arianos exarata sunt. Et quidem primo loco liber contra Sermonem Arianorum, qui plures quam triginta errorum articulos continebat, de verbo summatim refutatur. Tum subsequitur Collatio sub finem vitæ a sancto Doctore habita cum Maximino episcopo, quæ non minus Ecclesiæ Catholicæ gloriosa atque arianæ hæresi exitiosa fuit, quam alia non paucis ante annis cum Pascentio comite inita. Hanc demum cum Maximino Collationem subsecuti sunt libri contra eumdem arianum episcopum duo, merito quidem jure ab Agathone papa in sexto Concilio generali cum *præstantissimi Doctoris* commendatione laudati.

His succedunt libri de Trinitate, quos, cum in tomo tertio antehac locum tenuerint, in hunc locum consulto rejecimus, ob magnam cum prædictis opusculis affinitatem: propterea quod in his de Trinitate libris Arianorum passim argumenta refelluntur. Cæterum Erasmi de hoc egregio opere censura satis arguit, eum nonnisi leviter in eorumdem librorum lectione fuisse versatum. Non immoramur confutandæ hominis præcipiti sententiæ, rati sufficere antidoti loco Cassiodori judicium, qui de his libris ita censuit in libro Institutionum, cap. 16: « S. Augustini quindecim libri, quos de sancta Trinitate mirabili profunditate conscripsit, curiosa vobis intentione meditandi sunt. » Augustinus quidem modeste, pro suo more, de hoc opere loquitur, aitque id argumenti a se non fore tractandum, si græcorum Patrum opera hac de re conscripta in latinum eloquium translata fuissent, aut si quis alius difficultates sibi propositas solvere et illustrare voluisset. At nihil de hujusce operis dignitate detrahere debet modesta id genus auctoris professio. Et certe qui res theologicas his temporibus accuratius investigarunt, fatentur neminem ante Augustinum satis explicasse invisibilitatem Filii Dei contra Arianos, nec objectas ab eis difficultatum umbras tanto cum lumine dispulisse. Unde Græcis ita admirabile visum est istud opus, ut illud suæ gentis hominibus proprium fecerint.

Superest agendum de Appendice, in qua continentur tractatus contra quinque Hæreses, contra Judæos, Paganos, et Arianos, de Fide contra Manichæos, de Unitate Trinitatis contra Felicianum arianum, qui omnes in editionibus Lovaniensis recognitionis Augustino tributi fuerant: sed quam perperam evincent, ut credimus, Admonitiones, quas singulis tractatibus præfigemus suis locis. Consimiles aliis Appendicis opusculis apponemus, quorum veros ac genuinos, quoad fieri poterit, auctores retegere conabimur.

His ergo Leviter delibatis, Lectorem ad subjecta opera pervolvenda festinantem diutius hoc in limine remorari nefas ducimus. Longe profecto jucundius erit inspicere hæreseon eversionem Jesu Christi virtute ab Augustino factam; de qua nobis id dicere liceat, quod in sermone de Cataclysmo scriptum legitur: « In illo populo, fratres, in quo multa miracula fa-« ciebat Moyses per virgam, exsurrexerunt magi Pharaonis, facientes et ipsi prodigia « contra famulum Dei Moysen. Sed ad hoc quædam mira facere permissi sunt, ut mirabilius « vincerentur. Magi Pharaonis quid aliud significabant, nisi omnes hæreticos ministros « diaboli, qui sub nomine Christi devorare cupiunt populum Christi? Scatent nunc hæreses « in hanc terram, tanquam serpentes magorum, quos devoravit et devorat ille serpens « exaltatus in ligno.... Fuit hic, ut nostris, dilectissimi, viperea doctrina Donatistarum: « contrita est, consumpta est. Mox Maximianistarum serpentina fraus pullulavit: contrita « est, consumpta est. Manichæorum venenum aspidis subrepserat: contritum est, consum-« ptum est. Pelagianorum novum dogma a ministris diaboli, tanquam a magis Pharaonis « excitatum, illi nostro serpenti certamen indixit: conteritur, consumitur.... Ecce nobis « unus anguis Arianus, olim mortuus, insultat:... redi, Moyses noster; redi virga; redi, ser-« pens Christe; contere caput draconum, dic quid sis cum Patre: te audiamus docentem, « non hæreticum blasphemantem » (*Cap.* 5, *tom.* 6, col. 696-697).

ADMONITIO

IN LIBRUM DE HÆRESIBUS.

Ad scribendum hunc librum hortator atque auctor Augustino fuit Quodvultdeus diaconus Carthaginensis. Eo spectant subsequentes epistolæ: prima Quodvultdei est Augustinum rogantis ut hæresum edat catalogum, proprios quibusque errores ac ritus paucis complectentem; secunda vero Augustini excusantis operis difficultatem, remque ab aliis tentatam jam esse admonentis. Rescribit Quodvultdeus, vehementer ab eo contendens ut id munus petitioni ipsius, imo universali desiderio non deneget. Tunc demum victus Augustinus laborem et curam in se recipit scribendi de hæresibus, dum per alias occupationes licebit. Nunc enim imposita sibi necessitate refellendi Julianum, se etiam ab incœpta opusculorum suorum recognitione (quam rem plurimum necessariam judicat) avocari testatur; additque se hujus recognitionis duo volumina jam absolvisse retractatis omnibus libris suis. Hæc duo volumina circiter annum Christi 427 perfecta observamus in tomo primo: quibus quandoquidem posterior est ipse de Hæresibus liber, ad annum circiter 428 revocandus videtur. Possidius in Indiculo, cap. 5, notat, *De Hæresibus ad Quodvultdeum diaconum, imperfectum opus.* Et Isidorus de Viris illustribus, cap. 9, *Primasius*, inquit, *Africanus episcopus composuit sermone scholastico de Hæresibus tres libros, directos ad Fortunatum episcopum, explicans in eis quod olim B. Augustinus in libro Hæreseon imperfectum morte interveniente reliquerat.* Nempe alteram operis partem, ad ostendendum quid hæreticum faciat, pollicetur Augustinus in præfationis fine, quam partem morte præventus non attigit.

De eodem libro epistolæ quatuor.

EPISTOLA CCXXI.

Domino merito venerabili, et vere beatissimo patri Augustino episcopo, Quodvultdeus diaconus.

1. Diu trepidus fui, et ausus hos meos aliquoties distuli: sed me principaliter, ut dici assolet, animavit beatitudinis tuæ benevolentia omnibus comprobata; quam dum considero, magis timui, ne non petendo superbus, non quærendo desidiosus, non pulsando piger a Domino judicarer. Sufficere autem mihi crederem hujusmodi tantummodo voluntatem, si fructum adipisci non possem: cum autem pro certo noverim, ostium divini sermonis, quod Venerationi tuæ cœlestis gratia patefecit, paratam esse mentem tuam sanctam, quam possidet Christus, non solum cunctis volentibus pandere, verum etiam nolentibus, ut introire non pigeat, persuadere; occupationi Reverentiæ tuæ multiloquio superfluo moram non faciam, sed desiderium obsecrationis meæ breviter indicabo.

2. Nonnullos in clero hujusce etiam amplissimæ civitatis esse imperitos, ex me ipso conjicio; et quantum universo illi ordini profuturum sit quod expeto, considerationi Sanctitatis tuæ discutiendum offero. Privilegio namque cunctorum qui hoc de spiritualibus tuis laboribus promerentur, etiam me indignum consecuturum esse præsumo, domine merito venerabilis, et vere beatissime pater. Precor igitur Beatitudinem tuam, ut ex quo christiana religio hæreditatis promissæ nomen accepit, quæ hæreses fuerint, sint; quos errores intulerint, inferant; quid adversus catholicam Ecclesiam senserint, sentiant, de fide, de Trinitate, de Baptismo,

de pœnitentia, de homine Christo, de Deo Christo, de resurrectione, de Novo et Vetere Testamento, et omnia omnino, quibus a veritate dissentiunt : quæ etiam Baptismum habeant, quæve non habeant ; et post quas baptizet, nec tamen rebaptizet Ecclesia, qualiter suscipiat venientes, et quid singulis lege, auctoritate, atque ratione respondeat, digneris exponere.

3. Nec me tantæ Beatitudo tua credat ineptiæ, ut non inspiciam quantis et quam ingentibus voluminibus opus sit, ut possint ista dissolvi. Verum hoc ego fieri non expeto ; id enim multipliciter factum esse non dubito : sed breviter, perstricte atque summatim, et opiniones rogo cujuslibet hæresis exponi, et quid contra teneat Ecclesia catholica, quantum instructioni satis est, subdi : ut velut quodam ex omnibus concepto commonitorio, si quis aliquam objectionem aut convictionem uberius, plenius ac planius nosse voluerit, ad opulenta et magnifica volumina transmittatur, quibus a diversis, et præcipue a Veneratione tua in hoc ipsum constat elaboratum. Sufficiet autem admonitio talis, ut puto, doctis et imperitis, otiosis et occupatis, et ad cujuslibet gradus ministerium Ecclesiæ undecumque promotis ; dum et ille qui multa legit, eadem breviter recordatur, et compendio ignarus instruitur, ut noverit quid teneat, quid evitet ; quid aversetur ne faciat, quid ut faciat assequatur. Fortassis autem, si tamen quod arbitror verum est, etiam adversus calumniantium malignas mentes et dolosa labia opus hoc parvum inter cætera mirifica testimonio coronæ tuæ non deerit : ut quibus patet campus calumniandi profusior, validis et ex omni parte conclusis fidei limitibus coarctati, omnibusque veritatis telorum generibus circumacti, etiam uno multiformi jaculo repente prostrati, morticinos spiritus non audeant anhelare.

4. Video quam onerosus existam meliora cogitanti, et disponenti majora sancto seni, et querelas corporis sustinenti. Sed per Christum Dominum rogo, qui te participem sapientiæ suæ sine invidia esse concessit, ut hanc gratiam dones indoctis Ecclesiæ, qui te agnoscis sapientibus atque insipientibus debitorem (*Rom.* I, 14), merito ac jure dicturus : *Videte quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem* (*Eccli.* XXIV, 47, *et* XXXIII, 18). Potui adhuc offerre supplices et multiplices preces, et mecum imperitorum classes adsciscere : sed malui jam audire dictantem, quam occupare legentem.

EPISTOLA CCXXII.

Dilectissimo filio et condiacono Quodvultdeo, Augustinus episcopus.

1. Acceptis litteris Charitatis tuæ, ubi a me ardentissimo studio postulasti, ut de omnibus hæresibus, quæ post Domini Salvatoris adventum adversus ejus doctrinam pullulaverunt, aliquid breviter scriberem ; quam sit hoc difficile, continuo reperta occasione rescripsi per filium meum Hipponensium primarium Philocalum : mox autem etiam ista oblata est, qua nunc rescribo, et breviter difficultatem operis ejus ostendo.

2. Philastrius quidam Brixiensis episcopus, quem cum sancto Ambrosio Mediolani etiam ipse vidi, scripsit hinc librum ; nec illas hæreses prætermittens, quæ in populo Judæo fuerunt ante adventum Domini, easque viginti octo commemoravit : et post Domini adventum centum viginti octo. Scripsit hinc etiam græce episcopus Cyprius Epiphanius, in doctrina catholicæ fidei laudabiliter diffamatus : sed ipse utriusque temporis hæreses colligens, octoginta complexus est. Cum ergo ambo id vellent facere quod a me petis, quantum tamen inter se differant de numero interim sectarum, vides : quod utique non evenisset, nisi aliud uni eorum videretur esse hæresis, et aliud alteri. Neque enim putandum est aliquas ignorasse Epiphanium, quas noverat Philastrius, cum Epiphanium longe Philastrio doctiorem invenerimus ; ita ut Philastrium potius dicere deberemus latuisse plurimas, si tam plures esset ille complexus, et iste pauciores. Sed procul dubio in ea quæstione ubi disceptatur quid sit hæresis, non idem videbatur ambobus ; et revera hoc omnino definire difficile est : et ideo cavendum, cum omnes in numerum redigere conamur, ne prætermittamus aliquas, quamvis hæreses sint ; aut annumeremus aliquas, cum hæreses non sint. Vide ergo ne forte librum sancti Epiphanii tibi mittere debeam : ipsum enim arbitror Philastrio doctius hinc locutum ; qui possit apud Carthaginem in latinam linguam verti facilius atque commodius, ut tu potius præstes nobis, quod quæris a nobis.

3. Perlatorem multum commendo. Subdiaconus est de nostra diœcesi ; de fundo autem viri spectabilis, nobisque charissimi Orontii. Pro illo autem, et pro ejus patre, a quo adoptatus est, etiam ad ipsum scripsi ; quas litteras cum legerit christiana Benignitas tua, peto ut eas apud memoratum virum tua intercessione adjuvare digneris. Misi autem cum illo etiam hominem Ecclesiæ, ne ad tuam Sanctitatem difficilis ei esset accessus : non enim parum de illo sollicitus sum, a qua me sollicitudine Dominus, ut spero, per tuæ charitatis instantiam liberabit. Peto etiam mihi rescribere non graveris, quemadmodum sit in fide catholica ille Theodosius, per quem Manichæi nonnulli sunt proditi ; et ipsi quos ab eo proditos, putamus esse correctos. Si quid etiam de profectione sanctorum episcoporum forte audivisti, fac ut noverim. Deo vivas.

EPISTOLA CCXXIII.

Domino merito venerabili, ac beatissimo sacro patri Augustino episcopo, Quodvultdeus diaconus.

1. Unum quidem Reverentiæ tuæ commonitorium, quod per ecclesiasticum dignatus es destinare, suscepi.

Nam quod prius directum esse Beatitudo tua significavit, per virum honorabilem Philocalum, necdum ad me pervenit. Verum quamvis conscius propriorum semper fuerim peccatorum, nunc tamen evidenter agnovi, adipiscendo illi quod exoravi muneri, meam toti Ecclesiæ impedimento esse personam. Sed omnino confido, quoniam qui per Unici sui gratiam humani generis dignatus est delere facinora, nec mea in perniciem cunctorum prævalere permittet, potiusque ubi abundavit peccatum, gratiam faciet redundare (*Rom.* v, 20), domine merito venerabilis, ac beatissime pater. Difficultatem operis, quod instruendis imperitissimis nobis per tuam beneficentiam præstari suppliciter exoravi, nec ipse ignorans ante prædixi; sed de divini fontis ubertate, quam tibi Dominus tribuit, veraci corde præsumpsi.

2. Nam etsi Philastrius et Epiphanius venerandi episcopi tale aliquid scripsisse memorantur, quod procul dubio me inter cætera, imo sicut omnia, latet; non tamen arbitror eos hanc curam diligentiamque adhibuisse, ut singulis quibusque opinionibus contrarias etiam opiniones adjungerent, ritusque subjicerent; tum denique opus illud utriusque qualecumque sit non habet fortassis eam, quam desidero brevitatem. Frustra etiam homini, qui latina non didicit, græca facundia delegatur; quia non ego tantummodo consilium, sed et auxilium postulavi. Quid autem Venerationem tuam de interpretum non solum difficultate, sed etiam obscuritate admoneam, cum ipse hoc magis ac plene dijudices? Accedit ad causam, quod nonnullæ etiam post illorum obitum hæreses emersisse dicuntur, quarum nullam illi fecerint mentionem.

3. Quamobrem ad peculiare patrocinium pietatis tuæ confugio, et voce mea, sed universali desiderio, paratum ad misericordiam sacrosanctum pietatis pectus appello; sequestratis saporibus peregrinis, considerate textu prioris epistolæ, panem Afrum, quem nostra provincia solet habere præcipuum, cœlesti etiam manna conditum, sero pulsanti et famem patienti non deneges. Profecto enim nec ego pulsare cessabo, donec ipse concedas: ut quod non impetrat privilegium, ubi nullum est meritum, saltem indefessa importunitas mereatur.

EPISTOLA CCXXIV.

Domino sinceriter dilectissimo, fratri et condiacono Quodvultdeo, Augustinus episcopus.

1. Cum mihi hæc scribendi offerretur occasio per Fussalensem presbyterum, quem commendo Charitati tuæ, recensui epistolam tuam, in qua petis, ut de hæresibus, quæ oriri potuerunt ex quo Domini in carne nuntiari cœpit adventus, aliquid scriberem. Hoc autem feci, ut viderem utrum jam deberem opus ipsum aggredi, et inde tibi aliquid mittere; ubi considerares tanto esse difficilius, quanto vis effici brevius. Sed ne hoc quidem potui, talibus curis supervenientibus impeditus, a quibus omnino dissimulare non possem: nam me et ab eo, quod habebam in manibus, averterunt.

2. Hoc autem est ubi respondeo libris Juliani, quos octo edidit post illos quatuor, quibus ante respondi. Hos enim cum Romæ accepisset frater Alypius, nondum omnes descripserat, cum oblatam occasionem noluit præterire, per quam mihi quinque transmisit; promittens alios tres cito se esse missurum, et multum instans ne respondere differrem. Cujus instantia coactus sum remissius agere quod agebam; ut operi utrique non deessem, uni diebus, alteri noctibus, quando mihi ab aliis occupationibus hinc atque hinc venire non desistentibus parceretur. Agebam vero rem plurimum necessariam: nam retractabam opuscula mea, et si quid in eis me offenderet, vel alios offendere posset, partim reprehendendo, partim defendendo, quod legi deberet et posset, operabar. Et duo volumina jam absolveram, retractatis omnibus libris meis, quorum numerum nesciebam: eosque ducentos triginta duos esse cognovi. Restabant epistolæ, deinde tractatus populares, quos Græci homilias vocant. Et plurimas jam epistolarum legeram, sed adhuc nihil inde dictaveram, cum me etiam isti Juliani libri occupare cœperant, quorum nunc quarto respondere cœpi. Quando ergo id explicavero, quintoque respondero, si tres non supervenerint, dispono (si Deus voluerit) et quod poscis incipere, simul agens utrumque, et hoc scilicet, et illud de retractatione opusculorum meorum, nocturnis et diurnis temporibus in singula distributis.

3. Hoc ideo insinuavi Sanctitati tuæ, ut quantum tibi desiderium est sumendi quod poscis, tanto flagrantius a Domino mihi poscas adjutorium, quo serviam laudabili studio tuo, atque utilitati eorum quibus id existimas profuturum, domine sinceriter dilectissime frater. Commendo iterum perlatorem, et negotium propter quod eo perrexit; si cognoveris apud quem agendum sit, peto ne pigeat adjuvare. Non enim possumus necessitates hominum ejusmodi deserere, qui nostri non coloni, sed, quod majus est, fratres sunt, et in charitate Christi ad curam pertinent nostram. Deo vivas.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE HÆRESIBUS

AD QUODVULTDEUM

Liber unus[(a)].

Quod petis sæpissime atque instantissime, sancte fili Quodvultdeus, ut de hæresibus aliquid scribam dignum lectione cupientium dogmata devitare contraria fidei christianæ, et christiani nominis obumbratione fallentia; scias me olim longe antequam peteres, facere cogitasse, atque fuisse facturum, nisi diligenter considerans quale quantumque id esset, ultra vires meas esse sentirem. Sed quoniam fateor nullum mihi, ut te, institisse poscendo; in ipsa tam molesta instantia tua etiam tuum nomen attendi, et dixi: Aggrediar, et faciam quod vult Deus. Hoc enim Deum velle confido, si me ad hujus operis terminum misericordi favore perduxerit, ut per ministerium linguæ meæ tanta hujus rei difficultas aut ostendatur tantummodo, aut ipso etiam plenius adjuvante tollatur. Quorum duorum, quod priore loco posui, jam diu est ut animo volvo ac revolvo, et quadam meditatione contueor: quod autem postea dixi, non me accepisse confiteor; et utrum dum hoc ago, ut efficiam, dum peto, dum quæro, dum pulso, sim fortasse accepturus ignoro: scio me tamen nec petiturum, nec quæsiturum ac pulsaturum quantum sat est, nisi et hunc affectum munero divinæ inspirationis accepero. In hoc igitur opere, quod te vehementer urgente in Dei voluntate suscepi, cernis me ut id peragam non tam crebrescentibus ad me tuis petitionibus esse cogendum, quam piis ad Deum non solum tuis, verum et aliorum fratrum, quos tibi in hanc rem fideles socios potueris invenire, orationibus adjuvandum. Quod ut fiat, has ipsas primas hujus laboris mei partes, ubi est ista prælocutio, curavi tuæ Charitati in auxilio Domini accelerare mittendas: ut propter illa quæ restant, noveritis quantum pro me orare debeatis, quicumque nosse potueritis, a me jam fuisse susceptum hoc tam grande negotium, quod a me desideratis impleri.

Petis ergo (quod tuæ indicant litteræ, quas ad me dedisti, cum primum a me petere ista cœpisti) ut exponam *breviter, perstricte atque summatim, ex quo christiana religio hæreditatis promissæ nomen accepit, quæ hæreses fuerint, sint; quos errores intulerint, inferant; quid adversus catholicam Ecclesiam senserint, sentiant, de fide, de Trinitate, de Baptismo, de pœnitentia, de homine Christo, de Deo Christo, de resurrectione, de Novo et Vetere Testamento.* Istas autem inquisitiones tuas in immensum procedere cum videres, putasti cujusdam generalitatis adhibendum esse compendium, atque dixisti: *Et omnia omnino, quibus a veritate dissentiunt.* Deinde addidisti: *Quæ etiam Baptismum habeant, quæve non habeant; et post quas baptizet, nec tamen rebaptizet Ecclesia: quæliter suscipiat venientes; et quid singulis lege, auctoritate, atque ratione respondeat.* Hæc omnia cum quæris ut exponantur a me, miror luculentum ingenium tuum, tot tantarumque rerum et sitire veritatem, et fastidium jam timendo poscere brevitatem. Sed vidisti etiam ipse quid hoc loco possem tuæ hujus epistolæ cogitare; et quasi vigilanter occurristi cogitationi meæ, dicens: *Nec me tantæ Beatitudo tua credat ineptiæ, ut non inspiciam quantis et quam ingentibus voluminibus opus sit, ut possint ista dissolvi. Verum hoc ego fieri non exspecto*[1]: *id enim multipliciter factum esse non dubito.* Et tanquam consilium subjiciens, quomodo possit et servari brevitas, et veritas pandi, adjungis ea verba quæ paulo ante jam posui, et dicis: *Sed breviter, perstricte atque summatim opiniones rogo cujuslibet hæresis poni, et quid contra teneat Ecclesia catholica, quantum instructioni satis est, subdi.* Ecce iterum mittis in longum: non quia dici istâ breviter sive non valent, sive non debent; sed quia tam multa sunt, ut quamlibet breviter dicenda multas litteras flagitent: tu autem *ut velut quodam*, inquis, *ex omnibus concepto commonitorio, si quis aliquam objectionem aut convictionem uberius, plenius, ac planius nosse voluerit, ad opulenta et magnifica volumina transmittatur, quibus a diversis, et præcipue*, inquis, *a Ve-*

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber de Hæresibus ad Quodvultdeum recognitus est denuo ad codices manuscriptos Vaticanos quinque, et ad Gallicanos duodecim; scilicet Regios duos, quatuor Colbertinos, Dominicanorum majoris conventus Parisiensis unum, ad Victorinum, Becheronensem, Beccensem, Floriacensem, Michaelinum; ad varias lectiones Belgicorum septem quibus Theologi Lovanienses usi sunt; postremo ad editiones Joannis Amerbachii, Desiderii Erasmi, ac Theologorum Lovaniensium.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M

[1] Editi, *expecto.* At Mss., *exspecto.*

(a) Scriptus circiter annum 428.

neratione tua in hoc ipsum constat esse elaboratum. Quæ cum dicis, unum quasi commonitorium de his omnibus te desiderare significas : audi ergo unde commonearis quid petas.

Opiniones omnium philosophorum, qui sectas varias condiderunt, usque ad tempora sua (neque enim plus poterat), sex non parvis voluminibus quidam Celsus absolvit. Nec redarguit aliquem, sed tantum quid sentirent aperuit[1], ea brevitate sermonis, ut tantum adhiberet eloquii, quantum rei nec laudandæ, nec vituperandæ, nec affirmandæ aut defendendæ, sed aperiendæ indicandæque sufficeret; cum ferme centum philosophos nominasset : quorum non omnes instituerunt hæreses proprias ; quoniam nec illos tacendos putavit, qui suos magistros sine ulla dissensione secuti sunt. Noster vero Epiphanius Cyprius episcopus (*a*), abhinc non longe humanis rebus exemptus, de octoginta hæresibus loquens sex libros etiam ipse conscripsit, historica narratione memorans omnia, nulla disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans. Breves sane sunt hi libelli, et si in unum librum redigantur, nec ipse erit nostris vel aliorum quibusdam libris longitudine comparandus. Hujus brevitatem si fuero in commemorandis hæresibus imitatus, quid a me brevius postulare vel exspectare debeas, non habebis. Sed non ibi hujus mei laboris summa consistit, quod et tibi, vel me demonstrante, vel etiam te præcurrente poterit apparere, cum hoc fecero. Videbis enim in eo quod supradictus episcopus fecit, quantum desit operi quod ipse vis fieri ; quanto magis quod ego? Tu namque, quamvis breviter, perstricte atque summatim, tamen vis etiam responderi commemoratis hæresibus : quod ille non fecit. Ego vero hoc magis volo facere, si et Deus velit, undè possit omnis hæresis, et quæ nota est, et quæ ignota, vitari; et unde recte possit quæcumque innotuerit, judicari. Non enim omnis error hæresis est; quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non possit. Quid ergo faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillime potest : quod in processu hujus operis declarabitur, si Deus rexerit, atque ad id quod intendo, perduxerit disputationem meam[2]. Quid autem prosit ipsa inquisitio, etiamsi non potuerimus comprehendere quomodo sit definiendus hæreticus, suo loco videndum atque dicendum est : nam si hoc comprehendi potuerit, quis non videat utilitas quanta sit? Erunt ergo primæ partes operis hujus de hæresibus, quæ post Christi adventum et ascensum adversus doctrinam ipsius exstiterunt, et utcumque nobis innotescere potuerunt. In posterioribus autem partibus, quid faciat hæreticum, disputabitur. Cum ergo Dominus ascendisset in cœlum, hi hæretici exorti sunt (*a*).

I. *Simoniani.*
II. *Menandriani.*
III. *Saturniniani.*
IV. *Basilidiani.*
V. *Nicolaitæ.*
VI. *Gnostici.*
VII. *Carpocratiani.*
VIII. *Cerinthiani, vel Merinthiani.*
IX. *Nazaræi.*
X. *Ebionæi.*
XI. *Valentiniani.*
XII. *Secundiani.*
XIII. *Ptolemæi.*
XIV. *Marcitæ.*
XV. *Colorbasii.*
XVI. *Heracleonitæ.*
XVII. *Ophitæ.*
XVIII. *Caiani.*
XIX. *Sethiani.*
XX. *Archontici.*
XXI. *Cerdoniani.*
XXII. *Marcionitæ.*
XXIII. *Apellitæ.*
XXIV. *Severiani.*
XXV. *Tatiani, vel Encratitæ.*
XXVI. *Cataphryges.*
XXVII. *Pepuziani, alias Quintilliani.*
XXVIII. *Artotyritæ.*
XXIX. *Tessarescædecatitæ.*
XXX. *Alogii.*
XXXI. *Adamiani.*
XXXII. *Elcesæi, et Sampsæi.*
XXXIII. *Theodotiani.*
XXXIV. *Melchisedeciani.*
XXXV. *Bardesanistæ.*
XXXVI. *Noetiani.*
XXXVII. *Valesii.*
XXXVIII. *Cathari, sive Novatiani.*
XXXIX. *Angelici.*
XL. *Apostolici.*
XLI. *Sabelliani, sive Patripassiani.*
XLII. *Origeniani.*
XLIII. *Alii Origeniani.*
XLIV. *Pauliani.*
XLV. *Photiniani.*
XLVI. *Manichæi.*
XLVII. *Hieracitæ.*
XLVIII. *Meletiani.*
XLIX. *Ariani.*
L. *Vadiani, sive Anthropomorphitæ.*
LI. *Semiariani.*
LII. *Macedoniani.*
LIII. *Aeriani.*

[1] Am. Er. et Mss., *quid sentiret aperuit.*
[2] Plerique Mss., *perduxerit dispositionem meam.*

(*a*) Epiphanius Constantiæ seu Salaminæ in Cypro insula episcopus, humanis rebus exemptus est circiter annum Christi 403. Ipsius adversus octoginta hæreses immensi operis, quod Panarium inscripsit, nonnisi epitome et anacephalæosis Augustino cognita.

(*a*) Hæresum indiculus ab aliquo hic adjectus est : reperitur in plerisque Mss. non hoc loco, sed in fronte libri ante præfationem collocatus, cum hujusmodi titulo : « In hoc libro istæ hæreses continentur. »

LIV. *Actiani, qui et Eunomiani.*
LV. *Apollinaristæ.*
LVI. *Antidicomaritæ.*
LVII. *Massaliani, sive Euchitæ.*
LVIII. *Metangismonitæ.*
LIX. *Seleuciani, vel Hermiani.*
LX. *Proclianitæ.*
LXI. *Patriciani.*
LXII. *Ascitæ.*
LXIII. *Passalorynchitæ.*
LXIV. *Aquarii.*
LXV. *Coluthiani.*
LXVI. *Floriniani.*
LXVII. *De mundi statu dissentientes.*
LXVIII. *Nudis pedibus ambulantes.*
LXIX. *Donatistæ, sive Donatiani.*
LXX. *Priscillianistæ.*
LXXI. *Cum hominibus non manducantes.*
LXXII. *Rhetoriani.*
LXXIII. *Christi divinitatem passibilem dicentes.*
LXXIV. *Triformem Deum putantes.*
LXXV. *Aquam Deo coæternam dicentes.*
LXXVI. *Imaginem Dei non esse animam dicentes.*
LXXVII. *Innumerabiles mundos opinantes.*
LXXVIII. *Animas converti in dæmones et in quæcunque animalia existimantes.*
LXXIX. *Liberationem omnium apud inferos factam Christi descensione credentes.*
LXXX. *Christi de Patre nativitati initium temporis dantes.*
LXXXI. *Luciferiani.*
LXXXII. *Jovinianistæ.*
LXXXIII. *Arabici.*
LXXXIV. *Helvidiani.*
LXXXV. *Paterniani, sive Venustiani.*
LXXXVI. *Tertullianistæ.*
LXXXVII. *Abeloitæ.*
LXXXVIII. *Pelagiani, qui et Cœlestiani.*

I. Simoniani a Simone mago, qui baptizatus a Philippo diacono, sicut in Actibus Apostolorum legitur, pecunia voluit a sanctis Apostolis emere ut etiam per impositionem manus ejus daretur Spiritus sanctus. Hic magicis fallaciis deceperat multos (*Act.* VIII, 9-19). Docebat autem detestandam turpitudinem indifferenter utendi feminis. Nec Deum fecisse mundum, docebat. Negabat etiam carnis resurrectionem. Et asserebat se esse Christum. Idemque Jovem se credi volebat; Minervam vero meretricem quamdam Helenen[1], quam sibi sociam scelerum fecerat, imaginesque et suam et ejusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas et Romæ tanquam deorum simulacra auctoritate publica constituerat. In qua urbe apostolus Petrus cum vera virtute Dei omnipotentis exstinxit[1].

II. Menandriani a Menandro etiam ipso mago, discipulo ejus, qui mundum asserebat non a Deo, sed ab Angelis factum.

III. Saturniniani[2] a quodam Saturnino, qui turpitudinem Simonianam in Syria confirmasse perhibetur: qui etiam mundum solos angelos septem præter conscientiam[3] Dei Patris fecisse dicebat.

IV. Basilidiani a Basilide, qui hoc distabat a Simonianis, quod trecentos sexaginta quinque cœlos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. Unde etiam quasi sanctum nomen commendabat, quod est, ἄβρασαξ[4], cujus nominis litteræ secundum græcam supputationem eumdem numerum complent. Sunt enim septem, α, et β, et ρ, et α, et σ, et α, et ξ: id est unum, et duo, et centum, et unum, et ducenta, et unum, et sexaginta; quæ fiunt in summa trecenta sexaginta quinque[5].

V. Nicolaitæ a Nicolao nominati sunt, uno, ut perhibetur, ex illis septem quos Apostoli diaconos ordinaverunt (*Act.* VI, 5). Iste cum de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causa permisisse fertur, ut ea qui vellet uteretur. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, qua placet usus indifferens feminarum. Hi nec ab iis quæ idolis immolantur cibos suos separant: et alios ritus gentilium superstitionum non aversantur[6]. Narrant etiam quædam fabulosa de mundo, nescio quæ barbara principum nomina miscentes disputationibus suis, quibus terreant auditores; quæ prudentibus risum potius faciunt, quam timorem. Intelliguntur autem etiam isti non Deo tribuere creaturam, sed quibusdam potestatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt.

VI. Gnostici propter excellentiam scientiæ sic se appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur: cum sint superioribus omnibus vaniores atque turpiores. Denique cum ab aliis atque aliis per diversas terrarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem quam in suis mysteriis exercere dicuntur. Aliqui eos a Nicolaitis exortos putant: aliqui a Carpocrate, de quo post loquemur.

[1] Editi, *Selenen*, At Mss., *Helenam*, aut, *Helenen*: verius. Hanc enim Simon delirabat fuisse Helenam ipsam Trojanam, ex Tertulliano, lib. de Anima, cap. 34, ex Philastrio, etc. *Elenen* etiam nominat Epiphanius, nec aliter Damascenus in opere de Hæresibus.

[1] Hic in editis additur: « Dixerat enim se in monte Sina « legem Moysi in Patris persona dedisse Judæis: tempore « Tiberii in Filii persona putative apparuisse: postea se in « linguis igneis spiritum sanctum super Apostolos venisse: « Christum autem nec venisse, nec a Judæis quidquam pertulisse. »

[2] Apud Epiphanium et Damascenum *Saturniliani* appellantur, eorumque auctor, *Saturnilus*. Sic etiam vocat Justinus in dialogo cum Tryphone, ac Theodoretus.

[3] Unus e Vaticanis codicibus, *præter scientiam*.

[4] Sic manuscripti Epiphanio et Damasceno consentientes. At editi, *abraxas*

[5] Veterum manuscriptorum auctoritate expungimus verba hæc, quæ de Basilidianis hæreticis editi addunt: « Mundum istum vel hominem non credunt a Deo factum, sed a « trecentesimo sexagesimo quinto cœlo. Amatoria carmina « studiose discunt. A Judæis non credunt Christum crucifixum, sed Simonem Cyrenensem, qui angariatus sustulit « crucem ejus. »

[6] Lov., *non adversantur*. Melius Er. cum Mss., *non aversantur*.

Tradunt autem dogmata fabulosissimis plena figmentis : etiam ipsi principum vel angelorum nominibus terribilibus infirmas animas capiunt ; et de Deo rerumque natura, fabulosa et a sanitate veritatis aliena multa contexunt. Animarum substantiam, Dei dicunt esse naturam, earumque adventum in hæc corpora et reditum ad Deum iisdem suis fabulis longissimis et stultissimis secundum suos errores insérunt : et illos qui eis credunt faciunt, non multa, ut putant, scientia præpollere, sed multa, ut ita dicam, fabulositate vanescere [1]. Dicuntur quoque bonum deum et malum deum in suis habere dogmatibus.

VII. Carpocratiani sunt a Carpocrate, qui docebat omnem turpem operationem, omnemque adinventionem peccati : nec aliter evadi atque transiri principatus et potestates, quibus hæc placent, ut possit ad cœlum superius perveniri. Hic etiam Jesum hominem tantummodo, et de utroque sexu natum putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, qua sciret ea quæ superna essent, atque nuntiaret. Resurrectionem corporis simul cum Lege abjiciebat. Negabat a Deo factum, sed a nescio quibus virtutibus mundum. Sectæ ipsius fuisse traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu et Pauli et Homeri et Pythagoræ, adorando incensumque ponendo.

VIII. Cerinthiani a Cerintho, iidemque Merinthiani a Merintho, mundum ab angelis factum esse dicentes, et carne circumcidi oportere, atque alia hujusmodi Legis præcepta servari. Jesum hominem tantummodo fuisse, nec resurrexisse, sed resurrecturum asseverantes. Mille quoque annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundum carnales ventris et libidinis voluptates, futuros fabulantur : unde etiam Chiliastæ sunt appellati (*Vid. lib.* 20 *de Civitate Dei*, *cap.* 7).

IX. Nazaræi, cum Dei Filium confiteantur esse Christum, omnia tamen veteris Legis observant, quæ Christiani per apostolicam traditionem non observare carnaliter, sed spiritualiter intelligere didicerunt (*Vid. lib.* 1 *contra Cresconium*, *cap.* 31).

X. Ebionæi Christum etiam ipsi tantummodo hominem dicunt. Mandata carnalia Legis observant, circumcisionem scilicet carnis, et cætera, a quorum oneribus per Novum Testamentum liberati sumus. Huic hæresi Epiphanius Sampsæos et Elcesæos [2] ita copulat, ut sub eodem numero, tanquam una sit hæresis, ponat, aliquid tamen interesse significans : quamvis et in consequentibus loquatur de illis, ponens eos sub numero suo. Eusebius vero Elcesaitarum sectam commemorans, fidem in persecutione dicit negandam docuisse, et in corde servandam (*Euseb.*, *lib.* 6, *cap.* 38).

XI. Valentiniani a Valentino, qui de natura rerum multa fabulosa confinxit, triginta Æonas, id est, æcula, asserens exstitisse, quorum principium esse profundum et silentium, quod profundum etiam patrem appellat [1]. Ex quibus duobus velut ex conjugio processisse perhibet intellectum et veritatem, et protulisse in honorem patris Æonas octo. De intellectu autem et veritate processisse verbum et vitam, et protulisse Æonas decem. Porro de verbo et vita processisse hominem et Ecclesiam, et protulisse Æonas duodecim. Itaque octo et decem et duodecim fieri triginta Æonas, habentes, ut diximus, primum principium de profundo et silentio. Christum autem a patre missum, id est, a profundo, spirituale vel cœleste corpus secum attulisse : nihilque assumpsisse de virgine Maria, sed per illam tanquam per rivum [2] aut per fistulam sine ulla de illa assumpta carne transisse. [3] Negat etiam resurrectionem carnis, solum per Christum spiritum et animam salutem accipere affirmans.

XII. Secundiani [4] hoc a Valentinianis distare dicuntur, quod addunt opera turpitudinis.

XIII. Ptolemæus quoque discipulus Valentini, hæresim novam condere cupiens, quatuor Æonas et alios quatuor asserere maluit.

XIV. Marcus etiam nescio quis hæresim condidit, negans resurrectionem carnis, et Christum non vere, sed putative passum asseverans. Duo quoque opinatus est ex adverso sibi esse principia, quiddam tale de Æonibus quale Valentinus affirmans.

XV. Colorbasus [5] secutus est istos, non multum aliter sentiens, vitam omnium hominum et generationem in septem sideribus consistere affirmans.

XVI. Heracleonitæ ab Heracleone discipulo superiorum, duo asserunt principia, unum ex altero, et ex his duobus alia plurima. Feruntur autem suos morientes novo modo quasi redimere, id est, per oleum, balsamum et aquam, et invocationes quas hebraicis verbis dicunt super capita eorum.

XVII. Ophitæ a colubro nominati sunt : coluber enim græce ὄφις dicitur. Hunc autem Christum arbitrantur : sed habent etiam verum colubrum assuetum eorum panes lambere, atque ita eis velut eucharistiam sanctificare. Quidam dicunt istos Ophitas ex Nicolaitis sive Gnosticis exstitisse, et per eorum fabulosa figmenta ad colubrum colendum fuisse perventum [6].

[1] Editio Fr., « carumque adventum in hæc corpora cum « aliis aereis animalibus dicunt fieri, per quas peccata in « corporibus committuntur : nam illas animas quæ ex Dei « procedunt substantia, reverti ad Deum immaculatas. Di- « cuntur quoque bonum Deum, » etc. Locum ex Mss. exemplaribus redintegrarunt Lovanienses.

[2] In antiquis codicibus scriptum reperimus cum aspiratione, *Helcesæos* ; et infra, *Helcesaitarum*, seu, *Helcescitarum* secundum.

[1] Michaelinus, Colbertinus et Vaticanus codices addunt, *silentium matrem*.

[2] Editio Fr., *tanquam per rimam*.

[3] Quod hic in editis fuerat additum, « De trigesimo sæ- « culo dicit diabolum genitum, et a diabolo alios natos qui « fecerint hunc mundum. Et ideo malitiam non arbitrio « tribuit, sed naturæ mundi, id est generi diabolico, » abest a Mss.

[4] Lov. et aliquot Mss., *Sevandiani*. Alii cum Fr., *Secundiani* : quorum scilicet princeps, *Secundus* a Philastrio, Epiphanio et ab aliis dicitur.

[5] *Colarbasum* editi libri appellant, mutata altera vocali *o* in *a*, reluctantibus antiquis scripturis.

[6] Ita in Mss. At in excusis describitur isthæc hæresis hoc fere modo : « Hunc autem colubrum qui decepit Adam et « Evam, Christum arbitrantur : sed habent etiam verum « colubrum, quem nutriunt et venerantur. Qui et incan- « tante sacerdote egreditur de spelunca, et ascendit super « altare, lambitque spelunæ, et oblationes eorum lambit, et,

XVIII. Caiani propterea sic appellati, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis. Simul et Judam traditorem divinum aliquid putant, et scelus ejus beneficium deputant; asserentes eum præscisse quantum esset generi humano Christi passio profutura, et occidendum Judæis propterea tradidisse. Illos etiam, qui schisma facientes in primo populo Dei, terra dehiscente perierunt[1] (*Num.* xvi, 31-33), et Sodomitas colere perhibentur. Blasphemant Legem, et Deum Legis auctorem, carnisque resurrectionem negant.

XIX. Sethiani nomen acceperunt a filio Adæ, qui vocatus est Seth : eum quippe honórant, sed fabulosa et hæretica vanitate. Dicunt enim eum de superna matre natum, quam perhibent convenisse cum superno patre, unde divinum semen aliud nasceretur, tanquam filiorum Dei. Hi quoque multa de principatibus et potestatibus vanissima fabulantur. Quidam eos dicunt Sem filium Noe Christum putare.

XX. Archontici a principibus appellati, universitatem, quam Deus condidit, opera esse principum dicunt. Operantur etiam quamdam turpitudinem. Resurrectionem carnis negant.

XXI. Cerdoniani a Cerdone nominati, qui duo principia sibi adversantia dogmatizavit : Deumque Legis ac Prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed justum; patrem vero Christi bonum : Christumque ipsum neque natum ex femina, neque habuisse carnem; nec vere mortuum vel quidquam passum, sed simulasse passionem. Quidam vero in duobus principiis suis duos deos ita eum dixisse perhibent, ut unus eorum esset bonus, alter autem malus. Resurrectionem mortuorum negat, spernens etiam Testamentum Vetus.

XXII. Marcion quoque, a quo Marcionitæ appellati sunt[2], Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis : quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, bonum, justum, pravum : sed Eusebius Sinerum quemdam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit auctorem, (*Euseb. lib.* 5, *cap.* 13).

XXIII. Apellitæ sunt, quorum Apelles est princeps, qui duos quidem deos introducit, unum bonum, alterum malum : non tamen in duobus diversis atque inter se adversis esse principiis; sed unum esse principium, deum scilicet bonum; et ab illo factum alterum : qui cum malignus esset, inventus est in sua mundum malignitate fecisse. Hunc Apellem dicunt quidam etiam de Christo tam falsa sensisse, ut diceret eum non quidem carnem deposuisse de cœlo[3], sed ex elementis mundi accepisse, quam mundo reddidit, cum sine carne resurgens ascendit in cœlum.

XXIV. Severiani a Severo exorti, vinum non bibunt, eo quod fabulosa vanitate de satana et terra germinasse asserant vitem. Etiam ipsi non sanam doctrinam suam, quibus volunt, inflant nominibus principum, carnis resurrectionem cum Vetere Testamento respuentes[4].

XXV. Tatiani a Tatiano[5] quodam instituti, qui et Encratitæ appellati sunt, nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt : nec recipiunt in suorum numerum conjugio utentem, sive marem, sive feminam. Non vescuntur carnibus, easque omnes abominantur. Prolationes quasdam fabulosas sæculorum etiam isti sapiunt. Saluti primi hominis contradicunt. Epiphanius Tatianos et Encratitas ita discernit, ut Encratitas Tatiani schismaticos dicat[6].

XXVI. Cataphryges sunt, quorum auctores fuerunt Montanus tanquam paraclitus, et duæ prophetissæ ipsius, Prisca et Maximilla. His nomen provincia Phrygia dedit, quia ibi exstiterunt, ibique vixerunt : et etiam nunc in eisdem partibus populos habent. Adventum Spiritus sancti a Domino promissum, in se potius quam in Apostolis fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent : et ideo dicunt eas permisisse apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, et ex parte prophetabat : nondum enim venerat quod perfectum est (I *Cor.* xiii, 9, 10). Hoc autem perfectum in Montanum et in ejus prophetissas venisse delirant. Sacramenta perhibentur habere funesta : nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus exprimunt, quasi eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes : qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; si autem vixerit, pro magno sacerdote[7].

XXVII. Pepuziani[8] sive Quintilliani, a loco quodam nominati sunt, quam civitatem desertam dicit Epi-

« involvens se circa eas, regrediatur ad speluncam : et ita « confringunt oblationes in Eucharistiam, quasi a serpente « Christo, ut illi putant, sanctificatas. Tradunt hujus serpentis cultum a Nicolaitis sive Gnosticis ad istos deduc- « tum. »

[1] Post, *perierunt*, editi addebant, *Chore, Dathan et Abiron*; hi non habent Mss.

[2] Editi, *a quo Marcionistæ appellati sunt.*

[3] Sola editio Lovaniensium, *duxisse de cœlo.*

[1] subjungunt editi : « Hic præterea Philumenen quam- « dam puellam dicebat ins; iratam divinitus ad prænuntian- « da futura : ad quam somnia atque æstus sui animi refe- « rens, divinationibus seu præsagiis ejus secretim erat so- « litus præmoneri, eodem phantasmate eidem Philumenæ « pueri habitu se demonstrante, qui puer apparens Chri- « stum se aliquando, aliquando esse assereret Paulum. A « quo phantasmate sciscitans, ea soleret respondere, quæ « se audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula « operari solitam, inter quæ illud præcipuum, quod in an- « gustissimi oris ampullam vitream panem grandem immit- « teret, eumque extremis digitulis levare soleret illæsum, « eoque solo quasi divinitus sibi cibo dato fuisset conten- « ta. » Abest id totum a Mss. quod forte cum esset a quopiam in ora libri, non de Severo, sed de Appelle annotatum, librarii hallucinantes isthuc transtulerunt. De Appelle ac ejusdem Philumene Tertullianus, lib. de Præscript., capp. 6 et 30.

[2] Editi ferunt, *a Tacio*; sed Mss., *a Tatiano* : quo eum nomine veteres historici appellant.

[3] Editi, *dicat.* Melius aliquot Mss., *dicat.* Refer ad Epiphanium, qui Encratitas *apospasma Tatianeû* dicit in Epitome.

[4] Colbertini codices duo et unus e Vaticanis, *pro magno martyre; si autem vixerit, pro summo sacerdote.* Alii Vaticani cum antiquissimo Floriacensi, cum Becheronensi, etc., *pro martyre; si autem vixerit, pro maximo sacerdote.* Michaelinus Ms., *pro primo sacerdote.*

[5] In omnibus prope Mss., *Pepudiani* : et infra pro, *Pepuzi*, constanter scriptum est, *Pepudii.*

phanius. Hanc autem isti divinum aliquid esse arbitrantes, Jerusalem vocant : tantum dantes mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintillæ et Priscillæ in eadem civitate Pepuza Christum specie feminæ revelatum : unde ab hac Quintilliani etiam nuncupantur. Faciunt et ipsi de sanguine infantis, quod Cataphryges facere [1] supra diximus : nam et ab eis perhibentur exorti. Denique alii hanc Pepuzam non esse civitatem, sed villam dicunt fuisse Montani et prophetissarum ejus Priscæ et Maximillæ; et quia ibi vixerunt, ideo locum meruisse appellari Jerusalem.

XXVIII. Artotyritæ sunt, quibus oblatio eorum hoc nomen dedit : offerunt enim panem et caseum, dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terræ et ovium fuisse celebratas. Hos Pepuzianis jungit Epiphanius.

XXIX. Tessarescædecatitæ hinc appellati sunt quod non nisi quarta decima luna [2] Pascha celebrant, quilibet septem dierum occurrat dies; et si dies dominicus occurrerit, ipso die jejunant et vigilant.

XXX. Alogi [3], propterea sic vocantur, tanquam sine verbo (λόγος enim græce verbum dicitur), quia Deum Verbum recipere noluerunt, Joannis Evangelium respuentes, cujus nec Apocalypsin accipiunt, has videlicet scripturas negantes esse ipsius.

XXXI. Adamiani ex Adam dicti, cujus imitantur in paradiso nuditatem, quæ fuit ante peccatum. Unde et nuptias aversantur : quia nec priusquam peccasset Adam, nec priusquam dimissus esset de paradiso, cognovit uxorem. Credunt ergo quod nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset. Nudi itaque mares feminæque conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant sacramenta, et ex hoc paradisum suam arbitrantur Ecclesiam.

XXXII. Elcesæos et Sampsæos hic tanquam ordine suo commemorat Epiphanius, quos dicit a quodam pseudopropheta esse deceptos, qui vocabatur Elci (*a*), ex cujus genere duas mulieres tanquam deas ab eis perhibet adoratas : cætera Ebionæis tenere similia.

XXXIII. Theodotiani a Theodoto [4] quodam instituti, hominem tantummodo Christum asseverant. Quod dicitur idem Theodotus propterea docuisse, quia in persecutione lapsus isto modo se casus sui devitare putabat opprobrium, si non Deum negasse, sed hominem videretur.

XXXIV. Melchisedeciani, Melchisedec sacerdotem Dei excelsi, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur.

XXXV. Bardesanistæ a quodam Bardesane, qui in doctrina Christi prius exstitisse perhibetur insignis : sed postea, quamvis non per omnia, in Valentini hæresim lapsus est [5].

XXXVI. Noetiani a quodam Noeto, qui dicebat Christum eumdem ipsum esse Patrem et Spiritum sanctum.

XXXVII. Valesii et se ipsos castrant, et hospites suos, hoc modo existimantes Deo se debere servire. Alia quoque hæretica docere dicuntur et turpia : sed quæ illa sint, nec ipse commemoravit Epiphanius, nec uspiam potui reperire.

XXXVIII. Cathari [6], qui se ipsos isto nomine, quasi propter munditiam, superbissime atque odiosissime nominant, secundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Novatum sectantes hæreticum : unde etiam Novatiani appellantur.

XXXIX. Angelici, in angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defecisse testatur.

XL. Apostolici, qui se isto nomine arrogantissime vocaverunt, eo quod in suam communionem non reciperent utentes conjugibus et res proprias possidentes : quales habet Catholica [7] et monachos et clericos plurimos. Sed ideo isti hæretici sunt, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipsi carent. Encratitis isti similes sunt : nam et Apotactitæ (*a*) appellantur. Sed et alia nescio quæ propria hæretica docere perhibentur.

XLI. Sabelliani ab illo Noeto quem supra memoravimus, defluxisse dicuntur; nam et discipulum ejus quidam perhibent fuisse Sabellium. Sed qua causa duas hæreses eas Epiphanius computet, nescio : cum fieri potuisse videamus, ut fuerit Sabellius iste famosior, et ideo ex illo celebrius hæc hæresis nomen acceperit. Noetiani enim difficile ab aliquo sciuntur : Sabelliani autem sunt in ore multorum. Nam et Praxeanos eos a Praxea quidam vocant; et Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt : qui Praxeas et Hermogenes eadem sentientes, in Africa fuisse dicuntur. Nec tamen istæ plures sectæ sunt; sed unius sectæ plura nomina, ex his hominibus qui in ea maxime innotuerunt : sicut Donatistæ, iidem Parmenianistæ; sicut Pelagiani, iidem Cœlestiani. Unde ergo sit factum ut Noetianos et Sabellianos, non unius hæresis duo nomina, sed tanquam duas hæreses supradictus Epiphanius poneret, liquido invenire non potui : quia si quid inter se differunt, tam obscure dixit, studio forsitan brevitatis, ut non intelligam; loco quippe isto, quo et nos, tam longe a Noetianis Sabellianos commemorans : *Sabelliani*, inquit, *similia Noeto dogmatizantes, præter hoc quod dicunt Patrem non esse passum* (*Epiphanius, in Anacephalæosi*). Quomodo de Sabellianis intelligi potest, cum sic innotuerint dicere Patrem passum, ut Patripassiani quam Sabelliani crebrius nuncupentur? Aut si forte in eo quod ait, *præter*

[1] Mss., *quod Cataphrygus facere.*
[2] Editi hic addunt, *mense martio.*
[3] In editis, *Aloqiani.* Restituendum ex Mss., *Alogi* : qui a græcis hæresiographis dicuntur : *Alogoi.*
[4] Editi, *a Theodotione* : paulo post, *idem Thcodotion.* Castigantur ex Vaticano codice.
[5] Post, *lapsus est*, adjecta erant in excusis libris verba hæc, *addens de suo, ut fato ascriberet conversationes hominum*; quæ in Mss. nostris non reperimus.
[6] In Mss. : *Catharoe sive Novatiani, qui se ipsos*, etc. Græcis sunt, *Katharoi.*
[7] In editis, *catholica Ecclesia.* Abest, *Ecclesia*, a Mss.

(*a*) Ab Epiphanio in Anacephalæosi *Elkesaios* nominatur, in Panario *Elxai*, in Panarii synopsi *Elxa.*

(*a*) Id est, renuntiatores.

hæc quod dicunt Patrem non esse passum, Noetianos hoc dicere intelligi voluit, quis eos in hac ambiguitate discernat? Vel quomodo possunt intelligi quilibet eorum Patrem passum fuisse non dicere, cum dicant eumdem ipsum esse et Patrem et Filium et Spiritum sanctum? Philaster autem Brixianus episcopus, in prolixissimo libro quem de hæresibus condidit, et centum [1] viginti octo hæreses arbitratus est computandas, Sabellianos continuo post Noetianos ponens : *Sabellius*, inquit, *discipulus ejus, qui similitudinem sui doctoris itidem secutus est, unde et Sabelliani postea sunt appellati, qui et Patripassiani, et Praxeani a Praxea, et Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa, qui et ita sentientes abjecti sunt ab Ecclesia catholica.* Certe iste eosdem postea Sabellianos dixit appellatos, qui ea quæ Noetus sentiebant; et alia nomina ejusdem sectæ commemoravit : et tamen Noetianos et Sabellianos sub duobus numeris tanquam duas hæreses posuit; qua causa, ipse viderit.

XLII. Origeniani a quodam Origene dicti sunt; non illo qui fere omnibus notus est, sed ab alio nescio quo, de quo vel sectatoribus ejus Epiphanius loquens : *Origeniani*, inquit, *cujusdam Origenis* [2]; *turpis autem sunt operationis, isti sunt nefanda facientes* [3], *sua corpora corruptioni tradentes* (*a*). Alios autem Origenianos continuo subjiciens :

XLIII. Origeniani, inquit, *alii, qui et Adamantii tractatoris, qui et mortuorum resurrectionem repellunt; Christum autem creaturam et Spiritum sanctum introducentes : paradisum autem et cœlos et alia omnia allegorizantes* [4]. Hæc quidem de Origene Epiphanius : sed qui eum defendunt, unius ejusdemque substantiæ esse, dicunt, docuisse, Patrem et Filium et Spiritum sanctum; neque resurrectionem repulisse mortuorum : quamvis et in istis eum convincere studeant, qui ejus plura legerunt. Sed sunt hujus Origenis alia dogmata [5], quæ catholica Ecclesia omnino non recipit, in quibus nec ipsum falso arguit, nec potest ab ejus defensoribus falli [6] : maxime de purgatione et liberatione, ac rursus post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ creaturæ. Quis enim catholicus christianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat eam quam dicit purgationem malorum, id est, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis et facinoribus et sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipsum etiam postremo diabolum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora, purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui, et rursus post longissima tempora omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuo relabi et reverti; et has vices alternantes beatitudinum et miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semper fore? De qua vanissima impietate adversus philosophos, a quibus ista didicit Origenes, in libris de Civitate Dei diligentissime disputavi [1] (*In libro* 21).

XLIV. Pauliani a Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt; sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, asseverant : nec eum aliquid amplius quam hominem putant. Ista hæresis aliquando cujusdam Artemonis [2] fuit : sed cum defecisset, instaurata est a Paulo, et postea sic a Photino confirmata, ut Photiniani quam Pauliani celebrius nuncupentur. Istos sane Paulianos baptizandos esse in Ecclesia catholica Nicæno concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam Baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici cum de Catholica discederent abstulerunt, eamque custodiunt.

XLV. Photinus ab Epiphanio non continuo post Paulum sive cum Paulo, sed aliis interpositis ponitur. Non tacetur sane similia credidisse : secundum aliquid tamen adversatus ei dicitur; sed quid sit ipsum aliquid, omnino non dicitur. Philaster autem continuatim ponit ambos sub singulis et propriis numeris, quasi hæreses duas, cum dicat Photinum in omnibus Pauli secutum fuisse doctrinam.

XLVI. Manichæi a quodam Persa exstiterunt, qui vocabantur Manes : quamvis et ipsum, cum ejus insana doctrina cœpisset in Græcia prædicari, Manichæum discipuli ejus appellare maluerunt, devitantes nomen insaniæ. Unde quidam eorum quasi doctiores, et eo ipso mendaciores, geminata N littera, Mannichæum vocant, quasi manna fundentem [3]. Iste duo principia inter se diversa et adversa, eademque æterna et coæterna, hoc est semper fuisse, composuit : duasque naturas atque substantias, boni scilicet et mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est. Quarum inter se pugnam et commixtionem, et boni a malo purgationem, et boni quod purgari non poterit, cum malo in æternum damnationem, secundum sua dogmata asseverantes, multa fabulantur, quæ cuncta intexere huic

[1] Forte pro, *et centum*, legendum est, *centum et*. M.

[2] Lov. : *Origenis discipuli*. Vox, *discipuli*, abest ab Fr. et Mss. necnon a græco textu Epiphanii.

[3] In Mss., *inenarrabilia facientes*. Græce est, *arrêtopoiountes*.

[4] Editi, « qui et Adamantii tractatoris illius sectatores, « qui et mortuorum resurrectionem negant : Christum au- « tem et Spiritum sanctum creaturam dicunt paradisum; autem « et cœlos et alia non credunt esse secundum litteram, sed in « allegoria. » Veteres autem libri pressius inhærent græco.

[5] Soli editi, *repulisse mortuorum : sed qui ejus plura legerunt, contradicunt. Sunt et alia hujus Origenis dogmata.*

[6] Sic Mss. At editi, *ab ejus defensoribus excusari.*

(*a*) Epiphanius in Panario quidem hæres. 63 et 64, aperte profitetur nescire se an Origeniani isti turpes ab Origene Adamantio dicti sint, an ab alio Origene : sed profecto in Anacephalæosi, quæ sub fine Panario venit in manus Augustini, de utrisque Origenianis sic dicit obscure, ut priores non ab eodem Origene Adamantio, sed ab alio profectos crederes.

[1] Veterum codicum auctoritate removimus quod in excusis hic addebatur : « Dicit præterea ipse Origenes, quod « Filius Dei sanctis hominibus comparatus, veritas sit; Pa- « tri collatus, mendacium : et quantum distant Apostoli « Christo, tantum Filius Patri. Unde nec orandus est Filius « cum Patre, quia non est auctor indulgendarum petitio- « num, sed supplicator. »

[2] In excusis, *Artemonii*. At in Mss., *Artemonis*.

[3] Sic omnino ferunt Mss. At editi, *cœpisset nomen prædicari : nam antehac Urbicus* (imo, *Cubricus*, ex Epiphanio, hær. 66) *vocabatur. Sed in Græcia discipuli ejus vitantes nomen insaniæ, quasi doctiores, et eo ipso mendaciores, geminata* n *littera, Mannichæum, quasi manna fundentem, pro Manichæo, id est insano, appellaverunt. Iste duo principia*, etc.

operi nimis longum est. Ex iis autem suis fabulis vanis atque impiis coguntur dicere, animas bonas, quas censent ab animarum malarum naturæ scilicet contrariæ commixtione liberandas, ejus cujus Deus est esse naturæ. Proinde mundum a natura boni, hoc est, a natura Dei factum, confitentur quidem, sed de commixtione boni et mali, quæ facta est, quando inter se utraque natura pugnavit. Ipsam vero boni a malo purgationem ac liberationem, non solum per totum mundum et de omnibus ejus elementis virtutes Dei [1] facere dicunt, verum etiam Electos suos per alimenta quæ sumunt. Et eis quippe alimentis, sicut universo mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam : quam purgari putant in Electis suis eo genere vitæ, quo vivunt Electi Manichæorum, velut sanctius et excellentius Auditoribus suis. Nam his duabus professionibus, hoc est Electorum et Auditorum, Ecclesiam suam constare voluerunt. In cæteris autem hominibus, etiam in ipsis Auditoribus suis, hanc partem bonæ divinæque substantiæ quæ mixta et colligata in escis et potibus detinetur, maximeque in eis qui generant filios, arctius et inquinatius colligari putant. Quidquid vero undique purgatur luminis, per quasdam naves, quas esse lunam et solem volunt, regno Dei, tanquam propriis sedibus reddi Quas itidem naves de substantia Dei pura perhibent fabricatas. Lucemque istam corpoream animantium mortalium oculis adjacentem, non solum in his navibus, ubi eam purissimam credunt, verum etiam in aliis quibusque lucidis rebus, ubi secundum ipsos tenetur admixta, crediturque purganda, Dei dicunt esse naturam. Quinque enim elementa quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum : eaque elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum. In fumo nata animalia bipedia, unde homines ducere originem censent; in tenebris, serpentia; in igne, quadrupedia; in aquis, natatilia; in vento, volatilia. His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno et substantia Dei missa esse, et in illa pugna fuisse permixta; fumo aera, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Naves autem illas, id est, duo cœli luminaria, ita distinguunt, ut lunam dicant factam ex bona aqua, solem vero ex igne bono. Esse autem in eis navibus sanctas virtutes, quæ se in masculos transfigurant, ut illiciant feminas gentis adversæ, et rursus in feminas, ut illiciant masculos ejusdem gentis adversæ [2]; et per hanc illecebram commota eorum concupiscentia fugiat de illis lumen, quod membris suis permixtum tenebant, et purgandum suscipiatur ab angelis lucis, purgatumque illis navibus imponatur ad regna propria reponendum. Qua occasione, vel potius exsecrabilis superstitionis quadam necessitate, coguntur Electi eorum velut eucharistiam conspersam cum semine humano sumere, ut etiam inde, sicut de aliis cibis quos accipiunt, substantia illa divina purgetur. Sed hoc se facere negant, et alios nescio quos sub nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti sunt tamen in ecclesia, sicut scis, apud Carthaginem, jam te ibi diacono constituto, quando instante Urso tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui addicti sunt (a) : ubi puella nomine Margarita istam nefariam turpitudinem prodidit, quæ cum esset annorum nondum duodecim, propter hoc scelestum mysterium se dicebat esse vitiatam [1]. Tunc Eusebiam quamdam manichæam quasi sanctimonialem, idipsum propter hoc ipsum passam, vix compulit confiteri, cum primo illa se asseruisset integram, atque ab obstetrice inspici postulasset : quæ inspecta, et quid esset inventa, totum illud turpissimum scelus, ubi ad excipiendum et commiscendum concumbentium semen farina substernitur (quod Margarita indicante absens non audierat), similiter indicavit. Et recenti tempore nonnulli eorum reperti, et ad ecclesiam ducti, sicut Gesta episcopalia quæ nobis misistis ostendunt, hoc non sacramentum, sed exsecramentum, sub diligenti interrogatione confessi sunt : quorum unus nomine Viator, eos qui ista faciunt proprie Catharistas [2] vocari dicens, cum alias ejusdem manichææ sectæ partes in Mattarios [3], et specialiter Manichæos, distribui perhiberet, omnes tamen has tres formas ab uno auctore propagatas, et omnes generaliter manichæos esse, negare non potuit. Et certe illi libri manichæi sunt omnibus sine dubitatione communes, in quibus libris illa portenta ad illiciendos et per concupiscentiam dissolvendos utriusque sexus principes tenebrarum, ut liberata fugiat ab eis, quæ captivata tenebatur in eis divina substantia, de masculorum in feminas et feminarum in masculos transfiguratione conscripta sunt, unde ista, quam quilibet eorum negant [4] ad se pertinere, turpitudo defluxit. Divinas enim virtutes, quantum possunt, imitari se putant, ut purgent Dei sui partem : quam profecto, sicut in omnibus corporibus cœlestibus et terrestribus, atque in omnium rerum seminibus, ita et in hominis semine teneri existimant inquinatam. Ac per hoc sequitur eos, ut sic eam etiam de semine humano, quemadmodum de aliis seminibus quæ in alimentis sumunt, debeant manducando purgare. Unde etiam Catharistæ appellantur, quasi purgatores, tanta eam purgantes diligentia, ut se nec ab hac tam horrenda cibi turpitudine abstineant. Nec vescuntur tamen car-

[1] Editi, *virtutem Dei*. Melius Mss., *virtutes Dei* : quas nimirum intra Manichæi dicunt esse in sole et luna tanquam in duabus navibus *sanctas virtutes*. Concordat in Augiensi exemplari vetus ille de hæresibus liber, quem indito nomine Prædestinati publicavit Jacobus Sirmondus; qui tamen hoc loco *virtutem Dei* edidit.

[2] Hæc pars sententiæ, *et rursus..... gentis adversæ*, restituitur ex Mss. Vide librum de Natura Boni, cap. 44.

[1] Sic Mss. Editi autem habent, *violatam*.

[2] Hic editi addunt, *id est mundatores vel purgatores*.

[3] Editi, *Macarios* : quod erratum secutus est Sirmondus in suo Prædestinato; quanquam Augiense ejusdem Prædestinati exemplar præfert, *Mattarios*. Sic vero habent hic etiam Augustini Mss. omnes. Nempe quia in mattis dormiunt, Mattarii appellantur, ex libro 3 contra Faustum, cap. 5.

[4] Ita Vaticani duo Mss. At editi, *unde ista eorum, quamlibet negant*, etc.

(a) Vid. Possid. in Vita Augustini, cap. 16.

nibus, tanquam de mortuis vel occisis fugerit divina substantia, tantumque ac tale inde remanserit, quod jam dignum non sit in Electorum ventre purgari. Nec ova saltem sumunt, quasi et ipsa cum franguntur exspirent, nec oporteat ullis mortuis [1] corporibus vesci, et hoc solum vivat ex carne, quod farina, ne moriatur, excipitur. Sed nec alimonia lactis utuntur, quamvis de corpore animantis vivente mulgeatur sive sugatur : non quia putant divinæ substantiæ nihil ibi esse permixtum, sed quia sibi error ipse non constat. Nam et vinum non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum; cum vescantur uvis : nec musti aliquid, vel recentissimi, sorbent. Animas Auditorum suorum in Electos revolvi arbitrantur, aut feliciore compendio in escas Electorum suorum, ut jam inde purgatæ in nulla corpora revertantur. Cæteras autem animas et in pecora redire putant, et in omnia [2] quæ radicibus fixa sunt atque aluntur in terra. Herbas enim atque arbores sic putant vivere, ut vitam quæ illis inest, et sentire credant, et dolere, cum lædun-tur [3] : nec aliquid inde sine cruciatu eorum quemquam posse vellere aut carpere. Propter quod, agrum etiam spinis purgare, nefas habent. Unde agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tanquam plurium homicidiorum ream dementer accusant : suisque Auditoribus ideo hæc arbitrantur ignosci, quia præbent inde alimenta Electis suis ; ut divina illa substantia in eorum ventre purgata, impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipsi Electi, nihil in agris operantes, nec poma carpentes, nec saltem folia ulla vellentes, exspectant hæc afferri usibus suis ab Auditoribus suis, viventes de tot ac tantis secundum suam vanitatem homicidiis alienis. Monent etiam eosdem Auditores suos, ut si vescuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cœlestibus colligatos, a quibus omnem carnem dicunt originem ducere : et si utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque devitent, ne divina substantia quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippe in omnem carnem, id est, per escas et potus venire animas credunt. Unde nuptias sine dubitatione condemnant, et quantum in ipsis est, prohibent ; quando generare prohibent, propter quod conjugia copulanda sunt, Adam et Evam ex parentibus principibus fumi asserunt natos : cum pater eorum nomine Saclas sociorum suorum fetus omnium devorasset, et quidquid inde commixtum divinæ substantiæ ceperat, cum uxore concumbens in carne prolis tanquam tenacissimo vinculo colligasset. Christum autem fuisse affirmant, quem dicit nostra Scriptura serpentem, a quo illuminatos asserunt, ut cognitionis oculos aperirent, et bonum malumque dignoscerent : cumque Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora liberanda. Nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse, ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur. Deum qui Legem per Moysen dedit, et in Hebræis Prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum. Ipsiusque Testamenti Novi scripturas tanquam infalsatas ita legunt, ut quod volunt inde accipiant, quod nolunt rejiciant, eisque tanquam totum verum habentes [1] nonnullas apocryphas anteponant. Promissionem Domini Jesu Christi de paracleto Spiritu sancto (*Joan.* XVI, 7) in suo hæresiarcha Manichæo dicunt esse completam. Unde se in suis litteris Jesu Christi apostolum dicit, eo quod Jesus Christus se missurum esse promiserit atque in illo miserit Spiritum sanctum. Propter quod etiam ipse Manichæus duodecim discipulos habuit, ad instar apostolici numeri, quem numerum Manichæi hodieque custodiunt. Nam ex Electis suis habent duodecim, quos appellant magistros, et tertium decimum principem ipsorum : episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur a magistris ; et presbyteros, qui ordinantur ab episcopis. Habent etiam episcopi diaconos. Jam cæteri tantummodo Electi vocantur : sed mittuntur etiam ipsi qui videntur idonei, ad hunc errorem, vel ubi est, sustentandum et augendum ; vel, ubi non est, etiam seminandum. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre : nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant. Orationes faciunt ad solem per diem, quaqua versum circuit : ad lunam per noctem, si apparet ; si autem non apparet, ad aquiloniam partem, qua sol cum occiderit, ad orientem revertitur, stant orantes. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis adversæ : quam dogmatizantes esse hominibus mixtam, omnem carnem non Dei, sed malæ mentis perhibent esse opificium, quæ a contrario principio Deo coæterna est. Carnalem concupiscentiam, qua caro concupiscit adversus spiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis inesse infirmitatem ; sed substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, separetur a nobis, et in sua natura etiam ipsa immortaliter vivat : easque duas animas, vel duas mentes, unam bonam, alteram malam, in uno homine inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Galat.* v, 17). Nec in nobis sanatum hoc vitium, sicuti nos dicimus, nunquam futurum : sed a nobis sejunctam atque seclusam substantiam istam mali, et finito isto sæculo post conflagrationem mundi in globo quodam, tanquam in carcere sempiterno, esse victuram. Cui globo affirmant accessurum semper et adhæsurum quasi coopertorium atque tectorium ex animalibus, natura quidem bonis, sed tamen quæ non potuerint a naturæ malæ contagione mundari.

XLVII. Hieracitæ [2], quorum auctor Hieraca nun-

[1] Aliquot Mss., *illis mortuis.*
[2] Sola editio Lov., *et omnia ;* omisso, *in.*
[3] In Mss., *cum læditur.*

[1] Sic veteres Mss. At editi, *eisque tanquam non totum verum habentibus nonnullas*, etc.
[2] Editi, *Hierachitæ.* At Mss. absque aspiratione in quarta syllaba, *Hieracitæ.* Græci, *Ierakitai.*

cupatur, resurrectionem carnis negant. Monachos tantum et monachas et conjugia non habentes in communionem recipiunt. Ad regnum cœlorum non pertinere parvulos dicunt, quia non sunt eis ulla merita certaminis, quo vitia superantur [1].

XLVIII. Meletiani a Meletio nuncupati, nolentes orare cum conversis, id est, cis qui in persecutione cecidcrunt, schisma fecerunt [2]. Nunc autem dicuntur Arianis esse conjuncti.

XLIX. Ariani ab Ario, in eo sunt notissimi errore, quo Patrem et Filium et Spiritum sanctum nolunt esse unius ejusdemque naturæ atque substantiæ, aut, ut expressius dicatur, essentiæ, quæ οὐσία græce appellatur sed esse Filium creaturam; Spiritum vero sanctum creaturam creaturæ, hoc est, ab ipso Filio creatum volunt. In eo autem quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt : nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse, et Epiphanius non tacuit, et ego ex eorum quibusdam scriptis et collocutionibus certissime comperi. Rebaptizari quoque ab his Catholicos novimus; utrum et non catholicos, nescio.

L. Vadianos [3], quos appellat Epiphanius, et schismaticos, non hæreticos vult videri; alii vocant Anthropomorphitas, quoniam Deum sibi fingunt cogitatione carnali in similitudinem hominis corruptibilis : quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis ne dicantur hæretici. Eos autem separasse se dicit a communione nostra, culpando episcopos divites, et pascha cum Judæis celebrando. Quamvis sint qui eos in Ægypto Ecclesiæ catholicæ communicare asseverent. De Photinianis autem, quos isto loco Epiphanius commemorat, jam superius satis locutus sum.

LI. Semiarianos Epiphanius dicit, qui similis essentiæ (ὁμοιούσιον) dicunt Filium [4], tanquam non plenos Arianos : quasi Ariani nec similem velint; cum hoc Eunomiani dicere celebrentur.

LII. Macedoniani sunt a Macedonio [5], quos et Πνευματομάχους Græci dicunt, eo quod de Spiritu sancto litigent. Nam de Patre et Filio recte sentiunt, quod unius sint ejusdemque substantiæ, vel essentiæ : sed de Spiritu sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Hos potius quidam Semiarianos vocant, quod in hac quæstione ex parte cum illis sint, ex parte nobiscum. Quamvis a nonnullis perhibeantur, non Deum, sed deitatem Patris et Filii dicere Spiritum sanctum, et nullam propriam habere substantiam.

LIII. Aerianı ab Aerio quodam sunt, qui cum esset presbyter, doluisse fertur quod episcopus non potuit ordinari; et in Arianorum hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens offerri pro dormientibus non oportere [1]; nec statuta solemniter celebranda esse jejunia, sed cum quisque voluerit jejunandum, ne videatur esse sub lege. Dicebat etiam presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni. Quidam perhibent istos, sicut Encratitas vel Apotactitas, non admittere ad communionem suam nisi continentes, et eos qui sæculo ita renuntiaverint, ut propria nulla possideant. Ab esca tamen carnium non eos abstinere dicit Epiphanius : Philaster vero et hanc eis tribuit abstinentiam.

LIV. Aetiani ab Aetio sunt vocati, iidemque Eunomiani ab Eunomio Aetii discipulo, quo nomine magis innotuerunt. Eunomius quippe in dialectica prævalens, acutius et celebrius defendit hanc hæresim, dissimilem per omnia Patri asserens Filium, et Filio Spiritum sanctum. Fertur etiam usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret quod nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus quæ ab illo docebatur fidei particeps esset.

LV. Apollinaristas Apollinaris instituit, qui de anima Christi a Catholica dissenserunt, dicentes, sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima [2] suscepisse. In qua quæstione testimoniis evangelicis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, defuisse animæ Christi, sed pro hac ipsum Verbum in eo fuisse dixerunt. De ipsa vero ejus carne sic a recta fide dissensisse perhibentur, ut dicerent carnem illam et Verbum unius ejusdemque substantiæ, contentiosissime asseverantes, Verbum carnem factum, hoc est, Verbi aliquid in carnem fuisse conversum atque mutatum, non autem carnem de Mariæ carne fuisse susceptam.

LVI. Antidicomaritæ [3] appellati sunt hæretici, qui Mariæ virginitati usque adeo contradicunt, ut affirment eam post Christum natum viro suo fuisse commixtam.

LVII. Postremam ponit Epiphanius Massalianorum [4] hæresim : quod nomen ex lingua syra est. Græce autem dicuntur Εὐχῖται, ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis qui hoc de illis audiunt incredibile videatur. Nam cum Dominus dixerit, *Oportet semper orare, et non deficere* (*Luc.* xviii, 1); et Apostolus, *Sine intermissione orate* (*I Thess.* v, 17) : quod sanissime sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi : isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicarentur inter hæreticos nominandi. Quamvis nonnulli eos dicant de purgatione animarum nescio quam phantasticam et ridiculam fabulam nar-

[1] Sic Mss. At Lov., *separentur*. Er., *superentur*.
[2] Apud Lov., *vel schisma fecerunt*. Abest, *vel*, ab Er et a Mss.
[3] Floriacensis codex hoc tantum loco habebat, *Adianos* : nam supra in indiculo operi præfixo, cum cæteris Mss. præfert, *Vadianos*. Prædestinatus in Augiensi codice *Valdimos* constanter vocat, iis duobus locis quibus Sirmondus *Audianos* edidit. Græcis revera dicuntur *Audæanoi*.
[4] Lov., *dicunt Patrem et Filium*.
[5] Editi addunt, *Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopo*, quod Mss. a abest.

[1] Sic Mss. At editi, *dicens, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere*.
[2] In Mss., *carnem solam sine anima*.
[3] Editi, *Antidicomanianitæ* : Secundum Græcos. Omnes vero hic latini Mss., *Antidicomaritæ*.
[4] Editi, *Psallianorum*. At Mss. plerique, *Massalianorum*. Pauciores, *Massilianorum* : qui tamen *Massalianos* et ipsi habent in indiculo ante præfationem. Concordant græci scriptores.

rare [1], porcam scilicet cum porcellis videri exire de ore hominis quando purgatur, et in eum visibili similiter specie ignem, qui non comburat, intrare. Iis adjungit Epiphanius Euphemitas, Martyrianos, et Satanianos [2], et hos omnes cum illis tanquam unam hæresim ponit. Dicuntur Euchitæ opinari, monachis non licere sustentandæ vitæ suæ causa aliquid operari, atque ita se ipsos monachos profiteri, ut omnino ab operibus vacent.

Usque ad istos ergo de hæresibus opus suum perduxit supra dictus episcopus Cyprius, apud Græcos inter magnos habitus, et a multis in catholicæ fidei sanitate laudatus. Cujus ego in commemorandis hæreticis non modum, sed ordinem sum secutus. Nam et aliqua ex aliis posui quæ ipse non posuit, et aliqua non posui, quæ ipse posuit : itaque alia latius quam ipse, alia etiam brevius explicavi, paremque in nonnullis exhibui brevitatem, omnia moderans sicut intentionis meæ ratio postulabat. Proinde ille de octoginta hæresibus, separatis viginti, quas ante Domini adventum exstitisse, sicut ei visum est, computavit; reliquas post Domini ascensum natas sexaginta, brevissimis libris quinque comprehendit, atque omnes sex libros totius ejusdem sui operis fecit [3]. Ego autem, quia secundum petitionem tuam eas hæreses memorare institui, quæ post glorificationem Christi se adversus doctrinam Christi, etiam sub velamine christiani nominis extulerunt, quinquaginta septem ex Epiphanii ipsius opere in meum transtuli, duas in unam referens, ubi nullam differentiam potui reperire : et rursus ubi ille ex duabus unam facere voluit, sub numeris suis singulas posui. Sed adhuc commemorare debeo, sive quas apud alios reperi, sive quas ipse reminiscor. Nunc ergo addo quas Philaster posuit, nec posuit Epiphanius.

LVIII. Metangismonitæ dici possunt, qui Metangismon asserunt, dicentes sic esse in Patre Filium, quomodo vas in vase, quasi duo corpora carnaliter opinantes; ita ut Filius intret in Patrem, tanquam vas minus in vas majus. Unde et tale nomen hic error accepit, ut μεταγγισμός græce diceretur : ἀγγεῖον quippe illa lingua vas dicitur : sed introitus unius vasis in alterum, latine uno nomine non potest dici, sicut græce potuit μεταγγισμός.

LIX. Seleuciani sunt vel Hermiani ab auctoribus Seleuco vel Hermia, qui elementorum materiam de qua factus est mundus, non a Deo factam dicunt, sed Deo coæternam. Nec animam Deo tribuunt creatori, sed creatores esse animarum Angelos volunt de igne et spiritu. Malum autem asserunt esse aliquando a Deo, aliquando a materia. Negant Salvatorem in carne sedere ad dexteram Patris, sed ea se exuisse perhibent, eamque in sole posuisse, accipientes occasionem de Psalmo, ubi legitur, *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII, 6). Negant etiam visibilem paradisum. Baptismum in aqua non accipiunt. Resurrectionem non putant futuram, sed quotidie fieri in generatione filiorum.

LX. Proclianitæ secuti sunt istos, et addiderunt Christum non in carne venisse.

LXI. Patriciani a Patricio nuncupati, substantiam carnis humanæ non a Deo, sed a diabolo conditam dicunt : eamque sic fugiendam et detestandam putant, ut quidam eorum perhibeantur etiam morte sibi illata [1] carere carne voluisse.

LXII. Ascitæ ab utre appellati sunt : ἀσκός enim græce, latine uter dicitur : quem perhibentur inflatum et opertum circuire bacchantes, tanquam ipsi sint evangelici utres novi novo vino repleti.

LXIII. Passalorynchitæ in tantum silentio student, ut naribus et labiis suis digitum opponant, ne vel ipsam taciturnitatem voce præripiant, quando tacendum sibi esse arbitrantur; unde etiam illis est nomen inditum : πάσσαλος enim græce dicitur palus; et ῥύγχος nasus. Cur autem per palum digitum significare maluerint, a quibus hoc nomen compositum est, nescio : cum græce et dicatur digitus δάκτυλος, et possint utique Dactylorynchitæ multo evidentius nuncupari.

LXIV. Aquarii ex hoc appellati sunt, quod aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia.

LXV. Colutiani a quodam Colutho, qui dicebat Deum non facere mala; contra illud quod scriptum est, *Ego Deus creans mala* (*Isai.* XLV, 7).

LXVI. Florviniani a Florino, qui e contrario dicebat Deum creasse mala : contra id quod scriptum est, *Fecit Deus omnia, et ecce bona valde* (*Gen.* I, 31). Ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando; quod Colluthus non videbat : non autem malas creando naturas atque substantias, in quantum sunt naturæ atque substantiæ; ubi Florinus errabat.

LXVII. Hæresim quamdam sine auctore et sine nomine Philaster commemorat, quæ dicit hunc mundum etiam post resurrectionem mortuorum in eodem statu in quo nunc est esse mansurum, neque ita esse mutandum, ut sit cœlum novum et terra nova, sicut sancta Scriptura promittit (*Isai.* LXV, 17; II *Petr.* III, 13, *et Apoc.* XXI, 1).

LXVIII. Est alia hæresis nudis pedibus semper ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Moysen, vel ad Josue [2], *Solve calceamentum de pedibus tuis* (*Exod.* III, 5; *et Josue* V, 16) : et quod propheta Isaias nudis pedibus jussus fuerit ambulare (*Isai.* XX, 2). Ideo ergo hæresis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia divina taliter intelligunt [3].

[1] In Mss., *nescio qua phantastica et ridicule fabulosa narrare.*

[2] In impressis, *Saturnanos* : eorum vitio qui ediderunt; nam Mss. omnes ferunt, *Satanianos.*

[3] Editi, *in sex libros totius ejusdem sui operis fecit concludi.* Mss. vero nec habent particulam, *in*, nec verbum, *concludi.*

[1] In Mss., *morte sibimet illata.*

[2] In Mss. deest, *vel ad Josue.*

[3] Am. Er. et plerique Mss. omittunt : *Ideo ergo hæresis*

LXIX. Donatiani vel Donatistæ sunt, qui primum propter ordinatum contra suam voluntatem Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginensis episcopum schisma fecerunt : objicientes ei crimina non probata, et maxime quod a traditoribus divinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causam cum eo dictam atque finitam falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmata, in hæresim schisma verterunt : tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani, seu vera, seu quod magis judicibus apparuit, falsa, de toto terrarum orbe perierit, ubi futura promissa est, atque in Africana Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis exstincta. Audent etiam rebaptizare Catholicos : ubi se amplius hæreticos esse firmarunt, cum Ecclesiæ catholicæ universæ placuerit, nec in ipsis hæreticis Baptisma commune re cindere. Hujus hæresis principem accipimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, et contra Cæcilianum christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit episcopum. Cui Majorino Donatus alius in eadem divisione successit, qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresim, ut multi existiment propter ipsum potius eos Donatistas vocari. Exstant scripta ejus, ubi apparet eum etiam non catholicam de Trinitate habuisse sententiam, sed quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, et minorem Filio putasse Spiritum sanctum. Verum in hunc, quem de Trinitate habuit, ejus errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit; nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur. Isti hæretici in urbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent episcopum mittere : aut hinc illuc Afri episcopi eorum pergere, si forte ibi eum ordinare placuisset. Ad hanc hæresim in Africa et illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreste et famosissimæ audaciæ, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo. Nam per mortes varias maximeque præcipitiorum et aquarum et ignium se ipsos necare consuerunt; et in istum furorem alios quos potuerint sexus utriusque seducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem, nisi fecerint, comminantes. Verumtamen plerisque Donatistarum displicent tales, nec eorum communione contaminari se putant, qui christiano orbi terrarum dementer objiciunt ignotorum crimen Afrorum. Multa et inter ipsos facta sunt schismata, et ab iis se diversis cœtibus alii atque alii separarunt; quorum separationem cætera grandis multitudo non sensit. Sed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab ejusdem erroris centum ferme episcopis ordinatus, et a reliquis trecentis decem, cum eis duodecim qui ordinationi ejus etiam præsentia corporali interfuerunt, atrocissima criminatione damnatus, compulit eos nosse etiam extra Ecclesiam dari posse Baptismum Christi. Nam quosdam ex eis cum eis quos extra eorum Ecclesiam baptizaverant, in suis honoribus sine ulla in quoquam repetitione Baptismatis receperunt, nec eos ut corrigerent per publicas potestates agere destiterunt, nec eorum criminibus per sui Concilii sententiam vehementer exaggeratis communionem suam contaminare timuerunt.

LXX. Priscillianistæ, quos in Hispania Priscillianus instituit, maxime Gnosticorum et Manichæorum dogmata permixta sectantur. Quamvis et ex aliis hæresibus in eos [1] sordes, tanquam in sentinam quamdam horribili confusione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes et turpitudines suas habent in suis dogmatibus et hæc verba :

Jura, perjura, secretum prodere noli.

Ifi animas dicunt ejusdem naturæ atque substantiæ cujus est Deus, ad agonem quemdam spontaneum in terris exercendum, per septem cœlos et per quosdam gradatim descendere principatus, et in malignum principem incurrere, a quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari. Astruunt etiam fatalibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cœli esse compositum, sicut hi qui mathematici vulgo appellantur; constituentes in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, et cætera nominatim signa percurrentes, ad plantas usque perveniunt, quas Piscibus tribuunt, quod ultimum signum ab astrologis nuncupatur. Hæc et alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi longum est, hæresis, ista contexit. Carnes tanquam immundas escas etiam ipsa devitat : conjuges, quibus hoc malum potuerit persuadere, disjungens, et viros a nolentibus feminis, et feminas a nolentibus viris. Opificium quippe omnis carnis non Deo bono et vero, sed malignis angelis tribuunt : hoc versutiores etiam Manichæis, quod nihil Scripturarum canonicarum repudiant, simul cum apocryphis legentes omnia et in auctoritatem sumentes, sed in suos sensus allegorizando vertentes quidquid in sanctis Libris est quod eorum evertat errorem. De Christo Sabellianam sectam tenent eumdem ipsum esse dicentes, non solum Filium, sed etiam Patrem, et Spiritum sanctum.

LXXI. Dicit Philaster, esse alios hæreticos qui cum hominibus non sumunt escas : sed utrum cum aliis qui ejusdem sectæ non sunt, an etiam inter se ipsos id faciant, non exprimit. Dicit etiam eos de Patre et Filio recte, de Spiritu autem sancto non catholice sapere, quod eum opinentur esse creaturam.

LXXII. A Rhetorio quodam exortam hæresim dicit nimium mirabilis vanitatis, quæ omnes hæreticos recte ambulare, et vera dicere affirmat : quod ita est absurdum, ut mihi incredibile videatur.

LXXIII. Alia est hæresis, quæ dicit in Christo divinitatem doluisse, cum figeretur caro ejus in cruce.

est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant; sed quia testimonia divina latiùs intelligunt.

[1] Sola editio Lov., *in eas.*

LXXIV. Est alia, quæ triformem sic asserit Deum, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus; hoc est, quod Dei unius partes sint, quæ istam faciunt Trinitatem : velut ex his tribus partibus compleatur Deus, nec sit perfectus in se ipso, vel Pater, vel Filius vel Spiritus sanctus.

LXXV. Alia est, quæ dicit aquam non a Deo creatam, sed ei semper fuisse coæternam.

LXXVI. Alia dicit, corpus hominis, non animam, esse imaginem Dei.

LXXVII. Alia dicit, esse innumerabiles mundos, sicut opinati sunt quidam philosophi Gentium.

LXXVIII. Alia, sceleratorum animas converti in dæmones dicit, et in quæque animalia suis meritis congrua.

LXXIX. Alia, descendente ad inferos Christo credidisse incredulos, et omnes exinde existimat liberatos.

LXXX. Alia, sempiterne natum non intelligens Filium, putat illam nativitatem sumpsisse a tempore initium : et tamen volens coæternum Patri Filium confiteri, apud illum fuisse antequam de illo nasceretur existimat; hoc est, semper eum fuisse, verumtamen semper eum Filium non fuisse, sed ex quo de illo natus est Filium esse cœpisse. Has hæreses [1] putavi in hoc opus meum de Philastri opere transferendas. Et alias quidem ipse commemorat, sed mihi appellandæ hæreses non videntur. Quascunque autem sine nominibus posui, nec ipse earum nomina memoravit.

LXXXI. Luciferianos a Lucifero Caralitano episcopo exortos, et celebriter nominatos, nec Epiphanius, nec Philaster inter hæreticos posuit : credo tantummodo schisma, non hæresim eos condidisse, credentes. Apud quemdam tamen, cujus nomen in eodem ejus opusculo non inveni, in hæreticis Luciferianos positos legi per hæc verba : *Luciferiani*, inquit, *cum teneant in omnibus catholicam veritatem, in hunc errorem stultissimum prolabuntur, ut animam dicant ex transfusione generari; eademque dicunt et de carne et de carnis esse substantia.* Utrum ergo iste propter hoc quod de anima ita sentiunt (si tamen vere ita sentiunt), eos inter hæreticos ponendos esse crediderit, recteque crediderit; an etiam si id non sentirent, sive non sentiunt, ideo tamen sint hæretici, quia dissensionem suam pertinaci animositate firmarunt, alia quæstio est, neque hoc loco mihi videtur esse tractanda.

LXXXII. Joviniamistas quoque apud istum reperi, quos jam noveram. A Joviniano quodam monacho ista hæresis orta est ætate nostra, cum adhuc juvenes essemus (*a*). Hic omnia peccata, sicut stoici philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse jejunia, vel a cibis aliquibus abstinentiam. Virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam. Virginitatem etiam sanctimonialium, et continentiam sexus virilis in sanctis eligentibus cælibem vitam, conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat; ita ut quædam virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur. Non sane ipse vel habebat, vel habere volebat uxorem : quod non propter aliquod apud Deum majus meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum, sed propter præsentem prodesse necessitatem, hoc est, ne homo conjugales patiatur molestias, disputabat. Cito tamen ista hæresis oppressa et exstincta est, nec usque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit pervenire.

LXXXIII. Cum Eusebii historiam scrutatus essem, cui Rufinus a se in latinam linguam translatæ subsequentium etiam temporum duos libros addidit, non inveni aliquam hæresim, quam non legerim apud istos, nisi quam in sexto libro ponit Eusebius, narrans eam exstitisse in Arabia. Itaque hos hæreticos, quoniam nullum eorum ponit auctorem, Arabicos possumus nuncupare : qui dixerunt animas cum corporibus mori atque dissolvi, et in fine sæculi utrumque resurgere. Sed hos disputatione Origenis præsentis et eos alloquentis, celerrime dicit fuisse correctos (*Euseb., lib.* 6, *cap.* 37). Jam nunc illæ commemorandæ sunt hæreses, quæ a nobis non apud istos repertæ sunt, sed in recordationem nostram quomodocumque venerunt.

LXXXIV. Helvidiani exorti ab Helvidio, ita virginitati Mariæ contradicunt, ut eam post Christum alios etiam filios de viro suo Joseph peperisse contendant. Sed mirum ni istos [1], prætermisso Helvidii nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellavit (*a*).

LXXXV. Paterniani inferiores partes humani corporis non a Deo, sed a diabolo factas opinantur, et omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes impurissime vivunt. Hos etiam Venustianos quidam vocant.

LXXXVI. Tertullianistæ a Tertulliano, cujus multa leguntur opuscula eloquentissime scripta, usque ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginensi : me autem ibi posito ante aliquot annos, quod etiam te meminisse arbitror, omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi enim qui remanserant, in Catholicam transierunt, suamque basilicam, quæ nunc etiam notissima est, Catholicæ tradiderunt. Tertullianus ergo, sicut scripta ejus indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam corpus esse contendit : neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum [2]. Nec tamen hinc hæreticus dicitur factus. Posset enim quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare; non tale corpus

[1] Hic editi perperam addunt, *quæ absque auctorum nominibus sunt.*

(*a*) Vide Admonit. in lib. de Bono Conjugali, tom. 6.

[1] In Mss., *Sed nimirum istos.*

[2] Editi, *sed eam effigiatum corpus esse contendit : neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum corporeum esse dicit, licet non effigiatum. Nec tamen hinc*, etc. Expunximus quæ absunt a Mss.

(*a*) Epiphanius *Antidicomaritas* appellat.

cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ proprie dicimus corpora; quamvis de anima tale aliquid sentiat: sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique totus, et per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet. Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus: sed quia transiens ad Cataphrygas, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias contra apostolicam doctrinam (I *Tim.* IV, 3) tanquam stupra damnare, et postmodum etiam ab ipsis divisus, sua conventicula propagavit. Dicit sane etiam ipse animas hominum pessimas post mortem in dæmones verti [1].

LXXXVII. Est quædam hæresis rusticana in campo nostro, id est, Hipponensi, vel potius fuit: paulatim enim diminuta, in una exigua villa remanserat, in qua quidem paucissimi, sed omnes hoc fuerunt, qui omnes modo correcti et catholici facti sunt, nec aliquis illius supersedit erroris. Abelonii [2] vocabantur, punica declinatione nominis. Hos nonnulli dicunt ex filio Adæ fuisse nominatos, qui est vocatus Abel: unde Abelianos vel Abeloitas eos nos possumus dicere. Non miscebantur uxoribus, et eis tamen sine uxoribus vivere sectæ ipsius dogmate non licebat. Mas ergo et femina sub continentiæ professione simul habitantes, puerum et puellam sibi adoptabant in ejusdem conjunctionis pacto successores suos futuros. Morte præventis quibusque singulis alii subrogabantur: dum tamen duo duobus disparis sexus in illius domus societate succederent. Utrolibet quippe parente defuncto, uno remanenti, usque ad ejus quoque obitum filii serviebant. Post cujus mortem etiam ipsi puerum et puellam similiter adoptabant. Nec unquam eis defuit unde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, et filios suos inopes ad spem hæreditatis alienæ libenter dantibus.

LXXXVIII. PELAGIANORUM est hæresis, hoc tempore omnium recentissima a Pelagio monacho exorta. Quem magistrum Cœlestius sic secutus est, ut sectatores eorum Cœlestiani etiam nuncupentur. Illi Dei gratiæ, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum (*Ephes.* I, 5), et qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus atque in regnum ipsius transferamur (*Coloss.* I, 13), propter quod ait, *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo* (*Joan.* VI, 66), et qua diffunditur charitas in cordibus nostris (*Rom.* V, 5), ut fides per dilectionem operetur (*Galat.* V, 6), in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata: cum si hoc verum esset, frustra Dominus dixisse videretur, *Sine me nihil potestis facere* [1] (*Joan.* XV, 5). Denique Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique, Ut facilius possint, voluit credi, etiam si difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa divina. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, et quæ sperare debeamus, non autem ad hoc ut per donum Spiritus sui [1], quæ didicerimus esse facienda [2], faciamus. Ac per hoc divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur, charitatem autem dari negant, qua pie vivitur: ut scilicet cum sit Dei donum scientia quæ sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ ut scientia non inflet, ædificat (I *Cor.* VIII, 1). Destruunt etiam orationes, quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus et doctrinæ Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum; sive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, et perseverent in ea. Hæc quippe non ab ipso accipere, sed a se ipsis homines habere contendunt, gratiam Dei qua liberamur ab impietate, dicentes secundum merita nostra dari. Quod quidem Pelagius in episcopali judicio Palæstino damnari metuens, damnare compulsus est; sed in posterioribus suis scriptis hoc invenitur docere. In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam justorum in hoc sæculo nullum omnino habere peccatum, et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula et ruga (*Ephes.* V, 27); quasi non sit Christi Ecclesia, quæ toto terrarum orbe clamat ad Deum, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12). Parvulos etiam negant, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit quod eis oporteat secunda nativitate dimitti: sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam et beatam quamdam vitam suam. Ipsum quoque Adam dicunt, etiamsi non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque ita mortuum merito culpæ [3], sed conditione naturæ. Objiciuntur eis et alia nonnulla, sed ista sunt maxime, ex quibus intelliguntur etiam illa vel cuncta, vel pene cuncta pendere.

Ecce quam multas commemoravimus hæreses, nec tamen modum tuæ postulationis implevimus. Ex quo

[1] Hinc rursum auctoritate Mss. removimus, quod excusi libri addebant, *statum autem animæ credit per traducem propagari.*

[2] In Mss., *Abeloitæ.*

[3] In plerisque Mss. deest, *cum si hoc verum esset, frustra Dominus dixisse videretur, Sine me nihil potestis facere.*

[1] Sic Mss. Editi vero, *Spiritus sancti.*

[2] Sic ex Mss. [*non autem ad hoc per donum Spiritus sui, ut quæ didicerimus esse facienda*, etc.]

[3] Lov., *neque mortuum merito culpæ*; omisso, *ita.*

enim *christiana religio*, ut verbis tuis utar, *hæreditatis promissæ nomen accepit*, quæ hæreses ortæ sint, quomodo commemorare omnes potui, qui omnes nosse non potui? Quod ideo existimo, quia nullus eorum quorum de hac re scripta legi, omnes posuit : quandoquidem inveni apud alium, quas apud alium non inveni; et rursus apud istum, quas ille non posuit. Ego autem propterea plures quam ipsi posui, quia collegi ex omnibus, quas omnes apud singulos non inveni, additis etiam quas ipse recolens apud ullum illorum .nvenire non potui. Unde merito credo nec me posuisse omnes; quia nec omnes qui de hac re scripserunt, legere potui, neque hoc quemquam eorum video fecisse quos legi. Postremo etiamsi omnes forsitan posui, quod non puto, utrum omnes sint utique nescio. Et ideo quod vis me loquente finiri, non saltem potest me cognoscente comprehendi. Audivi scripsisse de hæresibus sanctum Hieronymum, sed ipsum ejus opusculum nec in nostra bibliotheca invenire potuimus, nec unde possit accipi, scimus [1]. Quod si tu scieris, perveni ad illud, et forte habebis melius aliquid [2] quam hoc nostrum : quamvis nec ipsum, licet hominem doctissimum, omnes hæreses arbitrer indagare potuisse. Et certe Abeloitas nostræ regionis hæreticos, quantum existimo, ille nescivit : sic forte et alibi alios in obscurissimis locis reconditos, ejus notitiam ipsa locorum suorum obscuritate fugientes.

Jamvero illud quod habent tuæ litteræ, ut omnia omnino dicamus; quibus hæretici a veritate dissentiunt, etiamsi omnia scirem, facere non possem; quanto minus possum, qui omnia scire non possum? Sunt enim hæretici, quod fatendum est, qui singulis, vel non multo amplius, dogmatibus oppugnant regulam veritatis : sicut Macedoniani vel Photiniani, atque alii quicumque ita se habent. Illi autem, ut ita dixerim, fabulones, id est, qui fabulas vanas easdemque longas perplexasque contexunt, tam multis falsis dogmatibus pleni sunt, ut ipsi quoque illa numerare non possint, aut difficillime possint. Nec ulli alieno ulla hæresis facile sic innotescit, ut suis : unde nec earum quas commemoravi, omnia dogmata me dixisse vel didicisse profiteor. Quis enim non videat quantam res ista operam, et quam multas litteras flagitet? Nec ideo tamen parum prodest errores istos, quos huic operi intexui, lectos cognitosque vitare. Quid enim contra ista sentiat catholica Ecclesia, quod a me dicendum putasti, superfluo quæritur : cum propter hoc scire sufficiat eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fidem [1] quemquam debere recipere. Quomodo autem quæ contra hæc veritas habet, asserenda ac defendenda sint, modulum operis hujus excedit. Sed multum adjuvat cor fidele, nosse quid credendum non sit, etiamsi disputandi facultate id refutare non possit. Omnis itaque christianus catholicus ista non debet credere : sed non omnis qui ista non credit, consequenter debet se christianum catholicum jam putare vel dicere. Possunt enim et hæreses aliæ, quæ in hoc opere nostro commemoratæ non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, christianus catholicus non erit. Quid ergo faciat hæreticum, deinceps requirendum est : ut, cum hoc Domino adjuvante vitamus, non solum ea quæ scimus, verum etiam quæ nescimus, sive quæ jam orta sunt, sive quæ adhuc oriri poterunt, hæretica venena vitemus. Hujus autem sit jam voluminis finis, quod propterea vobis, antequam totum hoc opus perficerem, credidi esse mittendum, ut illud quicumque legeritis, ad id quod restat implendum, quod tam magnum esse cernitis, me orationibus adjuvetis [2].

[1] Hoc loco plerique Mss. ista interponunt : « Certissimus « homo studiosus librorum ejus cognitor, de hoc interroga- « tus, ait nescio quem qui hanc famam disseminavit, ne- « scisse quid dixerit. Nam de hæresibus, inquit, nullum « opusculum sanctus Hieronymus condidit. » Et prosequuntur, « Quod si tu scieris, » etc. Exstat Hæresum indiculus Hieronymi nomine per Claudium Menardum post Augustini opus imperfectum vulgatus; sed eruditorum sententia ipsi abjudicatur.

[2] Sic Er. et prope omnes Mss. At Lov., *perveni, et ego per te ad illud perveniam, et forsitan habebis melius aliquid.*

[1] Plures Mss., *in fide.*

[2] Hic certe finitur Augustini liber : tametsi in codicibus manuscriptis plerisque addantur Nestoriani et Eutychiani (hæreses utique non ante Augustini obitum nominatæ), et in quibusdam etiam Timotheani, hoc ordine :

« Timotheani dicunt Filium Dei verum quidem hominem ex « virgine Maria natum, sed non ita unam reddidisse perso- « nam, ut non in unam sit redactus naturam; conflatorium « quoddam volentes fuisse interiora virginis, per quod duæ « naturæ, id est, Deus et homo, in unam resolutæ et com- « pactæ massam, unam Dei et hominis exhibuerint formam : « immutata videlicet naturarum proprietate efficientium co- « itionem. Et ad confirmandam hujusmodi impietatem, quæ « Deum asserit a sua versum natura, cogunt evangelistæ « testimonium dicentis, Et Verbum caro factum est : quod « ita interpretantur, Divina natura in humanam versa est, « O abolitionem, illi inviolabili impingentem substantiæ! « Hujus impietatis initium Timotheus, apud Bizam Bithyniæ « modo exsulans civitatem, continentis et religiosæ vitæ « imagine multis illudit.

« Nestoriani a Nestorio episcopo qui contra catholicam « fidem dogmatizare ausus est, Dominum nostrum Jesum « Christum hominem tantum » (plerique Mss., « dogmatizare « ausus est, Christum Dominum nostrum Deum hominem « tantum »), « nec id quod mediator Dei et hominum effectus « est, in utero virginis de Spiritu sancto fuisse conceptum, « sed postea Deum homini fuisse permixtum : nec Deum « hominem passum sepultumque dicebat; vacuare conten- « dens omne nostrum remedium, quo Verbum Dei sic ho- « minem suscipere dignatus est in utero virginis, ut una « persona fieret Dei et hominis, propterea sic singulariter « et mirabiliter natus, mortuus etiam pro nostris peccatis, « cum ea quæ non rapuerat persolveret, Deus homo a mor- « tuis resurgens ascendit in cœlum.

« Eutychiani ab Eutyche quodam Constantinopolitanæ Ec- « clesiæ presbytero » (addit quidam codex, « monacho ») « ex- « orti sunt, qui cum videretur refutare Nestorium, in Apol- « linarem Manichæumque transivit, et humanitatis in Chri- « sto denegans veritatem, quidquid a Verbo nostræ pro- « prietatis receptum est, divinæ tantummodo ascribit es- « sentiæ; ut sacramentum salutis humanæ, quod non nisi « in utraque substantia est, nostram in Christo naturam « negando, dissolveret, stulta impietate non sentiens uni- « verso corpori auferri, quod capiti defuisset.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

TRACTATUS

ADVERSUS JUDÆOS.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Severitatis Dei exemplum in excisione Judæorum; bonitatis vero, in insitione Gentium. Judæorum cæcitas ex scripturis Veteris Testamenti convincenda.* Beatus apostolus Paulus, doctor Gentium in fide et veritate, exhortans nos ut in eadem fide, cujus idoneus minister effectus est, stabiles firmique maneamus, præcepto admonet, terret exemplo. *Vides*, inquit, *bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem* [1], *si permanseris in bonitate.* Hoc dixit utique de Judæis, qui tanquam rami ex illa olea, quæ in sanctis Patriarchis tanquam in radice fructifera, propter infidelitatem fracti sunt; ut Gentium propter fidem insereretur oleaster, et fieret particeps pinguedinis oleæ ramis naturalibus amputatis. Sed *noli*, inquit, *gloriari adversum ramos: nam si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* Et quoniam salvantur aliqui ex illis, continuo subjunxit: *Alioquin et tu excideris. Sed et illi si non permanserint in infidelitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere eos* (*Rom.* XI, 18-23). Illi autem qui permanent in infidelitate, ad illam sententiam Domini pertinent, ubi ait: *Filii autem regni hujus ibunt in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Gentes autem permanentes in bonitate, ad illud quod superius ait: *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum* (*Matth.* VIII, 12, 11). Itaque illis Patriarchis in radice viventibus, et infidelis superbia naturalium ramorum justa Dei severitate confringitur, et fidelis humilitas oleastri gratia divinæ bonitatis inseritur.

2. Sed quando Judæis ista dicuntur, Evangelium Apostolumque contemnunt, et quod dicimus non audiunt; quoniam quod legunt, non intelligunt. Nam utique si intelligerent de quo prædixerit propheta, quem legunt, *Dedi te in lucem gentium, ita ut sis salus mea usque in fines terræ* (*Isai.* XLIX, 6); non sic cæci essent, non sic ægroti, ut in Domino Christo nec lucem agnoscerent, nec salutem. Item si intelligerent, quod infructuose atque inaniter cantant, de quibus sit prænuntiatum, *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5); ad sonum Apostolorum evigilarent, et verba eorum divina esse sentirent. De sanctis ergo Scripturis, quarum et apud ipsos magna habetur auctoritas, sumenda sunt testimonia, quorum et si nolint oblata utilitate sanari, aperta possint veritate convinci.

CAPUT II. — 3. *Instrumenti Veteris libros ad nos pertinere, eorumque præcepta per nos melius impleri. Sed primo eorum illo redarguendus est error, qui putant ad nos ideo non pertinere Instrumenti Veteris libros, quia jam non vetera, sed nova sacramenta servamus.* Dicunt enim nobis, Quid apud vos facit lectio Legis et Prophetarum, cujus præcepta servare non vultis? eo quod carnem præputii non circumcidimus masculinam [1], et vescimur carnibus quas Lex dicit immundas, nec sabbata et neomenias et dies festos eorum carnaliter observamus, nec victimis pecorum sacrificamus Deo, nec Pascha in ove et azymis similiter celebramus: et si qua alia vetera sacramenta generali vocabulo umbras futurorum appellat Apostolus (*Coloss.* II, 17), quia ea significabant suo tempore revelanda, quæ nos revelata suscepimus, ut remota umbra nuda eorum luce frueremur [2]. De quibus singillatim nimis longum est disputare quemadmodum exuendo veterem hominem circumcidimur, non in exspoliatione corporis carnis; et quos cibos vitant in pecoribus, vitamus in moribus; et exhibemus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, cui et animas nostras in desideriis sanctis pro sanguine intelligenter effundimus, et Christi velut agni immaculati sanguine ab omni iniquitate mundamur. Qui propter similitudinem carnis peccati etiam caprino pecore [3] in veteribus sacrificiis figuratur: nec

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Tractatus adversus Judæos emendatus est ad Mss. exemplaria Vaticana tria, Cisterciensia duo, Victorinum unum, et ad editiones Am. Er. ac Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *tom.* 1, *memoratas.* M.

[a] In editis, *Oratio adversus Judæos.* In Cisterciensi Ms. inscribitur, *Sermo S. Augustini contra Judæos.* In alio Mss. Cisterciensi et in unoe Vaticanis, *Sermo S. Aug. de Incarnatione Domini, contra Judæos.* In Vaticanis aliis duobus, *Liber B. Aug. de Incarnatione Domini, contra Judæos.* Librum adversus Judæos appellat etiam Beda sive Florus in Paulum ad Rom. 9 et 11, ad Galat. 6, ad Ephes. 2, ad Coloss. 2, et ad Hebr. 7. In Possidii Indiculo, cap. 1, notantur Tractatus duo adversus Judæos.

[1] In editis, *bonitatem Dei.* Abest, *Dei*, a Mss. et a græco textu Apostoli.

[1] Omnes fere Mss., *carne præputii non circumcidimus masculinam*: cum quibus concordat Beda vulgatus.

[2] Ita omnes Mss. et Beda seu Florus ad Coloss. 2. At editi, *ut remota umbra Judæorum, luce fruerentur.*

[3] Vaticani duo Mss., *hircino pecore.*

eum negat in crucis cornibus taurum, qui in illo agnoscit maximam victimam. In illo requiem cum invenimus, vere sabbatizamus : et lunæ novæ observatio, vitæ novæ est sanctificatio. Et Pascha nostrum [1] Christus est; et azyma nostrum sinceritas veritatis, fermentum non habens vetustatis : et si qua alia sunt, in quibus nunc immorari opus non est, quæ illis veteribus adumbrata sunt signis, in illo habent finem, cujus regni non erit finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit Legem et Prophetas non solvere, sed implere (*Matth.* v, 17).

CAPUT III. — 4. *Christus Legem non evacuavit arguendo, sed implendo mutavit. Mutatio veterum sacramentorum prædicta in Psalmis.* Proinde illa vetera signa rerum non evacuavit arguendo, sed implendo mutavit : ut alia essent quæ nuntiarent venisse jam Christum, quam fuerant illa quæ prænuntiabant esse venturum. Quid sibi autem vult, quod sic prænotantur quidam psalmi, quos et ipsi legunt et habent in Litterarum auctoritate sanctarum, ut in eorum titulis scriptum sit, *Pro iis quæ immutabuntur* [2] ; textus vero eorumdem psalmorum prædicat Christum : nisi quia eorum mutatio per illum futura prædicta est, per quem apparet impleta ? ut populus Dei, qui nunc est populus christianus, jam non cogatur observare quæ propheticis temporibus observabantur : non quia damnata, sed quia mutata sunt; non ut res ipsæ quæ significabantur perirent, sed ut rerum signa suis quæque temporibus convenirent.

CAPUT IV. — 5. *Christus in Psalmo quadragesimo quarto prænuntiatus.* Denique in psalmo quadragesimo quarto (nam ipse primus est eorum qui hujusmodi titulum præferunt, *Pro iis quæ immutabuntur* : ubi etiam legitur, *Canticum pro dilecto*) apertissime Christus ostenditur : *Speciosus forma præ filiis hominum. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo.* Ibi ei dicitur, *Accingere gladium tuum juxta femur* : quod in carne esset hominibus locuturus. Per gladium quippe sermo, per femur caro significatur : quia *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens;* ut ille per divinitatem *speciosus forma præ filiis hominum*, etiam illud fieret per infirmitatem, quod de illo alius propheta, *Vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem; sed vultus ejus abjectus, et deformis positio ejus* (*Isai.* LIII, 2). Nam in eodem psalmo, quod non tantum homo, sed etiam Deus sit Christus, apertissime ostenditur, cum subditur : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis* [3] *virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis.* Ab unctione quippe, quo græce χρῖσμα dicitur, Christus est appellatus : ipse est Deus unctus a Deo, qui et ipsam cum cæteris sacramentis carnalem in spiritualem mutavit unctionem. Ibi ei de Ecclesia dicitur : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate.* Ubi significatur linguarum varietas in omnibus gentibus : quarum tamen una et simplex fides est intus : *Omnis* enim *pulchritudo filiæ regis intrinsecus.* Quam Psalmus alloquitur dicens, *Audi, filia, et vide* : audi promissum, vide completum. *Et obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Sic nova implentur, sic vetera commutantur. *Quoniam concupivit rex speciem tuam.* Speciem quam fecit ipse per se, non invenit in te. Quomodo enim speciosa esses ejus oculis, quando eras tuis fœdata peccatis ? Ne tamen spem tuam arbitreris ponendam in homine, sequitur et dicit, *Quoniam ipse est Dominus* [1], *Deus tuus.* Ne formam servi spernas, ne potentis infirmitatem excelsique humilitatem derideas, *ipse est Deus tuus.* In eo quod parvus apparet, magnus latet; in umbra mortis sol justitiæ, in contumelia crucis Dominus gloriæ. Quamvis eum persecutores necent, infideles negent; *ipse est Dominus Deus tuus* : per cujus corpus immutantur, quæ antea per umbras figurabantur.

CAPUT V — 6. *Titulo Psalmi sexagesimi octavi, qui de Christi passione scriptus est, etiam mutatio prædicitur.* Psalmus quoque sexagesimus octavus habet in titulo : *Pro iis quæ commutabuntur.* Et cantatur ibi passio Domini nostri Jesu Christi, transfigurantis in se quasdam etiam voces membrorum, hoc est fidelium suorum. Non enim ipse ulla delicta habuit, sed nostra portavit : unde dicit, *Et delicta mea a te non sunt abscondita.* Ibi scriptum est et prænuntiatum, quod in Evangelio legimus factum (*Matth.* XXVII, 34, 48): *Dederunt in escam meam fel, et in sitim mea potaverunt me aceto.* Per hunc ergo immutata sunt vetera, quæ titulus Psalmi prædixerat immutanda. Quod Judæi legentes et non intelligentes, aliquid se dicere existimant, cum requirunt a nobis quomodo accipiamus auctoritatem Legis et Prophetarum, cum sacramenta non observemus quæ ibi præcepta sunt. Non observamus, quia mutata sunt : mutata sunt autem, quia mutanda prænuntiata sunt; et in eum credimus, cujus revelatione mutata sunt. Non ergo observamus sacramenta quæ ibi præcepta sunt, quia intelligimus quæ ibi prædicta sunt, et tenemus quæ ibi promissa sunt. Isti autem qui hæc nobis objiciunt, adhuc amari sunt ex parentibus suis, qui dederunt in escam Domino fel, et adhuc veteres ex aceto quod ei potandum obtulerunt : et ideo non intelligunt, quia in eis impletur quod sequitur, *Fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam, et retributionem et scandalum.* Ipsi enim fellei et acidi facti sunt, felleas et acidas escas pani vivo ministrando [2]. Quomodo enim hæc videant, de quibus ibi prædictum est, *Excæcentur* [3] *oculi eorum, ne videant ?* et quomodo

[1] Hic editi addunt verbum, *immolatus*, quod a Mss. et Beda vulgo abest.

[2] Editi hic et infra, *qui immutabuntur*. At Mss. omnes et Beda constanter habent, *quæ immutabuntur*.

[3] In duobus Mss. et ad oram editionis Lov., *virga directionis* : quam lectionem sequitur Augustinus, Enarratione in eumdem psal. 44.

[1] Vox, *Dominus*, non in omnibus codicibus reperitur. Est apud LXX ; sed ab iis abest, *Deus*.

[2] Sic Mss. Editi vero, *fel et acetum facti sunt, felleas et acidas panis vivo epulas ministrando.*

[3] Editi, *Obscurentur* : qui tamen infra, cap. 6, in concordiam redeuntes cum Mss. habent, *Excæcentur*.

sint recti, ut sursum cor habeant, de quibus prædictum est, *Et dorsum eorum semper incurva?* Nec de omnibus hæc dicta sunt : imo vero de omnibus ad quos pertinent quæ prædicta sunt. Ad eos enim qui vel tunc ex illis crediderunt in Christum, vel nunc usque credunt, vel deinceps usque in finem sæculi credituri sunt, ista non pertinent, ad verum Israel[1] scilicet, qui videbit Dominum facie ad faciem. *Neque enim omnes qui ex Israel sunt, hi Israel sunt : neque qui sunt semen Abraham, omnes filii sunt; sed in Isaac*, inquit, *vocabitur tibi semen : hoc est, non ii qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semen* (*Rom.* IX, 6-8). Sed hi pertinent ad spiritualem Sion et civitates[2] Judæ, id est, Ecclesias : de quibus Apostolus dicit, *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ sunt in Christo* (*Galat.* I, 22). Quoniam, sicut in eodem psalmo paulo post ponitur, *Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Judæ. Et inhabitabunt eam, et hæreditate acquirent eam. Et semen servorum ejus possidebunt eam, et qui diligunt nomen ejus, inhabitabunt in ea.* Sed cum hæc audiunt Judæi, carnaliter accipiunt, et terrenam Jerusalem cogitant, quæ servit cum filiis suis : non matrem nostram æternam in cœlis (*Id.* IV, 25, 26).

CAPUT VI. — 7. *Titulus quoque Psalmi septuagesimi noni prænuntiat mutationem. Mutationis faciendæ testimonia contra Judæos apertiora.* Item psalmus septuagesimus nonus simili titulo prænotatur : *Pro iis quæ immutabuntur.* In quo psalmo inter cætera scriptum est, *Respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam : et perfice eam quam plantavit dextera tua; et super Filium hominis, quem confirmasti tibi.* Ipsa est enim vinea de qua dicitur : *Vineam ex Ægypto transtulisti.* Non enim Christus aliam plantavit; sed ipsam, veniendo, in melius commutavit. Sic et in Evangelio legitur : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis* (*Matth.* XXI, 41). Non enim ait, Eradicabit, aliamque plantabit; sed, eamdem ipsam locabit aliis agricolis. Eadem namque est sanctorum societate civitas Dei et congregatio filiorum promissionis, mortalium decessione ac successione complenda, atque in fine sæculi simul in omnibus immortalitatem debitam receptura : quæ alio modo in alio psalmo per olivam fructiferam significatur, et dicit, *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, Et in sæculum sæculi* (*Psal.* LI, 10). Neque quia fracti sunt infideles et superbi, ac per hoc infructuosi rami, ut insereretur oleaster Gentium, ideo perire potuit radix Patriarcharum et Prophetarum. *Quia etsi fuerit*, inquit Isaias, *numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* X, 22) : sed per eum de quo dicitur, *et super Filium hominis, quem confirmasti tibi*; et de quo repetitur, *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super Filium hominis, quem confirmasti tibi. Et non discedimus a te.* Per hunc filium hominis, id est Christum Jesum, et de suis reliquis, hoc est Apostolis, et aliis multis, qui ex Israelitis in Christum Deum[1] crediderunt, accedente plenitudine Gentium, vinea sancta perficitur : et in remotione veterum, atque institutione novorum sacramentorum titulus ejus psalmi, *Pro his quæ commutabuntur*, impletur.

8. Apertioribus itaque testimoniis cum eis agendum est, quæ sive consentiant, sive dissentiant, tamen sentiant. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et confirmabo super domum Jacob testamentum novum, non secundum testamentum quod constitui patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti* (*Jerem.* XXXI, 31, 32). Ista certe prædicta mutatio, non per Psalmorum titulos intelligentibus paucis significatur, sed manifesto præconio prophetiæ vocis exprimitur. Aperte promissum est testamentum novum, non secundum testamentum quod factum est ad populum, quando eductus est de Ægypto. Cum ergo in illo veteri testamento præcepta sint ista, quæ nos ad novum pertinentes observare non cogimur, cur non Judæi se potius in vetustate supervacanea remansisse cognoscunt, quam nobis nova promissa tenentibus; quod vetera non observemus, objiciunt? Quoniam ergo, sicut scriptum est in Cantico canticorum, *Aspiravit dies, removeantur umbræ* (*Cant.* II, 17); spiritualis significatio jam lucescat, carnalis celebratio jam quiescat. *Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum* : utique omnem terram ad testamentum novum, cui dicitur in alio psalmo, *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino omnis terra.* Non ergo sicut antea ex monte Sina locutus est uni populo, quem vocavit ex Ægypto Deus deorum; sed sic locutus est, ut vocaret terram a solis ortu usque ad occasum. Quam si Judæus vellet intelligere locutionem, audiret hanc vocationem, et in eis esset quibus in eodem psalmo dicitur, *Audi, populus meus, et loquar tibi, Israel, et testificabor tibi : Deus, Deus tuus ego sum. Non super sacrificia tua arguam te; holocausta autem tua in conspectu meo semper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos : quoniam meæ sunt omnes bestiæ silvæ, pecora in montibus et boves; cognovi omnia volatilia cœli, et species agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo preces tuas*[2]. *Et invoca me in die tribulationis, et eruam te, et glorificabis me.* Certe et hic sacrificiorum veterum aperta mutatio est. Illa enim Deus accepturum se non fore prædixit, cultoribus suis sacrificium laudis indixit : et hoc non quod a nobis tanquam indigens expetat laudem, sed ut in ea nobis consulat ad salutem. Nam eumdem psalmum ita conclusit : *Sacrificium*

[1] Editi, *adversum Israel*. Corrigendum arbitramur, *ad verum Israel*.

[2] Editi, *et civitatem*. Melius Mss., *et civitates*.

[1] Editi, *in Christum Dominum*. Vetus codex Cisterciensis, *in Christum Domini*. Alii plerique Mss., *in Christum Deum*.

[2] Habebant editi, *vota tua*. Sed veteres codices omnes habent, *preces tuas* : et sic Augustinus ipse, Enarr. in eumdem psalmum 49. Græce est apud LXX, *τὰς εὐχάς σου*.

laudis glorificabit me; et ibi via est, ubi ostendam illi salutare Dei (*Psal.* XLIX). Quid vero est salutare Dei, nisi Filius Dei, Salvator mundi; dies Filius ex die Patre, hoc est lumen ex lumine, cujus adventus revelavit testamentum novum? Unde etiam ubi dicitur, *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino, omnis terra. Cantate Domino, benedicite nomen ejus;* statim evangelizandus ipse monstratur, atque additur, *Bene nuntiate diem ex die salutare ejus* (*Psal.* XCV 1, 2). Ipse igitur sacerdos et victima sacrificium laudis implevit, malorum operum tribuens indulgentiam, et bene operandi largiens gratiam. Ad hoc enim Domino sacrificium laudis ab ejus cultoribus immolatur, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31).

CAPUT VII. — 9. *Judæi prophetias quasdam pro se non recte interpretantes. Quæ magis in Judæos quadrant Prophetarum voces.* Sed hoc Judæi cum audiunt, erecta cervice respondent : Nos sumus; de nobis hoc dictum est, nobis hoc dictum est. Nos enim sumus Israel populus Dei : nos in verbis dicentis agnoscimus, *Audi, populus meus, et loquar tibi, Israel, et testificabor tibi.* Quid sumus ad ista dicturi? Novimus quidem Israel spiritualem, de quo dicit Apostolus, *Et quicumque hanc regulam sequuntur, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei* (*Galat.* VI, 16) : istum autem Israel scimus esse carnalem, de quo idem dicit, *Videte Israel secundum carnem* (I *Cor.* X, 18). Sed ista isti non capiunt, et eo se ipsos carnales esse convincunt. Quos paululum quasi præsentes alloqui libet : Itane vos ad eum populum pertinetis, quem *vocavit Deus deorum a solis ortu usque ad occasum?* Nonne vos ex Ægypto in terram Chanaan translati estis? non illuc vocati a solis ortu usque ad occasum, sed inde dispersi in solis ortum et in occasum. Nonne vos ad ejus inimicos potius pertinetis, qui dicit in psalmo, *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis* [1], *ne occideris eos, ne quando obliviscantur legis tuæ : disperge illos in virtute tua* (*Psal.* LVIII, 12)? Unde non obliviscentes legem Dei, sed eamdem circumferentes, Gentibus ad testimonium, vobis ad opprobrium, nescientes eam populo ministratis, qui vocatus est a solis ortu usque ad occasum. An vero negabitis? et ea quæ tanta auctoritate prædicta, tanta manifestatione completa sunt, aut majore cæcitate non intuemini, aut mirabili impudentia non fatemini? Quid ergo ad illud responsuri estis, quod Isaias propheta proclamat : *Erit in novissimis temporibus manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium, et exaltabitur super colles; et venient ad eum universæ gentes, et dicent : Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob, et annuntiabit nobis viam salutis, et ingrediemur in eam; ex Sion enim lex prodiet, et verbum Domini ex Jerusalem* (*Isai.* II, 2 *et* 3)? An et hic dicturi estis, Nos sumus; quoniam audistis domum Jacob et Sion et Jerusalem? Quasi nos negemus de semine Jacob esse Christum Dominum secundum carnem, qui significatus est vocabulo montis parati super cacumen montium, quod omnes celsitudines [1] ejus celsitudo transcendit : aut negemus Apostolos et illas Ecclesias Judææ, quæ post Christi resurrectionem in eum continuo crediderunt, ad domum Jacob pertinere : aut vero alius intelligendus sit spiritualiter Jacob, quam ipse populus christianus; qui cum sit minor natu, quam populus Judæorum, tamen cum crescendo superat [2], et subdit : ut impleatur quod de duobus illis fratribus in figura prædictum est, *Et major serviet minori* (*Gen.* XXV, 23). Sion autem et Jerusalem quamvis spiritualiter intelligatur Ecclesia, magis tamen adversus istos idoneum testimonium est, quia ex isto loco, ubi Christum crucifixerunt, et lex et verbum Domini processit ad Gentes. Lex enim quæ illis per Moysen data est, de qua superbius extolluntur, et de qua melius convincuntur, non intelligitur prodisse de Sion et Jerusalem, sed de monte Sina. Ad terram quippe promissionis, ubi est Sion [3], quæ appellatur etiam Jerusalem, post quadraginta annos cum ipsa Lege venerunt : non autem ibi eam vel inde acceperunt [4]. Evangelium vero Christi, et Lex fidei, quod certum est, inde processit. Sicut etiam ipse Dominus, posteaquam resurrexit, loquens discipulis suis, et ostendens prædicta divinorum eloquiorum in se esse completa : *Quoniam sic scriptum est*, inquit, *et sic oportuit Christum pati, et resurgere a mortuis die tertio, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV, 46, 47). Ecce quod prophetavit Isaïas dicens : *Ex Sion enim lex prodiet, et verbum Domini ex Jerusalem.* Ibi enim veniens desuper secundum Domini promissionem Spiritus sanctus, eos quos tunc una domus continebat, implevit, et loqui linguis omnium gentium fecit (*Act.* II, 1-6) : et inde exierunt prædicare Evangelium in notitiam omnium gentium. Sicut enim Lex illa, quæ processit de monte Sina, quinquagesimo die post celebratum Pascha conscripta est digito Dei, quo significatur Spiritus sanctus : ita Lex ista, quæ processit de Sion et Jerusalem, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis sanctorum Evangelistarum scripta est per Spiritum sanctum, quinquagesimo die post verum Pascha passionis et resurrectionis Domini Christi; quo die Spiritus sanctus est missus, qui fuerat [5] ante promissus.

10. Ite nunc, o Israelitæ secundum carnem, non secundum spiritum; ite nunc, et adhuc contradicite apertissimæ veritati : et cum auditis, *Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob*; dicite, Nos sumus; ut cæci offendatis in montem, ubi

[1] Ita Mss., nec aliter legit Augustinus, Enarr. in hunc psalmum 58. At editi ferebant, *demonstra mihi inter inimicos meos*. Et infra, *disperge illos in veritate tua.*

[1] Editi, *celsitudines eorum ejus celsitudo transcendit*. Vocem, *eorum*, expunximus auctoritate Cisterciensium Mss.

[2] Vaticani duo Mss., *tamen cum transcendit, superat.*

[3] Nomen, *Sion*, hic in editis omissum, restituitur ex Mss.

[4] Omnes codices Mss. omittunt, *non autem ibi eam*, vel *inde acceperunt.*

[5] Editi, *qui fideliter fuerat*. Abest, *fideliter*, a Mss.

collisa facie pejus perdatis frontem. Si vere vultis dicere, Nos sumus; ibi hoc dicite, ubi auditis, *Ab iniquitatibus* [1] *populi mei ductus est ad mortem* (*Isai.* LIII, 8). De Christo enim dictum est, quem vos in parentibus vestris duxistis ad mortem; qui sicut ovis ad immolandum ductus est, ut Pascha, quod nescientes celebratis, nescientes sæviendo impleretis [2]. Si vere vultis dicere, Nos sumus; tunc dicite, quando auditis, *Incrassa cor populi hujus, et aures eorum oppila, et oculos eorum grava* (*Id.* VI, 10). Tunc dicite, Nos sumus; quando auditis, *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem* (*Id.* LXV, 2). Tunc dicite, Nos sumus; quando auditis, *Excæcentur oculi eorum ne videant, et dorsa eorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 24). In his atque hujusmodi propheticis vocibus dicite, Nos sumus; ubi sine ulla dubitatione vos estis: sed sic cæci estis, ut esse vos dicatis ubi non estis, et non vos agnoscatis ubi estis.

CAPUT VIII. — 11. *Judæorum a Deo dimissio per Isaiam prænuntiata.* Sed in hæc manifestiora quæ dicturus sum, paulisper attendite. Certe cum auditis in bono Israel, dicitis, Nos sumus; et cum auditis in bono Jacob, dicitis, Nos sumus. Et cum a vobis causa requiritur, respondetis, Quoniam Jacob ipse est et Israel, ex quo patriarcha propagati sumus, unde merito patris nostri appellatione censemur. Non ergo vos alto et gravi somno dormientes, ad spiritualia quæ non capitis excitamus; neque nunc quomodo spiritualiter accipienda sint ista vocabula, vobis in auditu et visu spirituali surdis et cæcis persuadere conamur. Nempe sicut vos fatemini, et lectio libri Geneseos manifeste declarat, unus homo erat Jacob et Israel (*Gen.* XXXII, 28); et unde gloriamini, ipsa est domus Jacob, quæ domus est Israel. Quid ergo est, quod idem ipse propheta, cum prænuntiasset montem futurum paratum in cacuminе montium, ad quem venturæ essent universæ gentes; quia non de monte Sina uni genti, sed de Sion et Jerusalem lex et verbum Domini processurum esset omnibus gentibus; quod manifestissime in Christo et Christianis videmus impletum: paulo post dicit, *Et nunc tu, domus Jacob, venite, ambulemus in luce* [3] *Domini?* Hic profecto dicetis, ut soletis, Nos sumus; sed quod sequitur, paulisper attendite, ut cum dixeritis quod vultis, etiam quod non vultis audiatis. Nam Propheta conjungit et dicit, *Dimisit enim plebem suam, domum Israel* (*Isai.* II, 5, 6). Hic dicite, Nos sumus; hic vos agnoscite, ei nobis quia ista commemoravimus, ignoscite. Si enim libenter auditis, ad vestrum dicuntur alloquium; si vero indignanter auditis, ad vestrum dicuntur opprobrium. Dicantur tamen oportet, sive volentibus, sive nolentibus vobis. Ecce, non ego, sed propheta quem legitis, per quem Deum locutum non potestis negare, quem de auctoritate divinarum Scripturarum non potestis auferre, quemadmodum illi Dominus imperavit, exclamat vehementer, et sicut tuba exaltat vocem suam (*Isai.* LVIII, 1), vosque increpat, dicens: *Et nunc tu, domus Jacob, venite, ambulemus in luce Domini.* Occidistis Christum in parentibus vestris. Tamdiu non credidistis, et contradixistis: sed nondum peristis, quia nondum de corpore existis; et nunc habetis spatium pœnitendi, et nunc venite. Olim quidem debuistis, sed et nunc venite: nondum finiti sunt dies, cui nondum venit ultimus dies. Aut si vos tanquam domum Jacob Prophetam secutos, jam in luce Domini creditis ambulare, domum Israel quam dimisit ostendite. Nos enim utrosque monstramus, et quos ex illa domo vocando discreverit, et quos illic remanentes dimiserit. Vocavit enim inde non solum Apostolos, sed etiam post Christi resurrectionem populum magnum; unde superius jam diximus: dimisit autem illos, quos etiam vos non credendo imitamini; et vos ipsos, qui eos imitando in eadem pernicie demoramini. Aut si vos estis quos inde vocavit, ubi sunt quos dimisit? Non enim potestis dicere, quod nescio quam aliam gentem dimiserit; cum Propheta clamet: *Dimisit enim plebem suam, domum Israel.* Ecce quod estis, non quod vos esse jactatis. Dimisit enim et vineam, de qua exspectavit ut faceret uvas, fecit autem spinas; et mandavit nubibus suis ne pluerent super eam imbrem. Sed etiam inde eos vocavit, quibus dicit: *Judicate inter me et vineam meam* (*Id.* V, 2-6). De quibus et Dominus ait: *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices erunt vestri* (*Matth.* XII, 27). Quibus hoc promittens: *Sedebitis*, inquit, *super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Id.* XIX, 28). Sedebit itaque domus Jacob, quæ in luce Domini vocata ambulavit, judicare domum Israel, hoc est, plebem ipsius quam dimisit. Quomodo enim juxta eumdem prophetam, *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Isai* XXVIII, 16, *et Psal.* CXVII, 22); nisi quod ex circumcisione et præputio populi tanquam parietes de diverso venientes, in angulo sibimet tanquam in pacis osculo copulantur? Unde dicit Apostolus: *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Qui ergo ex domo Jacob sive Israel vocantem secuti sunt, ipsi sunt lapidi angulari cohærentes, et in Domini luce ambulantes: quos vero ibi dimisit, ipsi sunt ruinam ædificantes, et angularem lapidem reprobantes.

CAPUT IX. — 12. *Dimissio Judæorum clarius prædicta per Malachiam. Sacrificium Christianorum ubique in terra et in cœlo offertur.* Postremo si hæc verba prophetica secundum cor vestrum in alium sensum detorquere conamini, o Judæi, contra salutem vestram resistentes Filio Dei; si hæc, inquam, verba sic vultis accipere, ut eadem sit plebs et domus Jacob vel Israel, et vocata et dimissa; non in aliis vocata, in aliis dimissa, sed universa propterea vocata, ut ambularet in luce Domini; quoniam propterea erat dimissa, quod non ambulabat in luce Domini; aut certe sic in aliis vocata, in aliis

[1] Editi, *Ob iniquitatem.* At Mss., *Ab iniquitatibus*: quod respondet græco LXX.

[2] Ita Mss. At editi, *nescientes in pecude celebratis, nolis per Christum, qui est quus Dei, consecraretur, nam pascha nostrum immolatus est Christus.*

[3] Sic plures Mss. juxta LXX. At editi, *in lucem.*

dimissa, ut nulla facta separatione mensæ Dominicæ, ad Christi sacrificium pertinente [1], sub eisdem veteribus sacramentis essent utrique, et ii scilicet qui in luce Domini ambulantes ejus præcepta servarunt, et ii qui justitiam respuentes ab eo deseri meruerunt : si hæc ergo sic intelligere vultis, quid dicturi estis, et quomodo alium prophetam intellecturi, qui vobis omnino hanc amputat vocem, tanta manifestatione clamantem, *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quia ab oriente sole usque in occidentem nomen meum clarum factum est in gentibus ; et in omni loco sacrificium offertur nomini meo, sacrificium mundum : quoniam magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens* (*Malach.* I, 10, 11). Qua tandem voce tantæ rerum evidentiæ reclamatis ? Quid vos amplius nimis impudenter extollitis, ut graviore ruina miserabilius pereatis ? *Non est mihi voluntas in vobis, dicit*, non quicumque, sed *Dominus omnipotens*. Quid tantum de Abrahæ semine gloriamini, qui ubicumque auditis Jacob aut Israel, aut domum Jacob vel domum Israel, cum aliqua laude dici, contenditis hoc non potuisse dici, nisi de vobis ? cum Dominus omnipotens dicat, *Non est mihi voluntas in vobis, et sacrificium non accipiam de manibus vestris*. Certe hic negare non potestis, non solum illum non accipere sacrificium de manibus vestris, sed nec vos illi offerre manibus vestris. Locus enim unus est lege Domini constitutus, ubi manibus vestris sacrificia jussit offerri, præter quem locum omnino prohibuit. Hunc ergo locum quoniam pro vestris meritis amisistis, etiam sacrificium quod ibi tantum licebat offerri, in locis offerre aliis non audetis. Ecce omnino impletum est quod ait Propheta, *Et sacrificium non accipiam de manibus vestris*. Nam si in terrena Jerusalem maneret vobis templum et altare, possetis dicere in eis hoc esse completum, quorum iniquorum inter vos constitutorum sacrificia Dominus non acceptat ; aliorum vero ex vobis atque in vobis acceptare sacrificia, qui Dei præcepta custodiunt. Hoc non est cur possit dici, ubi nullus omnino vestrum est, qui secundum Legem, quæ de monte Sina processit, manibus suis sacrificium possit offerre. Neque hoc ita prædictum et impletum est, ut vos prophetica sententia respondere permittat, Quia manibus non offerimus carnem, sed corde et ore offerimus laudem, secundum illud in Psalmo : *Immola Deo sacrificium laudis* (*Psal.* XLIX, 14). Etiam hinc contradicit vobis, qui dicit, *Non est mihi voluntas in vobis*.

13. Deinde ne existimetis, non offerentibus vobis, nec illo accipiente de manibus vestris, Deo sacrificium non offerri ; quo quidem ille non eget, qui bonorum nostrorum nullius indiget : tamen quia sine sacrificio non est, quod non illi, sed nobis utile est, adjungit et dicit, *Quia ab oriente sole usque in occidentem nomen meum clarum est factum in gentibus ; et in omni loco sacrificium offertur nomini meo, sacrificium mundum : quoniam magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens*. Quid ad hæc respondetis ? Aperite oculos tandem aliquando, et videte, ab oriente sole usque in occidentem, non in uno, sicut vobis fuerat constitutum, sed in omni loco offerri sacrificium Christianorum ; non cuilibet deo, sed ei qui ista prædixit, Deo Israel. Unde et alibi dicit Ecclesiæ suæ : *Et qui eruit te, ipse Deus Israel, universæ terræ vocabitur* (*Isai.* LIV, 5). Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos habere vitam æternam (*Joan.* V, 39). Et profecto haberetis, si Christum in eis intelligeretis, et teneretis. Sed perscrutamini eas : ipsæ testimonium perhibent de hoc sacrificio mundo, quod offertur Deo Israel ; non ab una gente vestra, de cujus manibus non se accepturum prædixit ; sed ab omnibus gentibus, quæ dicunt, *Venite, ascendamus in montem Domini* (*Isai.* II, 3). Nec in uno loco, sicut vobis præceptum erat in terrena Jerusalem ; sed in omni loco, usque in ipsam Jerusalem [1]. Nec secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedec. Christo enim dictum est, et de Christo tanto ante prædictum est, *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec* (*Psal.* CIX, 4). Quid est, *Juravit Dominus* ; nisi, inconcussa veritate firmavit ? et quid est, *non pœnitebit eum*, nisi, hoc sacerdotium nulla omnino ratione mutabit ? Neque enim sicut homines, pœnitet Deum : sed Dei dicitur pœnitentia, quamvis ab illo institutæ, rei cujusque mutatio, quæ credebatur esse mansura. Proinde cum dicit, *Non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec* ; satis ostendit eum pœnituisse, hoc est, eum mutare voluisse sacerdotium quod constituerat secundum ordinem Aaron : sicut de utroque videmus impletum. Nam et Aaron sacerdotium jam nullum est in aliquo templo, et Christi sacerdotium in æternum perseverat in cœlo.

14. Ad hanc ergo lucem Domini vocat vos Propheta, cum dicit, *Et nunc tu, domus Jacob, venite, ambulemus in luce Domini. Tu, domus Jacob*, quam vocavit et elegit ; non *Tu*, quam dimisit. *Dimisit enim plebem suam, domum Israel.* (*Isai*, II, 5, 6). Quicumque inde venire vultis, ad hanc pertinebitis, quam vocavit ; illa carebitis, quam dimisit. Lux quippe Domini, in qua ambulant gentes, illa est de qua idem propheta dicit, *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque in fines terræ* (*Id.* XLIX, 6). Cui hoc dictum est, nisi Christo ? de quo impletum est, nisi de Christo ? Non est ista lux in vobis, de quibus identidem dictum est : *Dedit illis Deus spiritum compunctionis ; oculos, ut non videant ; et aures, ut non audiant, usque in hodiernum diem* (*Rom.* XI, 8). Non est, inquam, in vobis hæc lux : ideo nimia cæcitate lapidem reprobatis, qui factus est in caput anguli. Ergo, *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6). Quid est, *Accedite* ; nisi, credite ? Quo enim eatis, ut ad eum accedatis ; cum ille sit lapis de quo Daniel propheta dicit, quod crescendo tam

[1] Sic Mss. Editi vero, *pertinentis*. Forte legendum, *pertinentes sub eisdem veteribus*, etc.

[1] Apud Bedam, ad Hebr. 7, *usque in ipsa Jerusalem* : id est, etiam in ipsa Jerusalem, in cœlo.

magnus mons factus sit, ut impleret universam faciem terræ (*Dan.* II, 35)? Sic enim et gentes quæ dicunt, *Venite, ascendamus in montem Domini*, nusquam terrarum pergere et pervenire contendunt. Ubi sunt, ibi ascendunt : quia in omni loco sacrificium offertur secundum ordinem Melchisedec. Et sicut alius propheta dicit, *Exterminat Deus omnes deos gentium terræ, et adorant eum unusquisque de loco suo* (*Sophon.* II, 11). Cum ergo vobis dicitur, *Accedite ad eum* : non vobis dicitur, Naves aut jumenta præparate, et vestris victimis onerate, et de tam longinquo pergite ad locum ubi Deus sacrificia vestræ devotionis acceptet; sed, Accedite ad eum qui in vestris auribus prædicatur, accedite ad eum qui ante oculos vestros glorificatur. Ambulando non laborabitis : ibi enim acceditis, ubi creditis.

CAPUT X. — 15. *Qua charitate invitandi Judæi ad fidem.* Hæc, charissimi [1], sive gratanter, sive indigner audiant Judæi, nos tamen ubi possumus, cum eorum dilectione prædicemus. Nec superbe gloriemur adversus ramos fractos : sed potius cogitemus cujus gratia, et quanta misericordia, et in qua radice inserti sumus; ut non alta sapientes, sed humilibus consentientes (*Beda seu Florus, ad Rom.* XI), non eis cum præsumptione insultando, sed cum tremore exsultando dicamus (*Psal.* II, 11), *Venite, ambulemus in luce Domini, quoniam magnum nomen* ejus *in gentibus*. Si enim audierint et obaudierint, erunt inter eos quibus dictum est : *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Rom.* XI); *et vultus vestri non erubescent*. Si autem audiunt et non obaudiunt, vident et invident, inter eos sunt de quibus dictum est : *Peccator videbit, et irascetur; dentibus suis frendet, et tabescet* (*Psal.* CXI, 10). *Ego autem*, dicit Ecclesia Christo, *velut oliva fructifera in domo Domini, speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi* (*Psal.* LI, 10).

[1] Editi, *fratres charissimi*. Abest, *fratres*, a Mss. nec apud Augustinum facile occurrunt junctæ simul hæ duæ voces, *fratres charissimi*, præter quam in suppositiis sermonibus.

SEQUUNTUR

OPERA ADVERSUS MANICHÆOS,

QUÆ AUGUSTINUS TEMPORE PRESBYTERII AC EPISCOPATUS SUI CONSCRIPSIT.

His etiam subjicitur index aliorum Opusculorum, quibus in eosdem hæreticos ante suum presbyteratum ex professo egit, necnon cæterorum in quibus ipsos obiter quocumque tempore reprehendit.

ADMONITIO

IN OPUSCULUM SUBSEQUENS.

Librum de Utilitate credendi recenset Augustinus primum eorum quos edidit tempore sui presbyteratus. Hanc vero dignitatem Hippone suscepit sub initium anni 391; quod jam alias demonstravimus in secundi tomi præfatione, ad Augustini epistolas 8, 9, etc.

Opus Honorati causa scripsit, ut a Manichæorum errore amicum revocaret, quem olim in eorum laqueos ipse conjecerat, sicuti sub libri exordium confitetur. Deceptus fuerat Honoratus speciosis illis Manichæorum pollicitationibus, quibus se nihil nisi quod ratione evidens et apertum fieret, docturos promittebant : irridebatque ille in catholicæ Ecclesiæ disciplina, quod fides hominibus imperaretur, nec verum eis ratione demonstraretur. Cum igitur falsa veritatis specie illusus, non temporalis commodi gratia inductus adhæreret errori, sicque magis deceptus ab hæreticis, quam hæreticus esset; speravit Augustinus fore ut illum ad veram religionem adduceret, si modo ostenderet, Manichæos sacrilege ac temere in eos invehi, qui catholicæ fidei auctoritatem sequentes, antequam illud verum, quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, et illuminaturo præparantur Deo. Id autem sic præstat hoc in opere, ut Veteris quoque Testamenti, cujus illi maxime reprehensione commovebant imperitos, patrocinium suscipiat.

Augustini labori studioque optatus erga Honoratum respondit eventus; si tamen is est, ut Rivius arbitratur, qui ab urbe Carthagine scribebat ad Augustinum circa annum 412, et varias illi quæstiones enodandas proponebat. Quamvis enim Honoratus iste necdum Baptismum percepisset, illæ tamen quæ ab eo proponuntur quæstiones minime redolent manichæum, nec de Manichæis nisi ex occasione loquitur ipsi Augustinus, et tanquam de iis quos ipse censeret hæreticos. Istum ipsum Honoratum, cui Augustinus epistolam 140 scribit, presbyterum Cassiodorus nuncupat : qui forte ad presbyteratum provectus postea fuerit. Loquitur Augustinus in epistola 83, de morte alterius cujusdam Honorati presbyteri. Sub finem quoque vitæ suæ scripsit epistolam 228 ad Thabennensem episcopum ejusdem nominis.

De libro subsequente vide lib. 1, *cap.* 14, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 605, *n.* 1, *a verbis* Jam vero, *usque ad col.* 608, *n.* 6, *verbis*, Idem videretur esse. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE UTILITATE CREDENDI

AD HONORATUM

Liber unus [a].

Contra Manichæos disputat, probatque ipsos sacrilege ac temere in eos invehi, qui catholicæ fidei auctoritatem sequentes, ad mysteriorum intelligentiam sese illius subsidio comparant, dum ea credunt quæ nondum valent animo percipere. Sed imprimis ostendit Vetus Testamentum perperam ab iisdem hæreticis reprehendi.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Quo consilio hæc Honorato scribat. Hæreticus et hæreticis credens, non idem. Operis argumentum. Quomodo per Manichæos Augustinus deceptus evascrit. Manichæorum dictum in suæ sectæ desertores.* Si mihi, Honorate, unum atque idem videretur esse, hæreticus, et credens hæreticis homo, tam lingua quam stilo in hac causa conquiescendum mihi esse arbitrarer. Nunc vero cum inter hæc duo plurimum intersit: quandoquidem hæreticus est, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur; ille autem qui hujusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusus: cum hæc ergo ita sint, non putavi apud te silendum esse, quid mihi de invenienda ac retinenda veritate videatur; cujus, ut scis, ab ineunte adolescentia magno amore flagravimus. Sed res est longe remota a vanorum hominum mentibus, qui nimis in hæc corporalia progressi atque lapsi, nihil aliud putant esse, quam quod istis quinque notissimis nuntiis corporis sentiunt; et quas ab his plagas atque imagines acceperunt, eas secum volvunt, etiam cum conantur recedere a sensibus; et ex earum mortifera et fallacissima regula ineffabilia penetralia veritatis rectissime se metiri putant. Nihil est facilius, mi charissime, quam non solum se dicere, sed etiam opinari verum invenisse: sed quam reipsa difficillimum sit, agnosces, ut confido, his litteris meis. Quæ ut tibi prosint, aut certe nihil obsint, omnibusque omnino quorum in manus forte devenerint, et rogavi Deum, et rogo; et spero ita fore, si bene mihi conscius sum, quod ad hunc stilum pio et officioso animo, non vani nominis appetitione ac nugatoriæ ostentationis accessi.

2. Est igitur mihi propositum, ut probem tibi, si possim, quod Manichæi sacrilege ac temere invehantur in eos qui catholicæ fidei auctoritatem sequentes, antequam illud verum, quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, et illuminaturo præparantur Deo. Nosti enim, Honorate, non aliam ob causam nos in tales homines incidisse, nisi quod se dicebant, terribili auctoritate separata, mera [1] et simplici ratione eos qui se audire vellent introducturos ad Deum, et errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat, annos fere novem, spreta religione quæ mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire (*b*); nisi quod nos superstitione terreri, et fidem nobis ante rationem imperari dicerent, se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa et emendata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præsertim adolescentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus et garrulus: qualem me tunc illi invenerunt, spernentem scilicet quasi aniles fabulas, et ab eis promissum, apertum et sincerum verum tenere atque haurire cupientem? Sed quæ rursum ratio revocabat, ne apud eos penitus hærerem, ut me in illo gradu quem vocant Auditorum tenerem, ut hujus mundi spem atque negotia non dimitterem; nisi quod ipsos quoque animadvertebam plus in refellendis aliis disertos et copiosos esse, quam in suis probandis firmos et certos manere? Sed de me quid dicam, qui jam catholicus christianus eram? quæ nunc ubera [2], post longissimam sitim pene exhaustus atque aridus [3], tota aviditate repetivi, eaque altius flens et gemens concussi et expressi, ut id manaret quod mihi sic affecto ad recreationem satis esse posset, et ad spem reducendam

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Ad emendandum librum de Utilitate credendi usi sumus codicibus Mss. Vaticanis quinque, Gallicanis septem, Victorino, Germanensi, Corbeiensi, Michaelino, Cisterciensi, Laudunensi majoris Ecclesiæ, et exemplari domini de Marca Tolosatis, variis etiam lectionibus trium Belgicorum per Lovanienses vulgatis, ac tandem editionibus antiquis ac præcipuis.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Editi, *mira* Melius aliquot Mss., *mera.*
[2] In excusis, *qui nunc ubera Ecclesiæ.* At in Mss., *quæ nunc ubera;* omissa voce, *Ecclesiæ.*
[3] Editi, *avidus.* Emendantur a Mss.
(*a*) Scriptus circiter annum 391.
(*b*) Vid. lib. 1 Confess. cap. 11, et lib. 5, cap. 14.

vitæ ac salutis. Quid ergo de me ipso dicam? Tu nondum christianus, qui hortatu meo, cum eos vehementer exsecrareris, vix adductus es ut audiendi tibi atque explorandi viderentur, qua, quæso, alia re delectatus es, recordare, obsecro te, nisi magna quadam præsumptione ac pollicitatione rationum? Sed quia diu multumque de imperitorum erroribus latissime ac vehementissime disputabant, quod cuivis mediocriter erudito esse facillimum, sero didici: si quid etiam suorum nobis inserebant, necessitate retinendum, cum alia non occurrerent in quibus acquiescere-mus, arbitrabamur. Itaque nobis faciebant quod insidiosi aucupes solent qui viscatos surculos propter aquam defigunt [1], ut sitientes aves decipiant. Obruunt enim, et quoquo modo cooperiunt alias quæ circa sunt aquas, vel inde etiam formidolosis molitionibus deterrent, ut in eorum dolos, non electione, sed inopia decidant.

3. Sed cur non ipse mihi respondeo, quod istæ lautæ ac lepidæ similitudines atque hujusmodi reprehensiones, in omnes qui aliquid docent, a quovis adversario effundi urbanissime ac dicacissime possunt? Sed ob hoc putavi aliquid tale inserendum litteris meis, ut eos admoneam, desinant talibus agere: ut quemadmodum ille ait, separatis nugis locorum communium, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione confligat (*Cicero*). Quare desinant dicere illud, quod in ore habent quasi necessarium, cum eos quisque deseruerit qui diutius audisset, *Lumen per illum transitum fecit*. Vides enim tu, mea maxima cura (nam de illis non nimis æstuo), quam hoc inane et facillimum ad reprehendendum cuivis esse possit. Itaque hoc discutiendum dimitto prudentiæ tuæ. Non enim vereor ne me arbitreris inhabitatum lumine, cum vitæ hujus mundi eram implicatus, tenebrosam spem gerens, de pulchritudine uxoris, de pompa divitiarum, de inanitate honorum cæterisque noxiis et perniciosis voluptatibus. Hæc enim omnia, quod te non latet, cum studiose illos audirem, cupere et sperare non desistebam. Neque hoc eorum doctrinæ tribuo: fateor enim et illos sedulo monere, ut ista cavcantur. Sed modoune dicere desertum lumine, cum ab his omnibus umbris rerum me averterim, soloque victu ad valetudinem corporis necessario contentus esse decreverim, illustratum autem atque fulgentem fuisse, cum ista diligerem et his involutus tenerer, hominis est, ut mitissime dicam, minus acute considerantis res, de quibus loqui multum amat. Sed veniamus ad causam, si placet.

CAPUT II. — 4. *Manichæi Vetus Testamentum reprehendunt apud imperitos.* Nam bene nosti quod reprehendentes Manichæi catholicam fidem, et maxime Vetus Testamentum discerpentes et dilaniantes, commovent imperitos: qui profecto nesciunt quatenus sint accipienda illa, et quemadmodum hausta utiliter in venas quasi vagientium adhuc animarum medullasque descendant. Et quia sunt ibi quædam quæ suboffendant animos ignaros et negligentes sui, quæ maxima turba est, populariter accusari possunt: defendi autem populariter, propter mysteria quæ his continentur, non a multis admodum possunt. Qui vero pauci hoc facere noverunt, non amant progatula et famigerula quædam in disputatione certamina; et ob hoc minime noti sunt, nisi his qui eos instantissime requirunt. De hac igitur Manichæorum temeritate, qua Vetus Testamentum et catholicam fidem reprehendunt, accipe, obsecro, quæ me moveant. Opto autem ac spero te hoc animo accepturum, quo a me dicuntur. Scit autem Deus, cui nota sunt arcana conscientiæ meæ, nihil me in hoc sermone malitiose agere: sed ut existimo accipiendum esse, veri probandi causa: cui uni rei vivere jam diu statuimus, et incredibili sollicitudine; ne mihi errare vobiscum facillimum fuerit, iter autem rectum tenere vobiscum sit, ne durius loquar difficillimum. Sed præsumo quod et in hac spe, qua spero vos viam sapientiæ mecum obtenturos, non me deseret ille cui sacratus sum: quem dies noctesque intueri conor; et quoniam propter peccata mea propterque consuetudinem plagis veternosarum opinionum sauciatum oculum animæ gerens, invalidum me esse cognosco, sæpe rogo cum lacrymis. Et quemadmodum post longam cæcitatem ac tenebras luminibus vix apertis, et adhuc lucem palpitando atque aversando, quam tamen desiderant, recusantibus, præsertim si eis solem istum quispiam conetur ostendere: ita mihi nunc evenit, non neganti esse ineffabile quiddam et singulare animæ bonum quod mente videatur; et me ad contemplandum nondum esse idoneum cum fletu et gemitu confitenti. Non me ergo deseret, si nihil fingo, si officio ducor, si veritatem amo, si amicitiam diligo, si multum metuo ne fallaris.

CAPUT III. — 5. *Quadruplex scripturæ Veteris Testamenti tractandi ratio. Historia et ætiologia in Scripturis. Analogia. Allegoria. Lex non necessaria nisi iis quibus utilis est servitus ac timor. Mysteria in veteri Lege velata.* Omnis igitur Scriptura, quæ Testamentum Vetus vocatur, diligenter eam nosse cupientibus quadrifaria traditur; secundum historiam, secundum ætiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam. Ne me ineptum putes, græcis nominibus utentem. Primum quia sic accepi, nec tibi hoc aliter audeo intimare quam accepi. Deinde tu quoque animadvertis, non esse harum rerum apud nos usitata nomina: quæ si fabricassem interpretando, essem profecto ineptior; si autem circumloquerer, minus essem in disserendo expeditus. Id tantum oro credas, quoquo modo errem, nihil a me inflato ac tumido fieri. Secundum historiam ergo traditur, cum docetur quid scriptum, aut quid gestum sit; quid non gestum, sed tantummodo scriptum quasi gestum sit. Secundum ætiologiam, cum ostenditur quid qua de causa vel factum vel dictum sit. Secundum analogiam, cum demonstratur non sibi adversari duo Testamenta, Vetus et Novum. Secundum allegoriam, cum docetur non ad litteram esse accipienda quædam quæ scripta

[1] Editi, *prope aquam*. At Mss., *propter aquam*: eodem sensu.

sunt, sed figurate intelligenda.

6. Iis omnibus modis Dominus noster Jesus Christus et Apostoli usi sunt. Nam de historia illud sumptum est, cum objectum esset, quod die sabbati discipuli ejus spicas evulsissent : *Non legistis*, inquit, *quod fecit David, cum esuriret, et qui cum eo erant; quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis manducavit, ques non licebat ei manducare, neque eis qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus* (*Matth.* XII, 3, 4)? Ad ætiologiam vero illud pertinet, quod cum Christus prohibuisset uxorem abjici, nisi fornicationis causa, relatumque esset ab interrogantibus, Moysen libello dato repudii permisisse licentiam : *Hoc*, inquit, *Moyses fecit propter duritiam cordis vestri* (*Id.* XIX, 8). Hic enim causa reddita est cur illud a Moyse pro tempore bene permissum sit; ut hoc quod Christus præcipiebat, alia jam tempora demonstrare videretur. Horum autem temporum vices, atque ordinem mira quadam divinæ providentiæ dispositione digestum atque compositum, longum est explanare.

7. Jam porro analogiam [1], qua utriusque Testamenti congruentia perspicitur, quid ego dicam usos fuisse omnes quorum auctoritati illi cedunt; cum secum ipsi considerare possint, quam multa soleant dicere immissa esse Scripturis divinis a nescio quibus corruptoribus veritatis? Quæ vox mihi semper quidem, etiam cum eos audirem, invalidissima visa est : nec mihi soli, sed etiam tibi (nam bene memini) et nobis omnibus, qui paulo majorem diligentiam in judicando habere conabamur, quam turba credentium. Nunc vero posteaquam mihi sunt exposita atque enodata multa, quæ me maxime movebant, ea scilicet in quibus illorum plerumque se jactat, et quo securius sine adversario, eo effusius exsultat oratio; nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas : cum id nullis in tam recenti memoria exstantibus exemplaribus possint convincere. Si enim dicerent eas sibi penitus accipiendas non putasse, quod ab his essent conscriptæ, quos verum scripsisse non arbitrarentur; esset utcumque tergiversatio eorum rectior, vel error humanior. Hoc enim de illo libro fecerunt, qui Actus Apostolorum inscribitur. Quod eorum consilium, cum mecum ipse pertracto, nequeo satis mirari. Non enim sapientiam hominum in hac re, sed cor mediocre desidero. Tanta enim liber iste habet, quæ similia sint his quæ accipiunt, ut magnæ stultitiæ mihi videatur, non et hunc accipere, et si quid ibi eos offendit, falsum atque immissum dicere. Aut si talis oratio impudens est, sicuti est, cur in Pauli Epistolis, cur in quatuor Evangelii libris ea valere aliquid putant, in quibus haud scio an multo plura sint proportione, quam in illo libro esse potuerunt, quæ a corruptoribus interjecta credi volunt? Sed nimirum illud est quod mihi videtur, quod peto placidissimo et serenissimo judicio mecum consideres. Nosti enim quod auctoris sui Manichæi personam in Apostolorum numerum inducere molientes, dicunt Spiritum sanctum, quem Dominus discipulis se missurum esse promisit, per ipsum ad nos venisse. Itaque si illos Actus Apostolorum acciperent, in quibus evidenter adventus sancti Spiritus prædicatur (*Act.* II, 2-4), non invenirent quomodo id immissum esse dicerent. Volunt enim nescio quos corruptores divinorum Librorum ante ipsius Manichæi tempora fuisse; corrupisse autem illos qui Judæorum legem Evangelio miscere cupiebant. Hoc autem de Spiritu sancto dicere nequeunt, nisi forte divinasse illos asserant, et posuisse in suis libris quod contra futurum aliquando Manichæum, qui Spiritum sanctum per se missum esse diceret, proferretur. Verum de Spiritu sancto alias planius aliquid eloquemur. Nunc ad hoc quod intenderam redeamus.

8. Nam et historiam Veteris Testamenti, et ætiologiam, et analogiam in Novo Testamento inveniri, satis, ut puto, est demonstratum : de allegoria restat ostendere. Ipse Liberator noster in Evangelio allegoria utitur ex Vetere Testamento : *Generatio*, inquit, *hæc signum quærit; et non dabitur ei nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus fuit, sic et Filius hominis tribus diebus et tribus noctibus erit in corde terræ* (*Matth.* XII, 39, 40). Nam quid ego de apostolo Paulo dicam, qui etiam ipsam Exodi historiam futuræ christianæ plebis allegoriam fuisse significat ad Corinthios Epistola prima? *Nolo autem vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moysen* [1] *baptizati sunt, in nube et in mari : et omnes eumdem cibum spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim de spirituali consequente eos petra* [2]; *petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum complacuit Deo* [3] : *prostrati enim sunt in deserto. Hæc autem figuræ nostræ fuerunt, ut non simus cupidi malorum, sicut et illi concupierunt. Neque idola colamus, sicut quidam ex illis, sicut scriptum est : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex illis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia hominum. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus interierunt. Neque murmuremus, sicut quidam ex illis murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Omnia autem ista in figura contingebant illis. Scripta autem sunt ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt* (I *Cor.* X, 1-11). Est item apud Apostolum allegoria quædam, sane ad causam maxime pertinens, ideo quod ipsi eam in disputando proferre atque ostentare consuerunt. Idem enim Paulus dicit ad Galatas : *Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit; unum de ancilla, et unum de libera : sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem*

[1] In excusis, *analogia*. In Mss. vero, *analogiam*. Refertur ad verbum, *usos*, quod cum accusandi casu non ineleganter jungitur. Sic infra, cap. 8, *cujusmodi vitium usus fuerim*.

[1] Editi, *in Moyse*. At Mss. juxta græcum, *in Moysen*. Sic infra consentientes græci veteres libri habent, *Bibebant enim*; ubi editi, *Bibebant autem*.

[2] In Mss., *prosequente eos petra*.

[3] Editi, *beneplacuit Deo*. At Mss., *complacuit*.

natus est; qui autem de libera, per promissionem : quæ sunt per allegoriam dicta. Nam hæc sunt duo Testamenta; unum quidem de monte Sina in servitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui confinis ei quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum (*Galat.* IV, 22-26).

9. Hic igitur illi homines nimium mali, dum frustrare Legem conantur, eas Scripturas approbare nos cogunt. Attendunt enim quod dictum est, in servitute esse eos qui sub Lege sunt, et id ultimum præ cæteris ventilant : *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini; a gratia excidistis* (*Id.* V, 4). Nos hæc omnia vera esse concedimus, nec illam legem necessariam esse dicimus, nisi eis quibus est adhuc utilis servitus : ideoque utiliter esse latam, quod homines qui revocari a peccatis ratione non poterant, tali lege coercendi erant, pœnarum scilicet istarum quæ videri ab stultis possunt, minis atque terroribus; a quibus gratia Christi cum liberat, non legem illam damnat, sed aliquando nos obtemperare suæ charitati, non servire timori Legis, invitat. Ipsa est gratia, id est, beneficium quod non intelligunt sibi venisse divinitus, qui adhuc esse cupiunt sub vinculis Legis. Quos merito Paulus objurgat tanquam infideles, quia a servitute, cui certo tempore justissima Dei dispositione subjecti erant, jam per Dominum nostrum Jesum se liberatos esse non credunt. Hinc est illud ejusdem apostoli : *Lex enim pædagogus noster erat in Christo* (*Id.* III, 24). Ille igitur pædagogum dedit hominibus quem timerent, qui magistrum postea quem diligerent. In quibus tamen Legis præceptis atque mandatis, quibus nunc Christianos uti fas non est, quale vel sabbatum est, vel circumcisio, vel sacrificia, et si quid hujusmodi est, tanta mysteria continentur, ut omnis pius intelligat nihil esse perniciosius, quam quidquid ibi est accipi ad litteram, id est, ad verbum; nihil autem salubrius, quam spiritu revelari. Inde est : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (*a*). Inde est : *Idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet, quod non revelatur, quoniam in Christo evacuatur.* Evacuatur namque in Christo, non Vetus Testamentum, sed velamen ejus; ut per Christum intelligatur, et quasi denudetur, quod sine Christo obscurum atque coopertum est. Statim quippe idem apostolus subjicit: *Cum autem transieris ad Christum, auferetur velamen* (II *Cor.* III, 6, 14, 16). Non enim ait, Auferetur Lex; aut, Testamentum Vetus. Non igitur per Domini gratiam, tanquam inutilia ibi tegerentur, ablata sunt; sed tegmen potius, quo utilia tegebantur. Hoc modo agitur cum iis, qui studiose ac pie, non turbide atque improbe, Scripturarum illarum sensum requirunt, demonstraturque sedulo et ordo rerum, et causæ factorum atque dictorum, et Veteris Testamenti ad Novum tanta congruentia, ut apex nullus, qui non consonet, relinquatur; et figurarum tanta secreta, ut omnia quæ interpretando eruuntur, miseros esse cogant fateri, qui hæc volunt ante condemnare, quam discere.

CAPUT IV. — 10. *Triplex error legentium.* Sed ut, omissa interim altitudine scientiæ, sic agam tecum, quomodo agendum arbitror cum familiari meo; id est, sicut ego possum, non sicut doctissimos viros posse miratus sum : tria genera sunt erroris, quibus homines errant, cum aliquid legunt. De singulis dicam. Primum genus est, in quo id quod falsum est verum putatur, cum aliud qui scripsit putaverit. Alterum est, quamvis non tam late patens, non tamen minus noxium, cum id quod falsum est verum putatur, id tamen putatur quod etiam ille qui scripsit putavit. Tertium est, cum ex alieno scripto intelligitur aliquid veri, cum hoc ille qui scripsit non intellexerit. In quo genere non parum est utilitatis, imo si diligentius consideres, totus legendi fructus est integer. Primi generis exemplum est, ut si quisquam, verbi gratia, dicat et credat Rhadamanthum apud inferos audire ac dijudicare causas mortuorum, eo quod Maronis in carmine id legerit (*Æneid. lib.* 6, *vers.* 566-569). Hic enim errat duobus modis; quod et rem non credendam credit, neque id putandus est credidisse ille quem legit. Alterum genus animadverti sic potest : si quis, quia Lucretius animam ex atomis esse scribit, eamque post mortem in easdem atomos solvi atque interire, id verum ac sibi credendum arbitretur. Nam et hic non minus miser est, si de re tanta id quod falsum est pro certo sibi persuasit; quanquam id Lucretius, cujus libris deceptus est, opinatus sit. Quid enim huic prodest de auctoris sententia certum esse, quando sibi cum non per quem non erraret [1], sed cum quo erraret, elegerit? Tertio generi est illud accommodatum : si quis Epicurum, lecto ejus in libris aliquo loco ubi continentiam laudat, in virtute illum summum bonum posuisse asseveret, et ideo non esse culpandum. Huic etiam quid obest error Epicuri, si summum bonum hominis voluptatem ille corporis credit; cum iste non se dederit tam turpi noxiæque sententiæ, neque ob aliam causam ei placeat Epicurus, nisi quod eum sensisse non putat, quod sentiri non oporteat? Hic error non modo humanus est, sed sæpe etiam homine dignissimus. Quid enim, si mihi de aliquo quem diligerem nuntiaretur quod sibi, cum esset barbatus, pueritiam atque infantiam ita placere multis audientibus dixerit, ut etiam juraverit se similiter velle vivere, idque ita mihi probaretur, ut impudenter negarem? num reprehendendus viderer, si eum existimarem, cum hoc diceret, significare voluisse, sibi placere innocentiam, et ab eis quibus hominum genus involveretur cupiditatibus animum alienum, et ex eo illum magis magisque diligerem, quam antea diligebam; etiamsi fortasse ille in puerorum ætatibus libertatem quamdam in ludendo et cibando atque ignavum otium stultus adamasset? Fac enim eum esse defunctum postquam hoc mihi nuntiatum est, nec interrogari a me potuisse quidquam, ut aperiret senten-

(*a*) I Retr., cap. 14, n. 1.

[1] Hic, in ante editis omissa erat particula negans.

tiam suam; essetne quisquam tam improbus qui mihi succenseret, cum hominis laudarem propositum et voluntatem per illa ipsa verba quæ acceperam? Quid, quod etiam justus rerum existimator non dubitaret fortasse laudare opinionem ac voluntatem meam, cum et innocentia mihi placeret, et homo de homine in re dubia bene potius existimarem, cum etiam male liceret[1]?

CAPUT V. — 11. *Tres scripturarum quarumque differentiæ. Ecclesia catholica erroris secundum ullum modum ex prædictis redargui non potest in Veteris Testamenti lectione.* Quæ cum ita sint, audi etiam earumdem scripturarum totidem conditiones et differentias. Nam necesse est totidem occurrant. Aut enim utiliter scripsit quispiam, et non utiliter ab aliquo intelligitur : aut utrumque inutiliter fit : aut utiliter intelligit lector, cum ille contra, qui legitur, scripserit. Horum trium primum non improbo, ultimum non curo. Nam neque possum reprehendere hominem qui nulla sua culpa male intellectus est; nec moleste habere quemquam legi, qui verum non viderit, cum obesse legentibus nihil videam. Unum igitur genus est probatissimum, et quasi purgatissimum, cum et bona scripta sunt, et in bonam partem accipiuntur a legentibus. Id quoque tamen adhuc in duo dividitur; non enim penitus excludit errorem. Nam evenit plerumque, ut cum bene senserit scriptor, bene etiam lector sentiat; sed aliud quam ille, et sæpe melius, sæpe inferius, utiliter tamen. Cum autem et hoc sentimus quod ille quem legimus, et id est vitæ bene agendæ accommodatissimum, cumulatissime sese habet veritas, nec aliunde aperitur falsitatis locus. Quod genus cum de rebus obscurissimis lectio est, rarissimum omnino est; neque id, mea sententia, liquido sciri, sed tantummodo credi potest. Quibus enim argumentis absentis vel mortui hominis voluntatem ita colligam, ut de illa jurare possim; cum etiam si præsens interrogaretur, multa esse possent, quæ, si malus non esset, officiosissime absconderet? Illud autem nihil ad rem cognoscendam valere arbitror, qualis fuerit ille qui scripsit : honestissime tamen bonus creditur, cujus litteris generi humano posteritatique consultum est.

12. Quamobrem vellem mihi isti dicerent, in quo genere ponant Ecclesiæ catholicæ, quem putant, errorem. Si in primo, grave omnino crimen : sed defensionem longinquam non requirit; satis est enim negare ita nos intelligere, ut illi, cum invehuntur, existimant. Si in secundo, non minus grave est : sed eadem voce refellentur. Si in tertio, nullum crimen est. Age, ac deinde Scripturas ipsas considera. Quid enim libris obiiciunt Veteris, quod dicitur, Testamenti? Numquidnam quod boni sunt, sed male intelliguntur a nobis? At eos ipsi non accipiunt. An quia nec boni sunt, nec bene accipiuntur? At hoc superior defensio satis expugnat. An illud dicent : Quamvis bene a vobis accipiantur, mali sunt tamen? Quid est aliud vivos, cum quibus res agitur, adversarios absolvere, atque olim mortuos, cum quibus nulla contentio est, accusare? Ego quidem illos viros et omnia utiliter memoriæ mandasse, et magnos ac divinos fuisse, et illam legem Dei jussu ac voluntate promulgatam esse et conditam credo : et id, quanquam perpauca ejus generis librorum sciam, persuadere tamen facile possum, si mihi æquus et minime pertinax animus adhibeatur; atque id faciam, cum copia nobis data fuerit benevolarum aurium ac mentis tuæ : sed hoc cum potero; nunc autem nonne mihi satis est, quoquo modo se ista res habeat, deceptum non fuisse?

CAPUT VI. — 13. *De Scripturis non credendum expositoribus earum inimicis.* Testor, Honorate, conscientiam meam, et puris animis inhabitantem Deum, nihil me existimare prudentius, castius, religiosius, quam sunt illæ Scripturæ omnes, quas Testamenti Veteris nomine catholica Ecclesia retinet. Miraris, novi. Non enim dissimulare possum, longe aliter nobis fuisse persuasum. Sed nihil est profecto temeritatis plenius (quæ nobis tunc pueris inerat), quam quorumque librorum expositores deserere, qui eos se tenere ac discipulis tradere posse profitentur, et eorum sententiam requirere ab his qui conditoribus illorum atque auctoribus acerbissimum, nescio qua cogente causa, bellum indixerunt. Quis enim sibi unquam libros Aristotelis reconditos et obscuros ab ejus inimico exponendos putavit; ut de his loquar disciplinis, in quibus lector fortasse sine sacrilegio labi potest? Quis denique geometricas litteras Archimedis legere, magistro Epicuro, aut discere voluit; contra quas ille multum pertinaciter, nihil earum, quantum arbitror, intelligens, disserebat? An istæ Scripturæ Legis planissimæ sunt, in quas isti quasi vulgo expositas impetum faciunt frustra et inaniter? Qui mihi similes videntur illi mulierculæ, quam iidem ipsi solent deridere, quæ irata quod ei sol iste laudaretur, et a manichæa quadam femina colendus commendaretur, ut erat religiose simplex, concita exsilivit, et eum locum quem sol per fenestram illustraverat, crebro pede percutiens, Ecce solem deumque tuum calco, clamare cœpit : stulte omnino atque mulicbriter; quis negat? Sed nonne tibi tales videntur isti, qui ea quæ non intelligunt, aut cur, aut omnino qualia sunt, quamvis jacentibus similia, subtilia tamen intelligentibus atque divina, magno impetu orationis maledictisque lacerantes, quia eis imperiti plaudunt, aliquid se proficere existimant? Quidquid est, mihi crede, in Scripturis illis, altum et divinum est : inest omnino veritas, et reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina : et plane ita modificata, ut nemo inde haurire non possit quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devote ac pie, ut vera religio poscit, accedat. Quod ut tibi probem, multis rationibus et longiore oratione opus est. Agendum enim tecum prius est, ut auctores ipsos non oderis, deinde ut ames : et hæc agendum quovis alio modo potius, quam exponendis eorum sententiis et litteris. Propterea quia si Virgilium odissemus, imo si non eum, priusquam

[1] Lov., *malediceret*. Melius Er. et Mss., *male liceret* : supple, *existimare*.

(Trois)

intellectus esset, majorum nostrorum commendatione diligeremus, nunquam nobis satis fieret de illis ejus quæstionibus innumerabilibus, quibus grammatici agitari et perturbari solent : nec audiremus libenter, qui cum ejus laude illas expediret ; sed ei faveremus, qui per eas illum errasse ac delirasse conaretur ostendere. Nunc vero cum eas multi ac varie pro suo quisque captu aperire conentur, his potissimum plauditur, per quorum expositionem melior invenitur poeta, qui non solum nihil peccasse, sed nihil non laudabiliter cecinisse, ab eis etiam qui illum non intelligunt, creditur. Itaque in quæstiuncula magistro deficienti, et quid respondeat non habenti, succensemus potius, quam illum mutum vitio Maronis putamus. Jam si ad defensionem suam peccatum tanti auctoris asserere voluerit, vix apud eum discipuli, vel datis mercedibus, remanebunt. Quantum erat ut similem benevolentiam præberemus eis, per quos locutum esse Spiritum sanctum tam diuturna vetustate firmatum est ? Sed scilicet intelligentissimi adolescentes, et miri rationum exploratores, non evolutis saltem illis Litteris, non quæsitis magistris, non aliquantum nostra tarditate accusata, non denique vel mediocri corde concesso eis qui ejusmodi Litteras per totum orbem tam longo tempore legi, custodiri, tractarique voluerunt ; nihil apud illos credendum putavimus, eorum qui istis inimici infestique sunt voce commoti, apud quos falsa pollicitatione rationis inaudita millia fabularum credere et colere cogeremur.

CAPUT VII. — 14. *Quærenda vera religio. In eis quærenda qui excellunt fama celebritate et omnium occupatione populorum. Objectari frustra, apud paucos esse veritatem, nec quærendam in multitudine Catholicorum. Temere visum Honorato, absurda quædam tradi in catholica religione. A religione quærenda apud Catholicos nihil prohibebat. Cum inquiritur vera religio, sumendum exordium a catholica Ecclesia.* Sed nunc quod institui peragam, si possum, et sic apud te agam, ut fidem catholicam non interim aperiam, sed ad scrutanda ejus magna mysteria, eis quorum animæ sibi curæ sunt, spem divini fructus et inveniendæ veritatis ostendam. Nemo dubitat eum qui veram religionem requirit, aut jam credere immortalem esse animam cui prosit illa religio, aut etiam idipsum in eadem religione velle invenire. Animæ igitur causa omnis religio : nam corporis natura quoquo modo se habeat, nullam curam ac sollicitudinem incutit ei, præsertim post mortem, cujus anima tenuerit quo beata sit. Animæ igitur causa vel solius vel maxime vera, si qua est, religio constituta est. Hæc autem anima, videro quam ob causam, et obscurissimum esse confiteor, errat tamen ac stulta est, ut videmus, donec adipiscatur percipiatque sapientiam, et fortasse ipsa est vera religio. Num te ad fabulas mitto ? num aliquid cogo te temere credere ? Animam nostram dico errore ac stultitia irretitam et demersam, viam, si qua est, quærere veritatis. Si hoc in te non est, da veniam, et participare mecum, quæso, sapientiam tuam : sin id quod dico agnoscis in te, simul, obsecro, quæramus verum.

15. Puta nos adhuc neminem audisse cujuspiam religionis insinuatorem. Ecce res nova est a nobis negotiumque susceptum. Quærendi sunt, credo, hujus rei, si ulla est [1], professores. Fac nos reperisse alios aliud opinantes, et diversitate opinionum ad se quemque trahere cupientes ; sed inter hos excellere famæ interim celebritate quosdam, atque omnium pene occupatione populorum. Utrum isti verum teneant, magna quæstio est : sed nonne prius sunt explorandi, ut quamdiu erramus, si quidem homines sumus, cum ipso genere humano errare videamur ?

16. At enim apud paucos quosdam est veritas. Scis ergo jam quæ sit, si scis apud quos sit. Nonne diceram paulo ante, ut quasi rudes quæreremus ? Sed si ex ipsa vi veritatis paucos eam tenere conjectas, qui vero sint, nescis ; quid si ita pauci sunt qui verum sciunt, ut auctoritate sua multitudinem teneant, unde se in illa secreta expedire et quasi eliquare paucitas possit ? Nonne videmus quam pauci summam eloquentiam consequantur, cum per totum orbem rhetorum scholæ adolescentium gregibus perstrepant ? Numquidnam imperitorum perterriti multitudine, quicumque boni oratores evadere volunt, Cæcilii sibi potius, aut Erucii orationibus, quam Tullianis navandam operam existimant ? Hæc appetunt omnes, quæ majorum auctoritate firmata sunt. Eadem imperitorum turbæ discere moliuntur, quæ a paucis doctis discenda recepta sunt : assequuntur autem perpauci, agunt pauciores, clarescunt paucissimi. Quid, si tale quiddam est vera religio ? Quid, si multitudo imperitorum frequentat ecclesias, sed nullum argumentum est, ideo neminem illis mysteriis factum esse perfectum ? Et tamen si tam pauci studerent eloquentiæ, quam pauci sunt eloquentes, nunquam nos parentes nostri magistris talibus commendandos putarent. Cum igitur ad hæc studia nos multitudo invitaverit, quæ imperitorum parte copiosa est, ut id quod pauci adipisci possunt adamaremus ; cur nobis esse similem in religione nolumus causam, quam cum magno animæ discrimine fortasse contemnimus ? Si enim verissimus et sincerissimus Dei cultus, quamvis sit apud paucos, apud eos tamen est quibus multitudo, quanquam cupiditatibus involuta et a puritate intelligentiæ remota, consentit ; quod fieri posse quis dubitet ? quæro, si quis temeritatem vecordiamque nostram arguat, quod non apud ejus magistros eam diligenter investigamus, cujus inveniendæ nobis magna cura inest, quid respondere possimus ? Deterruit me multitudo ? Cur ab studio artium liberalium, vix huic præsenti vitæ aliquid commodi afferentium ; cur ab inquirenda pecunia ; cur ab honore adipiscendo ; cur denique a comparanda et retinenda bona valetudine, postremo cur ab ipsa beatæ vitæ appetitione ; cum his omnes occupentur, pauci excellant, nulla deterruit multitudo ?

[1] Sola editio Lovaniensium, *si nulla est*. Merdose.

17. At absurda ibi dici videbantur. Quibus asserentibus? Nempe inimicis, qualibet causa, qualibet ratione, non enim hoc nunc quæritur, tamen inimicis. Cum legerem, per me ipse cognovi. Itane est? Nulla imbutus poetica disciplina Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes; Asper, Cornutus, Donatus et alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet poeta possit intelligi, cujus carmina et theatri plausus videntur captare: tu in eos Libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen divinarumque rerum pleni, prope totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, et de his sine præceptore audes ferre sententiam; nec si tibi aliqua occurrunt quæ videantur absurda, tarditatem tuam et putrefactum tabe hujus mundi animum, qualis omnium stultorum est, accusas potius, quam eos qui fortasse a talibus intelligi nequeunt! Quæreres aliquem pium simul et doctum, vel qui talis esse multis consentientibus diceretur, cujus et præceptis melior et doctrina peritior fieres. Non facile reperiebatur? Cum labore investigaretur. Deerat in ea terra quam incolebas? Quæ causa utilius cogeret peregrinari? In continenti prorsus latebat, aut non erat? Navigaretur. Si in propinquo trans mare non inveniebatur, progredereris usque ad illas terras, in quibus ea quæ illis Libris continentur, gesta esse dicuntur. Quid tale fecimus, Honorate? Et tamen religionem fortasse sanctissimam (adhuc enim quasi dubitandum sit loquor), cujus opinio totum jam terrarum orbem occupavit, miserrimi pueri pro nostro arbitrio judicioque damnavimus. Quid, si illa quæ nonnullos imperitos in eisdem Scripturis videntur offendere, eo sunt ita posita, ut cum res abhorrentes a sensu qualiumcumque hominum, nedum prudentium atque sanctorum, legerentur, secretam significationem multo studiosius quæreremus? Nonne cernis, ut Catamitum Bucolicorum [1], cui pastor durus effluxit, conentur homines interpretari, et Alexim puerum, in quem Plato etiam carmen amatorium fecisse dicitur, nescio quid magnum significare, sed imperitorum judicium fugere affirment; cum sine ullo sacrilegio poeta uberrimus videri possit libidinosas cantiunculas edidisse?

18. Sed revera revocabat nos atque prohibebat a quærendo, aut alicujus legis sanctio, aut adversantium potentia, aut sacratorum [2] persona vilis, aut fama turpis, aut institutionis novitas, aut occulta professio? Nihil horum est. Omnia divina et humana jura permittunt quærere catholicam fidem; tenere autem et colere, per humanum certe jus licet, si de divino quamdiu erramus, incertum est: nemo imbecillitatem nostram terret inimicus (quanquam veritas atque animæ salus si diligenter quæsita, ubi tutissime licet, inventa non fuerit, cum quovis discrimine quæri debeat); omnium dignitatum et potestatum gradus, huic divino cultui devotissime inserviunt; honestissimum est religionis nomen, et præclarissimum. Quid impedit tandem perscrutari atque discutere pia et sedula investigatione, utrum hic sit illud quod sincerissime nosse et custodire paucos necesse est, etiamsi omnium in id gentium voluntas favorque conspiret?

19. Quæ cum ita sint, fac nos, ut dixi, nunc primum quærere cuinam religioni animas nostras purgandas instaurandasque tradamus: procul dubio a catholica Ecclesia sumendum exordium. Plures enim jam Christiani sunt, quam si Judæi simulacrorum cultoribus adjungantur. Eorumdem autem Christianorum, cum sint hæreses plures, atque omnes se catholicos velint videri, aliosque præter se hæreticos nominent, una est Ecclesia, ut omnes concedunt; si totum orbem consideres, refertior multitudine; ut autem qui noverunt affirmant, etiam veritate sincerior cæteris omnibus. Sed de veritate alia quæstio est: quod autem quærentibus satis est, una est Catholica, cui hæreses aliæ diversa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ propriis vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur, judicantibus arbitris quos nulla impedit gratia, cui sit [1] catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum. Sed ne id loquacissime aut supervacuo quispiam disserendum putet, una est certe, in qua ipsæ quodam modo etiam humanæ leges christianæ sunt. Nullum ego hinc præjudicium fieri volo, sed exordium quærendi opportunissimum judico. Non enim metuendum est ne verus Dei cultus nullo proprio robore innixus, ab eis quos fulcire debeat, fulciendus esse videatur: sed certe perfectæ felicitatis est, si potuerit ibi verum inveniri, ubi et inquisitio ejus et retentio securissima est: si non potuerit, tum demum alio, quocumque periculo, adeundum atque rimandum.

CAPUT VIII. — 20. *Qua Augustinus via venerit ad catholicam religionem.* His igitur constitutis, quæ, ut opinor, ita justa sunt, ut obtinere apud te istam causam quovis adversario debeam, edam tibi, ut possum, cujusmodi viam usus fuerim, cum eo animo quærerem veram religionem, quo nunc exposui esse quærendam. Ut enim a vobis trans mare abscessi, jam cunctabundus atque hæsitans, quid mihi tenendum, quid dimittendum esset: quæ mihi cunctatio in dies major oboriebatur, ex quo illum hominem (*a*), cujus nobis adventus, ut nosti, ad explicanda omnia quæ nos movebant, quasi de cœlo promittebatur, audivi; eumque, excepta quadam eloquentia, talem quales cæteros esse cognovi: rationem ipse mecum habui magnamque deliberationem jam in Italia constitutus, non utrum manerem in illa secta, in quam me incidisse pœnitebat, sed quonam modo verum inveniendum esset, in cujus amorem suspiria mea nulli melius quam tibi nota sunt. Sæpe mihi videbatur non posse inveniri, magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum suffragium ferebantur.

[1] Editi, *Catamitum Bucolicum*. At Mss., *Catamitum Bucolicorum*. Catamitus hic, quo nomine puer meritorius vocatur, intelligendus ipse Alexis puer, de quo Virgilius in Bucolicis, Eclog. 2.

[2] Unus Michaelinus codex, *sectatorum*.

[1] Nonnulli Mss., *quod ei sit*.

(*a*) Faustum, ex lib. 5 Confess., cap. 6.

Sæpe rursus intuens, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quærendi modus lateret, eumdemque ipsum modum ab aliqua divina auctoritate esse sumendum. Restabat quærere quænam illa esset auctoritas, cum in tantis dissensionibus se quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis silva, cui demum inseri multum pigebat : atque inter hæc sine ulla requie, cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Dissuebam me tamen magis magisque ab istis, quos jam deserere proposueram. Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam lacrymosis et miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer. Atque id sedulo faciebam : et jam fere me commoverant nonnullæ disputationes Mediolanensis episcopi (*a*), ut non sine spe aliqua de ipso Vetere Testamento multa quærere cuperem, quæ, ut scis, male nobis commendata exsecrabamur. Decreveramque tamdiu esse catechumenus in Ecclesia, cui traditus a parentibus eram, donec aut invenirem quod vellem, aut mihi persuaderem non esse quærendum. Opportunissimum ergo me ac valde docilem tunc invenire posset, si fuisset qui posset docere. Hoc ergo modo et simili animæ tuæ cura si [1] diu te quoque affectum vides, et si jam satis tibi jactatus videris, finemque hujusmodi laboribus vis imponere; sequere viam catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos usque manavit, et ab hinc ad posteros manatura est.

CAPUT IX. — 21. *Catholica Ecclesia venientibus præcipit fidem ; hæretici promittunt rationem. Nihil vitii esse in fide, atque inter credentem et credulum (quod nomen culpæ datur) plurimum interesse.* Ridiculum, inquis, istud est, cum omnes hanc se profiteantur tenere, ac docere. Profitentur hoc omnes hæretici, negare non possum ; sed ita ut eis quos illectant, rationem se de obscurissimis rebus polliceantur reddituros : eoque Catholicam maxime criminantur, quod illis qui ad eam veniunt præcipitur ut credant; se autem non jugum credendi imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur. Quid, inquis, dici potuit, quod ad eorum laudem magis pertineret [2]? Non ita est. Hoc enim faciunt nullo robore præditi, sed ut aliquam concilient multitudinem nomine rationis : qua promissa naturaliter anima gaudet humana, nec vires suas valetudinemque considerans, sanorum escas appetendo, quæ male committuntur nisi valentibus, irruit in venena fallentium. Nam vera religio, nisi credantur ea quæ quisque postea, si se bene gesserit dignusque fuerit, assequatur atque percipiat, et omnino sine [3] quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest.

22. Sed quæris fortasse vel de hoc ipso aliquam accipere rationem, qua tibi persuadeatur, non prius ratione quam fide te esse docendum. Quod facile potest, si modo æquum te præbeas. Sed ut commode fiat, volo quasi respondeas interroganti : et primo dicas mihi, quare tibi videatur non esse credendum. Quod ipsa, inquis, credulitas, a qua crédüli nominantur, vitium quoddam mihi videtur esse : alioquin hoc nomen non pro convicio objectare soleremus. Nam si suspiciosus in vitio est, eo quod non comperta suspicatur ; quanto magis credulus, qui hoc a suspicioso differt, quod ille incognitis aliquam, iste nullam tribuit dubitationem. Interim accipio hanc opinionem ac distinctionem. Sed scis etiam curiosum non nos solere appellare sine convicio ; studiosum vero etiam cum laude. Quamobrem attende, si placet, etiam inter hæc duo quid tibi distare videatur. Id certe respondes, quod quamvis uterque agatur magna cupiditate noscendi, curiosus tamen ea requirit quæ nihil ad se attinent ; studiosus autem contra, quæ ad sese attinent requirit. Sed quia non negamus ad hominem pertinere conjugem ac liberos et eorum salutem ; si quispiam peregre positus, quemadmodum valeant ac sese agant sua conjux ac liberi, omnes advenientes sedulo percontetur, magna utique ducitur cupiditate noscendi : et tamen hunc studiosum non vocamus, qui et magnopere scire vult, et ea quæ ad se maxime pertinent. Quare jam intelligis eo vacillare istam definitionem studiosi, quod omnis quidem studiosus ea nosse vult quæ ad se pertinent, non tamen omnis qui id agit studiosus vocandus est ; sed is qui ea quæ ad animum nutriendum liberaliter atque ornandum pertinent, impensissime requirit : tamen studentem recte appellamus [1], præsertim addentes quid studeat audire. Nam etiam suorum studiosum possumus appellare, si suos tantum diligit : non tamen adjunctione nulla, communi nomine studiosorum dignum putamus. Audiendi autem cupidum quemadmodum se sui haberent, non appellarem studiosum audiendi, nisi gaudens fama bona idipsum sæpe vellet audire : studentem vero, etiamsi semel. Refer nunc animum ad curiosum, et dic mihi, utrum si quis fabellam libenter audiret, nihil sibi omnino profuturam, id est, rerum ad se non pertinentium ; neque id odiose [2] atque crebro, sed rarissime ac modestissime, vel in convivio, vel in aliquo circulo, ullove consessu ; videretur tibi curiosus ? Non opinor : sed certe habens illius rei curam, quam libenter audiret, profecto videretur. Quapropter etiam curiosi definitio ea regula, qua studiosi, emendanda est. Vide igitur utrum et illa superiora emendanda sint. Cur enim non et suspiciosi nomine indignus sit, qui aliquando aliquid suspicatur; et creduli, qui aliquando aliquid credit? Itaque ut inter studentem alicujus rei et omnino studiosum, rursumque inter curam habentem atque curiosum : ita inter credentem et credulum plurimum interest.

[1] Editio Lov. omittit, *si* ; cujus loco Er. et Mss. habent, *sit*.

[2] Omnes Mss., *maxime pertineret*.

[3] Editi, *percipiat, omnino sine* ; omisso, *et*, quod restituitur ex Mss.

(*a*) Ambrosii. Vid. lib. 5 Confess., capp. 13, 14.

[1] Editi vitiose ferebant, *impensissime requiri, cum studentem recte appellamus*. Emendantur ex Mss.

[2] Quidam Mss., *otiose*.

CAPUT X.— 23. *Turpe non esse credere in religione. Rationi percipiendæ idonei perpauci : via ad religionem tutior et tenenda ab omnibus, fides.* Sed nunc vide, inquies, utrum in religione credere debeamus. Neque enim si concedimus aliud esse credere, aliud credulum esse, sequitur ut nulla culpa sit in religionibus credere. Quid enim, si et credere et credulum esse vitiosum est, quemadmodum et ebrium et ebriosum esse? quod qui certum existimat, nullum mihi habere posse amicum videtur. Si enim turpe est aliquid credere, aut turpiter facit qui amico credit, aut nihil amico credens quomodo amicum vel ipsum vel se appellet non video. Hic fortasse dicas : Concedo aliquid aliquando esse credendum ; nunc expedi quomodo in religione turpe non sit credere, antequam scire. Faciam, si potero. Quocirca ex te quæro quid existimes in graviore culpa esse, religionem tradere indigno, an id quod ab eis qui illam tradunt dicitur, credere. Si quem dicam indignum, non intelligis : eum dico, qui ficto pectore accedit. Concedis, ut arbitror, magis culpandum esse, tali homini pandere si qua sunt sancta secreta, quam religiosis viris de ipsa religione aliquid affirmantibus credere. Neque enim te aliud respondere decuerit. Quare nunc fac putes eum adesse, qui tibi religionem sit traditurus : quoniam modo illi fidem facturus es, vero animo te accedere, neque quidquam in te, quod ad hanc rem attinet, doli atque simulationis esse? Dices, bona tua conscientia nihil te fingere, quantis poteris idipsum asserens verbis, sed tamen verbis. Non enim animi tui latebras, ita ut intime sciaris, homo homini aperire possis [1]. At ille si dixerit, Ecce credo tibi ; sed nonne est æquius ut etiam tu credas mihi, cum tu beneficium, si aliquid veri teneo, sis accepturus, daturus ego? quid respondebis, nisi esse credendum?

24. Sed, inquis, nonne erat melius, rationem mihi redderes [2], ut ea quocumque me duceret, sine ulla sequerer temeritate? Erat fortasse : sed cum res tanta sit, ut Deus tibi ratione cognoscendus sit, omnesne putas idoneos esse percipiendis rationibus, quibus ad divinam intelligentiam mens ducitur humana, an plures, an paucos? Paucos, ais, existimo. Horumne in numero esse te credis? Non est meum, inquis, hoc respondere. Illius ergo putas, etiam hoc tibi credere : quod quidem facit. Tu tantum memento, jam eum bis credidisse tibi incerta dicenti ; te illi religiose admonenti ne semel quidem velle credere. Verum fac ita esse, et vero animo te ad accipiendam religionem accedere, et ita paucorum te esse hominum, ut rationes quibus ad certam cognitionem vis divina perducitur, capere possis : quid, cæteris hominibus, qui tam sereno ingenio præditi non sunt, negandam religionem putas? An eos pedetentim quibusdam gradibus ad illa summa penetralia esse ducendos? Vides plane quid sit religiosius. Neque enim tibi quivis homo in rei tantæ cupiditate ullo modo deserendus aut respuendus videri potest. Sed nonne censes, nisi primo credat se ad id quod instituit perventurum, mentemque supplicem [1] præbeat, et quibusdam magnis necessariisque præceptis obtemperans quadam vitæ actione perpurget [2], non cum esse aliter illa quæ pure vera sunt adepturum? Censes profecto. Quid ergo istis, quorum de genere te esse jam credo, qui facillime divina secreta ratione certa capere possunt, si hac via veniant, qua illi qui primitus credunt, numquid tandem oberit? Non arbitror. Sed tamen, ais, quid eos morari opus est? Quia etsi facto sibi nihil nocebunt, nocebunt tamen exemplo cæteris. Vix enim est qui de se tantum sentiat, quantum potest : sed qui minus, excitandus est ; qui amplius, reprimendus ; ut neque ille desperatione frangatur, neque iste præcipitetur audacia. Quod facile fit, si etiam ii qui valent volare, ne cui sint periculoso invitamento, paulisper cogantur incedere qua etiam cæteris tutum est. Hæc est providentia veræ religionis ; hoc jussum divinitus, hoc a beatis majoribus traditum, hoc ad nos usque servatum ; hoc perturbare velle atque pervertere, nihil est aliud quam ad veram religionem sacrilegam viam quærere. Quod qui faciunt, nec si eis concedatur quod volunt, possunt quo intendunt pervenire. Cujusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt [3]. Tunc autem adest, si societatis humanæ in Deum tendentibus cura sit. Quo gradu nihil firmius in cœlum reperiri potest. Ego quidem huic rationi non possum resistere ; nam nihil sine cognitione esse credendum, qui possum dicere? cum et amicitia, nisi aliquid credatur quod certa ratione demonstrari non potest, omnino nulla sit, et sæpe dispensatoribus servis sine ulla culpa dominorum credatur. In religione vero quid iniquius fieri potest, quam ut Dei antistites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus credere? Postremo quæ potest esse via salubrior, quam idoneum primo fieri percipiendæ veritatis, adhibendo iis fidem, quæ ad præcolendum et ad præcurandum animum sunt divinitus constituta? aut si jam prorsus idoneus sis, circuire potius aliquantum qua tutissimum est ingredi, quam et tibi esse auctorem periculi, et cæteris temeritatis exemplum?

CAPUT XI. — 25. *Credentes ab opinantium temeritate quomodo alieni. Intelligere, credere, opinari.* Quare jam superest ut consideremus, quo pacto hi sequendi non sint, qui se pollicentur ratione ducturos. Nam quomodo sine culpa possimus sequi eos qui credere jubent, jam dictum est : ad hos autem sponsores rationis, non modo sine vituperatione, sed etiam cum aliqua laude se venire nonnulli putant : sed non ita est. Duæ enim personæ in religione sunt laudabiles : una eorum qui jam invenerunt, quos etiam beatissimos judicare necesse est ; alia eorum

[1] In B, *possit*. Er. Lugd. Ven. Lov. *seculi sumus*. M.
[2] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *reddere*. M.

[1] In quatuor Mss., *simplicem*.
[2] Editi, *perpurgetur*. At Mss., *perpurget*.
[3] Veteres libri constanter, *humo repunt*.

Sæpe rursus intuear, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quærendi modus lateret, eumdemque ipsum modum ab aliqua divina auctoritate esse sumendum. Restabat quærere quænam illa esset auctoritas, cum in tantis dissensionibus se quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis silva, cui demum inseri multum pigebat : atque inter hæc sine ulla requie, cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Dissuebam me tamen magis magisque ab istis, quos jam deserere proposueram. Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam lacrymosis et miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer. Atque id sedulo faciebam : et jam fere me commoverant nonnullæ disputationes Mediolanensis episcopi (*a*), ut non sine spe aliqua de ipso Vetere Testamento multa quærere cuperem, quæ, ut scis, male nobis commendata exsecrabamur. Decreveramque tamdiu esse catechumenus in Ecclesia, cui traditus a parentibus eram, donec aut invenirem quod vellem, aut mihi persuaderem non esse quærendum. Opportunissimum ergo me ac valde docilem tunc invenire posset, si fuisset qui posset docere. Hoc ergo modo et simili animæ tuæ cura si [1] diu te quoque affectum vides, et si jam satis tibi jactatus videris, finemque hujusmodi laboribus vis imponere; sequere viam catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos usque manavit, et ab hinc ad posteros manatura est.

CAPUT IX. — 21. *Catholica Ecclesia venientibus præcipit fidem ; hæretici promittunt rationem. Nihil vitii esse in fide, atque inter credentem et credulum (quod nomen culpæ datur) plurimum interesse.* Ridiculum, inquis, istud est, cum omnes hanc se profiteantur tenere, ac docere. Profitentur hoc omnes hæretici, negare non possum ; sed ita ut eis quos illectant, rationem se de obscurissimis rebus polliceantur reddituros : eoque Catholicam maxime criminantur, quod illis qui ad eam veniunt præcipitur ut credant ; se autem non jugum credendi imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur. Quid, inquis, dici potuit, quod ad eorum laudem magis pertineret [2] ? Non ita est. Hoc enim faciunt nullo robore præditi, sed ut aliquam concilient multitudinem nomine rationis : qua promissa naturaliter anima gaudet humana, nec vires suas valetudinemque considerans, sanorum escas appetendo, quæ male committuntur nisi valentibus, irruit in venena fallentium. Nam vera religio, nisi credantur ea quæ quisque postea, si se bene gesserit dignusque fuerit, assequatur atque percipiat, et omnino sine [3] quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest.

22. Sed quæris fortasse vel de hoc ipso aliquam accipere rationem, qua tibi persuadeatur, non prius ratione quam fide te esse docendum. Quod facile potest, si modo æquum te præbeas. Sed ut commode fiat, volo quasi respondeas interroganti : et primo dicas mihi, quare tibi videatur non esse credendum. Quod ipsa, inquis, credulitas, a qua credùli nominantur, vitium quoddam mihi videtur esse : alioquin hoc nomen non pro convicio objectare soleremus. Nam si suspiciosus in vitio est, eo quod non comperta suspicatur ; quanto magis credulus, qui hoc a suspicioso differt, quod ille incognitis aliquam, iste nullam tribuit dubitationem. Interim accipio hanc opinionem ac distinctionem. Sed scis etiam curiosum non nos solere appellare sine convicio ; studiosum vero etiam cum laude. Quamobrem attende, si placet, etiam inter hæc duo quid tibi distare videatur. Id certe respondes, quod quamvis uterque agatur magna cupiditate noscendi, curiosus tamen ea requirit quæ nihil ad se attinent ; studiosus autem contra, quæ ad sese attinent requirit. Sed quia non negamus ad hominem pertinere conjugem ac liberos et eorum salutem ; si quispiam peregre positus, quemadmodum valeant ac sese agant sua conjux ac liberi, omnes advenientes sedulo percontetur, magna utique ducitur cupiditate noscendi : et tamen hunc studiosum non vocamus, qui et magnopere scire vult, et ea quæ ad se maxime pertinent. Quare jam intelligis eo vacillare istam definitionem studiosi, quod omnis quidem studiosus ea nosse vult quæ ad se pertinent, non tamen omnis qui id agit studiosus vocandus est ; sed is qui ea quæ ad animum nutriendum liberaliter atque ornandum pertinent, impensissime requirit : tamen studentem recte appellamus [1], præsertim addentes quid studeat audire. Nam etiam suorum studiosum possumus appellare, si suos tantum diligit : non tamen adjunctione nulla, communi nomine studiosorum dignum putamus. Audiendi autem cupidum quemadmodum se sui haberent, non appellarem studiosum audiendi, nisi gaudens fama bona idipsum sæpe vellet audire : studentem vero, etiamsi semel. Refer nunc animum ad curiosum, et dic mihi, utrum si quis fabellam libenter audiret, nihil sibi omnino profuturam, id est, rerum ad se non pertinentium ; neque id odiose [2] atque crebro, sed rarissime ac modestissime, vel in convivio, vel in aliquo circulo, ullove consessu ; videreturne tibi curiosus ? Non opinor : sed certe habens illius rei curam, quam libenter audiret, profecto videretur. Quapropter etiam curiosi definitio ea regula, qua studiosi, emendanda est. Vide igitur utrum et illa superiora emendanda sint. Cur enim non et suspiciosi nomine indignus sit, qui aliquando aliquid suspicatur ; et creduli, qui aliquando aliquid credit ? Itaque ut inter studentem alicujus rei et omnino studiosum, rursumque inter curam habentem atque curiosum : ita inter credentem et credulum plurimum interest.

[1] Editio Lov. omittit, *si* ; cujus loco Er. et Mss. habent, *ut*.
[2] Omnes Mss., *maxime pertineret*.
[3] Editi, *percipiat, omnino sine* ; omisso, *et*, quod restituitur ex Mss.

(*a*) Ambrosii. Vid. lib. 5 Confess., capp. 13, 14.

[1] Editi vitiose ferebant, *impensissime requirit, eum studentem recte appellamus*. Emendantur ex Mss.
[2] Quidam Mss., *otiose*.

CAPUT X.— 23. *Turpe non esse credere in religione. Rationi percipiendæ idonei perpauci : via ad religionem tutior et tenenda ab omnibus, fides.* Sed nunc vide, inquies, utrum in religione credere debeamus. Neque enim si concedimus aliud esse credere, aliud credulum esse, sequitur ut nulla culpa sit in religionibus credere. Quid enim, si et credere et credulum esse vitiosum est, quemadmodum et ebrium et ebriosum esse? quod qui certum existimat, nullum mihi habere posse amicum videtur. Si enim turpe est aliquid credere, aut turpiter facit qui amico credit, aut nihil amico credens quomodo amicum vel ipsum vel se appellet non video. Hic fortasse dicas : Concedo aliquid aliquando esse credendum ; nunc expedi quomodo in religione turpe non sit credere, antequam scire. Faciam, si potero. Quocirca ex te quæro quid existimes in graviore culpa esse, religionem tradere indigno, an id quod ab eis qui illam tradunt dicitur, credere. Si quem dicam indignum, non intelligis : eum dico, qui ficto pectore accedit. Concedis, ut arbitror, magis culpandum esse, tali homini pandere si qua sunt sancta secreta, quam religiosis viris de ipsa religione aliquid affirmantibus credere. Neque enim te aliud respondere decuerit. Quare nunc fac putes eum adesse, qui tibi religionem sit traditurus : quonam modo illi fidem facturus es, vero animo te accedere, neque quidquam in te, quod ad hanc rem attinet, doli atque simulationis esse? Dices, bona tua conscientia nihil te fingere, quantis poteris idipsum asserens verbis, sed tamen verbis. Non enim animi tui latebras, ita ut intime sciaris, homo homini aperire possis [1]. At ille si dixerit, Ecce credo tibi ; sed nonne est æquius ut etiam tu credas mihi, cum tu beneficium, si aliquid veri teneo, sis accepturus, daturus ego? quid respondebis, nisi esse credendum?

24. Sed, inquis, nonne erat melius, rationem mihi redderes [2], ut ea quocumque me duceret, sine ulla sequerer temeritate? Erat fortasse : sed cum res tanta sit, ut Deus tibi ratione cognoscendus sit, omnesne putas idoneos esse percipiendis rationibus, quibus ad divinam intelligentiam mens ducitur humana, an plures, an paucos? Paucos, ais, existimo. Horumne in numero esse te credis? Non est meum, inquis, hoc respondere. Illius ergo putas, etiam hoc tibi credere : quod quidem facit. Tu tantum memento, jam eum bis credidisse tibi incerta dicenti ; te illi religiose admonenti ne semel quidem velle credere. Verum fac ita esse, et vero animo te ad accipiendam religionem accedere, et ita paucorum te esse hominum, ut rationes quibus ad certam cognitionem vis divina perducitur, capere possis : quid, cæteris hominibus, qui tam sereno ingenio præditi non sunt, negandam religionem putas? An eos pedetentim quibusdam gradibus ad illa summa penetralia esse ducendos? Vides plane quid sit religiosius. Neque enim tibi quivis homo in rei tantæ cupiditate ullo modo descrendus aut respuendus videri potest. Sed nonne censes, nisi primo credat se ad id quod instituit perventurum, mentemque supplicem [1] præbeat, et quibusdam magnis necessariisque præceptis obtemperans quadam vitæ actione perpurget [2], non cum esse aliter illa quæ pure vera sunt adepturum? Censes profecto. Quid ergo istis, quorum de genere te esse jam credo, qui facillime divina secreta ratione certa capere possunt, si hac via veniant, qua illi qui primitus credunt, numquid tandem oberit? Non arbitror. Sed tamen, ais, quid eos morari opus est? Quia etsi facto sibi nihil nocebunt, nocebunt tamen exemplo cæteris. Vix enim est qui de se tantum sentiat, quantum potest : sed qui minus, excitandus est ; qui amplius, reprimendus ; ut neque ille desperatione frangatur, neque iste præcipitetur audacia. Quod facile fit, si etiam ii qui valent volare, ne cui sint periculoso invitamento, paulisper cogantur incedere qua etiam cæteris tutum est. Hæc est providentia veræ religionis ; hoc jussum divinitus, hoc a beatis majoribus traditum, hoc ad nos usque servatum ; hoc perturbare velle atque pervertere, nihil est aliud quam ad veram religionem sacrilegam viam quærere. Quod qui faciunt, nec si eis concedatur quod volunt, possunt quo intendunt pervenire. Cujusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt [3]. Tunc autem adest, si societatis humanæ in Deum tendentibus cura sit. Quo gradu nihil firmius in cœlum reperiri potest. Ego quidem huic rationi non possum resistere ; nam nihil sine cognitione esse credendum, qui possum dicere? cum et amicitia, nisi aliquid credatur quod certa ratione demonstrari non potest, omnino nulla sit, et sæpe dispensatoribus servis sine ulla culpa dominorum credatur. In religione vero quid iniquius fieri potest, quam ut Dei antistites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus credere? Postremo quæ potest esse via salubrior, quam idoneum primo fieri percipiendæ veritatis, adhibendo iis fidem, quæ ad præcolendum et ad præcurandum animum sunt divinitus constituta? aut si jam prorsus idoneus sis, circuire potius aliquantum qua tutissimum est ingredi, quam et tibi esse auctorem periculi, et cæteris temeritatis exemplum?

CAPUT XI. — 25. *Credentes ab opinantium temeritate quomodo alieni. Intelligere, credere, opinari.* Quare jam superest ut consideremus, quo pacto hi sequendi non sint, qui se pollicentur ratione ducturos. Nam quomodo sine culpa possimus sequi eos qui credere jubent, jam dictum est : ad hos autem sponsores rationis, non modo sine vituperatione, sed etiam cum aliqua laude se venire nonnulli putant : sed non ita est. Duæ enim personæ in religione sunt laudabiles : una eorum qui jam invenerunt, quos etiam beatissimos judicare necesse est ; alia eorum

[1] In B, *possit*. Er. Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.
[2] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *reddere*. M.

[1] In quatuor Mss., *simplicem*.
[2] Editi, *perpurgetur*. At Mss., *perpurget*.
[3] Veteres libri constanter, *humo repunt*.

qui studiosissime et rectissime inquirunt. Primi ergo sunt jam [1] in ipsa possessione, alteri in via, qua tamen certissime pervenitur (*a*). Tria sunt alia hominum genera, profecto improbanda ac detestanda. Unum est opinantium, id est, eorum qui se arbitrantur scire quod nesciunt. Alterum eorum qui sentiunt quidem se nescire, sed non ita quærunt, ut invenire possint. Tertium eorum qui neque se scire existimant, nec quærere volunt. Tria sunt item velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima; intelligere, credere, opinari. Quæ si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est; secundum, aliquando cum vitio; tertium, nunquam sine vitio [2]. Nam intelligere magna et honesta vel etiam divina, beatissimum est (*b*). Intelligere autem superflua, nihil nocet; sed fortasse discere nocuit, cum tempus necessariorum occuparent. Ipsa etiam noxia, non intelligere, sed facere aut pati, miserum est. Non enim si quis intelligat quomodo possit inimicus sine suo periculo occidi, intelligentia ipsa, ac non cupiditate reus est : quæ si absit, quid innocentius dici potest? Credere autem tunc est culpandum, cum vel de Deo indignum aliquid creditur, vel de homine facile creditur. In cæteris vero rebus si quis quid credit, si se id nescire intelligat, nulla culpa est. Credo enim sceleratissimos conjuratos virtute Ciceronis quondam interfectos : atqui id non solum nescio, sed etiam nullo pacto me scire posse, certo scio. Opinari autem, duas ob res turpissimum est : quod et discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modo illud disci potest; et per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est. Nam etiamsi hoc ipsum quod de Cicerone dixi, scire se quisquam arbitratur, quanquam nihil eum impediat a discendo, quia res ipsa nulla scientia teneri potest : tamen quod non intelligit multum interesse, utrum aliquid mentis certa ratione teneatur [3], quod intelligere dicimus, an famæ vel litteris credendum posteris utiliter commendetur; profecto errat, neque quisquam error turpitudine caret. Quod intelligimus igitur, debemus rationi : quod credimus, auctoritati (*c*) : quod opinamur, errori. Sed intelligens omnis etiam credit, credit omnis et qui opinatur : non omnis qui credit intelligit; nullus qui opinatur intelligit. Hæc ergo tria si ad illa quinque hominum genera, quæ paulo ante commemoravimus, referantur; id est, duo probanda quæ priora posuimus, et tria reliqua vitiosa : invenimus primum beatorum genus ipsi veritati credere; secundum autem studiosorum amatorumque veritatis, auctoritati. In quibus duorum [4] generibus laudabiliter creditur. In primo autem vitiosorum, id est, eorum qui opinantur se scire quod nesciant, est profecto vitiosa credulitas. Cætera duo improbanda genera nihil credunt, et illi qui verum quærunt cum desperatione inveniendi, et illi qui omnino non quærunt. Et hoc duntaxat in rebus ad aliquam pertinentibus disciplinam. Nam in alio vitæ actu, prorsus nescio quo pacto possit homo nihil credere. Quanquam in illis etiam qui se in agendo probabilia sequi dicunt, scire potius nihil posse, quam nihil credere, volunt videri. Quis enim quod probat non credit? aut quomodo est illud quod sequuntur, si non probatur, probabile? Quare duo genera possunt esse adversantium veritati : unum eorum qui scientiam tantum oppugnant, non fidem : alterum eorum qui utrumque condemnant; qui tamen utrum in rebus humanis inveniri possint, rursus ignoro. Hæc dicta sunt, ut intelligeremus nos retenta fide, illarum etiam rerum quas nondum comprehendimus, a temeritate opinantium vindicari. Nam qui dicunt nihil esse credendum nisi quod scimus, id unum cavent nomen opinationis, quod fatendum est turpe ac miserrimum : sed si diligenter considerent [5] plurimum interesse, utrum se scire quis putet, an quod nescire se intelligit, credat aliqua auctoritate commotus; profecto erroris et inhumanitatis atque superbiæ crimen vitabit.

CAPUT XII. — 26. *Credere in multis quam necessarium ad humanam societatem. Tutissimum obtemperare sapientibus.* Quæro enim, si quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant. Non enim ratione ullo pacto sciri potest : sed interposita matris auctoritate de patre creditur; de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest, aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, et sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim non videat pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Quis contra non exterminandum judicaverit, qui veros fortasse parentes minime dilexerit, dum ne falsos diligat metuit? Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum.

27. Sed nunc accipe, quod jam facilius me tibi persuasurum esse confido. Cum de religione, id est, cum de colendo atque intelligendo Deo agitur, ii minus sequendi sunt, qui nos credere vetant, rationem promptissime pollicentes. Nam nemini dubium est, omnes homines aut stultos, aut sapientes esse (*a*). Nunc autem sapientes voco, non cordatos et ingeniosos homines; sed eos quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis Deique firmissime percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque

[1] Sic Mss. At editi, *sunt etiam*.
[2] Editi, post, *nunquam sine vitio*, addunt : *et hoc ad eamdem beati udinem referre debemus. In hac enim vita quantumcumque id sciatur*, etc. Retractatio ipsa est subsequentis sententiæ huc a librariis translata.
[3] Plerique Mss., *menti certa ratione videatur*.
[4] Sic Mss. Editi vero, *in quibus duobus*.
(*a*) I Retract., cap. 14, n. 2.
(*b*) Ibid.
(*c*) Ibid. n. 3.

[5] Sola editio Lov., *sed si quis consideret*.
(*a*) I Retract., cap. 14, n. 4.

congruentes : ceteros autem, cujusque modi artibus inertiisque affecti sint, quolibet victu probandi sive improbandi, stultorum in numero deputaverim. Quæ cum ita sint, quis mediocriter intelligens non plane viderit, stultis utilius atque salubrius esse præceptis obtemperare sapientium, quam suo judicio vitam degere? Nam omne factum, si recte factum non est, peccatum est : nec recte factum esse ullo modo potest, quod non a recta ratione proficiscitur. Porro recta ratio est ipsa virtus. Cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo præsto est? Solus igitur sapiens non peccat. Stultus ergo omnis peccat, nisi in iis factis in quibus sapienti obtemperaverit : a recta enim ratione talia facta proficiscuntur, nec, ut ita dicam, dominus sui facti stultus existimandus est, cum est tanquam instrumentum ministeriumque sapientis. Quare, si omnibus hominibus non peccare quam peccare melius est; melius profecto stulti omnes viverent, si servi possent esse sapientium. Atque hoc si in rebus minoribus ut in mercando vel colendo agro, in uxore ducenda, in suscipiendis educandisque liberis, in ipsa denique re familiari administranda expedire nemo ambigit, multo magis in religione. Nam et res humanæ promptiores ad dignoscendum sunt, quam divinæ; et in quibuscumque sanctioribus et præstantioribus, quo majus eis obsequium cultumque debemus, eo sceleratius periculosiusque peccatur. Nihil igitur nobis restare amodo vides [1], quamdiu stulti sumus, si nobis vita optima et religiosa cordi est, nisi ut quæramus sapientes, quibus obtemperando dominationem stultitiæ neque ita multum sentire, dum inest nobis, et evadere aliquando possimus.

CAPUT XIII. — 28. *Qui sapientia caret, non quærit sapientem, nisi esse credat. Ita et religio non quæritur, nisi esse credatur.* Hic rursus oritur difficillima quæstio. Quonam enim modo stulti sapientem invenire poterimus, cum hoc nomen, tametsi nemo fere audeat palam, plerique tamen ex obliquo sibi vindicant; cum de rebus ipsis, quarum cognitione constat sapientia, ita inter se dissentiant, ut aut nullum eorum, aut certum unum [2] necesse sit esse sapientem? Sed quinam iste sit, cum ab stulto requiratur, quo pacto queat dignosci plane atque percipi, omnino non video. Neque enim signis quibuslibet cognoscere aliquid potest, nisi illud ipsum, cujus ea signa sunt, noverit. Atqui sapientiam stultus ignorat. Non enim ut aurum et argentum, cæteraque id genus, et cognoscere cum videas, et non habere concessum est, ita sapientiam mentis ejus oculo, qui ea careat, videri fas est. Sensu enim corporis quæcumque attingimus, forinsecus nobis offerantur : et ideo licet quoque res alienas oculis cernere, cum earum vel ejus generis nos nihil habeamus. Quod autem intellectu capitur, intus apud animum est : nec id habere quidquam est aliud, quam videre. Caret autem stultus sapientia : non igitur novit sapientiam. Non enim oculis eam posset videre : non autem potest videre et non habere, neque habere ac stultus esse. Nescit hanc igitur, et dum nescit, in alio loco cognoscere non potest. Non potest, quamdiu stultus est, quisquam certissima cognitione invenire sapientem, cui obtemperando tanto stultitiæ malo liberetur.

29. Huic igitur tam immani difficultati, quoniam de religione quærimus, Deus solus mederi potest : quem nisi et esse et humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem ipsam veram religionem debemus. Quid enim tandem tanto molimine investigare cupimus? Quid optamus attingere? Quo pervenire desideramus? Eone quod esse aut ad nos pertinere non credimus? Nihil est tali mente perversius. Tunc cum beneficium a me petere non auderes, aut certe impudenter auderes, inventionem religionis postulatum venis, cum Deum neque esse, neque si sit, curare nos putes? Quid, si tanta res est, quæ nisi sedulo atque omnibus viribus quæsita nequeat reperiri? Quid, si ipsa difficillima inventio, ad capiendum quod inventum erit, mentem quærentis exercet? Quid enim oculis nostris hac luce jucundius et familiarius? Quam tamen perpeti atque tolerare post diuturnas tenebras nequeunt. Quid exhausto ægrotatione corpori accommodatius quam cibus et potio? Videmus tamen convalescentes refrenari atque cohiberi, ne saturitati valentium committere sese audeant, cibisque ipsis agere, ut ad illum morbum, qui eos repudiabat, revertantur. De convalescentibus loquor : quid, ipsos ægrotantes nonne urgemus ut aliquid sumant? In quo profecto nobis cum tanta molestia non obtemperarent, si se illum morbum evasuros esse non crederent. Quando ergo tu te operosissimæ ac laboriosissimæ inquisitioni dabis? Quando tantam, quanta ipsa res digna est, curam negotiumque tibi audebis imponere, cum id quod quæris, esse non credas? Recte igitur catholicæ disciplinæ majestate institutum est, ut ac cedentibus ad religionem fides persuadeatur ante omnia.

CAPUT XIV. — 30. *Si nihil credendum est, nec ipsa esse religio credetur. Christo credendum esse docent omnes etiam hæretici. Christus ipse maxime exegit fidem.* Itaque ille hæreticus (siquidem de his nobis sermo est, qui se christianos dici volunt) quam mihi rationem afferat, quæso te? Quid est unde a credendo, veluti a temeritate revocet? Si nihil me credere jubet; hanc ipsam veram religionem ullam in rebus humanis esse non credo : quam cum esse non credo, non quæro. At ille, ut opinor, quærenti monstraturus est : ita enim scriptum est, *Quærens inveniet* (*Matth.* VII, 8). Ad eum igitur, qui me vetat credere, non venirem, nisi aliquid crederem. Estne ulla major dementia, quam ut ei sola, quæ nulla scientia subnixa est, fide displiceam, quæ ad eum ipsum me sola perduxit?

31. Quid, quod omnes hæretici Christo nos credere hortantur? Possuntne magis sibi adversari? In quo dupliciter urgendi sunt. Primum quærendum ab his, ubi sit ratio quam pollicebantur, ubi objurgatio

[1] Omnes Mss., *admodum vides*; sive quod idem est, *ammodum vides*.
[2] Fr. et plures Mss., *aut certe unum*.

temeritatis, ubi præsumptio scientiæ. Si enim turpe est sine ratione cuiquam credere, quid exspectas, quid satagis, ut alicui sine ratione credam, quo facilius tua ratione duci possim? An firmum aliquid superædificabit ratio tua fundamento temeritatis? Secundum illos loquor, quibus credendo displicemus. Nam ego credero ante rationem, cum percipiendæ rationi non sis idoneus, et ipsa fide animum excolere excipiendis seminibus veritatis, non solum saluberrimum judico, sed tale omnino, sine quo ægris animis salus redire non possit. Quod illis cum deridendum et plenum temeritatis videtur, profecto ut Christo credamus, agunt impudenter. Deinde fateor me jam Christo credidisse, et in animum induxisse id esse verum quod ille dixerit, etiamsi nulla ratione fulciatur: hoc, hæretice, principio me docturus es [1]? Sine paululum mecum ipse considerem (quoniam Christum ipsum, quomodo apparere hominibus voluit, qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur, ego non vidi) quibus de illo crediderim, ut ad te jam tali fide præstructus accedam. Nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmatæ opinioni ac famæ admodum celeberrimæ: hos autem populos Ecclesiæ catholicæ mysteria usquequaque occupasse. Cur non igitur apud eos potissimum diligentissime requiram, quid Christus præceperit, quorum auctoritate commotus, Christum aliquid utile præcepisse jam credidi? Tune mihi melius expositurus es quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur esse credendum [2]? hoc ergo credidi, ut dixi, famæ, celebritate, consensione, vetustate roboratæ [3]. Vos autem et tam pauci, et tam turbulenti, et tam novi, nemini dubium est, quam [4] nihil dignum auctoritate præferatis. Quæ igitur ista tanta dementia est? Illis crede, Christo esse credendum; et a nobis disce quid dixerit. Cur, obsecro te? Nam si illi deficerent, nec tu me quidquam docere possent, multo facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quam de illo quidquam, nisi ab iis per quos ei credidissem, discendum. O ingentem confidentiam, vel potius ineptiam! Ego te doceo quid Christus præceperit, cui credis. Quid, si non ei crederem? num aliquid de illo me docere posses? Sed oportet, inquit, ut credas. Num vobis cum commendantibus? Non, inquit: nam nos illos qui ei credunt ratione ducimus. Cur igitur illi credam? Quia fama fundata est. Utrum per vos, an per alios? Per alios, inquit. Illis ergo credam, ut tu me doceas? Deberem fortasse, nisi me hoc illi præcipue monerent, ut omnino ad te non accederem: dicunt enim perniciosas vos habere doctrinas. Respondebis: Mentiuntur. Quomodo igitur eis de Christo credam, quem non viderunt; de te non credam, quem nolunt videre? Scriptis, ait, crede. At scriptura omnis, si nova et inaudita proferatur, vel commendetur a paucis, nulla confirmante ratione, non ei, sed illis qui eam protulerunt, creditur. Quamobrem scripturas istas si vos profertis, tam pauci et incogniti, non libet credere. Simul etiam contra promissum facitis, fidem potius imperando, quam reddendo rationem. Rursus me ad multitudinem famamque revocabis. Cohibe tandem pertinaciam, et nescio quam indomitam propagandi nominis libidinem: et mone potius ut hujus multitudinis primates quæram, et quærram diligentissime ac laboriosissime, ut ab his potius de his litteris aliquid discam, qui si non essent, discendum omnino esse nescirem. Tu vero in latebras tuas redi, nec quidquam insidiare, sub nomine veritatis, quam conaris eis adimere, quibus auctoritatem ipse concedis.

32. Si autem Christo etiam credendum negant, nisi indubitata ratio reddita fuerit, christiani non sunt. Nam id adversus nos pagani quidam dicunt, stulte quidem, sed non sibi adversi, nec repugnantes. Hoc vero quis ferat ad Christum se pertinere profiteri, qui nisi apertissimam rationem stultis de Deo protulerint, nihil credendum esse contendunt? At ipsum videmus quantum illa, cui et ipsi credunt [1], docet historia, nihil prius, neque fortius, quam credi sibi voluisse: cum illi nondum essent idonei, cum quibus ei res esset, ad divina percipienda secreta. Quid enim aliud agunt tanta et tam multa miracula, ipso etiam dicente illa fieri non ob aliud, nisi ut sibi crederetur? Fide ille stultos ducebat, vos ratione ducitis. Clamabat ille ut crederetur, vos reclamatis. Laudabat credentes ille, vos objurgatis. Nisi vero aut in vinum aquam converteret (*Joan.* xi, 7-9), ut alia omittam, si nihil tale facientem, sed docentem homines sequi possent: aut nihil pendenda vox illa est, *Credite Deo, et mihi credite* (*Id.* xiv, 1); aut temeritatis ille culpandus est, qui eum in domum suam venire noluit, solo ejus imperio pueri sui morbum credens esse cessurum (*Matth.* viii, 8). Ergo ille afferens medicinam quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem: quam non solum hæreticorum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter adversans, aliqua ex parte convelleret.

CAPUT XV. — 33. *Sapientia Dei incarnata, via ad religionem commodissima.* Quamobrem, tametsi docere non valeo, monere tamen non desino, ut quoniam multi se sapientes videri volunt, neque utrum sint stulti, dignoscere facile est; omni intentione, votisque omnibus, gemitibus denique, vel etiam, si fieri potest, fletibus Deum deprecere, ut te ab erroris malo liberet, si tibi beata vita cordi est. Quod facilius fiet, si præceptis ejus, quæ tanta Ecclesiæ catholicæ auctoritate firmata esse voluit, libens obtemperes. Cum enim sapiens sit Deo ita mente conjunctus, ut nihil interponatur quod separet; Deus enim

[1] Plures Mss., *ducturus es.*
[2] Vaticani quatuor et nonnulli e Gallicanis Mss., *non esse credendum.*
[3] In Mss., *roborata.*
[4] Plures Mss., *quin.*

[1] Veteres libri, *ceaunt.*

est veritas ; nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat : negare non possumus inter stultitiam hominis et sincerissimam Dei veritatem medium quiddam interpositam esse hominis sapientiam. Sapiens enim, quantum datum est, imitatur Deum ; homini autem stulto, ad imitandum salubriter, nihil est homine sapiente propinquius : quem quoniam, ut dictum est, intelligere ratione non facile est, oportebat quædam miracula ipsis oculis admoveri, quibus utuntur stulti multo quam mente commodius, ut commotorum auctoritate hominum prius vita moresque purgarentur, et ita rationi accipiendæ habiles fierent. Cum igitur et homo esset imitandus, et non in homine spes ponenda ; quid potuit indulgentius et liberalius divinitus fieri, quam ut ipsa Dei sincera, æterna, incommutabilisque Sapientia, cui nos hærere oportet, suscipere hominem dignaretur? Qui non modo illa faceret, quibus ad sequendum Deum invitaremur; sed etiam illa pateretur, quibus a sequendo Deo deterrebamur. Nam cum adipisci certissimum ac summum bonum nemo possit, nisi id plene perfecteque dilexerit ; quod nullo pacto fiet, quamdiu mala corporis atque fortuita formidantur : ille nascendo mirabiliter et operando conciliavit charitatem ; moriendo autem et resurgendo exclusit timorem. Jam vero talem se in cæteris rebus omnibus præbuit, quas persequi longum est, ut et divina clementia quo porrigi, et humana infirmitas quo possit evehi sentiremus.

CAPUT XVI. — 34. *Auctoritas divinitus constituta, quæ partim miraculis, partim sequentium multitudine movet ad fidem.* Hæc est, crede, saluberrima auctoritas, hæc prius mentis nostræ a terrena inhabitatione suspensio, hæc in Deum verum ab hujus mundi amore conversio. Sola est auctoritas, quæ commovet stultos ut ad sapientiam festinent [1]. Quamdiu intelligere sincera non possumus, auctoritate quidem decipi miserum est : sed certe miserius non moveri. Si enim Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimæ pulchritudinis fonte manare credendum est, et interior nescio quæ conscientia [2] Deum quærendum Deoque serviendum meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur ; non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum. Hæc autem, seposita ratione, quam sinceram intelligere, ut sæpe diximus, difficillimum stultis est, dupliciter nos movet ; partim miraculis, partim sequentium multitudine. Nihil horum est necessarium sapienti ; quis negat? Sed id nunc agitur, ut sapientes esse possimus, id est, inhærere veritati : quod profecto sordidus animus non potest. Sunt autem sordes animi, ut brevi explicem, amor quarumlibet rerum, præter animum et Deum : a quibus sordibus quanto est quis purgatior, tanto verum facilius intuetur. Verum igitur videre velle, ut animum purges, cum ideo purgetur ut videas, perversum certe atque præposterum est. Homini ergo non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, auctoritas præsto est : quam, ut paulo ante dixi, partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit. Miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius et omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admovetur. Sed rursus hæc in duo dividuntur : quædam enim sunt quæ solam faciunt admirationem ; quædam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem gravi et desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit convalescat, admirationem sanitatis suæ, sanantis etiam charitate superabit. Talia facta sunt illo tempore quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi ; incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt : ita quædam corpori manifestiore beneficio, quædam vero menti occultiore signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant : sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas. Cur, inquis, ista modo non fiunt? Quia non moverent, nisi mira essent : at si solita essent, mira non essent (*a*). Nam dici et noctis vices, et constantissimum ordinem rerum cœlestium, annorum quadrifariam conversionem, decidentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis, colorum, sonorum, odorum, saporumque varietates, da qui primum videat atque sentiat, cum quo tamen loqui possimus ; hebescit obruiturque miraculis : nos vero hæc omnia, non cognoscendi facilitate ; quid enim causis horum obscurius? sed certe sentiendi assiduitate contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissime, ut his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur auctoritas.

CAPUT XVII. — 35. *Mores boni populis quam utiliter auctoritate persuasi. Ecclesiæ catholicæ auctoritas.* Mores autem quilibet tantum valent ad obtinendas hominum mentes, ut etiam quæ in his prava sunt, quod fere superantibus libidinibus evenit, improbare citius et detestari, quam deserere aut mutare possimus. Parumne consultum rebus humanis arbitraris, quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus marium feminarumque in tam multis diversisque gentibus et credit et prædicat? quod continen-

[1] Plerique Mss., *festinetur*. Quidam, *festinentur*.
[2] Sic Mss. At editi, *et interiori nescio qua conscientia*.

(*a*) I Retract., cap. 14, n. 5.

tia usque ad tenuissimum victum panis et aquæ, et non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies perpetuata jejunia; quod castitas usque ad conjugii prolisque contemptum, quod patientia usque ad cruces flammasque neglectas, quod liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus, quod denique totius hujus mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur? Pauci hæc faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt : sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremo populi : populi suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine provectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis, accusant. Hoc factum est divina providentia per prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit [1]? Cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi præcolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore [2] prædictæ auctoritati velle resistere? Et si unaquæque disciplina, quanquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacramentorum libros, et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare?

CAPUT XVIII. — 36. *Conclusio per exhortationem. Persica fabella.* Quamobrem, si quid te vel ratio, vel oratio nostra commovit, et si veram, ut credo, curam tui geris; velim me audias, et bonis præceptoribus catholicæ Christianitatis te pia fide, alacri spe, simplici charitate committas : Deumque ipsum, cujus unius et bonitate facti sumus, et justitia pœnas luimus, et clementia liberamur, orare non cesses. Ita tibi neque præcepta et disputationes doctissimorum hominum et vere christianorum, neque libri, neque serenæ ipsæ cogitationes defuerint quibus facile quod quæris invenias. Nam istos verbosos et miseros (quid enim aliud mitius dixerim?) penitus desere : qui dum nimis quærunt unde sit malum, nihil reperiunt nisi malum. In qua quæstione sæpe auditores erigunt ad quærendum : sed ea docent excitatos, ut vel dormire semper satius sit, quam illo modo evigilare. De lethargicis enim phreneticos faciunt : inter quos morbos, cum sit uterque plerumque mortiferus, hoc tamen interest, quod lethargici sine aliena vexatione moriuntur; phreneticus autem multis sanis [1], et eis potissimum qui volunt subvenire, metuendus est. Nam neque Deus malī auctor est, nec unquam eum quidquam fecisse pœnituit, nec ullius commotionis animi tempestate turbatur, nec terræ particula regnum ejus est, nulla flagitia vel scelera probat aut imperat, nunquam mentitur. Hæc enim atque hujusmodi nos movebant, cum ea magnis [2] invectionibus quaterent, et hanc esse Veteris Testamenti disciplinam insimularent : quod omnino falsissimum est. Itaque illos recte reprehendere ista concedo. Quid ergo didici? Quid putas, nisi cum ista reprehenduntur, disciplinam catholicam non reprehendi? Ita quod apud eos verum didiceram, teneo : quod falsum putaveram, respuo. Sed et alia multa me docuit Ecclesia catholica, quod illi homines exsangues corporibus, sed crassi mentibus, aspirare non possunt : Deum scilicet non esse corporeum, nullam ejus partem corporeis oculis posse sentiri, nihil de substantia ejus atque natura ullo modo esse violabile aut commutabile, aut compositum [3], aut fictum; quæ si mihi concedis (non enim aliter de Deo sentiendum est), omnia illorum machinamenta subversa sunt. Illud vero quomodo sit, ut nec Deus malum genuerit aut fecerit, nec ulla sit fueritve unquam natura atque substantia, quam non Deus aut genuerit aut fecerit, et tamen a malo nos liberet; tam necessariis rationibus approbatur, ut dubitari omnino non possit : præsertim tibi, atque talibus; si tamen bono ingenio pietas et pax quædam mentis accedat, sine qua de tantis rebus nihil prorsus intelligi potest. Et hic non fama de fumo est, et nescio qua fabella Persica, cui satis est aurem accommodare, et animum non subtilem, sed plane puerilem. Longe omnino, longe se aliter, non ut Manichæi desipiunt, veritas habet. Sed quoniam iste sermo noster multo processit longius quam putabam, hic finem libro faciamus : in quo memineris volo, nondum me Manichæos cœpisse refellere, et illas nugas nondum invasisse : neque de ipsa Catholica magnum aliquid aperuisse; sed voluisse tantummodo crucre tibi, si possem, falsam opinionem de veris Christianis inalitiose aut imperite nobis insinuatam, et erigere ad magna quædam et divina discenda. Quare hoc volumen ita sese habeat : placatiore autem animo tuo facto, ero fortasse in cæteris promptior (*a*).

[1] Editio Er. cum aliquot Mss., *damnantis columen auctoritatis obtinuit.*
[2] Forte, *robore.*
[1] Lov., *multis et eis potissimum*, omisso, *sanis*; proquo Er., *satis*. Corrupte.
[2] Editi, *magis*. At Mss., *magnis*.
[3] In Mss., *compositilium*.
(*a*) I Retract., cap. 14, n. 6.

IN LIBRUM DE DUABUS ANIMABUS CONTRA MANICHÆOS,

Vide lib. 1, *cap.* 15, Retractationum, *t.* 1, *col.* 608, *n.* 1, *a verbis,* Post hunc librum (*a*), *usque ad col.* 612, *n.* 8, *verbis,* Opitulante Dei misericordia. M.

(*a*) Post opus videlicet de Utilitate credendi, quod circiter annum Christi 391 conscriptum est. Recensito autem præsenti libro de Duabus Animabus, proxime subjicit Augustinus Retractationem libri seu disputationis contra Fortunatum, quæ habita est die 28 Augusti, an. 392.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE DUABUS ANIMABUS

CONTRA MANICHÆOS

Liber unus [a].

Manichæis hæreticis duas animas in unoquoque homine esse, unam de Dei substantia bonam, alteram malam de tenebrarum gente nec a Deo conditam dicentibus, dolet se Augustinus sic adhæsisse, ut ad rationes quibus deliramentum istud evertitur, tam obvias tamque manifestas non attenderit. Primum enim consideranti facile apparere, omnem animam, cum vita quædam sit, resque intelligibilis, ac proinde luce visibili, quam a Deo esse Manichæi fatentur, præstantior, auctori Deo tribuendam. Loca vero Scripturæ quibus illi malos ex Deo non esse disputant, aliorum locorum comparatione melius explicari. Postea etiam ex peccati et voluntatis definitione, ex venia peccatorum quæ peccantibus datur in Ecclesia, tandemque ex pœnitendi affectu pio atque utili, evidenter omnino demonstrari, peccantes animas non natura malas esse.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Manichæorum error de duabus animabus, quarum altera non sit a Deo, qua ratione expugnatur. Anima omnis cum vita quædam sit, nonnisi a Deo vitæ fonte esse potest.* Opitulante Dei misericordia, disruptis et derelictis Manichæorum laqueis, tandem Catholicæ gremio restitutum libet [1] considerare nunc saltem ac deplorare illam meam miseriam. Multa enim erant, quæ facere debui, ne tam facile ac diebus paucis, religionis verissimæ semina mihi a puerilia salubriter insita, errore vel fraude falsorum fallaciumve hominum effossa ex animo pellerentur. Nam primo animarum illa duo genera, quibus ita singulas naturas propriasque tribuerunt [2], ut alterum de ipsa Dei esse substantia, alterius vero Deum nec conditorem quidem velint accipi, si mecum sobrie diligenterque considerassem, mente in Deum supplici et pia; fortas e mihi satagenti apparuisset, nullam esse qualemlibet vitam, quæ non eo ipso quo vita est, et in quantum omnino vita est, ad summum vitæ fontem principiumque pertineat (*b*): quod nihil aliud quam summum et solum verumque Deum possumus confiteri. Quapropter illas animas, quæ a Manichæis vocantur malæ, aut carere vita, et animas non esse, neque quidquam velle seu nolle, appetere vel fugere; aut si viverent, ut et animæ esse possent, et aliquid tale agere, quale illi opinantur, nullo modo eas nisi vita vivere: ac si Christum dixisse constaret, ut constat, *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6); nihil esse causæ cur non omnes animas, cum animæ nisi vivendo esse non possint, per Christum, id est, per vitam creatas et conditas fateremur.

CAPUT II — 2. *Si lux quæ sensu percipitur Deum habet auctorem, ut fatentur Manichæi, multo magis anima quæ solo intellectu percipitur.* Quod si tempore illo quæstionem de ipsa vita et de participatione vitæ mea cogitatio ferre ac sustinere non posset; quæ profecto magna est, et multum serenæ disputationis inter doctissimos indigens; illud dispicere fortasse valuissem, quod omni homini sese sine studio partium bene consideranti manifestissime apparet, omne quod scire et nosse dicimur, aut sensu corporis, aut intelligentia nos habere comprehensum. Sensus autem corporis etiam vulgo quinque numerari, visum, auditum, odoratum, gustum, atque tactum: quibus omnibus intelligentiam longe alteque præstare et excellere, quis mihi non vel ingratus impiusque concederet? Quo constituto atque firmato, illud consequi, ut cuncta quæ tactu et visu, vel quolibet alio modo corporaliter sentirentur, tanto essent inferiora his quæ intelligendo assequeremur, quanto ipsos sensus intelli-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Libri de Duabus Animabus editiones collatæ sunt ad manuscriptos codices, Arnulphensem, Michaelinum, Victorinos duos duos Vaticanos, et ad trium Belgicorum varias lectiones apud Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1. *memoratas,* M.

[1] Lovanienses ex mendoso Cambronensi codice posuerunt, *gremio constituto libet.*
[2] Quidam Mss., *distribuerunt.*

(*a*) Scriptus circiter annum Christi 391.
(*b*) I Retract., cap. 15, n. 1.

gentiæ cedere videremus. Quamobrem cum omnis vita, et ob hoc omnis anima nullo corporis sensu, sed solo intellectu percipi queat; sol autem iste atque luna omnisque lux quæ mortalibus his oculis cernitur, ab ipsis quoque Manichæis vero et bono Deo tribuenda esse dicatur: summam esse dementiam id prædicare pertinere ad Deum, quod per corpus intuemur; quod vero non solum animo, sed ipsa sublimitate animi, mente scilicet atque intelligentia caperemus, id est, vitam, qualiscumque illa diceretur, tamen vitam, eodem Deo auctore privandam et viduandam putare. Num enim quid sit vivere, quamque secretum ab omni corporis sensu, quamque omnino incorporeum, si me ipsum invocato Deo interrogarem, respondere non possim? Aut non illi quoque fateantur, non solum vivere illas, quas detestantur animas, sed etiam immortaliter vivere? Quodque a Christo dictum est, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22); non de omnino non viventibus, sed de peccantibus dictum, quæ immortalis animæ sola mors est; scribente Paulo, *Mortua est vidua quæ in deliciis vivit* (1 *Tim.* V, 6): simul enim et mortuam esse dixit, et vivere. Quare non ego quanto decoratius vivat peccatrix anima, sed illud ipsum tantum quod vivat attenderem. Quod si percipere nisi intelligendo non possem, credo veniret in mentem, tanto esse quamlibet animam luci, quam per hos sentimus, oculos, præferendam, quanto intelligentiam ipsis oculis præferremus.

CAPUT III. — *Corpus etiam omne a Deo esse unde probatur. Animam illam quæ mala dicitur a Manichæis, luce esse meliorem.* Lucem autem illam illi quoque a Patre Christi esse confirmant: egone tandem, quod ab eo esset quæcumque anima, dubitarem? Ego vero non modo de anima, sed de quovis etiam corpore, quin ab ipso esset, nihil omnino, ne tum quidem, homo scilicet [1] illius imperitiæ atque illius ætatis ambigerem, si forma quid esset quidve formatum, quid species et quid indutum specie, deinde quid horum cui causa esset, pie cauteque cogitarem.

3. Sed de corpore interim taceo: de anima conqueror, de spontaneo et vivido motu, de actu, de vita, de immortalitate: denique conqueror, quod aliquam rem ista omnia sine Dei bonitate habere posse miserimus credidi; quod quanta essent, negligenter attendi; hoc mihi gemendum, hoc deflendum puto. Volverem mecum hæc, loquerer mecum, deferrem ad alios [2]: quæ vis esset intelligendi, quam nihil esset in homine [3], quod huic excellentiæ possemus conferre, proponerem [4]. Ubi mihi hoc homines, si modo essent homines, concessissent; quæreremus utrum his oculis videre, id est intelligere [5]. Ubi negavissent, colligerem primo longe esse sensui oculorum istorum intelligentiam mentis antependendam: deinde subjungerem, id quod re meliore perciperemus, necessario melius judicandum. Quis hoc non daret? Ergo pergerem quærere, anima illa, quam malam dicerent, oculisne sentiretur istis, an mente intelligeretur? Mente fatercntur. Quibus omnibus inter nos convenientibus atque firmatis, quid conficeretur ostenderem; animam scilicet illam quam exsecrarentur, luce ista quam venerarentur esse meliorem: quandoquidem illa intellectu mentis, hæc sensu corporis innotescit. Hic vero hærerent fortasse, ducemque rationem sequi recusarent: tanta est vis veternosarum opinionum et diu defensæ atque creditæ falsitatis. Sed ego instarem magis hærentibus, non aspere, non pueriliter, non pervicaciter; repeterem quæ concessa sunt; et quam essent concedenda [1], monstrarem. Hortarer ut in commune consulerent, viderent certe quid nobis negandum esset; utrum intellectum istis carneis luminibus præferendum, an excellentius esse quod animi excellentia, quam quod vili sensu corporis cognoscitur, falsum putarent: an illas animas, quas alienigenas crederent, tantum intelligendo, id est, ipsa animi excellentia sciri posse nollent fateri; an solem ac lunam non nisi istis oculis notos fieri vellent abnuere. Quod si nihil horum nisi absurdissime atque impudentissime negari posse animadverterent; suaderem non eos oportere dubitare, istam lucem quam colendam prædicarent, esse anima illa viliorem quam fugiendam monerent.

CAPUT IV.—4. *Anima etiam muscæ præstantior ista luce.* Atque hic si forte turbati a me quærerent, num etiam muscæ animam huic luci præstare censerem: responderem, etiam; nec me terreret musca quod parva est, sed quod viva firmaret. Quæritur enim, quid illa membra tam exigua vegetet, quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpusculum ducat, quid currentis pedes in numerum moveat, quid volantis pennulas moderetur ac vibret. Quod qualecumque est, bene considerantibus, in tam parvo tam magnum eminet, ut cuivis fulgori perstringenti oculos præferatur.

CAPUT V. — *Vitiosæ animæ quanquam damnandæ, quomodo huic luci quæ in genere suo laudanda est, antecellant.* Certe quod nemo dubitat, quidquid id est, intelligibile est: quod omni sensibili [2], et ob hoc huic etiam luci divinis legibus antecellit. Quid enim cogitatione [3] percipimus, quæso, si hoc non percipimus, aliud esse mente intelligere, aliud sentire per corpus, et prius illud ab hoc posteriore incomparabili sublimitate distare; ideoque non posse intelligibilia sensibilibus non præferri, cum ipse intellectus tantum sensibus præferatur?

5. Hinc illud etiam fortasse cognoscerem; quod

[1] Editi, *hoc scilicet*. Corriguntur ex Mss.

[2] Vaticani Mss., *ad illos*: intellige Manichæos.

[3] Sic ex Vaticanis et Gallicanis Mss. [*quoniam nihil esset in homine.*]

[4] Tres plures Mss. Editi vero, *præponerem*; cum hac vocum aliquando interjunctione: *quæ vis esset intelligendi (quoniam nihil esset in homine quod huic excellentiæ possemus conferre) præponerem.*

[5] Editio Er., *viderent, id est, intelligerent.* Sic et Vaticani Mss. Sed melius alii cum Lov., *videre, id est intelligere.* Sensus est, utrum idem est his oculis videre, quod intelligere.

[1] Editi, *et quæ essent concedenda.* Emendantur ex Vaticanis Mss.

[2] Sic Lovanienses duorum manuscriptorum auctoritate correxerunt. Alii tamen Mss. plures cum Er. habent, *quidquid intelligibile est, omni sensibili, et ob hoc huic etiam luci*, etc.

[3] Er. et Mss., *cognitione.*

consequens esse manifestum est, cum injustitia et intemperantia cæteraque animi vitia non sentiantur, sed intelligantur; quomodo fiat ut etiam ista, quæ dete-tamur et damnanda censemus, tamen quoniam intelligibilia sunt, anteire hanc lucem queant, cum in suo genere ista laudanda sit. Suggeritur enim animo bene sese Deo subjicienti, primo non omne quod laudamus, omni quod vituperamus, esse anteponendum. Neque enim quia laudo purgatissimum plumbum, ob hoc illud vituperando auro pluris æstimo. In suo enim genere quidque considerandum est. Improbo jurisconsultum multas leges ignorantem: sed eum tamen probatissimo sutori sic præfero, ut ne comparandum quidem putem. At istum laudo [1], quod suæ artis peritissimus sit: illum autem, quod suum professionem minus impleat, jure reprehendo. Ex quo reperire deberem, lucem istam, quod in genere proprio perfecta esset, jure laudari: tamen quia sensibilium rerum numero includitur, quod genus intelligibilium generi cedat necesse est, infra injustas et intemperantes animas, quoniam sunt intelligibiles, esse deputandam; quamvis istas non injuria damnatione dignissimas judicemus. Quærimus namque in his quod concilietur Deo, non quod isti fulgori præferatur. Quapropter, quisquis hoc lumen ex Deo esse contenderet, non repugnarem; sed magis animas dicerem, vitiosas etiam, non in quantum vitiosæ, sed in quantum animæ sunt, Deum sibi esse creatorem fateri oportere.

CAPUT VI. — 6. *An ipsa etiam vitia tanquam intelligibilia, luci sensibili præferenda sint et Deo ut auctori tribuenda. Vitium animi est defectus quidam, recte non inter intelligibilia numerandus. Ipsi defectus, etiamsi inter intelligibilia numerarentur, nunquam anteponendi rebus sensibilibus. Si lumen visibile a Deo est, multo magis ab ipso anima, quæ in quantum vivit intelligibilis res est, etiamsi vitiosa. Objectantur contra a Manichæis loca Scripturæ.* Hoc loco si quisquam illorum cautus et vigilans, jam etiam studiosior quam pertinacior, me admoneret, non de vitiosis animis, sed de ipsis vitiis esse quærendum: quæ quoniam sensu corporis non cognoscerentur, et tamen cognoscerentur, non nisi intelligibilia posse accipi, quæ si sensibilibus omnibus antecellunt, cur lucem Deo auctori esse tribuendam inter nos conveniret, vitiorum vero auctorem Deum nemo nisi sacrilegus diceret: responderem homini, si aut statim et repente, ut bonis Dei cultoribus solet, divinitus infulsisset hujus solutio quæstionis, aut fuisset antea præparata: quorum si neutrum meruissem atque potuissem, cœpta differrem; quodque esset propositum, difficile esse ad dignoscendum atque arduum confiterer. Recurrerem in me, prosternerer Deo, alte ingemiscerem, quærens ne me in medio spatio, quo certis rationibus promovissem, hærere pateretur; ne ancipiti quæstione cogerer aut intelligibilia sensibilibus submittere ac subdere, aut ipsum vitiorum dicere auctorem; cum esset utrumvis horum falsitatis impietatisque plenissimum. Nullo modo possem existimare, quod me sic affectum ille desereret. Admoneret potius suis illis ineffabilibus modis, ut considerarem etiam atque etiam, utrum animi vitia, de [1] quibus æstuarem, inter intelligibilia numeranda essent. Quod ut reperirem, propter imbecillitatem interioris oculi mei, quæ mihi peccatis meis jure accidisset, aliquem mihi ad invisibilia contuenda in ipsis visibilibus machinarer gradum: quorum esset nobis nullo modo certior cognitio, sed consuetudo fidentior. Itaque statim quærerem quid ad sensum proprie pertineret oculorum: invenirem colores, quorum principatum lux ista obtineret. Hæc enim sunt quæ nullus alius sensus attingit: nam motus corporum, et magnitudines, et intervalla, et figuras, quamvis et oculis, non tamen proprie, sed tactu etiam posse sentiri. Unde colligerem tanto cæteris corporeis et sensibilibus præstare lucem, quanto aliis sensibus aspectus esset illustrior. Electa igitur ex omnibus quæ corpore sentiuntur ista luce, qua niterer, et in qua gradum illum inquisitionis meæ necessario collocarem; pergerem attendere quid ageretur hoc modo, mecumque ita sermocinarer: Si sol iste tanta claritate conspicuus et diei luce sufficiens, usque ad lunæ similitudinem in conspectu nostro paulatim deficeret, num aliud quidquam oculis sentiremus quam lucem utcumque fulgentem; lucem tamen quærentes, quod fuerat non videndo, et haurientes videndo quod aderat? Non ergo illum defectum videremus, sed lucem quæ defectui remaneret. Cum autem non videremus, non sentiremus; quidquid enim sentimus aspectu, non potest non videri: quare, si defectus ille neque visu, neque alio sensu sentiretur, non posset inter sensibilia numerari. Nihil enim sensibile est, quod sentiri non potest. Referamus nunc considerationem ad virtutem, cujus intelligibili luce splendere animum convenientissime dicimus. Porro ab hac luce virtutis defectus quidam non perimens animam, sed obscurans, vitium vocatur. Potest igitur recte vitium quoque animæ nequaquam inter intelligibilia numerari, ut lucis ille defectus recte de sensibilium numero eximitur: illud tamen quod remanet animæ, id est, hoc ipsum quod vivit atque anima est, tam est intelligibile, quam sensibile illud quod in hoc visibili lumine post defectum quantumcumque fulgeret: et ideo animam in quantum anima esset, et vitæ participaret, sine qua nullo pacto anima esse potest, rectissime omnibus sensibilibus anteferri. Quamobrem maximi erroris esse, ullam animam dicere non esse ex Deo, ex quo esse solem lunamque glorieris.

7. Quod si jam placeret omnia sensibilia nominare, non modo ea quæ sentiremus, sed etiam ea quæ non sentiendo tamen per corpus judicaremus, sicut per oculos tenebras, et per aures silentium; et illas enim non videndo, et hoc non audiendo cognoscimus: rursusque intelligibilia, non ea tantum quæ illustrata mente conspicimus, sicuti est ipsa sapientia;

[1] Vaticani Mss., *ac istum laudo.*

[1] Apud Lov. particula, *de*, prætermissa, non bene reditum, *quibus æstuarem.*

sed etiam illa quæ ipsius illustrationis privatione aversamur, ut est insipientia, quam tenebras animi congrue dixerim : nullam de verbo facerem controversiam, sed totam quæstionem facili divisione dissolverem, statimque approbarem bene attendentibus, substantias intelligibiles sensibilibus substantiis divina et incorrupta veritatis lege præponi, non earum substantiarum defectus ; quamvis hos intelligibiles, illos sensibiles appellare vellemus. Quapropter, qui et hæc lumina visibilia, et illas intelligibiles animas substantias esse fatcrentur, omni modo eos cogi sublimiores partes animis concedere, atque tribuere ; defectus vero utriusque generis non posse alteros alteris anteponi, privant enim tantum, et non esse indicant, quod usquequaque eamdem vim habent, sicut ipsæ negationes. Nam cum dicimus, Non est aurum, et, Non est virtus ; quamvis inter aurum et virtutem plurimum, nihil tamen inter negationes, quas eis adjunximus, distat. Verum enimvero pejus est non esse virtutem, quam non esse aurum : nemo sanus hinc ambigit ; quod non propter ipsas negationes, sed propter res quibus adjunguntur, accidere quis non intelligat ? Auro enim virtus quanto præstat, tanto est virtute quam auro carere miserius. Quamobrem, cum res intelligibiles sensibilibus rebus antecellunt, defectum in intelligibilibus quam in sensibilibus merito ægrius toleramus ; non eos defectus, sed ea quæ deficiunt, charius vel vilius æstimantes. Ex quo jam illud apparet, defectum vitæ, quæ intelligibilis est, multo miserabiliorem esse, quam hujus sensibilis lucis ; quod scilicet multo est cbarior intellecta vita, quam lux ista conspecta.

8. Quæ cum ita sint, audebitne quisquam, cum solem ac lunam, et quidquid in sideribus, quidquid denique in hoc igne nostro atque terreno luce visibili effulget, Deo tribuat, animas quaslibet, quæ profecto nisi vivendo animæ non sunt, cum tantum hoc lumen vita præcedat, nolle concedere ex Deo esse ? et cum ille verum dicat, qui dicit, In quantum nitet, ex Deo est ; egone tandem, Deus magne, mentiar, si dicam, In quantum vivit, ex Deo est ? Non usque adeo, quæso, cæcitas mentis suppliciaque augeantur animorum, ut hæc homines non intelligant. Sed quoquo modo illorum error aut pertinacia sese haberet, his ego fretus armatusque rationibus, credo cum ad eos rem ita consideratam perspectamque detulissem, et cum his placide contulissem, vererer ne mihi quisquam eorum alicujus momenti esse videretur, si aut intellectum, aut ea quæ intellectu non per defectum [1] perciperentur, sensui conaretur præferre, aut saltem comparare corporeo, vel his rebus quæ ad eumdem sensum cognoscendæ similiter pertinerent. Quo constituto, quando ille mihi vel quisquam negare auderet, animas quantum vellet malas, tamen quoniam animæ essent, intelligibilium rerum numero contineri, neque illas per defectum intelligi ? Siquidem animæ non alio essent, nisi quo viverent. Licet enim per defectum intelligerentur vitiosæ, quia virtutis egestate vitiosæ ; non tamen per defectum animæ, quia vivendo animæ. Nec fieri potest ut vitæ præsentia sit causa deficiendi ; cum tanto quidque deficiat, quanto deseritur a vita.

9. Omni modo igitur cum pateret non posse ullas animas ab eo auctore separari, a quo lux ista non separatur ; jam quidquid afferrent, non acciperem. moneremque potius, ut eos mecum sequi mallent, qui omne quidquid esset, quoniam esset, in quantumcumque esset, ex uno Deo esse prædicarent.

CAPUT VII. — *Mali quomodo ex Deo, et non ex Deo.* Recitarent adversus me voces illas evangelicas : *Vos propterea non auditis, quia ex Deo non estis ; Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 47 *et* 44). Ego quoque contra recitarem, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Id.* I, 3) ; et illud Apostoli, *Unus Deus ex quo omnia ; et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia* (I *Cor.* VIII, 6) ; et iterum ejusdem apostoli, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria* (*Rom.* XI, 36) : hortarerque homines (si tamen homines invenirem), nihil nos jam quasi comperisse præsumeremus ; sed quæreremus potius magistros, qui sententiarum istarum, quæ nobis inter se pugnare viderentur, pacem concordiamque monstrarent. Nam in una atque eadem auctoritate Scripturarum [1], cum alibi sonaret, *Omnia ex Deo* (I *Cor.* XI, 12) ; et alibi, *Vos non estis ex Deo :* quoniam Libros temere condemnare nefas esset, quis non videret peritum doctorem, cui quæstionis hujus solutio nota esset, inveniendum fuisse ? qui profecto si esset bonus intellector, et, ut divinitus dicitur, homo spiritualis (*Id.* II, 15), quoniam necessario faveret veris rationibus, quas de intelligibili sensibilique natura, quantum potui, tractavi atque disserui, imo eas [2] ipse multo melius, et ad docendum aptius aperiret ; nihil ab eo aliud de hac quæstione audiremus, nisi quemadmodum fieri posset, ut et nullum animarum genus non esset ex Deo, et recte tamen peccatoribus et infidelibus diceretur, *Non estis ex Deo.* Nam et nos fortasse implorato in auxilium Deo facile videre possemus, aliud esse vivere, aliud peccare : et quanquam vita in peccatis in comparatione justæ vitæ mors appellata sit (I *Tim.* V, 6) ; utrumque tamen in homine uno posse inveniri, ut simul sit vivus atque peccator : sed quod vivus, ex Deo ; quod peccator, non ex Deo. In qua divisione utimur ea parte de duabus, quæ nostræ sententiæ competit : ut cum Dei conditoris omnipotentiam insinuare volumus, etiam peccatoribus dicamus quod ex Deo sint. Dicimus enim his qui aliqua specie continentur, dicimus animantibus, dicimus rationalibus, dicimus postremo, quod ad rem maxime attinet, viventibus : quæ omnia per se ipsa divina sunt munera. Cum autem malos arguere propositum est, recte dicimus, *Non estis ex Deo.* Dicimus enim se a veritate avertentibus, infidelibus, facinorosis, flagitiosis, et, quod nomino

[1] Editi, *nondum perfecte.* Melius Vaticani Mss., *non per defectum.*

[1] Vox, *Scripturarum*, non est in Mss Vaticanis.
[2] In editis, *imo si eas.* Abest, *si*, a Mss.

uno totum continet, peccatoribus : quæ rursus omnia ex Deo non esse quis dubitet? Itaque Christus peccatoribus, idipsum quod peccatores erant et sibi non credebant coarguens, quid mirum si ait, *Non estis ex Deo;* ex alia parte illa salva manente sententia quod *Omnia per ipsum facta sunt;* et, *Omnia ex Deo?* Nam si Christo non credere, Christi adventum repudiare, Christum non recipere, certum indicium esset animarum [1] quæ non sunt Dei; et ideo dictum esset, *Vos propterea non auditis, quia non estis ex Deo:* quomodo vera esset vox illa Apostoli, in ipso Evangelii memorabili principio, qua dictum est, *In sua propria venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* I, 11)? Unde sui, si non receperunt: aut unde ideo non sui, quia non receperunt: nisi quia homines peccatores, eo quod sunt homines, ad Deum; eo vero quod peccatores, ad diabolum pertinent? Illic ergo partem naturæ tenuit qui ait, *Sui eum non receperunt;* ille vero voluntatis, qui ait, *Non estis ex Deo.* Evangelista enim Dei opera commendabat, Christus hominum peccata coercebat.

CAPUT VIII. — 10. *Quærunt unde malum, et hac quæstione vincere se putant Manichæi. Cognoscant prius quod facillimum est, nihil vivere posse sine Deo. Summum malum non cognoscitur nisi cognito summo bono, quod est Deus.* Hic fortasse quis dicat : Unde ipsa peccata, et omnino unde malum? Si ab homine, unde homo? si ab angelo, unde angelus? Quos ex Deo esse cum dicitur, quamvis recte vereque dicatur, videntur tamen imperitis et minus valentibus acriter res abditas intueri, quasi per quamdam catenam ad Deum mala et peccata connecti. Hac quæstione illi regnare se putant : quasi vero interrogare sit scire. Utinam id esset; nemo me scientior reperiretur. Sed nescio quomodo sæpe in altercando, magnæ quæstionis propositor personam magni doctoris ostentat, plerumque ipse ipso quem terret, in eo de quo terret indoctior. Itaque isti multitudini se præferendos arbitrantur, quia priores interrogant quod cum multitudine ignorant. Sed si eo tempore quo cum eis me, non sicut jam diu ago, egisse nunc pœnitet, mihi has rationes depromenti hoc objecissent, dicerem : Quæso, interim cognoscite mecum quod facillimum est, si nihil sine Deo potest fulgere, multo minus posse aliquid vivere sine Deo; ne in tantis monstris opinionum remaneamus, ut nescio quas animas vitam sine Deo habere prædicemus. Sic enim fortasse continget ut id quod mecum ignoratis, id est, unde sit malum, vel simul, vel quolibet ordine aliquando discamus. Quid si enim cognitio summi mali sine cognitione summi boni contingere homini non potest? Non enim nosceinus tenebras, si in tenebris semper essemus : sed lucis notitia contrarium suum non sinit incognitum. Summum autem bonum id est, quo superius esse nihil potest : Deus autem bonum, et Deo superius esse nihil potest : Deus igitur summum bonum. Cognoscamus ergo Deum, atque ita nos illud quod præpropere quærimus non latebit. Mediocrisne negotii tandem vel meriti cognitionem Dei esse arbitramini? Quod enim nobis aliud præmium, quam vita æterna promittitur, quæ Dei cognitio est? Ait enim magister Deus : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Etenim anima quamvis sit immortalis, tamen quia mors ejus recte dicitur a Dei cognitione aversio; cum se convertit ad Deum, meritum est æternæ vitæ consequendæ, ut sit æterna vita, sicut dictum est, ipsa cognitio. Converti autem ad Deum nemo, nisi ab hoc mundo se avertat, potest. Hoc ego mihi arduum et difficillimum sentio : vobis si facile est, ille ipse Deus viderit. Ego vellem credere, nisi me moveret, quod cum iste mundus, a quo averti jubemur, visibilis sit, dixeritque Apostolus, *Ea quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt* (II *Cor.* IV, 18) : vos plus istorum oculorum quam mentis judicio tribuitis, apud quos nullam esse fulgentem pennam quæ non ex Deo fulgeat, et esse viventem animam quæ non ex Deo vivat, prædicatur et creditur. Hæc et his similia vel illis etiam dicerem, vel mecum reputarem. Possem namque Deum omnibus, ut dicitur, visceribus deprecans, et Scripturis quantum licebat intentus, etiam tunc fortasse talia vel dicere, vel quod saluti sat erat cogitare [1].

CAPUT IX. — 11. *Augustinus familiaritate cum Manichæis et successu victoriæ de Christianis imperitis a se reportatæ deceptus. Manichæi ex cognitione item peccati et voluntatis facile refellendi.* Sed me duo quædam maxime, quæ incautam illam ætatem facile capiunt, per admirabiles [2] attrivere circuitus; quorum est unum familiaritas, nescio quomodo repens quadam imagine bonitatis, tanquam sinuosum aliquod vinculum multipliciter collo involutum. Alterum quod quædam noxia victoria pene mihi semper in disputationibus provenichat disserenti cum christianis imperitis, sed tamen fidem suam certatim, ut quisque posset, defendere molientibus. Quo successu creberrimo gliscebat adolescentis animositas, et impetu suo in pervicaciæ magnum malum imprudenter vergebat [3]. Quod altercandi genus quia post eorum auditionem aggressus eram, quidquid meo vel qualicumque ingenio vel aliis lectionibus poteram, solis illis libentissime tribuebam. Ita ex illorum sermonibus ardor in certamina, ex certaminum proventu amor in illos quotidie movebatur [4]. Ex quo accedebat ut quidquid dicerent, miris quibusdam morbis [5], non quia sciebam, sed quia optabam verum esse, pro vero approbarem. Ita factum est ut quamvis pedetentim atque caute, tamen diu sequerer homines nitidam stipulam viventi animæ præferentes.

12. Verum esto [6], non poteram illo tempore sen-

[1] Editi, *judicium est animarum.* Castigantur ex Mss.

[1] Ita Mss. At editi, *reputare possem. Namque.... talia vel dicerem, vel quod saluti aderat cogitarem.*

[2] Editio Er. et Michaelinus Ms., *per amicabiles.*

[3] In Mss., *et impetus suos.....urgebat.*

[4] Mss. plerique, *movebatur.*

[5] Er. Lugd. Ven. Lov.: *Ex quo accidebat ut quidquid dicerent, miris quibusdam modis,* etc. M.

[6] Editio Er.: *Verum non poteram.* Lov.: *Verum ista non poteram.* Pauloque post eadem editiones habebant: *Ita tam-*

sibilia ab intelligibilibus, carnalia scilicet ab spiritualibus dijudicare atque discernere ; non erat ætatis, non disciplinæ, non cujusdam etiam consuetudinis, non ullorum denique meritorum ; non enim parvi gaudii et felicitatis res est : itane tandem ne illud quidem arripere poteram, quod in omnium hominum judicio summi Dei legibus natura ipsa constituit?

CAPUT X. — *Peccatum nonnisi a voluntate. Vita et voluntas sua cuique notissima. Voluntas quid sit.* Quivis enim homines, quos modo a communi sensu generis humani nulla disrupisset amentia, quæ vellent ad judicandum studia detulissent, quamlibet imperitiam, quantamcumque etiam tarditatem ; velim experiri quid mihi responderent roganti, utrum eis peccasse videretur, de cujus dormientis manu scripsisset alius aliquid flagitiosum. Omnes quis dubitet ita fuisse negaturos illud esse peccatum, ita reclamaturos, ut etiam succenserent fortasse quod tali eos rogatione dignos putaverim ? A quibus ego, quoquo modo poteram, reconciliatis et in consilium restitutis peterem, ut me aliud tam manifestum, et in omnium cognitione positum, interrogantem non moleste ferrent : tunc quærerem, si non dormientis, sed scientis manu, qui membris tamen cæteris vinctus atque constrictus esset, quisquam valentior aliquid similiter fecisset mali, utrum quia id nosset, quamvis omnino noluisset, ullo peccati nomine teneretur. Et hic mihi omnes mirantes quod talia sciscitarer, sine cunctatione responderent, nihil etiam istum omnino peccasse. Quid ita? Quia de quo nesciente, vel resistere non valente quisquam quidpiam mali fecerit, juste damnari nullo modo potest. Atque idipsum cur ita esset, si in illis hominibus [1] naturam ipsam percontarer humanam, facile pervenirem ad id quod cuperem, isto modo quærens : Quid, si dormiens ille jam sciret quid alius de manu ejus facturus esset, et de industria, plus potius etiam ne expergisceretur [2], se somno dederet, ut aliquem jurando [3] falleret ; num ei quidquam somnus ad innocentiam suffragaretur ? Quid aliud quam nocentem hominem pronuntiaret [4] ? Quod si et ille volens vinctus est, ut aliquem similiter prætenta defensione deciperet, quid ei tandem, ut peccato careat, illa vincula profuerunt ? Quanquam his obstrictus, revera resistere non valeret ; sicut ille dormiens, quid tunc fieret, omnino nesciret. Numquidnam igitur dubitandum est quin peccasse ambo judicarentur? Quibus concessis colligerem, nusquam scilicet nisi in voluntate esse peccatum (*a*) : cum mihi auxiliaretur etiam illud, quod justitia peccantes tenet sola mala voluntate, quamvis quod voluerint implere nequiverint.

13. Quisquamne me ista tractantem, posset dicere,

dem ne illud quidem. Castigantur manuscriptorum auctoritate.

[1] Sic Mss. At editi, *omnibus.*

[2] Plures Mss., *se plus etiam, ne expergisceretur* ; omisso, *potius.*

[3] Verbum, *jurando*, abest a Michaelino ms.

[4] Edd., *Quid aliud illi.... pronuntiaret.* At Mss. omissa voce, *illi*, habent, *pronuntiaret* : subintelligge, *natura humana.*

(*a*) I Retract., cap. 15, n. 2.

in rebus obscuris abditisque versari, ubi propter intelligentium paucitatem vel fraudis vel ostentationis suspicio nasci solet ? Secedat paulisper illa intelligibilium sensibiliumque distinctio : nulla mihi fiat invidia, quod tardas animas subtilium disputationum stimulis persequor. Liceat mihi me scire vivere, liceat mihi scire me velle vivere : in quæ si consentit genus humanum, tam nobis cognita est voluntas nostra, quam vita. Neque cum istam scientiam profitemur, metuendum est ne nos quisquam falli posse convincat : hoc ipsum enim falli nemo potest, si aut non vivat, aut nihil velit. Non me arbitror quidquam obscurum attulisse, et vereor ne cuiquam magis, quod hæc nimium manifesta sint, videar esse culpandus : sed quorsum hæc tendant, consideremus.

14. Non igitur nisi voluntate peccatur. Nobis autem voluntas nostra notissima est : neque enim scirem me velle, si quid sit voluntas ipsa nescirem. Definitur itaque isto modo : Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum (*a*). Cur ergo ita tunc definire non possem? An erat difficile videre invitum volenti esse contrarium, ita ut contrarium sinistrum dextro esse dicimus, non ut nigrum albo? Nam eadem res simul et nigra et alba esse non potest : duorum autem in medio quisque positus, ad alterum sinister est, ad alterum dexter ; simul quidem utrumque unus homo, sed simul utrumque ad unum hominem nullo modo. Ita quidem invitus et volens unus animus simul esse potest ; sed unum atque idem nolle simul et velle non potest. Cum enim quisque invitus aliquid facit, si eum roges utrum id facere velit, nolle se dicit : item si roges utrum id velit non facere, velle respondet. Ita invitum ad faciendum, ad non faciendum autem volentem reperies : id est enim unum animum uno tempore habentem utrumque, sed aliud atque aliud ad singula referentem. Cur hæc dico? Quia si rursum quæramus quam ob causam id invitus faciat, cogi se dicet. Nam et omnis invitus faciens cogitur ; et omnis qui cogitur, si facit, nonnisi invitus facit. Restat ut volens a cogente sit liber, etiamsi se quisquam cogi putet. Et hoc enim modo omnis qui volens facit, non cogitur ; et omnis qui non cogitur, aut volens facit, aut non facit. Hæc cum in omnibus hominibus, quos interrogare non absurde possumus, a puero usque ad senem, a ludo litterario usque ad solium sapientis, natura ipsa proclamet ; cur ego tunc non viderem in definitione voluntatis ponendum esse, Cogente nullo, quod nunc quasi experientia majore cautissimus posui ? At si hoc ubique manifestum est, et non doctrina, sed natura omnibus promptum ; quid restat quod videatur obscurum, nisi forte ullum lateat, aliquid nos velle cum volumus, et ad hoc moveri animum nostrum, idque aut habere nos aut non habere, et si haberemus retinere velle, si non haberemus acquirere [1] ? Quare aut non amit-

[1] Michaelinus Ms., *recipere.*

(*a*) I Retract., cap. 15, n. 3.

tere, aut adipisci aliquid vult, omnis qui vult. Quamobrem, si omnia ista luce clariora sunt, sicuti sunt, neque meæ tantum, sed notitiæ generis humani veritatis ipsius liberalitate donata, cur illo etiam tempore dicere non possem : Voluntas est motus animi, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum ?

CAPUT XI. — 15. *Peccatum quid.* Dicet aliquis : Et hoc te adversum Manichæos quid adjuvaret? Expecta; sine prius etiam peccatum definiamus, quod sine voluntate esse non posse omnis mens apud se divinitus conscriptum legit. Ergo peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere (*a*). Quanquam si liberum non sit, non est voluntas. Sed malui grossius [1] quam scrupulosius definire. Etiamne [2] hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non potest? Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum? Quod si nemo vituperatione vel damnatione dignus est, aut non contra vetitum justitiæ faciens, aut quod non potest non faciens, omne autem peccatum vel vituperandum est, vel damnandum; quis dubitet tunc esse peccatum, cum et velle injustum est, et liberum nolle; et ideo definitionem illam et veram et ad intelligendum esse facillimam, et non modo nunc, sed tunc quoque a me potuisse dici : Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere?

CAPUT XII. — 16. *Ex datis definitionibus peccati et voluntatis hæresim Manichæorum totam evertit. Ex malarum item animarum justa damnatione sequitur non natura, sed voluntate malas esse. Animas esse natura bonas, quibus datur venia peccatorum.* Age nunc, videamus quid nos hæc adjuvarent. Plurimum omnino [3], ut nihil amplius desiderarem : totam quippe causam finirent. Nam quisquis secreta conscientiæ suæ legesque divinas penitus naturæ inditas, apud animum intus, ubi expressiores certioresque sunt, consulens, has duas definitiones voluntatis atque peccati veras esse concedit, totam Manichæorum hæresim paucissimis et brevissimis, sed plane invictissimis ratiunculis sine ulla cunctatione condemnat. Quod sic considerari potest. Duo animarum genera esse dicunt, unum bonum, quod ita ex Deo sit, ut non ex aliqua materia vel ex nihilo ab eo factum, sed de ipsa ejus omnino substantia pars quædam processisse dicatur; alterum autem malum, quod nulla prorsus ex parte ad Deum pertinere credunt credendumque commendant : et ideo illud summum bonum, hoc vero summum malum esse prædicant : atque ista duo genera fuisse aliquando discreta, nunc esse commixta. Genus quidem commixtionis hujus et causam nondum audieram : sed tamen jam quærere poteram [4], utrum illud malum genus animarum, antequam bono misceretur, habuisset aliquam voluntatem. Si enim non habebat, sine peccato atque innocens erat, et ideo nullo modo malum (*a*). Si autem ideo malum, quia licet esset sine voluntate, tanquam ignis, tamen si bonum attigisset, violaret, atque corrumperet : quantum est nefas, et naturam mali tantum valere ad commutandam ullam Dei partem [5], et summum illud bonum corruptibile et violabile credere? Quod si voluntas inerat, profecto inerat, cogente nullo, motus animi ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Hoc autem aliquid, aut bonum erat, aut bonum putabatur : non enim aliter appeti posset. Sed in summo malo, ante commixtionem quam prædicant, nullum unquam bonum fuit. Unde igitur ibi vel scientia vel opinio boni esse potuit? An nihil volebant quod apud se esset, atque illud bonum verum, quod extra erat, appetebant? Ista vero præclara et magna laude prædicanda voluntas est, qua summum appetitur et verum bonum. Unde igitur in summo malo motus animi tanta laude dignissimus? An studio nocendi appetebant? Primo, eodem revolvitur ratio. Qui enim nocere vult, bono aliquo vult privare alium propter aliquod bonum suum. Erat igitur in eis vel scientia boni, vel opinio, quæ summo malo nullo modo esse debebat. Deinde bonum illud extra se positum, cui nocere studebant, utrum omnino esset, unde cognoverant? Si intellexerant, quid tali mente præclarius? An quidquam est aliud, quo magnis [6] laboribus omnis bonorum porrigatur intentio, nisi ut summum illud et sincerum bonum intelligatur? Quod ergo nunc vix paucis bonis justisque conceditur, id tunc illud merum malum nullo bono adjuvante jam poterat? Si autem illæ animæ corpora gerebant, et id oculis viderant; quæ linguæ, quæ pectora, quæ ingenia laudandis istis oculis prædicandisque sufficiunt, quibus vix possunt mentes justorum adæquari? Quanta bona invenimus in summo malo? Si enim videre Deum malum est, non est bonum Deus : bonum est autem Deus : bonum est igitur Deum videre; et nescio quid huic bono [7] comparari queat. Porro quod videre bonum est, unde fieri potest ut posse videre sit malum? Quapropter quidquid vel in illis oculis, vel in istis mentibus fecit, ut ab his possit videri divina substantia, magnum et ineffabili laude dignissimum bonum fecit. Si autem non factum, sed ipsum per se tale ac sempiternum erat, difficile hoc malo quidquam melius invenitur.

17. Postremo, ut nihil horum laudandorum habeant illæ animæ, quæ illorum rationibus habere coguntur, quærerem utrum aliquas an nullas animas Deus da-

[1] Sola editio Lov., *crassius.*
[2] Editio Er., *definire etiam rem. Nec hi libri*, etc. Lov., *definire eam rem. Nec*, etc. Castigantur ex Mss.
[3] Ita Mss. At editi, *primum omnium.*
(*a*) 1 Retract., cap. 15, n. 4

[4] Editi, *quærere cæperam.* Melius Vaticani Mss., *quærere poteram.*
[5] In Mss., *illam Dei partem.*
[6] Sola editio Lov., *magis.*
[7] Lov., *tanto bono.* Abest, *tanto*, a cæteris libris.
(*a*) 1 Retract., cap. 15. n. 5.

mnet. Si nullas, nullum meritorum judicium est, nulla providentia; et casu potius quam ratione mundus administratur, vel potius non administratur : non enim administratio casibus danda est. Hoc autem si omnibus qualibet religione devinctis credere nefas est, restat ut aut sit aliquarum animarum damnatio, aut nulla peccata sint. Sed si nulla peccata sunt etiam nullum malum : quod isti si dixerint, hæresim suam uno ictu interficiunt. Convenit igitur mihi cum illis, animas aliquas divina lege judicioque damnari. At hæ, si bonæ sint, quæ illa justitia est? Si malæ; natura, an voluntate? Sed natura esse malæ animæ nullo modo queunt. Unde hoc docemus? De superioribus definitionibus voluntatis atque peccati. Quia dicere animas, et esse malas, et nihil peccare, plenum est dementiæ : dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est; et peccati reum tenere [1] quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus (a). At omnes fatentur, et malas animas juste, et eas quæ non peccaverunt, injusto damnari : fatentur igitur eas malas esse quæ peccant. Illæ autem, sicut ratio docuit, non peccant. Animarum ergo malarum genus nescio quod extraneum [2], quod a Manichæis inducitur, nullum est.

18. Nunc bonum illud genus videamus, quod rursus ita laudant, ut ipsam Dei substantiam dicant esse. Quanto autem melius est ut suum ordinem meritumque quisque cognoscat, nec ita sacrilega superbia ventiletur, ut cum se toties commutari sentiat, summi illius boni, quod incommutabile pia ratio profitetur et docet, credat esse substantiam? Ecce enim cum manifestum sit non peccare animas in eo quod non sunt tales, quales esse non possunt; unde constat jam nescio quas illas inductitias nullo modo peccare, et propterea illas omnino non esse : relinquitur, ut quoniam concedunt esse peccata, non inveniant quibus ea tribuant, nisi bono generi animarum et substantiæ Dei. Maxime autem urgentur auctoritate christiana : nunquam enim negaverunt dari veniam peccatorum, cum fuerit ad Deum quisque conversus; nunquam dixerunt (ut alia multa) quod Scripturis divinis hoc quisquam corruptor inseruerit. Quibus ergo peccata donantur? Si alieni generis illis malis, possunt et bonæ fieri, possunt Dei regnum possidere cum Christo. Quod isti quia negant, nec habent alterum genus, nisi earum quas de substantia Dei esse perhibent; restat ut non solum etiam ipsas, sed ipsas solas peccare fateantur. Ego autem nihil pugno ne solæ peccent : peccant tamen. At enim [3] mali commixtione coguntur? Si ita coguntur, ut resistendi potestas nulla sit, non peccant : si est in potestate sua resistere, et propria voluntate consentiunt, cur tanta bona in summo malo, cur hoc malum in summo bono, per doctrinam illorum cogimur invenire; nisi quia neque illud malum est quod suspicione inducunt, neque hoc summum bonum quod superstitione pervertunt?

CAPUT XIII. — 19. *Ex deliberatione in malam et in bonam partem non haberi duo animarum genera. Concesso genere animarum illicientium ad turpia, non sequi has esse natura malas, alias esse summum bonum.* At si de duobus istis generibus animarum delirare illos et errare docuissem, aut certe ipse didicissem, quid remanere poterat, cur mihi jam de ulla re audiendi vel consulendi viderentur? An ut discerem hinc ostendi animarum duo esse genera, quod in deliberando nunc in malam partem, nunc in bonam nutat assensio? Cur non magis hoc signum est unius animæ, quæ libera illa voluntate huc et huc ferri, hinc atque hinc referri potest? Nam mihi cum accidit, unum me esse sentio utrumque considerantem, alterutrum eligentem : sed plerumque illud libet, hoc decet, quorum nos in medio positi fluctuamus. Nec mirum : ita enim nunc constituti sumus, ut et per carnem voluptate affici, et per spiritum honestate possimus. Quare non duas animas hinc fateri cogor? Possumus enim melius et multo expeditius intelligere duo genera bonarum rerum, quorum tamen neutrum ab auctore Deo sit alienum, unam animam ex diversis afficere partibus [1], inferiore ac superiore, vel quod recte ita dici potest, exteriore atque interiore. Ista sunt [2] duo genera, quæ sensibilium et intelligibilium nomine paulo ante tractavimus, quæ carnalia et spiritualia libentius et familiarius nos vocamus. Sed factum est nobis difficile a carnalibus abstinere, cum panis verissimus noster spiritualis sit. Cum labore namque nunc edimus panem. Neque enim nullo in supplicio sumus peccato transgressionis mortales ex immortalibus facti. Ideo contingit ut cum ad meliora conantibus nobis, consuetudo facta cum carne et peccata nostra quodam modo militare contra nos, et difficultatem nobis facere cœperint, nonnulli stulti aliud genus animarum quod non sit ex Deo superstitione obtusissima suspicentur.

20. Quanquam etiam si eis concedatur inferiore alio genere animarum nos illici ad turpia, non inde conficiunt aut illas natura malas esse, aut istas summum bonum. Fieri enim potest ut propria illæ voluntate appetendo quod non licebat, hoc est, peccando, ex bonis factæ sint malæ; rursusque fieri bonæ possint, sed sic ut quamdiu manent in peccato, ad sese alias occulta quadam suasione traducant [3] : deinde, ut omnino malæ non sint, sed in suo genere, quamvis inferiore, opus proprium sine ullo peccato

[1] Sic Mss. At Er. et Lov., *teneri*. Et paulo post iidem editi ferunt, *peccato earum teneri non possumus*.
[2] Editi, *extra illud*. Melius Vaticani Mss., *extraneum*.
[3] Editi, *peccant tamen, etenim mali commixtione*, etc. Emendantur ex Mss.
(a) I Retract., cap. 15, n. 6.

[1] Sic in Mss. At in editis vulgo male, *ex diversis efficere partibus*.
[2] Editi, *ita sunt*. Meliores vero Mss., *ista sunt*.
[3] Vaticani Mss., *sed ut fit*. Michaelinus Ms., *sed ut fit, quamdiu manent in peccato, ad alias sese occulta quadam suasione traducant*.

exerceant : istæ autem superiores quibus actionem longe præstantiorem rerum moderatrix justitia summa tribuerit, si illas inferiores sequi et imitari voluerint, peccando fiunt malæ, non quia malas, sed quia male imitantur. Ab illis enim agitur proprium, ab istis appetitur alienum : unde illæ in suo gradu manent, istæ ad inferiora merguntur. Velut cum homines ferina sectantur. Pulchre namque incedit quadrupedans equus : at si hoc homo pedibus manibusque imitetur, quis eum vel palearum cibo dignum putet? Recte igitur plerumque improbamus imitantem, cum eum quem imitatur probemus. Improbamus autem, non quia non sit assecutus, sed quia omnino assequi voluit. In equo enim probamus illud, cui quantum præponimus hominem, tantum offendimur quod inferiora sectatur. Quid inter ipsos homines, in emittenda voce nonne quod præco bene facit, etiamsi clarius ac melius id faciat senator præcone, insanus est? Cœlestia suscipe : lucens luna laudatur, suoque cursu atque vicibus bene considerantibus satis placet; tamen si eam sol velit imitari (fingamus enim eum posse habere hujusmodi voluntates), cui non summe ac jure displiceat? Ex quibus illud est quod intelligi volo. Etiam si sunt animæ (quod interim incertum est), corporeis officiis non peccato, sed natura deditæ, nosque, quanquam sint inferiores, aliqua tamen interiore [1] vicinitate contingunt, non illas ideo malas haberi oportere, quia et nos cum eas sequimur, et corporea diligimus, mali sumus (*a*). Propterea enim corporea diligendo peccamus, quia spiritualia diligere et justitia jubemur et natura possumus, et tunc in nostro genere optimi et beatissimi sumus (*b*).

21. Quamobrem, quid habet argumenti æstuans in utramque partem deliberatio, modo in peccatum prona, modo in recte factum subvecta, ut duo animarum genera, quorum alterius natura ex Deo sit, alterius non sit, cogamur accipere, cum alias tot causas alternantis cogitationis conjicere liceat? Sed hæc obscura esse, et incassum ab animis lippientibus quæri, quisquis bonus rerum existimator est, videt. Quare illa potius quæ de voluntate atque peccato dicta sunt, illa, inquam, quæ summa justitia neminem ratione utentem ignorare permittit, illa quæ si auferantur nobis, nihil est unde disciplina virtutis inchoetur, nihil unde a vitiorum morte [2] surgatur, etiam atque etiam considerata satis clare ac dilucide Manichæorum hæresim falsam esse convincunt.

CAPUT XIV. — 22. *Rursum ex pœnitendi utilitate monstratur animas non natura malas esse. Demonstrationi tam certæ nonnisi ex consuetudine errandi contradicitur.* Horum simile est quod de pœnitendo nunc dicam. Nam, ut inter omnes sanos constat, et quod ipsi Manichæi non solum fatentur, sed et præcipiunt, utile est pœnitere peccati. Quid ego nunc in hanc rem divinarum Scripturarum testimonia, quæ usquoquaque diffusa sunt, colligam? Vox est etiam ista naturæ : neminem stultum rei hujus notitia deseruit; hoc nobis nisi penitus insitum esset, periremus. Potest aliquis dicere, non se peccare : non autem sibi esse, si peccaverit, pœnitendum, nulla barbaries dicere audebit. Quæ cum ita sint, quæro ex duobus illis generibus animarum, cujus sit pœnitere peccati? Scio quidem neque illius esse posse, qui male facere, neque illius qui bene facere non potest : quare, ut eorum verbis utar, si animam tenebrarum peccati pœnitet, non est de substantia summi mali; si animam lucis, non est de substantia summi boni. Pœnitendi enim affectus ille qui prodest, et male fecisse pœnitentem [1], et bene facere potuisse testatur. Quomodo igitur ex me nihil mali, si ego perperam feci? aut quomodo me recte pœnitet, si ego non feci? Audi partem alteram : Quomodo ex me nihil boni est, cui bona voluntas inest? aut quomodo me recte pœnitet, si non inest? Quamobrem aut negent isti esse pœnitendi magnam utilitatem, ut non solum a christiano nomine, sed ab omni etiam vel imaginaria ratione pellantur; aut animarum illa duo genera, unum ex quo nihil mali, alterum ex quo nihil boni sit, dicere [2] atque docere jam desinant : quod si faciant, Manichæi esse utique jam desinent; nam tota illa secta ista bicipiti, vel potius præcipiti animarum varietate fulcitur.

23. Ac mihi quidem satis est sic scire quod Manichæi errent, ut scio pœnitendum esse peccati : et tamen si nunc amicorum meorum aliquem, qui usque adhuc illos audiendos putat, compellem jure amicitiæ, et ei dicam, Scisne utile esse, cum quisque peccaverit, pœnitere? sine dubitatione se scire jurabit. Si ergo te fecero ita scire falsam esse Manichæorum hæresim, desiderabisne amplius? Quid amplius se posse in hac re desiderare [3] respondeat. Bene quidem hucusque. Sed cum ostendere cœpero certas necessariasque rationes, quæ illam propositionem adamantinis, ut dicitur, catenis innexæ consequuntur, remque totam ad conclusionem qua illa evertitur secta perduxero; negabit se forsitan scire utilitatem illam pœnitendi, quam nemo doctus, nemo indoctus ignorat; et potius se scire contendet, cum dubitamus et deliberamus, duas in nobis animas patrocinia propria singulis quæstionis partibus adhibere. O consuetudo peccati! o comes pœna [4] peccati! Vos me tunc a rerum tam manifestarum consideratione avertistis; sed non sentienti nocebatis : nunc vero in familiarissimis meis similiter non sentientibus me jam vulneratis torquetisque sentientem.

CAPUT XV. — 24. *Orat pro amicis quos habuit erroris socios.* Attendite ista, quæso, charissimi : vestra

[1] sic in Mss. At in excusis, *inferiore*.
[2] Editi, *alternantes cogitationes*. Castigantur ex Mss.
[3] Ita in Mss. At in excusis vulgo, *male*.
(*a*) I Retract., cap. 13, n. 7.
(*b*) Ibid., n. 8.

[1] Sic omnes Mss. Editi vero, *affectio illa quæ prodit male fecisse pœnitentem*.
[2] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *discere*. M.
[3] Editi, *esse posset in hac re desiderandum*. At Mss., *se posse in hac re desiderare*.
[4] Sola fere editio Lov., *pœna*.

ingenia bene novi. Si mihi nunc vos qualiscumque hominis mentem rationemque conceditis, multo certiora sunt, quam quæ ibi vel videbamur discere, vel magis credere cogebamur. Deus magne, Deus omnipotens, Deus summæ bonitatis, quem inviolabilem atque incommutabilem credi atque intelligi fas est, Trina unitas, quam catholica Ecclesia colit, supplex oro, expertus in me misericordiam tuam, ne homines cum quibus mihi a pueritia in omni convictu fuit summa consensio, in tuo cultu a me dissentire permittas (*a*). Video maxime exspectari hoc loco, quomodo etiam catholicas Scripturas a Manichæis accusatas vel tunc defenderem, si, ut dico, cautus essem; vel nunc defendi posse demonstrem. Sed in aliis voluminibus Deus adjuvabit propositum meum; nam hujus jam, quantum arbitror, moderata [1] parci sibi postulat longitudo.

[1] Editio Er., *immoderata*.
(*a*) I Retract., cap. 15, n. 8.

DE SUBSEQUENTE DISPUTATIONE,

POSSIDIUS IN AUGUSTINI VITA, CAP. VI.

Sane tunc in illa Hipponensi urbe, Manichæorum pestilentia quamplurimos cives et peregrinos infecerat et penetraverat, seducente et decipiente ejusdem hæresis quodam presbytero nomine Fortunato, ibidem conversante atque manente. Interea Hipponenses cives et peregrini Christiani tam Catholici quam etiam Donatistæ adeunt Augustinum presbyterum, atque deposcunt ut illum hominem Manichæorum presbyterum, quem doctum credebant, videret, et cum eodem de Lege tractaret. Quod idem, ut scriptum est, paratus ad responsionem omni poscenti se rationem de fide et spe quæ in Deum est (1 *Petr.* III, 15), potensque exhortari in doctrina sana, et contradicentes redarguere (*Tit.* I, 9), minime renuit. Sed utrum etiam hoc Fortunatus fieri vellet, sciscitatus est. At illi confestim ad ipsum Fortunatum id detulerunt, petentes et exhortantes ac flagitantes, quod id minime recusaret. Sane quoniam idem Fortunatus jam apud Carthaginem sanctum noverat Augustinum adhuc in eodem secum errore constitutum, cum eodem congredi pavitabat. Verumtamen suorum maxime instantia coactus ac verecundatus, promisit cominus se esse venturum, certamenque disputandi subiturum. Unde condicto die et loco convenerunt in unum, concurrentibus quamplurimis viris studiosis turbisque curiosis, et apertis notariorum tabulis, disputatio est cœpta primo, et secundo finita est die. In qua ille manichæus præceptor, ut Gestorum continet fides, nec catholicam assertionem potuit evacuare, nec Manichæorum sectam subnixam veritate valuit comprobare: sed deficiens responsione, ultimo collaturum se cum suis majoribus ea quæ refellere non potuit, prosecutus est; et si sibi forte de his satis minime fecissent, suæ animæ consulturum: atque ita ab omnibus apud quos magnus et doctus videbatur, nihil valuisse in suæ sectæ assertione judicatus est. Qua ille confusione affectus, et sequenti tempore de Hipponensi civitate profectus, ad eamdem amplius non remeavit: ac sic per memoratum Dei hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui absentes illa quæ gesta sunt cognoverant, error ille ablatus, catholica est intimata ac retenta sincera religio.

De subsequente Disputatione vide lib. 1, *cap.* 16, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 612, *n.* 1, *a verbis,* Eodem tempore, *usque ad verba n.* 2, Clarissimis consulibus. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

ACTA SEU DISPUTATIO

CONTRA FORTUNATUM MANICHÆUM.

Liber unus [a].

DISPUTATIO PRIMÆ DIEI.

Quinto calendas septembris, Arcadio Augusto bis et Rufino viris clarissimis consulibus, habita disputatio adversus Fortunatum Manichæorum presbyterum, in urbe Hipponensium regionum, in Balneis Sossii [1], sub præsentia populi.

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber contra Fortunatum castigatus est juvante codice Vaticano, Arnulphensi, et Victorinis duobus, præter Belgicorum rium varias lectiones olim a Lovaniensibus datas, perlectis etiam antiquis editionibus.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Editio Lov., *Sosii.* Cæteri libri, *Sossii.*

(*a*) Scriptus anno 392.

1. Augustinus dixit : Ego jam errorem puto, quam antea veritatem putabam : utrum recte existimem, a te præsente audire cupio [1]. In primis summum errorem puto, omnipotentem Deum, in quo una nobis spes est, ex aliqua parte violabilem, aut coinquinabilem, aut corruptibilem credere. Hoc vestram hæresim affirmare scio ; non quidem verbis quibus nunc usus sum : nam et vos interrogati confitemini Deum esse incorruptibilem et omnino inviolabilem et incoinquinabilem ; sed cum cœperitis cætera exponere, cogimini eum corruptibilem, penetrabilem, et coinquinabilem profiteri. Dicitis enim aliam nescio quam gentem tenebrarum adversus Dei regnum re bellasse : Deum autem omnipotentem, cum videret quanta labes et vastitas immineret regnis suis, nisi aliquid [2] adversæ genti opponeret, et ei resisteret, misisse hanc virtutem, de cujus commixtione cum malo et tenebrarum gente mundus sit fabricatus. Hinc esse quod hic animæ bonæ laborant, serviunt, errant, corrumpuntur : ut necessarium haberent [3] liberatorem, qui eas ab errore purgaret, et a commixtione solveret, et a servitute liberaret. Hoc ego nefas puto credere, Deum omnipotentem aliquam adversam gentem timuisse, aut necessitatem esse passum, ut nos in ærumnas præcipitaret.

Fortunatus dixit : Quia te medium fuisse nostrum scio, id est, inter Manichæos administrasse, ista sunt principalia fidei nostræ. De conversatione hic agitur, de quibus falsis criminibus pulsamur. Ex te ergo præsentes audiant boni viri, utrum sint vera super quibus criminamur et appetimur, an sint falsa. Etenim ex tua doctrina, et ex tua expositione et ostensione poterunt verius scire nostram conversationem, si a te fuerit prodita. Interfuisti orationi.

2. Aug. dixit : Interfui. Sed alia quæstio est de fide, alia de moribus : ego de fide proposui. Sed si illi qui adsunt, malunt audire de moribus, nec istam quæstionem defugio.

Fort. dixit : Purgare me prius volo penes conscientiam vestram, penes quam [4] polluimur, ex idonei viri testimonio, qui mihi et nunc idoneus est, et in futura justi judicis Christi examinatione, si ea quæ jactantur vidit in nobis, vel consecutus est.

3. Aug. dixit : Ad aliud vocas, cum ego de fide proposuerim. De moribus autem vestris plene scire possunt qui Electi vestri sunt. Nostis autem me non Electum vestrum, sed Auditorem fuisse. Itaque, quamvis et orationi vestræ interfuerim, ut interrogasti ; utrum separatim vobiscum habeatis aliquam orationem, Deus solus potest nosse, et vos. Ego tamen in oratione in qua interfui, nihil turpe fieri vidi : sed solum contra fidem animadverti, quam postea didici et probavi, quod contra solem facitis orationem. Præter hoc in illa oratione vestra nihil novi comperi. Quisquis autem vobis opponit quæstionem aliquam de moribus, Electis vestris opponit [1]. Quid autem inter vos agatis, qui Electi estis, ego scire non possum. Nam et Eucharistiam audivi a vobis sæpe quod accipiatis : tempus autem accipiendi cum me lateret, quid accipiatis, unde nosse potui ? Itaque serva, si placet, quæstionem de moribus, ut inter Electos vestros discutiatur, si discuti potest. Mihi fides data est a vobis, quam hodie improbo. De ipsa proposui : ad propositum meum mihi respondeatur.

Fort. dixit : Et nostra professio ipsa est, quod incorruptibilis sit Deus, quod lucidus, quod inadibilis, intenibilis, impassibilis, quod æternam lucem et propriam inhabitet [2] : quod nihil ex sese corruptibile proferat, nec tenebras, nec dæmones, nec satanam, nec aliquid adversum in regno ejus reperiri possit. Sui autem similem Salvatorem direxisse : Verbum natum a constitutione mundi cum mundum fabricaret [3], post mundi fabricam inter homines venisse : dignas sibi animas elegisse [4] sanctæ suæ voluntati, mandatis suis cœlestibus sanctificatas, fide ac ratione imbutas cœlestium rerum ; ipso ductore hinc iterum [5] easdem animas ad regnum Dei reversuras esse, secundum sanctam ipsius pollicitationem, qui dixit : *Ego sum via, veritas, et janua ;* et, *Nemo potest ad Patrem pervenire, nisi per me.* His rebus nos credimus, quia alias animæ [6], id est, alio mediante non poterunt ad regnum Dei reverti, nisi ipsum reperierint viam, veritatem, et januam. Ipse enim dixit : *Qui me vidit, vidit et Patrem meum* (*Joan.* xiv, 6, 9) ; et, *Qui in me crediderit, mortem non gustabit in æternum, sed transitum facit de morte ad vitam, et in judicium non veniet* (*Id.* v, 24). His rebus credimus, et hæc est ratio fidei nostræ, et pro viribus animi nostri mandatis ejus obtemperare, unam fidem sectantes hujus Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti.

4. Aug. dixit : Has animas, quas de morte ad vitam per Christum venire fatemini, quæ causa præcipitavit in mortem ?

Fort. dixit : Hinc jam dignare prosequi et contrarie, si nihil præter Deum.

5. Aug. dixit : Imo tu dignare respondere id quod interrogaris, has animas quæ causa morti dederit.

Fort. dixit : Imo tu dignare dicere, utrum aliquid sit præter Deum, an omnia in Deo sint.

6. Aug. dixit : Illud ego respondere possum, quod

[1] Post, *audire cupio*, Vaticanus codex addit : Fortunatus *dixit : Certa errorem exponere.* Augustinus *dixit : In primis*, etc.

[2] Vaticanus codex, *regnis suis, ut aliquid*, etc.

[3] Idem codex, *et necessarium habent.*

[4] In Mss., *penes quos.*

[1] Editi, *opponat.* Concinnius Mss., *opponit.*

[2] In B., *quod inadibilis, quod intenibilis, impassibilis, æternum lucem inhabitet.* Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.

[3] In Vaticano codice, *fabricarent.*

[4] Vaticanus codex, *animas exelegisse.* Et infra, *ipso ducatore.*

[5] In Mss., *ac ratione imbutas cœlestium rerum ipse dominator, et hinc iterum*, etc.

[6] Editi, *aliæ suæ animæ.* Emendantur hic ex Vaticano codice. Postea Lovanienses pro, *alio mediante*, legi voluerunt, *alio modo ante.* Sed reluctantur nostri omnes Mss.

me nosse Dominus voluit, Deum necessitatem nullam pati posse, neque ex aliqua parte violari atque corrumpi. Quod cum tu quoque fatearis, quæro qua necessitate huc miserit animas quas dicis per Christum redire.

FORT. dixit : Quod tu dixisti, quia huc usque tibi Deus revelavit quod incorruptibilis sit, quemadmodum [1] et mihi ; ratio quærenda est, quemadmodum animæ et ob quam causam istum in mundum venerint, ut merito nunc eas per unigenitum Filium suum ac sui similem de hoc mundo liberaret, si nihil præter ipsum.

7. AUG. dixit : Non debemus frustrare tantos qui præsentes sunt, et de quæstione proposita ire ad aliud. Sic confitemur ambo, sic nobis concedimus esse incorruptibilem et inviolabilem Deum, et nihil pati potuisse : ex quo est consequens ut falsa sit hæresis vestra, quæ dicit, Deum cum videret imminere vastitatem ac labem regnis suis, misisse virtutem quæ cum tenebrarum gente bellaret, et ex ea commixtione nostras animas laborare [2]. Brevis est ergo ratio mea, et, quantum existimo, cuivis planissima. Si Deus nihil pati potuit a gente tenebrarum, quia inviolabilis est ; sine causa huc nos misit, ut nos hic ærumnas patiamur. Si autem aliquid pati potuit ; non est inviolabilis, et decipitis eos quibus dicitis esse inviolabilem Deum. Hoc enim vestra hæresis negat, cum cætera exponitis.

FORT. dixit : Hoc sentimus, quod nos instruit beatus apostolus Paulus, qui dixit : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu ; qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo : humiliavit semetipsum, et factus est subditus usque ad mortem* (*Philipp.* II, 5-8). Hoc ergo sentimus de nobis, quod et de Christo ; qui cum in forma Dei esset constitutus, factus est subditus usque ad mortem, ut similitudinem animarum nostrarum ostenderet. Et quemadmodum in se mortis similitudinem ostendit, et se a Patre esse de medio mortuorum resuscitatum ; eo modo sentimus et de animis nostris futurum, quod per ipsum poterimus ab hac morte liberari : quæ aut aliena est a Deo, aut si propria est Dei, et misericordia ejus cessat, et liberatoris nomen, et opera liberantis.

8. AUG. dixit : Ego quæro quemadmodum in mortem venerimus, et tu dicis quemadmodum de morte liberemur.

FORT. dixit : Ita Apostolus dixit quomodo sentire debeamus de animis nostris, quod Christus nobis ostendit. Si fuit Christus in passione et morte, et nos : si voluntate Patris descendit in passionem et mortem, et nos.

9 AUG. dixit : Notum est omnibus catholicam fidem ita se habere, quod Dominus noster, id est, Virtus et Sapientia Dei (I *Cor.* I, 24), et Verbum per quod facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil (*Joan.* I, 3), ad liberationem nostram hominem suscepit. In ipso homine quem suscepit, demonstravit illa quæ dicis. Nos autem nunc de ipsius Dei et ineffabilis majestatis substantia quærimus, utrum ei aliquid nocere possit, an non possit. Si enim potest ei aliquid nocere, non est inviolabilis. Si non potest ei aliquid nocere, quid ei factura erat gens tenebrarum, contra quam dicitis bellum gestum esse a Deo ante constitutionem mundi, in quo bello nos, id est animas, quas modo indigere liberatore manifestum est, commixtas esse omni malo, et morti implicitas asseritis ? Redeo enim ad illud brevissimum : Si poterat ei noceri, non est inviolabilis ; si non poterat, crudeliter huc nos misit, ut ista patiamur.

FORT. dixit : Anima Dei est [1], an non ?

10. AUG. dixit : Si justum est ut non interrogatis meis respondeatur, et ego interroger, respondebo.

FORT. dixit : Si in proprio agit anima ? Hoc a te quæro.

11. AUG. dixit : Ego quidem quod interrogasti dicam : tantum illud memineris ; te noluisse respondere interrogatis meis, me autem tuis respondere. Si quæris utrum a Deo descenderit anima, magna quidem quæstio est : sed sive a Deo descendit, sive non ; illud de anima respondeo, non esse Deum ; aliud esse Deum, aliud animam. Deum esse inviolabilem, incorruptibilem, et impenetrabilem, et incoinquinabilem, et qui ex nulla parte corrumpi possit, et cui nulla ex parte noceri potest. Animam vero videmus et peccatricem esse, et in ærumna versari, et veritatem quærere, et liberatore indigere. Hæc mutatio animæ ostendit mihi quod anima non sit Deus. Nam si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur : quod nefas est dicere.

FORT. dixit : Ergo negasti animam ex Deo esse, quamdiu peccatis ac vitiis et mundanis rebus deservit, et errore ducitur : quod fieri non potest, ut aut Deus hoc patiatur, aut substantia ejus. Est enim Deus incorruptibilis, et substantia ejus immaculata est et sancta. Hic vero quæritur a vobis [2], utrum anima ex Deo sit, necne ? Quod nos fatemur, et ostendimus ex Salvatoris adventu, ex ipsius sancta prædicatione, ex ipsius electione [3], dum animis miseretur, et secundum ejus arbitrium anima venisse dicitur, ut eamdem de morte liberaret, et perduceret eam ad æternam gloriam, et restitueret Patri. Quid vero de anima tu ipse dicis aut speras, utrum sit a Deo, necne ? substantiam Dei, ex qua negas esse animam, nullis passionibus posse subjacere.

[1] Hic auctoritate manuscriptorum addimus, *quemadmodum*.

[2] Editi vulgo male, *et ex ea commixtione hinc nostras animas liberaret*. Vaticanus vero Ms. omittit, *hinc* ; ac loco, *liberaret*, habet, *laborare*. Sic supra, n. 1, col. 113, *Hinc esse quod hic animæ bonæ laborant*.

[1] Sic Mss. Editi vero, *Deus est*.

[2] Editi, *a nobis*. At Mss., *a vobis*.

[3] Er. et Mss., *lectione*.

12. Aug. dixit : Animam sic negavi esse substantiam Dei, ut negem illam esse Deum : sed tamen ex Deo auctore esse, quia facta est a Deo. Aliud est qui fecit, aliud quod fecit. Qui fecit, corruptibilis esse omnino non potest : quod autem fecit, omnino non potest æquale esse illi qui fecit.

Fort. dixit : Nec ego dixi animam esse similem Deo. Sed quia dixisti factitiam [1] esse animam, et nihil præter Deum ; quæro undenam Deus animæ substantiam adinvenit.

13. Aug. dixit : Tantum memento me respondere ad ea quæ interrogas ; te autem ad ea quæ interrogo non respondere. Animam dico factam a Deo, ut cætera omnia quæ a Deo facta sunt ; et inter illa quæ Deus omnipotens fecit, principalem locum datum esse animæ (*a*). Si autem quæris unde Deus animam fecit, memento confiteri me tecum [2], Deum esse omnipotentem. Omnipotens autem non est, qui quærit adjuvari aliqua materia unde faciat quod velit. Ex quo est consequens, ut secundum fidem nostram omnia quæ Deus fecit per Verbum et Sapientiam suam, de nihilo fecerit. Sic enim legimus : *Ipse jussit, et facta sunt ; ipse mandavit, et constituta sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5).

Fort. dixit : Ex jussione constant universa ?

14. Aug. dixit : Ita credo, sed universa quæ facta sunt.

Fort. dixit : Facta consonant, sed quia inconvenientia sibi sunt, ac per hoc ergo constat non esse unam substantiam, licet ex unius jussione eadem ad compositionem [3] mundi hujus et faciem venerint. Cæterum rebus ipsis patet quia nihil simile tenebræ et lux, nihil simile veritas et mendacium, nihil simile mors et vita, nihil simile anima et corpus, et cætera istis similia quæ et nominibus et speciebus distant ab invicem : et merito dixisse Dominum nostrum, *Arbor quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur, et in ignem mittetur, quia non affert fructus bonos* (*Matth.* XV, 13, *et* III, 10) : et esse arborem radicatam [4]. Hinc vere constat ex ratione rerum [5], quod duæ sunt substantiæ in hoc mundo, quæ speciebus et nominibus constant ; quarum est una corporis, alia vero æterna Patris omnipotentis quam Dei esse credimus [6].

15. Aug. dixit : Contraria ista quæ te movent, ut adversa sentiamus, propter peccatum nostrum, id est, propter peccatum hominis contigerunt. Nam omnia Deus et bona fecit, et bene ordinavit ; peccatum autem non fecit : et hoc est solum quod dicitur malum, voluntarium nostrum peccatum. Est et aliud genus mali, quod est pœna peccati. Cum ergo duo sint genera malorum, peccatum et pœna peccati ; peccatum ad Deum non pertinet, pœna peccati ad vindicem pertinet. Etenim ut bonus est Deus, qui omnia constituit ; sic justus est, ut vindicet in peccatum. Cum ergo omnia optime sint ordinata, quæ videntur nobis nunc adversa esse, merito contigit hominis lapsi, qui legem Dei servare noluit. Animæ enim rationali quæ est in homine, dedit Deus liberum arbitrium. Sic enim posset habere meritum, si voluntate, non necessitate boni essemus. Cum ergo oporteat non necessitate, sed voluntate bonum esse, oportebat ut Deus animæ daret liberum arbitrium. Huic autem animæ obtemperanti legibus suis, omnia subjecit sine adversitate : ut ei cætera quæ Deus condidit servirent, si et ipsa Deo servire voluisset. Si autem ipsa noluisset Deo servire, ea quæ illi serviebant, in pœnam ejus converterentur. Quare si recte omnia a Deo ordinata sunt, et bona sunt, et Deus non patitur malum.

Fort. dixit : Non patitur, sed prævenit malum.

16. Aug. dixit : A quo enim passurus erat ?

Fort. dixit : Hoc meum est, quia prævenire voluit : non temere, sed virtute et præscientia. Cæterum nega malum præter Deum esse ; cum præcepta ostendi queunt alia [1] quæ præter voluntatem ipsius fiunt. Præceptum non intercedit, nisi ubi est et contrarietas. Libera facultas vivendi non datur, nisi ubi est lapsus, secundum Apostoli rationem, qui dicit : *Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum magisterium hujus mundi, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et nos et omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntates consiliorum carnis, et eramus naturaliter filii iræ, sicut et cæteri. Deus autem qui dives est in omni misericordia, misertus est nobis. Et cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvi facti ; simul et suscitavit, et cum eo collocavit in cœlestibus cum Christo Jesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratia enim estis salvati per fidem : et hoc non ex vobis, Dei enim donum est ; non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. Propter quod memores estote, quod aliquando vos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta, quia eratis illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua ; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipsum, in unum novum hominem, faciens pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore Deo, per crucem,*

[1] Sic Mss. Editi vero, *facturam*.
[2] Vaticanus codex, *confiteri te mecum*.
[3] Sola editio Lov., *ad eamdem compositionem*.
[4] Editio Er., *radicandam*. Lovanienses correxerunt ex duobus Mss., *eradicatam*. Nos ex nostris ponimus, *radicatam* ; quæ vox respicere videtur bonam arborem, ab ea quæ eradicabitur diversam.
[5] Vaticanus codex : *Hinc vero constat, et ratio ipsa patet, et speciebus ipsis et discretione rerum*.
[6] Sola editio Lov., *una temporalis, alia vero æterna quam Patris omnipotentis esse credimus*.
(*a*) I Retract., cap. 16, n. 2.

[1] Editio Er. et Mss., *ostendit quæ sunt alia*.

interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe, et pacem iis qui prope. Quoniam per ipsum habemus utrique in uno spiritu accessum ad Patrem (*Ephes.* II, 1-18).

17. Aug. dixit : Ista Apostoli lectio, quam recitare voluisti, si non fallor, pro mea plurimum, et contra tuam fidem facit. Primo, quia ipsum liberum arbitrium, quo ego dixi fieri ut anima peccet, satis hic expressum est, cum peccata nominavit, et cum reconciliationem nostram dixit fieri cum Deo per Jesum Christum. Peccando enim aversi eramus a Deo ; tenendo autem præcepta Christi, reconciliamur Deo : ut qui peccatis mortui eramus, servantes præcepta ejus vivificemur, et pacem habeamus cum illo in uno spiritu, a quo alienati eramus, non servantes mandata ejus ; sicuti de homine qui primus est constitutus, in fide nostra prædicatur. Ergo nunc quæro abs te, secundum eam lectionem quæ lecta est, quomodo habeamus peccata, si natura contraria nos cogit facere quod facimus ? Qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat. Qui autem peccat, libero arbitrio peccat. Quare sit nobis pœnitentia imperata, si nos nihil mali fecimus, sed gens tenebrarum ? Quæro item, indulgentia peccatorum cui detur ; nobis, an genti tenebrarum. Sed si genti tenebrarum datur indulgentia peccatorum, regnabit et ipsa cum Deo, accipiens indulgentiam peccatorum. Si autem nobis datur indulgentia peccatorum, manifestum est quia voluntate peccavimus. Satis enim stultum est ignosci ei qui nihil mali fecit. Nihil autem mali fecit, qui nihil sua voluntate fecit. Hodie ergo anima pollicente sibi Deo indulgentiam peccatorum et reconciliationem, si peccare destiterit, et de peccatis pœnitentiam gesserit, si respondeat secundum vestram fidem, et dicat : Quid enim peccavi ? quid commerui ? Quid me expulisti de regnis tuis, ut contra nescio quam gentem pugnarem ? Depressa sum [1], permixta sum, corrupta sum, defecta sum [2], non est mihi servatum liberum arbitrium. Tu nosti necessitatem qua pressa sum : cur mihi vulnera imputas quæ suscepi ? Quare me cogis ad pœnitentiam, cum tu sis causa vulnerum meorum ; cum tu scias, quæ passa sum, gentem tenebrarum in me fecisse te auctore, qui violari non poteras, et tamen volens cavere regnis tuis, quibus nihil noceri possit, me in miserias præcipitasti ? Si certe ego pars tua sum, quæ de visceribus tuis processi, si de regno tuo et de ore tuo ; in hac gente tenebrarum aliquid pati non debui, ut me incorrupta, illa subjiceretur, si pars eram Domini. Nunc autem cum illa temperari non posset nisi mea corruptione, quomodo aut pars tua dicor, aut tu inviolabilis manes, aut non es crudelis, qui me pati voluisti pro his regnis, quibus nihil noceri poterat ab illa gente tenebrarum ? Ad hoc responde, si placet : et dignare etiam illud mihi exponere, quomodo dictum est a Paulo apostolo, *Eramus naturaliter filii iræ*, quos reconciliatos dicit Deo. Si ergo naturaliter filii iræ erant [1], quomodo dicis naturaliter animam filiam esse et portionem Dei ?

Fort. dixit : Si secundum animam dixisset Apostolus quod simus naturaliter filii iræ, alienata esset anima ore Apostoli a Deo. Et hac modo tu ratione ostendis quod anima non sit Dei ; quia *naturaliter*, inquit Apostolus, *sumus filii iræ*. Si vero secundum quod lege tenebatur idem apostolus, ex semine Abrahæ, ut ipse contestatur, descendens (*Rom.* XI, 1) ; constat eum corporaliter dixisse, nos fuisse filios iræ, sicut et cæteros. Animæ vero substantiam ostendit quod sit ex Deo, et animam aliter non posse reconciliari Deo, nisi per magistrum qui est Christus Jesus. Interfecta enim inimicitia, videbatur anima indigna exstitisse Deo. Sed quia missa est, hoc confitemur, a Deo tamen omnipotente, et originem trahens, et missa ad ipsius voluntatem consignandam. Quemadmodum et Salvatorem Christum credimus de cœlo venisse, voluntatem Patris complere. Quæ voluntas Patris hæc erat, animas nostras de eadem inimicitia liberare, interfecta eadem inimicitia. Quæ si adversa Deo non fuisset, nec inimicitia vocaretur ubi erat unitas, nec interfectio diceretur aut fieret ubi vita erat.

18. Aug. dixit : Memento quod Apostolus dixerit, conversatione nos alienatos a Deo esse.

Fort. dixit : Trado ego duas substantias fuisse. In lucis substantia haberi Deum, ut superius diximus, incorruptibilem : fuisse vero contrariam naturam tenebrarum, eam quam virtute Dei vinci hodie quoque confiteor, et ad meum regressum salvatorem esse Christum emissum, ut ante idem apostolus ait.

19. Aug. dixit : Rationibus ut discuteremus duarum naturarum fidem, impositum est ab iis qui nos audiunt. Sed quoniam ad Scripturas iterum confugisti, ad eas ego descendo, ac nihil prætermittendum esse postulo, ne quibusdam capitibus utentes, nebulas afferamus eis quibus notæ Scripturæ non sunt. A capite igitur quod habet Apostolus in Epistola sua ad Romanos consideremus. In prima enim pagina est quod vehementer contra vos est. Dicit enim : *Paulus servus Christi Jesu, vocatus apostolus, separatus in Evangelium Dei* [2], *quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri* (*Id.* I, 1-4). Videmus Apostolum de Domino nostro nos docere, ut et virtute Dei ante carnem prædestinatus fuerit, et secundum carnem factus sit ei ex semine David. Hoc vos cum semper negaveritis et negetis, quomodo Scripturas flagitatis, ut secundum eas potius disseramus ?

Fort. dixit : Secundum carnem asseritis ex semine David, cum prædicetur ex virgine esse natus (*Isai.* VII,

[1] Vaticanus Ms., *oppressa sum* ; itemque infra loco, *pressa*, habet, *oppressa*.

[2] Plures Mss., *defatigata sum*. Forte legendum, *decepta sum, defatigata sum* ; quæ duo verba Terentii sunt in Andr. act. 4, scen. 1, vers. 45.

[1] Hic ex Mss. restituimus hæc verba, *quos reconciliatos dicit Deo. Si ergo naturaliter filii iræ erant* ; quæ in editis desunt.

[2] In Mss., *prædestinatus in Evangelium Dei*.

14), et Filius Dei magnificetur. Fieri enim non potest, nisi ut quod de spiritu est, spiritus habeatur; et quod de carne est, caro intelligatur (*Joan.* III, 6). Contra quod est ipsa auctoritas Evangelii qua dicitur, quod *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam possidebit* (I *Cor.* XV, 50).

Hic strepitus factus est a considentibus, qui rationibus potius agi volebant : quia videbant eum non omnia quæ in Apostoli codice scripta sunt, velle accipere. Deinde passim sermocinatio ab omnibus haberi cœpit, quousque diceret sermonem Dei ligatum esse in gente tenebrarum. Quod cum exhorruissent qui aderant, discessum est.

DISPUTATIO SECUNDÆ DIEI.

Postera die adhibito iterum notario, res acta sic est.

Fort. dixit : Dico quod nihil mali ex se proferat Deus omnipotens, et quod quæ sua sunt incorrupta maneant, uno ex fonte inviolabili orta et genita : cætera vero quæ in hoc mundo versantur contraria, non ex Deo manare, nec principe Deo [1] paruisse in hoc sæculo, id est, quod non ex ipso originem trahant. Hæc ergo in fide suscepimus, quod aliena sint mala a Deo.

20. Aug. dixit : Et nostra fides hæc est, quod malorum genitor non sit Deus, neque ullam naturam fecerit malam. Sed cum uterque nostrum consentiat incorruptibilem Deum et incoinquinabilem, prudentium est æstimare et fidelium, quæ sit fides purior et majestate Dei dignior : illa ubi asseritur, vel virtus Dei, vel pars aliqua Dei, vel sermo Dei posse commutari, violari, corrumpi, ligari ; an ea ubi dicitur et omnipotentem Deum et omnem ipsius naturam et substantiam nulla parte unquam posse corrumpi, sed mala esse voluntario peccato animæ, cui dedit Deus liberum arbitrium. Quod liberum arbitrium si non dedisset Deus, judicium puniendi nullum justum esse posset, nec meritum recte faciendi, nec præceptum divinum ut ageretur pœnitentia de peccatis ; nec ipsa indulgentia peccatorum, quam nobis Deus per Dominum nostrum Jesum Christum donavit. Quia qui non voluntate peccat, non peccat. Hoc arbitror omnibus apertum esse atque perspicuum. Quapropter non nos movere debet, si aliqua in iis quæ Deus fecit molesta patimur pro meritis nostris. Sicut enim ille bonus est, ut constitueret omnia ; sic justus est, ut peccatis non parcat. Quæ peccata, ut dixi, nisi libera voluntas esset in nobis, peccata non essent. Si quis enim, verbi causa, ligaretur ab aliquo cæteris membris, et de manu ejus falsum scriberetur sine ejus propria voluntate ; quæro, si hoc judici patefieret, posset hunc hominem falsitatis crimine condemnare? Quare si manifestum est, peccatum non esse ubi non est liberum voluntatis arbitrium, volo audire, anima, quam dicitis aut partem, aut virtutem, aut sermonem, aut aliud quodlibet Dei, quid mali fecerit, ut a Deo puniatur, aut pœnitentiam agat peccati, aut veniam mereatur ; cum nihil ipsa peccaverit.

[1] Editi, *nec principi Deo*. Melius Mss., *nec principe Deo*, id est, auctore.

Fort. dixit : De substantiis proposui, quod bonorum tantummodo Deus creator, ultor vero malorum habeatur, eo quod mala ex ipso non sint. Merito ergo hoc sentio, et ulcisci Deum mala, quia ex ipso non sunt. Cæterum si ex ipso essent, aut daret licentiam peccandi, quod dicis liberum arbitrium dedisse Deum, consensor jam inveniebatur delicti mei, eo quod delicti mei auctor esset : aut ignorans quid futurus essem, delinqueret [1], quem ipse non se dignum instituerat. Hoc ergo propositum est a me, et quod interrogo nunc, utrum Deus mala instituerit, necne ; et utrum ipse finem malorum instituerit. Etenim quæ ab ipso diximus facta esse, ut opifice Deo, uti ab ipso creata et genita incorruptibilia haberi, his rebus apparet, et fides evangelica docet. Hæc ego et proposui quæ sunt credulitatis nostræ, et quæ a te possunt in ista professione nostra firmari, ita tamen ut non desit auctoritas fidei christianæ. Et quia nullo genere recte me credere ostendere possum, nisi eamdem fidem Scripturarum auctoritate firmaverim : id ergo est quod insinuavi, quod dixi. Aut si mala auctore Deo in mundo paruerunt, hoc ipse dicere dignare : aut si recte creditur mala ex Deo non esse, hoc etiam præsentium contemplatio prosequi debet et suscipere. De substantiis dixi, non de peccato quod in nobis versatur. Si enim originem non haberet quod cogitamus delicta facere ; non cogeremur ad peccatum venire, vel ad delictum. Nam quia inviti peccamus, et cogimur a contraria et inimica nobis substantia, ulcirco sequimur scientiam rerum. Qua scientia admonita anima et memoriæ pristinæ reddita, recognoscit ex quo originem trahat, in quo malo versetur, quibus bonis iterum emendans quod nolens peccavit, possit per emendationem delictorum suorum, bonorum operum gratia, meritum sibi reconciliationis apud Deum collocare, auctore Salvatore nostro, qui nos docet et bona exercere, et mala fugere. Propositum est enim nobis, quod non ab aliqua contraria natura, sed sua sponte homo aut justitiæ serviat, aut peccatis se obnoxium faciat : cum nulla existente contraria gente, si sola versatur anima in corpore constituta, cui Deus, ut dicis, liberum arbitrium dedit, sine peccato esset, nec peccatis se obnoxium faceret.

21. Aug. dixit : Ego dico peccatum non esse, si non propria voluntate peccetur (*a*) : hinc esse et præmium, quia propria voluntate recta facimus. Aut si pœnam meretur, qui peccat invitus, debet et præmium mereri, qui bene facit invitus. Quis autem dubitet non deferri præmium, nisi ei qui bona voluntate aliquid fecerit [2]? Ex quo intelligimus et pœnam inferri ei qui voluntate mala aliquid fecerit. Sed quoniam me ad priores naturas et substantias revocas, fides mea est, omnipotentem Deum, quod maxime animadvertendum est, et animo figendum, omnipotentem Deum, justum et bonum, fecisse bona. Sed

[1] Mss., *quod futurus essem delinquere*.

[2] Vaticanus codex et Arnul, hensis, *qui aliquid boni voluntate fecerit*. Pauloque post, *qui voluntate mali aliquid fecerit*.

(*a*) I Retract., cap. 16, n. 2.

ea quæ ab illo facta sunt, non possunt esse talia, qualis est ipse qui fecit. Injustum est enim et stultum credere [1], quod opera paria sint artifici, et condita conditori. Quapropter, si pia fides est ut omnia bona Deus fecerit, quibus tamen ipse multo est excellentior longeque præstantior ; origo et caput mali est peccatum, sicut Apostolus dixit : *Radix omnium malorum est cupiditas : quam quidam sequentes, naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (1 *Tim.* VI, 10). Si enim radicem omnium malorum quæris, habes Apostolum dicentem, radicem omnium malorum esse cupiditatem. Radicem radicis quærere non possum. Aut si est aliud malum, cujus radix non est cupiditas, non erit omnium malorum radix cupiditas. Si autem verum est, omnium malorum radicem esse cupiditatem, frustra aliud aliquod mali genus quærimus. Tua vero natura contraria quam inducis ; quoniam jam respondi objectis tuis ; quæso ut tu mihi dicere digneris, si illa natura contraria est totum malum, neque peccatum potest esse nisi ex illa, pœnam ipsa sola debet mereri, non anima a qua non est peccatum. At si dicis ipsam solam mereri pœnam, et animam non mereri ; quæro cui data sit pœnitentia, quæ sit jussa pœnitere. Si anima jussa est pœnitere ; ab illa peccatum, et ipsa voluntate peccavit. Nam si cogitur anima facere malum, neque illa est quæ malum facit [2] ; nonne stultum est et plenum dementiæ, ut gens tenebrarum peccaverit, et me pœniteat de peccatis? Nonne plenum dementiæ est, ut gens tenebrarum peccaverit, et mihi detur indulgentia peccatorum : qui possum dicere secundum fidem vestram, Quid feci? quid commisi? Apud te fui, integer fui, nulla labe contaminatus fui : tu me huc misisti, tu necessitatem passus es, tu cavisti regnis tuis, cum magna eis labes et vastitas immineret. Cum ergo noveris necessitatem qua hic oppressus sum, qua respirare non potui, cui resistere non potui ; quid me accusas quasi peccantem? aut quid promittis indulgentiam peccatorum? Ad hoc sine ambagibus responde, si placet, sicut tibi ego sine ambagibus respondi.

FORT. dixit : Hoc nos dicimus, quod a contraria natura anima cogatur delinquere : cui non vis esse radicem, nisi hoc tantum, quod in nobis malum versatur ; cum constet exceptis nostris corporibus mala in omni mundo versari. Non ista quæ in corporibus solum habemus in toto mundo versantur, et nominibus valent, bona ; mala radix hæret. Nam dixit Dignatio tua quod hæc sit radix malorum, cupiditas, quæ in nostris corporibus versatur : cum quando non est cupiditas mali ex nostris corporibus, ex principali illa contraria natura versatur in toto mundo. Apostolus etenim nominavit id radicem esse malorum cupiditatem, non unum malum, quam dixisti radicem omnium malorum. Cupiditas vero non uno modo intelligitur, quam dixisti radicem esse omnium malorum, quasi quæ in corporibus nostris [3] solum versetur : cum constet hoc quod in nobis versatur malum, ex auctore malo descendere, et portiunculam esse mali hanc radicem quam tu esse dicis ; ut non sit ipsa radix, sed sit portiuncula mali, ejus mali quod ubique versatur. Quam radicem et arborem malam Dominus noster appellavit, nunquam fructus bonos afferentem, quam non plantavit Pater suus, ac merito eradicari et in ignem mitti (*Matth.* XV, 13, *et* III, 10). Nam quod dicis, contrariæ naturæ peccatum debere imputari ; illa natura mali est : et id esse peccatum animæ, si post commonitionem Salvatoris nostri et sanam doctrinam ejus a contraria et inimica sui stirpe se segregaverit anima, et purioribus se adornans anima ; aliter non posse substantiæ suæ reddi. Dictum est enim : *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc vero quia veni, et locutus sum, et noluerunt mihi credere, veniam de peccato non habebunt* (*Joan.* XV, 22). Unde patet recte esse pœnitentiam datam post adventum Salvatoris, et post hanc scientiam rerum, qua possit anima, ac si divino fonte lota, de sordibus et vitiis tam mundi totius, quam corporum [1] in quibus eadem anima versatur, regno Dei, unde progressa est, repræsentari. Nam dictum est ab Apostolo, quod *prudentia carnis inimica* sit *Deo : legi enim Dei non est subjecta ; nec enim potest* (*Rom.* VIII, 7). Patet ergo his rebus, quod anima bona, factione illius quæ legi Dei non est subjecta, peccare videtur, non sua sponte. Namque idem sequitur, quod *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem ; ut non quæcumque vultis, illa faciatis* (*Galat.* V, 17). Dicit iterum : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati et mortis. Ergo miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, nisi gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* VII, 23-25), *per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14)?

22. AUG. dixit : Agnosco et amplector testimonia divinarum Scripturarum, et fidei meæ quemadmodum congruant, sicut Deus donare dignabitur, paucis exponam. Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est. Ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus resisteret, si vellet Dei præcepta servare. Postquam autem ipse libera voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus. Potest autem unusquisque nostrum mediocri consideratione invenire verum esse quod dico. Hodie namque in nostris actionibus antequam consuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi. Cum autem ista libertate fecerimus aliquid, et facti ipsius tenuerit animam perniciosa dulcedo et voluptas, eadem ipsa sua consuetudine sic implicatur, ut postea vincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est. Videmus multos jurare nolle : sed quia jam consuetudinem lingua tenuit, non posse refrenare, quin ea exeant de ore ipsorum, quæ non possumus

[1] Vaticanus codex, *et stultum exigere, quod*, etc.
[2] Aliquot Mss., *neque in illa est quod malum facit*.
[3] Er. et Mss. hoc tantum loco, *in cordibus nostris*.

[1] Sic Mss. Editio vero Lov., *tam mundi quam corporis*, omisso, *totus* ; pro quo editio Er., *potius*.

dicere ad mali stirpem non pertinere. Ut enim vobiscum his verbis agam, quæ utinam sicut de ore vestro non recedunt, ita et corde intelligantur: Per Paracletum juratis [1]. Si ergo vultis experiri verum esse quod dico, instituite non jurare. Videbitis illam consuetudinem ferri quo solet. Et hoc est quod adversus animam pugnat, consuetudo facta in carne. Ipsa est nimirum carnis prudentia, quæ quamdiu ita legi Dei subjici non potest, tamdiu prudentia carnis est: sed illuminata anima, desinit illa esse carnis prudentia. Sic enim dictum est, prudentiam carnis non posse legi Dei esse subjectam, quemadmodum si diceretur, glacialem nivem calidam esse non posse. Nullo enim pacto, quamdiu nix est, calida esse potest. Sed quemadmodum illa nix calore resolvitur, et desinit nix esse, ut possit calescere: sic illa carnis prudentia, id est, consuetudo facta cum carne, cum fuerit mens nostra illuminata, et ad arbitrium divinæ legis totum hominem sibi Deus subjecerit, pro illa consuetudine animæ mala facit consuetudinem bonam. Ex quo illæ duæ arbores, bona arbor et mala arbor quas commemorasti, verissime dictum est a Domino quod suos fructus habeant; id est, neque bona possit dare malos fructus, neque mala bonos, sed quamdiu mala est. Accipiamus duos homines; bonum hominem, et malum hominem. Quamdiu bonus est, malos fructus dare non potest: quamdiu malus est, fructus bonos dare non potest. Sed ut intelligas istas duas arbores sic esse a Domino positas, ut ibi significaretur liberum arbitrium, non naturas esse istas duas arbores, sed voluntates nostras, ipse ait in Evangelio: *Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam* (*Matth.* XII, 33). Quis est qui possit facere naturam? Si ergo imperatum est nobis ut faciamus arborem aut bonam aut malam, nostrum est eligere quod velimus. De isto ergo peccato hominis, et de ista consuetudine animæ facta cum carne Apostolus dicit [2]: *Nemo vos seducat* (*Ephes.* V, 6): *omnis creatura quæ a Deo facta est, bona est* (*I Tim.* IV, 4). Dicit idem apostolus quem tu ipse commemorasti: *Sicut per unius inobedientiam, peccatores constituti sunt multi; sic et per unius obedientiam, justi constituentur multi* (*Rom.* V, 19). *Quoniam per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Quamdiu ergo portamus imaginem terreni hominis (*I Cor.* XV, 21, 49), id est, quamdiu secundum carnem vivimus, qui vetus etiam homo nominatur, habemus necessitatem consuetudinis nostræ, ut non quod volumus faciamus. Cum autem gratia Dei amorem nobis divinum inspiraverit, et nos suæ voluntati subditos fecerit, quibus dictum est, *Vos in libertatem vocati estis* (*Galat.* V, 13); et, *Gratia Dei liberavit me a lege peccati et mortis* (*Rom* VIII, 2). Lex autem peccati est, ut quicumque peccaverit, moriatur. Ab ista lege liberamur, cum justi esse cœperimus. Lex mortis est, qua dictum est homini: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Ex ipso enim omnes [4] sic nascimur, quia terra sumus, et ipso enim omnes [4] sic nascimur, quia terra sumus, et in terram ibimus propter meritum peccati primi hominis. Propter autem gratiam Dei, quæ nos liberat a lege peccati et mortis, ad justitiam conversi liberamur: ut postea eadem ipsa caro quæ nos pœnis torsit in peccatis manentes, subjiciatur nobis in resurrectione, et nulla adversitate nos quatiat, quominus legem Dei et divina præcepta servemus (*a*). Unde quoniam ego respondi tuis, dignare tu respondere illud quod desidero, quemadmodum fieri possit ut si est Deo natura contraria, nobis imputetur peccatum, qui in illam naturam non voluntate, sed ab ipso Deo, cui noceri nihil poterat, missi sumus.

FORT. dixit: Hoc genere quemadmodum et Dominus dixit discipulis suis, *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* X, 16). Hinc sciendum est [3] quod non inimica mente Salvator noster agnos suos, id est, discipulos suos in medio luporum dirigere voluit, nisi esset aliqua contrarietas, quæ in similitudine luporum eam deponeret, ubi et discipulos suos miserat: ut quæ forte in medio luporum animæ possent decipi, ad propriam substantiam revocarentur. Hinc ergo apparet antiquitas temporum nostrorum quam repetimus, et annorum nostrorum [3], ante mundi constitutionem hoc more missas esse animas contra contrariam naturam, ut eamdem sua passione subjicientes, victoria Deo redderetur. Nam dixit idem apostolus, quod non solum esset luctatio contra carnem et sanguinem, sed et contra principes et potestates, et spiritualia nequitiæ, et dominationem tenebrarum (*Ephes.* VI, 12). Si ergo utrobique mala versantur [4] et nequitiæ habentur; jam non solum est malum in nostris corporibus, sed in toto mundo, ubi videntur versari animæ, quæ sub cœlo isto versantur et implicatæ sunt.

23. AUG. dixit: Agnos suos Dominus in medio luporum misit, id est, homines justos in medio hominum peccatorum, ad prædicationem Evangelii tempore hominis suscepti ab inæstimabili divina Sapientia, ut a peccato ad justitiam nos vocaret. Quod autem ait Apostolus, nobis colluctationem non esse adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, et cætera quæ sunt commemorata; hoc significat diabolum et angelos ejus, sicut etiam nos, peccato cecidisse et lapsos esse, et obtinuisse terrena, id est homines peccatores, qui quamdiu peccatores sumus, sub jugo eorum sumus; quemadmodum, cum justi erimus, erimus sub jugo justitiæ: et contra illos luctam habemus, ut migrantes ad justitiam, ab eorum dominatione liberemur. Ergo et tu dignare mihi breviter ad unum quod interrogo respondere. Noceri Deo non poterat, an poterat? Sed

[1] Hic Vaticanus codex addit: *Non potestis dicere quod gens tenebrarum de nobis per Paracletum jurat.*

[2] In Vaticano codice, post, *apostolus dicit*, additur, *Prudentia carnis inimica est Deo. De carnis autem natura dicit alio loco Apostolus, Nemo vos seducat.*

[3] Sic Mss. At editi: *Ex ipsa enim homines.*

[3] Vaticanus Ms.: *Hic sentiendum est.* Paulo que post idem codex, *quam in similitudine luporum eamdem poneret.*

[3] Er. Lugd. et Ven., *annorum nostrorum.* M.

[4] In Mss. et apud Er., *conversantur.*

(*a*) I Retract., cap. 16, n. 2.

quæso mihi ut, Non poterat, respondeas.

FORT. dixit : Non poterat noceri.

24. AUG. dixit : Quare ergo huc nos misit secundum vestram fidem ?

FORT. dixit : Professio mea hæc est, quia noceri non poterat Deo, et quod Deus huc nos direxit. Sed quia id tibi contrarium est, tu dic qua ratione hic apparuit anima, quam nunc cupit Deus noster, et mandatis, et proprio Filio directo liberare ?

25. AUG. dixit : Quoniam video te interrogatis meis respondere non potuisse, et me aliquid interrogare voluisse, ecce satisfacio tibi, dummodo memineris te ad id quod interrogavi non respondisse. Anima quare hic sit in mundo involuta miseriis, non modo, sed paulo ante nescio quoties a me dictum est. Peccavit anima, et ideo misera est. Liberum arbitrium accepit, usa est libero arbitrio, quemadmodum voluit : lapsa est, ejecta de beatitudine, implicata est miseriis. Ad hoc tibi recitavi testimonium Apostoli dicentis : *Sicut per unum hominem mors, sic et per unum hominem resurrectio mortuorum.* Quid quæris amplius ? Unde tu responde ; cui noceri non poterat, quare huc nos misit ?

FORT. dixit : Causa hæc quærenda est, cur huc venerit anima, aut quare eamdem Deus hinc cupit liberare, quæ in medio malorum vivit.

26. AUG. dixit : Hanc causam abs te quæro ; id est, si Deo noceri non poterat, quare huc nos misit ?

FORT. dixit : Quæritur a nobis, si Deo malum nocere non possit, quare huc anima missa fuerit, aut qua ratione mundo permixta sit. Quod in eo manifestum est quod ait Apostolus : *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Cur me ita formaveris* (*Rom.* IX, 20)? Si ergo causanda est hæc res, interrogandus est cur animam direxit[1] nulla cogente se necessitate. Si autem necessitas fuit mittendi animam, merito est et voluntas liberandi eam.

27. AUG. dixit : Premitur ergo Deus necessitate?

FORT. dixit : Jam hoc est : noli ad invidiam excitare id quod dictum est, quod non necessitati facimus subditum esse Deum, sed voluntarie misisse animam.

28. AUG. dixit : Recita quod supra dictum est. Et recitatum est : *Si autem necessitas fuit mittendi animam, merito est et voluntas liberandi eam.* AUG. dixit : Audivimus : *Si autem necessitas fuit mittendi animam, merito est et voluntas liberandi eam.* Tu ergo dixisti fuisse necessitatem mittendi animam. Sed si modo voluntatem vis dicere, et hoc addo[2] : Cui noceri nihil poterat, crudelis voluntas fuit mittendi animam ad tantas miserias. Quod refellendi causa quia loquor, veniam peto ab illius unius misericordia, in quo spem liberationis habemus ab omnibus erroribus hæreticorum.

FORT. dixit : Nos dicere asseveras crudelem esse Deum mittendo animam : fecisse vero Deum hominem, et insufflasse[3] in eum animam, quam utique præscivit in futuram miseriam involvi, et beneficio malorum non posse hæreditati suæ repræsentari. Hoc aut ignorantis est, aut dantis animam ad hæc mala quæ supra memorata sunt. Id commemoravi, quia dixisti ante tempus non multum, quod adoptaverit sibi Deus animam, non quod ab ipso sit ; aliud est enim adoptare.

29. AUG. dixit : De adoptione nostra memini me ante dies[4] dixisse, secundum testimonium Apostoli, qui dicit nos vocatos in adoptionem filiorum (*Ephes.* I, 5). Non ergo meum fuit illud, sed apostolicum responsum. De qua re, id est, de ista adoptione, suo tempore, si placet, inquiramus : et de illa sine dilatione respondebo[5], cum tu meis objectionibus responderis.

FORT. dixit : Progressum dico fuisse animæ contra contrariam naturam, quæ natura Deo nocere nihil poterat.

30. AUG. dixit : Quid opus erat isto progressu, ubi nihil habebat Deus quod caveret, cui nocere nihil poterat ?

FORT. dixit : Constat apud conscientiam vestram, a Deo venisse Christum ?

31. AUG. dixit : iterum me interrogas ? Ad interrogata responde.

FORT. dixit : Sic accepi in fide, quod voluntate Dei ipse huc venerit.

32. AUG. dixit : Et ego dico : Deus omnipotens, inviolabilis, immutabilis, cui noceri nihil possit, quare huc animam ad miserias, ad errorem, ad ista quæ patimur, misit ?

FORT. dixit : Dictum est enim : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem accipiendi eam* (*Joan.* X, 18). Nunc dixit[6] quod voluntate Dei progressa est anima.

33. AUG. dixit : Ego autem causam quæro, quare cum Deo noceri nihil possit[7]....?

FORT. dixit : Nihil noceri Deo jam diximus, et in contraria natura esse animam diximus, ideo ut contrariæ naturæ modum imponeret : modo imposito contrariæ naturæ, sumit eamdem Deus. Ipse enim dixit, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem sumendi eam.* Hanc Pater mihi dedit potestatem ponendi animam meam, et sumendi eam. Deus ergo qui loquebatur in Filio, de qua anima diceret ?

[1] Victorini Mss., *interrogandus est qui animam direxit.*

[2] In Victorinis Mss., *et ad hoc addo.* In Vaticano, *et hoc audio.*

[3] Vaticanus codex, *et insibilasse.*

[4] Vox, *dies*, quæ in editione Lov. exciderat, restituitur ex libris aliis editis et manuscriptis.

[5] Mss. Gallicani et Vaticani, *de illa insibilatione respondebo.* Forte quia supra Fortunatus pro, *insufflasse*, dixerat, *insibilasse*, sicuti in codice legitur Vaticano.

[6] Editi, *non dixit.* Melior videtur lectio Victorinorum manuscriptorum, *nunc dixit.* Sive Fortunati sit illud, sive Augustini, cujus nomen in Victorinis iisdem Mss. collocatur ante : *Nunc dixit quod voluntate Dei progressa est anima : ego autem*, etc.

[7] Vaticanus Ms. AUG. *dixit : Ego quæro, cum Deo nocere nihil posset, cur huc animam miserit.* FORT.: *dixit : Videri quod voluntate Dei progressa sit anima, hoc dico.* AUG. *dixit : Ego autem causam quæro, cum Deo nocere nihil possit, cur huc animam misit.*

Constat esse animam nostram, quæ in his corporibus habetur, quod de ejus voluntate venerit, et de voluntate ipsius iterum assumatur.

34. Aug. dixit: Unde dixerit Dominus noster, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam*, omnibus notum est: quia passurus erat, et resurrecturus. Ego autem abs te iterum atque iterum quæro, si Deo nihil noceri poterat, cur huc animas misit?

Fort. dixit: Naturæ contrariæ modum imponere.

35. Aug. dixit: Et omnipotens Deus, misericors et omnium summus, ut modum imponeret naturæ contrariæ, ideo illam moderatam esse voluit, ut nos immoderatos efficeret?

Fort. dixit: Sed ideo ad se revocat.

36. Aug. dixit: Si ad se revocat ab immoderatione, si a peccato, ab errore, a miseria; quid opus erat tanta mala animam pati per tantum tempus, donec mundus finiatur: cum Deo, a quo eam dicitis missam, noceri nihil possit?

Fort. dixit: Quid ergo dicturus sum?

37. Aug. dixit: Et ego novi non te habere quid dicas, et me cum vos audirem in hac quæstione nunquam invenisse quod dicerem; et inde fuisse admonitum divinitus ut illum errorem relinquerem, et ad fidem catholicam me converterem, vel potius revocarem, ipsius indulgentia qui me huic fallaciæ semper inhærere non sivit. Sed si confiteris te non habere quod respondeas; omnibus audientibus et recognoscentibus, quoniam fideles sunt, catholicam fidem, si permittunt et volunt, exponam.

Fort. dixit: Sine præjudicio professionis meæ dixerim: illa quæ a te opponuntur cum retractavero meis cum majoribus, si minus responderint interrogationi huic meæ, quæ similiter a te nunc mihi offertur; erit in mea contemplatione (quia et ego animam meam cupio certa fide liberari) venire ad hujus rei inquisitionem, quæ a te mihi offertur, et ostensurum te polliceris.

Aug. dixit: Deo gratias.

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM,

Vide lib. 1, *cap.* 22, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 618, *n.* 1, *a verbis*, Eodem tempore (*a*), *usque ad col.* 620, *n.* 4, *verbis*, Cœlum et terram. M.

(*a*) Presbyteratus nimirum sui tempore dictavit subsequentem librum, quem in Retractationibus aliquanto post concionem de Fide et Symbolo in Hipponensi concilio anni 393 habitam collocat, inter illa videlicet opuscula, quæ ad annum 394 aut 395 pertinent. Hujus etiam contra Adimantum operis meminit in fine libri 2 contra Adversarium Legis et Prophetarum, ubi nominato Adimanto Manichæi discipulo, subdit: *Qui prænomine Addas dictus est.*

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA ADIMANTUM

MANICHÆI DISCIPULUM

Liber unus (*a*).

Conciliantur inter se Scripturarum sententiæ, quas de Testamento Vetere ac Novo, velut invicem contrarias Adimantus, utrumque Testamentum ab uno et eodem Deo esse non posse contendens, corraserat.

CAPUT PRIMUM. — De eo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*; usque ad id quod scriptum est, *Et factum est vespere, et factum est mane dies unus* (*Gen.* 1, 1-5). Hoc capitulum Legis adversum esse Evangelio stultissimi Manichæi arbitrantur, dicentes in Genesi scriptum esse quod Deus per se ipsum fecerit cœlum et terram et lucem; in Evangelio autem scriptum esse per Dominum nostrum Jesum Christum fabricatum esse mundum, ubi dictum est, *Et mundus per ipsum factus est, et mundus illum non cognovit* (*Joan.* 1, 10). Tribus enim modis refelluntur. Primo, quia cum dicitur, *In principio fecit Deus cœlum et terram*; Trinitatem ipsam christianus accipit, ubi non solum Pater, sed et Filius et Spiritus sanctus intelligitur. Non enim tres deos, sed unum Deum credimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum: quamvis Pater Pater, et Filius Filius sit, et Spiritus sanctus Spiritus sanctus. De qua unitate Trinitatis hoc loco longum est disputare. Deinde, quia ubi dicitur, *Dixit Deus, Fiat, et factum est;* ibi necesse est in-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Hoc opus recognovimus ad Sorbonicos Mss. duos, Victorinos duos, totidem Vaticanos, ad Corbeiepsem, Germanensem, Michaelinum, Casalinum, ad variantes lectiones Belgicorum quatuor, necnon ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(*a*) Scriptus circiter annum 394.

telligatur per Verbum eum fecisse quod fecit. Verbum autem Patris est Filius. Non ergo repugnat hoc capitulum Geneseos, ubi scriptum est, *Et Dixit Deus, Fiat, et factum est;* illi loco Evangelii ubi dicitur, *Et mundus per eum factus est*, id est, per Dominum nostrum; quia ipse est Verbum Patris per quod facta sunt omnia. Postremo, si propterea in Genesi non intelligitur Filius, quia non est dictum quod per Filium Deus fecerit; nec in Evangelio per Filium Deus et aves pascit, et lilia vestit (*Matth.* VI, 26 30), et cætera innumerabilia quæ ipse Dominus dicit Deum facere Patrem : quamvis non dicat quod ea per Filium faciat. Quod autem etiam testimonium Apostoli adjungunt, quod ait de Domino nostro Jesu Christo, *Ipse est primogenitus totius creaturæ; et omnia per ipsum facta sunt in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia* (*Coloss.* I, 15 16); et hoc capitulum adversum esse dicunt Genesi, ubi Deus ita dicitur fecisse mundum, ut specialiter Filius ibi non sit nominatus : vehementer errant; et non vident, si ita est, ipsum Apostolum sibi esse contrarium, cum alibi loco unum dicit, *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia* (*Rom.* XI, 36); et Filium non nominat. Quomodo autem hic Filius nominatus non est, intelligitur tamen; ita et in Genesi : et quomodo sibi hæc duo capitula Pauli non adversantur; ita nec Genesis Evangelio.

CAPUT II. — 1. De eo quod scriptum est : *Et consummavit Deus die sexto omnia opera sua quæ fecit, et in septimo requievit ab eisdem omnibus operibus quæ ecerat* (*Gen.* II, 2). Huic etiam loco Manichæi calumniam movent, et dicunt Novo Testamento adversari quod in Genesi scriptum est, Deum septimo die requievisse ab omnibus operibus suis quæ fecit : quoniam Dominus in Evangelio dicit, *Pater meus usque nunc operatur* (*Joan.* V, 17). Quod nullo modo contrarium est. Dominus enim Judæorum refellit errorem, qui putabant Deum sic requievisse die septimo, ut ex illo prorsus nihil operaretur. Requievit autem ab omnibus operibus suis quæ fecit, ut jam ultra non faceret mundum cum omnibus quæ in eo sunt : non tamen ut etiam a mundi administratione requiesceret. Non enim scriptum est : Requievit Deus ab omnibus operibus suis, ut deinceps non operaretur. Sed scriptum est, *Requievit Deus ab omnibus operibus suis quæ fecit :* ut deinde non in faciendo mundo, a quo opere post perfectionem cessaverat; sed in administrando operaretur, in quo opere eum esse Dominus intimavit. Nec illa requies, quasi post laborem Deum pausam quæsisse, sed ab instituendis rerum naturis post earum rerum perfectionem cessasse significat, quamvis usque adhuc in administrandis operetur.

2. Sabbati autem observationes non intelligebant Judæi, qui putabant ab his etiam operibus quæ ad salutem hominum valent, oportere cessari. Unde illos Dominus etiam aliis locis, de bove qui [1] in puteum cecidit, et jumento quod solvendum est ut ad aquam ducatur, mirifica comparatione redarguit (*Luc.* XIV, 5, *et* XIII, 15). Sabbatum autem, non repudiatum, sed intellectum a Christianis destitit quidem carnaliter observari, sed spiritualiter retinetur a sanctis, qui intelligunt vocem Domini vocantis ad requiem, et dicentis : *Venite ad me, qui laboratis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum lene est, et sarcina mea levis est* (*Matth.* XI, 28-30). Hoc sabbatum, id est, hanc requiem Scriptura illa significat, quam Judæi non intelligebant, et pro temporum dispensatione carnaliter sequebantur umbram, cujus umbræ quasi corpus, id est, veritas nobis danda erat. Sed quemadmodum illa requies Dei post fabricatum mundum insinuatur; sic requiem, quæ nobis promittitur, post opera quæ in hoc mundo habemus, si justa fuerint, consequemur, septima scilicet eademque ultima parte sæculi, de qua longum est disputare. Non ergo Dominus rescindit scripturam Veteris Testamenti, sed cogit intelligi : nec sabbatum solvit ut pereat quod figurabatur, sed aperit potius ut appareat quod tegebatur.

CAPUT III. — 1. De eo quod scriptum est in Genesi : *Et dixit Deus, Non est bonum solum hominem esse; faciamus ei adjutorium. Et immisit Deus Adæ somnum, et obdormivit; et sumpsit unam de costis ejus, ex qua formavit Evam, quam adduxit ad Adam; et ait, Ideo relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ* (*Gen.* II, 18-24). Huic rursus loco Manichæi calumniantur, dicentes contra Novum Testamentum esse istam sententiam, qua Deus scribitur et formasse mulierem, et viro conjunxisse : propterea, quia in Evangelio dicit Dominus, *Omnis qui reliquerit domum, aut uxorem, aut parentes, aut fratres, aut filios propter regnum cœlorum, centies tantum accipiet* [1] *in hoc tempore, et in futuro sæculo possidebit vitam æternam* (*Matth.* XIX, 29; *Marc.* X, 29-30, *et Luc.* XVIII, 29-30). In qua calumnia miror eos sic esse cæcatos, vel potius non miror : *Excæcavit enim illos*, sicut scriptum est, *malitia eorum* (*Sap.* II, 21). Sed tamen quis non videt tanta in Novo Testamento præcepta de uxore diligenda? Cur enim potius Vetus Testamentum dicunt adversari huic sententiæ Domini, qua dicit relinquendam esse uxorem propter regnum cœlorum, et non ipsum Novum sibi adversari? Quod nefas est dicere. Intelligenda enim sunt, non temere accusanda, quæ imperitis videntur esse contraria.

2. Nam et Dominus interrogatus a Judæis, utrum ei placeret dato libello repudii dimittere uxorem, respondit eis dicens : *Non legistis quoniam qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos; et dixit, Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una? Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit in unum* [2], *homo non separet. Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, et dimittere? Dicit illis Jesus : Quia ad duritiam cordis vestri permi-*

[1] In Mss., *de eo quæ.*

[1] In Mss., *septies tantum accipiet.* Sic Augustinus citare solet.

[2] Abest, *in unum*, ab aliquot manuscriptis.

sit vobis Moyses dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, facit eam mœchari : et ipse si alteram duxerit, adulterium committit (*Matth.* XIX, 3-9). Ecce habent confirmatam sententiam Veteris Testamenti ab ipso Domino adversus imperitiam Judæorum. Simul etiam Moysi perhibuit testimonium, quod propter duritiam cordis eorum repudium dari permisit. Numquid etiam Evangelium Evangelio dicunt esse contrarium? Quod si dicunt hoc capitulum falsum esse, et a corruptoribus Scripturarum esse additum (nam hoc solent, quando non inveniunt quid respondeant, dicere); quid, si alius dicat illud esse immissum et falsum, quod ipsi proferunt dicente Domino, *Omnis qui reliquerit domum aut uxorem aut parentes aut filios propter regnum cœlorum*, etc.? Non intelligunt miseri quemadmodum omnem fidem christianam, cum ista dicunt, conentur evertere. Fides autem vera et Ecclesiæ catholicæ disciplina utrumque verum et a Domino dictum esse confirmat, et nullo modo esse contrarium: quia et conjunctio mariti et uxoris a Domino est, et relictio uxoris propter regnum cœlorum a Domino est. Non enim quia suscitavit Jesus Christus mortuos, et dedit eis vitam, propterea ipsa vita non est relinquendâ propter regnum cœlorum. Sic ergo quamvis Dominus dederit uxorem viro, relinquenda est tamen, si opus est, propter regnum cœlorum. Non enim hoc semper necesse est, sicut Apostolus dicit: *Si quis fidelis habet uxorem infidelem, et hæ consentit habitare cum illo, non dimittat eam* (1 *Cor.* VII, 12). Significat utique quod si non consentit habitare cum illo, id est, si exsecratur in illo fidem Christi, et non eum patitur, quod christianus est, relinquenda est propter regnum cœlorum: sicut idem apostolus in sequentibus dicit, *Quod si infidelis discedit, discedat; non est enim subjectus servituti frater aut soror in hujusmodi.* Si quis ergo relinquit regnum cœlorum, dum non vult relinquere uxorem non ferentem christianum virum, improbatur a Domino: et item si quis vir relinquit uxorem dato libello repudii, cum causa non existit aut fornicationis, aut obtinendi regni cœlorum, similiter improbatur a Domino. Ita nec ista duo capitula evangelica inveniuntur sibi esse contraria, nec Evangelium Veteri Testamento: quia ibi uxor conjungitur viro, ut simul mereantur possidere regnum cœlorum; et ita uxor relinquenda esse præcipitur, si virum impediat ad possidendum regnum cœlorum.

3. Et ideo quando Christianos utrosque Apostolus monet, id est, maritos et uxores; nonne ita dicitur, *Diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit se ipsum pro ea?* et, *Mulieres viris suis subditæ sint quasi Domino*; quia et Ecclesia subdita est Christo? Nonne illud quod isti miseri irrident in Veteri Testamento, quod scriptum est, *Propterea relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*, in magno sacramento idem apostolus accipit, cum dicit, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia?* Deinde subjungit, *Verumtamen unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat; mulier autem ut timeat virum* (*Ephes.* V, 25, 22, 31, 32, 33). Nonne alio loco evidentissime ostendit utriusque sexus et naturam et conjunctionem a Domino Deo conditore atque ordinatore consistere, cum dicit: *Verumtamen neque mulier sine viro, neque vir sine muliere, in Domino. Sicut enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem: omnia autem ex Deo* (1 *Cor.* XI, 11, 12)? Quod isti si considerare vellent, non quibusdam capitulis separatis et adversus se invicem magna fraude collatis caliginem facerent imperitis; sed omnia tam in Veteri quam in Novo Testamento uno sancto Spiritu conscripta et commendata esse sentirent.

4. Nam et in Veteri Testamento habent apud Isaiam prophetam quanta promittantur spadonibus: ne in Novo solo arbitrentur esse laudatos a Domino, ubi dicit esse quosdam qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum, et addidit, *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 12). Nam et Isaias ita dicit: *Hæc dicit Dominus spadonibus eis qui custodierint præcepta mea, et elegerint sibi quæ ego volo, et capaces fuerint testamenti mei; dabo illis in domo mea et in muro meo locum nominatissimum, meliorem multo filiorum atque filiarum: nomen æternum dabo illis, nec unquam deerit* (*Isai.* LVI, 4, 5). Certis enim quibusdam umbris et figuris rerum ante Domini adventum, secundum mirabilem atque ordinatissimam distributionem temporum, populus ille tenebatur, qui Testamentum Vetus accepit: tamen in eo tanta prædicatio et prænuntiatio Novi Testamenti est, ut nulla in evangelica atque apostolica disciplina reperiantur, quamvis ardua et divina præcepta et promissa, quæ illis etiam Libris veteribus desint (*a*). Sed sanctæ Scripturæ non temerarios et superbos accusatores, sed diligentes et pios lectores desiderant.

CAPUT IV. — De eo quod scriptum est in Genesi: *Et dixit Dominus ad Cain: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc maledictus eris a facie terræ, quæ absorbuit et recepit sanguinem fratris tui ex cæde manus tuæ: te enim operari necesse est terram, quæ steriles tibi fructus dabit* (*Gen.* IV, 10-12). Huic capitulo Geneseos, quo maledictionem accepit Cain, ut terræ sterilitate puniretur, calumniantes Manichæi, et Evangelio contrarium demonstrare cupientes, non sane, mihi videntur cogitare cum hominibus se agere, sed prorsus quasi pecora forent, qui eos audirent vel eorum scripta legerent; sic abusi sunt imperitia eorum et tarditate ingenii, vel potius animi cæcitate. Quippe dixerunt huic capitulo illud in Evangelio esse contrarium, quod Dominus ait discipulis suis: *Nolite cogitare de crastino; nam crastinus dies ipse cogitabit sibi. Respicite volatilia cœli, quia non seminant, neque metunt, neque colligunt in horrea* (*Matth.* VI, 34, 26). Quasi vero Cain parricida [1] discipulis Christi comparandus sit, ut quoniam ille meruit pœnam sterilitatis terræ, consequens esset ut eamdem

[1] Unus tantum e Vaticanis Mss., *fratricida*.

(*a*) I Retract., cap. 22, n. 2.

sterilitatem isti etiam paterentur, qui Dominum Jesum Christum secuti, prædicando Evangelio parabantur. Imo etiam in istis duobus capitulis, quorum unum de Genesi, alterum de Evangelio tanquam sibi inimica posuerunt, tanta invenitur amicitia atque concordia, ut nulla major desideranda sit. Quid enim congruentius, quam ut illum, cujus erat scelere frater occisus, etiam in terra laborantem sterilitas sequeretur : illis autem, per quorum ministerium in prædicando Dei verbo fratres liberabantur, etiam de crastino minime cogitantibus fructuosa terra serviret? Quod si in Veteri Testamento exhorrescunt maledicto Dei terram sterilem factam esse peccatori ; cur non in Novo Testamento exhorrescunt maledicto Domini nostri Jesu Christi arborem ficiaridam factam (*Matth.* XXI, 19), nullo peccato domini sui? Item si Domini sententia delectantur, qua discipulis dicit ne de crastino cogitent, quod de victu eorum Deus curam gerat ; cur non et prophetica sententia delectantur, qua cecinit dicens, *Abjice in Dominum sollicitudinem tuam, et ipse te pascet* (*Psal.* LIV, 23)? Ut hoc modo, si possint, miseri intelligant, et illa quæ detestantur in Veteri Testamento de Deo dicta, usque adeo recta esse, ut etiam in Novo inveniantur ; et illa quæ in Novo laudant et prædicant, etiam in Veteri reperiri : unde clarescat bene intelligentibus utriusque Testamenti manifesta concordia.

CAPUT V. — 1. De eo quod scriptum est in Genesi : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Hunc locum Manichæi, quo scriptum est in Genesi, hominem factum esse ad imaginem et similitudinem Dei, propterea dicunt Novo Testamento esse contrarium, quia Dominus in Evangelio dicit Judæis, *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis : ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas in eo non est* (*Joan.* VIII, 44) : et quod alio loco Judæi serpentum genimina et viperarum appellantur (*Matth.* III, 7, *et* XXIII, 33). Non intelligunt illud esse dictum de homine antequam peccaret, quod factus est ad imaginem et similitudinem Dei : hoc autem quod in Evangelio est, *Vos ex patre diabolo estis*, peccatoribus et infidelibus dici. Tribus enim modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur (*a*) : uno, secundum naturam, quomodo Isaac filius Abrahæ, vel etiam cæteri Judæi qui ex eadem origine veniunt : alio, secundum doctrinam, ut filius ejus in ea re quisque appelletur, a quo aliquid didicit ; sicut filios suos Apostolus appellat, qui ab illo didicerunt Evangelium (I *Cor.* IV, 14, 15) : tertio, secundum imitationem, sicut filios Abrahæ nos vocat Apostolus, qui ejus fidem imitamur (*Galat.* III, 7). Duobus ergo modis peccatores infideles Judæi, filii diaboli vocantur a Domino ; vel quod ab ipso impietatem didicerunt, sicut de ipso diabolo Apostolus dicit, *Qui nunc operatur in filiis diffidentiæ* (*Ephes.* II, 2) : vel quod eum imitantur, quod magis pertinet ad id quod de illo dictum est, *Et in veritate non stetit ;* quia et ipsi Judæi in veritate legis quæ sibi data est, non steterunt, Domino attestante et dicente, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi : ille enim de me scripsit* (*Joan.* V, 46). Secundum eorumdem peccatorum venena etiam serpentum et viperarum genimina vocantur.

2. Ad imaginem autem Dei factum hominem, non tantum Genesis, sed etiam Apostolus clamat, cum dicit : *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei, mulier autem gloria viri* (I *Cor.* XI, 7). Et ut manifeste intelligatur non secundum vetustatem peccati quæ corrumpitur, sed secundum spiritualem conformationem factum esse hominem ad imaginem Dei, idem apostolus monet ut exuti consuetudine peccatorum, id est, vetere homine, induamur nova vita Christi, quem novum hominem appellat. Et ut doceat hoc nos aliquando amisisse, renovationem illam vocat. Nam ita loquitur : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, induite novum, qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss.* III, 9, 10). Filii ergo Dei sunt homines renovati ad ejus imaginem, et ei similes facti usque ad dilectionem inimici : sicut Dominus dicit, diligere nos debere inimicos nostros, ut similes simus Patri nostro qui in cœlis est (*Matth.* V, 44, 45). Quod in potestate nostra ab ipso Deo esse positum docet Scriptura, cum dicit : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Filii autem diaboli dicuntur homines, cum imitantur ejus impiam superbiam, et a luce atque celsitudine sapientiæ decidunt, et non credunt veritati : quales Dominus arguit, cum dicit, *Vos ex patre diabolo estis*, etc. Cui loco evangelico propheta consonat, dicens : *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes : vos autem ut homines moriemini, et sicut unus ex principibus cadetis* (*Psal.* LXXXI, 6, 7).

CAPUT VI. — De eo quod scriptum est in Exodo : *Honora patrem tuum, et matrem tuam* (*Exod.* XX, 12). Huic etiam loco, ubi de honorandis parentibus Deus præcepit, illum Evangelii locum Manichæi dicunt esse contrarium, ubi Dominus cuidam dicenti, *Ibo primum ut sepeliam patrem meum ;* respondit, *Sine mortuos* [1], *mortuos suos sepeliant ; tu autem veni, et annuntia regnum Dei* (*Luc.* IX, 59, 60). Quod eodem modo solvitur, quo illud superius, ubi de uxore relinquenda dictum est, *Propter regnum cœlorum :* quia et parentes honorare debemus, et eos tamen propter annuntiationem regni Dei nulla impietate contemnimus. Nam si Veteri Testamento contrarium est Evangelium propter istam sententiam, incipit etiam Apostolo esse contrarium, qui et filios monet ut honorent parentes, et parentes ut diligant filios (*Ephes.* VI, 2-4, *et Coloss.* III, 20, 21). Non solum autem, sed etiam Dominus videbitur sibi ipsi esse contrarius (quod credere nefas est), quia loco alio dicit homini quærenti vitam æternam, *Si vis venire ad vitam, serva mandata :* in quibus etiam illud commemorat, *Honora patrem et matrem.* Quibus mandatis perfectis etiam ad dilectionem Dei crescitur, in qua est tota perfectio. Nam dilectio proximi certus gradus est ad

(*a*) I Retract., cap. 22.

[1] Apud Er. Lugd. Ven., *sine ut mortui.* M.

dilectionem Dei. Et ideo respondenti quod omnia mandata illa servavit, dicit unum ei deesse, si vult esse perfectus, ut vendat omnia quæ habet, et det pauperibus, et sequatur eum (*Matth.* XIX, 17,-21). Ex quo manifestum est, et honorem parentum in gradu suo esse servandum, et eos tamen in divini amoris comparatione, præsertim si impedimento sunt, nulla dubitatione oportere contemni. Nam et in Scripturis veteribus habes positum : *Qui dicit patri aut matri, Non novi vos, et qui filios suos non agnovit, ipse autem cognovit testamentum tuum* (*Deut.* XXXIII, 9). Ergo si et in Novo Testamento commendatur parentum dilectio, et in Veteri commendatur parentum contemptus, ex utroque capite duo sibi Testamenta consentiunt.

CAPUT VII. — 1. De eo quod in Exodo scriptum est : *Ego sum Deus zelans, tribuens filiis tertiæ et quartæ generationis parentum peccata qui me oderunt* (*Exod.* XX, 5). Huic loco Manichæi illud de Evangelio dicunt esse contrarium, quod Dominus dicit, *Estote benigni sicut Pater vester cœlestis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* V, 45) : et illud aliud quod idem Dominus ait, *Non solum septies peccanti fratri dimittendum, sed etiam septuagies septies.* (*Id.* XVIII, 22). A quibus tamen si quæram utrum Deus non puniat inimicos suos, sine dubio turbabuntur. Ipsi enim dicunt, Deum genti tenebrarum æternum carcerem præparare, quam dicunt esse inimicam Deo. Et parum est, sed eum etiam sua membra simul cum ipsa gente puniturum esse non dubitant dicere. Sed cum ad capitula Veteris et Novi Testamenti veniunt, ut imperitos decipiant, et ea sibi adversa esse criminentur, fingunt se nimis bonos. Sed dicant nobis, quibus dicturus est Dominus, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Id.* XXV, 41); si omnibus parcit et neminem damnat? Quare intelligendum est et illud rectum esse, quod Deus retribuit parentum peccata filiis qui eum oderunt. Ex eo enim quod addidit, *qui me oderunt*, intelligitur eos puniri peccatis parentum, qui in eadem perversitate parentum perseverare voluerunt. Tales enim non sævitia, sed potius justitia Dei, et sua iniquitate puniuntur, sicut Propheta ait, *Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate* (*Sap.* I, 5) : id est, corripietur homo superveniente sibi iniquitate sua, cum ab eo recesserit Spiritus sanctus. Et alio loco : *Hæc cogitaverunt, et erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum* (*Id.* II, 21) : Et alio loco : *Funiculis peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V, 22). Quibus testimoniis veteris Testamenti de Novo consentit Apostolus dicens : *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum* (*Rom.* I, 24). Qua concordia utriusque Testamenti satis ostenditur non esse sævum Deum, sed unumquemque in se sævire peccando.

2. Quod autem in tertiam et quartam scriptum est generationem vindictam procedere, non aliud significari arbitror, nisi quod ab ipso Abraham, qui pater esse incipit populi Judæorum, quatuor ætates sunt cum ista quæ nunc agitur, quas Matthæus evangelista distinguit (*Matth.* I, 17). Una est ab Abraham usque ad David : alia, a David usque ad transmigrationem in Babyloniam : tertia, a transmigratione in Babyloniam usque ad Domini adventum : inde usque ad finem quarta deputatur, tanquam senectus sæculi cæteris ætatibus longior. Quas ætates pro generationibus positas credimus, quamvis singulæ pluribus generationibus constent. Et quoniam tertia incipit a transmigratione Babyloniæ, quando Judæorum est facta captivitas; in quarta vero, id est, post adventum Domini nostri, gens Judæorum a solo proprio penitus eradicata est : hoc datur intelligi quod dictum est, tertiæ et quartæ generationis peccata parentum redditurum Deum, his utique legitime atque debite, qui parentum peccata perseverantes tenere, quam Dei justitiam sequi maluerunt. Nam non pertinere patris peccata ad filium juste viventem, propheta Ezechiel apertissime ostendit (*Ezech.* XVIII, 14 17).

3. Quod autem in Evangelio dicitur, *Estote benigni quemadmodum Pater vester cœlestis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos;* non est Veteri Testamento contrarium. Hoc enim facit Deus ut invitet ad pœnitentiam, sicut dicit Apostolus, *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te invitat?* Nec tamen ideo credendum est non puniturum Deum eos, qui, ut dicit idem apostolus, *thesaurizant sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Rom.* II, 4, 5). Namque istam Dei patientiam et bonitatem etiam Propheta prædicat, dicens, *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt omnia, qui animas amas* (*Sap.* XI, 27) : et cætera innumerabilia quibus intelligitur et in bonitate et in severitate misericordiam et justitiam Dei Testamentum utrumque prædicare.

4. Si autem moventur quod dictum est, *Ego sum zelans;* moveantur etiam illo quod dicit apostolus Paulus, *Zelo Dei vos zelo; desponsavi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI, 2). Sancta enim Scriptura verbis nostris loquens, etiam per hæc verba demonstrat, nihil digne de Deo posse dici. Cur enim non etiam verba ista dicantur de illa majestate, de qua quidquid dictum fuerit, indigne dicitur; quia omnes opes linguarum omnium ineffabili sublimitate præcedit? Nam quoniam zelando solent mariti uxorum pudicitiam custodire, potestatem et disciplinam Dei, qua fornicari animam impune non sinit, zelum Dei Scripturæ vocaverunt. Est autem animæ fornicatio, aversio a fecunditate sapientiæ, et ad conceptum temporalium illecebrarum corruptionumque conversio.

5. Illud vero quod dimittendum esse dicit fratri, non solum septies, sed et septuagies septies, pœnitenti utique dicit. Deus autem illis se dicit retribuere peccata, qui eum oderunt, non qui ei per pœnitentiam reconciliantur. Nam et apud prophetam Dominus dicit : *Nolo mortem peccatoris quantum ut revertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII, 23, *et* XXXIII, 11). Ex quo

facile apparet, et in ea patientia quæ invitat ad pœnitentiam, et in ea indulgentia quæ ignoscit pœnitentibus, et in ea justitia quæ punit eos qui corrigi nolunt, utrumque Testamentum convenire atque congruere, tanquam ab uno Deo utrumque conscriptum.

CAPUT VIII. — De eo quod scriptum est in Exodo, *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* XXI, 24); et cætera talia. Huic loco Manichæi, quod in veteri Lege par vindicta permittitur, et dicitur oculum pro oculo, dentem pro dente esse perdendum, sic calumniantur, quasi et ipse Dominus hæc duo sibi veluti adversantia atque contraria in Evangelio demonstraverit. Ipse enim ait: *Audistis quia dictum est antiquis, Oculum pro oculo, et dentem pro dente: ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in maxillam, præbe illi et alteram; et quicumque voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam auferre, dimitte illi et pallium* (*Matth.* V, 38-40). In quibus duabus sententiis revera duorum Testamentorum differentia demonstratur, sed amborum tamen ab uno Deo constitutorum. Nam quoniam primo carnales homines ardebant multo amplius se vindicare, quam erat illa injuria, de qua querebantur, constitutus est eis primus lenitatis gradus, ut injuriæ acceptæ mensuram nullo modo dolor vindicantis excederet. Sic enim et donare aliquando posset injuriam, qui eam primo non superare didicisset. Unde Dominus jam per Evangelii gratiam ad summam pacem populum deducens, huic gradui superædificavit alterum; ut qui jam audierat non ampliorem vindictam, quam quisque læsus esset, reddere, placata mente totum se donare gauderet. Quod etiam in illis veteribus Libris Propheta prædicat, dicens: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Psal.* VII, 4, 5). Et alius propheta dicit de hujusmodi viro patiente injurias, et lenissime tolerante: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis* (*Thren.* III, 30). Ex quo intelligitur et mensuram vindicandi recte carnalibus constitutam, et omnimodam injuriæ remissionem, non tantum in Novo Testamento esse præceptam, sed longe ante in Vetere prænuntiatam.

CAPUT IX. — 1. De eo quod scriptum est, quod locutus est Deus cum Adam et Eva, et cum serpente, et cum Cain, et cæteris antiquis (*Gen.* III, IV, XII, *etc.*): inter quos etiam et nonnullis apparuisse scribitur, et ab eis visus esse, non uno, sed multis Scripturarum locis, in quibus et locutus esse Deus cum hominibus invenitur, et nonnullis apparuisse: insidiantur Manichæi, et dicunt omnia contraria esse Novo Testamento, quoniam Dominus dicit, *Deum nemo vidit unquam, nisi unicus Filius, qui est in sinu Patris; ille annuntiavit nobis de eo* (*Joan.* I, 18); et iterum quod dicit Judæis, *Nec vocem illius aliquando audistis, nec faciem ejus vidistis, nec verbum ejus habetis in vobis manens: quia ei quem ille misit, non credidistis* (*Id.* V, 37, 38). Quibus respondemus eo ipso, quod in Evangelio scriptum est, *Deum nemo vidit unquam, nisi unicus Filius qui est in sinu Patris; ipse annuntiavit nobis de eo*, totam ipsam solvi posse quæstionem: quia ipse Filius, quod est Verbum Dei, non solum novissimis temporibus, cum in carne apparere dignatus est, sed etiam prius a constitutione mundi, cui voluit de Patre annuntiavit, sive loquendo, sive apparendo, vel per angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam: quia ipse est in omnibus veritas, et omnia illi constant, et omnia illi ad nutum serviunt, atque subjecta sunt; ut etiam oculis per visibilem creaturam cui vult, quando dignatur, appareat: cum ipse tamen secundum divinitatem suam, et secundum id quod Verbum est Patris, coæternum Patri, et incommutabile, per quod facta sunt omnia, non nisi purgatissimo et simplicissimo corde videatur. Et ideo quibusdam locis etiam Scriptura ipsa testatur angelum visum, ubi dicit Deum visum (*Gen.* XVIII, 1 *et* 2). Sicut in illa luctatione Jacob, et angelus dictus est ille qui apparuit (*Id.* XXXII, 24-30). Et cum apparuit in rubo Moysi (*Exod.* III, 2): et item in eremo, cum jam eduxisset populum de terra Ægypti, quando legem accepit, Deus ei locutus est (*Id.* XIX, 3). Sed sive in rubo, cum eum misit; sive postea, cum ei legem dedit; angelum dicit Stephanus in Actibus Apostolorum ei apparuisse (*Act.* VII, 30, 35). Quod ideo dicimus, ne quis arbitretur Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, quasi per locos posse definiri, et alicui visibiliter apparere, nisi per aliquam visibilem creaturam. Sicut enim Verbum Dei est in propheta, et recte dicitur, Dixit Dominus; quia Verbum Dei, quod est Christus, in propheta loquitur veritatem: sic et in angelo ipse loquitur, quando veritatem angelus annuntiat; et recte dicitur, Deus dixit; et, Deus apparuit: et item dicitur recte, Angelus dixit, et, Angelus apparuit; cum illud dicatur ex persona inhabitantis Dei, illud ex persona servientis creaturæ. Ex hac regula etiam Apostolus ait: *An vultis experimentum ejus accipere, qui in me loquitur Christi* (II *Cor.* XIII, 3)?

2. Si autem hoc movet, quod in Veteri Testamento etiam peccatoribus Deus loquitur, vel Adæ vel Evæ, vel serpenti; attendant etiam in Novo cujusmodi exemplum Dominus posuit de homine stulto et cupido, quomodo ei locutus est Dominus, cum ait: *Stulte, hac nocte auferetur a te anima tua; hæc quæ præparasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? Cum enim veritas etiam peccatoribus dicitur, per quamlibet creaturam dicatur, non nisi ab illo dicitur, qui unus est verax. Quod autem Judæis dicit, *Nec vocem ejus aliquando audistis;* ideo dicit, quia non obtemperaverunt isti duntaxat cum quibus loquebatur. Quibus dicit etiam, *Nec faciem ejus vidistis;* quia non potest. Quod autem dicit, *Neque verbum ejus habetis in vobis manens:* quia in quo manet verbum Dei, Christus in illo manet, quem isti respuerunt. Nam cum ipse Dominus dixisset, *Pater, clarifica me ea claritate qua fui apud te, priusquam mundus fieret;* sonuit vox de cœlo, *Et clarificavi, et clarificabo* (*Joan.* XII, 28, *et* XVII, 5). Quam vocem multi Judæorum præsentes audierunt, nec ideo

tamen audisse dicendi sunt, quia non obtemperaverunt ut crederent. Quapropter si non est mirandum quod Verbum Dei, id est, unicus Filius Dei, qui de Patre annuntiat, cui vult per se ipsum, cui vult per aliquam creaturam manifestatur vel sonando, vel apparendo, cum tamen ipse per se ipsum mundo corde videatur, et per illum Pater; *Beati enim mundicordes, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8): non est mirandum, ex utroque Testamento ista omnia testimonia consonare.

CAPUT X. — De eo quod scriptum est, quod locutus est Deus Moysi et dixit illi : *Loquere ad filios Israel : Sumite primitias ab omni homine, quod mihi destinetis, hoc est, aurum, argentum, æramentum, purpuram, byssum, coccum, pilos caprinos, pelles rubras agnorum, ligna integra, oleum ad illuminationem, thymiamata, lapides pretiosos, hoc est, beryllos ; et constituite tabernaculum, in quo commorari vobiscum possim* (*Exod.* xxv, 2-8). Commovent etiam hinc Manichæi quæstionem, et huic Scripturarum loco illud in Evangelio dicunt esse contrarium, quod ait Dominus, *Non jurabis, neque per cœlum, quia sedes Dei est ; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est* (*Matth.* v, 34 *et* 35). Disputant enim, et magnum aliquid sibi videntur dicere, cum dicunt : Quomodo ille Deus, cujus cœlum sedes, et terra scabellum pedum ejus est, in tabernaculo habitat, quod ex auro, et argento, et ære, et purpura, et pilis pecorum, pellibusque constructum est? Adhibentes etiam testem apostolum Paulum, quia dicit Deum lucem habitare inaccessibilem (*I Tim.* vi, 16). Quibus nos parem quæstionem referimus, et quod de Novo Testamento protulerunt, de Veteri Testamento proferimus. Ibi enim invenitur prius scriptum : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum : quam domum ædificabitis mihi, aut quis locus requiei meæ? Nonne manus mea fecit hæc omnia* (*Isai.* lxvi, 1 *et* 2)? Ecce habent ubi libri Veteris Testamenti prædicant Deum in templis manufactis non habitare : et tamen Filius Dei nostri, flagello de restibus facto, expulit de templo eos qui boves et columbas vendebant, et nummulariorum evertit mensas ; et ait, *Domus Patris mei domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Joan.* ii, 15, 16, *et Matth.* xxi, 12, 13). Si ergo aliquis istis duobus ex adverso capitulis constitutis, velit imperitos decipere, et dicere in Veteri Testamento magnificari Deum, cujus dicitur sedes cœlum, et terra scabellum pedum, et negatur habitare in domo manufacta ; in Novo autem Testamento domus ejus dicitur templum constructum ab hominibus : nonne Manichæi vel sero fatebuntur, et habitaculum Dei per manus hominum factum, ad aliquam significationem in utroque Testamento accipi ; et Deum non habitare in locis ab hominibus fabricatis, in utroque Testamento prædicari?

CAPUT XI. — De eo quod in Exodo scriptum est, *Ne adoraveritis deos alienos :* et iterum, *Deus vester zelans appellatur ; zelans enim zelavit* (*Exod.* xx, 5, *et* xxxiv, 14). Huic capitulo quod scriptum est, *Ne adoraveritis deos alienos*, cum calumniantur Manichæi, satis ostendunt placere sibi adorari multos deos. Nec mirum, quandoquidem in secta sua numerosissimam deorum familiam commemorant atque commendant : quippe qui etiam ad ista visibilia venerunt, quæ pro istius veritatis luce venerantur et adorant ; et ideo displicet eis quod scriptum est in Exodo, *Ne adoraveritis deos alienos.* Addunt etiam illud propter hoc dictum esse, *Deus vester zelans appellatur ; zelans enim zelavit :* ut tanquam Deum zelantem non amemus, cujus zelo deos alienos adorare non sinimur. Et ideo dicunt ista Evangelio esse contraria, quoniam Dominus dicit, *Pater juste, et*[1] *mundus te non cognovit* (*Joan.* xvii, 25) : quasi non sit dicendus Deus justus, nisi nos deos alienos adorare permittat. Justum enim Deum et zelantem Deum tanquam contraria sibi esse dissertant, et decipiunt miseros, non intelligentes totam spem salutis nostræ esse zelum Dei. Hoc enim nomine illa ejus significatur providentia, qua nullam a se animam fornicari impune permittit, sicut Propheta dicit : *Perdes omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* lxxii, 27). Sicut enim ea quæ dicitur ira Dei, non perturbatio mentis est, sed potentia vindicandi : sic zelum Dei non cruciatum animi, quo maritus adversus uxorem, vel uxor adversus maritum torqueri solent, sed tranquillissimam sincerissimamque justitiam (*a*), qua nulla anima beata esse sinitur, falsis opinionibus pravisque cupiditatibus corrupta, et quodam modo gravidata. Illi enim hæc verba horrescunt, qui nondum viderunt ineffabili majestati nulla verba congruere. Sic enim ab istis verbis tempesandum putant, quasi aliquid dignum Deo dicant[2], cum ista non dicunt. Sanctus enim Spiritus hoc ipsum hominibus intelligentibus insinuans, quam sint ineffabilia summa divina, his etiam verbis uti voluit, quæ apud homines in vitio poni solent ; ut inde admonerentur, etiam illa quæ cum aliqua dignitate Dei se putant homines dicere, indigna esse illius majestate, cui honorificum potius silentium, quam ulla vox humana competeret. Quæro zelum hominis, et invenio perturbationem cruciantem cor. Tamen cum quæro causam, nihil aliud invenio, nisi quod non patitur conjugis adulterium. Maxime enim et proprie inter conjugia zelotypia dici solet. Itaque si maritus esset per se ipsum beatus et omnipotens et justus, sine ullo cruciatu, et tota facilitate, et nulla iniquitate peccatum conjugis vindicaret. Quam tamen ejus actionem humano loquendi modo etiamsi non proprie, translate tamen et recte zelum vocarem. Quis enim Tullio calumniatus est, qui certe noverat latine loqui, cum ait Cæsari : *Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est* (*Pro Q. Ligario, in fine*)? Et tamen ex eo appellatam misericordiam dicunt, quod miserum cor faciat dolentis aliena miseria. Numquid ergo virtus

[1] Hic addimus particulam, *et*, quam in Mss. reperimus, juxta græcum.

[2] Sic Mss. At editi, *dignum Deo putent.*

(*a*) Supple, *intelligimus.*

miserum cor facit? Quid ergo calumniosis Tullius responderet, nisi misericordiæ nomine clementiam se appellare voluisse? Quoniam recte solemus loqui, non solum verba propria, sed etiam vicina usurpantes. Cujus auctoris mentionem facere volui, quoniam non de re quæstio hic, sed de verbo est. Sicut enim nostri auctores, divinarum scilicet Litterarum, de rebus maxime cogitaverunt; sic mundanorum auctorum prope omnis cura de verbis est. Sed habeo Evangelium, et omnes Novi Testamenti libros, in quibus misericordia Dei frequentissime commendatur. Si audent ergo isti miseri, etiam inde faciant quæstionem, et negent esse misericordem Deum, ne miserum cor habere intelligatur. Sicut ergo potest esse in Deo misericordia sine cordis miseria : sic etiam sine tabe atque cruciatu animi zelum Dei non dedignemur accipere; et humani conditionem sermonis feramus, ut ad divinum perveniamus silentium. Sed si contraria dicunt esse zelantem Deum, et justum Deum; quid dicturi sunt, cum et in Novo Testamento invenio, *Zelo Dei vos zelo* (II *Cor.* XI, 2); vel adhibitum etiam de veteribus in Evangelio testimonium, *Zelus domus tuæ comedit me* (*Joan.* II, 17; *Psal.* LXVIII, 10)? Rursus in Vetere cum legunt, *Justus Dominus, et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus* (*Psal.* X, 8) : nonne fatebuntur etiam hoc modo imperitis duo Testamenta videri posse contraria, ut in Novo inveniamus zelum Dei, in Vetere justitiam Dei? bene autem intelligentibus utrumque in utroque magna sancti Spiritus unitate et pace concinere?

CAPUT XII. — 1. De eo quod scriptum est, non esse manducandum sanguinem, quod anima sit carnis sanguis (*Deut.* XII, 25). Huic sententiæ veteris Legis Manichæi ex Evangelio illud opponunt quod Dominus dicit, non esse timendos eos qui occidunt corpus, animæ autem nocere non possunt (*Matth.* X, 28); et disputant dicentes : Si sanguis anima est, quomodo homines potestatem in eam non habent, cum de sanguine multa faciant, sive excipientes et canibus volucribusque in escam proponentes, sive effundentes, aut cœno luteque miscentes? Hæc enim et alia innumerabilia sine difficultate homines de sanguine possunt facere. Ideo isti quærunt insultantes, quomodo, si sanguis est anima, non possit hominis interfector nocere animæ, cum tantam in ejus sanguinem habeat potestatem. Addunt etiam quod ait apostolus Paulus, *Quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (I *Cor.* XV, 50) : et dicunt, Si sanguis est anima, sicut Moyses dicit, nulla invenietur anima posse regnum Dei adipisci. Cui calumniæ primo ita respondendum est, ut ipsi cogantur ostendere ubi scriptum sit in libris veteris Legis, quod anima humana sanguis sit. Nusquam enim hoc invenient in illa Scriptura, quam lacerare miseri quamdiu conantur, nullo modo permittuntur intelligere. Quod si de anima humana nihil tale ibi dictum est, quid ad nos pertinet, si anima pecoris aut lædi ab interfectore potest, aut possidere Dei regnum non potest? Sed quia de animis pecorum nimis sunt isti solliciti (cum enim sint hominum animæ rationales, revolvi tamen eas in pecora existimant), clausa sibi esse arbitrantur regna cœlorum, si pecorum animis clausa esse consentiant.

2. Quid, quod etiam insultare ausus est populo Israel Adimantus unus ex discipulis Manichæi, quem magnum doctorem illius sectæ fuisse commemorant? Insultare ergo ausus est populo Judæorum, quod secundum eorum intellectum, quo existimant sanguinem esse animam, parentum ipsorum animæ, partim a serpentibus devoratæ, partim igne consumptæ, partim in desertis atque asperrimis montium locis arefactæ sunt. Quod si verum esse quisquam concederet, sine scelere tamen eorum quibus iste insultare voluit, factum esse convinceret. Non enim parentum suorum animas, quibus illa omnia secundum horum intellectum accidisse dixit, ipsi aliqua ex parte læserunt : quapropter luctum inde possunt habere, non reatum. Quid autem ipse Adimantus faciet secundum opinionem suam, qua credidit etiam rationales, id est, hominum animas in belluina corpora posse contrudi? Quid ergo faciet de tanto scelere, si quando tardum jumentum plagis, aut concitatum freno fatigavit, in quo forte patris ejus anima fuerit? ut non dicam quod etiam occidere parentes suos inter pediculos et pulices potuerit, a quorum isti interfectione non temperant. Quid enim eis prodest, quod aliquando negant usque ad ista minutissima animantia revolvi animas humanas posse? Hoc enim negant, ne tam multarum interfectionum rei teneantur, aut cogantur parcere pediculis et pulicibus et cimicibus, et tantas ab eis molestias sine ulla cædis eorum licentia sustinere. Nam vehementer urgentur, cur in vulpeculam revolvi anima humana possit, et non possit in mustelam; cum catulus vulpeculæ fortasse etiam minor sit, quam magna mustela. Deinde si in mustelam potest, cur in murem non potest? Et si in istum potest, cur in stellionem non potest? Et si in eum potest, cur in locustam non potest? Deinde in apem, deinde in muscam, deinde in cimicem, atque inde usque in pulicem, et si quid est aliud multo minutius, pervenire? Ubi enim terminum constituant, non inveniunt : atque ita per istam nugatoriam credulitatem [1], conscientiæ illorum innumerabilibus homicidiorum sceleribus obruuntur.

3. Nam ex eo quod scriptum est, sanguinem pecoris animam ejus esse; præter id quod supra dixi, non ad me pertinere quid agatur de pecoris anima; possum etiam interpretari præceptum illud in signo esse positum. Non enim Dominus dubitavit dicere, *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26); cum signum daret corporis sui.

4. Quod autem ait Apostolus, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* : etiam in Lege dictum est, *Non permanebit in istis spiritus meus, quoniam caro sunt* (*Gen.* VI, 3). Et toties in veteribus Libris justorum animis præmium futurum promittitur. Sed tamen

[1] Nonnulli Mss., *crudelitatem.*

Apostolus volens insinuare quale corpus justorum per immutationem in resurrectione futurum sit, quia *non nubent, neque uxores ducent, sed erunt sicut Angeli in cœlis* (*Matth.* XXII, 30) : hanc ergo immutationem futuram corporum sanctorum volens insinuare, dixit Apostolus, *Dico enim vobis, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Quod non una separata et ad fraudem commemorata sententia, sed toto ipso Epistolæ loco pertractato, vel potius lecto (non enim res obscura est) inveniri potest. Sic enim dicit : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Quod eum de corpore dicere, de superioribus manifeste invenitur, cum ait : *Non omnis caro eadem caro : alia quidem hominum, alia autem pecorum ; alia caro volucrum, alia piscium. Et corpora cœlestia, et corpora terrestria : sed alia est cœlestium gloria, alia terrestrium ; alia gloria solis, alia gloria lunæ, et alia gloria stellarum. Stella enim ab stella differt in gloria ; sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione : seminatur in contumelia, surget in gloria : seminatur in infirmitate, surget in virtute : seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, sicut scriptum est : Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non primum quod spirituale est, sed quod animale ; postea, quod spirituale. Primus homo de terra, terrenus ; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni ; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus et imaginem ejus qui de cœlo est. Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt ; neque corruptio incorruptionem hæreditate possidebit.* Certe jam clarum est quare hoc Apostolus dixerit. Quid ergo iste tam turpi fraude non commemorat, nisi hoc ultimum, et tacet illa superiora, quibus hoc quod male interpretatur, bene possit intelligi ? Nam quoniam Domini nostri corpus post resurrectionem sic levatum est in cœlum, ut pro ipsa cœlesti habitatione cœlestem acceperit mutationem, et hoc sperare in die ultimo jussi sumus : ideo dixit Apostolus, *Qualis terrenus, tales et terreni*, id est, mortales ; *et qualis cœlestis, tales et cœlestes*, id est, immortales, non solum animis, sed etiam corporibus. Unde et supra dixerat, aliam esse cœlestium corporum gloriam, et aliam terrestrium. Quod autem spirituale dixit corpus in resurrectione futurum, non propterea putandum est, quod non corpus, sed spiritus erit : sed spirituale corpus omni modo spiritui subditum dicit, sine aliqua corruptione vel morte. Non enim quia quod modo habemus corpus animale appellat, ideo putandum est non illud esse corpus, sed animam. Ergo quemadmodum corpus animale tunc dicitur, quia subditum est animæ ; spirituale autem nondum dici potest, quia nondum spiritui plene subjectum est, quamdiu corrumpi potest : sic et tunc spirituale vocabitur, cum spiritui atque æternitati nulla corruptione resistere poterit.

5. Aut si adhuc parum videtur esse monstratum, quod sententiam istam propter immutationem quæ futura est Apostolus dixerit, cum ait, *Caro et sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem hæreditate possidebit ;* attendite quid continuo subjiciat, et adjungat : *Ecce mysterium vobis dico : omnes quidem resurgemus, non tamen omnes immutabimur, in atomo, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Deinde contexit, et dicit etiam illud quod paulo ante commemoravi, ut ostendat qualis futura sit ipsa immutatio. Statim quippe dicit : *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* XV, 39 53). Hinc ergo apparet quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, quia cum induerit incorruptionem et immortalitatem, jam non caro et sanguis erit (*a*), sed in corpus cœleste mutabitur. Quod quidem ex occasione tractavimus, quia huic quoque sententiæ multum insidiari solent, negantes corporum resurrectionem. Nam ista quæstio non de corpore, sed de anima proposita est, quam putant sic accipi in Lege, ut sanguis esse existimetur : quod nos nullo modo sic intelligimus. Sed quamvis de pecorum animis non curemus, cum quibus non habemus rationis aliquam societatem : tamen illud quod Lex dixit, fundendum esse sanguinem, nec in escam assumendum, quia sanguis est anima, esse positum dicimus sicut alia multa ; et pene omnia Scripturarum illarum sacramenta signis et figuris plena sunt futuræ prædicationis, quæ jam per Dominum nostrum Jesum Christum declarata est. Sic est enim sanguis anima, quomodo petra erat Christus, sicut dicit Apostolus : *Bibebant enim de spirituali sequente*[1] *petra, petra autem erat Christus* (*Id.* X, 4). Notum est autem filios Israel petra percussa bibisse aquam in eremo (*Num.* XX, 11), de quibus loquebatur Apostolus, cum hæc diceret ; nec tamen ait, Petra significabat Christum ; sed ait, *Petra erat Christus.* Quæ rursus ne carnaliter acciperetur, spiritualem illam vocat ; id est, eam spiritualiter intelligi docet. Longum est, et nunc non necessarium, sacramenta ejusdem Legis exponere, nisi cum breviter possint. Sufficit autem ut noverint illi qui de his calumniantur, non ea nos ita intelligere, ut illa solent irridere ; sed quemadmodum Apostoli omnia intelligentes pauca exposuerunt, ut ad easdem regulas cætera posteris intelligenda relinquerent.

CAPUT XIII. — 1. De eo quod scriptum est in Deuteronomio, *Videte ne obliviscamini testamentum Dei vestri quod conscripsit, et faciatis vobis effigies et imagines :* addit etiam dicens, *Deus vester ignis est edax, et Deus zelans* (*Deut.* IV, 23, 24). Hæc verba de Scripturis hoc modo ille Adimantus proposuit. Ejus enim calumnias refutandas refellendasque suscepimus. Sed et jam superius de zelo Dei cum calumniaretur, puto satis esse responsum. Meminerimus tamen non solum ibi, sed etiam hic, sic eum de zelo Dei cri-

[1] Editi, *sequente eos.* Abest, *eos*, a Mss. et a græco textu Apostoli.

(*a*) I Retract., cap. 22, n. 3.

minatum Scripturas, ut adjungeret etiam quod de simulacris non colendis in illis libris præcipitur a Domino Deo nostro; quasi non ob aliud reprehendat zelum Dei, nisi quod illo ipso zelo a cultu simulacrorum prohibemur: vult ergo videri favere se simulacris. Quod propterea faciunt, ut miserrimæ et vesanæ suæ sectæ etiam Paganorum concilient benevolentiam. Huic autem Legis capitulo illud evangelicum opponit, ubi quidam accessit ad Dominum, et ait illi: *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?* Cui respondit Jesus: *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Marc.* x, 17 *et* 18). Ut ex hoc videlicet contraria ista esse arbitremur, quia in Lege dicitur, *Deus ignis edax*, et, *Deus zelans;* in Evangelio autem, *Nemo bonus, nisi unus Deus.*

2. Et de zelo quidem jam responsum est, non sic esse ista verba in Scripturis posita, ut aliquam Dei perturbationem cruciatumve significent; sed quia nihil dignum de Deo dici potest, propterea usque ad ista perventum est, quæ cum homines indigna esse putaverint, cogantur discere, etiam illa quæ convenienter de ineffabili divina excellentia se dicere existimant, indigna esse majestate Dei; cujus sapientia cum descensura esset usque ad corpus humanum, prius usque ad humana verba descendit. Ecce dixi, descendit: quod verbum si discutere cœpero, proprie me dixisse non video; non enim potest descendere, nisi quod etiam de loco in locum moveri potest. Nam qui descendit, locum superiorem deserere, et inferiorem petere videtur. Dei autem Sapientia, cum tota ubique præsto sit, nullo pacto migrare de loco in locum potest. De qua Joannes in Evangelio dicit, tanquam dominici pectoris particeps. Ait enim, *In hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit:* et tamen ipse adjungit et dicit, *In sua propria venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* I, 10, 11). Quomodo hic erat, et quomodo venit, nisi quia illa sublimitas ineffabilis, ut hominibus congruat, humanis sonis significanda est; ut autem deos homines faciat, divino est intelligenda silentio? Potest ergo reddi ratio, quare ita dictum sit: non tamen potest aliquid de Deo digne dici, quod ideo jam indignum est, quia potuit dici. Tolle de zelo errorem et dolorem, quid remanebit aliud, nisi voluntas custodiens castitatem, et corruptionem vindicans conjugalem? Quo igitur verbo, nisi zelo Dei melius posset insinuari, quod vocamur [1] ad conjugium Dei, et non vult nos turpi amore corrumpi, et punit impudicitiam nostram, et diligit castitatem? Non enim frustra vulgo dici solet: Qui non zelat, non amat.

3. Ad hoc etiam pertinet quod dictum est, *edax ignis:* de quo disputare non debeo, sed potius ipsos interrogare, quem ignem dixerit Dominus se venisse mittere in hunc mundum. Hoc enim dictum est in Evangelio, quod illi accusare non possunt, non ut Christum honorent, sed ut decipiant Christianos. Quod cum eis commemoratum fuerit, quemadmodum Dominus dixerit, *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49); miseri dicunt: Sed illud aliud est. Quibus respondemus: Et hoc aliud est, noli metuere. Nam ipse Christus loquitur etiam in Veteri Testamento, cum dicit, *Ego sum ignis edax* (*Deut.* IV, 24, *et* IX. 3); qui loquitur in Evangelio, quod ignem venerit in hunc mundum mittere, id est, Verbum Dei, quod est ipse. Nam veteres utique Scripturas exposuit post resurrectionem discipulis, incipiens a Moyse et Prophetis omnibus, quando ipsi discipuli ignem se accepisse confessi sunt, dicentes: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis in via, cum aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32)? Ipse est ignis edax: consumit enim veterem vitam divinus amor, et innovat hominem: ut ex eo quod Deus ignis est edax, faciat ut eum nos amemus; ex eo autem quod Deus zelans est, ipse nos amet. Nolite ergo timere ignem, quod est Deus [1]: sed timete ignem, quem paravit hæreticis Deus.

4. Quod enim Adimantus elegit de Evangelio locum, quem huic Legis capitulo tanquam contrarium apud imperitos objiceret, ubi ait Dominus, *Nemo bonus, nisi unus Deus*, quoties invenitur bonitas Dei in Veteri Testamento, quis numerare sufficiat? Unum tamen ponam, quod quotidie in Ecclesia cantatur: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CXVII, 1, 29). Certe et hoc zelanti Deo, sicut Manichæi existimant, videtur esse contrarium, et tamen in libris Veteris Testamenti cantatur. Item rex ille, qui cum filio suo nuptias faceret, invenit inter discumbentes hominem non habentem vestem nuptialem; et eum primo amici nomine appellans, manibus et pedibus colligatis mitti jussit in tenebras exteriores (*Matth.* XXII, 2-13): moleste intelligentibus non videtur bonus. Et si ipsum quisquam capitulum Evangelii proponeret, et sicut facit Adimantus de Veteri Testamento, ita Evangelium calumniose accusaret, laudans potius Veteris Testamenti libros, ubi scriptum est, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus;* et reprehendens in Novo, quod vocatus conviva in tantum supplicium propter vestem mittitur; et hoc fraudulenta perversitate assidue faceret, ut omnia loca lenitatis de Veteri Testamento colligeret, et loca severitatis de Novo, et hæc sibi adversa esse contenderet, laudans Vetus, et reprehendens Novum: similiter inveniret imperitos et divinarum Scripturarum miserabiliter ignaros, quibus persuaderet Vetus potius Testamentum, quam Novum esse retinendum. Quod cum isti ex alia parte faciunt, id est, Vetus reprehendentes, quasi contrarium Novo, miror quod non cogitant posse aliquem aliquando utrumque legere, et divina ope intellectum utrumque laudare; fraudemque istorum atque malitiam vel dolere tanquam hominum, vel cavere tanquam hæreticorum, vel irridere tanquam imperitorum et superborum.

CAPUT XIV. — 1. De eo quod scriptum est in Deuteronomio: *Secundum desiderium animæ tuæ de-*

[1] Apud Er. Lugd. Ven et Lov., *insinuari? Quo vocamur*, etc. M.

[1] Apud Er. Lugd. Ven. et Lov., *qui est Deus*. M.

cide, et manduca omnem carnem, juxta voluptatem quam dedit tibi Dominus. Care autem ne sanguinem manduces; sed effunde tanquam aquam super terram (*Deut.* XII, 15, 16). His verbis Legis Adimantus contrarium esse arbitratur quod in Evangelio Dominus ait, *Ne graventur corda vestra cruditate, et vinolentia, et curis sæcularibus* (*Luc.* XXI, 34) : et quod ait Apostolus, *Bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum* (*Rom.* XIV, 21); et iterum, *Non potestis mensæ Domini communicare, et mensæ dæmoniorum* (*1 Cor.* X, 21). Nos autem omnia hæc, sive quæ in Veteri, sive quæ in Novo Testamento scripta sunt, et suis causis exigentibus posita dicimus, et sibi adversa non esse monstramus. Quanquam et ipse in his verbis quæ posuit de Veteri Testamento, animadvertere potuit, non ad immoderatam voracitatem pertinere quod dictum est, *Secundum desiderium animæ tuæ occide, et manduca omnem carnem;* quando sequitur, *juxta voluptatem quam dedit tibi Dominus.* Immoderatam enim voluptatem non dedit tibi Dominus, sed quanta sustentationi naturæ salutique sufficiat. Quisquis autem sequitur immoderatam voracitatem, suum vitium sequitur, non eam voluptatem quam dedit Dominus : et ideo non est contrarium quod in Evangelio positum est, *Non graventur corda vestra cruditate, et vinolentia, et curis sæcularibus.* Cum enim quisque non replet nisi eam voluptatem quam Dominus dedit, id est, modestam atque naturalem, non gravatur cor ejus cruditate, et vinolentia, et curis sæcularibus.

2. De carne autem non manducanda et non bibendo vino quod ait Apostolus, non quia illa immunda arbitratus est, hoc præcepit, sicut isti exstimant, et errantes in errorem præcipitant, quibus talia persuaserunt : sed cum ipse posuerit causam cur hoc dixerit, non est nobis hæc interpretanda vel exponenda sententia. Sufficit enim ipsum de Apostoli Epistola totum locum huic sermoni contexere, ut et causa manifeste appareat cur hoc Apostolus dixerit; et istorum fraus, qui particulas quasdam de Scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos, non connectentes quæ supra et infra scripta sunt, ex quibus voluntas et intentio scriptoris possit intelligi. Sic ergo Apostolus ait : *Infirmum autem in fide recipite, non in dijudicationibus*[1] *cogitationum. Alius quidem credit manducare omnia*[2] *: qui autem infirmus est, olera manducet*[3]. *Qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet : Deus enim illum recepit. Tu quis es, qui judices alienum servum? Suo domino stat, aut cadit. Stabit autem : potens est enim Dominus statuere illum. Alius quidem judicat alternos dies, alius autem judicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit : et qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo. et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus, Ad hoc enim Christus mortuus est, ut mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem, quare judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Domini. Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabit*[1] *omne genu, et confitebitur omnis lingua Deo. Igitur unusquisque nostrum pro se rationem reddet. Non ergo amplius invicem judicemus : sed hoc magis judicate, ne ponatis offendiculum aut scandalum fratribus. Scio et certus sum in Domino Jesu, quia nihil commune per illum, nisi ei qui putat aliquid esse commune, illi commune est. Nam si propter escam frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli in esca tua illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim regnum Dei esca et potus; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt sectemur, et quæ ad ædificationem sunt in invicem. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem munda, sed malum est homini qui per offensionem manducat. Bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur. Tu fidem quam habes penes temetipsum, habe coram Deo. Beatus qui non judicat semetipsum in quo probat. Qui autem discernit*[2]*, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV). Numquid eget cujusquam interpretatione, ut intelligatur cur hoc Apostolus dixerit; et quanta illi malitia de Scripturis certa quæque discerpunt, quibus circumveniant imperitos? Nam et munda esse omnia dixit Apostolus secundum fidem; et ei esse immunda, qui putat immunda : et tunc esse ab eis temperandum, cum per offensionem accipiuntur, id est, cum aliquis infirmus putat sibi ab omnibus carnibus temperandum, ne incidat in carnem immolatitiam; et ideo eum qui manducat, potest arbitrari in honorem idolorum id facere, et ex eo graviter offendi : cum ipsa immolatitia caro, si ex fide a nesciente accipiatur, neminem maculet. Unde alio loco idem apostolus interrogari vetat, cum quid de macello emitur, vel ab aliquo infideli quisquam vocatus, in mensa ejus exhiberi sibi carnes videt, quas isti immundas arbitrantur, non propter immolationem, sed quia carnes sunt, cum Apostolus clamet omnia munda esse, et omnem creaturam Dei bonam esse, et omnia sanctificari per verbum et orationem : et tamen temperandum ab eis, si quis forte infirmus offenditur. Et quodam loco apertissime istos significavit, cum dicit, in novissimis temporibus futuros quosdam prohibentes nubere, abstinentes a cibis quos Deus creavit (*1 Tim.* IV, 1-5). Hos enim proprie designat, qui non propterea temperant a cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant, sed quia ipsas

[1] Editi, *in disceptationibus.* Mss. vero, *in dijudicationibus.* Græce est, *eis diakriseis.*

[2] In editis, *manducare se omnia.* Abest, *se,* a Mss. et a græco.

[3] Mss., *manducat.*

[1] Editi, *curvabitur.* At Mss., *curvabit.* Græce est, *kampsei.*

[2] Aliquot Mss., *dijudicat.*

carnes immundas putant, et earum creatorem Deum esse negant. Nos autem teneamus apostolicam disciplinam dicentem, quod omnia munda sint mundis (*Tit.* I, 15), servata moderatione evangelica, ut non graventur corda nostra cruditate, et vinolentia, et curis sæcularibus.

3. Nam idem illud quod Apostolus ait, *Non potestis mensæ Domini communicare, et mensæ dæmoniorum*; non video cur opponendum huic loco Legis, et quasi contrarium Manichæi esse crediderint. Non enim de immolationibus Lex loquitur, cum in Deuteronomio dicitur, *Secundum desiderium animæ tuæ occide, et manduca omnem carnem, juxta voluptatem quam dedit tibi Dominus*; sed de cibis qui pertinent ad hominis alimentum. Sed quoniam Manichæi etiam cum ad hominis cœnam quæque animalia præparantur, immolationem esse dicunt; secundum suum intellectum ista contraria esse putaverunt. Propterea et illum commemoraverunt locum, ubi Apostolus ait, *Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo*: cum Apostolus apertissime de victimis loqueretur, quæ in templo offeruntur dæmonibus; non de his escis quas sibi homines præparant. Sic enim dicit: *Quid ergo? dico quia idolis immolatum est aliquid, aut idolum est aliquid? Sed quia quæ immolant, dæmoniis, et non Deo immolant. Nolo vos socios dæmoniorum fieri. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participare, et mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Omnia licita sunt, sed non omnia expediunt: omnia licita sunt, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed id quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini enim est terra et plenitudo ejus. Si quis vos vocaverit ex infidelibus, et volueritis ire; omnia quæ apponuntur vobis, manducate, nihil dijudicantes propter conscientiam. Si quis autem vobis dixerit quia hoc immolatitium*[1] *est; nolite manducare, propter illum qui indicavit, et propter conscientiam: conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius. Quare enim libertas mea judicatur ab alia*[2] *conscientia? Si ego cum gratia participo, utquid blasphemor, pro quo gratias ago? Sive igitur manducatis, sive bibitis, sive quodcumque facitis, omnia in gloriam Dei facite* (I *Cor.* X, 19-31). Hæc attendant Manichæi, et videant quomodo dictum sit in Deuteronomio, *Secundum desiderium animæ tuæ occide, et manduca omnem carnem, juxta voluptatem quam Dominus dedit tibi.* Quod enim de quibusdam carnibus non manducandis Judæis præceptum est, et immundæ sunt dictæ, ad significationem valet hominum immundorum, qui per figuras in veteribus Scripturis sunt designati. Sicuti enim bos ille, cui trituranti vetat os alligari, evangelistam significat, sicut Apostolus apertissime exponit (*Deut.* XXV, 4; I *Cor.* IX, 7-9; *et* I *Tim.* V, 17, 18); sic et illa quæ prohibita sunt, quasdam hominum immunditias significant, quæ in societatem corporis Christi, id est, in Ecclesiam stabilem et sempiternam non recipiuntur. Nam quod ad cibos attinet, omnino nihil immundum esse, sed malum esse homini qui per offensionem manducat, manifestissime apparet.

CAPUT XV. — 4. De eo quod in Levitico scriptum est: *Separate a mundo immundum, et nemo manducet carnem cameli, asini, et leporis, et porci, et aquilæ, et milvi, et corvi, et vulturis, et reliquorum* (*Levit.* XI). Nusquam manifestius plenissima dolis et fraudibus anima hujus hominis deprehendi potest, qui tanquam sibi adversa atque contraria de utroque Testamento capitula objecit, quam in hoc loco ubi commemoravit in Levitico scriptum esse, ut a nonnullis animalium carnibus temperetur. Namque huic sententiæ illud ex Evangelio credidit opponendum, ubi Dominus dicit: *Nihil est ingrediens in hominem, coinquinans eum; sed ea quæ procedunt de eo, coinquinant* (*Matth.* XV, 11). Hoc si imprudens fecit, nihil cæcius: si autem sciens, nihil sceleratius. Nonne ipse paulo ante posuerat Apostoli testimonium dicentis, *Bonum est, fratres, non manducare carnem, neque bibere vinum* (*Rom.* XIV, 21); dum cupit de Novo Testamento Veteri adversari, ubi dictum est, *Secundum desiderium animæ tuæ occide, et manduca omnem carnem* (*Deut.* XII, 15)? Quomodo ergo nunc placet ei sententia Domini, qua dicit, nihil esse ingrediens in hominem quod coinquinet eum, sed ea coinquinare quæ de homine procedunt? Ubi se iste abscondat ab hac sententia? Quo fugiet, dicat mihi, quando immunditiam carnium fugiendam et a cibis sanctorum separandam, perversa et superstitiosa imaginatione continentiæ præcipit? Certe enim, si verum est, non coinquinare illa quæ ingrediuntur in hominem, cum magno errore immundas esse dicunt escas Manichæi, cum homines carne vescuntur. Si autem immundæ sunt tales escæ, quid de isto testimonio facient, quod evangelica et divina auctoritate prolatum est, ubi Dominus dicit, non coinquinari hominem iis quæ ingrediuntur in eum, sed iis quæ procedunt de illo? An forte dicturi sunt, sicut solent dicere, cum Scripturarum eos urget auctoritas, hoc capitulum a corruptoribus Scripturarum insertum esse Evangelio? Cur ergo Adimantus hoc capitulo teste utitur, et inde constur Vetus Testamentum oppugnare, unde iste prosternitur? Cum enim quispiam catholicus christianus utriusque Scripturæ venerator[1] et intellector ei responderit, hæc non esse contraria; quod illa de quorumdam carnibus animalium, quibus non esse vescendum populo adhuc carnali præceptum est, ad significationem posita sint humanorum morum, quos Ecclesia quæ corpus est Domini, in suæ unitatis vinculum stabile et sempiternum recipere non potest, tanquam immundas escas respuens, et in sua viscera non convertens; ut omnia illa præcepta carnali populo imposita futuram disciplinam spiritualis populi prophetarent: et ideo non ea repugnare scn-

[1] Lov., *immolatum*. At Er. et Mss., *immolatitium*.
[2] Editi, *ab aliena*. Mss. vero, *ab alia*. In græco est. *ὑπὸ ἑτέρου*.

[1] Apud Er. Lugd. Ven., *venator*. M.

tentia Domini, qua verissime dicit, non coinquinari hominem iis quæ per escam ingrediuntur in eum. Illa enim sententia servis onera imponit; ista jam liberis jugum excutit servitutis. Et illa tamen sic dicta est, ut servorum onera fidem prænuntient liberorum. *Omnia enim*, sicut dicit Apostolus, *in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos*[1], *in quos fines sæculorum obvenit* (1 *Cor.* x, 11). Si ergo in figuram contingebant quæ patiebantur, in figuram accipiebant quæ monebantur.

2. Cum ergo ista respondero, et hoc modo non esse contraria duo ista capitula de singulis Testamentis collata monstravero, quid iste facturus est, contra quem dicit gravissimum testimonium testis quem contra adversarium ipse produxit? Ipse enim commemoravit de Evangelio testimonium, Domino dicente non coinquinari hominem iis escis quæ ingrediuntur in eum : et ipse a carnibus abstinendum tanquam ab immundis escis monere et docere non cessat. Et tamen sensit quantam plagam sibi infligeret, et quanto ictu repercussus se ipse sauciaret. Ne quis enim eum interrogaret et diceret, Quomodo ergo prohibetis carnibus vesci, si Dominus dicit, sicut tu ipse commemoras, *Nihil est ingrediens in hominem, coinquinans eum; sed ea quæ procedunt de eo, coinquinant?* voluit quasi adhibere medicinam sine causa in mortifero vulnere. Sic enim posuit ipsum evangelicum testimonium. In Evangelio, inquit, dicit ad turbam Dominus : *Audite, et intelligite : Nihil est ingrediens in hominem, coinquinans eum*, et cætera. Quod ergo commemoravit Dominum hoc ad turbam dixisse, nihil aliud ostendit, nisi non se ignorantia, sed malitia fecisse quod fecit : ut postea diceret Auditoribus suis ad turbam Dominum ista locutum esse, non ad paucos sanctos, quales se ipsi videri volunt; ut quoniam suos Auditores tanquam adhuc immundos permittunt carnibus vesci, sibi autem quasi jam mundis cum sceleratum atque nefarium esse arbitrantur, hoc etiam Dominum sensisse videatur, quod non paucos sanctos, sed turbas ista docuerit. O hominem pessimum, securum de negligentia generis humani ad occultandas deceptiones suas! Non enim credebat aliquem existere, qui arriperet Evangelium, et cum scientia legeret, et inveniret hominem in ipsis pratis, quibus greges suos Dominus pascit, laqueos incautis et minus providis abscondentem. Nam de his verbis commoti discipuli, et non credentes proprie, sed potius figurate Dominum locutum fuisse, cum diceret non coinquinari hominem iis quæ per cibos ingrediuntur in eum, quoniam Judæi erant etiam ipsi discipuli, qui fugiendos quarumdam carnium cibos a puericia institutum acceperant, accedentes ad eum dixerunt ei : *Scis quia Pharisæi audito verbo*[2] *scandalizati sunt? At ille respondens ait : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos; cæci sunt, et duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Cum ergo infidelitatem Judæorum plantationem appellaret quam non plantavit Pater cœlestis, tamen adhuc Petrus putans esse illam parabolam, et propterea reprehensos Judæos et cæcos dictos, quod eam intelligere non potuerint, respondens dixit ei : *Edissere nobis parabolam istam.* Et ille manifestissime ostendens non esse parabolam, sed propriam locutionem, dixit ad eos : *Adhuc et vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem* (*Matth.* xv, 10-20). De non lotis autem manibus Judæi moverant quæstionem, cujus occasione Dominus generaliter de iis quæ in os intrant, et in ventrem vadunt, et in secessum emittuntur, hoc est, de alimentis nostris dixit sententiam. Quanquam ergo convocatis ad se turbis eum dixisse scriptum sit, *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore* : tamen iste quo timore hoc addiderit verbis suis, quibus hujusmodi testimonium commemoravit, satis apparet, sicut paulo ante dictum est, ut haberet quod responderet eis qui sibi quæstionem movissent, cur primates Manichæorum nefas sibi esse existimant carnibus vesci : videlicet ut illud quod Dominus ait, turbis tantum, non Electis concessisse viderotur. Sed cum ex consequentibus declaratum sit etiam Petro seorsum interroganti, audientibusque discipulis, quos utique ad culmen Ecclesiæ producebat, ita respondisse Dominum, ut neque per parabolam se illa dixisse testatus sit, et ad omnes pertinere monstraverit; non habent isti unde auferant cibos de faucibus hominum, et eas[1] laqueo superstitionis astringant.

3. Fortassis aliquis eorum dicat : Edissere ergo quid significet caro porci, et cameli, et leporis, et milvi, et corvi, et cæterorum, a quibus abstinendum in Lege præcipitur. Nolo, quia longum est. Sed fac me non posse; numquid propterea nullus potest? Et sunt jam volumina innumerabilia in quibus ista exposita sunt. Nobis tamen ad hos refellendos satis est, quod eas observationes umbram esse futurorum, non ego, sed Apostolus dicit, cum etiam vetat serviliter observari, sed tamen aliquid significare declarat, dicens : *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quod est umbra futurorum* (*Coloss.* II, 16, 17). Illa itaque futura quæ illis observationibus significabantur, posteaquam per Dominum Jesum Christum venerunt, ablatæ sunt serviles observationes : sed earum interpretationes tenentur a liberis. Quidquid enim futuram Ecclesiam significavit, prophetia est. Habes autem eumdem apostolum dicentem : *Spiritum nolite sper-*

[1] Mss., *contingebant illis propter nos*, etc.; omissis verbis, *scripta sunt autem*.

[2] In editis, *hoc verbo*. Abest, *hoc*, a Mss. et a græco textu Evangelii.

[1] Editi, *eos*. At Mss., *eas* : scilicet, *fauces*.

nere, prophetiam nolite exstinguere; omnia legite, quæ bona sunt tenete (*I Thess.* v, 19-21). Legenda est ergo Scriptura divina, et Spiritus sancti dispensatio cognoscenda, et intuenda prophetia; et rejicienda carnalis servitus, et liberalis intelligentia retinenda.

CAPUT XVI. — 1. De eo quod scriptum est in Deuteronomio : *Observa et sanctifica diem quem præcepit tibi Dominus. Sex diebus laborabis, et facies omne opus tuum; septima vero die sabbati epulare Domino Deo tuo, nullum faciens opus ipse tu, aut filius tuus, aut filia tua, aut puer tuus, aut puella tua, bos tuus, et asinus tuus, omnia jumenta tua, et colonus tuus. Sic autem quiescet servus tuus et ancilla tua, quemadmodum et tu. Memento quoniam servus fuisti in Ægypto, et eruit te Dominus Deus tuus in manu potenti et brachio excelso. Idcirco præcepit tibi Dominus custodire diem septimum* (*Deut.* v, 12-15). Et iterum in Genesi scriptum est quemadmodum Abrahæ de circumcisione loquitur : *Testamentum meum custodi*, inquit, *tu et semen tuum, quod erit post te. Hoc est testamentum meum quod servabis inter me, et te et semen tuum : omne masculinum circumcides in carne præputii ipsorum; et sit hoc signum testamenti inter me et vos. Octava autem die circumcidetis omnes masculos in gente vestra, ut etiam dominatum et comparatum circumcidatis præter alienigenam : et hoc erit testamentum in gente vestra. Et omnis masculus qui non circumcidet præputium suum, perdet animam suam de media plebe, quia testamentum meum dissolvit* (*Gen.* xvii, 9-14). Hæc omnia verba Veteris Testamenti, ut eis de Novo Testamento adversetur, proponit Adimantus, et contraria esse affirmat ea quæ Dominus dicit in Evangelio de proselyto : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui circumitis mare et terram ut faciatis unum proselytum; et cum feceritis, erit filius gehennæ, multo plus quam estis vos* (*Matth.* xxiii, 15). Quasi vero propterea Dominus proselytum dicat filium gehennæ, quia circumciditur, et sabbatum observat; et non potius quia Judæorum pravam conversationem [1] cogitur imitari, non qua observant præcepta Legis, sed qua faciunt contra Legem. Quod alio loco de his apertissime dicit, ubi ait quod rejiciunt mandatum Dei, ut suam constitutionem confirment (*Id.* xv, 3-6) : quia cum Lex præceperit honorari patrem et matrem, instituerunt ipsi quomodo exhonorentur parentes. Et item cum eis dicit : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui habetis clavem regni cœlorum, nec ipsi intratis, nec alios permittitis intrare* (*Luc.* xi, 52). Vel cum alio loco præcepit audientibus [2], ut dictis Pharisæorum et Scribarum obtemperarent, facta vero eorum non imitarentur. Ait enim : *Super cathedram Moysi sedent : quæ dicunt, facite; sed quæ faciunt, facere nolite : dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* xxiii, 2 *et* 3). Quo loco et auctoritatem Legis quæ per Moysen data est, confirmat Dominus, et tamen cavendos et fugiendos esse mores eorum qui Legi quam acceperant non obtemperabant, apertissime ostendit. Istis autem perversitatibus suis faciebant, ut cum aliquis gentilis ad Legem eorum transisset, id est, factus esset proselytus, haberet mores eorum, et fieret filius gehennæ, multo plus quam ipsi essent. Dabant enim magnam operam ut Judæus fieret aliquis ex Gentibus, et Judæum factum cogebant suos mores pessimos imitari.

2. Neque illud quod de Apostolo tanquam contrarium commemorat, potuit advertere Adimantus manichæus, omnino non esse contrarium; quia totus ejus oculus non ad inquisitionem, sed ad reprehensionem Scripturæ intentus erat. Commemorat enim dicentem Apostolum : *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio quis vocatus est? non circumcidatur : quia præputium nihil est, et circumcisio nihil est, sed observatio præceptorum Dei* (*I Cor.* vii, 18 *et* 19). Quid enim manifestius quam hoc Apostolum præcipere, ut unusquisque sicut vocatus erat, sic maneret? Advenientibus enim rebus, quarum erant umbræ illæ observationes, id actum est, ut ostenderetur in ipsis umbris non esse spem ponendam, sed in ipsis rebus quas illæ umbræ significabant esse venturas, id est, Christum et Ecclesiam. Et propterea illa jam omnia inania erant : nec tamen ea tanquam noxia removenda, sed tanquam superflua contemnenda Apostolus præcipit; ut si quis Judæus Christo credidisset, propter offensionem suorum non prohiberetur in ipsis superfluis remanere, nec tamen in eis salutem suam constitutam putaret : non enim signa illa, sed ea quæ his significantur in salutem introducunt. Ideoque *præputium nihil est, et circumcisio nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Et quod alio loco ait : *Utinam et abscindantur qui vos conturbant* (*Galat.* v, 12); non quia circumcisio contraria est Evangelio, dicit Apostolus, sicut Manichæi putant : sed illud est Evangelio contrarium, ut quisque rem deserens, quæ per illam umbram figuratur, ipsius umbræ sequatur inanitatem. Quod volebant qui Gentibus in Christum credentibus jugum circumcisionis imponebant quasi ad salutem necessarium, cum jam non esset umbra in corpore figuranda, sed res ipsa in corde gestanda.

3. Et quod dicit, *Dies observatis, et sabbata, et solemnitates; timeo vos, ne frustra laboraverim in vobis* (*Id.* iv, 10 *et* 11); non sic scriptum est ut Adimantus ponit. Non enim nominat ibi sabbatum Apostolus. Dicit enim : *Dies observatis et annos, et tempora; timeo vos, ne frustra laboraverim in vobis.* Sed putat esse de sabbato dictum? Numquid et nos non dicimus ista non esse observanda, sed illa potius quæ his significantur? Illi enim ea serviliter observabant, non intelligentes ad quarum rerum significationem et prænuntiationem pertinerent. Hoc in eis culpat Apostolus, et in omnibus qui serviunt creaturæ potius quam Creatori (*Rom.* i, 25). Nam nos quoque et dominicum diem et Pascha solemniter celebramus, et quaslibet alias christianas dierum festivitates. Sed quia intelligimus quo pertineant, non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus. Manichæi autem sic ea reprehendunt, quasi nullos dies et tempora

[1] Nonnulli Mss., *Judæorum perditos mores, et eorum pravam conversationem.*

[2] Editi, *præceperit.* Melius Mss., *præcepit.*

observent. Sed cum de his interrogantur secundum opinionem sectæ suæ, omnia conantur exponere, ut non ipsa tempora, sed res, quarum illa signa sunt, observare videantur. Quas quidem res fabulosas esse atque falsissimas, aliis locis ostenditur. Nunc ad hoc dictum est, ut ore suo cogantur fateri, posse talia rationabiliter celebrari : et ideo circumcisionem carnis et recte impositam servis, et recte a liberis intellectam [1] esse manifestum est. Repudiamus ergo eam carnalem cum Apostolo, et approbamus eam spiritualem cum Apostolo : et sabbati quietem non observamus in tempore ; sed signum temporale intelligimus, et ad æternam quietem quæ illo signo significatur, aciem mentis [2] intendimus. Repudiamus itaque temporum observationem cum Apostolo, et temporalium signorum intelligentiam tenemus cum Apostolo : duorumque Testamentorum differentiam sic probamus, ut in illo sint onera servorum, in isto gloria liberorum [3] ; in illo cognoscatur præfiguratio possessionis nostræ, in isto teneatur ipsa possessio. Interpretatur Apostolus sabbatum ad Hebræos, cum dicit : *Remanet igitur sabbatismus* [4] *populo Dei* (*Hebr.* IV, 9). Interpretatur etiam circumcisionem, cum dicit de Abraham : *Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei* (*Rom.* IV, 11). Apostolicam itaque interpretationem spiritualiter teneo : carnalem servitutis observationem libertate contemno, utriusque Testamenti auctorem Deum venerans, qui et veteri homini fugienti tanquam dominus apposuit quod timeret, et novo redeunti tanquam pater aperuit quod amaret.

CAPUT XVII. — 1. De eo quod in Exodo scriptum est : *Si aure audieris vocem meam, et facies quæcumque præcipio tibi ; odero odientes te ; et contristabo contristantes te : præcedet te angelus meus, et adducet te ad Amorrhæum, et Pherezæum, et Chananæum, et Jebusæum, et Gergesæum ; et occidetis illos. Deos eorum ne adoraveritis, neque feceritis opera ipsorum ; sed eversione evertite illos, et delete eorum memoriam* (*Exod.* XXIII, 22-24). His verbis de veteribus Libris ita commemoratis, tanquam contrarium opponit Adimantus quod in Evangelio scriptum est, dicente Domino : *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benedicite his qui vobis maledicunt, et benefacite iis qui vos oderunt, et orate pro iis qui vos persequuntur* (*Matth.* V, 44). Quo loco primo illud videndum est, quod satis esse debuerit homini volenti quasi contraria monstrare, quod de occidendis inimicis in veteri Lege scriptum esse commonuit. Dominus enim de inimicis diligendis, utique de hominibus præcepit ; quos per nostram patientiam et charitatem ad salutem posse converti, et quivis intelligit, et exemplis sæpissime demonstratum est. Quid ergo sibi vult, quod adjungenda consequentia putavit, ubi scriptum est, *Deos eorum ne adoraveritis, neque feceritis opera ipsorum ; sed eversione evertite illos, et delete eorum memoriam ;* nisi quia et deos Gentium Manichæi cogunt diligere ? Et quod in Evangelio Dominus ait, *Diligite inimicos vestros*, non solum ad homines, sed ad dæmonia quoque, vel etiam ad simulacra pertinere arbitrantur. Quod si ita est, quis non istam detestetur amentiam ? Si autem non hoc arbitrantur, iste plurimum erravit, qui superstitiones Gentium evertendas esse præceptas in Veteri Testamento commemorare voluit, cum in Novo quod scriptum est de inimicis diligendis, tanquam contrarium vellet opponere.

2. Nos autem neque illud quod de hostibus hominibus occidendis in veteribus Libris illi populo dictum est contrarium esse dicimus huic præcepto evangelico, quo nobis ut inimicos nostros diligamus Dominus jubet : quandoquidem illa inimicorum interfectio carnali adhuc populo congruebat, cui Lex tanquam pædagogus data erat, sicut Apostolus dicit (*Galat.* III, 24). Illi vero qui tunc in illo populo sancti et spirituales homines erant paucissimi, sicut Moyses, sicut Prophetæ, quo animo facerent illam inimicorum interfectionem, et utrum eos quos interficiebant, diligerent, multum latet indoctos et impios, qui diligunt cæcitatem suam ; qui quoniam non sunt idonei videre ista, mole potius auctoritatis urgendi sunt. Quid enim est quod dicit Apostolus : *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi quasi præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu, cum potentia Domini Jesu, tradere ejusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu* (*I Cor.* V, 3-5) ? Quid enim habet illa interfectio, quam multum isti exaggerant et invidiose ventilant, nisi interitum carnis ? Sed quia exposuit Apostolus quo animo faceret, satis declaravit in aliquem inimicum vindictam cum charitate posse procedere. Et tamen hic etiam alio modo fortasse interitus carnis, qui fit per pœnitentiam, potest intelligi. Ipsi autem legunt scripturas apocryphas, quas etiam incorruptissimas esse dicunt, ubi scriptum est apostolum Thomam maledixisse homini, a quo per imprudentiam palma percussus est, ignorante quis esset, maledictumque illud continuo venisse ad effectum. Nam cum ille homo, quoniam minister convivii erat, ut apportaret aquam exisset ad fontem, a leone occisus et dilaniatus est. Quod ut manifestaretur ad aliorum terrorem, canis manum ejus intulit mensis, ubi convivabatur Apostolus : atque ita cum causa quæreretur a nescientibus, eisque panderetur, in magnum timorem et magnum honorem Apostoli eos esse conversos ; atque hinc Evangelii exordium commendandi exstitisse. Si vellet aliquis dentes Manichæorum in ipsos convertere, quam mordaciter ista reprehenderet ! Sed quia et ibi tacitum non est quo animo factum sit, videtur dilectio vindicantis. Sic etenim in illa scriptura legitur, quod deprecatus fuerit Apostolus pro illo in quem temporaliter vindicatum est, ut ei parceretur in futuro judicio. Si ergo tempore Novi Testamenti, quo maxime charitas commendatur, de pœnis visibilibus divinitus injectus est carnalibus timor [1] ; quanto magis tempore Veteris Testamenti hoc

[1] Sola editio Lov., pro, *intellectam*, habet, *repudiatam*.
[2] Plures Mss., *aciem cordis*.
[3] Vetus Corbeiensis codex, *in isto gaudia liberorum*.
[4] In Mss., *sabbatismum*.

[1] Sola editio Lov., *carnalis timor*. Minus recte.

congruisse illi populo intelligendum est, quem timor Legis tanquam pædagogi coercebat? Nam hæc est brevissima et apertissima differentia duorum Testamentorum, timor et amor : illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet; utrumque tamen unius Dei misericordissima dispensatione prolatum atque conjunctum. Et in veteri Scriptura [1] tacetur animus vindicantium, quia paucissimi spirituales divinis revelationibus quid facerent, noverant, ut populus cui terror utilis erat, severissimo imperio domaretur : ut quemadmodum videbant dari in manus suas interficiendos inimicos impios cultoresque simulacrorum, sic ipsi formidarent in manus inimicorum suorum dari, si Dei veri jussa contemnerent, et ad cultum idolorum atque impietates Gentium laberentur. Nam et in ipsos similiter peccantes non dissimiliter vindicatum est. Sed omnis hæc temporalis vindicta infirmos animos terret, ut enutritos sub disciplina erudiat, et a sempiternis atque ineffabilibus suppliciis possit avertere : quia plus timent carnales homines quod in præsenti Deus vindicat, quam illud quod futurum minatur.

3. Potest ergo esse dilectio in vindicante. Quod unusquisque in filio suo probat, cum eum in mores pessimos defluentem, severissima coercitione constringit, et tanto magis, quanto magis eum diligit, atque hoc modo corrigi posse arbitratur. Non autem occidunt filios quos diligunt homines, quando eos corrigere volunt : quia multi hanc vitam pro magno bono habent, et totum quare volunt educare filios suos, in hac vita sperant. Fideles autem atque sapientes homines, qui credunt esse aliam vitam meliorem, et quanta possunt ex parte noverunt; nec ipsi vindicant occidendo, cum filios suos volunt corrigere, quia in hac vita eos posse corrigi credunt : Deus autem qui novit quid cuique tribuat, vindicat occidendo in quos voluerit, sive per homines, sive occulto rerum ordine; non quia eos odit in quantum homines sunt, sed in quantum peccatores sunt. Nam in ipsis veteribus Libris legimus dictum Deo, *Et nihil odisti eorum quæ fecisti* (*Sap.* xi, 25) : sed omnia, sive per pœnas sive per præmia justitia moderante disponit. Nonne apostolus Paulus Christianis fidelibus loquebatur, cum diceret : *Probet autem se homo, et sic de pane edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Propterea in vobis multi infirmi et ægri, et dormiunt sufficientes. Si autem nos ipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum mundo* [2] *damnemur* (I *Cor.* xi, 28-32) ? Ecce manifestum est Deum cum dilectione corrigere, non solum infirmitatibus et ægritudinibus, sed etiam mortibus temporalibus, eos quos non vult damnare cum mundo.

4. Attendant hæc isti, et videant quomodo potuerint et impiæ gentes dari in manus populi, quamvis adhuc carnalis, tamen unum Deum colentis, ut ab eo interficerentur; cum in eo tamen populo si qui essent spirituales, sine alicujus odio intelligerent dispensationem Dei : et quomodo non sit contrarium quod Dominus nobis in Evangelio præcepit, ut diligamus inimicos nostros : de quibus tamen promittit ipse vindictam, cum de illo judice similitudinem inducit, qui quotidianas interpellationes viduæ mulieris pertentis ut se vindicaret, quamvis esset injustus, nec Deum timens, nec homines reverens, tamen sustinere non potuit, et audivit eam, ne ulterius tædium pateretur : ex cujus comparatione multo magis Deum, qui est benignissimus atque justissimus, dixit vindicare electos suos de inimicis eorum (*Luc.* xviii, 2-8). Huic isti audeant objicere quæstionem, et dicant, si possunt : Quid est, quod jussisti ut inimicos nostros diligamus, et de illis nos vindicare disponis? An forte contra voluntatem suorum sanctorum facturus est, eos quos illi diligunt, puniendo atque damnando? Imo ipsi potius ab ista calumniosa cæcitate convertantur ad Deum, et in utroque Testamento intelligant ejus voluntatem, ne in sinistra parte inveniantur inter eos quibus dicturus est Dominus : *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* xxv, 41, 42); et cætera talia. Displicet enim istis miseris, quod Deus populo suo interficiendos tradidit inimicos; et ipsi panem mendicanti dari prohibent, non inimico, sed supplici. Intelligant potius sine odio esse posse vindictam, quam pauci intelligunt : et tamen quamdiu non intelligitur, tamdiu necesse est, ut lector in libris utriusque Testamenti magno labore aut errore jactetur, et putet contrarias sibi esse Scripturas.

5. Quam vindictam sine odio nondum Apostoli animo ceperant, quando irati eis a quibus non recipiebantur hospitio, quæsiverunt de Domino utrum vellet eos petere ignem de cœlo, sicut Elias fecerat, quo igne homines inhospitales consumerentur. Tunc respondit eis Dominus, dicens eos nescire cujus spiritus filii [1] essent, et quod ipse liberare venisset, non perdere (*Luc.* ix, 53-56) : quoniam illi animo inimico perdere cupiebant eos, quos volebant igne consumi. Postea vero cum impleti essent Spiritu sancto, et perfecti facti essent, qui jam possent etiam inimicos diligere, acceperunt potestatem vindicandi, quia jam sine odio poterant vindicare. Qua potestate Petrus apostolus usus est in eo libro quem isti non accipiunt, quoniam manifeste continet Paracleti adventum, id est, consolatoris sancti Spiritus, quem lugentibus misit, cum ab eorum oculis ipse ascendisset in cœlum. Consolator enim tristibus mittitur, secundum illam ejusdem Domini sententiam. *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 5). Ipse etiam dicit : *Tunc lugebunt filii sponsi, cum ablatus fuerit ab eis sponsus* (*Id.* ix, 15). In illo ergo

[1] Vetus Corbeiensis codex, *Et ideo in vetere Scriptura.*

[2] Editi, *cum hoc mundo.* Particula, *hoc*, non est in Mss. nec in græco textu Apostoli.

[1] Vox, *filii*, rejecta est per Lovanienses auctoritate unius Ms. Habetur in editione Er. et in nostris omnibus Mss.

Libro, ubi apertissime Spiritus sanctus, quem Dominus consolatorem promiserat, venisse declaratur (*Act.* II, 4), legimus ad sententiam Petri cecidisse homines, et mortuos esse virum et uxorem, qui mentiri ausi erant Spiritui sancto (*Id.* V, 1-10). Quod isti magna cæcitate vituperant, cum in apocryphis pro magno legant, et illud quod de apostolo Thoma commemoravi, et ipsius Petri filiam paralyticam factam [1] precibus patris, et hortulani filiam ad precem ipsius Petri esse mortuam; et respondent, quod hoc eis expediebat, ut et illa solveretur paralysi, et illa moreretur : tamen ad preces Apostoli factum esse non negant. Quis autem illis dixit, Non expediebat gentibus impiis interfici, quas traditas esse divinitus in manus populi Judæorum irridentes mirari se fingunt? Cum autem illa non odio, sed bono animo Apostoli fecerint; unde isti convincunt animos virorum spiritualium qui in illo populo fuerunt, quod eos oderant, qui per ipsos divina justitia de hac vita jubebantur auferri? Compescant potius temeritatem suam, et non decipiant imperitos, quibus aut non vacat legere, aut nolunt legere, aut perverso animo legunt; et non attendunt et misericordiam et severitatem Dei, utriusque Testamenti litteris commendari. Nam de inimici dilectione, ut non reddatur malum pro malo, in veteribus Libris legitur : *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis* (*Psal.* VII, 4 *et* 5). Quis hoc diceret, nisi qui sciret hoc Deo placere, ut malum pro malo nemo reddat? Sed hoc perfectorum est, ut non oderint in peccatoribus nisi peccata, ipsos autem homines diligant; et cum vindicant, non vindicent acerbitate sævitiæ, sed moderatione justitiæ; ne ipsa relaxatio peccati plus noceat peccatori, quam pœna vindictæ. Nec tamen hoc fecerunt justi homines; nisi auctoritate divina : ne quis arbitretur passim sibi esse permissum necare quem velit, aut judicio persequi, aut pœnis quibuslibet affligere. Aliquando autem aperte ponitur in Scripturis ipsa divina auctoritas, aliquando autem occultatur, ut et manifestis lector instruatur, et exerceatur obscuris.

6. Certe inimicum et persecutorem suum nimis ingratum et nimis infestum Saûl regem accepit David in potestatem, ut ei faceret quod vellet; et elegit parcere potius, quam occidere. Non enim erat jussus occidere, sed neque prohibitus : imo etiam divinitus audierat se impune facere quidquid vellet inimico; et tamen tantam potestatem ad mansuetudinem contulit (I *Reg.* XXIV, 3-8, *et* XXVI, 8-12). Dicatur mihi quem timuit, cum interficere noluit. Nec hominem possumus dicere timuisse, quem acceperat in potestatem; nec Deum, qui dederat. Ubi ergo nec difficultas fuit occidendi, nec timor, dilectio profecit inimico[2]. Ecce David ille bellator implevit præceptum Christi, quod accepimus, ut diligamus inimicos. Atque utinam hoc imitarentur isti, qui humanum affectum misericordiæ ad nescio quæ crudelia deliramenta torserunt! Dum enim credunt panem plorare, quod fieri non potest, non eum porrigunt homini, quem plorantem vident. Fortassis dicant, sicut solent cæci jactare insana convicia, meliorem fuisse David qui pepercit inimico, quam Deum qui dederit ei occidendi potestatem : quasi vero Deus nescierit cui dederit hanc potestatem. Noverat utique voluntatem servi sui, sed ut cæteris etiam hominibus ad imitandum innotesceret ea quæ in corde David jam Deo nota erat inimici dilectio, dedit illi in potestatem inimicum, quem nondum volebat occidi, propter certam rerum dispensationem [1], quam per illum impleri oportebat. Ita et David bonitas commendata est, ut haberent homines quod amarent; et Saûlis regis malitia ad exitum diuturniorem dilata est, ut haberent homines quod timerent.

CAPUT XVIII. — 1. De eo quod in Deuteronomio scriptum est : *Si aure audieris vocem Domini Dei tui, benedictus es in agro tuo, benedictus es in prato tuo; benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, et generationes jumentorum tuorum, et armentum boum tuorum, et grex ovium tuarum; benedictus es in introitu tuo et egressu* (*Deut.* XXVIII, 1-6). Huic capitulo illud dicunt in Evangelio esse contrarium : *Si quis vult mè sequi, abneget semetipsum sibi, et tollat crucem suam, et sequatur me. Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua* (*Matth.* XVI, 24 *et* 26)? Sed ex illa regula ostenditur non esse contrarium, qua notum esse jam debet, carnali adhuc populo congruenter carnalia et temporalia præmia fuisse promissa, sed tamen ab uno Deo, cujus est creatura omnis et superior et inferior. Certe enim ipse Adimantus posuit testimonium de Evangelio, ubi Dominus ait : *Nolite jurare, neque per cœlum, quia thronus ejus est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus* (*Id.* V, 35). Quod quidem et in veteribus Libris scriptum est : *Cœlum mihi thronus est, terra scabellum pedum meorum* (*Isai.* LXVI, 1). Quid ergo mirum si bona throni sui dat spiritualiter sibi servientibus, et bona scabelli pedum suorum dat carnaliter sibi servientibus; cum spiritus superior sit, et caro inferior, sicut superiora sunt cœlestia, et inferiora terrestria? Quanquam illa omnia, id est, ager, et pratum, et fructus ventris, et fructus terræ, et jumentorum, et armentum boum, et grex ovium possint etiam spiritualiter intelligi. Sed nunc ad rem non pertinet ista tractatio. Si autem in ipso Novo Testamento, cujus præmium et hæreditas ad novum hominem pertinet, tamen et Dominus iisdem ipsis quos vult esse rerum temporalium contemptores, ut in Evangelio sibi serviant, promittit multiplicationem earumdem rerum in hoc sæculo, dicens quod accipient in hoc sæculo centies tantum, in sæculo autem venturo vitam æternam (*Matth.* XIX, 29) : sicut etiam in veteri Scriptura dicitur, *Fideli homini totus mundus*

[1] Editio Lov., *paralyticam sanam factam*; addita voce, *sanam*, quæ a cæteris libris abest, et abesse debet, uti patet ex contextu.

[2] Aliquot Mss., *pepercit inimico*.

[1] In Mss., *dispositionem*.

divitiarum est (*Prov.* XVII, *sec.* LXX). Unde exsultat Apostolus dicens, *Quasi nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor.* VI, 10) : si ergo in Novo Testamento præter æternam possessionem quæ promittitur sanctis, hujus quoque possessionis quæ transitura est, multiplicatio non subtrahitur, et tanto fit uberior, quanto contemptius possidetur ; quanto magis in Veteri Testamento carnalis populi præmia talia esse debuerunt, ipso tamen uno et vero Deo gubernatore omnium temporum omnia pro tempore moderante et administrante ?

2. Sed ne in solis Novi Testamenti libris isti arbitrentur hæc esse contempta, audiant prophetam abjicientem talem felicitatem, et ad unum Dominum Deum confugiendum esse cantantem. Ita enim dicit : *De gladio maligno erue me, et exime me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filii ipsorum velut novellæ constabilitæ in juventute sua. Filiæ eorum compositæ et ornatæ velut similitudo templi. Cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc. Oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus suis ; boves eorum crassæ. Non est ruina sepis, nec exitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt ; beatus populus cujus Dominus Deus ipsius* (*Psal.* CXLIII, 11-15). Attendant ergo quomodo irrideatur ista felicitas in hominibus impiis, et tota beatitudo in Deo solo inconcussa figatur. Illi enim dicunt beatum populum cui hæc sunt ; sed beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius. Quod autem etiam illud contrarium esse putaverunt huic loco Veteris Testamenti, quod Dominus ait, *Omnis qui confusus fuerit me aut verba mea in gente ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur illum, cum venerit in gloria Patris sui et laude sanctorum* (*Marc.* VIII, 38) ; quod pertineat ad contemptum rerum temporalium non video. Quod si propterea pertinet, ne aliquis territus de talium rerum damnis, Christum confiteri aut erubescat, aut timeat, quid habent quod dicant ? Dicimus ita esse ista munera Dei, ut tamen sint infima, et in comparatione salutaris confessionis, non solum amittenda, sed ultro etiam projicienda : carnalibus tamen hæc amantibus, et nondum capientibus promissa cœlestia, ne ab idolis et dæmonibus ista peterent, utiliter a Domino Deo esse pollicita.

CAPUT XIX. — 1. De eo quod scriptum est in Lege : *Ego sum qui divitias do amicis meis, et paupertatem inimicis meis.* Huic sententiæ illud opponunt quod Dominus dicit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3) : et, *Væ vobis divitibus, quia percepistis consolationem vestram* (*Luc.* VI, 24). Sed cur nolunt et alia in Evangelio contueri ? Ubi enim scriptum est, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* ; ibi sequitur, *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Ecce habent amicos Dei hæreditate terræ divites fieri. Cum autem ad tantam egestatem dives ille redigitur, ut ab eo paupere quem neglexerat, digito brevi in aqua tincto arenti linguæ suæ humorem stillari deprecetur (*Luc.* XVI, 24), intelligant quomodo fiant pauperes inimici Dei, et id esse cognoscant quod in Lege scriptum est : *Ego sum qui divitias do amicis meis, et paupertatem inimicis meis.*

2. Nam istas divitias temporales et in veteri Scriptura esse contemptas et superius docui, et innumerabilibus locis qui legere voluerit, inveniet. Unde est etiam illud : *Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas* (*Psal.* XXXVI, 16). Et illud : *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti* (*Psal.* CXVIII, 72). Et illud : *Judicia Dei vera justificata in idipsum* [1], *desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum* (*Psal.* XVIII, 10). Et illud : *Beatus vir qui invenit sapientiam, et immortalis qui videt prudentiam. Melius est enim illam mercari, quam auri et argenti thesauros. Pretiosior est autem lapidibus optimis, non resistit illi ullum malum ; bene nota est omnibus appropinquantibus ei, et eis qui considerant eam diligenter. Omne autem pretiosum non est illi dignum* (*Prov.* III, 13-15). Et illud : *Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus, et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ. Et præposui illam regnis* [2] *et sedibus, et honestatem nihil esse duxi ad comparationem ipsius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum : quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tanquam lutum æstimabitur argentum ad illam* (*Sap.* VII, 7-9). Hæc isti si aut legerent aut non impie legerent, viderent omnia in utriusque Testamenti scripturis, et ad expetendum et ad fugiendum, et ad sumendum et ad rejiciendum sibi concordantia et suis gradibus ordinata.

CAPUT XX. — 1. De eo quod scriptum est in Lege : *Si ambulaveritis in lege, et præcepta mea custodieritis ; dabo pluvias tempore suo, et producet terra fructus suos, et arbores poma, et vindemiæ tuæ messibus succedent, et satio vindemiis : et saturabimini, et sedebitis in pace in terra vestra, et dormietis, et non erit qui vos terreat : et perdam omnem bellum ex terra vestra ; et persequemini inimicos vestros, et cadent ante vos in gladio : et insequentur quinque ex vobis centum, et centum ex vobis persequentur decem millia, et concident inimici vestri ante vos in gladio : et veniam, et benedicam vos, et multiplicabo vos, et disponam vos. Manducabitis vetus quod inveteravit, et projicietis vetus ante novum* (*Levit.* XXVI, 3-10). Jam neminem oportet postulare a nobis, ut hæc ostendamus quam congruenter illi populo Deus promiserit. Multa enim de hac re diximus, et cui parva sunt, nimis tardus est. Sed tamen quod etiam huic loco de Novo Testamento dicunt esse contrarium : illud videlicet quod Dominus ait, *Nolite portare aurum, neque argentum, neque nummos in zonis vestris ; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam ; dignus est enim operarius mercede sua* (*Matth.* X, 9 *et* 10) : quid mirum si hæc Evangelistis donaverit ? Numquid in hoc ministerium populus Judaicus vocabatur ? Quæ tamen omnia spiritualiter perscrutanda sunt, ne ipse Do-

[1] Editi, *in semetipsa*. Quidam vero Mss., *in idipsum* ; quam lectionem sequi solet Augustinus.

[2] Omnes Mss., *regimoniis*. Græce est, *skêptrôn*.

minus hominibus impiis contra sua præcepta fecisse videatur, qui etiam loculos habebat, quibus ad necessarium victum pecunia portabatur (*Joan.* XII, 6). Nisi forte dicturi sunt in zonis habere pecuniam, peccatum esse; in loculis autem, non esse peccatum. Non autem ista jussa, sed permissa esse Apostolis, ex hoc intelligitur, quod apostolus Paulus manibus suis operatus victum quærebat, non abusus ea potestate, sicut ipse loquitur, quam Dominus Evangelistis dedit (*Act.* XVIII, 3; I *Cor.* IV, 12; I *Thess.* II, 9, *et* II *Thess.* I, 8 *et* 9). Quod enim permittitur a Domino, etiam non facere licet : quod autem jubetur, nisi fiat peccatum est.

2. Addunt etiam de illo divite, cui Deus dixerat, *Stulte, hac nocte a te animam tuam expetam; quæ autem præparasti, cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? et dicunt non minus huic capitulo Legis esse contrarium : cum in isto inanitas irrisa sit vanæ lætitiæ, qui incerta illa pro certis habuit; populo autem Israel certam faciebat illam pollicitationem omnipotentia pollicentis. Unde apostolus Paulus scribens ad Timotheum, de divitibus sæculi hujus, quos noverat in Ecclesiæ membris habere suum locum, ita loquitur : *Divitibus hujus sæculi præcipe, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum : benefaciant, divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI, 17-19). Quis hic non intelligat non esse culpabile habere ista, sed amare et spem in eis ponere, et ea præferre aut etiam conferre veritati, justitiæ, sapientiæ, fidei, bonæ conscientiæ, charitati Dei et proximi, quibus omnibus anima [1] pia dives est in secretis suis coram oculis Dei? Sed ut diligatur Deus, qui diligentibus se ista cuncta et invisibilia et æterna largitur, id est, se ipsum his omnibus plenum donat dilectoribus suis : ut ergo ipse diligatur, illo etiam tempore quo carnalis anima, carnis videlicet affectibus implicata, nisi temporalia desiderare non novit, persuadendum illi est, quod etiam ista Deus dat homini; quia et verum est, et utilissime creditur. Hoc populo Israel factum est per illas pollicitationes, quas imperitissime miseri derident, ut etiam in ipsis infimis rebus, quomodo possent, Deum diligere assuescerent, quamvis plus [2] ibi operetur timor. Quæ tamen omnia dona temporalia figuræ sunt donorum æternorum, et illa de inimicis victoria præsignat victoriam de diabolo et angelis ejus.

3. Et quod isti adjecerunt quasi contrarium Veteri Testamento, quod Apostolus loquitur, Deum non pugna et dissensione, sed pace delectari (I *Cor.* XIV, 33) : sciant talem Deum prædicari in Scripturis illis, cui pacem suam nemo possit auferre; non qualem ipsi prædicant, qui timens ne irrueret bellum regionibus suis, membra sua longe misit, ut peregrina bella tolerarent, et postea liberari atque purgari victa et inquinata non possent. In natura vero humana, quam peccato in inferiora defluxit, ita Deus pace delectatur, ut non relinquat libramenta justitiæ, nec pacem quam diligit velit calcari a peccantibus, sed amari a certantibus, apprehendi a victoribus, et ea carnalibus figurata promittere, spiritualibus aperta monstrare.

CAPUT XXI. — De eo quod scriptum est in Deuteronomio : *Maledictus omnis qui in ligno pependerit* (*Deut.* XXI, 23). Licet sæpe a Manichæis ista quæstio ventilata sit, non video tamen quid habeat huic sententiæ contrarium quod ex Evangelio Adimantus opponendum putavit, ubi Dominus ait. *Si vis perfectus esse, vende omnia quæcumque possides, et divide pauperibus, et tolle crucem tuam, et sequere me* (*Matth.* XIX, 21, *et* XVI, 24). Hic præterquam quod crucem nominat, nihil attendit esse contrarium ei quod dictum est, *Maledictus omnis qui in ligno pependerit*; quasi vero talem crucem possit quisque tollere et sequi Dominum. Sed illa tollitur, cum sequimur Dominum, de qua dicit Apostolus : *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis* (*Galat.* V, 24). Tali enim cruce vetus homo, id est, vetus vita perimitur, quam de Adam traximus, ut quod in illo fuit voluntarium, in nobis fieret naturale. Quod ostendit Apostolus dicens : *Fuimus et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). Si ergo vetus vita de Adam, unde et nomine veteris hominis vetus vita significatur; quid absurdum habet, quod in veterem hominem maledictum prolatum est, quem Dominus suspendit in ligno? Quia ex ipsa successione mortalitatem gestavit, de virgine Maria mortaliter natus, habens carnem non peccatricem, sed tamen similitudinem gerentem peccati [3] (*Rom.* VIII, 3); quia mori poterat, et mors de peccato est. Unde etiam est illud : *Scientes quia vetus homo noster simul confixus est cruci cum illo, ut evacuetur corpus peccati* (*Id.* VI, 6). Non ergo Dominus per linguam Moysi famuli Dei, sed mors ipsa meruit maledictum, quam Dominus noster suscipiendo evacuavit. Mors itaque illa pependit in ligno, quæ per mulierem ad hominem serpentina persuasione pervenit. Unde etiam serpentem, ad significationem ipsius mortis, Moyses in eremo exaltavit in ligno. Et quoniam a mortiferis cupiditatibus per fidem sanamur crucis Domini, qua cruce mors ligno suspensa est; propterea qui serpentum morsibus venenabantur, conspecto serpente qui fixus erat atque exaltatus in ligno, continuo sanabantur (*Num.* XXI, 9). Huic sacramento ipse Dominus attestatus est dicens : *Sicut enim Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis* (*Joan.* III, 14). Suscipiendo autem ignominiosissimum apud homines mortis genus Dominus noster Jesus Christus, hoc est, mortem crucis, commendavit nobis dilectionem suam, ut merito Apostolus diceret, accendens nos in ejus charitatem : *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum*

[1] Aliquot Mss., *quibus omnis anima*.
[2] Ita Corbeiensis codex. At editi, *prius*.
[3] Corbeiensis codex, *similitudinem gerentem carnis peccati*.

Scriptum est enim : Maledictus omnis qui pendet in ligno (*Galat.* III, 13). Ut non solum nullam mortem, sed etiam nullum mortis genus Christiana libertas, sicut Judaica servitus, formidaret.

CAPUT XXII. — De homine quem lapidari Deus jussit, qui sabbato inventus est ligna colligere (*Num.* XV, 35). Dominus in Evangelio ubi hominis manum aridam sanavit die sabbati (*Matth.* XII, 10-13), divinum opus fecit, non humanum ; nec ab otio recessit qui jussit et factum est. Et ideo non est simile hoc factum ligna colligenti, quod facere cum inventus esset homo die sabbati, jussu Dei lapidatus est. De servili autem observatione sabbati, et de vindicta temporalis mortis, jam multa dicta sunt. Sicut enim tempore charitatis bonitas, sic tempore timoris severitas Dei maxime commendatur. Et cum adhuc non oporteret ante adventum Domini nudare populo legitimarum sacramenta figurarum, non invitabantur significata intelligere, sed jussa cogebantur implere : nondum enim Deo inhærebant per spiritum, sed per carnem legi serviebant. Miror autem quod isti plangunt lapidatum hominem Dei præcepto, quia contra jussum Legis ligna collegit, et non plangunt arborem arefactam verbo Christi (*Id.* XXI, 19), quæ contra nullum præceptum fecerat ; cum talem animam arboris esse credant, qualem hominis.

CAPUT XXIII. — De eo quod scriptum est : *Mulier tua sicut vinea frondescens, et filii tui ut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ, et videbis filios filiorum tuorum ; et scies quia hoc modo benedicitur homo qui timet Dominum* (*Psal.* CXXVII, 2-4). Hoc per prophetam figurate dictum, et ad significationem Ecclesiæ pertinere Manichæi non intelligunt, et putant contrarium esse quod in Evangelio Dominus de spadonibus ait, qui se ipsos castrant propter regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 12). Sed nos jam et de viro, et de uxore, et de spadonibus, quantum satis fuit, in tertio capitulo disseruimus.

CAPUT XXIV. — De eo quod scriptum est apud Salomonem : *Imitare formicam, et intuere diligentiam ejus, quia ab æstatis tempore usque ad hiemem colligit sibi alimonias* (*Prov.* VI, 6, 8). Neque hoc intelligunt Manichæi spiritualiter esse accipiendum, et putant præceptum esse ut thesaurizemus in terra, aut etiam curemus hæc horrea, quæ sine ullo præcepto multum homines implere festinant. Et ideo illud Adimantus ex Evangelio dicit adversum esse huic sententiæ, ubi Dominus ait : *Nolite cogitare de crastino* (*Matth.* VI, 34). Sed neque hoc intelligunt ad id pertinere, ut temporalia non amemus, neque timeamus ne nobis desint necessaria, et propter ipsa conquirenda vel Deo vel hominibus serviamus. Nam si hoc ideo dictum est, ut non servetur panis in crastinum, magis hoc implent vagi Romanorum, quos Passivos (*a*) appellant, qui annona quotidiana satiato ventre, aut donant statim quod restat, aut projiciunt, quam vel Domini discipuli, qui etiam cum ipso Domino cœli et terræ in terra ambulantes loculos habebant ; vel Paulus apostolus, qui omnium terrenorum contemptor, sic tamen gubernavit ea quæ præsenti vitæ erant necessaria, ut etiam de viduis præceperit dicens, *Si quis fidelis habet viduas, sufficienter tribuat illis, ut non gravetur Ecclesia, quo veris viduis sufficere possit* (I *Tim.* V, 16). Sed tamen illud de formica ita positum est, ut quemadmodum illa æstate colligit unde in hieme pascatur, sic unusquisque Christianus in rerum tranquillitate, quam significat æstas, colligat verbum Dei, ut in adversitate et tribulationibus, quæ hiemis nomine significantur, habeat unde spiritualiter vivat. Non enim in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei (*Deut.* VIII, 3, *et Matth.* IV, 4). Si autem hoc eos movet, quod in terra condit formica quod colligit ; irascantur etiam illi thesauro quem Dominus in agro dicit inventum (*Matth.* XIII, 44).

CAPUT XXV. — De eo quod scriptum est in Osee : *Da illis ventrem vacuum et ubera arida : mortifica semen ventris ipsorum, ne pariant* (*Osee* IX, 14). Et hæc prophetica locutio est utique figurata. Nam et ventrem non carneum intelligunt in Evangelio, cum legunt : *Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus* (*Joan.* VII, 38). Et ubera quædam habebat Apostolus, cum diceret, *Lac vobis potum dedi, non escam* (I *Cor.* III, 2) : et iterum, *Factus sum parvulus in medio vestrum, tanquam si nutrix fovens filios suos* (I *Thess.* II, 7). Et Galatas ad carnalia declinantes iterum parturit, donec Christus in eis formetur (*Galat.* IV, 19) Et ideo huic propheticæ sententiæ non repugnat quod Adimantus posuit ex Evangelio, quod *in resurrectione a mortuis, neque nubent, neque uxores ducent, neque morientur, sed sunt ut Angeli Dei* (*Matth.* XXII, 30). Nam hoc est utique quod accipiunt etiam spadones, de quibus Isaias loquitur : *Locum nominatum multo meliorem filiorum et filiarum, nomen æternum dabo eis*, inquit (*Isai.* LVI, 5). Non ergo isti arbitrentur in solo Evangelio tale præmium promitti sanctis : ventremque vacuum et ubera arida et mortificatum semen, ne pariant, intelligant de his esse dictum de quibus dicit Apostolus, *Sicut enim Iannes et Iambres*[1] *restiterunt Moysi, sic et isti resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem : sed ultra non proficient; dementia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit* (II *Tim.* III, 8 *et* 9). Cum ergo ultra non proficient, tunc habebunt ventrem vacuum, et ubera arida, et mortificatum semen. In qua sententia se isti tanquam in speculo dignentur inspicere.

CAPUT XXVI. — De eo quod scriptum est in Amos propheta : *Si fieri potest ut ambulantes duo in via minime se agnoscant, et leo sine præda ad catulum suum*

(*a*) Vaticanus codex, *Passiones*. Melius alii Mss. cum editis, *Passivos*. Vox est Afris præsertim scriptoribus familiaris, significans hic loci vagum, inconstans et vile hominum genus. Sic Tertullianus, lib. contra Valentin., *passivos discipulos* vocat, passim vagos nec uni magistro addictos. Et lib. I contra Marcion *passivum conrictum* dicit indifferentem et promiscuum. Et lib. I ad Uxorem, *licentiam passivam*, id est, vagam et indifferentem : quo etiam sensu apud Hieronymum in Ezech. XVI legitur *passiva libido*. In concilio Carthaginensi primo, cap. 8, dicitur *Communio passiva*, id est indifferens ; et ibidem, cap. 11, *passiva corpora*, id est, quælibet.

[1] Sic Mss. juxta græcum. Editi vero, *Mambres*.

revertatur; si decidet avis sine aucupe in terram, si tendunt muscipulam sine causa, ut nihil capiant; si dabit sonum tuba in civitate, ut plebs non terreatur: ita etiam malum aliquod in civitate non perpetratur, quod Dominus non faciet (*Amos* III, 3-6). Malum hoc loco non peccatum, sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum; unum quod homo facit, alterum quod patitur: quod facit, peccatum est; quod patitur, pœna. De pœnis ergo loquebatur Propheta, cum hoc diceret. Divina enim providentia cuncta moderante et gubernante, ita homo male facit quod vult, ut male patiatur quod non vult. Sic autem isti accusant Prophetam ista dicentem, quasi in Evangelio non legerint: *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex his non cadit in terram sine Patris vestri voluntate* (*Matth.* X, 29)? Ita ergo Deus malum facit, quod non ipsi Deo malum est, sed eis in quos vindicat. Itaque ipse, quantum ad se pertinet, bonum facit; quia omne justum bonum est, et justa est illa vindicta. Et ideo non est contrarium, quod Adimantus objicit dixisse Dominum: *Arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit* (*Id.* VII, 17). Quamvis enim malum sit gehenna damnato; justitia tamen Dei bona est, et ipse fructus est ex arbore bona. Ille autem malis peccatorum suorum thesaurizat sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* II, 5, 6). Quanquam istæ duæ arbores manifestissime in similitudine duorum hominum positæ sint, id est, justi et injusti: quia nisi quisque voluntatem mutaverit, bonum operari non potest. Quod in nostra potestate esse positum, alio loco docet, ubi ait: *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum* (*a*). Illis enim hoc dicit, qui putabant se bona loqui posse, cum essent mali, hoc est, bonos fructus facere, cum essent arbores malæ. Sic enim et subjungit: *Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui, cum mali sitis* (*Matth.* XII, 33, 34)? Mala ergo arbor fructus bonos facere non potest: sed ex mala fieri bona potest, ut bonos fructus ferat. *Fuistis enim aliquando tenebræ*, inquit Apostolus; *nunc autem lux in Domino*. Tanquam si diceret, Fuistis aliquando arbores malæ, et ideo non poteratis tunc nisi malos fructus facere: *nunc autem lux in Domino*, id est, et jam facti arbores bonæ, date fructus bonos; quod sequitur dicens, *Sicut filii lucis ambulate: fructus enim luminis est in omni justitia et veritate; probantes quid sit beneplacitum Domino* (*Ephes.* V, 8-10). Nam et in ipso Evangelii capitulo, si non studio malevolentiæ fugeret Adimantus, posset advertere quomodo dicatur Deus malum facere. Ibi enim ait Dominus, quod etiam iste commemoravit: *Omnis arbor quæ non facit fructus bonos, excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* VII, 19). Hæc sunt mala quæ Deus facit, id est, peccatoribus pœnas, quod in ignem mittet arbores, quæ in malitia perseverantes fieri bonæ noluerint, cum hoc ipsis arboribus malum sit. Deus autem, ut sæpe dixi, non dat fructus malos, quia justitiæ fructus est vindicta peccati.

CAPUT XXVII. — De eo quod in Isaia propheta scriptum est: *Ego sum Deus qui facio pacem, et constituo mala* (*Isai.* XLV, 7). Etiam hoc eadem regula solvitur. Non enim reprehendit Adimantus quod dixit Deus, *facio pacem;* sed quod dixit, *constituo mala*. Cum Paulus apostolus hæc duo similiter uno in loco etiam latius tractaverit dicens, *Vides ergo bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate: alioquin et tu excideris, et illi si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos* (*Rom.* XI, 22 *et* 23). In hoc sermone apostolico satis apparet bonitas Dei, secundum quam dixit Isaias, *Ego sum Deus qui facio pacem;* et severitas, secundum quam dixit, *constituo mala*. Simul etiam ostendit in nostra potestate esse, ut vel inseri bonitate ipsius, vel excidi severitate mereamur (*a*). Non ergo est Isaiæ contrarium Evangelium, sicut putat, vel potius putari cupit Adimantus, ubi Dominus ait: *Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9). Vel ex ipsa enim parte debuit agnoscere, etiam Isaiam scire filios Dei esse pacificos, quia per eum dixit Deus, *Ego sum qui facio pacem*. Sed cum in alia parte ad male intelligendum oculum fixit, in altera se ipse excæcavit. Quod si vellet alius similiter cæcus dicere bonum esse Vetus Testamentum, ubi dicit Deus, *Nolo mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11); malum autem esse Novum Testamentum, ubi dicit Christus, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41): nonne in foveam cadens omnes qui se sequerentur, indoctos et Scripturarum ignaros in imperitiæ cæcitatem germinante[1] malitia secum pariter præcipitaret? Qui autem oculo pio legit, et in Novo Testamento invenit quod isti accusant in Vetere, et in Vetere quod laudant in Novo.

CAPUT XXVIII. — 1. De eo quod scriptum est in Isaia: *Et factum est eo anno quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum sedentem in sede altissima; et plena erat domus gloriæ ipsius, et in circuitu Seraphim stabant, senas alas habentes, et binis quidem operiebant faciem ipsius, binis vero pedes* (*Isai.* VI, 1 *et* 2). Huic loco illud opponit Adimantus, quod ait Apostolus: *Regi autem sæculorum invisibili honor et laus in sæcula* (1 *Tim.* I, 17). In qua quæstione quærendum est, quid ei visum fuerit; vel in illa visione Isaiæ binas alas prætermittere, quibus volabant Seraphim, dicentes, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth:* vel in Apostoli verbis non totum dicere. Nam ita dicit Apostolus: *Regi autem sæculorum invisibili, incorruptibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum*. An forte timuit ne Trinitatis commemoratio commendaret Prophetam lectori, et aliquid magnum ibi latere suspicaretur? Ter enim dicitur, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth*. In Apostolo autem forte

(*a*) I Retract., cap. 22, n. 4.

[1] Victorinus Ms. et unus e Vaticanis, *geminante*. Alter Vaticanus codex, *gemmente*. Corbeiensis, *geminantem*.

(*a*) I Retract., cap. 22, n. 4.

vidit, quod si dixisset, *incorruptibili Deo;* responderetur illi quod nunc istis dicimus : Quid ergo incorruptibili Deo factura erat gens tenebrarum, si cum ea pugnare noluisset? Aut si forte mendosos codices legerat, aut iste mendosus est ubi nos ipsum Adimantum legimus, non est diutius de re dubia disserendum : sed jam quærendum est quomodo et Propheta dixerit vidisse se Deum in sede altissima, et apostolus Paulus verum dixerit, invisibilem Deum. Interrogo itaque istos utrum invisibilia possint conspici. Si dicunt posse; quid ergo calumniantur, si Deum invisibilem Propheta conspexit? Si autem dicunt non posse; ipsi Apostolo potius calumnientur, si audent, qui ait : *Invisibilia enim Dei, a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I, 20). Ipse enim dixit esse *invisibilia;* et ipse rursus dicit, *conspiciuntur*. Nonne hic coguntur fateri oculis corporeis esse invisibilia, menti vero esse visibilia? Sic igitur et Propheta Deum, qui corporaliter invisibilis est, non corporaliter, sed spiritualiter vidit.

2. Nam multa genera visionis in Scripturis sanctis inveniuntur. Unum, secundum oculos corporis : sicut vidit Abraham tres viros sub ilice Mambre (*Genes.* xviii, 1), et Moyses ignem in rubo (*Exod.* iii, 2), et discipuli transfiguratum Dominum in monte inter Moysen et Eliam (*Matth.* xvii, 2, 3) : et cætera hujusmodi. Alterum, secundum quod imaginamur ea quæ per corpus sentimus : nam et pars ipsa nostra cum divinitus assumitur, multa revelantur, non per oculos corporis, aut aures, aliumve sensum carnalem; sed tamen his similia, sicut vidit Petrus discum illum submitti e cœlo cum variis animalibus (*Act.* xi, 5, 6). Ex hoc genere est etiam istud Isaiæ, quod imperitissime impii reprehendunt. Non enim Deum forma corporea circumterminat : sed quemadmodum figurate, non proprie, multa dicuntur; ita etiam figurate multa monstrantur. Tertium autem genus visionis est secundum mentis intuitum, quo intellecta conspiciuntur veritas atque sapientia : sine quo genere illa duo quæ prius posui, vel infructuosa sunt, vel etiam in errorem mittunt. Cum enim ea, quæ sive corporeis sensibus, sive illi parti animæ quæ corporalium rerum imagines capit, divinitus demonstrantur, non solum sentiuntur his modis, sed etiam mente intelliguntur, tunc est perfecta revelatio. Ex hoc tertio genere est visio illa quam commemoravi, dicente Apostolo, *Invisibilia enim Dei, a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Hac visione videtur Deus, cum per pietatem fidei et per agnitionem Dei morum optimorum corda mundantur. Quid enim profuit Balthasari regi, quod manum scribentem ante oculos suos in pariete conspexit? Cui visioni quia non potuit adjungere mentis aspectum, quærebat adhuc videre quod viderat. Tali autem acie luminis, qua ista intelliguntur, Daniel præditus, mente vidit, quod ille viderat corpore (*Dan.* v). Rursus illa parte animi, quæ imagines corporum capit, vidit somnium Nabuchodonosor rex : et quoniam non habebat idoneum oculum mentis ad melius videndum quod viderat, id est, ad intelligendum quod viderat, ideo ad interpretandum visum suum, aspectum quæsivit alienum, ejusdem scilicet Danielis : cui tamen aperienti ut certam accommodaret fidem, etiam ipsum somnium ut sibi diceretur exegit. Daniel autem revelante sancto Dei Spiritu, et quid ille vidisset in somnis ea parte vidit qua corporum capiuntur imagines, et quid significaret mente conspexit (*Id.* II). Non est autem propheta veri Dei et summi, qui oblata divinitus visa, vel solo corpore, vel etiam illa parte spiritus videt qua corporum capiuntur imagines, et mente non videt. Sed plerumque in Scripturis sic posita inveniuntur, quemadmodum visa sunt, non etiam quemadmodum intellecta sunt; ut mentis visio, in qua totus fructus est, exercendis lectoribus servaretur. Sed ex multis quæ aperte sunt scripta, manifestatur nobis quomodo illa intellexerint, quæ sic in libris posuerunt, quomodo figurate illis demonstrata sunt. Ad duo enim genera illa visionis pertinent figuratæ demonstrationes : ad mentis autem, id est, ad intelligentiæ visionem simplex et propria pertinet revelatio rerum intellectarum atque certarum. Omnia tamen hæc genera mirificis et ineffabilibus distributionibus exhibet atque moderatur Spiritus sanctus summæ incommutabilisque sapientiæ. Sed isti miseri sunt qui calumniantur Prophetæ dicenti quod Deum viderit, objicientes apostolicam sententiam, ubi invisibilem dixit. Si enim alter objiciat huic apostolico verbo evangelicum verbum, quo Dominus ait, *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8); quomodo respondebunt posse invisibilem videri? Verbo enim premunt imperitos, et quatenus invisibilis Deus dictus sit, etsi cognoscunt, cognosci timent. Tanta est pernicies animorum, qui cum vincere hominem volunt, ab errore vincuntur.

IN SUBSEQUENS OPUS,

Vide lib. 2, *cap.* 2, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 631, *a verbis,* Liber contra Epistolam Manichæi (*a*), *usque ad verba,* Unum verum Deum. M.

(*a*) Librum hunc anno 396 aut 397 scriptum intelligimus ex Retractationum serie, in qua post libros ad Simplicianum, quos Augustinus in exordio sui episcopatus edidit, proxime collocatur. Porro ex eadem Manichæi Epistola, cujus isthic principia reprehendit, fragmentum reperies infra, in libro de Natura Boni, cap. 46, et alia quædam in libro de Fide contra Manichæos, capp. 5, 7 et 11.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA EPISTOLAM MANICHÆI

Quam vocant Fundamenti

LIBER UNUS [a].

Refellit priores partes Epistolæ Manichæi, ostendens ipsum pro manifesta quam pollicebatur, et pro certa cognitione, nonnisi incerta et absurda deliramenta suis sectatoribus proponere.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Hæretici sanandi magis quam perdendi.* Unum verum Deum omnipotentem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, et rogavi et rogo, ut in refellenda et revincenda hæresi vestra, Manichæi, cui et vos fortasse imprudentius quam malitiosius adhæsistis, det mihi mentem pacatam atque tranquillam, et magis de vestra correctione, quam de subversione cogitantem. Quanquam enim Dominus per suos servos regna subvertat erroris; ipsos tamen homines, in quantum homines sunt, emendandos esse potius, quam perdendos jubet. Et quidquid divinitus ante illud ultimum judicium vindicatur, sive per improbos sive per justos, sive per nescientes sive per scientes, sive occulte sive palam; non ad interitum hominum, sed ad medicinam valere credendum est: quam qui respuerint, extremo supplicio præparantur. Quapropter cum in hac universitate rerum, alia sint quæ valent ad corporalem vindictam, sicut ignis, et venenum, et morbus, et cætera hujusmodi; alia quibus apud seipsum non molestiis corporis sui, sed cupiditatum suarum laqueis animus puniatur, sicuti est damnum, exsilium, orbitas, contumelia, et his similia; quædam vero non sint cruciamenta, sed quasi fomenta et lenimenta languentium, ut sunt consolationes, cohortationes, disputationes; et quæcumque sunt talia: horum omnium quædam etiam per malos nescientes operatur summa Dei justitia, quædam autem per scientes bonos. Nostrum igitur fuit eligere et optare meliora, ut ad vestram correctionem aditum haberemus, non in contentione et æmulatione et persecutionibus; sed mansuete consolando, benevole cohortando, leniter disputando: sicut scriptum est, *Servum autem Domini non oportet litigare; sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diversa sentientes* (II *Tim.* II, 24, 25). Nostrum ergo fuit velle has partes expetere: Dei est volentibus et petentibus donare quod bonum est.

CAPUT II. — 2. *Causæ cur mitius agendum cum Manichæis.* Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, et quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt quam rarum et arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum: non istum quem vos colitis cœlesti corpore, oculis carneis et hominum et pecorum fulgentem atque radiantem, sed illum de quo scriptum est per prophetam, *Ortus est mihi justitiæ sol* (*Malach.* IV, 2); et de quo dictum est in Evangelio, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Illi in vos sæviant, qui nesciunt quibus suspiriis et gemitibus fiat, ut ex quantulacumque parte possit intelligi Deus. Postremo, illi in vos sæviant, qui nunquam tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident.

CAPUT III. — 3. *Augustinus quondam manichæus.* Ego autem qui diu multumque jactatus tandem respicere [1] potui quid sit illa sinceritas, quæ sine inanis fabulæ narratione percipitur; qui vanas imaginationes animi mei variis opinionibus erroribusque collectas vix miser mœrui Domino opitulante convincere; qui me ad detergendam caliginem mentis, tam tarde clementissimo medico vocanti blandientique subjeci; qui diu flevi, ut incommutabilis et immaculabilis substantia concinentibus divinis Libris sese mihi persuadere intrinsecus dignaretur; qui denique omnia illa figmenta, quæ vos diuturna consuetudine implicatos et constrictos tenent, et quæsivi curiose, et attente audivi, et temere credidi, et instanter quibus potui persuasi, et adversus alios pertinaciter animoseque de-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Ad emendandum librum contra Epistolam Manichæi contulimus editiones Am. Er. et Lov. cum antiquissimo Corbeiensi codice, cum Gemmeticensi, Casalino, Colbertino, Sorbonico, Victorinis duobus, et duobus Vaticanis, cumque variis lectionibus quinque Belgicorum.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Scriptus circiter annum 397.

[1] Sola editio Lov., *perspicere.*

fendi ; sævire in vos omnino non possum, quos sicut meipsum illo tempore, ita nunc debeo sustinere, et tanta patientia vobiscum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in vestro dogmate rabiosus et cæcus errarem.

4. Ut autem facilius mitescatis, et non inimico animo vobisque pernicioso mihi adversemini, illud quovis judice impetrare me a vobis oportet, ut ex utraque parte omnis arrogantia deponatur. Nemo nostrum dicat jam se invenisse veritatem : sic eam quæramus, quasi ab utrisque nesciatur. Ita enim diligenter et concorditer quæri poterit, si nulla temeraria præsumptione inventa et cognita esse credatur. Aut si hoc a vobis impetrare non possum, saltem illud concedite, ut vos tanquam incognitos nunc primum audiam, nunc primum discutiam. Justum puto esse quod postulo : hac sane lege servata, ut vobiscum non orem, non conventicula celebrem, non Manichæi nomen accipiam, si non mihi de omnibus rebus ad salutem animæ pertinentibus sine ulla caligine rationem perspicuam dederitis.

CAPUT IV. — 5. *Argumenta fidei catholicæ.* In catholica enim Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant : ceteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit : ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse catholica non creditis; multa sunt alia quæ in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium : tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata [1] : tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum : tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani charissima [2] vincula recte hominem tenent credentem in catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem, ubi nihil horum est quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio : quæ quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor ; si autem tantummodo promittitur, et non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide quæ animum meum tot et tantis nexibus christianæ religioni [3] astringit.

CAPUT V. — 6. *Contra titulum Epistolæ Manichæi.* Videamus igitur quid me doceat Manichæus, et potissimum illum consideremus librum, quem Fundamenti Epistolam dicitis, ubi totum pene quod creditis continetur. Ipsa enim nobis illo tempore miseris quando lecta est, illuminati dicebamur a vobis [4]. Certe sic incipit : *Manichæus apostolus Jesu Christi providentia Dei Patris. Hæc sunt salubria verba, de perenni ac vivo fonte.* Jam cum bona patientia, si placet, attendite quid quæram. Non credo istum esse apostolum Christi. Quæso ne succenseatis, et maledicere incipiatis. Nostis enim me statuisse, nihil a vobis prolatum temere credere. Quæro ergo quis sit iste Manichæus? Respondebitis : Apostolus Christi. Non credo : quid jam dicas aut facias, non habebis ; promittebas enim scientiam veritatis, et nunc quod nescio cogis ut credam. Evangelium mihi fortasse lecturus es, et inde Manichæi personam tentabis asserere. Si ergo invenires aliquem, qui Evangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, Non credo? Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. Quibus ergo obtemperavi dicentibus, Crede Evangelio ; cur eis non obtemperem dicentibus mihi, Noli credere Manichæis? Elige quid velis. Si dixeris, Crede Catholicis ; ipsi me monent ut nullam fidem accommodem vobis : quapropter non possum illis credens, nisi tibi non credere. Si dixeris, Noli Catholicis credere ; non recte facies per Evangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipsi Evangelio Catholicis prædicantibus credidi. Si autem dixeris, Recte credidisti Catholicis laudantibus Evangelium ; sed non recte illis credidisti vituperantibus Manichæum : usque adeo me stultum putas, ut nulla reddita ratione quod vis credam, quod non vis non credam? Multo enim justius atque cautius facio, si Catholicis quoniam semel credidi, ad te non transeo, nisi me non credere jusseris, sed manifestissime ac apertissime scire aliquid feceris. Quocirca si mihi rationem redditurus es, dimitte Evangelium. Si ad Evangelium te tenes, ego me ad eos teneam, quibus præcipientibus Evangelio credidi ; et his jubentibus tibi omnino non credam. Quod si forte in Evangelio aliquid apertissimum de Manichæi apostolatu invenire potueris, infirmabis mihi Catholicorum auctoritatem, qui jubent ut tibi non credam : qua infirmata, jam nec Evangelio credere potero, quia per eos illi credideram ; ita nihil apud me valebit, quidquid inde protuleris. Quapropter si nihil manifestum de Manichæi apostolatu in Evangelio reperitur, Catholicis potius credam quam tibi. Si autem aliquid inde manifestum pro Manichæo legeris, nec illis, nec tibi : illis, quia de te mihi mentiti sunt ; tibi autem, quia eam scripturam mihi profers, cui per illos crediderat, qui mihi mentiti

[1] In Corbeiensi codice, deest, *aucta, vetustate.*
[2] Duo Mss., *charissima.*
[3] Am. et omnes Mss., *religionis.*

[4] Editi Am. et Er., *inclinati dicebamus, imen.* Lov., *inclinati ducebamur a vobis.* Duo Mss., *uctinatis discebatur a nobis.* Tandem vetustissimus Corbeiensis codex : *Illuminati dicebamur a vobis.* Favet huic lectioni quod infra, in capite 25 legitur de eadem Epistola : *quæ fere omnibus qui apud vos illuminati dicuntur, valet esse notissima.*

sunt. Sed absit ut ego Evangelio non credam. Illi enim credens, non invenio quomodo possim etiam tibi credere. Apostolorum enim nomina, quæ ibi leguntur (*Matth.* x, 2-4; *Marc.* III, 13-19, *et Luc.* VI, 13-16), non inter se continent nomen Manichæi. In locum autem traditoris Christi quis successerit, in Apostolorum Actibus legimus (*Act.* I, 26) : cui libro necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas. In eodem etiam libro de vocatione atque apostolatu Pauli vulgatissimam tenemus historiam (*Id.* IX). Lege mihi jam, si potes, in Evangelio, ubi Manichæus apostolus dictus est; vel in aliquo alio libro, cui me jam credidisse confiteor. An illud lecturus es, ubi Spiritum sanctum paracletum Dominus promisit Apostolis? De quo loco vide quot et quanta sint, quæ me revocent et deterreant ne Manichæo credam.

CAPUT VI. — 7. *Cur apostolum Christi se scripserit.* Quæro enim, cur epistolæ hujus principium sit, *Manichæus apostolus Jesu Christi;* et non sit, Paracletus apostolus Jesu Christi. Si autem missus a Christo Paracletus Manichæum misit, cur lego, *Manichæus apostolus Jesu Christi;* et non potius, Manichæus apostolus Paracleti? Si dicis ipsum esse Christum, qui est etiam Spiritus sanctus, contradicis ipsi Scripturæ, ubi Dominus ait, *Et alium Paracletum mittam vobis* (*Joan.* XIV, 16). Si autem Christi nomen ideo recte positum putas, non quia ipse est Christus, qui et Paracletus, sed quia ejusdem sunt ambo substantiæ; id est, non quia unus est, sed quia unum sunt : poterat et Paulus dicere, Paulus apostolus Dei Patris; quia dixit Dominus, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30). Nusquam hoc dicit: sed nec quisquam Apostolorum Patris se apostolum scribit. Quid sibi ergo vult ista novitas? Nonne vobis videtur nescio quam redolere fallaciam? Certe si nihil interesse arbitratus est, cur non varie in aliis epistolis apostolum Christi se nominat; in aliis, Paracleti? Sed Christi semper audivi, quotiescumque audivi : Paracleti autem nec semel. Quid hoc esse causæ arbitramur, nisi quia illa superbia, mater omnium hæreticorum, impulit hominem, ut non missum se a Paracleto vellet videri; sed ita susceptum, ut ipse Paracletus diceretur? Sicut Jesus Christus homo, non a Dei Filio, id est Virtute et Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, missus est; sed ita susceptus secundum catholicam fidem, ut ipse esset Dei Filius, id est, in illo ipso Dei Sapientia sanandis peccatoribus [1] appareret : sic se ille voluit a Spiritu sancto, quem Christus promisit, videri esse susceptum, ut jam cum audimus Manichæum Spiritum sanctum, intelligamus apostolum Jesu Christi, id est, missum a Jesu Christo, qui eum se missurum esse promisit. Singularis audacia ista, et ineffabile sacrilegium!

CAPUT VII. — 8. *Manichæus Spiritus sanctus quomodo creditus a suis.* Sed tamen quæro, cum Pater et Filius et Spiritus sanctus, vobis etiam confitentibus, non dispari natura copulentur, cur hominem susceptum a Spiritu sancto Manichæum, non putatis turpe, natum ex utroque sexu prædicare; hominem autem susceptum ab unigenita Sapientia Dei, natum de virgine credere formidatis? Si caro humana, si concubitus viri, si uterus mulieris non potuit inquinare Spiritum sanctum; quomodo potuit uterus virginis inquinare Dei Sapientiam? Manichæus ergo iste qui de sancto Spiritu et evangelica lectione gloriatur, necesse est vobis concedat [1], aut missum se esse a Spiritu sancto, aut susceptum. Si missus est, Paracleti se apostolum dicat; si susceptus, concedat ei hominem [2] matrem quem suscepit unigenitus Filius, si ei quem suscepit Spiritus sanctus concedit et patrem. Credat virginitate Mariæ Verbum Dei non esse pollutum, si concubitu parentum suorum Spiritum sanctum non potuisse pollui ut credamus hortatur. Quod si dixeritis, non in utero vel ante uterum, sed jam natum Manichæum a Spiritu sancto esse susceptum, sufficit ut fateamini habuisse carnem de viro et femina procreatam. Cum enim vos non timeatis viscera et sanguinem Manichæi de humano concubitu venientem, et intestina fimo plena, quæ illa caro gestabat, et his omnibus non credatis contaminatum esse Spiritum sanctum, a quo illum hominem susceptum esse creditis : cur ego uterum virginalem et intacta genitalia reformidem, et non potius credam Sapientiam Dei in ipsis maternis visceribus homine suscepto immaculatam sinceramque mansisse? Quapropter quoniam sive missum, sive susceptum a Paracleto se Manichæus vester affirmet, nihil horum poterit obtinere : ego jam cautior neque missum eum credo, neque susceptum.

CAPUT VIII. — 9. *Festum natalis Manichæi.* Nam quod addidit dicens, *providentia Dei Patris;* quid aliud ambivit Jesu Christo nominato, cujus se dicit apostolum, et Deo Patre, cujus providentia missum se dicit a Filio, nisi ut Spiritum sanctum ipsum tertium esse crederemus? Sic enim scribit : *Manichæus apostolus Jesu Christi providentia Dei Patris.* Spiritus sanctus nominatus non est, qui maxime debuit ab eo nominari, qui nobis apostolatum suum Paracleti promissione commendat, ut evangelica auctoritate imperitos premat. Quod cum a vobis quæritur, respondetis utique Manichæo apostolo nominato, Spiritum sanctum paracletum nominari, quia in ipso venire dignatus est. Quæro ergo, sicut superius dicebam, quare exhorreatis cum dicit catholica Ecclesia, eum in quo venit divina Sapientia, natum esse de virgine : cum vos eum in quo Spiritum sanctum venisse prædicatis, natum de femina vire mixta nihil horreatis. Quid ergo aliud suspicer nescio, nisi quia iste Manichæus, qui per Christi nomen ad imperitorum animos aditum quærit, pro Christo ipso se coli voluit. Hoc unde conjiciam, breviter dicam. Cum sæpe a vobis quærerem illo tem-

[1] Er. et Lov., *pectoribus.* Castigantur ex Am. et Mss.

[1] Editi, *necesse est ut nobis concedat.* Vss. vero, *necesse est vobis concedat.*

[2] Sic meliores Mss. Editi vero, *hominis.*

pore quo vos audiebam, quæ causa esset quod Pascha Domini plerumque nulla, interdum a paucis tepidissima celebritate frequentaretur, nullis vigiliis, nullo prolixiore jejunio indicto Auditoribus, nullo denique festiviore apparatu; cum vestrum bema (*a*), id est, diem quo Manichæus occisus est, quinque gradibus instructo tribunali et pretiosis linteis adornato, ac in promptu posito et objecto adorantibus, magnis honoribus prosequamini: hoc ergo cum quærerem, respondebatur ejus diem passionis celebrandum esse qui vere passus esset; Christum autem qui natus non esset, neque veram, sed simulatam carnem humanis oculis ostendisset, non pertulisse, sed finxisse passionem. Quis non ingemiscat, homines qui se christianos dici volunt, timere ne polluatur veritas de virginis utero, et de mendacio non timere? Sed ut ad rem redeam, quis non suspicetur, cum diligenter attenderit, ideo negari a Manichæo Christum natum esse de femina, et humanum corpus habuisse, ne passio ejus, quod totius jam orbis festissimum tempus est, ab eis qui sibi credidissent celebraretur, et non tanta devotione diem mortis suæ desiderata solemnitas honoraret? Hoc enim nobis erat in illa bematis celebritate gratissimum, quod per Pascha frequentabatur [1]: quoniam vehementius desiderabamus illum diem festum, subtracto alio qui solebat esse dulcissimus.

CAPUT IX. — 10. *Spiritus sanctus quando missus.* Fortasse dicas mihi: Quando ergo venit a Domino promissus Paracletus? Hic ego si non haberem aliud quod crederem, facilius eum adhuc venturum exspectarem, quam per Manichæum venisse concederem. Nunc vero cum in Actibus Apostolorum manifestissime sancti Spiritus prædicetur adventus, quæ me necessitas cogit hæreticis tam periculose et tam facile credere? In libro enim memorato sic scriptum est: *Primum quidem sermonem fecimus* [2] *de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere in die qua Apostolos elegit per Spiritum sanctum, et præcepit prædicare Evangelium. Quibus præbuit se vivum post passionem in multis argumentis dierum, visus est eis per dies quadraginta, et docens de regno Dei, et quomodo conversatus sit cum illis, et præceperit eis* [3] *ne discederent ab Jerosolymis, sed sustinerent pollicitationem Patris, quam audistis, inquit, ex ore meo. Quoniam Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem Spiritu sancto incipietis baptizari: quem et accepturi estis non post multos dies istos usque ad Pentecosten. Illi quidem cum venissent, interrogabant eum, dicentes: Domine, si hoc in tempore repræsentaberis, et quando regnum Israel* [4]. *Ille autem dixit: Nemo potest cognoscere tempus, quod Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientem in vos, et eritis mihi testes apud Jerusalem, et in tota Judæa et Samaria, et usque in totam terram* (*Act.* I, 8).

[1] In Mss., *quod pro Pascha frequentabatur.*
[2] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *feci.* M.
[3] Apud Lugd. Ven. Lov., *conversatus est cum illis, et præcepit eis.* M.
[4] Apud Er. Lugd., *repræsentabis regnum Israel?* Ven., [illegible] *Bêma*, id est. gradus.

Ecce habes ubi commemoravit discipulos pollicitationis paternæ, quam ex ore ejus audierant de Spirita sancto venturo. Nunc videamus quando sit missus: Paulo post enim sequitur, et dicit: *In illo tempore quo suppletus est dies Pentecostes, fuerunt omnes eadem animatione simul in unum: et factus est subito de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et implevit totum illum locum in quo erant sedentes; et visæ sunt illis linguæ divisæ quasi ignis, qui et insedit super unumquemque illorum. Et impleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui linguis, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Jerosolymis autem fuerunt habitantes Judæi homines ex omni natione quæ est sub cœlo. Et cum facta esset vox, collecta est turba, et confusa est; quoniam audiebat unusquisque suo sermone et suis linguis loquentes eos. Stupebant autem et mirabantur, ad invicem dicentes: Nonne omnes qui loquuntur, natione sunt Galilæi? Et quomodo agnoscimus in illis sermonem in quo nati sumus? Parthi, Medi, Elamitæ, et qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam et Cappadociam, Pontum, Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et regiones Africæ* [1], *quæ est ad Cyrenen; et qui advenerant Romani, et Judæi, et incolæ* [2], *et Cretes, et Arabes, audiebant loquentes illos suis linguis magnalia Dei. Stupebant autem, et hæsitabant ob id quod factum est, dicentes: Quidnam hoc vult esse? Alii autem irridebant, dicentes: Hi musto omnes onerati sunt* (*Act.* II, 1-13). Ecce ubi venit Spiritus sanctus: quid vultis amplius? Si Scripturis credendum est, cur non his potius credam, quæ robustissima auctoritate firmatæ sunt; quæ cum ipso Evangelio, ubi promissum Spiritum sanctum pariter credimus, innotescere populis et commendari posteris prædicarique meruerunt? Hos ergo Actus Apostolorum Evangelio pari auctoritate conjunctos cum lego, invenio non solum esse promissum illis veris Apostolis sanctum Spiritum, sed etiam tam manifeste missum, ut nullus de hac re locus relinqueretur erroribus.

CAPUT X. — 11. *Spiritus sanctus bis datus.* Clarificatio enim Domini nostri apud homines, resurrectio est a mortuis, et in cœlum ascensio. Scriptum est autem in Evangelio κατὰ Ἰωάννην: *Spiritus autem nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus* (*Joan.* VII, 39). Si ergo propterea nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus, clarificato Jesu necessario statim datus est. Et propter ipsam geminam clarificationem, secundum hominem et secundum Deum, bis etiam datus est Spiritus sanctus: semel, postquam resurrexit a mortuis, cum insufflavit in faciem discipulorum, dicens, *Accipite Spiritum Sanctum* (*Id.* XX, 22). Et iterum, postquam ascendit in cœlum, decem diebus transactis: qui numerus perfectionem significat; cum septenario numero, quo condita universa consistunt, additur Trinitas conditoris. De quibus rebus inter spirituales viros pie cauteque multa tractantur. Sed ego a proposito non

præsentabis regnum Israel? M.
[1] Sic Mss. Editi autem, *et regionem Africæ.*
[2] Mss., *et Judæi incolæ*; omisso *et.*

recedam : suscepi enim prius vobiscum sic agere, ut non ego vos doceam, quod superbum fortasse arbitramini ; sed tanquam ipse a vobis discere studeam, quod novem annis non potui. Quapropter habeo quibus Litteris credam de adventu Spiritus sancti, quibus me credere si prohibetis, ne temere credam quod nescio ; sic enim soletis monere ; multo minus vestris litteris credam. Quare, aut omnes libros [1] auferte de medio, et disputando pandite veritatem, de qua dubitare non possim : aut tales proferte libros, quibus non mihi cum arrogantia imponatur quod credam, sed exhibeatur sine fraude quod discam. Fortasse, inquis, et hæc epistola talis est. Nolo ergo in ejus limine ulterius immorari : interiora videamus.

CAPUT XI. — 12. *Veritatem pollicetur Manichæus, non exhibet.— Hæc sunt*, inquit, *salubria verba, ex perenni ac vivo fonte; quæ qui audierit, et eisdem primum crediderit, deinde quæ insinuant custodierit, nunquam erit morti obnoxius, verum æterna et gloriosa vita fruetur. Nam profecto beatus est judicandus, qui hac divina instructus cognitione fuerit, per quam liberatus in sempiterna vita permanebit.* Et hæc, ut videtis, pollicitatio est, nondum exhibitio veritatis : et vos quoque animadvertere facillime potestis, isto velamine quoslibet errores fucari posse, ut imperitorum animis per ornatam januam latenter irrepant. Si enim diceret : Hæc sunt pestifera verba, ex venenoso fonte ; quæ qui audierit, et eisdem primum crediderit, deinde quæ insinuant custodierit, nunquam erit vitæ restituendus, verum pœnali et ærumnosa morte afficietur (nam profecto miser est judicandus, qui hac inferna implicatus imperitia fuerit, per quam demersus in sempiternis cruciatibus permanebit) ; si ergo hoc diceret, verum diceret : sed libro huic non solum nullum conciliaret lectorem ; sed omnes in quorum manus incidisset, in maxima odia concitaret. Quamobrem ad consequentia transeamus, nec nos ista decipiant quæ possunt esse bonis et malis, doctis et indoctis verba communia. Quid ergo sequitur?

13. *Pax*, inquit, *Dei invisibilis, et veritatis notitia sit cum fratribus sanctis et charissimis, qui mandatis cœlestibus credunt pariter atque deserviunt.* Ita sit, ut dicit. Nam et ista benigna et acceptissima optatio est. Tantum meminerimus hæc et a bonis doctoribus et a deceptoribus dici posse. Itaque si nulla nisi talia diceret, omnibus legendum et amplectendum esse concederem. Nec illa quæ adhuc sequuntur, improbaverim : adjungit enim, *Sed et dextera luminis tueatur et eripiat vos ab omni incursatione maligna* [2], *et a laqueis mundi.* Et omnino quidquid in hujus epistolæ principio scriptum est, donec veniatur ad causam, nolo reprehendere, ne in rebus minoribus multum operæ consumatur. Jam ergo evidentissimam pollicitationem hominis videamus.

CAPUT XII. — 14. *Deliramenta Manichæi. Prælium ante mundi constitutionem commissum. — De eo igitur*, inquit, *frater dilectissime Pattici* [1], *de quo mihi significasti, dicens, Nosse te cupere cujusmodi sic nativitas Adæ et Evæ, utrum verbo sint iidem prolati, an primogeniti ex corpore : respondebitur tibi ut congruit. Namque de his a plerisque in variis scripturis relationibusque* [2] *dissimili modo insertum atque commemoratum est. Quapropter veritas istius rei ut sese habet ab universis fere gentibus ignoratur, et ab omnibus qui etiam de hoc diu multumque disputarunt. Si enim illis super Adæ et Evæ generatione provenisset manifesto cognoscere, nunquam corruptioni et morti subjacerent.* Manifestam ergo cognitionem hujus rei nobis pollicetur, ne corruptioni ac morti subjiciamur. Et si adhuc parum est, vide quid sequatur : *Necessario ergo*, inquit, *plura sunt ante commemoranda, ut ad istud mysterium sine ulla possit ambiguitate perveniri.* Hoc est quod dicebam, sic mihi demonstrari debere veritatem, ut ad eamdem sine ulla ambiguitate perveniam. Quod si ipse non polliceretur, nec tamen hoc exigere et flagitare oportebat, ut tanta mercede cognitionis evidentissimæ atque certissimæ ex catholico christiano quibuslibet contradicentibus manichæum me fieri non puderet. Jam igitur audiamus quid afferat.

15. *Unde si tibi videtur*, inquit, *ausculta prius quæ fuerint ante constitutionem mundi, et quo pacto prælium sit agitatum, ut possis luminis sejungere naturam ac tenebrarum.* Jam incredibilia et falsa omnino proposuit. Quis enim credat ante constitutionem mundi ullum prælium fuisse commissum? Et tamen si est credibile, modo nos non credere, sed cognoscere venimus. Nam qui dicit Persas et Scythas ante multos annos secum bellasse, rem dicit credibilem ; eam tamen quam vel auditam vel lectam possumus credere, non expertam comprehensamque cognoscere. Cum ergo istum repudiarem, si tale aliquid diceret ; non enim ea promisit, quæ cogeret credere, sed quæ possem sine ulla ambiguitate cognoscere : quomodo eum non repudiabo, quando non modo incerta dicit, sed etiam incredibilia? Sed quid? si aliquibus rationibus ea perspicua et cognita faciet? Audiamus ergo, si possumus, cum tota patientia et lenitate quod sequitur.

CAPUT XIII. — 16. *Duæ substantiæ contrariæ. Regnum luminis. Incerta pro certis tradi a Manichæo. — Hæc quippe*, inquit, *in exordio fuerunt, duæ substantiæ a sese divisæ. Et luminis quidem imperium tenebat Deus Pater, in sua sancta stirpe perpetuus, in virtute magnificus, natura ipsa verus, æternitate propria semper exsultans, continens* [3] *apud se sapientiam et sensus vitales : per quos* [4] *etiam duodecim membra luminis sui comprehendit, regni videlicet proprii divitias affluentes. In unoquoque autem membrorum ejus sunt*

[1] Editi, *aut vestros libros omnes.* Abest, *vestros*, a Mss.
[2] Corbeiensis codex, *ab omni incursione maligna.*

[1] Editi, *dilectissime audisti.* Vetus codex Corbeiensis ante mille annos scriptus, loco, *audisti*, habet, *Pattici* : forte nomen illius cui Epistolam dedit Manichæus.
[2] Am. et plures Mss., *revelationibusque.*
[3] Sic Mss. Editi vero, *æternitate propria exsultans, s. m. per continens*, etc.
[4] Nonnulli Mss., *per quam.*

recondita millia innumerabilium et immensorum thesaurorum. Ipse vero Pater in sua laude præcipuus, magnitudine incomprehensibilis, copulata habet sibi beata et gloriosa sæcula, neque numero, neque prolixitate æstimanda, cum quibus idem sanctus atque illustris Pater et genitor degit, nullo in regnis ejus insignibus aut indigente aut infirmo constituto. Ita autem fundata sunt ejusdem splendidissima regna supra lucidam et beatam terram, ut a nullo unquam aut moveri aut concuti possint.

17. Hæc mihi unde probaturus est, aut hæc ipse unde cognovit? Noli me terrere Paracleti nomine. Primo, quia non credere incognita, sed certa cognoscere accessi, a vobis ipsis factus timidior. Vos enim nostis, temere credentibus quam vehementer insultare soleatis: præsertim cum ipse, qui jam cœpit incerta narrare, plenam ac firmam scientiam paulo ante promiserit.

CAPUT XIV. — *Pollicebatur rerum certarum cognitionem, et imperat incertarum fidem.* Deinde, quoniam si mihi fides imperanda est, magis me teneret illa Scriptura, ubi lego, venisse Spiritum sanctum, et Apostolos inspirasse (*Act.* II, 1-4), quibus eum Dominus se missurum esse promiserat (*Joan.* XIV, 16, 26). Quapropter, aut ea quæ dicit, proba mihi vera esse, ut ostendas quæ non possum credere; aut eum qui dicit, proba mihi Spiritum sanctum esse, ut credam quæ non potes ostendere. Ego namque catholicam fidem profiteor, et per illam me ad certam scientiam perventurum esse præsumo: tu vero, qui fidem meam labefactare conaris, certam scientiam trade, si potes; ut id quod credidi, temere me credidisse convincas. Duo sunt quæ mihi profers: unum cum dicis Spiritum sanctum esse qui loquitur; et alterum, cum dicis manifesta esse quæ loquitur. Utrumque absque ulla dubitatione cognoscere debui: sed non sum avarus; unum horum doce. Ostende hunc esse Spiritum sanctum, et credam vera esse quæ dicit, etiamsi nesciam: aut ostende vera esse quæ dicit, et credam Spiritum sanctum esse, etiamsi nesciam. Numquid æquius aut benevolentius tecum agi potest? Sed tu nec hoc nec illud vales ostendere. Nihil aliud elegisti, nisi laudare quod credis, et irridere quod credo. Cum igitur etiam ego vicissim laudavero quod credo, et quod credis irrisero; quid putas nobis esse judicandum, quidve faciendum, nisi ut eos relinquamus, qui nos invitant certa cognoscere, et postea imperant ut incerta credamus; et eos sequamur, qui nos invitant prius credere, quod nondum valemus intueri, ut ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non jam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram illuminante atque firmante?

18. Et quoniam quæsivi unde mihi probet, nunc quæro unde ipse cognoverit. Si dicit sibi esse revelatum a Spiritu sancto, suamque mentem divinitus illustratam, ut ea quæ dicit, certa et manifesta cognosceret; ipse significat quid intersit inter cognoscere et credere. Ipse enim cognoscit, cui apertissime ista monstrantur: eis autem quibus hæc narrat, non cognitionem insinuat, sed credulitatem suadet. Cui quisquis temere consenserit, Manichæus efficitur; non certa cognoscendo, sed incerta credendo; quales nos imperitos adolescentulos aliquando decepit. Debuit ergo non nobis polliceri scientiam, neque manifestam cognitionem, neque ad id quod quæritur, sine ulla ambiguitate perventionem; sed dicere potius sibi ista esse monstrata, illos autem quibus narrantur credere sibi debere quæ nesciunt. Sed si hoc diceret, quis non ei responderet, Si ergo incognita crediturus sum, cur non ea potius credam, quæ jam consensione doctorum indoctorumque celebrantur, et per omnes populos gravissima auctoritate firmata sunt? Hoc ille metuens ne sibi diceretur, offundit nebulas imperitis; primum pollicens rerum certarum cognitionem, et postea incertarum imperans fidem. Cui tamen si hoc dicatur, ut saltem vel sibi hæc doceat esse monstrata, similiter deficit, et hoc quoque ut credamus jubet. Quis ferat tantam fallaciam tantamque superbiam?

CAPUT XV. — 19. *Non solum incerta, sed etiam falsa esse quæ tradit. Deliramentum de terra et gente tenebrarum juxta latus terræ sanctæ ac substantiæ Dei. Confutatur primo, quia naturæ Dei partes et latera tribuit tanquam sua mole per locorum spatia distendatur.* Quid, si non solum incerta, sed etiam falsa esse quæ dicit, Deo et Domino nostro mihi opitulante monstravero? Quid infelicius ista superstitione inveniri potest, quæ non modo non exhibet scientiam quam promittit atque veritatem, sed ea dicit quæ vehementer sunt scientiæ veritatique contraria? Quod in sequentibus manifestius apparebit. Ita enim dicit: *Juxta unam vero partem ac latus illustris illius ac sanctæ terræ erat tenebrarum terra profunda et immensa magnitudine, in qua habitabant*[1] *ignea corpora, genera scilicet pestifera. Hic infinitæ tenebræ, ex eadem manantes natura inæstimabiles, cum propriis fetibus: ultra quas erant aquæ cœnosæ ac turbidæ cum suis inhabitatoribus; quarum interius venti horribiles ac vehementes cum suo principe et genitoribus. Rursum regio ignea et corruptibilis cum suis ducibus et nationibus. Pari more introrsum gens caliginis ac fumi plena, in qua morabatur immanis princeps omnium et dux, habens circa se innumerabiles principes, quorum omnium ipse erat mens atque origo: hæque fuerunt naturæ quinque terræ pestiferæ.*

20. Si aerium vel etiam ætherium corpus diceret esse naturam Dei, profecto irrideretur ab omnibus, qui sapientiæ veritatisque naturam per nulla locorum spatia distentam atque diffusam, sine ulla mole magnam et magnificam, nec in parte minorem, et in parte majorem, sed per omnia æqualem summo Patri, nec aliud habentem hic et aliud alibi, sed ubique integram, ubique præsentem qualicumque acie jam serenioris mentis intueri valent.

CAPUT XVI. — *Animam ipsam, etsi mutabilis sit, per spatia locorum non distendi. Nam tota sentit in singulis partibus corporis.* Sed quid dicam de veritate atque sapientia, quæ omnes animæ potentias superat;

[1] Editi, *habitant*. At Mss., *habitabant*.

cum ipsius animæ natura quæ mutabilis invenitur, nullo modo locorum spatia quadam mole sua occupet? Quidquid enim qualibet crassitudine est[1], non potest nisi minui per partes, habendo aliud hic et aliud alibi. Minor est enim digitus quam tota manus; et minor est digitus unus quam duo; et alibi est iste digitus, alibi ille, alibi cætera manus. Quod non solum in molibus corporum articulatis [2] videmus : sed etiam terræ pars ista non est ibi ubi illa, quia suum locum quæque obtinet : et pars humoris minor minore, et major majore loco est; et alia pars est circa fundum, alia circa oras poculi. Similiter aeris partes suos quæque implent locos; nec fieri potest ut aer quo impletur hæc domus, simul secum in eadem domo habere possit etiam illum aerem quem vicini habent : lucisque ipsius alia pars infunditur per hanc fenestram, alia per illam; et major per majorem, per minorem autem minor. Nec omnino potest esse allquod corpus, sive cœleste sive terrestre, sive aerium sive humidum, quod non minus sit in parte quam in toto : neque ullo modo possit in loco hujus partis simul habere aliam partem; sed aliud hic et aliud alibi habens per quælibet spatia locorum distanti et dividua, vel potius, ut ita dicam, sectili mole distenditur. Animæ vero natura, etiamsi non illa ejus potentia consideretur qua intelligit veritatem, sed illa inferior qua continet corpus et sentit in corpore; nullo modo invenitur locorum spatiis aliqua mole distendi. Nam singulis sui corporis particulis tota præsto est, cum tota sentit in singulis : neć minor pars ejus in digito est, et major in brachio, sicut ipse digitus brachio minor est; sed ubique tanta est, quia ubique tota est. Cum enim tangitur digitus, non per totum corpus sentit, et tamen tota sentit. Totam enim tactus ille non latet; quod non fieret, nisi tota præsto esset. Nec sic tota præsto est, cum tangitur digitus et sentit in digito, ut cæterum deserat corpus, et sese ad unum illum locum in quo sentit agglomeret. Sed cum tota sentit in digito manus, si alius locus tangatur in pede, nec ibi desinit tota sentire : atque ita in singulis distantibus locis tota simul adest, non unum deserens ut in altero tota sit, neque ita utrumque tenens ut aliam partem hic habeat, et alibi aliam; sed sufficiens exhibere se singulis locis simul totam, quoniam tota sentit in singulis, satis ostendit se locorum spatiis non teneri.

CAPUT XVII. — *Memoria capit maximorum locorum imagines.* Quid, si ejus memoriam cogitemus, non rerum intelligibilium, sed harum corporearum quam et bestiæ habere sentiuntur (nam et per loca nota sine errore jumenta pergunt, et cubilia sua [3] bestiæ repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque immurmurant, et in latratum aliquando erumpunt, quod nullo modo possent nisi in eorum memoria visarum rerum vel per corpus utcumque sensarum versarentur imagines); quis digne cogitet, ubi caplantur istæ imagines, ubi gestentur, vel ubi formentur? Si enim non possent esse majores quam nostri corporis quantitas tenet, diceret aliquis, intra ipsa sui corporis spatia quibus et illa concluditur, has imagines animam figurare atque servare. Nunc vero cum perexiguam terræ partem occupet corpus, immensarum regionum et cœli ac terræ imagines animus volvit, quibus catervatim discedentibus ac succedentibus non fit angustus : atque hinc se ostendit non diffusum esse per locos, quia maximorum locorum imaginibus non quasi capitur, sed potius eas capit; non sinu aliquo, sed vi potentiaque ineffabili, qua licet eis et addere quodlibet et detrahere, et in angustum eas contrahere, et per immensa expandere, et ordinare ut velit, et perturbare, et multiplicare, et ad paucitatem singularitatemve redigere.

CAPUT XVIII. — *Intelligendi potentia de rerum veritate deque ipsa cogitatione judicat.* Quid jam de illa loquar potentia, qua intelligitur veritas, qua istis ipsis quæ de corporis sensu haustæ figurantur, imaginibus sese pro veritate opponentibus magna vivacitate resistitur? Qua videtur aliam, verbi gratia, veram esse Carthaginem, aliam quam cogitans fingit, et pro suo arbitrio tota facilitate commutat : ex eadem venire facilitate innumerabiles mundos, in quibus Epicuri cogitatio innumerabiliter peregrinata est : et, ne multa consecter, ex eadem venire facilitate istam terram lucis per spatia infinita diffusam, et quinque antra gentis tenebrarum cum habitatoribus suis, in quibus Manichæi phantasmata veritatis sibi nomen ausa sunt usurpare. Quid est ergo hæc potentia quæ ista discernit? Profecto quantacumque sit, et his omnibus major est, et sine ulla tali rerum imaginatione cogitatur. Huic inveni spatia, si potes; hanc diffunde per locos, hanc infinitæ molis tumore distende. Profecto si bene cogitas, non potes. Quidquid enim tibi tale occurrerit, judicas ipsa cogitatione secari posse per partes, facisque ibi aliam partem minorem, aliam majorem, quantum placet; illud autem ipsum quo ista judicas, cernis esse supra ista, non loci altitudine, sed potentiæ dignitate.

CAPUT XIX. — 21. *Si anima per locos non extenditur, multo minus Deus.* Quare, si animam toties mutabilem, sive variarum voluntatum turba, sive affectibus pro rerum copia vel inopia sese flectentibus, sive ipsis innumerabilibus ludis phantasmatum, sive oblivione et memoria, sive doctrina et imperitia; si ergo animam, ut dixi, his atque hujusmodi motionibus toties mutabilem, sentis non diffundi extendique per locos, sed omnia talia spatia potentiæ vivacitate superare : quid de ipso Deo cogitandum aut existimandum est, qui supra omnes rationales mentes inconcussus atque incommutabilis manens, tribuit quod cuique tribuendum est? Quem facilius eloqui audet anima, quam videre : et quem tanto minus eloquitur, quanto sincerius videre potuerit. Qui tamen si, ut Manichæorum phantasmata perstrepunt, locorum ex una parte determinato, ex aliis immenso spatio ten-

[1] Ita Vss. At editi, *crassitudine dividitur*.
[2] Editi, *in mobilibus corporum articulis*. Castigantur auxilio veteris manuscripti Corbeiensis.
[3] Editi, *et cubicula sua*. Castigantur ex manuscriptis.

deretur : quantælibet in eo particulæ, et innumerabilia frusta alia majora, alia minora pro cogitantis arbitrio metirentur; ut bipedalis in eo, verbi gratia, pars octo partibus minor esset quam decempedalis. Id enim necesse est contingat omnibus naturis, quæ per talia spatia diffusæ ubique totæ esse non possunt : quod in ipsa anima non invenitur, et ab eis qui considerare hæc non valent, deformiter de illa et turpiter creditur.

CAPUT XX. — 22. *Deliramentum de duplici terra refellitur.* Verumtamen cum carnalibus animis fortasse non sic agendum est, sed descendendum est potius ad eorum cogitationes, qui naturam incorpoream et spiritualem cogitando potius sequi [1], vel non audent, vel nondum valent; ita ut nec ipsam cogitationem suam eadem cogitatione considerent, et inveniant eam nullo locorum spatio de ipsis locorum spatiis judicantem [2]. Descendamus ergo ad eorum sensus, et quæramus ab eis, *juxta* quam *partem et* juxta quod *latus*, sicut Manichæus dicit, *illustris illius ac sanctæ terræ erat tenebrarum terra.* Dicit enim, *juxta unam partem ac latus;* nec dicit quam partem, vel quod latus, dextrum an sinistrum. Sed quodlibet eligant, illud certe manifestum est, non dici unum latus, nisi ubi est et alterum latus. Ubi autem vel tria vel plura sunt latera, aut figuræ ambitus intelligitur undique terminatus, aut si ex aliqua parte in immensum patet, ex iis tamen quæ latera dicuntur, necesse est finiatur. Dicant ergo, ex alio latere, vel ex aliis lateribus, quid adjungebatur terræ lucis, si ex uno latere erat gens tenebrarum? Non dicunt : sed cum premuntur ut dicant, infinita dicunt esse alia latera terræ illius quam lucis vocant, id est, per infinita spatia distendi, et nullo fine cohiberi. Nec intelligunt jam non esse latera, quod quibusvis tardis ingeniis apertissimum est. Tunc enim essent latera, si finibus suis terminarentur. Quid ad me, inquit, si non sint latera? Sed cum diceres, *juxta unam partem ac latus*, aliam quoque partem sive partes, et aliud latus sive latera cogebas intelligi. Nam si unum tantum latus erat, tantum juxta latus dici debuit, non *juxta unum latus.* Sicut in corpore nostro recte dicimus esse aliquid juxta unum oculum, quia est alter oculus; aut juxta unam mamillam, quia est altera. Si autem dicamus juxta unum nasum, aut juxta unum umbilicum, cum alius non sit, a doctis et ab indoctis ridebimur. Sed non te verbis premo : fortasse enim unum quasi unicum appellare voluisti.

CAPUT XXI. — *Eamdem terram lucis, si terræ tenebrarum jungitur, esse corpoream. Figura terræ tenebrarum junctæ cum terra lucis.* Quid ergo erat juxta illud latus terræ, quam illustrem ac sanctam vocas? *Terra*, inquis, *tenebrarum.* Quid, de ista terra saltem concedis quod corporea erat? Necesse est te hoc dicere; quandoquidem omnia corpora inde asseris originem ducere. Quid ergo, quæso, quamvis tardi, quamvis carnales homines, ne hoc quidem aliquando animadvertitis, quod lateribus sibi jungi utraque ista terra non possit, nisi esset utraque corporea? Cur ergo nobis dicebatur nescio qua [1] cæcitate perversis, tenebrarum tantum terram fuisse vel esse corpoream; illam vero quæ terra luminis diceretur incorpoream et spiritualem credi oportere? Expergiscamur aliquando homines boni, et saltem admoniti quod facillimum est attendamus, duas terras sibi lateribus non posse conjungi, nisi utraque [3] sit corpus.

23. Aut si ad ista etiam crassi et tardi sumus, quæro utrum et ipsa terra tenebrarum unum latus habuerit, et cætera infinita, sicut terra lucis. Non ita credunt; timent enim ne Deo videatur æqualis. Dicunt ergo illam per profundum immensam et per longum : sursum versus autem supra illam [3] spatia infinite inanitatis affirmant. Et ne ipsa vel simplum, terra autem luminis duplum tenere videatur, angustant eam a duobus etiam lateribus. Tanquam si unus panis (sic enim quod dicitur facilius videri potest) in quadras quatuor decussatim formetur, in quibus tres sint candidæ, una nigra : modo de tribus candidis tolle distinctionem, et fac illas et sursum versus et deorsum versus, et undique retro infinitas : sic ab eis esse creditur terra lucis. Illam vero nigram quadram fac deorsum versus et retro infinitam, supra se autem immensam inanitatem habere : sic opinantur terram tenebrarum [4]. Sed hæc nimis attentis et studiose inquirentibus quasi secreta demonstrant.

CAPUT XXII. — *Figura terræ lucis fœdior.* Verumtamen si ita est, apparet terram tenebrarum a terra lucis duobus lateribus tangi. Et utique si duobus tangitur, duobus etiam tangit. Certe *juxta unum latus erat terra tenebrarum.*

24. Deinde quam fœda figura terræ [5] lucis apparet, tanquam fissa ungula nigro quodam cuneo subter arctato, illac tantum finita qua finditur, hians etiam et patens desuper interposito inani quidquid a superficie terræ tenebrarum sursum versus immensum est. Quam deinde melior ipsius terræ tenebrarum figura ostenditur : siquidem illa findit, hæc finditur; illa inseritur, hæc interpatet; illa in se nulli inanitati dat locum, hæc ab inferiore tantum parte laxa non est, qua hostili cuneo subimpletur. Indocti ergo homines et avari cum majorem honorem tribuunt multitudini partium quam unitati, ut sex partes darent terræ lucis, tres deorsum versus, tres sursum versus, maluerunt penetrari terram lucis quam penetrare. Tali

[1] Corbeiensis vetus codex, *cogitando persequi.*

[2] Editi, *inveniant eum locorum spatiis de ipsis locorum spatiis judicantem.* Emendantur ex Corbeiensi codice.

[1] Er. et Lov., *dicebatur a nescio qua*, etc. Præpositio, *a*, non est apud Am. neque in Mss.

[2] Mss., *utrumque.*

[3] Editi vulgo sic, *per profundum immensam : et per longum sursum versus aut supra illam*, etc. Castigandi ex Mss. qui pro, *aut*, habent, *autem*; et hoc pacto verba distinguunt, *per profundum immensam et per longum : sursum versus autem supra illam*, etc. Nam infra comparatur terra ista quadræ nigræ *deorsum versus*, quod est per profundum, *et retro*, quod est per longum, *infinitæ.*

[4] Hic editi addunt, *sic ab eis esse creditur*; quod a Mss. abest.

[5] In editis omissa erat vox, *terræ*; quæ in Mss. reperitur.

enim figura etsi commixtam negant, penetratam tamen negare non possunt.

CAPUT XXIII.—25. *Levius peccant Manichæis Anthropomorphitæ.* Confer nunc, non spirituales catholicæ fidei viros, in quibus quantum in hac vita animus potest, cernit substantiam naturamque divinam nullis locorum spatiis tendi, nullis lineamentorum dimensionibus figurari; sed confer carnales et parvulos nostros, qui solent auditis in allegoria membris quibusdam corporis nostri, velut cum dicuntur oculi Dei et aures Dei, solent Deum sibi libertate phantasmatis corporis humani specie figurare: hos confer jam illis Manichæis, qui solent istas nugas intentis et curiosis hominibus quasi magna secreta describere: et considera qui tolerabilius et honestius de Deo sentiant; utrum ii qui eum forma humana, summa dignitate in suo genere prædita, cogitant, an ii qui eum infinita mole diffusum, non tamen undique, sed tribus quadris infinitum atque condensum, ex una vero fissum, patentem, hiantem, laxum superius inanitate, cuneatum inferius terra tenebrarum; vel, si ita melius est dicere, apertum superius natura propria, intratum[1] inferius aliena. Ecce ego tecum derideo carnales homines, qui nondum possunt spiritualia cogitare, humana forma Deum existimantes: deride et tu mecum, si potes eos qui tam deformem turpemque fissuram vel scissuram Dei, tam inaniter supra hiulcam, tam inhoneste infra obturatam, multum miserabili cogitatione imaginantur. Cum hoc etiam intersit, quod isti carnales qui humana Deum forma cogitant, si Ecclesiæ catholicæ gremio contenti, cum lacte nutriendi sunt, non se in temerarias opiniones præcipitent, sed ibi studium pium quærendi nutriant, ibi petant ut accipiant, ibi pulsent ut eis aperiatur; incipiunt spiritualiter allegorias parabolasque Scripturarum intelligere, et paulatim sapere divinas potentias, congruenter alibi aurium, alibi oculorum, alibi manuum vel pedum, vel etiam alarum atque pennarum, scuti quoque et gladii et galeæ, cæterarumque talium innumerabilium rerum nomine enuntiari. Qua intelligentia quanto magis proficiunt, tanto magis catholici esse firmantur. Manichæi vero quando figuræ illius imaginationem reliquerint, Manichæi esse non poterunt. Hoc enim quasi proprium atque præcipuum[2] auctoris sui laudibus tribuunt, quod dicunt illa quæ ab antiquis figurate in libris divina mysteria posita sunt[3], huic qui ultimus venturus erat, solvenda et demonstranda esse servata: et propterea post istum jam neminem doctorem divinitus esse venturum, quia nihil iste per allegorias et figuras dixerit, cum et antiquorum quæ talia fuerant aperiret, et sua enodate manifesteque monstraret. Non habent ergo isti ad quas interpretationes revertantur, cum illis de auctore suo legitur, *Juxta unam vero partem ac latus illius illius ac sanctæ terræ erat tenebrarum terra.* Quocumque se verterint, necesse est ut phantasmatum suorum miseria coarctati, in scissuras aut abruptas præcisiones et junctiuras, aut fissuras[1] turpissimas incidant; quas non dicam de incommutabili natura Dei, sed de omni natura incorporea, quamvis mutabili, sicuti est anima, miserrimum est credere. Et tamen si non possem me intendere ad superiora, neque cogitationes meas a falsis imaginationibus quas per sensus corporeos memoria fixas gero, in libertatem ac sinceritatem naturæ spiritualis evolvere; quanto melius humani corporis forma Deum cogitarem, quam illum nigrum cuneum scissuræ inferiori ejus affigerem, superioremque vastissimam laxitatem, non inveniens unde oppilarem, sic immensa inanitate patentem, et hiantem relinquerem? Quid ista opinione fœdius? quid tenebrosius hoc errore dici aut fingi potest?

CAPUT XXIV.—26. *De numero naturarum in phantasmate Manichæi.* Deinde volo mihi dicatur, quando lego, Deum Patrem, et supra lucidam beatamque terram fundata regna ejus, utrum unius et ejusdem substantiæ atque naturæ sint, et Pater, et regna ejus, et terra. Quod si ita est, jam non quasi aliam naturam, quæ quasi corpus sit Dei[2], cuneus ille gentis tenebrarum diffindit et penetrat; quod quidem ipsum esset ineffabili deformitate turpissimum: sed ipsam omnino naturam Dei cuneus ille terræ tenebrarum diffindit et penetrat. Rogo, cogitate ista: homines estis; rogo, cogitate ista et fugite, taliumque phantasmatum sacrilegia, dilaniatis, si fieri potest, pectoribus, de fide vestra eradicate atque propellite. An dicturi estis, non unius ejusdemque naturæ illa tria esse, sed alterius Patrem, alterius regna, alterius terram, ut suas naturas atque substantias habeant singula diversas, et excellentiæ gradibus ordinatas? Quod si verum est, non duas, sed quatuor naturas Manichæus prædicare debuerat. Si autem unam naturam habet Pater et regna, terra vero sola diversam, tres naturæ fuerant prædicandæ. Aut si propterea duas dicere maluit, quia terra tenebrarum non pertinet ad Deum, quæro quomodo ad Deum lucis terra pertineat. Si enim et naturam habet diversam, et non eam genuit, neque fecit; non ad eum pertinet, et in alieno regna ejus locata sunt. Aut si propterea pertinet quia vicina est, pertineat et terra tenebrarum, quæ terram lucis non modo vicinitate contingit, sed etiam penetratione dissulcat. Si autem genuit eam, non eam credi oportet diversam habere naturam. Quod enim genuit Deus, hoc oportet credi esse quod Deus est, sicut de unigenito Filio in Catholica creditur. Itaque ad illam fugiendam et detestandam turpitudinem vos[3] necessitas revocat, ut non terram quasi aliam atque diversam, sed ipsam Dei naturam niger ille cuneus diffindat. Quod si non genuit, sed fecit eam Deus, quæro unde fecerit. Si de se ipso, quid aliud est quam genuisse? Si de aliena aliqua natura, quæro utrum

[1] Editi, *inarctatum*. Unus e Vaticanis Mss., *obturatum*. Alter Vaticanus cum Victorino et antiquissimo Corbeiensi, *intratum*. Participium usu rarum, ab auctoribus classicis tamen, Livio, Ovidio, adhibitum.

[2] Mss., *præcelsum*.

[3] Sic Mss. At editi, *in libris de divinis mysteriis posita sunt*.

[1] In omnibus Vss., *fulturas*.

[2] Mss., *quod quasi corpus sit Dei*.

[3] Editi vulgo, *nos*. At Mss., *vos*.

bona an mala. Si bona, erat ergo aliqua natura bona, quæ non pertinebat ad Deum : quod nullo modo dicere audebitis. Si autem mala, non ergo illa gens tenebrarum sola natura mala erat. An forte jam inde assumpserat partem aliquam Deus, quam in terram lucis converteret, et super illam sua regna stabiliret? De tota ergo id fecisset, ut jam olim mala natura nulla esset. Quod si non de aliena substantia fecit terram lucis, restat ut eam de nihilo fecerit.

CAPUT XXV. — 27. *Ex nihilo creari per Omnipotentem bona alia aliis inferiora. In figura conjunctionis duarum terrarum, qualiscumque fingatur, semper inesse deformitatem aut absurditatem.* Quare, si vobis jam persuadetur posse aliquid boni omnipotentem Deum de nihilo facere, venite in Catholicam; et discite, omnes naturas quas fecit Deus et condidit, excellentiæ gradibus ordinatas, a summis usque ad infimas, omnes bonas, sed alias aliis esse potiores : easque factas esse de nihilo, cum Deus artifex per sapientiam suam potentialiter, ut ita dicam, operaretur, ut posset esse quod non erat : et in quantum esset, bonum esset; in quantum autem deficeret, se non de Deo genitum, sed ab ipso de nihilo factum ostenderet. Quid enim vos teneat, si consideretis, non invenitis : cum terram luminis quam describitis, neque hoc esse quod Deus est possitis dicere, ne ipsa Dei natura fœditate quadræ illius inarctetur; neque de illo genitam, ne nihilominus hoc quod Deus est cogatur intelligi, et ad eamdem deformitatem redeat [1]; nec alienam ab illo, ne in alieno regna eum posuisse, et non duas, sed tres naturas dicere urgeamini; neque ab eodem de aliena factam substantia, ne aut bonum aliud fuerit præter Deum, aut malum præter gentem tenebrarum. Remanet igitur vobis, ut de nihilo terram luminis Deum fecisse fateamini : et non vultis credere quod si magnum aliquod bonum, quod tamen illo ipso esset inferius, Deus ex nihilo facere potuit: potuit etiam, quia bonus est, et nulli bono invidet, facere alterum bonum, quod illo priore esset inferius; potuit et tertium, cui secundum præponeretur, et deinde usque ad infimum bonum naturarum factarum ordinem ducere, donec universitas earum, non numero indefinito incerta diffluceret, sed certo terminata consisteret. Aut si nec de nihilo istam luminis terram Deum fecisse vultis fateri, non erit exitus quo tantas turpitudines et tam sacrilegas opiniones evadatis.

28. Aut videte certe, quoniam liberum est carnali cogitationi phantasmata qualia libuerit opinari, ne forte possitis aliam formam quamcumque huic conjunctioni duarum terrarum invenire, ne tam detestabilis et aversanda rerum facies animo occurrat : terram scilicet Dei, sive sit ejusdem naturæ cujus est Deus, sive diversæ, in qua tamen Dei regna fundata sint, ita ingenti mole per immensum jacere, ut per infinitum porrectis et apertis membris jaceat, quibus fœdissime atque turpissime ab inferiori parte recipiat etiam ipsum immensæ magnitudinis inaret tum illum cuneum terræ tenebrarum. Sed quidquid aliud inveneritis figuræ, quo duæ istæ terræ sibi conjungantur, delere profecto Manichæi litteras non potestis : non dico alias quibus expressius ista descripsit; fortasis enim quia paucioribus notæ sunt, minus periculi habere videantur : sed istas ipsas de quibus nunc agitur, Epistolæ Fundamenti, quæ fere omnibus qui apud vos illuminati vocantur solet esse notissima. Hic quippe ita scribitur : *Juxta unam vero partem ac latus illius illustris ac sanctæ terræ, erat tenebrarum terra profunda et immensa magnitudine.*

CAPUT XXVI. — *Coarctantur Manichæi, sive tortuoso latere conjunctionem illam fieri dicant, sive curvo, sive recto. In hoc tertio genere junctura esset concordia et pulchritudo utrique terræ conveniens.* Quid exspectamus amplius? Tenemus enim quod juxta latus erat. Quomodo libet jam fingite figuras, et qualia libet lineamenta describite; moles certe illa immensæ terræ tenebrarum, aut recto latere adjungebatur terræ lucis, aut curvo, aut tortuoso. Sed si tortuoso; et illa sancta terra tortuosum habet latus : nam si ipsa rectum habet latus, et tortuoso hujus latere tangitur, interpatent cavernæ quædam profundæ per infinitum inanes, nec jam supra terram tantum [1] tenebrarum inanitas erat, sicut audire solebamus. Quod si ita est, quanto melius erat ut se aliquanto longius terra luminis removeret, atque illa inanitas tanta interesset, ne omnino posset a tenebrarum terra ex ulla parte contingi? imo etiam tantum spatium pateret inanis profunditatis, ut si qua gentis illius oriretur improbitas, etiamsi temere transilire in illam vellent principes tenebrarum (quoniam nec volare possunt corpora, nisi aere corporeo supportentur), per illud inane præcipitati, et quia infinitum deorsum versus esset, ad nullum aliquando fundum pervenientes, etiamsi semper possent vivere, nunquam tamen dum deorsum semper feruntur, possent nocere? Si autem curvo latere adjungebatur, terra quoque lucis curvo eam sinu deformiter recipiebat. Aut si introrsus ista quasi specie theatri curva erat, curvam terræ luminis partem tali sinu receptam non minus deformi copulatione [2] amplectebatur. Aut si ista curvum habebat latus, et illa rectum, non ex toto eam latere attingebat. Et utique melius erat, sicut supra dixi, ut nulla ex parte contingeret, tantumque inane interesset, ut et justo intervallo utramque terram sejungeret, et temerarios improbos per infinitum præcipites nihil nocere permitteret. Quod si recto latere latus rectum attingebat, non video quidem aliqua vel receptacula vel hiatus : sed plane video tantam pacem tantamque secum terræ utriusque concordiam, ut major conjunctio esse non possit. Quid enim speciosius, quid convenientius, quam rectum recto ita copulari, ut nulla ex parte sinus aliquis vel flexus disrumpat aut dirimat naturalem ac stabilem per infinitum spatium loci et ab infinita æternitate juncturam? Quæ recta latera utriusque terræ, etiamsi interposito inani separarentur,

[1] Corbeiensis Vs., *rede ita*

[1] Sola edit. Lov., *tanta*.
[2] Corbeiensis Vs., *curvatione*.

non solum per se ipsa pulchra essent, quia tam recta essent : sed interjecto quoque intervallo ita sibi congruerent, ut hinc atque illinc pariles rectitudines etiam sine ulla conjunctione, ipsa tamen similitudine in unam pulchritudinem[1] convenirent. Cum autem accedit ista conjunctio, quid concordius ac pacatius hac utraque terra ; quid vero etiam ipsa copulatione duorum rectorum laterum pulchrius dici aut cogitari possit, non invenio.

CAPUT XXVII. — 29. *Pulchritudo recti lateris posset terræ tenebrarum detrahi sine ulla detractione substantiæ. Sic malum animæ accidit nulla addita detractave substantia. Latus terræ tenebrarum in quantum rectum esset, boni aliquid haberet a Deo conditore.* Quid faciam cum errore[2] perversis et consuetudine implicatis miserrimis animis ? Non enim sciunt isti homines quid loquantur, cum hæc loquuntur : non enim attendunt. Rogo, nemo vos urget, nemo in certamen premit, nemo præteritis insultat erroribus, nisi qui divinam misericordiam expertus non est, ut careret erroribus : tantum id agamus, ut aliquando finiantur. Intuemini paululum sine animositate et amaritudine. Omnes homines sumus ; non nos, sed errores et falsitates oderimus[3]. Quæso, intuemini paululum. Deus misericordiarum, adjuva intuentes, et verum quærentibus interius lumen accende. Quid enim intelligimus, si non intelligimus rectum melius esse quam pravum ? Quæro ergo a vobis, si placide modesteque accipitis, rectum latus terræ tenebrarum, quod recto lateri terræ lucis adjungitur, si quispiam depravaret, nullamne illi pulchritudinem adimeret ? Necesse est fateamini si latrare nolitis, non solum ei, si depravetur, pulchritudinem auferri, sed eam etiam pulchritudinem quam cum recto latere terræ luminis potuit habere communem. Hanc ergo auferens, et de recto pravum faciens, ut discordaret quod concordabat, et abhorreret quod congruebat, numquid aliquam inde auferret substantiam ? Sic ergo discite, non substantiam malum esse, sed sicut in corpore commutatione formæ in deterius, amitti speciem, vel potius minui, et fœdum dici quod pulchrum antea dicebatur, et displicere corpus quod antea placuerat : sic in anime rectæ voluntatis decus, quo pie justeque vivitur, commutata in deterius voluntate depravari ; quo peccato effici animam miseram, quæ honestate rectæ voluntatis beatitatem obtinebat, nulla addita detractave substantia.

30. Deinde etiam illud cogitate, quia etsi concedamus aliis causis latus terræ tenebrarum malum esse, quod obscurum, quod tenebrosum, vel si quid aliud dici potest, non tamen in eo quod rectum est malum est. Sicut ergo concedo in ejus colore esse aliquid mali, sic necesse est et vos concedatis esse in ejus rectitudine aliquid boni. Nefas est itaque hoc quantumcumque boni est[4], alienare ab artifice Deo, a quo esse omne bonum quod in quacumque natura est, nisi credimus, perniciosissime erramus. Quomodo ergo ille et summum malum esse dicit hanc terram, in cujus lateris rectitudine invenio, quantum ad corpus attinet, non parvæ pulchritudinis bonum ; et ab omnipotente atque optimo Deo eam vult esse penitus alienam, cum id ipsum bonum quod in illa invenimus, cui alii tribuendum sit, nisi auctori bonorum omnium, non inveniamus ? Sed malum erat, inquit, etiam illud latus. Puta malum esse : deterius esset certe si non rectum, sed distortum esset. Quomodo igitur est summum malum, quo potest aliquid cogitari deterius ? Deinde necesse est aliquid boni sit, quo carendo fit res quæcumque deterior. Carendo autem rectitudine fieret latus illud deterius. Inest ergo illi boni aliquid rectitudo. Et numquam mihi dices unde inest, nisi ad eum te contuleris, a quo sive magna sive parva, omnia tamen bona esse fateamur. Sed jam a lateris hujus consideratione transeamus ad alia.

CAPUT XXVIII. — 31. *In terra tenebrarum naturas quinque ponit Manichæus.—Habitabant*, inquit, *in illa terra ignea corpora, genera scilicet pestifera.* Cum dicit, *habitabant ;* animata utique atque viventia vult intelligi. Sed ne de verbo calumniari velle videamur, attendamus istos omnes habitatores terræ illius, quemadmodum in quinque genera viva distribuat. *Hic infinitæ*, inquit, *tenebræ, ex eadem manentes natura inæstimabiles, cum propriis fetibus : ultra quas erant aquæ cœnosæ ac turbidæ cum suis inhabitatoribus ; quarum interius venti horribiles et vehementes cum suo principe et genitoribus. Rursum regio ignea et corruptibilis cum suis ducibus et nationibus. Pari more introrsum gens caliginis ac fumi plena, in qua morabatur immanis princeps et omnium dux, habens circa se innumerabiles principes, quorum omnium ipse erat mens et origo : hæque fuerunt naturæ quinque terræ pestiferæ.* Animadvertimus quinque naturas quasi partes unius naturæ, quam vocat terram pestiferam. Hæ sunt autem : tenebræ, aquæ, venti, ignis, fumus, quas quinque naturas sic ordinat, ut exteriores cæteris sint tenebræ, a quibus numerare incipit. Intra tenebras, aquas constituit ; intra aquas, ventos ; intra ventos, ignem ; intra ignem, fumum. Et habebant istæ quinque naturæ sua quæque genera inhabitatorum suorum, quæ nihilominus quinque sunt. Quæro namque utrum genus unum habitantium fuerit in omnibus quinque naturis, an diversa genera, sicut naturæ ipsæ diversæ sunt. Diversa fuisse respondent, et de aliis libris ita docent, quod tenebræ habuerunt serpentes ; aquæ, natantes, sicut sunt pisces ; venti, volantes, sicut sunt aves ; ignis, quadrupedes[1], sicut sunt equi, leones, et cætera hujusmodi ; fumus, bipedes, sicut sunt homines.

CAPUT XXIX. — 32. *Refellitur hoc deliramentum.* Quis igitur ista ordinavit ? quis distribuit atque distin-

[1] Has voces, *in unam pulchritudinem*, addidimus ex vetere codice Corbeiensi.

[2] Editi, *cum errore tanto*. Abest, *tanto*, a Mss.

[3] Sic Mss. At editi, *non vos, sed errores et falsitates odimus*.

[4] In editis, *quantumcumque bonum est*.

[1] Sic Mss. At editi, *tenebras habitaverunt serpentes ; aquas natantes, sicut sunt pisces ; ventos volantes, sicut sunt aves ; ignes quadrupedes*, etc.

xit ? quis numerum, qualitates, formas, vitam dedit ? Hæc enim omnia per se ipsa bona sunt, nec invenitur unde cuique naturæ nisi ab omnium bonorum Deo auctore tribuantur. Non enim sicut chaos describere, vel quoquo modo insinuare etiam poetæ solent, informem quamdam materiem sine specie, sine qualitate, sine mensura, sine numero et pondere, sine ordine ac distinctione, confusum nescio quid, atque omnino expers omni qualitate ; unde illud quidam doctores græci ἄποιον vocant : non ergo sic isti hanc quam vocant terram tenebrarum insinuare conantur : sed omnino aliter longeque diverse atque contrarie latus lateri adjungunt atque colliniant [1] : naturas quinque numerant, distinguunt, ordinant, qualitatibus propriis enuntiant ; nec eas desertas ac infecundas esse permittunt, sed suis inhabitatoribus complent : eisque ipsis formas congruas et suis habitationibus accommodatas attribuunt, et, quod antecellit omnibus, vitam. Hæc tanta bona enumerare, et ab auctore omnium bonorum Deo aliena esse dicere, hoc est nec in rebus agnoscere tantum ordinis bonum, nec in se tantum erroris malum.

CAPUT XXX. — 33. *Quam multa bona in iis naturis, quas ponit Manichæus in terra tenebrarum.* — *Sed ista*, inquit, *genera quinque illas naturas inhabitantia, sæva erant atque pestifera.* Quasi ego in eis sævitiam pestemque laudaverim. Ecce ego tecum vitupero quæ in illis mala esse criminaris : lauda tu mecum quæ in illis bona ipse commemoras : ita videbis bona malis permixta te velle constituere pro summo et extremo malo. Vitupero ibi tecum pestem : lauda ibi mecum salutem. Non enim genera illa vel gigni, vel nutriri, vel inhabitare terram illam sine salute aliqua potuissent. Vitupero ibi tecum tenebras : lauda ibi mecum fecunditatem. Tenebras enim dicis *inæstimabiles* ; et addis tamen, *cum propriis fetibus.* Quanquam tenebræ non sunt corporeæ ; totumque hoc nomen lucis absentia est : sicut nuditas, carere vestitu ; et inanitas, vacare corporis plenitudine : ac propterea tenebræ nihil gignere potuerunt, quamvis terra potuerit tenebrosa, id est, carens luce, aliquid gignere. Sed interim hoc omittamus : fetus tamen ubi exoriuntur, et temperamentum est aptum saluti [2], et quædam concordia numerosa ordinat atque in unitatem coædificat membra nascentium, sibimet invicem moderationis pace congruentia. Quæ omnia quis non intelligat majori laude, quam tenebras vituperatione dignanda ? Vitupero ibi tecum cœnum turbidum aquarum : lauda ibi mecum et ipsam speciem qualitatemque aquarum, et inhabitatorum natantium membra congruentia, vitam corpus continentem et regentem, et omne temperamentum sui generis valetudini accommodatum. Quantumvis enim aquas cœnosas turbidasque reprehendas, eo tamen quod talos aquas dicis, ut animantia sua possent et gignere et continere, speciem illius qualiscumque corporis et partium similitudinem, qua in unam formantur pacanturque qualitatem, auferre non potes ; quia si abstuleris, nullum erit corpus : quæ omnia, si es homo, sentis esse laudanda. Et quantumvis illorum inhabitatorum sævitiam, et inter impetus dilacerationes et vastationes exaggeres, non eis tamen adimis numerosos formarum terminos, quibus sibi singula eorum corpora membrorum paritate pacata sunt, et temperamentum salutis, et moderamen animæ [1] partes sui corporis in unitatem amicitiæ concordiæque redigentis : quæ si humano sensu intueris, vides plus esse laudanda quam illa vituperanda quæ displicent. Vitupero ibi tecum horrorem ventorum : lauda ibi mecum eorumdem ventorum spirabilem nutricemque naturam, et speciem corporis convenientia partium continuati atque diffusi : quibus rebus omnibus illos inhabitatores suos poterant et gignere, et alere, et salubriter continere ; eorumque inhabitatorum, cum cætera quæ in omnibus animantibus superiori ratione laudata sunt, tum proprie impigros et faciles unde velint et quo velint transitus, et alarum in volatu concordem nisum et non imparem motum. Vitupero ibi tecum corruptionem ignis : lauda ibi mecum genitabilem ignem [2], et vigentem opportunamque ejus temperationem nascentibus, et ut coalescerent, et ut suis numeris lineamentisque perficerentur, et ut vivere atque habitare ibi possent : quæ omnia non solum in ignis habitatione, sed in ipsis quoque habitantibus miranda et laudanda esse cognoscis. Vitupero ibi tecum obscuritatem fumi, et immanitatem principis qui in eo, sicut dicis, morabatur : lauda ibi mecum quod vel in ipso fumo nullam partem invenis dissimilem cæteris ; ex quo in genere suo partium inter se suarum congruentiam modumque custodit, ut quadam unitate sit quod est : quæ nemo sobrie considerat, et non mirabiliter laudat. Quid, quod etiam fumo addis vim potentiamque generandi, quando eidem quoque inhabitatores principes tribuis : ut quod hic nunquam vidimus, ibi fumus fecundus sit, et salubrem suis habitatoribus præbeat mansionem ?

CAPUT XXXI. — 34. *De eodem argumento.* Quod etiam in ipso fumi principe immanitatem solam advertisti quam vituperares, nonne debuisti attendere cætera quæ te in ejus naturæ laudem cogerent ? Habebat enim animam et corpus ; illam vivificantem, hoc vita inspiratum : cum illa regeret, hoc obtemperaret ; illa præiret, hoc subsequeretur ; illa contineret, hoc non defluceret ; illa moveret in numeros, hoc numerosa membrorum compagine constabiliretur. Nonne te ad laudem movet in hoc uno principe, vel pax ordinata, vel ordo pacatus ? Quod autem de uno dictum est, hoc de cæteris intelligi licet. Sed enim erat in alios ferus et immanis ? Non hoc laudo, sed tanta illa quæ non vis attendere. Quæ si vel admonitus intuetur at-

[1] Am., *colliniunt*. Er. et Lov., *collinunt*. At Mss. habent, *colliniant* ; seu quod idem est, *conliniunt*. Forte pro, *colliveant*.

[2] In ante excusis, *fœdus aptum saluti et quædam*, etc. Reddite ratur locus auxilio Ms. Sorbonici et antiquissimi Corbeiensis.

[1] Ita codex Corbeiensis. Editi vero, *moderamen formæ*.

[2] Editi, *genitalem ignem*.

que considerat, quisquis Manichæo temere credidit, sine dubitatione cognoscit, cum de istis naturis loquitur, de bonis quibusdam se loqui, sed non summis et infabricatis, sicut est Deus una Trinitas, neque de his fabricatis quæ sublimiter ordinata sunt, sicuti sunt Angeli sancti et beatissimæ potestates : sed de infimis et pro sui generis modulo in imo rerum ordinatis bonis ; quæ dum comparantur superioribus, vituperandæ ab imperitis existimantur ; et dum consideratur quantum his desit boni, quod illis adest, ejusdem boni absentia mali nomen tenet. Et ego quidem propterea sic de istis naturis disputo, quoniam ea nominantur quæ in hoc mundo nota sunt nobis. Novimus enim tenebras, aquas, ventos, ignem, fumum ; novimus etiam animalia serpentia, natantia, volantia, quadrupedia, bipedia : in quibus omnibus, exceptis tenebris, quæ, ut dixi, nihil sunt aliud quam lucis absentia, quæ oculis non videndo discernuntur, sicut silentium auribus non audiendo ; non quia tenebræ sunt aliquid, sed quia lux non est ; sicut non quia silentium est aliquid, sed quia sonus non est : exceptis ergo tenebris in hac enumeratione, cæteræ naturæ sunt, et omnibus notæ ; quarum speciem, quia in quantumcumque est, laudabilis et bona est, nemo prudens abalienat ab auctore omnium bonorum Deo.

CAPUT XXXII. — 35. *Manichæus ex iis quæ hic vidit, ordinavit sua phantasmata.* Nam ille Manichæus, sicut voluit naturas quas hic didicit [1] ordinare in phantasmatibus suis, velut in gente tenebrarum, omnino falsus esse convincitur. Primo, quia tenebræ nihil possunt gignere, ut dictum est. Sed non tales, inquit, erant illæ tenebræ, quales hic nosti. Unde ergo me de illis doces ? An forte tam verbosus doctrinæ pollicitator cogis ut credam ? Sed fac me credere. Illud tamen scio, quod si non habebant aliquam speciem [2], sicut istæ non habent, nihil generare potuerunt : si autem habebant, meliores erant. Tu autem cum dicis non fuisse tales, quasi pejores aliquas credi cupis. Posses dicere etiam silentium, quod sic est auribus ut tenebræ oculis, aliqua ibi surda vel muta animalia genuisse : ut cum tibi diceretur non esse aliquam naturam silentium, responderes, Sed non tale silentium, quale hic nosti ; ut omnino quod velles diceres eis quos semel, ut tibi crederent, decepisses. Quanquam id quod eum induxit, ut in tenebris serpentia nata esse confingeret, in ipsis quidem primordiis nascentium potuit bene animadverti. Sed sunt serpentes qui tam acute vident, et sic præsentia lucis exsultant, ut gravissimum testimonium contra eum dicere videantur. Deinde in aquis natantia facile fuit hic discere, et ad illa transferre phantasmata ; sic et in ventis volantia, quoniam hujus crassioris aeris impulsus in quo aves volitant, ventus dicitur : in igne vero quadrupedia unde illi fingere in mentem venerit nescio. Et tamen non frustra hoc dixit, sed parum attendit, et erravit nimis. Hanc enim rationem solent reddere, quod quadrupedes edaces sint, et in concubitum multum ferveant. Sed multi homines edacitate sua superant quemlibet quadrupedem, qui certe bipedes sunt, quos non ignis, sed fumi esse filios dicit. Anseribus vero non facile quidquam edacius invenitur : quos sive in fumo ponat, quia bipedes sunt ; sive in aquis, quia natare amant ; sive in ventis, quia pennati sunt, et interdum volant : ad ignem certe secundum ejus distinctionem non pertinent. Quod autem attinet ad fervorem concubitus, credo eum animadvertisse hinnientes equos, et sæpe morsis frenis raptos in feminas : quod animadversum dum vult cito scribere, non attendit passerem parietinum, in cujus comparatione quivis admissarius frigidissimus invenitur. Bipedes vero in fumo cum ab eis quæritur quare ordinaverit, respondent elatum et superbum esse bipedum genus : hinc enim homines originem trahere dicunt : et quoniam fumus globosus et quasi tumidus in auras erigitur, superbis esse similem non absurde attenderunt. Quæ animadversio sufficere debuit ad aliquam similitudinem dandam de superbis hominibus, sive allegoriam vel formandam vel intelligendam : non tamen ut ideo bipedes animantes in fumo et de fumo nati esse credantur. Nam et in pulvere nasci debuerunt, quia sæpe non minore ambitu et elatione surgit in cœlum ; et in nebulis, quia plerumque de terra ita exhalantur, ut longe intuentibus incertum etiam faciant, fumusne an nebulæ sint. Postremo, cur in aquis et ventis de habitandi patientia ad habitatores ductum est argumentum, quia videmus et natantia in aquis, et volantia in ventis vivere : ignis vero et fumus non deterruit hominem mentientem, ut puderet eum tales ibi habitatores constituere, quibus nihil constitueretur absurdius ? Nam quadrupedem ignis incendit atque corrumpit, et bipedes fumus offocat atque necat. Vel hic certe cogitur fateri, se meliores dicere in gente tenebrarum istas fuisse naturas, ubi vult omnia pejora credi. Siquidem ibi gignebat ignis quadrupedem et nutriebat, et continebat innoxie vel etiam commodissime. Similiter et fumus bipedes suos clementissimo sinu editos, non solum sine molestia, sed vitaliter atque indulgenter usque in illum principatum educaverat [1] et continebat. Ita ostenduntur ista mendacia, animadversione rerum quæ videntur in mundo, sed minus diligenti minusque solerti carnali sensu concepta, et phantasmatibus parturita, et temeritate edita atque conscripta hæreticorum numerum auxisse.

CAPUT XXXIII. — 36. *Natura omnis, ut natura est, bona est.* Sed illo genere magis urgendi sunt, ut intelligant, si possunt, quam vere in Catholica dicatur, omnium naturarum esse auctorem Deum : quo de genere [2] superius agebam, cum dicerem, Vitupero tecum pestem, cæcitatem, cœnositatem turbidam, horribilem vehementiam, corruptibilitatem, immanitatem principum, et his similia : lauda tu mecum speciem, distinctionem, ordinationem, pacem, unitatem [3]

[1] Editi vulgo, *quas hic dicit.* Et post viginti quatuor versus, *facile fuit hic dicere, et ad illa transire phantasmata.* Castigantur ex Mss.
[2] Ita Mss. Editi vero, *faciem.*

[1] Sic Mss. At editio Lov., *usque ad illum principatum educabat.*
[2] Editio Am. et Mss., *quo genere ;* omisso *de.*
[3] Verbum, *unitatem*, hic non habent Mss.

formarum, membrorum congruentias et numerosas paritates, vitalia spiramenta et nutrimenta, temperamentum salutis, regimen et moderamen animæ, famulatusque corporum, similitudinem concordiamque partium in singulis naturis vel quæ habitabant, vel quæ habitabantur, et cætera hujusmodi. Sic enim intelligunt, si tamen sine pertinacia velint attendere, jam et bona et mala se miscere, cum loquuntur de illa terra, ubi solum et summum malum fuisse crediderunt : itaque si tollantur illa quæ mala enumerata sunt, bona illa quæ laudata sunt sine ulla vituperatione remanere ; si autem bona ipsa tollantur, nullam remanere naturam. Ex quo jam videt qui potest videre, omnem naturam, in quantum natura est, bonum esse : quia ex una eademque re, in qua et ego quod laudarem, et ille quod vituperaret invenit, si tollantur ea quæ bona sunt, natura nulla erit ; si autem tollantur ea quæ displicent, incorrupta natura remanebit. Tolle de aquis ut non sint cœnosæ et turbidæ, remanent aquæ puræ atque tranquillæ : tolle de aquis partium concordiam, non erunt aquæ. Si ergo [1] malo illo adempto manet natura purgatior, bono autem detracto non manet ulla natura : hoc ibi facit naturam quod bonum habet ; quod autem malum, non natura, sed contra naturam est. Tolle de ventis horrorem et nimium impetum qui tibi displicet, potes cogitare ventos lenes atque moderatos : tolle de ventis partium similitudinem, qua eorum corpus in unitatem continuatur et sibi pacatur ut corpus sit, nulla suberit natura quam cogites. Longum est persequi cætera : sed manifestum est eis qui nullo studio partium judicant, cum istæ naturæ commemorantur, adjungi eis quædam quibus displiceant ; quæ cum detrahimus, naturæ meliores manent. Unde intelligitur eas, in quantum naturæ sunt, bonas esse : quia cum eis vicissim omne quod bonum habent detraxeris, naturæ nullæ erunt. Animadvertite etiam, qui recte vultis judicare, illum quoque principem immanem ; cui si auferatur immanitas, attendite quanta laudabilia remanebunt : compago corporis, membrorum hinc atque inde congruentia, formæ unitas, et pax contextarum inter se partium, animæ regentis et vegetantis, famulantisque et vegetati corporis ordo et dispositio. Quæ omnia bona si auferantur, et si qua forte minus enumeravi, nulla prorsus natura subsistet.

CAPUT XXXIV. — 37. *Natura nunquam sine aliquo bono. Sola mala considerant Manichæi.* Sed fortasse dicatis, illa mala de talibus naturis non posse auferri, et ideo naturalia debere accipi. Non nunc quæritur quid possit vel non possit auferri : sed certe non parvum lumen est ad intelligendum, omnes naturas, in quantum naturæ sunt, bonas esse, quod sine illis malis cogitari bona illa possunt, sine bonis autem illis nulla natura cogitari potest. Nam sine turbatione cœni possum aquas cogitare : sine pace autem continuatarum partium, nulla species corporis animo occurrit, aut ullo modo sentiri potest ; ac per hoc nec illæ aquæ cœnosæ sine isto bono esse potuerunt, quo bono fiebat ut aliqua natura corporea posset esse. Nam quod dicitis, quod illa mala de naturis talibus non possunt auferri ; respondetur, quod et illa bona de naturis talibus non possunt auferri. Cur ergo istas res propter mala quæ auferri non posse arbitramini, mala naturalia vocare vultis ; propter ea bona vero quæ auferri non posse convincimini, bona naturalia vocare non vultis ?

38. Restat ut quæratis (nam ipsa solet esse vox ultima) unde sint illa mala, quæ mihi quoque displicere dicebam. Respondebo fortasse, si vos prius dixeritis unde sint illa bona, quæ vos quoque laudare cogimini, si absurdissimi cordis esse non vultis. Sed quid ego istud quæram, cum utrique fateamur, omnia quæcumque et quantacumque bona sunt, ab uno Deo esse, qui summe bonus est ? Resistite ergo vos ipsi Manichæo, qui tot et tanta bona quæ commemoravimus justeque laudavimus, pacem concordiamque partium in unaquaque natura, salutem valentiamque animantium, et cætera quæ repetere jam piget, ita in terra commentitia tenebrarum esse arbitratus est, ut ab illo Deo quem bonorum omnium fatetur auctorem, alienare conaretur. Non enim ea bona vidit, dum hoc solum attendit quod displiceret : tanquam si quispiam leonis fremitu exterritus, et cum intuens trahentem ac dilaniantem pecorum aut hominum corpora quæcumque apprehendisset, puerili quadam infirmitate animi tanto timore percelleretur, ut solam feritatem leonis intuens atque sævitiam, cætera ejus negligens omnino atque præteriens, naturam illius animantis, non tantum malum, sed magnum malum esse clamaret, tanto scilicet exaggeratius, quanto timidius. At si edomita feritate duci leonem mansuetum videret [1], præsertim si nunquam antea fuisset de illa bestia territus, tunc vacaret securo atque intrepido leonis pulchritudinem considerare atque laudare. De quo ego nihil dicam, nisi quod ad rem maxime pertinet, fieri posse ut aliqua natura offendat ex aliquo, et in totam [2] nascatur odium : cum manifestum sit multo meliorem esse speciem veræ ac vivæ bestiæ, etiam cum terret in silvis, quam imitatæ atque simulatæ cum in pariete picta laudatur. Hoc ergo errore ille nos non decipiat, nec cæcos faciat ad considerandas naturarum species, cum quædam in eis ita reprehendit, ut omni ex parte cogat displicere, quod omni ex parte reprehendere non potest : atque hoc modo animum ad æquum judicium componentes, quæramus jam unde sint cum illis bonis mala, quæ me quoque improbare [3] dicebam. Quod facilius videbimus, si in unum nomen potuerimus cuncta conferre.

CAPUT XXXV. — 39. *Malum nihil aliud quam corruptio : ipsa autem corruptio non natura est, sed contra naturam. Ubicumque corruptio, ibi bonum fuit.* Quis

[1] In editis, *sic ergo*. At in Mss, *si ergo*.

[1] Ita veteres libri. Editi vero : *et si edomita feritate dulcem leonem mansuetumque videret*.

[2] Editi vulgo, *in totum*. Emendantur ex Mss.

[3] Editi *imo obaturum*. At Mss., *improbare*.

enim dubitet totum illud quod dicitur malum, nihil esse aliud quam corruptionem? Possunt quidem aliis atque aliis vocabulis alia atque alia mala nominari : sed quod omnium rerum malum sit, in quibus mali aliquid animadverti potest, corruptio est. Sed corruptio peritæ animæ, imperitia vocatur; corruptio prudentis, imprudentia; corruptio justæ, injustitia; corruptio fortis, ignavia; corruptio quietæ atque tranquillæ, cupiditas, vel metus, vel tristitia, vel jactantia. Deinde in corpore animato corruptio sanitatis, dolor et morbus; corruptio virium, lassitudo; corruptio quietis, labor. Deinde in ipso solo corpore corruptio pulchritudinis, fœditas; corruptio rectitudinis, pravitas; corruptio ordinis, perversitas; corruptio integritatis, discissio, aut fractura, aut diminutio. Longum est et difficile et harum rerum quas commemoravi, et aliarum innumerabilium omnes corruptiones nominatim enuntiare; cum etiam multæ quæ dicuntur in corpore, possint et in anima dici, et innumerabilia sint in quibus propria vocabula corruptio teneat. Verumtamen videre jam facile est nihil nocere corruptionem, nisi quod labefacit naturalem statum; et ideo eam non esse naturam, sed contra naturam. Quod si non invenitur in rebus malum nisi corruptio, et corruptio non est natura; nulla utique natura malum est.

40. Sed si hoc forte intelligere non valetis, illud attendite, quod omne quod corrumpitur, bono aliquo minuitur : quia si non corrumperetur, incorruptum esset; si vero etiam non posset omnino corrumpi, incorruptibile esset. Necesse est autem ut sive incorruptio sive incorruptibilitas bonum sit, si malum est corruptio. Sed nunc de natura incorruptibili nulla quæstio est : de his agitur quæ possunt corrumpi, quæ dum non corrumpuntur, incorrupta dici possunt, incorruptibilia non possunt. Illud enim solum incorruptibile proprie dicitur, quod non tantum non corrumpitur, sed etiam nulla ex parte corrumpi potest. Incorrupta ergo quæcumque sunt et tamen corrumpi possunt, cum corrumpi cœperint, eo ipso bono minuuntur quo incorrupta erant; et magno quidem bono, quia magnum malum est corruptio : et quamdiu in eis augeri corruptio potest, tamdiu habent bonum quo minuantur. Quapropter naturæ illæ quas in tenebrarum terra fuisse confingit, aut poterant corrumpi, aut non poterant. Si non poterant, incorruptibiles erant, quo bono superius nihil est. Si poterant, aut corrumpebantur, aut non corrumpebantur : si non corrumpebantur, incorruptæ erant, quod videmus sine magna laude dici non posse : si autem corrumpebantur, minuebantur illo tam magno bono; si minuebantur bono, habebant bonum quo minuerentur; quod si habebant bonum, non erant naturæ illæ summum malum, et omnis Manichæi fabula falsa est.

CAPUT XXXVI. — 41. *Unde malum, sive corruptio boni.* Sed quoniam quæsivimus quid esset malum, neque hoc naturam, sed contra naturam esse cognovimus; consequenter quærendum est unde sit : quod ille si fecisset, minus fortasse in has tanti erroris angustias laberetur. Præpropere quippe ac præposterе quæsivit unde esset, quod primo non quæsierat quid esset : et ideo nullo modo potuerunt quærenti occurrere nisi vana phantasmata, quibus difficile animus carnalibus sensibus multum pastus exuitur. Dicet ergo aliquis, non jam certare, sed non errare desiderans : Unde est ista corruptio, quod quasi generale malum rerum bonarum, sed tamen corruptibilium esse comperimus? Qui talis quærit, cito invenit magno ardore verum petens, et constanti perseverantia pie pulsans. Per homines enim commemoratio aliqua signis verborum fieri potest : docet autem unus verus Magister ipsa incorruptibilis Veritas, solus Magister interior : qui etiam exterior factus est, ut nos ab exterioribus ad interiora revocaret; et formam servi accipiens, ut ejus sublimitas[1] surgentibus innotesceret, jacentibus humilis apparere dignatus est. In ejus nomine supplices simus, et per eum misericordiam Patris implorantes ista quæramus. Primo enim brevissime responderi potest quærentibus unde corruptio est, cum dicitur, Ex eo quod hæ naturæ quæ corrumpi possunt, non de Deo genitæ, sed ab eo de nihilo factæ sunt : quas quoniam bonas ratio superior demonstravit, nemo potest recte dicere, Non fecisset Deus bona. Si autem dixerit, Summe bona fecisset[2], oportet intelligat summum bonum ipsum esse, qui fecit hæc bona.

CAPUT XXXVII. — 42. *Solus Deus summe bonus.* Quid mali, inquis, fieret, si et ista fierent summe bona? Et tamen si quis ex nobis quæreret, accepto et credito Deo Patre summo bono, si esset aliud summe bonum, unde esse nobis pie videretur, nullo modo recte responderemus, nisi de Deo Patre qui summe bonus est. Quod ergo de illo est, meminerimus natum de illo esse, non ab eo factum de nihilo, et ideo et hoc summe, id est, incorruptibiliter bonum esse : videmusque injuste flagitari ut tam summe bona sint quæ fecit de nihilo, quam summe bonus est quem de se genuit : quem nisi unum genuisset, non id quod ipse est genuisset, quia ipse unus est. Quapropter unico quidem Filio, per quem facta sunt a Patre omnia bona de nihilo, imperite atque impie fratres quæruntur[3], nisi ex eo quod in homine apparere dignatus est. Nam ideo et unigenitus in Scripturis et primogenitus dicitur : unigenitus a Patre, primogenitus ex mortuis. *Et vidimus*, inquit, *gloriam ejus tanquam unigeniti a Patre, pleni*[4] *gratia et veritate* (*Joan.* I, 14, 18) : et Paulus dicit. *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII, 29).

43. Quod si dixerimus, Non jam essent ista bona quæ de nihilo facta sunt, sed tantummodo Dei natura esset[5]; invidebimus tantis bonis; et vox impia est,

[1] Sola editio Lov., *subtilitas*. Minus bene.

[2] Editi, *nemo potest recte dicere non Deum bona fecisse. Si autem dixerit summe bona fecisse*, etc. Castigantur auctoritate veterum manuscriptorum.

[3] Lov.: *Quapropter de unico quidem Filio, ... impie fratres quæruntur.* Male.

[4] Sic Mss. At editi, *plenum*.

[5] Sic Mss. Editi autem minus recte ferebant : *Non jam esse ista bona, quæ de nihilo facta sunt sed tantummodo Dei naturam bonam esse.*

injuriam putare non hoc esse quod Deus est, et ideo nolle esse aliquod bonum, quoniam ei præponitur Deus. Quæso, patere, natura animæ rationalis, aliquanto minus te esse quam Deus est, et tanto minus, ut post ipsum te melius aliquid non sit. Patere, inquam, et mitesce illi; ne te adhuc repellat in infima, ubi per angustias pœnales etiam atque etiam bonum quod es vilescat tibi. Superba es in Deum, si indignaris quod te antecedit; et nimis contumeliose de illo sentis, si non ineffabiliter gratularis tam magnum bonum esse te, ut solus sit ille præstantior. Quo constituto atque firmato, illud ne dixeris [1]: Me solam naturam Deus facere debuit; nollem ut post me aliquid boni fieret. Non enim quod bonum est post Deum, jam debuit esse novissimum. Et hinc maxime apparet quantam tibi tribuerit dignitatem, quod Deus qui solus tibi naturaliter dominatur, fecit alia bona quibus tu quoque dominareris. Nec mireris quod nunc tibi non omni modo serviunt, et te aliquando etiam cruciant: quia Dominus tuus majorem potestatem habet in ea quæ tibi serviunt, quam tu in ipsa [2], tanquam in servos servorum suorum. Quid ergo mirum si tibi peccanti, id est non obtemperanti Domino tuo, pœnalia quibus dominabaris effecta sunt? Quid enim tam justum, et quid justius Deo? Hoc namque humana natura in Adam meruit, de quo nunc non est disputandi locus: sed tamen dominator justus et justis præmiis et justis suppliciis approbatur, beatitate recte viventium pœnaque peccantium. Nec tamen sine misericordia derelicta es, quæ certis rerum temporumque mensuris vocaris ut redeas. Ita recto moderamine altissimi Conditoris usque [3] ad bona terrena perventum est, quæ corrumpuntur et reformantur, ut haberes supplicio mixta solatia; ut et laudares Deum delectata ordine bonorum, et refugeres in eum exercitata experimentis malorum. Ita in quantum tibi terrena serviunt, docent te esse dominam suam; in quantum autem molesta sunt, docent ut servias Domino tuo.

CAPUT XXXVIII. — 44. *Natura a Deo, corruptio ex nihilo.* Quapropter quamvis sit malum corruptio, et quamvis non sit a Conditore naturarum, sed ex eo sit, quod de nihilo factæ sunt: tamen etiam ipsa illo regente et gubernante omnia quæ fecit, sic ordinata est, ut non noceat, nisi naturis infimis ad supplicium damnatorum, et exercitationem admonitionemque redeuntium, ut inhæreant Deo incorruptibili, maneantque incorrupti, quod unum est bonum nostrum; sicut per prophetam dicitur, *Mihi autem inhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28). Neque illud dixeris: Non faceret Deus naturas corruptibiles. In quantum enim naturæ sunt, Deus fecit: in quantum autem corruptibiles, non Deus fecit; non enim est ab illo corruptio, qui solus est incorruptibilis. Si hæc capis, gratias age Deo: si non capis, quiesce, et noli temere nondum intellecta damnare; supplexque illi qui lumen est mentis [1], attende ut intelligas. Cum enim dicitur, natura corruptibilis; non unum, sed duo nomina dicuntur. Item cum dicitur, Deus fecit de nihilo; non unum, sed duo nomina audimus. Redde ergo istis singulis illa singula, ut cum audis naturam, ad Deum pertineat; cum audis corruptibilem, ad nihilum: ita tamen ut ipsæ corruptiones, quamvis non sint ex Dei arte, in ejus tamen potestate sint disponendæ, pro rerum ordine et meritis animarum. Ideo recte dicimus ab illo esse præmium atque supplicium. Ita enim non [2] fecit corruptionem, ut possit corruptioni eum dare qui corrumpi meruerit, id est, qui se ipse cœperit peccando corrumpere, ut cruciantem sentiat corruptionem invitus, qui blandientem commisit volens [3].

CAPUT XXXIX. — 45. *Mala quomodo sint a Deo.* Non enim in Vetere Testamento tantum scriptum est, *Ego facio bona, et condo mala* (*Isai.* XLV, 7): sed evidentius in Novo, ubi Dominus dicit, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, et amplius non habent quid faciant; sed eum timete, qui cum corpus occiderit, habet potestatem animam mittere in gehennam* (*Matth.* X, 28, *et Luc.* XII, 4). Voluntariæ autem corruptioni addi judicio divino pœnalem corruptionem, manifestissime apostolus Paulus attestatur, cum dicit: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: quisquis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus* (1 *Cor.* III, 17). Quod si in vetere Lege dictum esset, quibus invectionibus isti impetum faecrent accusantes quasi corruptorem Deum! Quod verbum metuentes multi latini interpretes, noluerunt dicere, *corrumpet;* sed dixerunt, *disperdet illum Deus:* et non deviantes a re ipsa, offensionem vocabuli devitarunt. Quanquam isti non minus inhærerentur in perditorem Deum, si hoc in Lege vetere aut Prophetis invenirent. Sed græcis exemplaribus convincuntur, in quibus apertissime scriptum est, *Quisquis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus.* Quod si quis ab eis quærat, quomodo dictum sit: ne corruptor putetur Deus, exponunt statim, *corrumpet* dictum esse, corruptioni tradet; vel si quo alio modo possunt. Quo animo si essent in veterem Legem, et multa ibi miranda intelligerent, et nondum intellecta non cum odio lacerarent, sed cum honore differrent [4].

CAPUT XL. — 46. *Corruptio tendit ad non esse.* Si quis autem non credit ex nihilo esse corruptionem, proponat sibi hæc duo, esse et non esse, quasi ex diversis partibus; intelligendi gratia, ut cum tardis tardius ambulemus: deinde velut in medio constituat aliquid, ut puta corpus animantis, et quærat hoc secum, dum formatur illud corpus et nascitur, dum augetur ejus species, nutritur, convalescit, robora-

[1] Editi hic addunt, *o anima humana;* quod a Mss. abest.
[2] In Mss. deest, *in;* ut vox, *ipsa,* rationalem animam rejiciat.
[3] Sic Mss. At editi, *quousque.*

[1] Ita Mss. Editi autem, *qui lumen mentis accendit.*
[2] In editis male hic omissa erat particula negans.
[3] Editi, *blandientem illicita oblectatione concupiscentiam commisit volens.* Expunximus hæc verba, *illicita oblectatione concupiscentiam,* quæ absunt a manuscriptis.
[4] Editi, *deferrent.* Verius Mss., *differrent.*

tur, decoratur, firmatur, in quantum manet, et in quantum stabilitur, in quam partem tendat, utrum ad esse, an non esse : non dubitabit esse quidem aliquid in ipsis etiam primordiis; sed quanto magis forma et specie et valentia constabilitur atque firmatur, tanto magis fieri ut sit, et in eam partem tendat qua positum est esse. Nunc ergo incipiat corrumpi; debilietur omnis ille status, languescant vires, marcescat robur, forma fœdetur, dissiliat compago membrorum, contabescat et defluat concordia partium : quærat etiam nunc per istam corruptionem quo tendat, utrum ad esse, an non esse : non puto usque adeo cæcum et tardum, ut dubitet quid sibi ipse respondeat, et non sentiat quanto magis quodque corrumpitur, tanto magis ad interitum tendere. Omne autem quod ad interitum tendit, ad non esse tendit. Cum ergo Deum incommutabiliter et incorruptibiliter esse credendum sit, id autem quod dicitur nihil, penitus non esse manifestum sit : et cum ista tibi proposueris esse et non esse, atque cognoveris quanto magis augetur species, tanto quidque tendere ut sit; quanto magis augetur corruptio, tanto magis tendere ut non sit : quid dubitas dicere in unaquaque natura corruptibili quid in ea sit ex Deo, quid sit ex nihilo; cum species secundum naturam sit, corruptio contra naturam? Quia species aucta cogit esse, et Deum fatemur summe esse : corruptio vero aucta cogit non esse, et constat quod non est, nihil esse. Quid, inquam, dubitas dicere, in natura corruptibili, quam et naturam dicis, et corruptibilem dicis, quid sit ex Deo, quid ex nihilo? Et quid quæris Deo naturam contrariam, quem si confiteris summe esse, vides ei non esse contrarium?

CAPUT XLI. — 47. *Corruptio permissu Dei a nobis est.* Cur ergo, inquis, quod naturæ Deus dedit, tollit corruptio? Non tollit, nisi ubi permittit Deus : ibi autem permittit, ubi ordinatissimum et justissimum judicat, pro rerum gradibus et pro meritis animarum. Nam et species vocis emissæ præterit, et silentio perimitur; et tamen sermo noster ex prætereuntium verborum decessione ac successione peragitur, et moderatis silentiorum intervallis decenter suaviterque distinguitur : ita sese habet etiam temporalium naturarum infima pulchritudo, ut rerum transitu peragatur, et distinguatur morte nascentium. Cujus pulchritudinis ordinem et modos si posset capere sensus noster atque memoria, ita nobis placeret, ut defectus quibus distinguitur, nec corruptiones vocare auderemus. Quod autem in ejus pulchritudinis parte laboramus, cum nos fluentia deserunt temporalia quæ diligimus, et peccatorum pœnas luimus, et sempiterna diligere commonemur.

CAPUT XLII. — 48. *Hortatur ad summum bonum.* Non ergo in hac pulchritudine quæramus quod non accepit; quæ ideo infima est, quia quod quærimus, non accepit : et in eo quod accepit, laudemus Deum, quia tantum speciei bonum etiam huic quamvis infimæ dedit. Nec ei tamen ut amatores ejus inhæreamus : sed ut Dei laudatores eam transgrediamur, ut supra eam collocati de illa judicemus, non ei connexi in illa judicemur. Festinemusque ad illud bonum, quod nec locis grassatur [1], nec tempore volvitur, et unde speciem formamque accipiunt omnes locales temporalesque naturæ. Ad quod videndum mundemus cor per fidem Domini nostri Jesu Christi, qui ait : *Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Non enim eos oculos ad illud bonum cernendum præparari oportet, quibus cernitur lux ista diffusa per locos, et non ubique integra, sed aliam partem hic habens, et alibi aliam. Verum illum aspectum aciemque purgemus, qua cernitur, quantum in hac vita licet, quid sit justum, quid pium, quæ sit sapientiæ pulchritudo : quæ quisquis cernit, præponit longe omnium localium spatiorum plenitudini; et sentit, ut ista cernat, non per locorum spatia diffundi aciem mentis suæ, sed incorporea potentia stabiliri.

CAPUT XLIII. — 49. *Conclusio.* Cui aspectui quoniam multum inimica sunt phantasmata, quæ de carnali sensu tracta imaginarie cogitatio nostra versat et continet, detestemur istam hæresim, quæ suorum phantasmatum fidem secuta, et divinam substantiam per locorum spatia, quamvis infinita, velut informem molem disjecit atque diffudit, et eam ex una parte truncavit, ut inveniret locum malo; quod videre non potuit non esse naturam, sed contra naturam : et ipsum malum tanta specie et formis et pace partium in singulis naturis vigente decoravit, quia sine his bonis nullam poterat cogitare naturam, ut ea mala quæ ibi reprehendit, innumerabilium bonorum copia sepeliantur. Sed hujus voluminis iste sit terminus : in cæteris cætera ejus deliramenta Deo permittente atque adjuvante arguentur.

[1] Nonnulli Mss., *crassatur*.

IN SUBSEQUENS OPUS,

Vide lib. 2, *cap.* 7, Retractationum, *t.* 1, *col.* 632, *a verbis n.* 1, Contra Faustum Manichæum..... scripsi grande opus (*a*), *usque ad col.* 633, *n.* 3, *verbis*, Faustus quidam fuit. M.

(*a*) Istud opus suum Augustinus una cum epistola 82 misit ad Hieronymum : qua in epistola, cap. 2, n. 17, testatur se id Veneris dictasse diu ante acceptam ab Hieronymo epistolam ordine 75, quæ illi reddi ante annum 405 non potuit. Locum vero in Retractationum serie medium inter Confessionum libros in primo tomo editos, et libros de Actis cum Felice manichæo hic postea secuturos, assignat eidem operi; quod proinde ad annum circiter 400 referri debet. Frequenter illud citat in libris de Civitate Dei 15 et 16; in Quæstionibus suis in Genesim, quæst. 26, et in Exodum, quæst. 2; in libro secundo contra Adversarium Legis et Prophetarum, cap. 12; in libro primo de Consensu Evangelistarum, cap. 5, et in libro de Bono Viduitatis, cap. 15. De eo Cassiodorus in Institut. divinar. litter. cap. 1 : *Scripsit etiam Augustinus* (inquit) *contra Faustum manichæum triginta tres libros, ubi et ejus nequissimam prævitatem manifesta ratione convicit, et de libro Geneseos verum mirabiliter disseruit.*

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA FAUSTUM MANICHÆUM

Libri triginta tres [a]

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus quidam fuit, gente Afer, civitate Milevitanus, eloquio suavis, ingenio callidus, secta manichæus, ac per hoc nefando errore perversus. Noveram ipse hominem, quemadmodum eum commemoravi in libris Confessionum mearum (*Lib.* 5, *capp.* 3, 6). Hic quoddam volumen edidit adversus rectam christianam [1] fidem, et catholicam veritatem. Quod cum venisset in manus nostras, lectumque esset a fratribus; desideraverunt, et jure charitatis per quam eis servimus flagitaverunt, ut ei responderemus. Hoc aggrediar nunc in nomine atque adjutorio Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, ut omnes qui hæc legent, intelligant quam nihil sit acutum ingenium et lingua expolita, nisi a Domino gressus hominis dirigantur (*Psal.* XXXVI, 23). Quod multis etiam tardioribus et invalidioribus occulta æquitate divinæ misericordiæ præstitum est, cum multi acerrimi et facundissimi, deserti adjutorio Dei, ad hoc velociter et pertinaciter currerent, ut a veritatis via longius aberrarent. Commodum autem arbitror, sub ejus nomine verba ejus ponere, et sub meo responsionem meam.

CAPUT II. — FAUSTUS dixit : Satis superque in lucem jam traductis erroribus, ac Judaicæ superstitionis simul et semichristianorum abunde detecta fallacia, a doctissimo scilicet et solo nobis post beatum patrem nostrum Manichæum studendo [2] Adimanto ; non ab re visum est, fratres charissimi, hæc quoque brevia vobis et concinna responsa, propter callidas et astutas conferentium nobiscum propositiones, scribere, quo cum iidem vos ex more parentis sui serpentis captiosis circumvenire quæstiunculis voluerint, et ipsi ad respondendum vigilanter eis sitis instructi. Ita enim fiet ut ad ea ipsa quæ proposuerint religati, ulterius huc atque illuc vagari non possint. Ac ne profusa confusave oratione legentium inundarentur ingenia, tam breviter quam distincte ex adverso sibi, ipsorum atque nostrorum verba constitui.

CAPUT III. — AUGUSTINUS respondit : Tu semichristianos cavendos putas, quod nos esse dicis : nos autem pseudochristianos cavemus, quod vos esse ostendimus. Nam quod semis est [1], ex quadam parte imperfectum, ex nulla tamen falsum est. Quid ergo si aliquid deest fidei eorum quos circumvenire conamini, numquid ideo id quod eis adest destruendum, ac non potius id quod deest astruendum est ? Sicut ad quosdam imperfectos loquens Apostolus ait : *Gaudens et videns vestram conversationem, et id quod deest fidei vestræ in Christo* (*Coloss.* II, 5). Cernebat utique quamdam fabricam spiritualem, sicut alibi dicit, *Dei ædificatio estis* (I *Cor.* III, 9) : et in ea cernebat utrumque ; et unde gauderet, et unde satageret. Gaudebat ex eo quod jam ædificatum videbat ; satagebat ex eo quod usque ad culmen perfectionis adhuc ædificandum esse sentiebat. Itaque nos revera catholicos nondum perfectos, sed quodam modo, ut dixisti, semichristianos quos fallatis et seducatis vestra perversitate, insectamini. Sed si qui adhuc etiam tales sunt, si vos pseudochristianos esse intellexerint, quamvis captiosis quæstionum vestrarum propositionibus, propter id quod eorum fidei deest, respondere non possint; non tamen sequendos, sed devitandos vos esse cognoscunt. Sicut ergo vestra intentio est semichristianos quos decipiatis inquirere, sic nostra intentio est pseudochristianos vos ostendere : ut non solum christiani peritiores vos convincendo prodant, sed et imperitiores vos cavendo proficiant. Cur autem serpentem patrem nostrum dixisti ? An excidit tibi quemadmodum soleatis vituperare Deum qui homini præceptum in paradiso dedit (*Gen.* II, 16, 17), et laudare serpentem quod ei per suum consilium oculos

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Contra Faustum libri triginta tres recogniti sunt denuo ad manuscripta exemplaria sex Vaticana, et octodecim Gallicana, Remigianum, Corbeiense, Audoenense, Michaelinum, Pratellense, Lyrense, Sagiense, Vindocinense, Floriacense, Benignianum, Casalinum, Cisterciense, Bigotianum, Victorinum, Dominicanorum Parisiensium via Jacobæa duo, collegii Bernardinorum, Paris. unum, abbatiæ S. Petri Carnotensis unum; ad editiones Am. Er. et Lov. necnon ad lectiones varias Belgicorum sex manuscriptorum apud Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Editio Lov., *christianamque.* Abest, *que*, ab editionibus aliis et Mss.

[2] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *stupendo.*

[1] Am. et fere omnes Mss., *semum est.*

(a) Scripti circiter annum 4

aperuit (*Gen.* III, 7)? Puto justum esse ut serpentem illum diabolum a vobis laudatum, tu potius agnoscas parentem tuum. Nam ille te filium etiam modo vituperatus agnoscit.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit : Accipis Evangelium? Et maxime. Proinde ergo et natum accipis Christum? Non ita est. Neque enim sequitur ut si Evangelium accipio, idcirco et natum accipiam Christum. Cur? Quia Evangelium quidem a prædicatione Christi et esse cœpit et nominari; in quo tamen ipse nusquam se natum ex hominibus dicit. At vero genealogia adeo non est Evangelium, ut nec ipse ejus scriptor ausus fuerit eam Evangelium nominare. Quid enim scripsit? *Liber generationis Jesu Christi filii David* (*Matth.* I, 1). Non ergo, liber Evangelii Jesu Christi; sed, *liber generationis* : quippe ubi [1] et stella inducitur quæ confirmat genesim (*Id.* II, 2); ut recte Genesidium hoc magis nuncupari possit quam Evangelium. At denique Marcus, qui generationem scribere non curavit, sed prædicationem tantum Filii Dei quod est Evangelium, vide quam sit competenter exorsus : *Evangelium*, inquit, *Jesu Christi Filii Dei* (*Marc.* I, 1) Ut hinc satis abundeque appareat genealogiam non esse Evangelium. Nam et in ipso Matthæo post inclusum Joannem in carcerem, tunc legitur Jesum cœpisse prædicare Evangelium regni (*Matth.* IV, 12, 17). Ergo quidquid ante hoc narratum est, genealogiam esse constat, non Evangelium. Alioquin quid impediebat et Matthæum ponere, *Evangelium Jesu Christi filii Dei;* nisi quia improbum putavit genealogiam vocare Evangelium? Quapropter, si jam tibi distinctum satis est, quod usque nunc ignorasti, longe aliud esse Evangelium quam genealogiam; scias me, ut dixi, accipere Evangelium, id est, prædicationem Christi. De quo quidquid jam perrogare volueris, omissis generationibus quære. Aut si et de ipsis conferre est animus, non equidem recuso, cum sit mihi magna et de his ad respondendum copia : sed tu disce interrogare quod primum est. Videris enim mihi nunc scire velle, non utrum Evangelium accipiam, sed utrum generationes.

CAPUT II. — AUGUSTINUS respondit : Certe interrogasti teipsum velut ex persona nostra, utrum acciperes Evangelium; et respondisti, *Maxime*. Rursusque interrogasti, utrum acciperes Christum natum; et respondisti, *Non ita est* : hanc scilicet causam subjiciens, quia generatio Christi non pertinet ad Evangelium. Quid ergo respondebis Apostolo dicenti, *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum* (II *Tim.* II, 8)? Vides certe quam nescias, vel te nescire fingas, quid sit Evangelium; nec ex doctrina apostolica, sed ex vestro errore nomines Evangelium. Aut si hoc appellas Evangelium, quod Apostoli appellaverunt; aberras ab Evangelio, qui non credis Christum ex semine David : quod Apostolus secundum suum Evangelium prædicari testatus est. Quod autem erat apostoli Pauli Evangelium, hoc etiam cæterorum Apostolorum, et omnium fidelium dispensatorum tanti sacramenti. Hoc enim alibi dicit : *Sive ergo ego, sive illi; sic prædicamus, et sic credidistis* (I *Cor.* XV, 11). Non enim omnes illi Evangelium conscripserunt, sed tamen omnes Evangelium prædicaverunt. Narratores quippe originis, factorum, dictorum, passionum Domini nostri Jesu Christi, proprie dicti sunt Evangelistæ. Nam et ipsum nomen si quæramus quid latine interpretetur, Bonum nuntium dicitur Evangelium, vel, Bona annuntiatio. Quod quidem cum aliquid bonum annuntiatur, semper dici potest : proprie tamen hoc vocabulum obtinuit illa quam dixi annuntiatio Salvatoris. Si autem vos aliud annuntiatis, extra Evangelium vos esse manifestum est. Utique sunt adversus vos parvuli quos appellatis semichristianos, si matris charitatis vocem sibi ex ore apostolico personantem audiant : *Si quis vobis annuntiaverit præterquam quod annuntiavimus vobis, anathema sit* (*Galat.* I, 8, 9). Cum ergo ipse Paulus secundum Evangelium suum annuntiaverit Christum ex semine David, vos qui hoc negatis, et aliud annuntiatis, anathema sitis. Quis autem non videat quanta cæcitate dicatur, quod nusquam se Christus natum ex hominibus dicat, cum pene nunquam se filium hominis taceat?

CAPUT III. — Sed videlicet doctissimi homines, profertis nobis ex armario vestro, nescio quem primum hominem, qui ad gentem tenebrarum debellandam de lucis gente descendit, armatum aquis suis, contra inimicorum aquas; et igne suo, contra inimicorum ignem; et ventis suis, contra inimicorum ventos. Cur non ergo et fumo suo, contra inimicorum fumum; et tenebris suis, contra inimicorum tenebras : sed contra fumum aere, ut dicitis, armabatur; et contra tenebras luce? An quia mala sunt fumus et tenebræ, non ea potuit habere bonitas ejus? Bona ergo sunt illa tria, aqua, ventus, ignis. Cur ergo ea potuit habere malitia gentis adversæ? Hic respondetis : Sed aqua illa gentis tenebrarum mala erat; quam vero primus homo attulit, bona erat : et ventus illius malus, hujus autem bonus; ita et hujus ignis bonus contra malum ignem illius dimicavit. Cur ergo et contra malum fumum non potuit afferre fumum bonum? An in fumo vestra mendacia, tanquam fumus ipse, evanescunt atque deficiunt? Certo primus homo vester contra naturam contrariam bellum gessit. Cur quinque illis elementis quæ in contraria gente confingitis, unum allatum est de divinis regnis contrarium, lux contra tenebras? Cætera enim quatuor non sunt contraria. Nam nec aer fumo

[1] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *ibi*. M.

est contrarius, multo minus aquæ aqua, et ventus vento, et ignis igni.

CAPUT IV. — Jamvero illa sacrilega deliramenta quis audiat, quod primum hominem vestrum dicitis, secundum hostium voluntatem, quo eos caperet, elementa quæ portabat mutasse atque vertisse, ut regnum quod dicitis falsitatis, in sua natura manens, non fallaciter dimicaret, et substantia veritatis mutabilis appareret, ut falleret? Hujus primi hominis filium credi vultis Dominum Jesum Christum. Hujus commentitiæ fabulæ filiam dicitis veritatem. Hunc primum hominem, quem laudatis, quia mutabilibus et mendacibus formis cum adversa gente pugnavit; si verum dicitis, non imitamini: si autem imitamini, et vos mentimini. Quapropter Dominus et Salvator noster Jesus Christus, verus et verax Dei Filius, verus et verax hominis filius, quod utrumque de se ipse testatur, et de vero Deo divinitatis æternitatem, et de vero homine carnis originem duxit. Non novit apostolica doctrina primum hominem vestrum. Audite Apostolum Paulum: *Primus homo*, inquit, *de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni; qualis cœlestis, tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est* (I *Cor.* xv, 47-49). Primus itaque homo de terra terrenus, ille Adam de limo formatus; secundus autem homo de cœlo cœlestis, Dominus Jesus Christus: quia Filius Dei venit ad carnem, qua suscepta et homo exterius fieret, et Deus interius permaneret; ut et Filius Dei verus esset per quem facti sumus, et hominis filius verus fieret per quem refecti sumus. Cur ergo primum hominem vestrum commentitium nescio unde producitis, et primum hominem quem doctrina apostolica docet non vultis agnoscere? An ut compleatur in vobis quod ipse Apostolus ait: *A veritate quidem auditum suum avertentes, ad fabulas autem convertentur* (II *Tim.* iv, 4)? Paulus annuntiat primum hominem de terra terrenum: Manichæus annuntiat primum hominem non terrenum, nescio quibus fallacibus elementis quinque vestitum. Et Paulus dicit, *Si quis vobis annuntiaverit præterquam quod annuntiavimus vobis, anathema sit.* Ergo ne Paulus mendax sit, Manichæus anathema sit.

CAPUT V. — Quod autem etiam stellæ calumniamini, qua Magi ad Christum infantem adorandum perducti sunt, non erubescitis, cum vos commentitium Christum vestrum, filium commentitii primi hominis vestri, non sub stellæ testificatione ponatis, sed in stellis omnibus colligatum esse dicatis: quia videlicet principibus tenebrarum commixtum esse creditis in illo bello, quo ipse primus homo vester cum tenebrarum gente pugnavit, ut de ipsis principibus tenebrarum tali commixtione captis mundus fabricaretur. Unde et ista sacrilega deliramenta vos cogunt, non solum in cœlo atque in omnibus stellis, sed etiam in terra atque in omnibus quæ nascuntur in ea, confixum et colligatum atque concretum Christum dicere, non jam Salvatorem vestrum, sed a vobis salvandum cum ea [1] manducatis atque ructatis.

Nam et ista impia vanitate seducti, seducitis Auditores vestros, ut vobis cibos afferant, quo possit ligato in eis Christo subveniri per vestros dentes et ventres. Talibus enim auxiliis eum solvi et liberari prædicatis; nec saltem totum, sed adhuc licet exiguas sordidasque reliquias ejus in stercoribus remanere contenditis, ut in aliis atque aliis rerum corporalium formis iterum atque iterum implexæ implicatæque teneantur: et si mundo stante solvi et purgari non potuerint, jam illo igne ultimo quo ipse mundus ardebit (II *Petr.* iii, 10-12), solvantur atque purgentur. Nec tamen etiam tunc totum Christum dicitis posse liberari, sed ejus bonæ divinæque naturæ novissimas residuasque particulas, quæ ita sordidatæ sunt, ut nullo modo dilui valeant, damnari in æternum confixas globo horrido tenebrarum. Ecce qui se fingunt indignari quod Filio Dei fiat injuria, quia eum natum stella demonstrasse dicatur, tanquam genesis ejus sub fatali constellatione sit constituta; cum eum ipsi non tantum sub stellarum connexione, sed in vinculis omnium terrenorum, et in succis omnium herbarum, et in putredine omnium carnium, et in corruptione omnium ciborum, ita ligatum pollutumque constituant, ut ex magna, non tamen ex tota parte, solvi purgarique non possit, nisi et ab hominibus, Electis videlicet Manichæorum, etiam in porris radiculisque ructetur.

Et nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter justum judicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus: quanto minus illius temporalem generationem sub astrorum conditione credimus factam, qui est æternus universorum Creator et Dominus? Itaque illa stella quam viderunt Magi, Christo secundum carnem nato, non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur; nec eum subjiciebat imperio, sed indicabat obsequio. Proinde non ex illis erat hæc stellis, quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem sub Creatoris lege custodiunt; sed novo Virginis partu, novum sidus apparuit, quod ministerium officii sui etiam ipsis Magis quærentibus Christum, cum ante faciem præiret, exhibuit, donec eos usque ad ipsum locum ubi Dei Verbum infans erat, præeundo perduceret. Qui tandem ăstrologi ita constituerunt hominum nascentium fata sub stellis, ut aliquam stellarum, homine aliquo nato, circuitus sui ordinem reliquisse, et ad eum qui natus est perrexisse, asseverent? Sortem quippe nascentis astrorum ordini colligari arbitrantur, non astrorum ordinem ob [2] hominis nati diem posse mutari. Quapropter, si stella illa ex iis erat quæ in cœlo peragunt ordines suos, quomodo poterat decernere quod natus Christus acturus erat, quæ nato Christo jussa est relinquere quod agebat? Si autem, ut probabilius credi-

[1] Editi, *eum*. Concinnius quidam Mss., *ea*.
[2] In pluribus Mss., *ad*.

tur, ad demonstrandum Christum, quæ non erat exorta est; non ideo Christus natus est quia illa exstitit, sed ideo illa exstitit quia Christus natus est. Unde, si dici oporteret, non stellam Christo, sed Christum stellæ fatum fuisse diceremus. Ipse quippe illi, non illa huic, nascendi attulit causam. Si ergo sunt fata quæ a fando, id est, a dicendo appellata sunt; quoniam Christus Verbum Dei est, in quo antequam essent, dicta sunt omnia; non consortium siderum fatum Christi est, sed fatum etiam siderum Christus est: qui et ipsam carnem sub cœlo creatam ea voluntate assumpsit, qua etiam cœlum creavit; ea potestate deposuit et recepit, qua etiam sideribus imperavit.

CAPUT VI. — Cur ergo non sit Evangelium quod de ista generatione narratur, cum tam bona nobis annuntietur, ut per ipsam [1] nostra sanetur infirmitas? An quia Matthæus non est ita exorsus, ut diceret, *Initium Evangelii Jesu Christi*, sicut ait Marcus; sed, *Liber generationis Jesu Christi?* Hoc modo nec Joannes Evangelium scripsisse dicatur, quia nec ipse ait, Initium Evangelii, aut Liber Evangelii; sed, *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Nisi forte tam elegans vocabulorum fabricator Faustus fuit, ut et hoc Joannis exordium, Verbidium nominaverit, propter Verbum; sicut illud, propter genesim, Genesidium ausus est appellare. Sed cur non potius cogitatis, quanta impudentia prolixas illas et impias fabulas vestras Evangelium nominetis? Quid enim illic boni annuntiatur, ubi dicitur Deus adversus rebellem nescio quam contrariam alienamque naturam non aliter regno suo potuisse prospicere atque consulere, nisi partem suæ naturæ in illius avidas fauces devorandam mitteret, atque ita polluendam, ut post tantos labores atque cruciatus non posset saltem tota purgari? Itane tam malus nuntius Evangelium est? Certe omnes qui græce vel tenuiter noverunt, Evangelium, Bonum nuntium, aut Bonam annuntiationem interpretantur. Quomodo est autem iste bonus nuntius, quandoquidem ipse Deus vobis, velo sibi opposito, lugere nuntiatus est, donec sua membra ab illa vastatione et contaminatione reparentur atque purgentur? Qui si aliquando luctum finierit, crudelis erit. Quid enim de illo male meruit pars illa ejus quæ in globo ligabitur? quæ utique in æternum lugenda est, quia in æternum damnabitur. Sed evasimus, quod istum nuntium quisquis diligenter adverterit, non cogitur lugere, quia malus est; sed ridere, quia falsus est.

[1] Tres Mss., *quo ista de generatione narrantur, cum tam bona nobis annuntientur, ut per ipsa.* Am. et Er., *cum tam bona nobis annuntientur, ut per ipsum.*

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit: Accipis ergo generationem? Equidem conatus diu sum hoc ipsum qualecunque est persuadere mihi, quia sit natus Deus: sed offensus duorum maxime evangelistarum dissensione, qui genealogiam ejus scribunt, Lucæ et Matthæi (*Matth.* I, 1-17, *et Luc.* III, 23-38), hæsi incertus quemnam potissimum sequerer. Fieri enim posse putabam, ut quia præscius non sum, quem mentiri existimarem, ipse diceret verum; et quem vera loqui, ipse forsitan mentiretur. Infinita ergo eorum prætermissa lite, et interminabili mihi, ad Joannem Marcumque me contuli: nec impariter a duobus ad duos, et ab Evangelistis ad ejusdem nominis professores. Quorum mihi principia interim non immerito placuerunt, quia nec David, nec Mariam inducunt, nec Joseph; sed Joannes quidem in principio fuisse Verbum dicit, et Verbum fuisse apud Deum, et Deum fuisse Verbum (*Joan.* I, 1), Christum significans: Marcus vero, *Evangelium*, inquit, *Jesu Christi filii Dei* (*Marc.* I, 1): tanquam Matthæum exprobrans, qui posuerit filium David. Nisi forte alterum hic, et alterum ille annuntiat Jesum. Hæc ergo ratio est, qua ego non accipio Christum natum. Tu vero, si tantus es ut hanc mihi adimas offensionem, effice ut inter se ipsi conveniant; et utcumque succumbam: quamvis nec sic quidem dignum erit ex utero natum credere Deum, et Deum Christianorum.

CAPUT II. — Augustinus respondit: O si pio studio legisses Evangelium, et ea quæ te in Evangelistis tanquam repugnantia movissent, diligenter quærere, quam temere damnare malui-ses; ut saltem propter ipsam, quæ quasi prima fronte occurrit, apertissimam repugnantiam, cogitares, nisi aliquid illic magnum lateret, difficile fieri potuisse ut tanta eis auctoritas in terrarum orbe præberetur, qua sibi tot hominum doctissimorum ingenia subjugarent. Quid enim magnum est videre quod vidistis, alios Christi secundum carnem progeneratores commemorari a Luca, alios a Matthæo, cum ambo Joseph constituant, Matthæus ad quem terminet, Lucas a quo incipiat: qui propter quoddam cum ejus matre sanctum et virginale conjugium, etiam ipse parens Christi meruit appellari; ut propter virilem dignitatem, ab ipso, vel usque ad ipsum, generationes contexerentur? Quid ergo magnum est quod vidistis, quod alium patrem habeat Joseph secundum Matthæum, alium secundum Lucam; et alium avum secundum istum, alium secundum illum, et deinceps sursum versus usque ad David, per tam multas generationes alios parentes ejus ab isto, alios ab illo enumerari? Itane tam apertam manifestamque diversitatem, tot acuti et docti viri, divinarum Scripturarum pertractatores diligentissimi, non viderent? qui quidem in latina lingua perpauci sunt; eos autem in græca quis numeret? Viderunt eam plane. Quid enim facilius, aut quis paululum intuens, ista non videat? Sed pie cogitantes tantæ auctoritatis eminentiam, latere ibi aliquid crediderunt, quod petentibus daretur, oblatrau-

tibus negaretur; a quærentibus inveniretur, reprehendentibus subtraheretur; pulsantibus aperiretur (*Matth.* VII, 7), oppugnantibus clauderetur; petierunt, quæsierunt, pulsaverunt, acceperunt, invenerunt, intraverunt.

CAPUT III. — Nempe tota in hoc quæstio est, quomodo potuerit duos patres habere Joseph. Hoc enim si potuisse fieri demonstratur, nulla omnino causa est, cur quisquam istorum evangelistarum, in diversis generationibus enumerandis, falsum dixisse credatur. A duobus enim patribus, jam non erit mirum neque contrarium, quod et avi duo et atavi et proavi esse potuerunt, et quidquid supra est usque ad David cujus erant ambo filii, et Salomon qui pertinet ad ordinem quem Matthæus secutus est, et Nathan qui est in serie quam Lucas exposuit. Attendunt enim ista nonnulli, et vident non posse a duobus viris per commixtionem carnis hominem gigni; et ideo putant istam quæstionem non posse dissolvi (*a*): nec intuentur, quod usitatissimum atque facillimum est [1], patrem cujusquam, non eum tantum dici a quo genitus, sed etiam eum a quo fuerit adoptatus (*b*).

Neque enim adoptionis vinculum apud antiquos alienum ab eorum moribus fuit, cum etiam feminas invenianus adoptasse sibi filios, non ex utero suo natos: sicut Sara ex Agar (*Gen.* XVI, 2), et Lia ex ancilla sua (*Id.* XXX, 9 13), et filia Pharaonis Moysen adoptavit (*Exod.* II, 9, 10). Ipse autem Jacob, nepotes suos, filios Joseph adoptavit (*Gen.* XLVIII, 5). Ipsum vero adoptionis nomen plurimum valere in nostræ fidei sacramento, apostolica doctrina testatur. Unde apostolus Paulus cum de Judæorum meritis loqueretur: *Quorum est*, inquit, *adoptio, et gloria, et Testamenta, et Legislatio; quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 4, 5). Item dicit: *Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes filiorum Dei* [2], *redemptionem corporis nostri* (*Id.* VIII, 23). Item alio loco: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* (*Galat.* IV, 4, 5). Hæc igitur adoptio quanti sacramenti sit, his atque hujusmodi testimoniis satis apparet. Unicum enim Filium Deus habet, quem genuit de substantia sua, de quo dicitur: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* II, 6). Nos autem non de substantia sua genuit; creatura enim sumus, quam non genuit, sed fecit: et ideo, ut fratres Christi secundum modum suum [3] faceret, adoptavit. Iste itaque modus quo nos Deus, cum jam essemus ab ipso non nati, sed conditi et instituti, verbo suo et gratia sua genuit ut filii ejus essemus, adoptio vocatur. Unde Joannes dicit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Cum igitur jus adoptionis filiorum apud patres nostros et in Scripturis sanctis usitatum sit; quæ impietatis dementia præcipitat, prius Evangelistas falsitatis arguere, quod diversas generationes commemoraverunt, tanquam utræque veræ esse non possint; quam cogitare et attendere et videre quod facillimum est, quam crebra consuetudine generis humani, unus homo duos patres habere potuerit; unum cujus carne homo sit genitus, alterum cujus voluntate, cum jam homo esset, filius sit adoptatus? Qui si non recte dicitur pater, nec nos recte dicimus, *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9), ei de cujus substantia nati non sumus, sed cujus gratia et misericordissima voluntate adoptati secundum doctrinam apostolicam et fidelissimam veritatem sumus. Ipsum quippe habemus et Deum, et Dominum, et Patrem: Deum, quod ab ipso, etiam ex hominibus parentibus, conditi sumus; Dominum, quod ei subditi sumus; Patrem, quod ejus adoptione renati sumus.

Facile fuit ergo religiosis perscrutatoribus divinarum Litterarum, aliquantulum considerare, et videre in diversis Christi generationibus a duobus evangelistis commemoratis, quomodo duos patres potuit habere Joseph, quorum progenitores diversi enumerentur. Hoc et vos, si studium contentionis non excaecaret, facile videre possetis. Sed ab illis viris alia etiam quæsita et inventa sunt, cum omnes harum narrationum partes pertractarent: hæc autem a vestro intellectu longissime remota sunt. Itaque etiam in Manichæi errore constituti, id quod in rebus humanis fieri solet, ut alius carne generet filium, alius eum voluntate adoptet, ac sic unus duos patres habeat, si non adverso animo legeretis, cogitando videre possetis.

CAPUT IV. — Cur autem Matthæus ab Abraham cœperit, descendens usque ad Joseph; Lucas autem a Joseph cœperit, ascendens, non usque ad Abraham, sed usque ad Deum qui fecit hominem, et dato præcepto potestatem dedit ut credens filius Dei fieret: et cui illo in capite libri generationes ipsas enumeravit; ille autem, cum Dominus Salvator a Joanne baptizatus fuisset: et quid sibi velit numerus generationum secundum Matthæum, ut ter quatuordecim digerantur, quibus in summam computatis, tanquam [4] una minus appareat; numerus autem generationum secundum Lucam, qui in baptismo Domini commemoratur, ad septuaginta et septem perveniat: quem numerum ipse Dominus in peccatorum remissionem commendat dicens, *Non tantum septies, sed usque septuagies septies* (*Id.* XVIII, 22): nullo pacto indagare possetis, nisi aut ab aliquo catholico id audiretis, non quolibet, sed divinarum Scripturarum studioso, et quantum posset, perito; aut ipsi ab errore correcti, pietate catholica peteretis ut acciperetis, quæreretis ut inveniretis, pulsaretis ut intraretis.

[1] Aliquot Mss., *usitatissimum atque frequentatissimum est.*
[2] Abest, *filiorum Dei*, a Mss. et ab antiquioribus editionibus Am. et Er.
[3] Ita in Mss. At in editis, *nostrum.*
[4] Editi, *tamen.* At Mss., *tanquam.*

(*a*) Euseb. Eccles. Hist. lib. 1, cap. 7.
(*b*) II Retract., cap. 7, n. 2.

CAPUT V. — Quapropter, quoniam id quod Faustum de generationum diversitate permovit, quia in duobus patribus intelligendis hic nodus erat, intellecta natura et adoptione solutum est, frustra se voluit ad duos evangelistas conferre, et ab aliis duobus auferre : magis offensurus ad quos se contulisset, quam eos a quibus abstulisset. Non enim amant sancti suos electores, si suorum sociorum eos invenerint desertores. Unitate enim gaudent, et in Christo unum sunt : et si alius aliud, et alius aliud ; aut alius aliter, et alius aliter ; vera tamen omnes dicunt, nec sibi ullo modo contraria, si pius lector accedat, si mitis legat, si non hæretico animo unde rixetur, sed fideli corde unde ædificetur, inquirat. Jam ergo, quoniam singulorum [1] patrum generationes, quos ut unus homo duos haberet, non est ab humano genere alienum, singulos Evangelistas narrandas suscepisse credidimus, non est a veritate nostra fides aliena. Quocirca, inter se jam Evangelistis convenientibus, sicut Faustus promisit, utcumque succumbite.

CAPUT VI. — An illud quod adjunxit, vos movet adhuc? *Quamvis nec sic quidem*, inquit, *dignum erit, ex utero natum credere Deum, et Deum Christianorum.* Quasi nos ipsam divinam naturam ex feminæ utero exstitisse credamus. Nonne modo commemoravi Apostoli testimonium, ubi ait de Judæis : *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula?* Christus ergo Dominus et Salvator noster Filius Dei verus secundum divinitatem, et filius hominis verus secundum carnem, non ex eo quod est super omnia Deus benedictus in sæcula ex femina natus est ; sed ex illa infirmitate quam suscepit ex nobis, ut in ea moreretur pro nobis, et eam sagaret in nobis : non ex forma Dei, in qua cum esset, *non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*, natus ex femina est ; sed ex forma servi, quam accipiendo, *semetipsum exinanivit* (*Philipp.* II, 6) Neque enim ob aliud exinanisse se dictus est, nisi accipiendo formam servi, non amittendo formam Dei. Illa enim natura, qua in forma Dei æqualis est Patri, incommutabiliter permanente, suscepit mutabilem nostram, per quam de virgine nasceretur. Vos autem, cum carnem Christi virginali utero committere horretis, ipsam divinitatem Dei, non tantum hominum, sed et canum porcorumque uteris commisistis! semel conceptam in utero virginis Christi carnem non vultis credere, in quo [1] non solum non ligatus, sed nec mutatus est Deus ; et ipsam Dei partem, divinamque naturam, in omnium hominum, ac bestiarum masculinis seminibus et femininis uteris, in omnibus conceptibus, per omnes terras, et per omnes aquas, et per omnes horas [2] ligari, opprimi, coinquinari, et nec totam postea liberari posse prædicatis!

[1] Apud Er. Lugd. et Ven., *Jam ergo in singulorum.* M.

[1] Am. et plerique Mss., *in qua.*

[2] Forte legendum, *auras*, ut suadere videtur orationis series. Hæc est etiam sententia Morel, qui, Element. Critic., pag. 509, prope similia commemorat verba libri 6, cap. 8 : *in terra, in aqua, in aere.* M.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Accipis Testamentum Vetus? Si est mihi in eo hæreditas, accipio ; si non est, non accipio. Improbitas enim hæc quidem nimia est, usurpare tabulas quæ testentur exhæredatum. An ignoras Testamentum Vetus Chananæorum terram repromittere (*Gen.* XV, 18, *et* XVII, 8) ; sed eam tamen Judæis, id est, circumcisis, et sacrificantibus, et abstinentibus a porcina, ac reliquis carnibus, quas immundas Moyses appellat, sabbata observantibus, et azymorum solemnitatem, ac reliqua hujusmodi, quæ ejus ipse testator eis observanda mandavit (*Levit.* XI, 7, *et Exod.* XII, *et* XX, 8)? Quæ quia Christianorum placuere nemini ; neque enim quisquam nostrorum ea custodit ; dignum est ut cum refusa hæreditate reddamus et tabulas. Hæc ergo prima causa est cur ego Testamentum Vetus abjiciendum puto : nisi tu me prudentius aliquid doceas. Secunda vero causa est, quod tam etiam misera ejus, et corporalis, ac longe ab animæ commodis hæreditas est, ut post beatam illam Novi Testamenti pollicitationem, quæ cœlorum mihi regnum, et vitam perpetuam repromittit, etiam si gratis eam mihi testator suus ingereret, fastidirem.

CAPUT II. — Augustinus respondit : Temporalium quidem rerum promissiones Testamento Veteri contineri, et ideo Vetus Testamentum appellari, nemo nostrum ambigit ; et quod æternæ vitæ promissio regnumque cœlorum ad Novum pertinet Testamentum : sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos finis sæculorum obvenit, non suspicio mea, sed apostolicus intellectus est, dicente Paulo, cum de talibus loqueretur, *Hæc omnia figuræ nostræ* [1] *fuerunt ;* et iterum, *Hæc omnia in figura contingebant illis ; scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 6, 11). Non ergo Vetus Testamentum ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis Novi Testamenti prænuntiationes accipimus : Veteris quippe testificatio, fidem Novo conciliat. Unde Dominus posteaquam resurrexit a mortuis, seque non solum intuendum discipulorum oculis, sed etiam contrectandum manibus obtulit, ne quid tamen cum suis mortalibus et carnalibus sensibus fallaciter agi arbitrarentur, magis eos de veterum Librorum testificatione firmavit dicens : *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 44). Non itaque spes nostra in temporalium rerum promissione defixa est ; quandoquidem nec ipsos illius temporis sanctos et spirituales viros, Patriarchas et Prophetas, his terrenis rebus

[1] Er. et Lov., *figuræ nostri.* Omnes fere Mss. cum Am., *figuræ nostræ ;* et sic infra passim.

fuisse deditos credimus : intelligebant enim, revelante sibi Spiritu Dei, quid tempori illi congrueret, et quibus modis Deus per illas omnes res gestas et dictas, futura figuranda et prænuntianda decerneret ; magisque desiderium eorum de Novo Testamento erat : sed præsens [1] functio corporalis, ad significanda nova ventura, pollicitationibus veteribus præbebatur. Ita illorum hominum non tantum lingua, sed et vita prophetica fuit. Carnalis autem populus, promissis vitæ præsentis inhærebat. De quo tamen etiam populo nihilominus significabantur futura.

Sed vos ista non intelligitis ; quia, sicut propheta dixit, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9). Non enim estis eruditi in regno cœlorum, id est, in Ecclesia Christi vera catholica. Quod si essetis, de divitiis sanctarum Scripturarum, non solum nova, sed etiam vetera proferretis. Ipse quippe Dominus dicit : *Propterea omnis scriba eruditus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, proferenti de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII, 52). Et ideo, dum sola promissa Dei nova tenere vos arbitramini, remansistis in vetustate carnis, et novitatem induxistis erroris. De qua novitate Apostolus dicit : *Profanas autem verborum novitates evita ; multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum sicut cancer serpit. Ex quibus est Hymenæus, et Philetus, qui circa veritatem aberraverunt, dicentes resurrectionem jam factam esse, et fidem quorumdam subverterunt* (II *Tim.* II, 16-18). Ex qua vena falsitatis vos manare cognoscite, qui dicitis, nunc esse resurrectionem tantummodo animarum per prædicationem veritatis ; corporum autem, quam prædicaverunt Apostoli, futuram negatis. Quid autem spiritualiter, secundum hominem interiorem, qui renovatur in agnitione Dei (*Coloss.* III, 10), potestis cogitare ; cum per vetustatem carnis, et per carnalium rerum imagines, quibus totus error vester involvitur, res corporeas, non possessione teneatis, sed phantasmate sapiatis ? Terram enim Chananæorum, quæ manifesta erat, et manifeste illi populo data est, contemnere vos, et fastidire gloriamini ; quasi non ita terram luminis describatis ex una parte, a terra gentis tenebrarum, tanquam cuneo coarctato discissam, ut neque in rerum veritate inveniatur, et in cogitationum vestrarum falsitate credatur : et ideo nec vitam vestram data sustineat, et mentem vestram desiderata corrumpat.

[1] Editio Lov., *sed sicut præsens*. Particula, *sicut*, abest ab editionibus aliis et plerisque Mss.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit : Accipis Evangelium ? tu me interrogas utrum accipiam, in quo idipsum accipere apparet, quia quæ jubet observo. An ego de te quærere debeo, utrum accipias, in quo nulla accipientis Evangelium videntur indicia ? Ego patrem dimisi, et matrem, uxorem, filios, et cætera quæ Evangelium jubet (*Matth.* XIX, 29) ; et interrogas utrum accipiam Evangelium ? Nisi adhuc nescis quid sit quod Evangelium nuncupatur. Est enim nihil aliud quam prædicatio, et mandatum Christi. Ego argentum et aurum rejeci, et æs in zonis habere destiti, quotidiano contentus cibo, nec de crastino curans, nec unde venter impleatur, aut corpus operiatur, sollicitudinem gerens (*Id.* X, 9, 10, *et* VI, 25-34) ; et quæris a me utrum accipiam Evangelium ? Vides in me Christi beatitudines illas quæ Evangelium faciunt (*Id.* V, 3-11) ; et interrogas utrum illud accipiam ? Vides pauperem, vides mitem, vides pacificum, puro corde, lugentem, esurientem, sitientem, persecutiones et odia sustinentem propter justitiam ; et dubitas utrum accipiam Evangelium ? Non ergo jam mirum est Joannem Baptistam viso Jesu, et ejus item auditis operibus, quærere adhuc utrum ipse esset Christus : cui digne et merito Jesus nec dignatus quidem est renuntiare quod ipse esset ; sed opera rursus eadem illi, quæ jamdudum audierat, remandavit, *Cæci vident, surdi audiunt, mortui resurgunt* (*Id.* XI, 2-6), etc. Quod ego quoque circa te non immerito fecerim, si perroganti utrum accipiam Evangelium dixero, Omnia mea dimisi, patrem, matrem, uxorem, filios, aurum, argentum, manducare, bibere, delicias, voluptates : hoc tibi ad interrogata satis responsum puta, et beatum te futurum, si in me non fueris scandalizatus.

CAPUT II. — Sed non, inquis, accipere Evangelium hoc solum est, si quod præcepit, facias ; sed ut etiam credas omnibus quæ in eodem scripta sunt, quorum primum est illud, quia sit natus Deus [1]. Sed nec item est solum illud, Evangelium accipere, ut credas quia natus est Jesus ; sed ut facias etiam quod præcepit. At si me idcirco Evangelium non accipere putas, quia generationem prætermitto, nec tu ergo accipis ; et multo magis non accipis, quia præcepta contemnis. Ac per hoc interim pares sumus, donec discutiamus et partes : aut si tibi non præjudicat præceptorum ista contemptio ad profitendum quia [2] accipias Evangelium, mihi quare ad hoc præjudicet genealogia damnata ? Quod si Evangelium accipere, in duobus his constat, ut dicis, genealogias credere, et servare mandata, quid ergo imperfectius imperfectum judicas ? Uterque nostrum eget alterutro. Sin, quod certius est, accipere Evangelium in sola observatione constat cœlestium mandatorum, duplici modo improbus es, qui, ut dici solet, desertor arguas militem. Et tamen age, ponamus, quia ita vis, duo hæc partes esse fidei perfectæ, quarum una quidem constet in verbo, id est fateri Christum natum ; altera vero in opere, quod est observatio præceptorum : vide ergo quam arduam ego et difficiliorem mihi partem elegerim ; tu vide quam levissimam et faciliorem. Nec

[1] Am. Er. et Mss., *quia natus sit Jesus*. — Lov., *Deus*, sed ad marginem, *Jesus*. M.

[2] Lov., *quod*. M

immerito plebs ad te confluit, a me refugit, nesciens utique quia regnum Dei non sit in verbo, sed in virtute. Quid ergo est quod me lacessis, si difficiliorem fidei aggressus partem, tibi ut infirmo reliqui faciliorem? Sed ego ad tribuendam, inquis, salutem animis, hanc partem fidei efficaciorem puto, ac magis idoneam, quam tu reliquisti, id est, Christum fateri natum.

CAPUT III. — Age ergo, ipsum eumdem interrogemus Christum, et unde potissimum nobis salutis oriatur occasio, ex ejus ore discamus. Quis hominum intrabit in regnum tuum, Christe? *Qui fecerit*, inquit, *voluntatem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* VII, 21). Non dixit: Qui me professus fuerit natum. Et alibi ad discipulos: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis* (*Id.* XXVIII, 19, 20). Non dixit: Docentes eos quia sim natus, sed ut mandata conservent. Item alibi: *Amici mei eritis, si feceritis quæ præcipio vobis.* Non dixit, Si natum me credideritis. Rursum: *Si feceritis mandata mea, manebitis in mea charitate* (*Joan.* XV, 14, 10). Et alia multa. Necnon et in monte cum doceret, *Beati pauperes spiritu* [1], dicens, *beati mites, beati pacifici, beati puro corde, beati qui lugent, beati qui esuriunt, beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* V, 5-10); nusquam dixit, Beati qui me confessi fuerint natum. Et in discretione agnorum ab hædis in judicio, dicturum se dicit iis qui ad dextram erunt: *Esurivi, et cibastis me; sitivi, et potastis me*, et cætera: propterea *percipite regnum* (*Id.* XXV, 35, 34). Non dixit: Quia natum me credidistis, regnum percipite. Necnon et diviti quærenti vitam æternam: *Vade*, inquit, *vende omnia quæ habes, et sequere me* (*Id.* XIX, 21). Non dixit: Crede me natum, ut in æternum vivas. Ecce igitur portioni meæ, quam mihi de gemina, ut vultis, fide delegi, ubique regnum, vita, beatitudo promittitur; vestræ vero nusquam. Aut docete sicubi scriptum est, beatum esse, regnumve percepturum, aut æternam habiturum vitam, qui eum confessus fuerit natum ex femina. Interim tametsi et hæc pars est fidei, beatitudinem non habet. Cum vero eam nec partem fidei probaverimus [2], quid fiet? Nempe eritis vos inanes, quod et ipsum utique monstrabitur. Sed interim hoc satis nobis est ad propositum, quia portio hæc nostra beatitudinibus coronata sit. Cui tamen accedit et illa alia beatitudo, ex confessione quoque sermonis, quia Jesum confitemur esse Christum Filium Dei vivi: quod æque ipse ore suo testatur Jesus dicens ad Petrum, *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia non tibi hoc caro et sanguis revelavit, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Id.* XVI, 17). Quapropter non jam, ut putabatis, unam, sed duas easdemque ratas fidei partes tenemus, et in utraque pariter beati appellamur a Christo, quia alteram earum operibus exercentes, alteram sine blasphemia prædicamus.

CAPUT IV. — Augustinus respondit: Jam supra commemoravi, quam sæpe se Dominus Jesus Christus filium hominis dicat, et quanta vanitate Manichæi fabulam nefandi sui erroris inducant, de nescio quo commentitio primo homine, quem non terrenum, sed fallacibus elementis indutum, contra Apostolum prædicant dicentem, *Primus homo de terra terrenus* (*I Cor.* XV, 47): et quanta cura nos idem monuerit apostolus dicens, *Si quis vobis annuntiaverit præterquam quod annuntiavimus vobis, anathema sit* (*Galat.* I, 8, 9). Quapropter restat ut filium hominis Christum ita credamus, sicut apostolica veritate prædicatur, non sicut Manichæorum falsitate confingitur. Cum igitur eum Evangelistæ annuntient natum ex femina de domo David, hoc est, de familia David; Paulusque ad Timotheum scribat dicens, *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum* (*II Tim.* II, 8): satis apparet quemadmodum Christum filium hominis credere debeamus, qui Filius Dei per quem facti sumus, etiam filius hominis per assumptionem carnis factus est, ut moreretur propter delicta nostra, et resurgeret propter justificationem nostram (*Rom.* IV, 25). Ideoque utrumque se dicit, et Filium Dei, et filium hominis. Unde ne pergam per plurima, uno loco in Evangelio secundum Joannem ita scriptum est: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso; et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est* (*Joan.* V, 25-27). Dixit, *Vocem Filii Dei audient*: et dixit, *Quia filius hominis est.* Secundum hoc enim quod filius hominis est, accepit potestatem judicium faciendi, quia in ipsa forma venturus est ad judicium, ut et a bonis et a malis videatur. In qua forma etiam ascendit in cœlum, et vox illa discipulis sonuit: *Sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum* (*Act.* I, 11). Nam secundum id quod Filius Dei, Deus æqualis est Patri, et cum Patre unum, non videbitur a malis: *Beati* enim *mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Cum ergo credentibus in se promittat vitam æternam, nec aliud sit credere in eum, quam credere in verum Christum, qualem se ipse prædicat, et ab Apostolis prædicatur, hoc est, et verum Dei Filium et verum hominis filium; vos, Manichæi, qui creditis in falsum et fallacem, falsi et fallacis hominis filium, cum [1] et ipsum Deum, gentis adversæ tumultu perterritum, membra sua misisse crucianda, nec postea tota purganda docetis, videtis quam sitis alieni a vita æterna, quam promittit Christus illis qui credunt in eum. At enim dixit Petro confitenti eum Filium Dei: *Beatus es, Simon Bar-Jona* (*Id.* XVI, 17). Numquid ideo nihil promittit eis qui in eum filium hominis crederent, cum idem ipse sit et Filius Dei et filius hominis? Habes etiam aperte vitam æternam promissam credentibus in filium hominis. *Sicut exaltavit*, inquit, *Moyses serpentem in eremo, sic oportet exaltari Filium hominis,*

[1] Vox, *spiritu*, abest ab omnibus fere Mss.

[2] Lov., *habere probaverimus*. Editi alii et Mss. carent verbo, *habere*.

[1] Plures Mss. omittunt et particulam, *cum*, et quod infra est verbum, *docetis*.

ut omnis qui crediderit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam (*Joan.* III, 14, 15). Quid vultis amplius? Credite ergo in filium hominis, ut habeatis vitam æternam; quia ipse est et Filius Dei qui potest dare vitam æternam; quia *ipse est verus Deus et vita æterna*, sicut idem Joannes ait in Epistola sua. Ubi etiam dicit antichristum esse, qui negat Christum in carne venisse (I *Joan.* V, 20, *et* IV, 3).

CAPUT V. — Quid ergo vos tanquam de mandatorum ejus perfectione jactatis, quod ea quæ in Evangelio præcepta sunt operamini? Quid enim illa prodessent, ubi non est fides vera, etiamsi vere implerentur a vobis? Nonne audistis Apostolum dicentem: *Si distribuam omnia mea pauperibus, et tradam corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 3)? Quid ergo vos tanquam de christiana paupertate jactatis, cum christiana charitate careatis? Habent enim inter se, quam charitatem vocant, etiam latrones, sibi debentes facinorosam flagitiosamque conscientiam, sed non charitatem quam commendat Apostolus. Et ut eam a cæteris improbandis repudiandisque secerneret, ait alio loco: *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* I, 5). Unde ergo habere potestis veram charitatem ex fide ficta surgentem [1]? Aut quando vos pigebit fidem vestram fucare mendaciis [2], quando et primum hominem vestrum, cum suis hostibus in suæ naturæ veritate manentibus, mutabili fallacia dimicasse prædicatis; et ipsum Christum qui dicit, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6), speciem carnis, mortem crucis, vulnera passionis, cicatrices resurrectionis, mentitum esse suadetis? Proinde vos Christo vestro anteponi vultis, si illo mentiente, vos annuntiatis veritatem. Si autem Christum vestrum sectari vultis, quis non in vobis caveat falsitatem, ut in his quoque mandatis quæ vos implere dicitis, non sit nisi sola fallacia? Quippe cum ausus sit Faustus dicere quod æs in zonis non portetis: nisi forte ideo verum dixit, quia non æs in zonis, sed et aurum in arcellis et in sacculis habeatis: nec reprehenderentur ista in vobis, nisi quia profitemini aliud, et aliter vivitis. Adhuc in rebus humanis est ille Constantius, modo jam frater noster catholicus christianus, qui multos vestrum Romæ in domum suam congregaverat, propter implenda præcepta Manichæi, satis quidem vana et inepta, sed tamen quæ magna existimatis: quibus cum vestra infirmitas cederet, dispersi estis quisque in viam suam. Unde illi qui in eis perdurare voluerunt, a vestra societate schisma fecerunt; et quia in mattis dormiunt, Mattarii appellantur: a quorum stratis longe dissimiles fuerunt plumæ Fausti, et caprinæ lodices, qua deliciarum affluentia non solum Mattarios fastidiebat, sed etiam domum patris sui hominis pauperis Milevitani. Auferte ergo perditam simulationem, si de moribus non vultis, saltem de litteris vestris: ne lingua vestra cum vita vestra, tanquam ille primus homo cum gente tenebrarum, mendacibus, non elementis, sed verbis pugnare videatur.

CAPUT VI. — Sed ne in homines potius non implentes ea quæ sibi præcipiuntur, quam in ipsam sectam vanissimi erroris me ista dicere quisquam reprehendat, hoc dico: Talia sunt ipsa præcepta Manichæi, ut si ea non faciatis, deceptores; si autem faciatis, decepti sitis. Neque enim Christus vobis præcepit ut herbam non evellatis, ne homicidium perpetretis, qui discipulos suos per segetem transeuntes et esurientes, vellere spicas sabbato non prohibuit (*Matth.* XII, 1), unde convinceret et præsentes Judæos, et futuros Manichæos: illos, quia sabbato fiebat; istos vero, quia fiebat. Sed plane Manichæus præcepit ut otiosis manibus vestris, de homicidiis vivatis alienis: et illa quidem falsa sunt homicidia, sed vestra sunt vera, cum tali dæmoniorum doctrina miseras animas trucidatis.

CAPUT VII. — Inest tamen ille hæreticus typhus, intolerabilisque superbia. *Vides*, inquit, *in me Christi beatitudines illas quæ Evangelium faciunt; et interrogas utrum illud accipiam? Vides pauperem, vides mitem, vides pacificum, puro corde, lugentem, esurientem, sitientem, persecutiones et odia sustinentem propter justitiam; et dubitas utrum accipiam Evangelium?* Si hoc esset justum esse, justificare seipsum, verbis suis volasset in cœlum homo iste, cum hæc loqueretur. Sed ego in delicias Fausti non invehor, notas omnibus Auditoribus Manichæorum, et eis maxime qui sunt Romæ: talem propono manichæum, qualem Constantius requirebat, cum illa præcepta exigebat impleri, non qualem videri nolebat. Et illum tamen quomodo video pauperem spiritu, qui tam superbus est, ut animam suam Deum credat, nec captivum erubescat [1]? Quomodo mitem, qui tantæ auctoritati evangelicæ mavult insultare, quam credere? Quomodo pacificum, qui naturam ipsam divinam, qua Deus est quidquid est, qui solus vere est, perpetuam pacem habere non potuisse putat? Quomodo puro corde, in quo tumultuantur tam sacrilega et tam multa figmenta? Quomodo lugentem, nisi Deum suum captum et ligatum; donec solvatur et evadat, ex quadam tamen parte decurtatus, quæ in globo tenebrarum a Patre ligabitur, et non lugebitur? Quomodo esurientem et sitientem justitiam, quam Faustus in scriptis suis non addidit, credo ne sibi deesse videretur, si eam se adhuc esurire ac sitire fateretur? Sed quam justitiam isti esuriunt et sitiunt, quibus perfecta justitia erit, damnatis in globo fratribus qui nihil suo vitio peccaverunt, sed hostili tabe, contra quam eos Pater misit [2], inexpiabiliter infecti sunt, insuper triumphare?

CAPUT VIII. — Quomodo persecutiones et odia sustinetis propter justitiam, quibus hæc sacrilegia prædicare et persuadere justitia est? Pro qua impia per-

[1] In manuscriptis, *ex fide non ficta surgentem*.
[2] Aliquot Mss., *fidem vestram fuscare mendaciis*. Alii quidam cum editis Am. et Er., *fidem vestram pugnare cum mendaciis*. Cistercienses duo codices, *ob fidem vestram pugnare n[illegible]*.

[1] Am. Er. et plerique Mss., *nec captivus erubescat*.
[2] Am. Er. et Mss., *quo eos Pater misit*.

versitate, propter christianorum temporum mansuetudinem, quam parva et prope nulla patiamini, cur non cogitatis? Sed, tanquam cæcis fatuisque loquamini [1], justitiæ vestræ velut magnum esse vultis indicium, quod opprobria sustinetis, persecutionemque patimini. Porro si tanto est quisque justior, quanto graviora perpetitur, omitto dicere, quod videre facillimum est, quam multo graviora vobis patiantur aliis atque aliis quibusque facinoribus flagitiisque polluti. Illud dico, si pro nomine Christi quoquo modo usurpato atque suscepto, quisquis patitur persecutionem, jam etiam veram fidem justitiamque tenere dicendus est; concedite ut ille sit fidei verioris, majorisque justitiæ, quem multo vobis graviora perpessum potuerimus ostendere: et millia jam vobis nostrorum martyrum occurrant, atque ipse præcipue Cyprianus, cujus etiam litteris edocetur quod in Christum crediderit natum ex virgine Maria. Pro hac ille fide, quam vos detestamini, usque ad gladium mortemque pervenit, cum gregibus christianorum tunc ita credentibus, atque ita graviusque morientibus. Faustus autem convictus vel confessus quod manichæus esset, cum aliis nonnullis secum ad judicium proconsulare perductis, eis ipsis christianis a quibus perducti sunt intercedentibus, levissima pœna, si tamen illa pœna dicenda est, in insulam relegatus est: quod sua sponte quotidie servi Dei faciunt, se a turbulento strepitu populorum removere cupientes; et unde publica terrenorum principum vota per indulgentiam solent relaxare damnatos. Denique non multo post inde omnes eadem solemni sorte dimissi sunt. Fatemini ergo illos fidem tenuisse veriorem, justioremque vitam, qui pro ea multo quam vos atrociora sustinere meruerunt; aut desinite vos inde jactare, quod multis detestabiles sitis: sed discernite quid sit persecutionem pati pro blasphemia, et persecutionem pati pro justitia; et pro qua istarum patiamini, in vestris libris etiam atque etiam diligenter advertite.

CAPUT IX. — Quam multi autem in nostra communione veraciter faciunt ista sublimiora præcepta evangelica, de quorum specie fallitis imperitos? Quam multi homines utriusque sexus ab omni concubitu puri atque integri, quam multi experti, et postea continentes, quam multi rerum suarum distributores et relictores, quam multi jejuniis vel crebris, vel quotidianis, vel etiam incredibiliter continuatis, corpus servituti subjicientes? Quam multæ fraternæ congregationes nihil habentes proprium, sed omnia communia, et hæc nonnisi ad victum et tegumentum necessaria; unam animam et cor unum in Deum, charitatis igne conflantes? Atque in his omnibus professionibus quam multi fallaces et perditi deprehenduntur, quam multi etiam latent, quam multi primo recte ambulantes, perversa voluntate cito deficiunt; quam multi in tentationibus inveniuntur, quod alio animo talem vitam adumbrata specie susceperunt, et quam multi humiliter et fideliter sanctum custodientes propositum usque ad finem perseverant, et salvi fiunt? In quorum societate quasi dispares apparent; sed tamen eadem charitate copulantur, qui propter aliquam necessitudinem, secundum Apostoli exhortationem habent uxores tanquam non habentes, et emunt tanquam non tenentes, et utuntur hoc mundo tanquam non utentes. Illis subjunguntur secundum abundantes divitias misericordiæ Dei, etiam illi quibus dicitur: *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum ad idipsum estote, ne vos tentet Satanas propter intemperantiam vestram: hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium* (I *Cor.* VII, 29, 30, 31, 5, 6). Quibus etiam idem apostolus dicit: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis vobiscum.* Et eorum portans infirmitatem, paulo post dicit: *Sæcularia igitur judicia si habueritis, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate* (*Id.* VI, 7, 4). Neque enim illi soli, qui ut sint perfecti, vendunt vel dimittunt omnia sua, et sequuntur Dominum, pertinent ad regnum cœlorum; sed huic militiæ christianæ propter quoddam quasi commercium charitatis subjungitur etiam quædam stipendiaria multitudo, cui dicetur in fine: *Esuriri, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 35), et cætera. Alioquin damnandi erunt illi, quorum domos tam diligenti et sollicita cura componit Apostolus, monens mulieres subditas esse viris suis, viros diligere uxores suas; filios obtemperare parentibus, parentes filios nutrire in disciplina et correptione Domini; servos obedire cum metu dominis carnalibus, dominos quod justum est et æquum servis præstare (*Coloss.* III, 18-IV, 1). Sed absit ut istos a mandatis evangelicis alienos, et a vita æterna separandos judicet Apostolus: quia ubi ait Dominus, *Si quis non tulerit crucem suam, et secutus me fuerit, non potest esse discipulus meus*, exhortans firmiores ad perfectionem; ibi statim et istos consolatus est dicens, *Qui receperit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet: et qui receperit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* Unde non tantum qui modicum vini Timotheo dederit propter stomachum et frequentes infirmitates ejus (I *Tim.* V, 23), sed etiam qui saniori atque fortiori *calicem aquæ frigidæ porrexerit tantum in nomine discipuli*, sicut ibi sequitur, *non perdet mercedem suam* (*Matth.* X, 38-42).

CAPUT X. — Quid autem fallitis Auditores vestros, qui cum suis uxoribus, et filiis, et familiis, et domibus, et agris vobis serviunt, si quisquis ista omnia non dimiserit, non accipit Evangelium? Sed quia eis non resurrectionem, sed revolutionem ad istam mortalitatem promittitis, ut rursus nascantur, et vita Electorum vestrorum vivant, tam vana, et inepta, et sacrilega, quam vos vivitis, quando valde laudamini [1]; aut si melioris meriti sunt, in melones et cucumeres, vel in alios aliquos cibos veniant, quos vos manducaturi estis, ut vestris ructatibus cito purgentur: merito eos a mandatis evangelicis alienatis; sed et vos ipsos talia sentientes atque suadentes, maxime inde sepa-

[1] Apud Er.-Lugd. et Ven., *loquimini.* M.

[1] Plures Mss., *qua vos viritis, qua valde laudamini.*

rare debetis. Si enim hæc vanitas ad fidem evangelicam pertineret, non debuit dicere Dominus, *Esurivi, et dedistis mihi manducare:* sed, Esuristis, et manducastis me; aut, Esurivi, et manducavi vos. Neque enim ex illo jam ministrationis merito, secundum vestra deliramenta, quisquam recipietur in regnum Dei, quia manducare sanctis dedit; sed quia vel manducavit quos anhelaret, vel manducatus est a quibus anhelaretur in cœlum. Nec illi dicerent, *Domine, quando te vidimus esurientem, et dedimus tibi manducare?* Sed dicerent, Quando te vidimus esurientem, et manducasti nos? quibus ille non responderet, *Cum uni ex minimis meis dedistis, mihi dedistis* (*Matth.* xxv, 35 40) : sed, Cum unus ex minimis meis vos manducavit, ego vos manducavi.

CAPUT XI. — Hæc portenta sentientes et docentes, et secundum hæc viventes, audetis vos dicere evangelica præcepta servare, et catholicæ Ecclesiæ deregare, in qua sunt tam multi pusilli cum magnis, quos utrosque Dominus benedicit, pro suis gradibus evangelica mandata servantes, et evangelica promissa sperantes. Sed vestrum oculum malevolus error in solam paleam nostræ segetis ducit : nam et triticum ibi cito videretis, si et esse velletis. In vobis autem, et qui manichæi ficti sunt, mali sunt; et qui ficti non sunt, vani sunt. Ubi enim fides ipsa ficta est, et qui ea simulate utitur, fallit; et qui eam veram existimat, fallitur : nec ex ea potest existere bona vita; quia ex amore suo quisque vivit, vel bene vel male. Vos autem si spiritualis atque intelligibilis boni charitate, ac non corporalium phantasmatum cupiditate arderetis, ut cito dicam quod de vobis notissimum est, solem istum corporeum, non pro divina substantia, et pro sapientiæ luce coleretis.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Accipis Vetus Testamentum? Quomodo, cujus præcepta non servo? Puto quidem quia nec tu : nam peritomen ego ut pudendam despuï; ac, si non fallor, et tu. Cessationem sabbatorum, ut supervacuam; credo quod et tu. Sacrificia, ut idololatriam; non dubito quod et tu. Porcina certe non ego sola abstineo; tu item non solam comedis. Ego quidem, quia omnem carnem immundam existimem; tu vero, quia nihil immundum : quo utroque, ab utroque nostrum, Vetus destruitur Testamentum. Azimophagiæ hebdomadas [1], scenopegiam, uterque nostrum tanquam inutilia et vana contempsit. Lineis vestibus non inserere purpuras. In adulteriis ponere vestem linostimam [2]. Bovem et asinum jungere, si necesse sit, in sacrilegiis numerare. Calvum ac reburrum, et similis notæ hominem non constituere sacerdotem, quia sunt hujusmodi apud Deum immundi, uterque contempsimus, risimus, nec in secundis habuimus, nec in primis : quæ omnia præcepta sunt et justificationes Veteris Testamenti. Quod ergo objicis, tibi mecum commune est, sive crimen putandum, sive recte factum : uterque enim nostrum Vetus respuit Testamentum. Ergo si quid intersit inter meam fidem quæris et tuam; hoc, quia tibi mentiri libet, et illiberaliter agere, ut quod mente oderis, verbo collaudes : ego fallere non didici, quod sentio loquor, tam turpium odisse me fateor præceptores, quam ipsa præcepta.

CAPUT II. — Augustinus respondit : Quemadmodum et quare accipiatur Testamentum Vetus ab hæredibus Testamenti Novi, jam supra diximus (*Lib.* 4, *cap.* 2). Sed quia paulo ante de promissis ejus Faustus egit, nunc autem de præceptis agere voluit; respondeo istos omnino nescire quid intersit inter præcepta vitæ agendæ, et præcepta vitæ significandæ. Exempli gratia : *Non concupisces* (*Exod.* xx, 17), præceptum est agendæ vitæ; *Circumcides omnem masculum octavo die* (*Gen.* xvii, 10-12), præceptum est significandæ vitæ. Ex hac quippe imperitia Manichæi, et omnes quibus displicent litteræ Veteris Testamenti, quidquid Deus mandavit priori populo ad celebrandum, umbram futurorum non intelligentes, et ea modo non observari animadvertentes, ex more præsentis temporis illa reprehendunt, quæ utique illi tempori congruebant, quo ista quæ nunc manifesta sunt, ventura significarentur. Sed quid dicturi sunt adversus Apostolum, qui ait : *Hæc omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit* (*I Cor.* x, 6, 11)? Ecce ipse aperuit cur illæ Litteræ accipiantur a nobis, et cur illa rerum signa jam necesse non sit ut observentur a nobis. Cum enim dicit, *Scripta sunt propter nos*, procul dubio demonstrat quanta nobis cura legenda et intelligenda, et in quanta auctoritate habenda sint, quia propter nos utique scripta sunt : cum vero dicit, *Figuræ nostræ fuerunt;* et, *In figura contingebant illis* [1], ostendit jam non opus esse ut cum res ipsas manifestatas agimus, figurarum prænuntiantium celebrationi serviamus. Unde dicit alio loco : *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum; quæ sunt umbra futurorum* (*Coloss.* II, 16, 17). Illinc etiam cum dicit, *Nemo vos* in eis *judicet*, declarat quam non sit necesse ut jam hæc observentur : cum autem dicit, *Quæ sunt umbra futurorum*, ostendit quam oportuerit ut illo tempore observarentur, quo ista quæ nobis jam manifestata eluxerunt, per tales umbras figurarum futura prædicebantur.

CAPUT III. — Proinde si Manichæi resurrectione

[1] Editio Lov., *Azimorum festa, hebdomadas.* Am. Er. et aliquot Mss., *Azima facta, hebdomadas.* Alii Mss. plures, *Azimophegiæ*, aut *Azimophagiæ hebdomadas.* Hæc verior lectio.

[2] Am. et Er., *linistemam.* Lov., *linistimam.* Multi Mss., *linostimum.*

[1] Plures manuscripti passim, *contingebant in illis.*

Domini justificarentur, cujus resurrectionis dies, ex die quidem passionis tertius, post diem tamen sabbati, hoc est post septimum, octavus fuit : profecto spoliarentur carnali velamento mortalium desideriorum : et cordis circumcisione gaudentes, non eam in carne adumbratam figuratamque deriderent tempore Veteris Testamenti, quamvis jam tempore Novi Testamenti fieri observarique non cogerent. In quo enim membro congruentius exspoliatio carnalis et mortalis concupiscentiæ figuratur, quam unde carnalis et mortalis fetus exoritur ? Sed, sicut dicit Apostolus, *Omnia munda mundis ; immundis autem et infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum et mens et conscientia* (*Tit.* I, 15). Itaque isti, qui nimis mundi sibi videntur, quia illa membra tanquam immunda aversantur, aut aversari se fingunt, in eas infidelitatis et erroris immunditias inciderunt, ut cum detestentur circumcisionem carnis, quam dixit Apostolus *signaculum justitiæ fidei* (*Rom.* IV, 11), in ipsis tamen carnalibus membris divina Dei sui membra credant colligata et inquinata detineri : ut cum carnem immundam dicunt, et Deum illic ex parte, qua ibi tenetur, immundum factum dicere compellantur ; quippe quem mundari oportere asserunt : quod donec fiat, quantum fieri potuerit, interim nunc eum perpeti omnia quæ carnes patiuntur, non tantum in labore et dolore afflictionum, sed etiam in voluptate corruptelarum. Ei namque se dicunt parcere, quod non concumbunt, ne nodis carneis arctius implicetur, et sordidius inquinetur. Cum ergo Apostolus dicat, *Omnia munda mundis*, utique hominibus qui possunt in deterius voluntatis perversitate mutari ; quanto magis omnia munda sunt Deo, qui semper incommutabilis et incontaminabilis permanet ? De cujus sapientia divina dictum est in eis Libris, quos reprehendendo vehementius inquinamini, quod *nihil inquinatum in eam incurrit, et attingit ubique propter suam munditiam* (*Sap.* VII, 25, 24). Quapropter, o immundissima vanitas, itane displicet tibi in membro humano, unde humana generatio propagatur, signum regenerationis humanæ, illum cui munda sunt omnia Deum jussisse constitui ; et placet tibi etiam in flagitiis, quæ illo membro ab impudicis hominibus perpetrantur, ipsum Deum vestrum, cui nihil est mundum, ex parte suæ naturæ commaculari atque corrumpi ? Quid enim patitur in variis turpibus corruptelis, quem conjugali quoque concubitu creditis inquinari ? Ad id etiam quod dicere soletis [1], Ergone deerat, ubi Deus præfiguraret signaculum justitiæ fidei, nisi in illo membro ? respondetur, Cur enim non et ibi ? Primo, quia omnia munda mundis, quanto magis Deo ? Deinde quia hoc Apostolus dixit, signaculum datum Abrahæ justitiæ fidei, in tali circumcisione. Vos autem nolite erubescere, si potestis, cum vobis dicitur : Ergone deerat Deo vestro quid ageret, ne suæ naturæ partem istis membris, quæ sic despuitis, implicaret ? Pudenda quidem ista dicuntur hominibus propter nostræ mortalitatis corruptibilem pœnalemque propaginem, quæ inde subsistit : quibus casti adhibent verecundiam, impudici petulantiam, Deus justitiam.

CAPUT IV. — Cessationem vero sabbatorum jam quidem supervacuam ducimus ad observandum, ex quo spes revelata est nostræ quietis æternæ ; non tamen ad legendum et intelligendum : quia propheticis temporibus cum essent ista quæ nobis hoc tempore patefacta sunt, non tantum sermonibus, sed et actionibus præfiguranda et prænuntianda ; illo signo quod legimus, res ista prænotata est quam tenemus. Vos autem volo mihi dicatis, cur vestram cessationem nolitis implere ? Judæi quippe sabbato suo, quod adhuc carnaliter sapiunt, non solum in agro fructum nullum decerpunt, sed nec in domo concidunt aut coquunt. Vos autem cessantes quidem exspectatis quis Auditorum vestrorum propter vos pascendos cultello vel falcicula armatus in hortum prosiliat, homicida cucurbitarum, quarum vobis afferat, mirum dictu, viva cadavera. Nam si non eas occidit, quid vos in tali facto metuitis ? Si autem occiduntur cum decerpuntur, quomodo eis inest vita, cui purgandæ atque recreandæ manducando atque ructando vos asseritis subvenire ? Accipitis ergo viventes cucurbitas, quas, si possetis, deglutire deberetis : ut post illud unum vulnus, in quo eas cum decerpsit vester Auditor, reus factus est, vestra indulgentia liberandus ; saltem deinceps ad officinam aqualiculi vestri, ubi Deum vestrum illo prælio confractum, reformare possetis, illæsæ atque integræ pervenirent. Nunc autem antequam eis conterendis dentes incumbant, minutatim, si hoc palato placuerit, conciduntur a vobis : quibus tam crebris vulneribus earum, quomodo vos non estis rei ? Videte quemadmodum vobis expediret ut quod uno in septem diebus faciunt Judæi, vos quotidie faceretis, et a tali etiam domestico opere cessaretis. Jam quid in igne cucurbitæ patiuntur, ubi certe non reformatur vita, quæ in eis est ? Non enim fervens olla sancto ventri comparari potest : et tamen irridetis, tanquam superfluam sabbati cessationem. Quanto utique sanius, non solum eam non reprehenderetis in Patribus, quando superflua non fuit ; sed etiam nunc, quando jam superflua est, ipsam potius teneretis, quam istam vestram non significatione acceptabilem, sed errore damnabilem ; quam etiam non implendo rei estis secundum opinionem vestræ vanitatis, et implendo vani [1] secundum judicium veritatis ? dicitis enim dolorem sentire fructum, cum de arbore carpitur, sentire cum conciditur, cum teritur, cum coquitur, cum manditur. Non ergo debuistis vesci, nisi eis quæ cruda et illæsa possunt transvorari, ut unum saltem dolorem cum decerpuntur, non a vobis, sed a vestris Auditoribus paterentur.

Sed dicitis : Quomodo subvenimus tantæ vitæ, si

[1] Codices Mss non pauci, *Audete jam dicere quod solemus.*

[1] Am. Er. et plerique Mss., *et non i* ; omisso verbo, *implendo.*

ea tantum absumimus, quæ incocta et mollia possunt absorberi? Si ergo ista compensatione tam multos cibis vestris dolores infligitis; cur ab illo solo abstinetis, ad quem maxime ista necessitas cogit? Nam fructus potest et crudus comedi, sicut se nonnulli vestri exercuerunt, ut hoc non tantum de pomis, verum etiam de omnibus oleribus facerent. Si autem non vellatur, aut decidatur, aut quoquo modo dematur ex terra vel arbore, venire ad escam nullo pacto potest. Hoc ergo facile debuit esse veniale, sine quo ei subvenire non valeretis, non illi tam multi cruciatus, quos in præparandis escis, membris Dei vestri non dubitatis inferre. At enim plorat arbor, cum fructus carpitur: hoc quippe dicere non erubescitis. Certe novit omnia vita quæ ibi est, et præsentit quis ad eam veniat. Venientibus ergo Electis, et poma carpentibus, gaudere debuit, non plorare: illum transitorium dolorem tanta felicitate compensans, et tantam evadens miseriam, si in alios incidisset. Cur itaque pomum non decerpitis, cum decerpto tam multas plagas doloresque ingeratis? Respondete, si potestis. Nec ipsa jejunia vobis competunt: non enim oportet vacare fornacem, in qua spirituale aurum de stercoris commixtione purgatur, et a miserandis nexibus divina membra solvuntur. Quapropter ille est misericordior inter vos, qui se potuerit ita exercere, ut nihil ejus valetudini obsit, sæpe crudos cibos sumere, et multa consumere. Vos autem et tantas pœnas escæ vestræ irrogando crudeliter manducatis, et a membrorum divinorum purgatione cessando crudeliter jejunatis.

CAPUT V.— Et audetis tamen etiam sacrificia Testamenti Veteris exsecrari, et idololatriam nominare, et in hujusmodi sacrilegium nos quoque sociare. Unde pro nobis prius respondemus, sic illa jam non esse in operibus nostris, ut ea tamen in mysteriis divinarum Scripturarum, ad intelligenda quæ his prænuntiata sunt, amplectamur: quia et ipsa figuræ nostræ fuerunt, et omnia talia multis et variis modis unum sacrificium, cujus nunc memoriam celebramus, significaverunt. Unde isto revelato, et suo tempore oblato, illa de agendi celebritate sublata sunt, sed in significandi auctoritate manserunt. *Scripta sunt* enim *propter nos, in quos fines sæculorum obvenit* (I *Cor.* x, 11). Sed in eis videlicet interfectio vos movet animalium, cum ista omnis creatura usibus hominum quodam modo conditionaliter serviat. Sed vos, qui homini mendico esurienti panem non porrigitis, misericordes estis in pecora, quibus animas humanas inesse creditis. Dominus autem Jesus in ea crudelis fuit, cum dæmones in gregem porcorum, cum id ab eo peterent, ire permisit (*Matth.* VIII, 32). Qui etiam nondum demonstrato per passionem sacrificio corporis sui, cuidam leproso, quem mundaverat, ait: *Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus tuum, quod præcepit Moyses*[1], *in testimonium illis* (*Luc.* V, 14). Magis enim, quia et per Prophetas Deus sæpe testatur, nullius se talis muneris indigere, et facile est ratione perspicere quod nec ejus rei egeat, qui nullius eget; compellitur animus humanus inquirere quid nos per hæc docere voluerit, qui utique non frustra ea, quibus non indiget, sibi juberet offerri, nisi aliquid in eis ostenderet, quod nobis et nosse prodesset, et talibus signis præfigurari oporteret. Vos autem quanto melius et honestius istis, quamvis jam nostro tempori non necessariis, tamen significantibus aliquid et docentibus, sacrificiis subderemini, quam vobis ab Auditoribus vestris vivas escarum victimas offerri juberetis et crederetis? Nam cum apostolus Paulus de quibusdam, propter epulas Evangelium prædicantibus, congruentissime dixerit, *Quorum Deus venter est* (*Philipp.* III, 19); quanto vos arrogantiore impietate jactatis; qui ventrem vestrum non Deum, sed quod sceleratioris audaciæ est, Dei mundatorem dicere non timetis? Cujus porro dementiæ est, pios se videri velle, quod ab animalium interfectione se temperent, cum omnes suas escas easdem animas habere dicant; quibus, ut putant, viventibus, tanta vulnera et manibus et dentibus ingerunt?

CAPUT VI.— Cur autem, si carnibus vesci non vultis, non ipsa animalia Deo vestro oblata mactatis, ut animæ illæ, quas non solum putatis humanas, sed ita divinas, ut ipsa Dei membra esse credatis, a carnis carcere dimittantur, et ne iterum redeant, vestris orationibus commendentur? An amplius eas adjuvatis ventre quam mente, et illa potius Dei natura salvatur, quæ vestris visceribus exhalari meruerit, quam quæ vestris precibus commendari? Propterea ergo ventri vestro pecora non sacrificatis, quia ea viva absumere non potestis, ut eorum animas intercessione vestri stomachi liberetis. O beata olera, quibus et manu evulsis, et ferro concisis, et igne cruciatis, et dente contritis, concessum est tamen ut ad vestrorum intestinorum aras, viva perveniant! et o misera pecora, quæ cum citius de corpore suo exeunt, in vestra corpora intrare non possunt! Ita delirantes adhuc putatis quod ideo sumus inimici Veteris Testamenti, quia nullam carnem immundam ducimus, tenentes Apostoli sententiam, dicentis, *Omnia munda mundis* (*Tit.* I, 15); et illud ubi Dominus ait, *Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit* (*Matth.* XV, 11). Quod non ad solas turbas Dominus dixit, sicut vester Adimantus, quem post Manichæum Faustus præcipue laudat, cum Veteri Testamento calumniaretur, voluit intelligi; sed etiam remotus a turbis, hoc idem discipulis suis evidentius et expressius elocutus est (*a*). Cum enim hanc Domini sententiam Testamento Veteri opposuisset Adimantus, quia in illo scripta sunt quædam immunda carnium, a quibus ille populus jussus est abstinere, timuit ne sibi diceretur: Cur ergo vos non quasdam, sed omnes carnes immundas existimatis, atque ab edendis omnibus temperatis; cum tu ipse proferas evangelicum testimonium, non coinquinari hominem ex iis quæ in os ingrediuntur, et in ventrem vadunt, atque in latrinam emittuntur? Itaque has arctissimas, et fallaciam

[1] Er. omnesque prope Mss., *et offer pro te quod præcepit Moyses.*

(*a*) Contra Adimantum, capp. 14, 15.

suam manifestissima veritate præfocantes angustias conatus evadere, ait hoc Dominum ad turbas dixisse, quasi paucis ille in secreto vera diceret, in turbas autem falsa jactaret : cum et hoc de Domino credere sacrilegum sit; et omnes qui legunt, noverint, hoc et remotis turbis [1] eum planius dixisse discipulis. Quapropter quia in exordio harum litterarum suarum Faustus sic miratur Adimantum, ut ei solum præferat Manichæum, compendio requiro utrum ista Domini sententia, qua dixit non inquinari hominem iis quæ in os ejus intrant, vera an falsa sit. Si falsam dicunt, cur eam tantus eorum doctor Adimantus a Christo prolatam dicens, ad expugnandum Testamentum Vetus objecit? Si autem vera est, cur adversus eam credunt se coinquinari, si quacumque carne vescantur? nisi forte verum respondere velint, et dicere, Apostolum non dixisse, Omnia munda hæreticis; sed, *omnia munda mundis*. Cur enim non sint [2] istis hæc munda, idem apostolus sequitur, et dicit : *Immundis autem et infidelibus nihil est mundum; sed polluta sunt eorum et mens et conscientia* (*Tit.* I, 15). Unde revera Manichæis omnino nihil est mundum, quandoquidem etiam ipsam Dei substantiam vel naturam, non solum coinquinari potuisse, sed etiam ex parte coinquinatam esse contendunt; nec solum coinquinatam esse, verum etiam ex omni parte recuperari mundarique non posse. Unde mirum est quod ita se dicunt immundas omnes carnes existimare, et ob hoc ab eis abstinere, quasi aliquid existiment esse mundum, non solum escarum, sed omnium creaturarum. Nam et ipsa olera, et poma, et omnes fruges, et totam terram, et cœlum, commixtione gentis tenebrarum perhibent inquinata Utinam ergo et in cæteris cibis errori suo congruerent, atque ab iis, quæ immunda dicunt, omnibus abstinendo, fame potius morerentur, quam tales blasphemias pertinaciter loquerentur! nam se corrigere atque emendare nolentibus, hoc esse utilius quis non intelligat?

CAPUT VII. — Testamento autem Veteri, ubi quidam cibi carnium prohibentur, cur non sit contraria ista sententia, qua dicit Apostolus, *Omnia munda mundis;* et, *Omnis creatura Dei bona est* (1 *Tim.* IV, 4); si possunt, intelligant hoc Apostolum de ipsis dixisse naturis; illas autem Litteras propter quasdam præfigurationes tempori congruentes, animalia quædam, non natura, sed significatione immunda dixisse. Itaque, verbi gratia, si de porco et agno requiratur, utrumque natura mundum est, quia omnis creatura Dei bona est; quadam vero significatione agnus mundus, porcus immundus est : tanquam si stultum et sapientem diceres, utrumque hoc verbum natura vocis et litterarum et syllabarum quibus constat, utique mundum est; significatione autem unum horum verbum, quod [3] dicitur stultus, immundum dici potest, non natura sui, sed quoniam quiddam immundum significat. Et fortasse quod est in rerum figuris porcus, hoc est in rerum genere stultus; et tam illud animal, quam istæ duæ syllabæ, quod dicitur stultus, quiddam unum idemque significat. Immundum quippe illud animal in Lege positum est, eo quod non ruminet : non autem hoc ejus vitium, sed natura est. Sunt autem homines qui per hoc animal significantur, immundi proprio vitio, non natura : qui cum libenter audiant verba sapientiæ, postea de his omnino non cogitant. Quod enim utile audieris, velut ab intestino memoriæ, tanquam ad os cogitationis, recordandi dulcedine revocare, quid est aliud, quam spiritualiter quodam modo ruminare? Quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurantur. Unde et ipsa a talibus carnibus abstinentia, tale vitium nos cavere præmonuit. Cum enim thesaurus desiderabilis sit ipsa sapientia, de hac munditia ruminandi et immunditia non ruminandi alio loco scriptum est : *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; vir autem stultus glutiit illum* (*Prov.* XXI, 20). Hæ autem similitudines rerum in locutionibus vel observationibus figuratis, propter quærendi et comparandi exercitationem, rationales mentes utiliter et suaviter movent. Sed priori populo multa talia non tantum audienda, verum etiam observanda præcepta sunt. Tempus enim erat quo non tantum dictis, sed etiam factis prophetari oporteret ea quæ posteriori tempore fuerant revelanda. Quibus per Christum atque in Christo revelatis, fidei gentium onera observationum non sunt imposita, prophetiæ tamen auctoritas commendata. Ecce nos diximus qua causa, cum secundum Domini Apostolique sententiam nullas animalium carnes immundas habeamus, Vetere tamen Testamento, ubi quædam immundæ [4] dictæ sunt, non adversemur : vos jam dicite, quare immundas carnes existimetis.

CAPUT VIII. — Si secundum errorem vestrum, propter commixtionem gentis tenebrarum; non carnes, sed ipse Deus vester immundus est in ea parte, quam velut debellandis et captivandis hostibus absorbendam et inquinandam misit et miscuit : deinde propter ipsam commixtionem, etiam quidquid aliud manducatis, immundum est. Sed dicitis : Multo amplius immundæ sunt carnes. Et quare amplius immundæ sint carnes, longum est eorum de hac re deliramenta commemorare; sed breviter attingam quod sat est, ut inspiciantur reprehensores Veteris Testamenti, tanta stultitiæ vetustate confecti, ut carnis accusatores sine ulla spirituali veritate solam carnem sapere convincantur. Fortasse enim paulo prolixior ista responsio sic adversus eos lectorem instruet, ut in cæteris responsionibus non a nobis tam multa verba requirantur. Dicunt enim isti vaniloqui et mentis seductores, in illa pugna, quando primus eorum homo, tenebrarum gentem elementis fallacibus irretivit, utriusque sexus principibus indidem captis [5], cum ex eis mundus construeretur, plerosque eorum

[1] Lov., *ad turbas hoc, et remotis turbis*. Editi vero alii et Mss. non habent, *ad turbas*.
[2] In R. Abest, *sint*. Er. Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.
[3] Er. Lugd. Ven. Lov., *quo*. M.
[4] Sola fere editio Lov. addit, *vel mundæ*.
[5] Sic plerique Mss. At editi, *ibidem captis*.

in cœlestibus fabricis colligatos, in quibus erant etiam feminæ aliquæ prægnantes: quæ cum cœlum rotari cœpisset, eamdem vertiginem ferre non valentes, conceptus suos abortu excussisse; eosdemque abortivos fetus et masculos et feminas de cœlo in terram cecidisse, vixisse, crevisse, concubuisse, genuisse. Hinc esse dicunt originem carnium omnium, quæ moventur in terra, in aqua, in aere. Ergo si de cœlo est origo carnium, absurdissimum est propter hoc eas immundiores putare: præsertim quia in ipsa structura mundi, eosdem principes tenebrarum, ita per omnes contextiones a summis usque ad ima colligatos dicunt, ut quanto quique amplius haberent commixti boni, tanto sublimius collocari mererentur; ac per hoc mundiores carnes esse deberent, quarum origo de cœlo est, quam fruges quæ oriuntur ex terra. Deinde, quid tam insanum dici potest, quam conceptos fetus [1] ante vitæ commixtionem tanto vivaciores fuisse, ut et abortivi et de cœlo in terram ruentes viverent; commixta autem vita nisi tempore maturo editi, vivere non possint, et si de paulo altiore loco cadant, continuo moriantur? Utique si regnum vitæ contra regnum mortis belligeravit, commixta vita vivaciores facere debuit, non corruptibiliores. Quod si in sua natura quæque res magis suam retinet incorruptionem, non duas naturas bonam et malam, sed duas bonas, quarum sit una melior, prædicare debuerunt. Unde igitur asserunt immundiores carnes, quas de cœlo genus ducere affirmant, istas duntaxat omnibus notas? Nam ipsa prima corpora principum tenebrarum, ex arboribus ibidem natis tanquam vermiculos opinantur exorta; ipsas autem arbores ex quinque illis elementis. Proinde si animalium corpora primam originem habent ex arboribus, secundam de cœlo; quid causæ est ut immundiora quam fructus arborum existimentur? Si propterea quia cum moriuntur, amittunt animam, ut jam immundum sit quidquid vita deserente remanserit; cur eodem pacto non sunt immunda olera vel poma, quæ utique, sicut supra dictum est, cum decerpuntur vel avelluntur, moriuntur? Horum quippe homicidiorum rei esse nolunt, dum nihil vel ex terra vel ex arbore decerpunt. Deinde, cum duas animas esse in uno animantis corpore affirment, unam bonam de gente lucis, alteram malam de gente tenebrarum; numquid, cum occiditur animal, bona anima fugit, et mala remanet? Si enim hoc esset, sic viveret animal occisum, quomodo vivebat in gente tenebrarum, quando solam suæ gentis habebat animam, qua etiam rebellaverat adversum regna divina. Cum ergo in morte cujuslibet animalis, utraque anima et bona et mala deserat carnem; cur immunda caro dicitur, quasi a sola bona anima deseratur? Quia etsi aliquæ vitæ reliquiæ remanent, ex utraque remanent: nec ipsum quippe fimum dicunt remanere sine aliquibus exiguis reliquiis membrorum Dei. Nullam igitur causam reperiunt, cur asseverent carnes frugibus immundiores. Sed videlicet fallacem castitatem suam ostentare conantes, eo putant immundiorem carnem, quod de concubitu existat: quasi non tanto vehementius cogantur membro illi divino manducando succurrere, quanto illic arctius colligatum putant. Postremo, si ista causa est majoris immunditiæ carnium, ea comdant animalium corpora, quæ non de concubitu oriuntur, sicut sunt innumerabilia genera vermium, quorum nonnullos vulgo edunt quædam Venetiæ regiones ex arboribus natos. Ranas etiam quas repente ex una pluvia terra generat, in escam isti assumere debuerunt, ut Dei sui membra talibus formis commixta liberarent, si eam carnem detestantur, quæ concubitu propagatur; et genus humanum erroris arguerent, quod gallinis columbisque vescantur, ex masculorum feminarumque coitu procreatis, et mundiores cœli et terræ filias ranas abjiciant. Nam secundum istorum fabulam mundiores sunt primi principes tenebrarum, quorum parentes arbores fuerunt, quam ipse Manichæus, quem pater et mater concumbendo genuerunt: mundiores etiam pediculi eorum, qui sine concubitu, sudore carnis vel corporis exhalatione nascuntur, quam isti ipsi miseri, qui de parentibus concumbentibus nati sunt. Aut si jam quidquid ex carne etiam sine concubitu nascitur, propterea putant immundum, quia ipsa caro ex concubitu est; immunda erunt olera et fruges, quæ de stercoribus fertilius uberiusque surrexerint. Ubi videant quid faciant, vel quid respondeant, qui fruges dicunt mundiores esse quam carnes. Nam stercore quid immundius ex carne projicitur, et quid frugibus feracius adhibetur? Certe ipsi dicunt per attritiones et digestiones ciborum, fugere inde vitam, et exiguum quiddam in stercore remanere. Cur ergo ubi exigua vita remanet, inde cibi vestri, hoc est fructus terræ, de stercore et meliores et majores et plures existunt? Caro non purgamentis terræ, sed fetibus pascitur: terra vero purgamentis carnis, non fetibus fecundatur. Eligant quid sit mundius: aut jam correcti desinant esse immundi et infideles quibus nihil sit mundum, et nobiscum amplectantur Apostolum dicentem, *Omnia munda mundis* (*Tit.* I, 15). Domini est terra et plenitudo ejus (*Psal.* XXIII, 1). Omnis creatura Dei bona est (I *Tim.* IV, 4). Omnia quippe quæ naturaliter sunt, in ordine suo bona sunt: et nemo in eis peccat; nisi qui ordinem suum in Dei obedientia non custodiens, eorum quoque ordinem male utendo perturbat.

CAPUT IX. — Patres autem nostri qui Deo placuerunt, tenuerunt ordinem suum in ipsa obedientia, ut quidquid Deus temporibus congruis jubendo distribuit, sic observarent, quemadmodum ille distribuit. Itaque non solum carnes ad cibum datas, cum omnes natura mundæ essent, quasdam tamen nonnulla significatione immundas illo tempore non ederunt, quo eas [1] non edi præceptum erat, ut talibus significationibus futura rerum manifestatio præfiguraretur: sed et azymum panem, et cætera hujusmodi, in quibus fuisse umbram futurorum dicit Apostolus (*Hebr.*

[1] Lovanienses Belgicorum codicum auctoritate posuerunt, *conceptus factos*. Melius Am. Er. et nonnulli Gallicani Mss., *conceptos fetus*.

[1] Er. Lugd. Ven., *quod eas*. M.

x, 1), tam rei essent illius temporis et illius populi homines, si observare contemnerent, quando sic illa fieri, et ista quæ nunc revelata sunt, tunc sic prænuntiari oportebat ; quam nos desipientes essemus, si nunc jam manifestato Novo Testamento, illas prænuntiativas observationes, aliquid nobis prodesse putaremus. Sicut sacrilegi et impii, si eosdem Libros qui propter nos scripti sunt, ut ea quæ jam nobis revelata et in manifestatione annuntiata sunt, tanto ante illis figuris prænuntiata cognoscentes, fideliter et firmiter teneremus, ideo putaremus abjiciendos, quia ea quæ ibi scripta sunt, non jam observare corporaliter, sed intelligere et facere spiritualiter nos Dominus jubet. *Scripta sunt* enim *propter nos, in quos finis sæculorum obvenit*, sicut item dicit idem apostolus (I *Cor.* x, 11). Omnia enim quæ ante scripta sunt, ut nos doceremur scripta sunt (*Rom.* xv, 4). Quapropter, non manducare azymum per statutos septem dies (*Exod.* xii, 15), tempore Veteris Testamenti peccatum fuit; tempore autem Novi Testamenti non est peccatum : sed in spe futuri sæculi quam habemus in Christo, qui et animam nostram induens justitia, et corpus nostrum induens immortalitate, totos nos innovat, credere aliquid ex veteris corruptionis necessitate atque indigentia nos passuros vel acturos, semper peccatum est, quamdiu volvuntur isti septem dies quibus peragitur tempus : sed hoc Veteris Testamenti temporibus in figura occultatum, a quibusdam sanctis intelligebatur ; tempore autem Novi Testamenti in manifestatione revelatum, populis prædicatur. Unde Scriptura illa tunc erat præceptum, nunc testimonium. Scenopegiam non celebrare aliquando peccatum fuit (*Lev.* xxiii, 34) ; nunc non est peccatum : tabernaculo autem Dei quod est Ecclesia non compaginari, semper peccatum est; sed tunc agebatur sub præcepto figurato, nunc legitur in testimonio revelato. Nam et illud quod tunc factum est, non diceretur tabernaculum testimonii, nisi alicui veritati quæ suo tempore declaranda erat, quadam congruentia significationis attestaretur. Lineis vestibus miscere purpuram, et linostima veste indui aliquando peccatum fuit (*Deut.* xxii, 11) ; nunc non est peccatum : sed inordinate vivere, et diversi generis professiones velle miscere, ut vel sanctimonialis habeat ornamenta nuptarum, vel ea quæ se non continens nupsit, speciem virginis gerat, omni modo peccatum est ; et si quid inconvenienter ex diverso genere in vita cujusque contexitur. Verum illud tunc figurabatur in vestibus, quod nunc declaratur in moribus. Illud enim erat tempus significandi, hoc manifestandi. Ergo ipsa Scriptura, quæ tunc fuit exactrix operum significantium, nunc testis est rerum significatarum ; et quæ tunc observabatur ad prænuntiationem, nunc recitatur ad confirmationem. Bovem et asinum ad operandum jungere tunc non licebat (*Deut.* xxii, 10) ; nunc licet. Declaratum est enim per Apostolum, cum de bove triturante non infrenando Scripturam recoleret, dicentem : *Numquid de bobus cura est Deo ?* Quare ergo nunc legitur, quando id quod prohibuit jam licet? Quia idem ipse ibi secutus Apostolus ait : *Propter nos Scriptura dicit* (I *Cor.* ix, 9, 10). Et utique impium est ut non legamus nos quod scriptum est propter nos : magis enim propter nos, quibus manifestatur, quam propter illos in quibus figurabatur. Bovem quippe et asinum, si necesse sit, unusquisque sine detrimento operis jungit : sapientem vero et stultum, non ut unus præcipiat, et alter obtemperet, sed pariter ex æquali potestate, ut annuntient verbum Dei, non sine scandalo quisquam comites facit. Itaque eamdem Scripturam tenemus, et tunc potestate præcipientem umbris tegendum, quod nunc aperiretur ; et nunc auctoritate attestantem luce apertum, quod tunc tegebatur.

De calvo autem et reburro (*Levit.* xiii, 40), quod eos immundos Lex dixerit, parum Faustus attenderat, aut in mendosum codicem inciderat. Sed utinam ipse calvam frontem habere voluisset [1], atque in ea crucem Christi figere non erubuisset : profecto Christum clamantem, *Ego sum veritas* (*Joan.* xiv, 6), nec cum falsis vulneribus occubuisse, nec cum falsis cicatricibus resurrexisse credidisset. Quin etiam dicit : *Ego fallere non didici; quod sentio loquor.* Non est ergo discipulus Christi sui, quem falsas cicatrices dubitantibus discipulis demonstrasse insanus opinatur, et non solum de cæteris vanitatibus suis, sed etiam de ipsa Christi fallacia sibi tanquam non fallenti vult credi : utrum Christo melior [2], quo fallente ipse non fallit; an eo ipso non veracis Christi, sed fallacis Manichæi discipulus, cum et in hoc fallit, in quo se non didicisse fallere gloriatur ?

[1] Editi vulgo sic ferunt. Plures tamen veteres Mss., *Sed utinam ipse calvam frontem habere noluisset.*

[2] Sic Am. Er. et plerique Mss. At Lov., *vult credi. Viderit quis utrum Christo sit melior.*

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Quare non credis in genealogiam Jesu? Multæ quidem sunt causæ, sed palmaris illa, quia nec ipse ore suo usquam se fatetur patrem habere, aut genus in terra : sed e contra, quia non sit de hoc mundo, quia a Patre Deo processerit, quia descenderit de cœlo, quia non sibi sint mater et fratres, nisi qui fecerint voluntatem Patris sui, qui in cœlis est. Ad hæc, illi ipsi qui has ei genealogias ascribunt, non eum ante nativitatem cognovisse videntur : sed neque statim ut natus est, quo crederentur ea scripsisse, quæ erga eum oculis suis viderint gesta; sed juveni jam et maturo conjuncti sunt ei, id est, annorum ferme triginta : siquidem et ætas ascribi divinis potest [1] sine blasphemia. Quare cum in omni testimonio veritatis hoc semper quæri soleat, utrumne quis audierit, an viderit; isti vero

[1] Sola ex omnibus Amerbachiana editio, *non potest.*

nec audisse se fateantur ab ipso generationis hunc ordinem, aut quia omnino sit natus; nec vidisse oculis, quia longo post tempore, id est, post Baptismum cognoverint eum : mihi et omni recte judicanti, tam stultum videtur hoc credere, quam si quis cæcum et surdum testem in judicium vocet.

CAPUT II. — Augustinus respondit : Quam dicit palmarem causam, cur non accipiat genealogiam Jesu Christi, ibi apertissime victus ostenditur, legentibus quæ supra diximus de Filio hominis, quod tam crebro se Christus esse testatur (*Matth.* VIII, 20), et de Filio Dei, quomodo idem ipse sit et filius hominis (*Id.* IX, 6); quomodo secundum divinitatem non habeat genus in terra, secundum carnem autem sit ex semine David, sicut apostolica doctrina testatur (*Rom.* I, 3, *et* II *Tim.* II, 8). Unde oportet eum credi et intelligi, et a Patre exisse (*Joan.* XVI, 28), et de cœlo venisse (*Id.* VI, 41), et hic tamen Verbum carnem factum inter homines habitasse (*Id.* I, 14). Quod si propterea putant eum non habuisse in terra matrem vel genus, quia dixit, *Quæ mihi mater, vel qui fratres* (*Matth.* XII, 48)? superest ut etiam discipulos ejus, quibus hoc exemplum in se ipso præbuit, ut terreni generis necessitudinem propter regnum cœlorum contemnerent, affirment non habuisse patres, quia dixit eis, *Ne vobis dicatis patrem in terra ; unus enim est Pater vester Deus* (*Id.* XXIII, 9). Quod ergo istos de patribus docuit, hoc ipse de matre et fratribus prior fecit : sicut et alia multa, in quibus se nobis, ut eum imitaremur, præbere, et, ut sequeremur, præire dignatus est. Quapropter iste qui in eo quod putat, palmare sic vincitur, quam jaceat et involvatur in cæteris animadvertendum est. Quippe qui propterea dicit non credendum esse Apostolis, qui ejus non solum divinam, sed etiam humanam nativitatem annuntiaverunt, quia postea juveni adhæserunt, et nec viderunt eum natum, nec se hoc ab illo audisse dixerunt. Cur ergo credunt Joanni dicenti, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ; hoc erat in principio apud Deum ; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3), et cætera quæ illis quamvis non intelligentibus tamen placent? Dicant ubi hoc Joannes viderit, aut ubi se hoc ab ipso Domino audisse dixerit. Quidquid enim dixerint, unde hoc Joannes scire potuerit, inde credimus etiam omnes annuntiatores nativitatis Christi, id quod annuntiaverunt scire potuisse. Deinde quæro, unde credant dixisse Dominum, *Quæ mihi mater, aut qui fratres?* Si quia hoc Evangelista narravit, cur ei non credunt et illud, Quia mater ejus et fratres quærebant eum (*Matth.* XII, 48, 46)? Si autem hoc mentitus est, quod nolunt credere, quomodo ei credunt Christum dixisse quod nolunt intelligere? Deinde si Christum natum, quia jam juveni adhæserat, non potuit nosse Matthæus, unde potuit Christum non natum, post tot annos natus nosse Manichæus? Dicturi sunt : Spiritus sanctus hoc sciebat qui erat in Manichæo. Ille sane si Spiritus sanctus esset, vera dixisset. Sed cur non potius de Christo discipulis ejus, qui etiam corporaliter ei adhæserunt, credimus; qui non solum per Spiritum sanctum ab ipso impertitum scire potuerunt, si quid lateret in rebus humanis, sed tam recenti et præsenti memoria, etiam solo humano sensu, genus Christi secundum carnem et totam originem collegerunt? Et tamen cæci et surdi testes dicuntur Apostoli. Utinam tu non tantum cæcus et surdus fuisses, ne tam vana et sacrilega diceres; sed etiam mutus, ne talia diceres!

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Quare non accipis Testamentum Vetus? Quia jam præventus sum Novo : veteri autem et novo non convenit, ut Scriptura testatur. Nam, *Pannum*, inquit, *novum nemo assuit vestimento veteri, alioquin major scissura fiet* (*Matth.* IX, 16, *et Luc.* V, 36). Quia ergo majorem, sicuti vos, scissuram facere caveo, Christianam novitatem Hebraicæ vetustati non misceo [1]. Quis enim non etiam sordidum judicet, novis vestibus indutis, non donare inferioribus vetera [2]? Quapropter, ego etiamsi natus essem Judæus, ut fuerunt Apostoli, dignum tamen erat me, Novo accepto Testamento, Vetus repudiare, ut fecerunt ipsi. Nunc vero et naturæ beneficio consecutus ut sub servitutis jugo non nascerer, et Christo mihi protinus occurrente cum pleno munere libertatis; quam miser et stultus et insuper ingratus ero, si me ultra addixero servituti? Quippe Paulus inde Galatas arguit, quod in circumcisionem relabentes, ad infirma repedarent et egena elementa, quibus denuo servire vellent (*Galat.* IV *et* V). Quomodo ergo id ego admittam, in quo alium videam reprehendi? Turpe est redire in servitutem, sed turpius ire.

CAPUT II. — Augustinus respondit : Jam quidem satis superius ostendimus, quare et quomodo teneamus auctoritatem Veteris Testamenti, non ad Judaicæ servitutis imitationem, sed ad Christianæ libertatis testificationem. Neque enim mea, sed Apostoli vox est, Quia *omnia hæc in figura contingebant illis ; scripta autem sunt propter nos, in quos fines sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 11). Quapropter non in servitute facimus quæ jussa sunt ad nos prænuntiandos, sed in libertate legimus quæ scripta sunt ad nos confirmandos. Quis itaque jam non intelligat, unde Galatas revocat Apostolus, non religiose Scripturam circumcisionis legentes, sed jam superstitiose circumcidi volentes (*Galat.* IV *et* V)? Unde non pannum

[1] Sola fere editio Lov., *sicuti vos scitis, scissuram faceret, caveo Christianam novitatem Hebraicæ vetustati commiscere.*

[2] Apud Er. Lugd., *veteres.* M.

novum vestimento veteri assuimus ; sed erudimur in regno cœlorum, ad similitudinem illius patrisfamilias, quem commemorat Dominus proferentem de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII, 52). Ille autem assuit pannum novum vestimento veteri, qui continentiam vult habere spiritualem, et nondum deposuit spem carnalem. Nam legite diligenter, et videte de jejunio Dominum interrogatum, respondisse, *Nemo assuit pannum novum vestimento veteri* (*Id.* IX, 16). Adhuc enim discipuli Dominum carnaliter diligebant, quandoquidem etiam ne occisum amitterent, formidabant. Unde Petrum revocantem se a passione, satanam appellat, quod non saperet quæ Dei sunt, sed quæ hominum (*Id.* XVI, 23). Proinde attendite in illa phantasia vestra de regno Dei, unde istam lucem solis carni conspicuam tanquam ad exemplum vobis propositam diligitis et adoratis, quam carnalem spem geratis : et invenietis jejunia vestra quomodo prudentiæ carnis, tanquam vestimento veteri assuantur. Verumtamen cum pannus novus vestimento veteri non conveniat, unde potuerunt principibus tenebrarum membra Dei vestri, non adjuncta atque consuta, sed, quod est vehementius, commixta et concreta cohærere? An utrumque vetus est, quia utrumquo falsum, et utrumque de prudentia carnis est? Nisi forte inde vultis probare unum fuisse novum, alterum vetus, quia major scissura facta est ; ut miserabilis pannus de regno lucis abscinderetur, et globo tenebrarum æterna pœna configeretur. Et tamen argute sibi videtur velut acu linguæ divinarum Scripturarum firmamenta compungere [1], talium fabularum sordibus sartor, aut mendicus indutor.

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *compingere*.

LIBER NONUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit : Quare non accipis Vetus Testamentum? Si Apostolis licuit sub eodem natis ab eo discedere, mihi quare non liceat id in quo natus non sum, non usurpare? omnes quippe Gentiles nascimur, non Judæi, non denique Christiani : sed alios ad se ex eadem Gentilitate Testamentum Vetus adducit, facitque Judæos; alios Novum, et initiat Christianos : tanquam si duæ arbores, dulcis et amara, radicibus suis unius terræ in se vim transferant, immutandam qualitatibus suis. Apostolis ergo in dulcem transeuntibus ex amaro, quam demens ero ego, si in amaram convertar ex dulci?

CAPUT II. — AUGUSTINUS respondit : Cur ergo Apostolus, quem dicis relicto Judaismo ex amaritudine transisse in dulcedinem, magis inde fractos ramos dicit, qui ex ipso populo in Christum credere noluerunt ; et in ipsa oleæ radice, id est origine sanctorum Hebræorum, tanquam oleastrum gentes insertas, ut fierent participes pinguedinis oleæ? Nam cum de Judæorum lapsu admoneret Gentes ne superbirent, ita locutus est : *Vobis enim*, inquit, *dico Gentibus, quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum glorifico, si quo modo ad æmulationem provocare potero carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis. Si rejectio illorum reconciliatio est mundi, quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis? Si autem delibatio sancta est, et conspersio ; et si radix sancta est, et rami : quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum esses oleaster, insertus es in illis, et socius radicis factus es et pinguedinis oleæ, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo : Fracti sunt rami ut ego inserar. Bene. Incredulitate fracti sunt. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time : nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem ; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate : alioquin et tu excideris. Et illi si non permanserint in incredulitate, inserentur : potens est enim Deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus oleastro et contra naturam insertus es in bonam olivam ; quanto magis illi qui secundum naturam sunt, inserentur suæ olivæ? Nolo enim vos ignorare, fratres, sacramentum hoc, ut non sitis vobis sapientes, quia cæcitas ex parte Israel facta est, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 13-26). Videtis ergo vos, qui in ista inseri radice non vultis, non quidem fractis ramis esse similes, sicut est carnalis et impius populus Judæorum, sed in oleastri amaritudine remansisse. Nam quid, nisi oleastrum Gentium sapit, adorare solem et lunam? Nisi forte propterea vos jam non putatis esse in oleastro Gentium, quia spinas novi generis addidistis, et falsum Christum, quem cum sole et luna coleretis, non manu fabrili, sed perverso corde finxistis? Inserimini ergo in radicem oleæ, quo se redditum gaudet Apostolus, qui inter fractos ramos per incredulitatem fuit. Inde se quippe liberatum dicit, cum se a Judaismo ad Christum transisse lætatur, quia Christus semper in illa radice, atque in illa arbore, prædicatus est : in quem venientem qui non crediderunt, fracti sunt inde ; et qui crediderunt, inserti sunt ibi : quibus ne superbiant, dicitur, *Noli altum sapere, sed time : nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet.* Sed ne de ipsis fractis desperetur, paulo post dicit : *Et ipsi si non permanserint in incredulitate, inserentur : potens est enim Deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam ; quanto magis illi qui secundum naturam sunt, inserentur suæ olivæ?* Ecce unde etiam ipse gloriatur, a fractura liberatus, et radicis pinguedini redditus. Qui ergo in vobis sunt, quos inde fregit impietas, redeant, et rursus inserantur. Qui autem nunquam ibi fuerunt, veniant a naturali sterilitate præcisi, participes fecunditatis futuri.

LIBER DECIMUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Cur non accipis Testamentum Vetus ? Quia et ab ipso hoc, et ex Novo didicimus, aliena non concupiscere. Quid autem, inquis, alienum habet Testamentum Vetus ? Imo quid habet non alienum ? Divitias promittit, et ventris saturitatem, et filios et nepotes, vitamque longam, et cum his Chananitidis regnum : sed omnia hæc circumcisis et observantibus sabbata, et immolantibus sibi, et abstinentibus a porcina, et hujusmodi cæteris : quæ quia ego negligo, et Christianus omnis, ut inepta scilicet, et ad salutem animi minime pertinentia, idcirco nec quæ promittit, ad me jam spectare cognosco : memorque quia sit mandatum, *Non concupisces* aliena (*Exod.* xx, 17 ; *Rom.* vii, 7), Judæis bona sua habere, libens volensque permisi, solo scilicet Evangelio et regni cœlorum splendida hæreditate contentus. Nam ut Judæo, si sibi Evangelium usurparet, jure increpitans dicerem, Improbe, quid tibi cum eo est, cujus præcepta non servas ? sic vereor ne mihi eadem Judæus increpitet, tenenti Testamentum Vetus, cujus mandata contemnam.

CAPUT II. — Augustinus respondit : Eadem sæpe vana repetere istum non pudet, sed eadem sæpe, quamvis vera, respondere me piget. Quisquis itaque etiam adversus ista responsionem quærit, quæ superius a nobis dicta sunt, legat (*Lib.* 6, *cap.* 2). Judæo autem dicenti mihi, Cur tenes Vetus Testamentum, cujus præcepta non servas ? respondeo, servari a Christianis etiam ex ipsis Libris præcepta vitæ agendæ ; præcepta vero vitæ significandæ tunc recte observata, cum prænuntiabantur ista, quæ nunc revelata sunt. Quapropter etiam ipsa sic non observo ad religionem, ut teneam tamen ad testificationem : sicut et promissa carnalia, quæ ibi continentur, unde proprie Vetus dicitur Testamentum. Quamvis enim mihi æterna speranda revelata sint ; et illa tamen attestantia lego, quæ *in figura contingebant illis ; scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum obvenit* (I *Cor.* x, 11). Itaque si audistis quid respondeamus Judæis, audite et quid objiciamus Manichæis.

CAPUT III. — Certe Faustus dixit, turbari nos posse, si nobis Judæi dixerint : Quare tenetis Vetus Testamentum, cujus præcepta non observatis ? Quibus nos, ejusdem Scripturæ venerata atque servata auctoritate respondemus. Vos quid respondetis, cum vobis dicitur : Quare tenetis evangelicos Libros, quorum vos ad decipiendos imperitos confingitis sectatores ; et quæ ibi scripta sunt, non solum non creditis, sed etiam quantis potestis viribus oppugnatis ? Certe videtis vos potius de Novo Testamento, quam nos de Vetere objectis respondere non posse. Omnia enim quæ in Vetere scripta sunt, nos et vera esse dicimus, et divinitus mandata, et congruis temporibus distributa. Vos autem cum vobis objecta fuerint, quæ in libris Novi Testamenti scripta sunt, nec accipiuntur a vobis, deficientes in respondendo, et manifesta veritate faucibus pressis, anhelitu saucio dicitis esse falsata. Quid aliud possent exspirare præfocata ora fallaciam ? vel potius quid aliud possent putere confossa cadavera mortuorum ? Et tamen confessus est Faustus, non concupiscere aliena, non solum se ex Novo Testamento, sed etiam ex Vetere didicisse : quod certe a suo Deo non posset discere. Ille quippe, si non concupivit alienum, quare super terram tenebrarum, ubi nunquam fuerunt, nova sæcula construxit ? An dicturus est : Prior ipsa gens tenebrarum regnum meum concupivit, quod ab illa erat alienum ? Ergo imitatus est gentem tenebrarum, ut et ipse concupisceret aliena ? An angustum antea fuerat regnum lucis ? Optandum igitur erat bellum, ut acquireretur de victoria latitudo regnandi. Quod si bonum est, et ante potuit concupisci : sed exspectabatur ut gens hostilis in bellum prior erumperet, quo quasi justius expugnaretur. Si autem non est bonum, quare inimico victo, super alienam terram crescere voluit regnum suum, cum prius contentus suis finibus, plena felicitate vixisset ? Sed utinam vere isti hæc ipsa præcepta vitæ agendæ, quorum est unum, ne concupiscamus alienum, vellent ex illis Litteris discere : profecto mansuescerent, et mites intelligerent etiam illa præcepta vitæ significandæ, quibus eorum oblatrat offensio, et illi tunc tempori observanda congruisse. Nos autem quomodo Vetus Testamentum tanquam alienum concupiscimus, cum ea legamus quæ *in figura contingebant illis ; scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum obvenit ?* Puto quod non concupiscit alienum, qui hoc legit quod scriptum est propter ipsum.

LIBER UNDECIMUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Apostolum accipis ? Et maxime. Cur ergo non credis Filium Dei ex semine David natum secundum carnem (*Rom.* i, 3) ? Non equidem crediderim Apostolum Dei contraria sibi scribere potuisse, et modo hanc, modo illam de Domino nostro habuisse sententiam. Sed quia vobis ita placet, qui nunquam sine stomacho auditis aliquid esse in Apostolo canonatum, ne hoc quidem nobis scitis esse contrarium Si quidem hæc vetus videatur esse et antiqua opinio Pauli de Jesu, cum cum et

ipse Davidi filium putaret, ut cæteri : quod tamen ubi falsum didicit, interpolat et infirmat, scribensque ad Corinthios : *Nos*, inquit, *neminem novimus secundum carnem : et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Quare consideres oportet, quantum intersit inter hæc duo capitula, e quibus unum perhibet Jesum filium David secundum carnem, alterum vero jam se neminem nosse secundum carnem. Quæ si utraque sunt Pauli, aut hac ratione erunt, qua dixi ; aut unum ipsorum non erit Pauli. Prosequitur denique : *Itaque*, inquit, *si qua est in Christo nova creatura, vetera transierunt : ecce facta sunt omnia nova* (II *Cor.* v, 16, 17). Vides ergo eum veterem appellare et transitoriam fidem illam priorem, id est, Jesum credidisse ex semine David secundum carnem : novam vero hanc secundam et permanentem, qua neminem jam noverit secundum carnem. Quapropter et alibi : *Cum essem*, inquit, *parvulus, ut parvulus loquebar, ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogitabam : cum autem factus sum vir, quæ parvuli erant deposui*[1] (I *Cor.* xiii, 11). Quod si ita est, quid ergo et nos indignum facimus, si novam et meliorem Pauli tenentes confessionem, veterem illam ac deteriorem projicimus ? Aut si vobis secundum quod ad Romanos scribit, credere cordi est ; nobis quare licitum non sit, secundum quod ad Corinthios dogmatizare ? Quamvis et hoc ad duritiam vestram ita responderim. Alioquin absit Apostolum Dei, quod ædificavit, unquam destruere, ne se ipse prævaricatorem constituat, ut contestatus est (*Galat.* ii, 18). Verumtamen si ejus est et prior illa sententia, nunc emendata est : sin fas non est Paulum inemendatum dixisse aliquid unquam, ipsius non est.

CAPUT II. — Augustinus respondit : Hoc est quod paulo ante dixi, quia ubi sic manifesta veritate isti præfocantur, ut obsessi dilucidis verbis sanctarum Scripturarum, exitum in eis fallaciæ suæ reperire non possint, id testimonium quod prolatum est, falsum esse respondent. O vocem a veritate fugacem, in amentia pertinacem ! Usque adeo invicta sunt, quæ adversus vos de divinis codicibus proferuntur, ut non sit aliud quod dicatis, nisi eos esse falsatos. Quæ jam auctoritas litterarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet scripturæ ad convincendos errores vestros exseri potest, si hæc vox admittitur, si alicujus ponderis æstimatur ? Aliud est ipsos libros non accipere, et nullo eorum vinculo detineri, quod Pagani de omnibus Libris nostris, quod Judæi de Novo Testamento faciunt, quod denique nos ipsi de vestris et aliorum hæreticorum, si quos suos et proprios habent, vel de iis qui appellantur apocryphi : non quod habendi sint in aliqua auctoritate secreta, sed quia nulla testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum præsumptione prolati sunt : aliud est ergo auctoritate aliquorum vel librorum vel hominum non teneri, et aliud est dicere, Iste quidem vir sanctus omnia vera scripsit, et ista epistola ipsius est, sed in ea ipsa hoc ejus est, hoc non est ejus. Ubi cum ex adverso audieris, Proba ; non confugias ad exemplaria veriora, vel plurimum codicum, vel antiquorum, vel linguæ præcedentis unde hoc in aliam linguam interpretatum est : sed dicas, Inde probo hoc illius esse, illud non esse, quia hoc pro me sonat, illud contra me. Tu es ergo regula veritatis ? quidquid contra te fuerit, non est verum ? Quid, si alius simili insania, sed tamen qua tua duritia confringatur, existat et dicat, Imo illud quod pro te sonat, falsum est ; hoc autem quod contra te est, verum est ? quid acturus es, nisi forte alium librum prolaturus, ubi quidquid legeris, secundum tuam sententiam possit intelligi ? Hoc si feceris, non de aliqua ejus particula, sed de toto audies contradicentem et clamantem, Falsus est. Quid ages ? quo te convertes ? quam libri a te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis ? Nam si hoc facere conaberis, et nihil valebis : et vides in hac re quid Ecclesiæ catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur. Itaque si de fide exemplarium quæstio verteretur, sicut in nonnullis, quæ et paucæ sunt, et sacrarum Litterarum studiosis notissimæ sententiarum varietates ; vel ex aliarum regionum codicibus, unde ipsa doctrina commeavit, nostra dubitatio dijudicaretur, vel si ibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut vetustiores recentioribus præferrentur : et si adhuc esset incerta varietas, præcedens lingua, unde illud interpretatum est, consuleretur. Hoc modo quærunt, qui quod eos moveat in Scripturis sanctis, tanta auctoritate firmatis, invenire volunt, ut habeant unde instruantur, non unde rixentur.

CAPUT III. — Hoc autem quod adversus impietatem vestram ex apostoli Pauli Epistola profertur, Filium Dei ex semine David esse secundum carnem (*Rom.* i, 3), omnes codices et novi et veteres habent, omnes Ecclesiæ legunt, omnes linguæ consentiunt. Exuimini ergo pallio fallaciæ, quo Faustus indutus, cum sibi proposuisset tanquam interrogantem et dicentem, *Accipis apostolum Paulum ?* respondit, *Et maxime.* Cur enim non potius respondit, Et minime ; nisi quia fallax, aliud quam id quod falsum erat, respondere non potuit ? Quid enim accipit apostoli Pauli ? Non primum hominem, quem ille dicit de terra terrenum : de quo item dicit, *Factus est primus homo Adam in animam viventem.* Ille autem annuntiat nescio quem primum hominem, nec de terra terrenum, nec factum in animam viventem, sed de substantia Dei, idipsum existentem quod Deus est, membra sua, vel vestimenta sua, vel arma sua, id est quinque elementa, cum et ipsa nihil aliud essent quam substantia Dei, in tenebrarum gente mersisse, ut inquinata caperentur. Non secundum hominem, quem Paulus dicit de cœlo [1], quem dicit etiam novis-

[1] Apud Er. et Lov., *evacuari*. Lugd., *quæ parvuli erant [deposui et] evacuari*. M.

[1] Lov., *de cœlo cœlestem*. Abest, *cœlestem*, ab editis aliis et a Mss.

unum Adam in spiritum vivificantem (I *Cor.* xv, 47, 45), quem dicit factum ex semine David secundum carnem, factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret (*Galat.* iv, 4, 5); de quo ad Timotheum dicit, *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum* (II *Tim.* ii, 8); in cujus exemplo etiam resurrectionem nostram prædicat dicens, *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi : quia Christus mortuus est pro peccatis nostris ; secundum Scripturas ; et quia sepultus est et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas.* Et paulo post infert quare hoc dixerit : *Si autem Christus prædicatur quia resurrexit a mortuis, quomodo dicunt quidam in vobis quia resurrectio mortuorum non est* (I *Cor.* xv, 3, 4, 12)? Iste autem, qui interrogatus utrum accipiat apostolum Paulum, respondet, *Et maxime*, hæc omnia negat : nec Jesum ex semine David vult accipere, nec factum ex muliere, quam, non quod fuerit vel concumbendo vel pariendo corrupta, mulierem Paulus appellat ; sed more Scripturarum loquitur, quæ ipsum sexum sic appellare consueverunt : sicut in Genesi de Eva scriptum est, *Formavit eam in mulierem* (*Gen.* ii, 22); cum commixta viro non fuisset. Nec ipsam mortem Christi, et sepulturam, et resurrectionem accipit; quandoquidem Christum dicit, nec mortale corpus habuisse, ubi illa vera mors esset; nec illas cicatrices veras fuisse, quas post resurrectionem discipulis ostendit, cum eis, quod et Paulus commemorat, vivus apparuit (*Luc.* xxiv; 39, 40, *et* I *Cor.* xv, 5) : nec ipsam carnem nostram resurrecturam, in corpus spirituale mutatam [1], sicut apertissime idem apostolus dicit, *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.* Unde discernens inter corpus animale et spirituale, contexuit quod jam commemoravi de primo Adam et de novissimo Adam. Deinde intulit : *Hoc autem dico, fratres, quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Et ne quisquam ipsam speciem carnis, et ipsam substantiam non posse resurgere credidisset, exprimere volens quid nunc appellaverit carnem et sanguinem, quia ipsam corruptionem intelligi voluit, quæ tunc in resurrectione justorum non erit, continuo contexuit : *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* Et ne adhuc quisquam putaret, non illud quod sepultum fuerit resurrecturum, sed tanquam alia tunica ponatur, et alia melior accipiatur, volens apertissime declarare quia hoc ipsum in melius commutabitur : sicut vestimenta Christi in monte non sunt posita, et alia sumpta, sed ipsa quæ fuerant, in meliis clarificata sunt (*Matth.* xvii, 2) : sequitur et contexit dicens, *Ecce mysterium vobis dico : omnes quidem resurgemus, non tamen omnes immutabimur.* Et ne adhuc esset incertum, qui sint qui immutabuntur, *In atomo*, inquit, *in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Adhuc forte dicant, non secundum hoc mortale et corruptibile corpus nos in resurrectione immutari, sed secundum animam : cum Apostolus hoc non proposuerit unde diceret, sed de corpore ab ipsius quæstionis initio locutus fuerit, sicut ipsa ejus indicat propositio, *Sed dicet aliquis*, inquit, *Quomodo resurgunt mortui? quo autem corpore veniunt?* Hic jam consequenter tanquam digito ostendit unde loqueretur, et subjecit dicens, *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.* xv, 35-53). Hæc ergo cum iste neget, cumque ipsum Deum, de quo Paulus dicit, *Immortali, incorruptibili, soli Deo honor et gloria* (I *Tim.* i, 17), iste corruptibilem prædicet ; quandoquidem substantiam ejus atque naturam et totam timuisse ne a tenebrarum gente corrumperetur, et ut cæteræ consuleretur, ex parte corruptam, detestanda et abominanda eorum fabula somniat; quid est quod etiam in hoc conatur fallere imperitos, et in divinis Scripturis minus eruditos, ut interrogatus utrum accipiat apostolum Paulum, respondeat, *Maxime*; et inveniatur, minime?

CAPUT IV. — Sed certa, inquit, ratio est, qua ostendam Paulum apostolum aut proficiendo mutasse sententiam, et scribentem ad Corinthios, emendasse quod scripserat ad Romanos; aut omnino non scripsisse, quod tanquam ejus profertur, Filium Dei ex semine David secundum carnem. Qua tandem ratione id ostendit? Quia non potest, inquit, utrumque verum esse, et quod in Epistola est ad Romanos, *De Filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem* (*Rom.* i, 3); et quod ait ad Corinthios, *Itaque nos amodo neminem novimus secundum carnem : et si noveramus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* (II *Cor.* v, 16). Restat ergo ut nos demonstremus quam possit utrumque verum esse, et quam sibi hæc duo non sint contraria. Unum quippe eorum non esse Pauli, nullo modo possumus dicere; quia nulla in eo variat codicum auctoritas. Etsi enim in quibusdam latinis exemplaribus non legitur, *factus*, sed, *natus ex semine David*, cum græca *factus* habeant, unde non ad verbum, sed ad sententiam transferre voluit dicendo, *natum*, latinus interpres : tamen Christum ex semine David esse secundum carnem, omnium librorum atque linguarum concordat auctoritas. In hoc autem Paulum aliquando errasse, et proficiendo mutasse sententiam, absit ut dicamus. Quod etiam ipse Faustus sensit quam improbe atque impie diceretur; maluitque dicere, Pauli Epistolam aliorum falsitate corruptam, quam ipsius errore vitiosam.

CAPUT V. — De his enim libris dici potest, aliquid eos habere non consonum fortasse occultiori, et ad dignoscendum difficiliori veritati, quod aut sic remanserit, aut in posterioribus correctum sit, qui non præcipiendi auctoritate, sed proficiendi exercitatione scribuntur a nobis. Inter hos enim sumus, quibus idem apostolus dicit : *Et si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus revelabit* (*Philipp.* iii, 15). Quod genus litterarum non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate legendum est. Cui tamen ne intercluderetur locus, et adimiretur posteris ad quæstiones difficiles tractandas atque versandas linguæ ac stili saluberrimus labor, distincta est a posteriorum libris

[1] Sola fere editio Lovaniensium, *mutandam*.

excellentia canonicæ auctoritatis Veteris et Novi Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus per successiones episcoporum et propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui serviat omnis fidelis et pius intellectus. Ibi si quid velut absurdum moverit, non licet dicere, Auctor hujus libri non tenuit veritatem : sed, aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illæ sacratissimæ canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longe tamen est impar auctoritas. Itaque in eis, si qua forte propterea dissonare putantur a vero, quia non ut dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditorve judicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit : et ideo cuncta ejusmodi nisi vel certa ratione, vel ex illa canonica auctoritate defendantur, ut demonstretur sive omnino ita esse, sive fieri potuisse quod vel disputatum ibi est, vel narratum ; si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa vero canonica eminentia sacrarum Litterarum, etiamsi unus propheta, seu apostolus, aut evangelista aliquid in suis Litteris posuisse ipsa canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quod verum sit : alioquin nulla erit pagina, qua humanæ imperitiæ regatur infirmitas, si Librorum canonicorum salubcrrima auctoritas, aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur.

CAPUT VI. — Quapropter quisquis es, quem velut repugnantia ista moverunt, quod alibi scriptum est, *Filium Dei ex semine David*, alibi autem, *Et si noveramus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus :* et si non utrumque ex unius Apostoli Litteris proferretur, sed unum eorum Paulus dixisset, alterum Petrus, aut Isaias, aut alius quisquam Apostolorum, sive Prophetarum ; quia ita sibi omnia in canonica auctoritate concordant, ut tanquam uno ore dicta, justissima et prudentissima pietate credantur, et serenissimo intellectu inveniantur, et solertissima diligentia demonstrentur; non liceret de alterutro dubitare. Proinde, quia ex apostoli Pauli canonicis, id est, vere Pauli Epistolis, utrumque profertur, et non possumus dicere, aut mendosum esse codicem, omnes enim latini emendati sic habent ; aut interpretem errasse, omnes enim græci emendati sic habent : restat ut tu non intelligas, a me autem ratio flagitetur, quomodo neutrum ab altero dissonet, sed in eadem sanæ fidei regula utrumque concordet. Si enim tu quoque pie quæreres, posses invenire quomodo ista perscrutata dilucescant.

CAPUT VII.—Nam quod Filius Dei ex semine David homo factus est, nec idem apostolus uno loco dicit, et aliæ sanctæ Scripturæ apertissime prædicant. Quod vero dicit, *Et si noveramus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus;* ea ipsa circumstantia Scripturæ loci ejus satis ostendit quid loquatur Apostolus. Suo quippe more vitam nostram futuram, quæ jam in ipso homine mediatore Christo Jesu capite nostro resurgente completa est, ita spe certa meditatur, tanquam jam adsit, præsensque teneatur : quæ utique vita non erit secundum carnem, sicut jam Christi vita non est secundum carnem. Carnem namque hoc loco non ipsam corporis nostri substantiam, quam Dominus etiam post resurrectionem suam carnem appellat, dicens, *Palpate et videte, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39) ; sed corruptionem mortalitatemque carnis vult intelligi, quæ tunc non erit in nobis, sicut jam in Christo non est. Hanc enim proprie carnem nominabat, etiam cum de ipsa resurrectione satis evidenter loqueretur, et diceret, quod jam supra commemoravi, *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem possidebit.* Cum ergo factum fuerit, quod ibi consequenter dicit, *Ecce mysterium vobis dico : omnes quidem resurgemus, non tamen omnes immutabimur. In atomo*, id est, in momento, *in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur : oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* XV, 50-53) : jam secundum id quod carnem, non ipsam corporis substantiam, sed ipsam corruptionem mortalitatis appellat, non erit utique caro, quia corruptionem mortalitatis mutata non habebit ; secundum autem ipsius substantiæ corporisque originem eadem caro erit, quia ipsa resurget et ipsa mutabitur, quia et illud verum est quod ait Dominus, posteaquam resurrexit, *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere ;* et hoc verum est quod ait Apostolus, *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Illud enim dictum est secundum ipsam substantiam, quæ etiam tunc erit, quia ipsa mutabitur : hoc autem dictum est secundum carnalem [1] corruptionis qualitatem, quæ tunc jam non erit, quia mutata caro non corrumpetur. *Noveramus* ergo *Christum secundum carnem*, id est, secundum carnis mortalitatem antequam resurgeret : *sed nunc jam non novimus ;* quia, sicut idem dicit apostolus, *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9).

Nam si te ad verborum proprietatem teneas, mentitus est cum ait, *Noveramus Christum secundum carnem*, si Christus nunquam fuit secundum carnem : nemo enim noverat quod non erat. Non autem dixit, Putabamus Christum secundum carnem ; sed, *Noveramus*. Verumtamen ut verbo non premam, ne quis affirmet per abusionem locutum Apostolum, ut pro eo quod est, putabamus, diceret, *Noveramus :* illud miror non attendere homines cæcos, vel potius non miror non videre cæcos, quia si Christus ideo non habuit carnem, quia dixit Apostolus, nunc jam non se nosse Christum secundum carnem ; nec illi habuerunt carnem, de quibus in eodem loco dicit, *Itaque nos amodo neminem novimus secundum carnem.* Neque enim de solo Christo id volens intelligi, posset dicere, *Neminem novimus secundum carnem :* sed quia

[1] Aliquot Mss., *carnalis*.

illorum secum vitam futuram tanquam præsentem meditabatur, qui resurgentes commutabuntur, *Amodo*, inquit, *neminem novimus secundum carnem;* id est, tam certam spem tenemus futuræ nostræ incorruptionis et immortalitatis, ut amodo jam in ipsa notitia gaudeamus. Unde alio loco dicit: *Si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Coloss.* III, 1, 2). Nondum utique resurreximus sicut Christus; sed tamen secundum spem, quæ nobis in illo est, jam nos cum illo resurrexisse testatus est. Unde etiam dicit: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* (*Tit.* III, 5). Quis autem non intelligat in lavacro regenerationis spem nobis datam salutis futuræ, non jam salutem ipsam, quæ promittitur? et tamen quia certa spes est, tanquam jam data esset eadem salus, *salvos nos*, inquit, *fecit*. Alio quippe loco dilucidissime dicit: *Nos in nobis ipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 23-25). Sicut ergo hic non dixit, Salvi futuri sumus; sed, Amodo jam salvi facti sumus, nondum tamen in re, sed in spe, *Spe enim*, inquit, *salvi facti sumus:* sic et quod ibi dictum est, *Amodo neminem novimus secundum carnem;* nondum in re, sed in spe intelligitur : quia spes[1] nobis in Christo est, quia in illo jam completum est quod nobis promissum speramus. Ille quippe jam resurrexit, et mors ei ultra non dominabitur. Quem *et si noveramus secundum carnem*, cum adhuc moriturus esset; inerat quippe in ejus corpore illa mortalitas, quam proprie carnem appellat Apostolus : *sed jam nunc non novimus;* illud enim ejus mortale jam induit immortalitatem, unde secundum pristinam mortalitatem jam caro appellari non possit.

CAPUT VIII.—Itaque ipsius loci contextionem, ubi hæc sententia est, de qua isti calumniantur, consideremus, ut hoc quod dico, magis eluceat. *Charitas*, inquit, *Christi compellit nos; judicantes hoc quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt : et pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Itaque nos amodo neminem novimus secundum carnem : et si noveramus secundum carnem Christum, sed jam nunc non novimus.* Certe jam nunc cuivis apparet propter resurrectionem Christi hoc dixisse Apostolum; quandoquidem ista verba illud præcessit, *Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Quid est enim aliud, *non sibi, sed ei vivant*, nisi ut secundum carnem non vivant in spe terrenorum et corruptibilium bonorum, sed secundum spiritum in spe resurrectionis, quæ jam ex ipsis in Christo facta est? Itaque eorum pro quibus Christus mortuus est et resurrexit, et qui jam non sibi, sed illi vivunt, neminem secundum carnem Apostolus noverat, propter spem futuræ immortalitatis, in cujus exspectatione vivebant, quæ in Christo jam non spes, sed res erat : quem et si noverat secundum carnem, cum adhuc moriturus esset, jam tamen non noverat; quia eum resurrexisse noverat, et ultra ei mortem non dominaturam. Et quia omnes in illo, et si nondum in re, jam tamen spe hoc sumus, sequitur et dicit : *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt : ecce facta sunt omnia nova. Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum* (II *Cor.* V, 14-18). Omnis ergo nova creatura, id est, populus innovatus per fidem, ut habeat interim in spe, quod in re postea perficiatur, in Christo habet jam quod in se sperat. Itaque nunc *vetera transierunt* secundum spem, quia modo jam non est tempus Veteris Testamenti, quo temporale atque carnale regnum exspectetur a Deo : et *facta sunt omnia nova* secundum eamdem spem, ut regnum cœlorum, ubi nulla erit mors atque corruptio, promissum teneamus. In resurrectione autem mortuorum jam non secundum spem, sed secundum rem, et vetera transibunt, cum inimica novissima destruetur mors : et fient omnia nova, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* XV, 26, 53) : quod jam factum est in Christo, quem secundum rem, jam non noverat Paulus secundum carnem : eorum vero pro quibus mortuus est et resurrexit, nondum secundum rem, sed secundum spem, neminem noverat secundum carnem; quia illius gratia, sicut idem ad Ephesios dicit, sumus salvi facti. Nam et ipse locus huic sententiæ sic attestatur : *Deus autem*, inquit, *qui dives est in misericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos, etcum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo; cujus gratia sumus salvi facti.* Quod enim hic dixit, *Convivificavit nos Christo*, hoc dixit ad Corinthios, *Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Et quod hic dicit, *Cujus gratia salvi sumus facti;* jam velut perfectum sit loquitur, quod in spe tenet. Nam quod paulo ante commemoravi, apertissime alibi dicit : *Spe enim salvi facti sumus.* Idcoque et hic sequitur, et tanquam perfectum enumerat quod futurum est : *Et simul*, inquit, *excitavit, et simul sedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu.* Certe enim in cœlestibus Christus jam sedet, nondum autem nos : sed quia spe certa, quod futurum est, jam tenemus, simul sedere nos dixit in cœlestibus, nondum in nobis, sed jam in illo. Namque ne putares jam nunc esse perfectum, quod in spe ita dicitur, tanquam perfectum sit, atque ut intelligas adhuc futurum, sequitur et dicit : *Ut ostenderet in supervenientibus sæculis superabundantes divitias gratiæ suæ in benignitate super nos in Christo Jesu* (*Ephes.* II, 4-7). Hinc est et illud : *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti* (*Rom.* VII, 5). Ita enim dixit, *Cum essemus in carne*, quasi jam non essent in carne : quod ita intelligitur, Cum essemus in spe rerum carnalium : quando lex, quæ impleri non potest nisi per charita-

[1] In duobus Mss., *quæ spes.*

tem spiritualem, ad hoc super eos erat, ut per prævaricationem abundaret delictum ; ut postea revelato Novo Testamento, per indulgentiam, superabundaret gratia (*Rom.* VII, V, 20). Hinc similiter alibi dicit : *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Et ne putaret quisquam eos dictos, qui nondum mortui sunt, statim subjecit : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (*Id.* VIII, 8, 9). Id est, qui in spe carnalium bonorum sunt, Deo placere non possunt ; vos autem non estis in spe carnalium, sed in spe spiritualium, id est, regni cœlorum, ubi et ipsum corpus per illam mutationem in suo quodam genere spirituale erit, quod modo animale est. *Seminatur* enim *corpus animale*, sicut ad Corinthios idem dicit, *resurget corpus spirituale* (I *Cor.* XV, 44). Si ergo neminem eorum jam noverat secundum carnem Apostolus, qui propterea dicebantur non esse in carne, quia non erant in spe rerum carnalium, quamvis adhuc corruptibilem carnem mortalemque portarent ; quanto expressius de Christo diceret quod eum jam non noverat secundum carnem, in cujus corpore etiam re ipsa jam perfectum erat, quod illi in spe promissum tenebant ? Quanto ergo melius, quanto religiosius divinæ Scripturæ ita tractantur, ut discussis omnibus concordare inveniantur, quam deficiente homine in quæstione quam solvere non potest, tanquam veræ in parte acceptentur, et tanquam falsæ in parte damnentur ? Quia et cum esset parvulus Apostolus, et ea quæ parvuli erant, saperet (I *Cor* XIII, 11), quanquam hoc ad similitudinem dixerit, nondum erat tamen spiritualis, qualis jam erat cum scriberet quæ ad Ecclesiarum ædificationem, non proficiendi exercitatione in studiosorum manibus versarentur, sed præcipiendi auctoritate in ecclesiastico canone legerentur.

LIBER DUODECIMUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit : Cur non accipitis Prophetas ? Imo tu dic potius, si quid habes, cur debeamus Prophetas accipere. Propter testimonia, inquis, quæ de Christo præfati sunt. Ego quidem nulla inveni, quamvis attentius eos et curiosissime legerim. Sed tamen et hoc enervis fidei [1] confessio est, in Christum sine teste et argumento non credere. Nempe ipsi vos docere soletis, idcirco nihil esse curiosius exquirendum, quia simplex sit et absoluta christiana credulitas. Quomodo ergo nunc fidei simplicitatem destruitis, indiciis eam ac testibus fulciendo, et hoc Judæis ? Aut si prima vobis sententia displicet, idcircoque transitis in alteram ; quis fidelior vobis esse testis debet, quam Deus ipse de Filio suo, qui non per vatem, nec per interpretem, sed ultro cœlitus erupta voce, cum eum mitteret ad terram dixit : *Hic est Filius meus dilectissimus, credite illi* (*Matth.* III, 17, *et Luc.* IX, 35). Necnon et ipse de se, *A Patre meo processi, et veni in hunc mundum* (*Joan.* XVI, 28) : atque multa alia hujusmodi. Ad quæ ringentes [2] Judæi, *Tu de te testificaris*, dicebant ; *testimonium tuum non est verum.* Quibus ipse, *Etsi ego testificor de me, testimonium meum verum est, quia non sum solus. Nam et in Lege vestra scriptum est, Duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testificor de me, et testificatur de me qui me misit Pater* (*Id.* VIII, 13-18) : non dixit, Prophetæ. Ad hæc et opera ipsa sua sibi in testimonium vocat, *Si mihi non creditis*, dicens, *operibus credite* (*Id.* X, 38). Non dixit, Si mihi non creditis, Prophetis credite. Quapropter nos testimoniis de Salvatore nostro nullis egemus : exempla tantum vitæ honestæ, et prudentiam ac virtutem in Prophetis quærimus, quorum mihi in Judæorum fuisse vatibus, quia te non latuerit sentio : siquidem consulente me, cur eos accipiendos putares, non improvide, nec inurbaniter silentio eorum mandatis operibus, in sola transiluisti præsagia ; oblitus utique scriptum esse, nunquam vindemiat uvam de spinis, nec de tribulis ficus (*Matth.* VII, 16). Quapropter hæc strictim interim et castigate ad interrogationem tuam responderim, qua quæris cur non accipiamus Prophetas. Alioquin nihil eos de Christo prophetasse, abunde jam parentum nostrorum libris ostensum est. Ego vero illud adjiciam, quia si Hebraici vates Christum scientes et prædicantes, tam flagitiose vixerunt, jure et in ipsos dici poterit, id quod Paulus de Gentium sapientibus contestatur : *Quia cum cognovissent Deum, non ut Deum clarificaverunt, aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et intenebratum est insipiens cor eorum* (*Rom.* I, 21). Vides ergo non esse magnum magna cognovisse, nisi ex eorum vixeris dignitate.

CAPUT II. — AUGUSTINUS respondit : Nempe his omnibus verbis id agit Faustus, ut Prophetas Hebræos neque quidquam de Christo prænuntiavisse, neque si prænuntiaverunt, eorum testimonia nobis prodesse, neque illos ipsos ex eorumdem testimoniorum dignitate vixisse credamus. Nos itaque demonstrabimus et eorum de Christo præsagia, et quantum per ea nobis ad fidei veritatem firmitatemque consultum sit, et eos suæ prophetiæ congruenter apteque vixisse. In hac tripartita disputatione, illud quod primo posui, longum est sic probare, ut de illis omnibus Libris testimonia proferam, quibus ostendam Christum esse prædictum : sed hujus hominis levitatem gravissimo auctoritatis pondere conteram. Ita quippe non accipit prophetas Hebræos, ut accipere se tamen profiteatur Apostolos. Apostolus autem Paulus, de quo cum se ipse tanquam ex adversa voce interrogasset, utrum eum acciperet, respondit, *Et maxime* (*Supra, lib.* II), quid de illorum prophetia dicat, audiamus. *Paulus*, inquit, *servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis*

[1] Er., *inertis fidei.*
[2] Er., *respondentes.* M.

de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 1-3). Quid vult amplius? Nisi forte hoc de aliis aliquibus Prophetis, non de nostris Hebræis dictum velit intelligi? Sed quanquam per quoslibet dictum sit, de illo tamen Filio Dei promissum est Evangelium, qui factus est ei ex semine David secundum carnem; in quod Evangelium segregatum se dicit Apostolus: istorum autem perfidiæ hoc sit contrarium, quod secundum hoc Evangelium credimus Filium Dei factum ex semine David secundum carnem; tamen apertiora cognoscant, quibus evidentissimum Prophetis Hebræis testimonium perhibetur per eum Apostolum, cujus auctoritate superborum istorum colla frangantur.

CAPUT III. — *Veritatem*, inquit, *dico in Christo, non mentior, contestante mihi conscientia mea in Spiritu sancto, quia tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio, et gloria, et Testamenta, et Legis constitutio, et obsequium, et promissiones; quorum patres et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Id.* IX, 1-5). Quid potest abundantius dici, quid expressius declarari, quid sanctius commendari? Quæ est enim adoptio Israelitarum, nisi per Filium Dei? unde ad Galatas dicit: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* (*Galat.* IV, 4, 5). Et quæ gloria eorum nisi præcipue illa, de qua idem Paulus ad eosdem Romanos dicit: *Quid ergo amplius est Judæo? aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei* (*Rom.* III, 1, 2). Quærant isti quæ sint eloquia Dei credita Judæis, et ostendant nobis alia præter Hebræorum Prophetarum. Jam vero Testamenta cur dixit ad Israelitas præcipue pertinere, nisi quia et Vetus Testamentum illis datum est, et Novum in Vetere figuratum? Legis autem constitutionem, quæ Israelitis data est, non intelligentes ejus dispensationem, quia jam non vult nos Deus esse sub Lege, sed sub gratia, reprehendere isti solent imperitia furiosa. Cedant ergo auctoritati apostolicæ, quæ laudans atque commendans Israelitarum excellentiam, etiam hoc enumeravit, quod eorum sit Legis constitutio. Quæ si mala esset, non utique in eorum laude poneretur. Si autem Christum non prædicaret, non ipse Dominus diceret, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46): nec post resurrectionem sic ei attestaretur, dicens, *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 44).

CAPUT IV. — Sed quia Manichæi alium Christum prædicant, non eum quem prædicaverunt Apostoli, sed suum proprium fallacem fallaciter, cujus falsitatis sectatores congruenter et ipsi mentiuntur; nisi quod impudenter sibi credi volunt, cum se mentientis discipulos esse profiteantur; contigit eis quod de ipsis infidelibus Judæis dicit Apostolus, *Cum legitur Moyses, velamen est super cor eorum*: neque enim auferetur hoc velamen, per quod non intelligunt Moysen, nisi transierint ad Christum: non qualem ipsi finxerunt, sed qualem Patres Hebræi prophetaverunt. Sic enim idem apostolus ait: *Cum autem transieris ad Dominum, auferetur velamen* (II *Cor.* III, 15, 16). Neque enim mirum est quod resurgenti Christo, et dicenti, *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me*, nolunt isti credere: quandoquidem Christus ipse narravit, quid Abraham dixerit immisericordi cuidam diviti, cum apud inferos torqueretur, et peteret inde mitti aliquem ad fratres suos, a quo docerentur, ne et ipsi venirent in illum locum tormentorum. Hoc enim ei dictum est: *Habent ibi Moysen et Prophetas, audiant illos.* Et cum ille dixisset non eos credituros, nisi aliquis resurrexisset a mortuis, verissime responsum est: *Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis a mortuis resurrexerit, credent* (*Luc.* XVI, 27-31). Quapropter isti non audientes Moysen et Prophetas, non solum a mortuis resurgenti Christo, sed omnino Christum a mortuis resurrexisse non credunt. Quomodo enim resurrexisse credunt, quem mortuum fuisse non credunt? Nam quomodo mortuum fuisse credunt, quem mortale corpus habuisse non credunt?

CAPUT V.—Nos autem illis non tanquam ejus Christi qui fallax fuit, sed ejus qui omnino non fuit, fallacibus prædicatoribus non credimus. Habemus enim Christum verum atque veracem, prædictum a Prophetis, prædicatum ab Apostolis, prædicationis suæ testimonia ex Lege et Prophetis adhibentibus, sicut innumerabilibus locis ostendunt. Quod Paulus brevissime verissimeque complexus est, dicens: *Nunc autem sine Lege justitia Dei manifestata est, testificata per Legem et Prophetas* (*Rom.* III, 21). Quos Prophetas, nisi Israelitas, quorum esse apertissime dixit, et Testamenta, et Legis constitutionem, et promissiones (*Id.* IX, 4)? De quo promissiones, nisi de Christo? Quod breviter alio loco determinat, cum de Christo loquitur dicens: *Quotquot enim sunt promissiones Dei, in illo etiam* (II *Cor.* I, 20). Dicit mihi Paulus, Israelitarum esse Legis constitutionem. Dicit etiam: *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Dicit etiam de Christo loquens, *Quotquot enim sunt promissiones Dei, in illo etiam*: et tu mihi dicis, Israelitas de Christo nihil prædixisse Prophetas! Quid igitur restat, nisi ut eligam utrum Manichæo credam, fabulam vanam et longam contra Paulum narranti; an Paulo præmonenti, *Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (*Galat.* I, 8, 9)?

CAPUT VI. — Hic forte dicant, Ostende nobis ubi sit Christus ab Israelitis Prophetis prænuntiatus. Quasi parva sit ista auctoritas, qua dicunt Apostoli ea quæ in Hebræorum Prophetarum litteris legimus, in Christo esse completa: vel quod dicit ipse Dominus, de se illa esse conscripta. Proinde quisquis hoc ostendere non potuerit, ipse non intelligit: non Apostoli aut

Christus aut sancti codices mentiuntur. Verumtamen ut multa non colligam, et hoc unum commemorem, quod eodem loco Apostolus consequenter dicit : *Non potest autem excidere verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ ; neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen : hoc est, non hi qui filii carnis, hi filii Dei ; sed filii promissionis deputantur in semen* (*Rom.* IX, 6-8). Quid ad hæc responsuri sunt, cum aperte alio loco de hoc semine ad Abraham dicatur : *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ* (*Gen.* XXVI, 4)? Nam si eo tempore hinc disputaremus, quo tempore hoc exponebat Apostolus dicens, *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus : non dicit, Et seminibus, tanquam in multis ; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus* (*Galat.* III, 16); fortasse aliquis non tam impudenter nollet hoc credere, antequam videret omnes gentes credere in Christum, qui prædicatur ex semine Abraham. Nunc vero cum hoc impleri videamus, quod tanto ante prænuntiatum legimus, cum omnes gentes jam benedicantur in semine Abrahæ, cui dictum est ante annorum millia, *In semine tuo benedicentur omnes gentes :* quis tam pertinaciter insaniat, ut vel alium Christum, qui non sit ex semine Abrahæ, conetur inducere; vel de isto vero Christo Prophetias Hebræas cujus gentis pater est Abraham, nihil existimet prænuntiasse?

CAPUT VII. — Quis autem potest, non dico una brevi responsione, quales[1] in hoc opere habere coarctamur, sed quolibet ingenti volumine omnia commemorare præconia Prophetarum Hebræorum, de Domino et Salvatore nostro Jesu Christo? quandoquidem omnia quæ illis continentur Libris, vel de ipso dicta sunt, vel propter ipsum. Sed propter exercitationem quærentis, et delectationem invenientis, multo plura ibi per allegorias et ænigmata, partim verbis solis insinuantur, partim etiam facta narrantur. Verumtamen nisi aliqua ibi manifesta essent, non comprehenderetur sensus, quo etiam obscura clarescerent. Quanquam et ex illis quæ figuris involuta sunt, si quædam velut sub uno aspectu quasi contexta ponantur, ita conjungunt in contestatione Christi voces suas, ut cujusvis obtusi surditas erubescat.

CAPUT VIII. — Sex diebus in Genesi consummavit Deus omnia opera sua, et septimo requievit (*Gen.* II, 1, 2). Sex ætatibus humanum genus hoc sæculo per successiones temporum, Dei opera insinuant : quarum prima est ab Adam usque ad Noe ; secunda, a Noe usque ad Abraham; tertia, ab Abraham usque ad David ; quarta, a David usque ad transmigrationem in Babyloniam ; quinta, inde usque ad humilem adventum Domini nostri Jesu Christi; sexta, quæ nunc agitur, donec Excelsus veniat ad judicium ; septima vero intelligitur in requie sanctorum, non in hac vita, sed in alia, ubi vidit requiescentem pauperem dives ille, cum apud inferos torqueretur (*Luc.* XVI, 23); ubi non fit vespera, quia nullus ibi rerum defectus est. Sexto die in Genesi formatur homo ad imaginem Dei (*Gen.* I, 27) : sexta ætate sæculi manifestatur reformatio nostra in novitate mentis, secundum imaginem ejus qui creavit nos, sicut dicit Apostolus (*Coloss.* III, 10). Fit viro dormienti conjux de latere (*Gen.* II, 22) : fit Christo morienti Ecclesia de sacramento sanguinis, qui de latere mortui profluxit (*Joan.* XIX, 34). Vocatur Heva vita et mater vivorum, quæ de viri sui latere facta est : et dicit Dominus in Evangelio, *Si quis non manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam* (*Id.* VI, 53). Et omnia quæ illic leguntur[1] enucleate minutatimque tractata, Christum et Ecclesiam præloquuntur, sive in bonis Christianis, sive in malis. Neque enim frustra dixit Apostolus, *Adam qui est forma futuri* (*Rom.* V, 15) ; et illud, *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ ; et erunt duo in carne una. Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32). Quis enim non agnoscat Christum eo modo reliquisse Patrem, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7) : reliquisse etiam matrem synagogam Judæorum, Veteri Testamento carnaliter inhærentem, et adhæsisse uxori suæ sanctæ Ecclesiæ, ut in pace Novi Testamenti[2] essent duo in carne una? Quia cum sit Deus apud Patrem, per quem facti sumus, factus est per carnem particeps nostri, ut illius capitis corpus esse possemus.

CAPUT IX. — Sicut Cain sacrificium ex terræ fructibus reprobatur, Abel autem sacrificium ex ovibus et earum adipe suscipitur; ita Novi Testamenti fides ex innocentia gratiæ Deum laudans, Veteris Testamenti terrenis operibus anteponitur : quia etsi ante Judæi recte illa fecerunt; in eo tamen infidelitatis rei sunt, quia Christo veniente jam tempus Novi Testamenti a tempore Veteris Testamenti non distinxerunt. Dixit enim Deus ad Cain : *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti.* Qui si obtemperasset Deo dicenti, *Quiesce ; ad te enim conversio ejus, et tu dominaberis illius ;* ad se convertisset peccatum suum, sibi hoc tribuens, et confitens Deo : ac sic adjutus indulgentiæ gratia, ipse peccato suo dominaretur; non illo sibi dominante servus peccati, fratrem occideret innocentem (*Gen.* IV, 3-8.). Sic et Judæi, in quorum hæc figura gerebantur, si quiescerent a sua perturbatione, et tempus salutis per gratiam in peccatorum remissionem agnoscentes, audirent Christum dicentem, *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus : non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam* (*Matth.* IX, 12, 13); et, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati ;* et, *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 34, 36) : ad se convertissent peccatum suum in confessione, sicut in Psalmo scriptum est, medico dicentes, *Ego dixi, Domine, miserere mei ; sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5); et eidem peccato, quamdiu esset adhuc in eorum mortali corpore, per spem gratiæ liberi dominarentur. Nunc autem ignorantes Dei ju-

[1] Sola editio Lov., *qualem.*

[1] Am. Er. et Mss., *intelliguntur.*

[2] Mss., *ut pace Novi Testamenti ;* omisso, *in.* Forte melius.

stitiam, et suam volentes constituere (*Rom.* x, 3), elati de operibus Legis, non humiliati de peccatis suis, non quieverunt : et regnante peccato in eorum mortali corpore ad obediendum desideriis ejus (*Id.* vi, 12), offenderunt in lapidem offensionis (*Id.* ix, 32), et exarserunt odio adversus eum, cujus opera videntes Deo accepta esse, doluerunt, illo qui cæcus natus jam videbat, sibi dicente, *Scimus quia peccatores Deus non exaudit; sed qui eum coluerit, et voluntatem ejus fecerit, hunc exaudit* (*Joan.* ix, 31) : tanquam hoc eis diceret, Super sacrificium Cain non respicit, sed super sacrificium Abel respicit. Itaque occiditur Abel minor natu a fratre majore natu : occiditur Christus caput populi minoris natu a populo Judæorum majore natu : ille in campo, iste in Calvariæ loco.

CAPUT X.— Interrogat Deus Cain, non tanquam ignarus eum a quo discat, sed tanquam judex reum quem puniat, ubi sit frater ejus. Respondet ille nescire se, nec ejus se esse custodem. Usque adhuc quid nobis respondent Judæi, cum eos Dei voce, hoc est, sanctarum Scripturarum voce interrogamus de Christo, nisi nescire se Christum quem dicimus? Fallax enim Cain ignoratio, Judæorum est falsa negatio. Essent autem quodam modo Christi custodes, si christianam fidem accipere et custodire voluissent. Nam qui custodit in corde suo Christum, non dicit quod Cain, *Numquid ego custos sum fratris mei? Dicit Deus ad Cain : Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Sic arguit in Scripturis sanctis vox divina Judæos. Habet enim magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, Amen. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum.

CAPUT XI. — *Dicit Deus ad Cain : Et nunc maledictus tu a terra, quæ aperuit os suum excipere sanguinem fratris tui de manu tua; quoniam operaberis terram, et non adjiciet virtutem suam dare tibi : gemens et tremens eris in terra* (*Gen.* iv, 9-12). Non dixit, Maledicta terra; sed, *Maledictus tu a terra, quæ aperuit os suum accipere sanguinem fratris tui de manu tua.* Maledictus est enim populus Judaicus infidelis a terra, id est, ab Ecclesia, quæ aperuit os suum in confessione peccatorum accipere sanguinem Christi, qui fusus est in remissionem peccatorum, de manu persecutoris nolentis esse sub gratia, sed sub Lege; ut esset ab Ecclesia maledictus, id est, ut eum intelligeret et ostenderet Ecclesia maledictum, dicente Apostolo, *Quicumque enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt Legis* (*Galat.* iii, 10). Deinde cum dixisset, *Maledictus tu a terra, quæ aperuit os suum excipere sanguinem fratris tui de manu tua;* non dixit, Quoniam operaberis eam; sed ait, *Quoniam operaberis terram, et non adjiciet virtutem suam dare tibi.* Unde non est necesse eamdem terram intelligere operari Cain, quæ aperuit os accipere sanguinem fratris de manu ejus : sed ideo maledictus intelligitur ab hac terra, quoniam operatur terram, quæ non adjiciet virtutem suam dare illi; id est, loco populum Judæorum maledictum agnoscit et ostendit Ecclesia, quoniam occiso Christo adhuc operatur terrenam circumcisionem, terrenum sabbatum, terrenum azymum, terrenum pascha : quæ omnis terrena operatio habet occultam virtutem intelligendæ gratiæ Christi, quæ non datur Judæis in impietate et infidelitate perseverantibus, quia Novo [1] Testamento revelata est; et non transeuntibus ad Dominum, non eis aufertur velamen, quod in lectione Veteris Testamenti manet, quia in solo Christo evacuatur, non ipsa lectio Veteris Testamenti, quæ habet absconditam virtutem, sed velamen quo absconditur (II *Cor.* iii, 14-16). Unde Christo in cruce passo [2] velum templi conscissum est (*Matth.* xxvii, 51), ut per Christi passionem revelentur secreta sacramentorum fidelibus, ad bibendum ejus sanguinem ore aperto in confessione transeuntibus. Propterea populus ille, sicut Cain, adhuc operatur terram, adhuc exercet operationem Legis carnaliter, quæ non ei dat virtutem suam, quia in ea non intelligit gratiam Christi. Propterea et in ipsa terra quam Christus portavit, id est, in ejus carne, ipsi operati sunt salutem nostram crucifigendo Christum, qui mortuus est propter delicta nostra. Nec eis dedit eadem terra virtutem suam, quia non justificati sunt virtute resurrectionis ejus, qui resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* iv, 25) : quia *etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*, sicut dicit Apostolus (II *Cor.* xiii, 4). Hæc ergo est virtus terræ illius, quam non ostendit impiis et incredulis. Unde nec resurgens, eis a quibus erat crucifixus apparuit; tanquam Cain operanti terram, ut granum illud seminaretur, non ostendens [3] eadem terra fructum virtutis suæ : *Quoniam operaberis*, inquit, *terram, et non adjiciet virtutem suam dare tibi.*

CAPUT XII. — *Gemens et tremens eris in terra.* Nunc ecce quis non videat, quis non agnoscat in tota terra, quacumque dispersus est ille populus, quomodo gemat mœrore amissi regni, et tremat timore sub innumerabilibus populis Christianis? Ideoque respondit Cain et dixit : *Major est causa mea, si ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero gemens et tremens super terram; et erit, omnis qui invenerit me, occidet me.* Vere inde gemit et tremit, ne regno etiam terreno perdito, ista visibili morte occidatur. Hanc dicit majorem causam, quam illam quod ei terra non dat virtutem suam, ne spiritualiter moriatur. Carnaliter enim sapit, et abscondi a facie Dei, id est, iratum habere Deum, grave non putat, nisi ne inveniatur et occidatur. Carnaliter sapit tanquam operans terram, cujus virtutem non accipit. Sapere autem secundum carnem, mors est (*Rom.* viii, 6). Quam ille non intelligens, amisso regno gemit, et corporalem mortem tremit. Sed quid ei respondet Deus? *Non sic*, inquit; *sed omnis qui occiderit Cain, septem vindictas exsolvet :* id est, non sic quomodo dicis; non corporali morte interibit genus impium

[1] Tres Mss., *quæ a Novo.*
[2] Duo Mss., *in cruce posito.*
[3] Vaticanus codex, *non ostendente.*

carnalium Judæorum. Quicumque enim eos ita perviderit, septem vindictas exsolvet; id est, auferet ab eis septem vindictas, quibus alligati sunt propter reatum occisi Christi : ut hoc toto tempore quod septenario dierum numero volvitur, quia [1] non interit gens Judæa, satis appareat fidelibus Christianis, quam subjectionem meruerint, qui superbo regno [2] Dominum interfecerunt.

CAPUT XIII. — *Et posuit Dominus Deus Cain signum, ne eum occidat omnis qui invenerit* (*Gen.* IV, 13-15). Hoc revera multum mirabile est, quemadmodum omnes gentes quæ a Romanis subjugatæ sunt, in ritum Romanorum sacrorum transierint, eaque sacrilegia observanda et celebranda susceperint; gens autem Judæa, sive sub Paganis regibus, sive sub Christianis, non amiserit signum Legis suæ, quo a cæteris gentibus populisque distinguitur : et omnis imperator vel rex qui eos in regno suo invenit, cum ipso signo eos invenit, nec occidit; id est, non efficit ut non sint Judæi, certo quodam et proprio suæ observationis signo a cæterarum gentium communione discreti : nisi quicumque eorum ad Christum transierit, ut jam non inveniatur Cain, nec exeat a facie Dei, nec habitet in terra Naid [3], quod dicitur interpretari Commotio. Contra quod malum, Deus rogatur in Psalmo, *Ne dederis in motum pedes meos* (*Psal.* LXV, 9); et, *Manus peccatorum non moveant me* (*Psal.* XXXV, 12); et, *Qui tribulant me, exsultabunt, si motus fuero* (*Psal.* XII, 5); et, *Dominus a dextris est mihi, ne commovear* (*Psal.* XV, 8); et innumerabilia talia : quod patiuntur omnes qui exeunt a facie Dei, id est, a misericordia dilectionis ejus. Unde dicitur in quodam psalmo : *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum.* Sed vide quid sequitur : *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam, et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXIX, 7, 8). Unde intelligitur omnem animam participatione lucis Dei, non per se ipsam, esse pulchram, et decoram, et virtute pollentem. Quod et isti Manichæi si considerarent et intelligerent, non in tantam blasphemiam caderent, putando se esse naturam et substantiam Dei. Sed ideo non possunt, quia non quiescunt; sabbatum enim cordis non intelligunt : nam si quiescerent, sicut dictum est ad C n, peccatum suum ad se converterent, id est, sibi tribuerent, non genti nescio cui tenebrarum; atque ita per gratiam Dei eidem peccato dominarentur. Nunc vero et ipsi et omnes qui diversis erroribus contumaces, resistendo veritati exeunt a facie Dei, sicut Cain, sicut Judæi perditi, habitant in terra commotionis, id est, in perturbatione carnali, contra jucunditatem Dei, hoc est contra Eden (*Gen.* IV, 16), quod interpretatur Epulatio, ubi est plantatus paradisus. Jam cætera pauca de multis breviterque perstringam, ne propositum operis hujus et responsionis meæ nimia longitudine sermonis impediam.

[1] Editi, *magis quia.* Abest, *magis*, a Mss.
[2] Aliquot Mss., *superbi regno.*
[3] Manuscripti, *in terra Naim.*

CAPUT XIV. — Quem enim non moveat ad quærendum et intelligendum Christum in illis Libris, ut ea omittam quæ quamvis tanto suavius contemplentur, quanto ex abditioribus locis enucleantur, tamen exigunt prolixitatem dissertationis, quia pluribus attestationibus indigent : ut omittam ergo talia; quem non moveant ad salubrem fidem, quod Enoch septimus ab Adam, Deo placuit, et translatus est (*Gen.* V, 24); et septima requies prædicatur, ad quam transfertur omnis qui tanquam sexto die sexta ætate sæculi, Christi adventu formatur? Quod Noe cum suis per aquam et lignum liberatur (*Id.* VII, 23); sicut familia Christi per Baptismum crucis passione signatur [1]. Quod de lignis quadratis eadem arca fabricatur; sicut Ecclesia de sanctis construitur, ad omne opus bonum semper paratis (II *Tim.* II, 21). Quadratum enim, quacumque verteris, firmiter stat. Quod sexies longa ad latitudinem suam, et decies ad altitudinem suam, humani corporis instar, ostendit quia in corpore humano Christus apparuit. Quod cubitis quinquaginta latitudo ejus expanditur; sicut dicit Apostolus, *Cor nostrum dilatatum est* (II *Cor.* VI, 11). Unde, nisi charitate spirituali? Propter quod ipse item dicit : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Quinquagesimo enim die post resurrectionem suam Christus sanctum Spiritum misit, quo corda credentium dilatavit (*Act.* II, 1-4). Quod trecentis cubitis longa est, ut sexies quinquaginta compleantur : sicut sex ætatibus omne hujus sæculi tempus extenditur, in quibus omnibus Christus nunquam destitit prædicari; in quinque [2] per Prophetiam prænuntiatus, in sexta per Evangelium diffamatus. Quod ejus altitudo triginta cubitis surgit, quem numerum decies habet in trecentis cubitis longitudo : quia Christus est altitudo nostra, qui triginta annorum ætatem gerens, doctrinam evangelicam consecravit, contestans Legem non se venisse solvere, sed implere (*Matth.* V, 17). Legis autem cor in decem præceptis agnoscitur : unde decies tricenis arcæ longitudo perficitur; unde et ipse Noe ab Adam decimus computatur (*Gen.* V, *et Luc.* III, 36-38). Quod bitumine glutinantur arcæ ligna intrinsecus et extrinsecus (*Gen.* VI, 14, 15) : ut in compage unitatis significetur tolerantia charitatis, ne scandalis Ecclesiam tentantibus, sive ab eis qui intus, sive ab eis qui foris sunt, cedat fraterna junctura, et solvatur vinculum pacis. Est enim bitumen ferventissimum et violentissimum gluten, significans dilectionis ardorem, vi magna fortitudinis ad tenendum societatem [3] spiritualem omnia tolerantem.

CAPUT XV. — Quod cuncta animalium genera in arca clauduntur : sicut omnes gentes, quas etiam Petro demonstratus discus ille significat, Ecclesia continet. Quod et munda et immunda ibi sunt animalia (*Act.* X, 11, 12) : sicut in Ecclesiæ Sacramentis

[1] In B., *signatum.* Er. Lugd. Ven. secuti sumus. M.
[2] Editi, *in quinta.* Melius Mss., *in quinque :* subaudi, *ætatibus.*
[3] Am. et Er., *ardorem. in magna fortitudine ad tenendam societatem.*

et boni et mali versantur. Quod septena sunt munda, et bina immunda (*Gen.* VII, 2) : non quia pauciores sunt mali quam boni ; sed quia boni servant unitatem spiritus in vinculo pacis. Sanctum autem Spiritum divina Scriptura in septiformi operatione commendat, sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris Dei (*Isai.* XI, 2, 3). Unde et ille numerus quinquaginta dierum ad adventum sancti Spiritus pertinens, in septies septenis, qui fiunt quadraginta novem, uno addito consummatur ; propter quod dictum est : *Studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 3). Mali autem in binario numero ad schismata faciles, et quodam modo divisibiles ostenduntur. Quod ipse Noe cum suis octavus numeratur : quia in Christo spes resurrectionis nostræ apparuit, qui octavo die, id est, post sabbati septimum primo, a mortuis resurrexit ; qui dies a passione tertius, in numero autem dierum qui per omne tempus volvuntur, et octavus et primus est.

CAPUT XVI. — Quod arca collecta ad unum cubitum desuper consummatur : sicut Ecclesia corpus Christi in unitatem collecta sublimatur et perficitur [1]. Unde dicit in Evangelio : *Qui mecum non colligit, spargit* (*Matth.* XII, 30). Quod aditus ei fit a latere : nemo quippe intrat in Ecclesiam, nisi per Sacramentum remissionis peccatorum ; hoc autem de Christi latere aperto manavit. Quod inferiora arcæ bicamerata et tricamerata construuntur (*Gen.* VI, 16) : sicut ex omnibus gentibus vel bipartitam multitudinem congregat Ecclesia, propter circumcisionem et præputium ; vel tripartitam, propter tres filios Noe, quorum progenie repletus est orbis. Et ideo arcæ inferiora ista dicta sunt, quia in hac terrena vita est diversitas gentium, in summo autem omnes in unum consummamur. Et non est ista varietas : quia omnia et in omnibus Christus est, tanquam nos in uno cubito desuper cœlesti unitate consummans.

CAPUT XVII. — Quod post septem dies ex quo ingressus est Noe in arcam, factum est diluvium : quia in spe futuræ quietis, quæ septimo die significata est, baptizamur. Quod præter arcam omnis caro, quam terra sustentabat, diluvio consumpta est : quia præter Ecclesiæ societatem, aqua Baptismi quamvis eadem sit, non solum non valet ad salutem, sed valet potius ad perniciem. Quod quadraginta diebus et quadraginta noctibus pluit (*Id.* VII, 17-23) ; quia omnis reatus peccatorum, qui in decem præceptis Legis admittitur, per universum orbem terrarum, qui quatuor partibus continetur ; decem quippe quater ducta, quadraginta fiunt ; sive ille reatus, quod ad dies pertinet, ex rerum prosperitate, sive, quod ad noctes, ex rerum adversitate contractus sit, sacramento Baptismi cœlestis abluitur.

CAPUT XVIII. — Quod Noe quingentorum erat annorum cum ei locutus est Dominus ut arcam sibi faceret, et sexcentos agebat annos cum in eam esset ingressus (*Gen.* V, 31, VII, 6), unde intelligitur per centum annos arca fabricata ; quid aliud hic videntur centum anni significare, nisi ætates singulas sæculi ? Unde ista sexta ætas, quæ completis quingentis usque ad sexcentos significatur, in manifestatione evangelica Ecclesiam construit ; et ideo qui sibi ad vitam consulit, sit velut quadratum lignum, paratus ad omne opus bonum, et intret in fabricam sanctam : quia et secundus mensis anni sexcentesimi, quo intrat Noe in arcam, eamdem senariam ætatem significat. Duo enim menses sexagenario numero concluduntur ; a senario autem numero et sexaginta cognominantur, et sexcenti, et sex millia, et sexaginta millia, et sexcenta millia, et sexcenties, et quiquid deinceps in majoribus summis per eumdem articulum numerus in infinita incrementa consurgit.

CAPUT XIX. — Et quod vigesimus et septimus dies mensis commemoratur ; ad ejusdem quadraturæ significationem pertinet, quæ jam in quadratis lignis exposita est. Sed hic evidentius, quia nos ad omne opus bonum paratos, id est, quodam modo conquadratos trinitas perficit : in memoria, qua Deum recolimus ; in intelligentia, qua cognoscimus ; in voluntate, qua diligimus. Tria enim ter, et hoc ter, fiunt viginti septem, qui est numeri ternarii quadratus. Quod septimo mense arca sedit, hoc est, requievit (*Id.* VIII, 4, 14) ; ad illam septimam requiem significatio recurrit. Et quia perfecti requiescunt, ibi quoque illius quadraturæ numerus iteratur : nam vigesima septima die secundi mensis commendatum est hoc sacramentum ; et rursus vigesima et septima die septimi mensis eadem commendatio confirmata est, cum arca requievit : quod enim promittitur in spe, hoc exhibetur in re. Porro quia ipsa septima requies cum octava resurrectione conjungitur : neque enim reddito corpore finitur requies quæ post hanc vitam excipit sanctos, sed potius totum hominem non adhuc spe, sed jam ipsa re, omni ex parte, et spiritus et corporis perfecta immortalitatis salute renovatum, in æternæ vitæ munus adsumit : quia ergo septima requies cum octava resurrectione conjungitur ; et hoc in Sacramento regenerationis nostræ, id est, in Baptismo, altum profundumque mysterium est. Quindecim cubitis supereverit aqua excedens altitudinem montium (*Id.* VII, 20) : id est, hoc Sacramentum transcendit omnem sapientiam superborum. Septem quippe et octo conjuncti, quindecim fiunt. Et quia septuaginta a septem, et octoginta ab octo denominantur, conjuncto utroque numero, centum quinquaginta diebus exaltata est aqua, eamdem commendans nobis atque confirmans altitudinem Baptismi in consecrando novo homine ad tenendam quietis et resurrectionis fidem.

CAPUT XX. — Quod post dies quadraginta emissus corvus non est reversus, aut aquis utique interceptus, aut aliquo supernatante cadavere illectus ; significat homines immunditia cupiditatis teterrimos, et ob hoc ad ea quæ foris sunt in hoc mundo nimis intentos, aut rebaptizari, aut ab his quos præter arcam, id est, præter Ecclesiam Baptismus occidit, se-

[1] Vaticani duo et Gallicani prope omnes Mss., *Sicut Ecclesiam corpus Christi in unitatem collectam sublimat et perficit*.

duci et teneri. Quod columba emissa, non inventa requie reversa est; ostendit per Novum Testamentum requiem sanctis in hoc mundo non esse promissam. Post quadraginta enim dies emissa est; qui numerus vitam, quæ in hoc mundo agitur, significat. Denique post septem dies dimissa, propter illam septenariam, operationem spiritualem, olivæ fructuosum surculum retulit: quo significaret nonnullos etiam extra Ecclesiam baptizatos, si eis pinguedo non defuerit charitatis, posteriore tempore quasi vespere, in ore columbæ tanquam in osculo pacis, ad unitatis societatem posse perduci. Quod post alios septem dies dimissa, reversa non est (*Gen.* VIII, 6-12); significat finem sæculi, quando erit sanctorum requies non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quamdiu bibitur quod de Christi latere manavit; sed jam in ipsa perfectione salutis æternæ, cum tradetur regnum Deo et Patri (I *Cor.* XV, 24), ut in illa perspicua contemplatione incommutabilis veritatis nullis mysteriis corporalibus egeamus.

CAPUT XXI. — Nimis longum est, ut vel tam breviter quam hæc cucurri, cuncta contingam: cur sexcentesimo et uno anno vitæ Noe, id est, peractis sexcentis annis aperitur arcæ tectum, et tanquam revelatur quod erat absconditum sacramentum. Cur vigesima septima die secundi mensis dicitur siccasse terra [1] (*Gen.* VIII, 13, 14), tanquam finita esset jam baptizandi necessitas in numero dierum quinquagesimo et septimo. Ipse est enim dies secundi mensis vigesimus septimus, qui numerus ex illa conjunctione spiritus et corporis, septies octonos habet, uno addito propter unitatis vinculum. Cur de arca conjuncti exeant, qui disjuncti intraverant. Sic enim dictum erat, quod intraverit in arcam Noe et filii ejus, et uxor ejus et uxores filiorum ejus (*Id.* VII, 7): seorsum viri, seorsum feminæ commemoratæ sunt. In hoc enim tempore hujus sacramenti, caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Galat.* V, 17). Exeunt autem Noe et uxor ejus, et filii ejus et uxores filiorum ejus (*Gen.* VIII, 18), nunc conjuncte commemorati masculi et feminæ: quia in fine sæculi atque in resurrectione justorum, omnimoda et perfecta pace spiritui corpus adhærebit, nulla mortalitatis indigentia vel concupiscentia resistente. Cur animalia, quamvis et munda et immunda in arca fuerint, tamen post egressum de arca non offeruntur Deo in sacrificio nisi munda (*Ibid.*, 20).

CAPUT XXII. — Quid deinde sibi velit, Deo loquente ad Noe et tanquam rursus ab exordio, quia multis modis eadem significari oportebat, figuram Ecclesiæ commendante, quod progenies ejus benedicitur ad implendam terram, quod dantur eis in escam cuncta animalia: sicut in illo disco Petro dicitur, *Macta et manduca* (*Act.* X 13). Quod ejecto sanguine jubentur manducare: ne vita pristina quasi suffocata in conscientia teneatur, sed habeat tanquam effusionem per confessionem. Quod testamentum posuit Deus inter se et homines atque omnem animam vivam, ne perdat eam diluvio, arcum qui apparet in nubibus (*Gen.* IX, 1-17), qui nunquam nisi de sole resplendet: illi enim non pereunt diluvio separati ab Ecclesia, qui in Prophetis et omnibus divinis Scripturis tanquam in Dei nubibus agnoscunt Christi gloriam, non quærunt suam. Verum ne adoratores hujus solis amplius tumescant, sciant ita significari Christum aliquando per solem, sicut per leonem, per agnum, per lapidem, cujusdam similitudinis causa, non proprietatis substantia.

CAPUT XXIII. — Jam vero illud, quod de vinea quam plantavit, inebriatus Noe, nudatus est in domo sua (*Ibid.*, 20-23); cui non appareat Christus passus in gente sua? Tunc enim nudata est mortalitas carnis ejus, Judæis scandalum, Gentibus stultitia, ipsis autem vocatis Judæis et Gentibus tanquam Sem et Japheth, Dei virtus et Dei Sapientia: quia quod stultum est Dei, sapientius est, quam homines; et quod infirmum est Dei, fortius est quam homines (I *Cor.* I, 23-25). Proinde in duobus filiis, maximo et minimo, duo populi figurati, unam vestem a tergo portantes, sacramentum scilicet jam præteritæ atque transactæ dominicæ passionis, nuditatem patris [1] neque intuentur, quia in Christi necem non consentiunt; et tamen honorant velamento, tanquam scientes unde sint nati. Medius autem filius, id est, populus Judæorum, ideo medius, quia nec primatum Apostolorum tenuit, nec ultimus in Gentibus credidit, vidit nuditatem patris, quia consensit in necem Christi; et nuntiavit foras fratribus: per eum quippe manifestatum est, et quodam modo publicatum, quod erat in Prophetia secretum; ideoque fit servus fratrum suorum. Quid est enim aliud hodieque gens ipsa, nisi quædam scriniaria Christianorum, bajulans Legem et Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramentum, quod nuntiat illa per litteram?

CAPUT XXIV. — Quem autem non excitet, quem non vel informet, vel confirmet in fide, quod ita benedicuntur duo illi, qui nuditatem patris honoraverunt, quamvis aversi; velut quibus factum sceleratæ vineæ displicuerit? *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Sem.* Quanquam enim sit Deus omnium gentium, quodam modo tamen proprio vocabulo et in ipsis jam Gentibus dicitur Deus Israel. Et unde hoc factum est, nisi ex benedictione Japheth? In populo enim Gentium totum orbem terrarum occupavit Ecclesia. Hoc prorsus, hoc prænuntiabatur, cum diceretur: *Latificet Deus Japheth, et habitet in domibus Sem* (*Gen.* IX, 26, 27). Videte, Manichæi, videte; ecce in conspectu vestro est orbis terrarum: hoc stupetis, hoc doletis in populis nostris, quia latificat Deus Japheth. Videte si non habitet in domibus Sem, id est, in Ecclesiis, quas filii Prophetarum Apostoli construxerunt. Audite quid dicat Paulus jam fidelibus Gentibus: *Qui eratis*, inquit, *illo in tempore sine Christo, alienati a societate Israel, et peregrini Testamentorum, et promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.* Per hæc verba ostenditur quod nondum habitabat Japheth in do-

[1] Ita Mss. At in editis, *siccasse terram.*

[1] Editi, *nuditatem patris velant.* Abest, *velant*, a Mss.

mibus Sem. Sed paulo post quemadmodum concludat advertite. *Igitur jam*, inquit, *non estis peregrini et inquilini ; sed estis cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide existente Christo Jesu* (*Ephes.* II, 12, 19, 20). Ecce quomodo dilatatur Japheth, et habitat in domibus Sem. Et tamen Epistolas Apostolorum, quibus hæc omnia contestantur, tenetis, legitis, prædicatis. Ubi et vos ipsos deputaverim, nisi in illa maledicta medietate cui non est lapis angularis Christus? Quia nec in illo pariete vos agnoscimus, qui ex circumcisione credidit in Christum, unde erant et Apostoli ; nec in isto qui est ex præputio, unde sunt omnes ex cæteris Gentibus, in eamdem unitatem fidei, tanquam in pacem anguli [1] concurrentes. Sed et omnes qui quoslibet nostri canonis Libros accipiunt et legunt, ubi Christus mortaliter natus et passus ostenditur, nec tamen eamdem mortalitatem in passione nudatam consociato unitatis sacramento honorifice velant, sed sine scientia pietatis et charitatis nuntiant illud, unde omnes nati sumus ; quamvis inter se dissentiant, et Judæi ab hæreticis, et ipsi hæretici alii ab aliis, una tamen conditione servitutis, vel ad aliquam attestationem, vel ad aliquam probationem utiles sunt Ecclesiæ. Nam et de hæreticis dictum est : *Oportet et hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos* (I *Cor.* XI, 19). Ite nunc, et objectate calumnias veteribus Litteris sacris ; hoc agite, servi Cham ; ite, quibus viluit nudata caro ex qua nati estis : neque enim esset unde vos quoquo modo christianos appellare possetis, nisi Christus sicut a Prophetis prænuntiatus est, venisset in mundum, bibisset de vinea sua calicem illum qui transire non potuit, dormisset in passione sua, tanquam in ebrietate stultitiæ, quæ sapientior est hominibus ; atque ita nudaretur mortalis carnis infirmitas per occultum Dei consilium, fortior hominibus, quam nisi Dei Verbum suscepisset, nomen omnino christianum, quo et vos gloriamini, non esset in terris. Verum hoc agite, ut dixi ; irridenter prodite quod nos reverenter honoremus : utatur vobis Ecclesia tanquam subditis sibi, ut probati manifesti fiant in ea. Usque adeo nihil, quod vel habitura vel passura erat, Prophetæ illi tacuerunt, ut et vos ibi locis vestris inveniamus, in vanitate perniciosa ad reprobos capiendos, utili [2] autem ad probatos manifestandos.

CAPUT XXV. — Christum dicitis ab Israelitis Prophetis non esse prædictum : cui prædicendo omnes illæ paginæ vigilant, si eas perscrutari pietate, quam exagitare levitate malletis. Quis alius in Abraham exit de terra sua et de cognatione sua, ut apud exteros ditetur et locupletetur (*Gen.* XII, 1-3), nisi qui relicta terra et cognatione Judæorum, unde secundum carnem natus est, apud Gentes ita præpollet et prævalet, ut videmus? Quis alius in Isaac lignum sibi portabat ad victimam (*Id.* XXII, 6), nisi qui crucem sibi ad passionem ipse portabat? Quis alius aries immolandus in vepre cornibus adhærebat, nisi qui crucis patibulo pro nobis offerendus affigebatur [1]?

CAPUT XXVI. — Quis alius in angelo cum Jacob luctatus, eum sibi prævalentem, quasi fortiorem infirmior victusque victorem partim benedicit, partim latitudinem femoris ejus claudam reddit (*Gen.* XXXII, 24-31) ; nisi qui prævalere adversus se passus populum Israel, quosdam qui crediderunt, benedixit in eis? Latitudo autem femoris Jacob, in multitudine carnalis populi claudicavit. Quis alius lapis positus ad caput Jacob, ut nominatim quodam modo exprimeretur, etiam unctus est, nisi caput viri Christus? quis enim Christum nescit ab unctione appellari? Qui etiam hoc ipsum in Evangelio commemorans, et de se figuratum apertissime testificans, cum quemdam Nathanaelem dixisset vere Israelitam, in quo dolus non esset ; et cum ille tanquam lapidem illum habens ad caput, confessus eum esset Filium Dei et Regem Israel, ista confessione quodam modo ungens lapidem, id est, ipsum esse confitens Christum ; ibi opportune Dominus etiam illud commemoravit, quod tunc vidit Jacob, qui per benedictionem appellatus est Israel : *Amen dico vobis*, inquit, *videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis* (*Joan.* I, 47-51). Hoc enim Israel viderat, cum illum lapidem ad caput habebat, a terra in cœlum scalas, per quas ascendebant et descendebant Angeli Dei (*Gen.* XXVIII, 11-18). In quibus significati sunt Evangelistæ prædicatores Christi : ascendentes utique, cum ad intelligendam ejus supereminentissimam divinitatem excedunt universam creaturam, ut eam inveniant in principio Deum apud Deum, per quem facta sunt omnia (*Joan.* XI, 1-3) ; descendentes autem, ut eum inveniant factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret (*Galat.* IV, 4, 5). In illo enim scalæ a terra usque ad cœlum, a carne usque ad spiritum ; quia in illo carnales proficiendo, velut ascendendo spirituales fiunt : ad quos lacte nutriendos, etiam ipsi spirituales descendunt quodam modo, cum eis non possunt loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus (I *Cor.* III, 1-3). Sic et ascenditur et descenditur super Filium hominis. Filius enim hominis sursum in capite nostro, quod est ipse Salvator ; et Filius hominis deorsum in corpore suo, quod est Ecclesia. Ipsum et scalas intelligimus, quia ipse dixit, *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6). Ad ipsum ergo ascenditur, ut in excelsis intelligatur ; et ad ipsum descenditur, ut in membris suis parvuli nutriantur [2]. Et per illum ascenditur et descenditur : exemplum quippe ejus sequentes prædicatores ejus, non solum se erigunt, ut eum sublimiter spectent ; sed etiam humiliant, ut eum temperanter annuntient. Videte Apostolum ascendentem : *Sive*, inquit, *mente excessimus, Deo.* Videte et descendentem : *Sive*, inquit, *temperantes sumus, vobis.*

[1] Sic plerique Mss. Alii autem cum Am. et Er., *in pace anguli*. At Lov., *in pacis angulo*.

[2] Editi, *utiles*. At Mss., *utili* : supple, *vanitate*.

[1] Hic editio Lov. addit, *spinis primitus coronatus* ; quæ verba absunt ab editis aliis et nostris Mss.

[2] Sic Am. Er. et prope omnes Mss. At Lov., *ut in membris suis parvulis nutriatur*.

Dicat et per quem ascenderit et descenderit : *Charitas enim*, inquit, *Christi compellit nos ; judicantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt : et pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit* (II *Cor.* v, 13-15).

CAPUT XXVII. — Hæc in Scripturis sanctis sancta spectacula quem non delectant, sanam doctrinam non sustinens ad fabulas convertitur (II *Tim.* iv, 3, 4). Et illæ quidem fabulæ animas in qualibet corporis ætate pueriles varia quadam delectatione sollicitant : sed nos jam corpus Christi, agnoscamus in Psalmo vocem nostram, et dicamus ei : *Narraverunt mihi injusti delectationes ; sed non sicut lex tua, Domine* (*Psal.* cxviii, 85). Christus mihi ubique illorum Librorum, ubique illarum Scripturarum peragranti et anhelanti, in sudore illo damnationis humanæ, sive ex aperto, sive ex occulto, occurrit et reficit : ipse mihi et ex nonnulla difficultate inventionis suæ desiderium inflammat, quo id quod invenero avide sorbeam, medullisque reconditum salubriter teneam.

CAPUT XXVIII. — Ipse mihi in Joseph innuitur, qui persequentibus et vendentibus fratribus, in Ægypto post labores honoratur (*Gen.* xxxvii-xlvii). Dilicimus enim labores Christi in orbe gentium, quem significabat Ægyptus, per varias passiones martyrum ; et nunc videmus honorem Christi in eodem orbe terrarum, erogatione frumenti sui sibi omnia subjugantis. Ipse mihi innuitur in virga Moysi, quæ in terra serpens effecta, ejus mortem figuravit a serpente venientem : sed quod apprehensa cauda ejus rursus virga redditur (*Exod.* iv, 2-4), significat quod posterius [1], peractis jam omnibus in fine actionis, ad id quod fuerat, resurgendo revertitur, ubi per vitæ reparationem morte consumpta, nihil serpentis apparet. Nos quoque corpus ejus in eadem mortalitate per lubrica temporum volvimur : sed fine novissimo velut cauda sæculi, per manum, id est, per potestatem judicii, ne ultra prolabatur apprehensa, reparabimur, et novissima inimica morte destructa resurgentes (I *Cor.* xv, 26), in dextera Dei virga regni erimus.

CAPUT XXIX. — Jam de exitu Israel ex Ægypto, non ego, sed Apostolus loquatur : *Nolo autem vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim de spirituali sequente petra : petra autem erat Christus* (*Id.* x, 1-4). Exponendo unum, in cætera introduxit intellectum. Si enim petra Christus propter firmitatem, cur non et manna Christus, tanquam panis vivus qui de cœlo descendit (*Joan.* vi, 42)? quo vere qui vescuntur, spiritualiter vivunt. Nam illi veterem figuram carnaliter accipientes, mortui sunt. Sed cum dicit Apostolus, *Eumaem cibum spiritualem manducaverunt*, ostendit et illud spiritualiter intelligi in Christo ; sicut et *potum* cur *spiritualem* dixisset, aperuit cum subjunxit, Petra autem erat Christus : quo aperto cuncta fulserunt. Cur ergo non et nubes Christus, et columna, quia rectus et firmus et fulciens infirmitatem nostram : per noctem lucens, per diem non lucens ; ut qui non vident, videant ; et qui vident, cæci fiant (*Joan.* ix, 39)? Nubes et mare Rubrum [1] ; Baptismus utique Christi sanguine consecratus : hostes sequentes a tergo ; moriuntur peccata præterita.

CAPUT XXX. — Ducitur populus per desertum (*Exod.* xvii, 1) ; baptizati omnes nondum perfruentes promissa patria, sed quod non vident, sperando et per patientiam exspectando (*Rom.* viii, 25), tanquam in deserto sunt. Et illic laboriosæ et periculosæ tentationes, ne revertantur corde in Ægyptum. Nec ibi tamen Christus deserit : nam et illa columna non recedit (*Num.* xiv, 14). Et amaræ aquæ ligno dulcescunt : quia inimici populi signo crucis Christi honorificato mansuescunt. Et duodecim fontes, septuaginta palmæ arbores irrigantes (*Exod.* xv, 23-27), apostolicam gratiam præfigurant, populos in septenario numero decuplato rigantem, ut per septiforme Spiritus donum Legis decalogus impleatur. Et hostis intercludere molitus viam, extensis Moysi manibus signo crucis dominicæ superatur (*Id.* xvii). Et morsus mortiferi serpentum exaltato et respecto æneo serpente sanantur : quod verbis ipsius Domini declaratur, *Sicut exaltavit*, inquit, *Moyses serpentem in eremo, sic oportet exaltari Filium hominis ; ut omnis qui crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Num.* xxi, 9 ; *Joan.* iii, 14). Itane etiam ista non clamant? Tantane est surditas in cordibus duris? Fit Pascha in occisione ovis : occiditur Christus, de quo in Evangelio dicitur, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* i, 29). Prohibentur qui Pascha faciunt, ossa frangere : non franguntur in cruce ossa Domini. Attestatur Evangelista hinc esse dictum, *Os ejus non comminuetis* (*Exod.* xii, 46 ; *Joan.* xix, 39). Sanguine illiniuntur postes, ut pernicies depellatur (*Exod.* xii, 22, 23) : signantur signo dominicæ passionis in frontibus populi ad tutelam salutis. Datur ibi Lex quinquagesimo die post actum Pascha (*Id.* xx) : venit Spiritus sanctus quinquagesimo die post Domini passionem (*Act.* ii, 1-4). Dicitur illic scripta Lex digito Dei (*Exod.* xxxi, 18) : dicit Dominus de Spiritu sancto, *In digito Dei ejicio dæmonia* (*Luc.* xi, 20). Et clamat Faustus oculis clausis, nihil se in Litteris illis invenisse, quod ad prænuntiationem Christi pertineat! Quid autem mirum si oculos habet ad legendum, et cor ad intelligendum non habet, qui positus ante ostium clausum divini secreti, non fide pietatis pulsat, sed elatione impietatis insultat? Plane ita sit, ita fiat : justum enim est. Claudatur superbis janua salutis : veniat mansuetus, quem docet Dominus vias suas (*Psal.* xxiv, 9), videat et hæc in illis Libris, et cæ-

[1] Sic nonnulli Mss. Alii vero cum editis Am. et Er., *sed quod apprehensa cauda significat posterius* ; omissis verbis, *ejus rursus virga redditur*. Hæc eadem præterit editio Lov. quæ sic habet, *sed apprehensa cauda significat quod posterius peractis jam omnibus in fine actionibus.*

[1] Sic Am. et Er. At Lov. et plerique Mss.: *Rubet et mare Rubrum.*

tera vel omnia, vel quædam, qualia credat in omnibus.

CAPUT XXXI. — Videat Jesum introducentem populum in terram promissionis (*Josue* III) : neque enim hoc temere ab initio vocabatur, sed ex ipsa dispensatione nomine mutato Jesus appellatus est. Videat botrum de terra promissionis in ligno pendentem (*Num.* XIII, 24). Videat in Jericho tanquam in hoc mortali sæculo meretricem, de qualibus ait Dominus quod præcedant superbos in regnum cœlorum (*Matth.* XXI, 31), per fenestram domus suæ tanquam per os corporis sui coccum mittentem (*Josue* II), quod est utique sanguinis signum, propter remissionem peccatorum confiteri ad salutem. Videat muros ipsius civitatis, tanquam munitiones mortales sæculi, septies circumacta Testamenti arca cecidisse (*Id.* VI) : sicut nunc per tempora, quæ septem dierum vicissitudine dilabuntur, Testamentum Dei circuit totum orbem terrarum [1] ; ut in fine temporum mors novissima inimica destruatur, et ex impiorum perditione unica domus tanquam unica Ecclesia liberetur, mundata a turpitudine fornicationis, per fenestram confessionis, in sanguine remissionis.

CAPUT XXXII. — Videat tempora, primo Judicum, postea Regum ; sicut erit primo judicium, deinde regnum : inque ipsis temporibus Judicum et Regum iterum atque iterum multis et variis modis Christum et Ecclesiam figurari. Quis erat in Samson obvium leonem necans, cum petendæ uxoris causa ad alienigenas tenderet (*Judic.* XIV), nisi qui Ecclesiam vocaturus ex Gentibus dixit, *Gaudete, quia ego vici sæculum* (*Joan.* XVI, 33) ? Quid sibi vult in ore ipsius leonis occisi favus exstructus (*Judic.* XIV, 8), nisi quia ecce conspicimus leges ipsas regni terreni, quæ adversus Christum ante fremuerant, nunc jam perempta feritate dulcedini evangelicæ prædicandæ etiam munimenta præbere ? Quid est illa mulier plena fiduciæ, hostis tempora ligno transfigens (*Id.* IV, 21), nisi fides Ecclesiæ, cruce Christi regna diaboli perimens ? Quid vellus complutum area sicca, et postea compluta area sicco vellere (*Id.* VI, 37-40), nisi primo una gens Hebræorum, habens occulte in sanctis mysterium Dei, quod est Christus, quo mysterio totus orbis vacuus erat ; nunc autem in manifestatione totus orbis id habet, illa vacuata est ?

CAPUT XXXIII. — Quid jam Regum temporibus, ut et inde pauca commemorem, nonne ab ipso exordio commutatum sacerdotium in Samuelem, reprobato Heli (I *Reg.* II, 27-36), et commutatum regnum in David, reprobato Saule (*Id.* XVI, 1-14), clamat prænuntiari novum sacerdotium novumque regnum, reprobato vetere, quod umbra erat futuri, in Domino nostro Jesu Christo venturum ? Nonne ipse David, cum panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus (*Id.* XXI, 6), in una persona utrumque futurum, id est, in uno Jesu Christo regnum et sacerdotium figuravit ? Nonne cum decem tribus a templo separatæ sunt, et duæ derelictæ (III *Reg.* XII, 16, 20), satis indicat quod de tota ipsa gente Apostolus ait, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* XI, 5).

CAPUT XXXIV. — Pascitur Elias tempore famis corvis mane afferentibus panem, et ad vesperam carnes (III *Reg.* XVII, 6) : et Manichæi non intelligunt in illis Libris Christum, cui quodam modo salutem nostram esurienti confitentur peccatores, fidem primitias spiritus nunc habentes [1], in fine autem, velut ad vesperam sæculi, etiam carnis resurrectionem. Mittitur Elias pascendus ad alienigenam viduam, quæ volebat duo ligna colligere, priusquam moreretur : non hic solo ligni nomine, sed etiam numero lignorum signum crucis exprimitur. Benedicitur farina ejus et oleum (*Ibid.*, 9-16) : fructus et hilaritas charitatis, quæ cum impenditur, non deficit ; hilarem enim datorem diligit Deus (II *Cor.* IX, 7).

CAPUT XXXV. — Elisæo pueros insultantes et clamantes, *Calve, calve*, bestiæ comedunt (IV *Reg.* II, 23, 24) : puerili stultitia deridentes Christum in loco Calvariæ crucifixum, invasi a dæmonibus pereunt. Mittit Elisæus per servum baculum super mortuum, et non reviviscit ; venit ipse, conjungit et coaptat se morti ejus, et reviviscit (*Id.* IV, 29-37) : misit sermo Dei Legem per servum suum, nec profuit in peccatis mortuo generi humano ; quæ tamen non sine causa missa est ; ille enim misit, qui sciret eam prius esse mittendam : venit ipse, conformavit se nobis, factus particeps mortis nostræ, et vivificati sumus. Cum securibus ligna cæderentur, de ligno ferrum exsiliens, in profundum fluminis mersum est, atque in lignum desuper ab Elisæo projectum, reversum est (*Id.* VI, 4-7) ; ita cum impios Judæos per corpus operata præsentia Christi tanquam infructuosas arbores cæderet, quia de illo Joannes dixerat, *Ecce securis ad radices arboris posita est* (*Matth.* III, 10), ab eis interveniente passione, corpus ipsum deseruit [2], in inferni profunda descendens, quo in sepultura desuper posito, tanquam ad manubrium suum spiritu redeunte surrexit. Quam multa prætereram brevitatis necessitate constrictus, norunt qui legunt.

CAPUT XXXVI. — Jam ipsa in Babyloniam transmigratio, quo etiam Spiritus Dei per Jeremiam prophetam jubet ut pergant, et orent pro eis ipsis in quorum regno peregrinantur, quod in illorum pace etiam pax esset istorum, et ædificarent domos, et novellarent vineas, et plantarent hortos (*Jerem.* XXIX, 4-7), quis non agnoscat quid præfiguraverit, qui attenderit veros Israelitas, in quibus dolus non est (*Joan.* I, 47), per apostolicam dispensationem cum evangelico sacramento ad regnum Gentium transmigrasse ? Unde nobis Apostolus, tanquam Jeremiam replicans, dicit : *Volo ergo primo omnium fieri deprecationes, adorationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et*

[1] Nonnulli Mss. omittunt, *totum*. Editi habent, *toto orbe terrarum*.

[1] Am. Er. et plerique Mss., *habentem*.

[2] Editio Lov., *spiritus corpus ipsum deseruit*. Abest, *spiritus*, ab aliis libris, cujus loco subintelligitur, *præsentia Christi*.

his qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et charitate : hoc enim bonum et acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire (I *Tim.* II, 1-4). Ex hoc quippe illis credentibus constructa sunt domicilia pacis, basilicæ christianarum congregationum, et novellatæ vineæ populi fidelium, et plantati horti; ubi etiam inter omnia olera granum illud sinapis regnat, sub cujus umbraculis longe lateque porrectis, etiam altipetax superbia Gentium tanquam in cœli volatilibus confugiendo requiescit (*Matth.* XIII, 31, 32). Nam quod etiam post septuaginta annos, secundum ejusdem Jeremiæ prophetiam, reditur ex captivitate, et templum renovatur (*Jerem.* XXIX, 10, *et Esdr.* I); quis fidelis Christi non intelligat, post evoluta tempora, quæ septenarii dierum numeri repetitione transcurrunt, etiam nobis, id est Ecclesiæ Dei, ad illam cœlestem Jerusalem ex hujus sæculi peregrinatione redeundum? Per quem, nisi per Jesum Christum, vere sacerdotem magnum, cujus figuram gerebat ille Jesus sacerdos magnus illius temporis, quo templum ædificatum est post captivitatem? Quem propheta Zacharias vidit in sordido habitu, devictoque diabolo, qui ad ejus accusationem stabat, ablatam illi sordidam vestem, et datum indumentum honoris et gloriæ (*Zach.* III) : sicut corpus Jesu Christi quod est Ecclesia, adversario in fine temporum per judicium superato, a luctu peregrinationis in gloriam sempiternæ salutis assumitur. Quod etiam in Psalmo dedicationis domus apertissime canitur : *Convertisti luctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et accinxisti me lætitia; ut cantet tibi gloria mea, et non compungar* (*Psal.* XXIX, 12, 13).

CAPUT XXXVII. — Quis potest ex occasione alterius operis, omnia quæ in illis veteribus Legis et Prophetarum libris figurate Christum annuntiant, quantalibet brevitate perstringere? Nisi forte quis putat ingenio fieri, ut ea quæ rerum ordine per sua tempora cucurrerunt, ad Christi significationes interpretando vertantur. Hoc forte Judæi possunt dicere, sive Pagani : eis autem qui se Christianos putari volunt, premit cervicem apostolica auctoritas, dicens, *Omnia hæc in figura contingebant illis;* et, *Hæc omnia figuræ nostræ fuerunt* (I *Cor.* X, 10, 6). Nam si Ismael et Isaac homines nati, duo Testamenta significant (*Galat.* IV, 22, 24); quid credendum est de tot factis, quæ nullo naturali usu, nulla negotii necessitate facta sunt? Nihilne significant? Si quis nostrum, qui Hebræas litteras ignoramus, id est ipsos vocum characteres, videret eas in pariete conscriptas, honorato aliquo loco; quis esset tam excors, ut eo modo pictum parietem putaret? annon [1] potius intelligeret scriptum, ut si legere non valeret, non tamen illos apices aliquid significare dubitaret? Ita prius illa omnia, quæ sunt in veteri instrumento Scripturarum sanctarum, quisquis non perverso animo legerit, sic oportet moveatur, ut aliquid ea significare non ambigat.

CAPUT XXXVIII. — Verbi enim gratia; numquid, si oportebat adjutorium viro feminam fieri, etiam hoc necessitas ulla cogebat, vel ulla suadebat utilitas, ut de dormientis latere fieret (*Gen.* II, 18, 21, 22)? si causa evadendi diluvii opus erat fabricari arcam; quid opus erat mensuras ejus, aut ipsas potissimum fieri, aut etiam scriptis ad religionem posteritati propagandis commemorari? Si propter genus reparandum animalia includi oportebat; quid opus erat illo potissimum numero septena de mundis, bina de immundis? Aditum ad arcam fieri necessitas utique cogebat; in latere autem fieri, vel etiam memoriæ commendari per litteras (*Id.* VI, 14-VII, 3), quid cogebat? Immolare filium jubetur Abraham : jussus hoc fuerit, ut ejus obedientia tali etiam examine probata, posteris innotesceret; convenientius ligna portaverit filius, ne pater senexque portaret; non sit postea filium ferire permissus, ne orbitate gravissima se feriret : numquid etiam si nullo effuso sanguine rediretur, minus esset probatus Abraham? Aut si jam opus erat perfici sacrificium, etiamne, ut ille aries in vepre adhærens cornibus appareret (*Id.* XXII), ad ullum augmentum victimæ pertinebat? Sic omnia cum considerantur, et quasi superflua necessariis contexta inveniuntur, admonent humanum animum, id est animum rationalem, prius aliquid significare, deinde quid significent quærere.

CAPUT XXXIX. — Itaque etiam ipsi Judæi, qui Christum, cujus passionem nos agnovimus, illi deridٍent, nolunt talibus rerum, non tantum dictarum, sed etiam gestarum figuris prænuntiatum videri, coguntur a nobis discere [1] quid illa significent : quæ nisi aliquid significare concedant, tam divinæ auctoritatis Libros ab ineptarum fabularum ignominia non defendunt. Vidit hoc Philo quidam, vir liberaliter eruditissimus, unus illorum, cujus eloquium Græci Platoni æquare non dubitant : et conatus est aliqua interpretari, non ad Christum intelligendum, in quem non crediderat; sed ut inde magis appareret quantum intersit, utrum ad Christum referas omnia, propter quem vere sic dicta sunt, an præter illum quaslibet conjecturas quolibet mentis acumine persequaris; quantumque valeat quod Apostolus ait, *Cum transieris ad Dominum, auferetur velamen* (II *Cor.* III, 16). Ut enim quiddam ejusdem Philonis commemorem, arcam diluvii secundum rationem humani corporis fabricatam volens intelligi, tanquam membratim omnia pertractabat. Cui subtilissime numerorum etiam regulas consulenti, congruenter occurrebant omnia, quæ ad intelligendum Christum nihil impedirent, quoniam in corpore humano etiam ille humani generis Salvator apparuit; nec tamen cogerent, quia corpus humanum est utique et hominum cæterorum. At ubi ventum est ad ostium, quod in arcæ latere factum est, omnis humani ingenii conjectura defecit Ut

[1] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *ac non.* M.

[1] Am. Er. ac plures Mss., *dixere.*

tamen aliquid diceret, inferiores corporis partes, per quas urina et fimus egeruntur, illo ostio significari ausus est credere, ausus et dicere, ausus et scribere. Non mirum, si ostio non invento sic erravit. Quod si ad Christum transisset, ablato velamine, Sacramenta Ecclesiæ manantia ex latere hominis illius invenisset (*Joan.* XIX, 34). Nam quia prædictum est, *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24); propterea et in arca quædam ibi ad Christum, quædam vero ad Ecclesiam referuntur, quod totum Christus est. Sic et in cæteris interpretationibus figurarum per universum textum divinæ Scripturæ licet considerare, et comparare sensus eorum qui Christum ibi intelligunt, et eorum qui præter Christum ad alia quælibet ea detorquere conantur.

CAPUT XL. — Nec Pagani nobis in hoc obstrepunt; neque enim audent contradicere, ne illa non solum dicta, sed etiam facta, figurate accepta interpretemur ad Christum intelligendum : præsertim quia ea quæ prænuntiata intelligimus, etiam demonstramus impleta ; cum fabulas suas ut aliquo modo commendent, ad nescio quas physiologias vel theologias, id est, rationes naturales, vel divinas, interpretando referre conentur : ex parte plane satis indicantes[1], qualia sint; ex parte autem dissimulantes, dum ea rident in theatris quæ venerantur in templis, in turpitudine nimium liberi, in superstitione nimium servi.

CAPUT XLI. — Nobis autem quisquis dixerit, non ideo illa vel gesta vel scripta, ut Christus in eis intelligatur; excepta ipsa tanta consonantia rerum præfiguratarum et nunc impletarum, aliis præsagiis propheticis apertis manifestisque ferietur : sicuti est illud, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Hoc dictum est ad Abraham, hoc ad Isaac, hoc ad Jacob (*Id.* XXII, 18, *et* XXVI, 4, *et* XXVIII, 14). Unde non immerito dicit, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III, 6) : completurus utique in benedictione omnium gentium, quod ex eorum semine promisit. Nec immerito ipse Abraham, cum ejus servus ei jurasset, sub femore suo jussit eum ponere manum, (*Gen.* XXIV, 2, 9), sciens inde venturam carnem Christi, in quo benedici omnes gentes non tunc prænuntiamus, sed quod tunc prænuntiatum est, nunc videmus.

CAPUT XLII. — Vellem scire, imo melius nescierim, qua cæcitate animi legerit Faustus, ubi vocavit Jacob filios suos, et dixit : *Congregamini ut annuntiem vobis quæ occursura sunt vobis in novissimis diebus : congregamini et audite, filii Jacob; audite, Israel, patrem vestrum.* Hic certe nemo dubitat prophetantis personam esse dilucidatam. Audiamus ergo quid dicat filio suo Judæ, de cujus tribu Christus venit *ex semine David secundum carnem*, sicut apostolica doctrina testatur (*Rom.* I, 3). *Juda*, inquit, *te laudent*[2] *fratres tui; manus tuæ super dorsa inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda, de germinatione filius meus, ascendisti recumbens, dormisti ut leo, et ut catulus leonis, quis suscitabit eum? Non deerit princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei; et ipse exspectatio gentium, alligans ad vineam pullum suum, et cilicio pullum asinæ : lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum : fulgentes oculi ejus a vino, et dentes candidiores lacte* (*Gen.* XLIX, 1, 2, 8-12). Falsa sint ista, obscura sint ista, si non in Christo evidentissima luce claruerunt ; si non eum laudant fratres ejus Apostoli, et omnes cohæredes ejus, non suam gloriam quærentes, sed ipsius : si non sunt manus ejus super dorsa inimicorum ejus; si non deprimuntur atque curvantur ad terram, crescentibus populis christianis, quicumque illi adhuc adversantur : si non eum adoraverunt filii Jacob in reliquiis, quæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt (*Rom.* XI, 5) : si non ipse catulus est leonis, quoniam nascendo parvulus factus est ; propter hoc additum, *De germinatione filius meus.* Causa quippe reddita est quare catulus, in cujus laude alibi scriptum est, *Catulus leonis fortior jumentis* (*Prov.* XXX, 30); hoc est, etiam parvulus fortior majoribus : si non ascendit in cruce recumbens, cum inclinato capite reddidit spiritum : si non dormivit ut leo, quia et in ipsa morte non est victus, sed vicit; et ut catulus leonis, inde enim mortuus unde et natus : si non ille eum suscitavit a mortuis, quem nemo hominum vidit, nec videre potest (I *Tim.* VI, 16). Eo enim quod dictum est, *Quis suscitabit eum?* satis expressa est tanquam ignoti significatio. Si defuit princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus, donec venirent opportuno tempore, quæ promissa tanquam reposita fuerant. Sunt enim litteræ certissimæ historiæ ipsorum quoque Judæorum, quibus ostenditur primum alienigenam Herodem regem fuisse in gente Judæorum, quo tempore natus Christus est (*Matth.* II, 3, 7). Ita non defuit rex de semine Juda, donec venirent quæ reposita erant illi. Sed quia non solis Judæis fidelibus profuit quod promissum est, vide quid sequatur : *Et ipse exspectatio gentium.* Ipse *alligavit ad vineam pullum suum*, id est, populum suum, in cilicio prædicans et clamans, *Agite pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Id.* III, 2). Populum autem Gentium illi subditum cognoscimus pullo asinæ comparatum, in quo etiam sedit ducens eum in Jerusalem (*Id.* XXI, 2-10), id est, in visionem pacis, docens mansuetos vias suas. Si non lavit in vino stolam suam : ipsa est enim gloriosa Ecclesia, quam sibi exhibet, non habentem maculam aut rugam (*Ephes.* V, 27) : cui dicitur etiam per Isaiam, *Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, tanquam nivem dealbabo* (*Isai.* I, 18). Unde, nisi de dimissis peccatis? In quo ergo vino, nisi illo de quo dicitur, quod *pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI, 28)? Ipse est enim botrus ille qui pependit in ligno (*Num.* XIII, 24). Propterea et hic vide quid adjungat, *Et in sanguine uvæ amictum suum.* Jam vero fulgere oculos ejus a vino, illa in corpore ejus membra cognoscunt, quibus donatum est

[1] Am. cum multis Mss., *plene satis judicantes.*
[2] Ita Mss. juxta LXX. At editi, *te laudabunt.*

sancta quadam ebrietate alienatæ mentis ab infra labentibus temporalibus æternam lucem sapientiæ contueri. Unde quiddam paulo ante commemoravimus, dicente Paulo, *Sive enim mente excessimus, Deo.* Hi sunt *fulgentes oculi a vino.* Sed tamen quia sequitur, *Sive temperantes sumus, vobis* (II *Cor.* v, 13); nec parvuli relinquuntur adhuc lacte nutriendi (*Hebr.* v, 12), quia et hic sequitur, *Et dentes ejus candidiores lacte.*

CAPUT XLIII. — Quid ad hæc respondetis, insani? Nempe ista manifesta sunt; nempe omnes, non dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt. Talia quærite primo in illis Libris, talibus primo credite, quæ nunc a me nec omnia commemorari possunt, quia nimium est; nec multa, quia longum est; nec pauca velim, ne sola existimentur ab eis qui illa non legunt, et ne fidelis ac diligens lector me reprehendat, cum plura evidentiora repererit, quod ista potissimum posuerim quæ mihi occurrere in præsentia potuerunt : invenietis enim multa quæ omnino nec tali saltem indigeant admonitione, quali modo usus sum in verbis Jacob. Quis enim jam quærat expositorem dum legit, *Velut ovis ad victimam ductus est;* et omnia quæ illic multipliciter et evidenter dicuntur, Quia *livore ejus sanati sumus,* Quia *peccata nostra ipse portavit* (*Isai.* LIII, 7,5)? Quis non quasi Evangelium cantari arbitretur, *Foderunt manus meas et pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me : diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem?* Quis nisi nimium cæcus jam impleri non cernat, *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium* (*Psal.* XXI, 17, 18, 19, 28)? Quid illud in Evangelio, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38); et, *Nunc anima mea turbata est* (*Joan.* XII, 27)? Nonne prius in Psalmo sonuit, *Dormivi conturbatus?* Et unde factum est ut dormiret? quorum vocibus[1] acclamatum est, *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 21, 22); nonne et in Psalmo secutus prænuntiat, *Filii hominum, dentes eorum arma, et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus?* Quid autem fecerunt, quid nocuerunt resurrecturo, et super cœlos ascensuro, et totum orbem terrarum gloria sui nominis possessuro? Vide utrum hoc Psalmus ante tacuerit : sequitur enim, *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua* (*Psal.* LVI, 5, 6). Quis unquam de Christo dictum dubitavit, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te; postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 7, 8)? Quis alium intelligere permissus est, ubi Jeremias dicit, nimirum de Sapientia, *Tradidit illam Jacob puero suo, et Israel electo suo : post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III, 37, 38)?

CAPUT XLIV. — Quis non eumdem Salvatorem agnoscat apud Danielem, cum antiquo dierum offertur filius hominis, et accipit regnum sine fine, ut serviant ei omnes gentes (*Dan.* VII, 13, 14)? Jam vero si locum illum quem commemoravit Dominus ex ejusdem Danielis prophetia, *Cum videritis abominationem vastationis quæ dicta est a Daniele*[1], *stantem in loco sancto; qui legit, intelligat* (*Id.* IX, 27; *Matth.* XXIV, 15), si supputatis etiam temporibus hebdomadum, ille numerus pertractetur; non solum Christus, sed etiam tempus reperitur, quo eum oportuit venire passurum. Quanquam, et sine computatione temporum, manifestis rerum effectibus Judæos urgere soleamus, cum quibus nobis, non utrum in Christo sit salus nostra, sed utrum jam venerit, passusque fuerit disceptatio est. Convincuntur autem rebus ipsis apertissimis, non solum de fide omnium gentium, quas ei serviturus eadem, cui cedere coguntur, Scriptura prædixit, quæ ita clarescit toto orbe terrarum, ut omnium tergiversantium oculos feriat; verum etiam de iis quæ in ipsa Judæorum gente jam facta sunt, quod sacrarium eversum est, quod cessavit hostia, et sacerdos, et unctio pristina : quæ omnia Daniel tunc prænuntiavit futura, quando ungi Sanctum sanctorum liquide prophetavit (*Dan.* IX, 24-27). Cum igitur illa omnia jam facta sint, exigitur ab eis etiam unctus Sanctus sanctorum, et quid respondeant non inveniunt. Quomodo autem nobiscum non de Christo, sed tantum de adventu ejus disceptarent, nisi bene nossent eum in suis Libris prophetatum? Cur a Joanne quærunt, utrum ipse sit Christus (*Joan.* I, 19)? Cur ipsi Domino dicunt, *Quamdiu animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam* (*Id.* X, 24)? Cur Petrus et Andreas et Philippus dicunt Nathanaeli, *Invenimus Messiam, quod interpretatur Christus* (*Id.* I, 41), nisi quia hoc nomen in illa gente per illas Litteras et sciebatur, et exspectabatur? Nam nulla alia gens reges et sacerdotes suos christos habuit et vocavit, quorum significativam unctionem cessare fas non fuit, nisi cum ille venisset qui in eis prænuntiabatur (I *Reg.* X, 1, 2, *et Exod.* XXIX). Sic enim Judæi noverant illos christos suos, ut tamen unum sperarent, per quem demum liberarentur : sed excæcati occulta justitia Dei, dum solam ejus virtutem cogitant, infirmitatem, in qua pro nobis mortuus est, non intellexerunt. Hinc illa verba in libro Sapientiæ de illis prædicta cognoscimus : *Morte turpissima condemnemus illum; erit enim respectus in sermonibus illius : si vere Filius Dei est, suscipiet illum, et liberabit illum de manibus contrariorum. Hæc cogitaverunt et erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum* (*Sap.* II, 18-21). Quod etiam de istis verissime dici potest, qui in tanta multitudine testimoniorum, in tanta dispositione prænuntiatarum rerum, in tanta manifestatione completarum, adhuc dicunt Scripturis illis Christum non esse prophetatum. Quod si iterum atque iterum dicant, nos iterum atque iterum possumus documenta proferre, adjuvante illo qui tantam copiam præbuit adversus calumnias erroris humani, ut ea quæ jam commemoravimus, non repetamus.

CAPUT XLV. — Jam porro aliam Fausti tergiversationem, quam credo cum et ipse præclarissima pro

[1] Lov., *nisi quorum vocibus.* Abest, *nisi*, ab editis aliis et Mss.

[1] In Mss. deest, *a Daniele.*

phetiæ luce repercuteretur, callidissimam se invenisse arbitratus est, etiam refellere piget, ne propterea putetur aliquid dixisse, quia ei responderi dignum habitum est. Quis enim dementissimus diceret, enervis esse fidei, de Christo sine teste non credere? Vellem mihi isti responderent, cuinam de Christo ipsi credidissent : an illam vocem de cœlo audierunt, *Hic est Filius meus* (*Matth.* III, 17, XVII, 5)? Ei quippe voci potius Faustus nos jubet credere, qui de Christo non vult testibus hominibus credi, quasi ad nos etiam ejusdem vocis notitia sine homine teste pervenerit, cum et manifestum sit sic eam pervenisse, ut Apostolus dicat, *Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent*[1] *quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? aut quomodo prædicabunt, si non mittantur? sicut scriptum est, Quam speciosi eorum pedes qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona* (*Rom.* X, 14, 15)! Videtis certe quemadmodum prædicationem doctrinæ apostolicæ, propheticum testimonium comitetur. Ut enim non contemnerentur, neque fabulosa ducerentur quæ Apostoli annuntiabant, demonstrabantur hæc a Prophetis ante fuisse prædicta : quia etsi attestabantur miracula, non defuissent (sicut etiam nunc adhuc quidam mussitant) qui magicæ potentiæ cuncta illa tribuerent, nisi talis eorum cogitatio contestatione prophetica vinceretur. Magicis enim artibus[2] longe antequam nascerentur, Prophetas sibi constituere a quibus prænuntiarentur, nemo utique diceret. Sed videlicet vetat nos Faustus de vero Christo Hebræis Prophetis testibus credere, qui de falso Christo Persarum erroribus credidit.

CAPUT XLVI. — Verum disciplina catholica propterea simplici fide prius nutriri oportere docet mentem christianam, ut eam capacem faciat ad intelligenda superna et æterna. Sic etenim et propheta dicit : *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9). At ea ipsa est simplex fides, qua credimus, antequam cognoscamus supereminentem scientiam charitatis Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei (*Ephes.* III, 19), non sine causa dispensationem humilitatis ejus, qua humanitus natus et passus est, a Prophetis, per propheticam gentem, per propheticum populum, per propheticum regnum tanto ante prædictam; nisi quia in illa stultitia quæ sapientior est hominibus, et in illa infirmitate quæ fortior est hominibus (I *Cor.* I, 25) magnum aliquid latet ad justificationem et glorificationem nostram. Et ibi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II, 3), qui nulli aperiuntur, si sibi per maternam carnem trajectum cibum, id est, per apostolica et prophetica ubera lactis alimenta contempserit; et tanquam infantilem victum quasi prægrandi ætate fastidiens, prius in venena hæreticorum quam in sapientiæ cibum, cui se idoneum temere arbitratur, irruerit. Non ergo quod dicimus necessariam simplicem fidem, contrarium est ei quod dicimus ut Prophetis credatur : magis enim ad hoc pertinet, ut Prophetis credatur, priusquam purgata et roborata mente possit intelligi qui per Prophetas sic loquebatur.

CAPUT XLVII. — At enim si Christum prophetaverunt, non digne neque congruenter sua prophetatione vixerant. Unde hoc scitis? An quid sit vel bene vel male vivere, judicare vos potestis, quorum justitia est potius succurrendum esse meloni non sentienti, ut eum vos manducetis, quam mendico esurienti, ut manducandum aliquid detis? Catholicis autem parvulis, antequam sciant quæ sit animæ humanæ perfecta justitia, et quantum intersit inter ipsam cui suspiratur, et istam qua hic vivitur, sufficit de illis viris hoc existimare, quod commendat apostolicæ doctrinæ sanitas, quia *justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17). *Credidit autem Abraham Deo, et deputatum est illi ad justitiam. Prævidens enim Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, dicens, Quia in semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Galat.* III, 6, 8). Apostoli verba sunt. Ad cujus tam claram tamque omnibus notissimam vocem, si a vestris fallacissimis somniis evigilaretis, sequeremini vestigia patris nostri Abraham, et in ejus semine benediceremini cum omnibus gentibus. *Ipse* enim *accepit*, sicut dicit Apostolus, *signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium; ut deputetur et illis ad justitiam : ut sit pater circumcisionis, non his solum qui ex circumcisione sunt, sed et iis qui sequuntur vestigia, quæ est in præputio fidei patris nostri Abraham* (*Rom.* IV, 11, 12). Cujus ergo justitia fidei nobis ad exemplum imitanda proposita est, ut et nos justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum, intelligere debemus quemadmodum vixerit, non reprehendere : ne ante per abortum labamur ex utero matris Ecclesiæ, quam per stabilem conceptum formati perfectique nascamur.

CAPUT XLVIII. — Hoc Fausto pro moribus Patriarcharum et Prophetarum ex voce parvulorum nostrorum breviter responderim : inter quos et me ipsum deputaverim, dum tamen non reprehendam vitam sanctorum antiquorum, etiam si non intelligam quam mystice vixerint, quorum vitam nobis laudabiliter Apostoli Evangelio suo prædicarunt, sicut illi sua prophetia futuros Apostolos prædixerunt, ut clament ad se invicem duo Testamenta, sicut duo Seraphim, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth* (*Isai.* VI, 3). Cum vero cœperit Faustus Patriarchas et Prophetas, non generali atque indefinita reprehensione, sicut hic fecit, sed proprie facta eorum commemorando criminari, adjuvabit me Dominus Deus eorum, qui est etiam noster, ut ad singula congruenter apteque respondeam. Nunc vero illos homines Faustus Manichæus vituperat, Paulus autem apostolus laudat : eligat quisque cui credat.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. addunt, *ei*. M.
[2] Am. et Er. *nasceretur*; et infra, *prænuntiaretur*.

LIBER TERTIUS DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.—Faustus dixit: Quomodo Christum colitis, Prophetas repudiantes, quorum ex præsagiis accipitur fuisse venturus? Christum quidem nostrum, id est, filium Dei, Hebræorum aliquos annuntiasse Prophetas, nescio an probare quis possit, cum res cœperit examinari. Verumtamen etiam si hoc ita se habeat, quid ad nos? Illos manet hæc reprehensio, qui ex Judaismo forte ad Christianismum conversi sub testimoniis, ut perhibes, Prophetarum, postea neglexerint eos, ut beneficiorum ingrati. Porro autem nos natura Gentiles sumus, id est, quod Paulus præputium vocat (*Ephes.* II, 11), sub alia nati lege[1], et præfatoribus aliis quos Gentilitas vates appellat, atque ex his postea sumus ad Christianismum conversi: non ante effecti Judæi, ut merito Hebraicorum Prophetarum sequeremur fidem, euntes ad Christianismum, sed sola exciti fama, et virtutum opinione, atque sapientia Liberatoris nostri Christi Jesu. Unde si mihi adhuc in paterna religione moranti, prædicator adveniens, Christum vellet ex Prophetis insinuare, hunc ego protinus dementem putarem, qui Gentili mihi, et longe alterius religionis homini, de magis dubiis dubia conaretur astruere. Quid ergo opus erat, nisi ut ante Prophetis mihi credendum esse persuaderet, et tunc per Prophetas Christo? Quod ipsum ut fieret, opus item erat aliis Prophetis, qui pro istis facerent fidem. Quapropter si tu Christum per Prophetas accipiendum putas, Prophetas per quem accipies? An dicturus eris, Per Christum, ut vicissim, id est, ut alter alterum commendet, Christus prophetas, et Prophetæ Christum? Sed Paganus utriusque eorum conditione liber, nec Prophetis de Christo dicentibus crederet, nec Christo de Prophetis. Ita totum nulli alii, quam suæ fidei debet, quicumque fit ex Gentibus Christianus. Atque ut exemplo fiat id quod dicimus apertius, ponamus aliquem nunc a nobis catechizari Gentilem, cui assidentes dicamus, Crede Christo, quia Deus est. Ille vero, Unde hoc mihi probatis, dicat? Et nos respondentes dicamus, Ex prophetis. Rursum illo quærente, Quibus Prophetis? nos respondeamus, Hebræis. Atque ille subridens dicat, Sed his ego minime credo. Nos autem respondeamus, Quid, quod eos Christus confirmat? Idem vero multo magis ridens, dicat, Quid, quod ego nec ipsi credo? Quid fiet, his ita transactis[2]? nonne hærebimus, et ille risis nobis tanquam imprudentibus, remeabit ad sua? Ita nihil, ut dixi, Ecclesiæ Christianæ Hebræorum testimonia conferunt, quæ magis constet ex Gentibus quam ex Judæis. Sane si sunt aliqua, ut fama est, Sibyllæ de Christo præsagia, aut Hermetis, quem dicunt Trismegistum, aut Orphei, aliorumque in Gentilitate vatum, hæc nos aliquanto ad fidem juvare poterunt, qui ex Gentibus efficimur Christiani: Hebræorum vero testimonia nobis, etiamsi sint vera, ante fidem inutilia sunt, post fidem supervacua; quia ante quidem eis credere non poteramus, nunc vero ex superfluo credimus.

CAPUT II.— Augustinus respondit: Prosit hoc nobis loco ad brevitatem respondendi superior tam prolixa responsio. Puto enim jam qui illam legerit, ridet istum talia delirantem, et adhuc dicentem, Christum Filium Dei Hebræos non prænuntiasse Prophetas: in qua sola gente nomen ipsum quod dicitur Christus, et in rege, et in sacerdote sacratissimum fuit (*Exod.* XXIX; I *Reg.* X, 1, *et Exod.* XIX); nec inde sublatum, antequam ipse venisset, qui in illis figurabatur (*Dan.* IX, 24). Respondeant autem ipsi, Christi nomen unde didicerint. Si a Manichæo, quæro ipsi Manichæo quomodo crediderint, ut alios taceam, homines Afri homini Persæ: cum Faustus reprehendat Romanos, et Græcos, vel alias Gentes, si Hebræis Prophetis tanquam alienigenis de Christo crediderint; dicatque illis accommodatiora esse vaticinia Sybillæ et Orphei, vel si qua forte alia sunt vatum Gentilium, ut credatur in Christum: nec attendat in nullis Ecclesiis illa recitari, cum Hebræi Prophetæ in omnibus gentibus clarcant, atque ad Christianam salutem tanta fidelium examina adducant. Dicere autem non esse aptam Gentibus Hebræam prophetiam, ut credant in Christum, cum videat omnes gentes per Hebræam prophetiam credere in Christum, ridicula insania est.

CAPUT III. Displicet vobis talis Christus, qualis per Hebræos prænuntiatus est: et tamen omnes populi Gentium, apud quos Hebræam prophetiam nullum pondus auctoritatis habere arbitramini, in talem Christum credunt, qualis per Hebræos prænuntiatus est; accipiendo scilicet Evangelium, *quod Deus ante promiserat*, sicut Apostolus commemorat, *per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 2, 3). Unde propheta Isaias dixit, *Erit radix Jesse, qui exsurget regnare in gentibus: in eum gentes sperabunt* (*Isai.* XI, 10); et, *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel* (*Id.* VII, 14), *quod interpretatur, Nobiscum Deus* (*Matth.* 1, 25): nec [1] putent isti, hominem tantummodo Christum ab Hebræis Prophetis prænuntiatum; hoc enim videtur tetigisse Faustus, cum ait Christum quidem nostrum Filium Dei; quasi Hebræi Christum suum non Filium Dei dicerent. Ecce nos ostendimus Deum Christum virginis Filium ex Hebræa prophetia. Nam utique et Judæi carnales, ne hoc solum putarent esse Christum, quod propter nos factus est homo ex semine David, admonet eos ipse Dominus ex prophetia ejusdem David, quærens ab eis quid eis videretur de Christo, cujus eum dicerent esse Filium. Qui cum respondissent, *David*; ne hoc solum, ut dixi, putaretur, et non re-

[1] Plures Mss., *subalienati a lege*.
[2] Nonnulli Mss., *tractatis*.

[1] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *ne*. M.

spicerent ad Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus, *Et quomodo*, inquit, *ipse David in spiritu dicit eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Matth.* XXII, 42-44)? Ecce, inquam, nos ostendimus ex Hebræa prophetia Christum Deum : vos ostendite aliquam prophetiam vestram, unde nomen Christi didiceritis.

CAPUT IV. — Manichæus enim vester non fuit propheta venturi Christi : apostolum quippe ejus se dicit, impudentissima quidem fallacia; nam constat non solum post Tertullianum, verum etiam post Cyprianum hanc hæresim exortam. Omnes tamen ejus epistolæ ita exordiuntur *Manichæus apostolus Jesu Christi*. Huic vos de Christo quare credidistis? Quemnam testem vobis sui apostolatus adduxit? nomenque ipsum Christi, quod non scimus nisi in regno Judæorum in sacerdotibus et regibus institutum, ut non solum ille aut ille homo, sed universa ipsa gens totumque regnum propheta fieret Christi christianique regni, cur iste invasit, cur usurpavit, qui Prophetis Hebræis vos vetat credere, ut vos falsi Christi fallaces discipulos falsus et fallax apostolus faciat? Postremo, ne diceretur ei, Mentiris, protulerit vobis aliquos et prophetas, secundum assertionem suam Christum prænuntiantes : quid facietis ei, qualem Faustus catechizandum sub exemplo proposuit, qui neque ipsis neque illi credere voluerit? An Apostolos nostros pro se testes vocabit? Non, opinor, homines producet, sed Libros aperiet : quos non pro se, sed contra se apertos reperiet. Ibi enim Christum natum ex Maria virgine, ibi Filium Dei factum ex semine David secundum carnem legimus et docemus (*Id.* I, 22-25; *Luc.* II, 7, *et Rom.* I, 3). Quod si eos infalsatos dixerit, ipse testium suorum fidem oppugnabit : si autem alios, quos dicat Apostolorum nostrorum, codices protulerit, quomodo eis ipse auctoritatem dabit, quam per Ecclesias Christi ab ipsis Apostolis constitutas non accepit, ut inde ad posteros firmata commendatione transcurreret? Quomodo ille, cui non credo, profert mihi Scripturas quibus de illo credam; et eis ipse conatur dare auctoritatem, cum ego ipsi non credam?

CAPUT V. — Si autem famæ de Christo credidistis; hoc enim et Faustus magnis angustiis coarctatus, transeunter attigit, ne scilicet aut eos libros proferre cogeretur, quorum auctoritas nulla est, aut ad eos ligaretur, quorum auctoritas ei contraria est : ergo si de Christo famæ credidistis, videte utrum fama idonea testis sit, diligenter considerate quo vos præcipitetis. Mala enim multa de vobis fama disseminat, cui credi non vultis. Quæ igitur ratio est, hanc de Christo velle veracem, quam de vobis vultis esse mendacem? Quid quod etiam famæ Christi contradicitis? Ea quippe clarior, ea præpollentior, aures et mentes et linguas omnium gentium tenet, quæ Christo ex semine David secundum Scripturas Hebræas disseminato, implet, quod ibi scriptum est, promissum Abrahæ, et Isaac, et Jacob, *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* 22, 18, XXVI, 4, *et* XXVIII, 14). Quid ergo respondetis, cuinam de Christo credideritis, quibus testes alienigenæ non placent? Nostrorum porro Librorum auctoritas, tot gentium consensione, per successiones Apostolorum, episcoporum, conciliorumque roborata, vobis adversa est : vestrorum autem nulla est, quia et a tam paucis profertur, et ab iis qui Deum et Christum mendacem colunt. Unde contra eorum mendacem doctrinam fit, nisi et ipsi tanquam imitatores Dei et Christi sui mendaces habeantur. Fama vero etiam ipsa consulta, et vos pessimos jactat, et Christum ex semine David contra vos prædicare non cessat. Vocem Patris de cœlo non audistis (*Matth.* III, 17, *et* XVII, 5), opera Christi quibus de seipso testificabatur, non vidistis : codices in quibus hæc scripta sunt, ut specie christiana fallatis, velut accipitis; ne tamen contra vos legantur, infalsatos dicitis. Profertis inde Christum dicentem, *Si mihi non creditis, operibus credite* (*Joan.* X, 38); et, *Ego sum qui testimonium perhibeo de me, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater* (*Id.* VIII, 18) : et non vultis contra vos inde proferri, *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere; ipsæ testimonium perhibent de me;* et, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit;* et, *Habent ibi Moysen et Prophetas, audiant eos* (*Id.* V, 39, 46); et, *Si Moysen et Prophetas non audiunt, nec si quis a mortuis resurrexerit, credent ei* (*Luc.* XVI, 29, 31)! Unde huc existis? unde confiditis? Scripturas tanta auctoritate firmatas commendatasque respuitis, miracula non facitis : quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus, præstruente nos Domino et dicente, *Exsurgent multi pseudochristi et pseudoprophetæ, et facient signa et prodigia multa, ut fallant, si fieri potest, etiam electos : ecce prædixi vobis* (*Matth.* XXIV, 24, 25). Usque adeo nihil credi voluit adversus confirmatam Scripturarum auctoritatem, quæ fidem suam rebus ipsis probat, quæ per temporum successiones hæc impleri et effici ostendit, quæ tanto antequam fierent, prænuntiavit.

CAPUT VI. — Restat ut rationem vos exhibere dicatis, tam certam et invictam, ut per seipsam declarata veritate, nullam testis auctoritatem, nullam miraculi veritatem requirat. Quid dicitis? quid profertis? quam rationem, quam veritatem? Fabula illa est longa et vana, puerile ludibrium, et muliebre jocamentum [1], et aniculare deliramentum, continens initium truncum, et medium putridum, et finem ruinosum. Cum enim vobis ex ejus initio dictum fuerit, Immortali, invisibili, incorruptibili Deo, quid factura erat gens tenebrarum, si cum ea pugnare noluisset [2]? et de medio ejus, Quomodo est incorruptibilis et incontaminabilis [3] Deus, cujus membra in pomis et oleribus manducando et digerendo conteritis ut purgetis? et de fine ejus, Quid fecit anima misera, ut

[1] Plerique Mss., *avocamentum*.

[2] Lov., *voluisset*. Verius Am. Er. et plures Mss., *noluisset*.

[3] Multi codices, *et incommutabilis*.

in globo tenebrarum perpetuo vinculo puniatur, quæ non suo vitio, sed alieno maculata, Deo suo deficiente mundari non potuit, quo mittente polluta est? hæsitantibus vobis, et quid respondeatis non invenientibus, conspuuntur [1] tam multi et tam grandes [2] et tam pretiosi codices vestri; et multum dolentur [3] labores antiquariorum, et saccelli miserorum, et panis deceptorum. Si ergo nec Scripturarum auctoritatis antiquitas, nec miraculorum potestas, nec morum sanitas, nec rationis veritas, vos asserit; abite confusi, et redite confessi, ipsum esse Christum omnium in se credentium Salvatorem: cujus nomen et cujus Ecclesiam ita exhibent præsentia tempora, sicut præterita nuntiarunt; non per quemlibet de cavernosis latebris procedentem, sed quadam gente, et quodam regno ad hoc propagato et instituto, ut ibi de illo cuncta figuris prænotarentur, quæ nunc expressa rebus agnoscerentur, et ibi per Prophetas prædicta scriberentur, quæ nunc per Apostolos prædicata præsentarentur [4]?

CAPUT VII. — Proinde constituite vobis aliquem catechizandum gentilem, in quo Faustus defecisse nos risit: ubi non ridendus, sed plangendus ipse defecit. Si enim dixerimus homini gentili, crede Christo, quia Deus est; et responderit, Unde credo? prolataque auctoritate Prophetarum, eis se non credere dixerit, quod illi Hebræi sint, ipse paganus; ostendimus fidem Prophetarum ex iis quæ ventura cecinerunt et venisse cernuntur. Credo enim quod eum non lateret, quantas a regibus hujus sæculi persecutiones prius pertulerit christiana religio: aut si lateret, per ipsam historiam gentium et imperiales leges litteris memoriæque mandatas, ei facilè probaretur: quod cum tanto ante prædictum ex propheta cognosceret dicente, *Utquid fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversum Christum ejus*: quod non de ipso David fuisse dictum, in eodem ipso psalmo facile apparet. Ibi enim dicitur etiam illud, quod homines quamlibet pertinacissimos ipsa rerum manifestatione confundit, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te; postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 1, 2, 7, 8): quod genti Judæorum in qua regnavit David, non esse concessum; Christi autem nomine longe lateque omnes gentes occupante, nemo dubitat esse completum. Credo moveretur, cum hinc et alia multa ex prophetis audiret, quæ nunc persequi longum est. Videret etiam ipsos reges terræ Christi imperio jam salubriter subjugatos, omnesque gentes eidem servientes: et legeretur ei de Psalmo tanto ante prædictum, *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei* (*Psal.* LXXI, 11): totumque psalmum ipsum, qui figurate tanquam in Salomonem dicitur, si legere vellet, inveniret Christum vere regem pacificum; hoc enim Salomonis nomen interpretatur: in quo cognosceret completa omnia quæ ibi dicuntur, longe remotissima ab illo homine Salomone rege Israel. Illum itidem psalmum, ubi Deus unctus a Deo dicitur, et utique Christus ipsa unctione declaratur; idemque Christus Deus apertissime ostenditur, cum Deus unctus insinuatur (*Psal.* XLIV, 8): si considerare vellet quæ ibi de Christo, quæ de ipsa Ecclesia dicta sunt, quæ ibi quidem prædicta legeret, in orbe autem terrarum impleta conspiceret; videret quoque ipsa simulacra gentium per Christi nomen sic perire de orbe terrarum, idque ipsum a Prophetis prædictum esse disceret: audiret Jeremiam dicentem, *Sic dicetis illis: Dii qui cœlum et terram non fecerunt, pereant a terra, et de sub cœlo* (*Jerem.* X, 11). Item alio loco cum eumdem prophetam dicentem audiret, *Domine, fortitudo mea, et adjutorium meum, et refugium meum in die malorum: ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent, Quam falsa possederunt patres nostri simulacra, et non est in eis utilitas! si faciet homo deos et ipsi non sunt dii. Propterea ecce ego ostendam illis in tempore illo; manum meam ostendam illis, et virtutem meam, et scient quoniam ego Dominus* (*Id.* XVI, 19-21), Hæc audiens de Scriptura prophetica, et cernens in universa terra, quid dicam quemadmodum moveretur ad fidem, quando et hoc rebus ipsis probamus, cum per prophetiam ante tempora conscriptam, et his temporibus impletam, corda fidelium sic firmari cognoscimus?

CAPUT VIII. — Jam vero ne hominem, sicut magni quidam homines fuerunt, Christum putaret, idem propheta hoc illi de cogitatione excuteret. Ibi enim sequitur et dicit: *Maledictus homo qui spem habet in homine, et firmat carnem brachii sui, et a Domino discedit cor ejus: et erit sicut tamarix* [1] *quæ in deserto est; non videbit cum venient bona, et habitabit inter iniquos in terra deserta, in terra salsa quæ non inhabitabitur*: et, *Benedictus homo qui confidit in Domino, et erit Dominus spes ejus: eritque tanquam lignum fructiferum secus aquam, et in humore mittet radices suas; non timebit cum venerit æstus, et erunt in eo propagines nemorosæ; in anno siccitatis non timebit, et non deficiet faciendo fructum.* Hic certe cum maledictum diceret eum qui spem ponit in homine, eamque maledictionem propheticis similitudinibus explicaret; et benedictum qui in Domino confideret, eamque benedictionem congruis itidem similitudinibus texeret; turbaretur fortasse ille, quomodo ei, ne spem suam in hominem poneret, Deum Christum annuntiaremus, et rursum eum non ex propria natura, sed ex nostra mortalitate suscepta hominem diceremus. Sic enim quidam Deum credendo Christum, et hominem negando erraverunt: et rursus quidam hominem putando, et Deum negando, aut contempserunt, aut in homine

[1] Plerique Mss., *conspicuuntur*.
[2] In Mss., *et tam grandævi*.
[3] Lov., *delentur*. Melius Am. et non pauci Mss., *dolentur*; vel, ut alii, *dolendi*. Editio Er. habet, *dolent*.
[4] Am. Er. et aliquot Mss., *præstarentur*.

[1] Am. Er. cum pluribus Mss., *tramarix*.

spem suam ponentes, in illud maledictum inciderunt. Hic ergo iste gentilis si turbaretur, diceret contra fidem nostram istum prophetam locutum fuisse : quia nos secundum apostolicam doctrinam non tantummodo Deum Christum diceremus, ut in eo spes securissime ponatur, sed etiam Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum (I *Tim.* II, 5); istum autem Deum tantum dixisse, de natura vero humana nullam fecisse mentionem : ibidem ejusdem prophetæ vocem audiret se admonentis et corrigentis, *Grave cor per omnia, et homo est, et quis agnoscet eum* (*Jerem.* XVII, 5-9)? Ideo quippe *homo*, ut graves corde per formam servi ex fide sanarentur, et eum agnoscerent Deum, qui propter eos factus est homo, ne in homine spes eorum esset, sed in homine Deo. Et tamen, *grave cor per omnia, et homo est : formam servi accipiens. Et quis agnoscit eum? qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* II, 7, 6). *Et homo est :* quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et quis agnoscet eum?* quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 14, 1). Et vere *grave cor per omnia :* nam et in discipulis ejus ipsum grave cor fuit, cum eis dicebat, *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* Quid est enim, *Tanto tempore vobiscum sum*, nisi quod hic dicitur, *Et homo est?* Quid est autem illud, *Et non cognovistis me?* nisi quod hic dicitur, *Et quis agnoscet eum?* Quem, nisi eum qui dicit, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Id.* XIV, 9)? Ut spes nostra non sit in homine, propter illud per prophetam editum maledictum [1] : sed sit in homine Deo, id est, in Filio Dei Salvatore Jesu Christo, Mediatore Dei et hominum; et quo Pater major est propter formam servi, et qui Patri æqualis est propter formam Dei.

CAPUT IX.— Dicit et Isaias : *Humiliabitur et cadet contumelia hominum* [2], *et exaltabitur Dominus solus in illa die : et manibus fabricata omnia abscondent in speluncis et in scissuris petrarum et in cavernis terræ, a facie timoris Domini et a majestate virtutis ejus, cum surrexerit confringere terram. Illa enim die projiciet homo abominationes aureas et argenteas, quas fecerunt ut adorarent supervacanea et noxia* (*Isai.* II, 17-20). Et forte iste gentilis, quem catechizamus, quem dixit Faustus cum risu dicturum, Non credo Prophetis Hebræis, aliqua manu fabricata idola abscondit in spelunca, aut in scissura petræ, aut in caverna terræ, aut aliquem amicum suum scit hoc fecisse, aut in civitate, vel in fundo suo scit factum esse a facie timoris Domini, qui per reges terræ, secundum eamdem prophetiam, jam sibi servientes seque adorantes, severissimis legibus terram confringit, id est, terreni cordis frangit audaciam. Quomodo ergo dicat, Non credo Prophetis Hebræis, cum et in se ipso completum forte cognoscat, quod olim prædictum est a Prophetis Hebræis.

CAPUT X. Magis verendum erat, ne tanta rerum evidentia circumfusus, fortasse diceret, posteaquam ista per mundum fieri cœperunt, Christianos has Litteras composuisse, ut ante divinitus prædicta putarentur, ne quasi temere humanitus facta contemnerentur. Hoc verendum erat, nisi esset late sparsus lateque notus populus Judæorum : Cain ille signo accepto, ne ab aliquo interficiatur (*Gen.* IV, 15), et ille Cham servus fratrum suorum (*Id.* IX, 25) portando Libros, quibus illi erudiantur, ipse oneretur (*a*). Per eorum quippe codices probamus, non a nobis tanquam de rerum eventu commonitis ista esse conscripta, sed olim in illo regno prædicta atque servata, nunc autem manifestata et impleta : in quibus et ea quæ ibi minus perspicua sunt, quia *in figura contingebant illis ; scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 11), jam nunc illustrata solvuntur ; et quæ umbris futurarum adhuc rerum opacabantur, jam factarum luce manifestantur.

CAPUT XI.— Forte etiam hinc se diceret permoveri, quod ipsi, in quorum Libris hæc inveniuntur esse prænuntiata, quæ nunc cernuntur impleta, non nobiscum tenent ejusdem Evangelii societatem. Cum vero doceretur etiam hoc ab eisdem Prophetis esse prædictum, quantum moveretur ad fidem ; quis tam demens est, ut non videat? quis tam impudens [1] ut se videre dissimulet? Quis enim dubitet hoc de Judæis fuisse prophetatum, cum Isaias dicat, *Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui ; Israel autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit* (*Isai.* I, 3) ; aut illud quod Apostolus commemorat, *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem* (*Rom.* X, 21 ; *Isai.* LXV, 2) ; et maxime illud, *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant et non intelligant* (*Rom.* XI, 8 ; *Isai.* VI, 10) ; et multa hujusmodi? Quod si diceret, Quid ergo peccaverunt Judæi, si Deus illos excæcavit ne agnoscerent Christum? quantum possemus, imbuendo rudi homini ostenderemus ex aliis occultis peccatis Deo cognitis, venire justam pœnam hujus cæcitatis : quod non solum dixisse Apostolum de quibusdam, *Propter hoc tradidit illos Deus in concupiscentiam cordis eorum, vel in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 24, 28), volentem ostendere quædam peccata manifesta, ex pœna venire quorumdam occultorum ; sed nec ipsos hoc tacuisse Prophetas demonstraremus. Nam ne pergam longius, idem Jeremias eo ipso loco, ubi ait, *Et homo est, et quis agnoscet eum?* ne quasi hoc ipso excusati essent Judæi, quia non cognoverunt, *Si enim cognovissent*, sicut Apostolus dicit, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* II, 8) ; sequitur, et ostendit occulti eorum meriti fuisse ut non cognoscerent. Ait enim : *Ego Dominus, interrogans corda, et probans renes, ut dem unicuique secundum vias ejus, et secundum fructum studiorum ejus.*

CAPUT XII.— Porro si hoc gentilis ille moveretur, cur etiam ipsi qui appellantur Christiani, in multas hæreses variasque discedunt : neque hoc a Prophetis

[1] Am. Er. et quidam Mss., *edictum maledictum.*
[2] Aliquot Mss., *contumacia.*

[1] Am. et plures Mss., *imprudens.*
(*a*) II Retract., cap. 7, n. 3.

Hebræis prætermissum esse doceremus. Tanquam enim esset consequens, ut Judæis in sua cæcitate demonstratis, hoc illi veniret in mentem, quod etiam multi sub nomine Christiano ab ipsa Christiana societate deviarent, ipse Jeremias, velut catechizandi ordinem nobis insinuans, continuo subjecit : *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias suas non cum judicio.* Perdix enim nimis contentiosum animal, notum est quanta aviditate ipsius contentionis currat in laqueum. Non enim disputare amant hæretici, sed quoquo modo superare impudentissima pervicacia, ut congregent, sicut hic dixit, quæ non pepererunt. Christianos enim, quos maxime Christi nomine seducunt, jam per ipsius Christi Evangelium natos inveniunt, et faciunt illos divitias suas : non sane cum judicio, sed cum temeritate inconsiderata. Non enim intelligunt ibi esse veram salubrem, et quodam modo germanam atque radicalem christianam societatem, unde istos separaverunt, quos ad suas divitias congregarunt. Et quia de talibus dicit Apostolus, *Sicut enim Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, sic et isti resistunt veritati ; homines mente corrupti, reprobi circa fidem : sed ultra non proficient, dementia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit* (II *Tim.* III, 8, 9) : sequitur et hic Propheta, et dicit de perdice, qui [1] congregavit quæ non peperit, *In dimidio dierum ejus derelinquent eum, et in novissimis suis erit insipiens :* id est, qui primo tanquam per pollicitationem et ostentationem excellentis sapientiæ seducebat, erit insipiens, id est, apparebit insipiens. Eis quippe quibus primo sapiens erat, tunc erit insipiens, cum apparebit, quia dementia ejus nota erit omnibus.

CAPUT XIII. — Et tanquam ille quem catechizamus, quæreret et diceret, Quo ergo signo manifesto adhuc parvulus, et nondum valens liquidam discernere a tot erroribus veritatem ; quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem jam credere tanta rerum antea prædictarum manifestatione compellor? sequitur idem propheta, et tanquam motus animi ejus ordinatissime excipiens, docet eum Ecclesiam Christi ipsam esse prædictam, quæ omnibus eminet et apparet. Ipsa enim est sedes gloriæ, de qua dicit Apostolus : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17). Unde iste dicit : *Sedes autem gloriæ exaltata est, sanctificatio nostra* (*Jerem.* XVII, 10-12). Propter hos enim motus parvulorum, qui possunt seduci ab hominibus, manifestationem claritatis Ecclesiæ Dominus quoque prævidens, ait, *Non potest civitas abscondi supra montem constituta* (*Matth.* V, 14) : quia utique *sedes gloriæ exaltata est, sanctificatio nostra*, ut non audiantur illi qui ad religionum scissuras traducunt, dicentes, *Ecce hic est Christus, ecce illic.* Partes enim ostendunt, dicentes, *Ecce hic, ecce illic.* Cum illa civitas super montem sit ; quem montem, nisi eum qui secundum prophetiam Danielis ex parvo lapide crevit, et factus est mons magnus, ita ut impleret universam terram (*Dan.* II, 34, 35)? Nec illi audiantur, qui sub nomine quasi secretæ et apocryphæ veritatis et hominum paucitatis dicunt, *Ecce in cubiculis, ecce in deserto* (*Matth.* XXIV, 23, 26) : quia *non potest abscondi civitas super montem constituta*, quia *sedes gloriæ exaltata est, sanctificatio nostra.*

CAPUT XIV. — Cum ergo gentilis iste his atque hujusmodi aliis testimoniis Prophetarum de persecutione regum et populorum, de fide regum et populorum, de abolitione idolorum, de cæcitate Judæorum, de probatione codicum ab ipsis custoditorum, de amentia hæreticorum, de excellentia sanctæ Ecclesiæ verorum et germanorum Christianorum, ante prædicta et nunc impleta conspiceret ; quid inveniret fide dignius, quam illos Prophetas, quibus de divinitate Christi eligeret credere ? Etenim si antequam ista fierent, ingererem gentili Prophetas Hebræos, quibus ea futura crederet, quæ facta nondum videret, merito fortasse diceret : Quid mihi est cum istis Prophetis, quos unde veraces probem, non mihi ostenditur? Cum vero tam magna et tam multa quæ prædixerunt, jam ad effectum manifestationemque perducta sint ; plane ille, si perversus esse nollet, nec ista ullo modo contemneret, quæ tanto ante, et tanto apparatu, prævidenda et prænuntianda commendari meruerunt, nec illos a quibus prævideri et prænuntiari potuerunt. Nullis enim prudentius credimus, vel de præteritis quæ olim facta sunt, vel de futuris quæ nondum facta sunt, quam eis qui nobis fidem verborum suorum tam multis tamque magnis, quæ ab eis prædicta jam facta sunt, probaverunt.

CAPUT XV. — Sibylla porro, vel Sibyllæ, et Orpheus, et nescio quis Hermes, et si qui alii vates vel theologi, vel sapientes, vel philosophi Gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixisse seu dixisse perhibentur, valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad istorum auctoritatem amplectendam ; cum illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congentiles populos idola et dæmonia colenda partim docere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt. At illi sancti auctores nostri eum populum, eam rempublicam, tale regnum, imperante et adjuvante Deo, propagaverunt atque rexerunt, ubi sacrilegium esset, quod istis religio fuit. Itaque si qui illic in cultum simulacrorum et dæmonum laberentur, aut pœna plectebantur, ipsis suæ reipublicæ legibus, aut liberrimo tonitru [1] coercebantur propheticis vocibus. Unus enim ab eisdem colebatur Deus, qui fecit cœlum et terram, prophetico sane ritu, hoc est, significativo futurorum ; qui ritus aboleretur, cum illa venissent quæ per eum significabantur esse ventura : quandoquidem ipsum regnum magnus quidam propheta fuit, ubi rex, et sacerdos mystica significatione ungebantur (*Deut.* XVIII, 15 ; *Psal.* II, 6 ; *Psal.* CIX, 4 ; I *Reg.* X, 1, *et Exod.* XXIX) ; quod non ante, ipsis quoque Judæis ignorantibus, ac per hoc invitis ablatum est, nisi cum venisset ille gratia spirituali

[1] In Lugd. et Ven., *quia*. M.

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *aut liberrime ;* omissa voce, *tonitru*.

unctus Deus præ participibus suis, ille sanctus sanctorum (*Dan.* IX, 24, *et Psal.* XLIV, 8), idem verus rex consulendo nobis, et idem verus sacerdos se ipsum offerendo pro nobis. Quamobrem quantum distat de Christi adventu inter prædicationem Angelorum et confessionem dæmoniorum, tantum inter auctoritatem Prophetarum et curiositatem sacrilegorum.

CAPUT XVI. — His et talibus, quæ nunc breviter tangimus, tunc forte pro necessitate depellendi veternosi erroris aliquanto latius disputatis, et robore uberioris probationis assertis, ille gentilis quem nobis catechizandum Faustus proposuit, si salutem suam peccatis suis præponeret, profecto moveretur ad fidem : qua imbutus et in Ecclesiæ catholicæ gremio fovendus collocatus, consequenter etiam moneretur quos mores tenere deberet. Neque perturbaretur eorum multitudine, in quibus ea non inveniret quæ observare juberetur : quamvis cum eo corporaliter congregarentur in Ecclesiam, et eadem Sacramenta perciperent. Sciret cum paucis hæreditatem Dei, cum multis autem signacula ejus participanda : cum paucis communicare sanctitatem vitæ, et donum charitatis diffusæ in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V, 5), ad quem fontem interiorem nullus alienus accedit ; cum multis autem sanctitatem Sacramenti, quod qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit (I *Cor.* XI, 29), qui autem manducare contemnit, non habebit in se vitam (*Joan.* VI, 54), et ideo non perveniet ad vitam æternam. Eosdemque paucos, in comparatione multitudinis malorum, paucos dici ; esse autem per se ipsos consideratos in magno numero, diffusos toto orbe terrarum, crescentes inter zizania, et cum palea usque ad diem messis et ventilationis (*Matth.* XIII, 25, 26, *et* III, 12). Hoc in Evangelio dictum est, hoc a Prophetis ante prædictum. Ante enim prædictum est, *Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum* (*Cant.* II, 2). Ante prædictum est, *Inhabitavi in tabernaculis Cedar ; cum his qui oderant pacem, eram pacificus* (*Psal.* CXIX, 5, 7). Ante prædictum est, *Signa in fronte eos* [1] *qui gemunt et mœrent ob iniquitates populi mei, quæ fiunt in medio eorum* (*Ezech.* IX, 1). Itaque iste gentilis, quem tali alloquio firmaremus, jam factus civis sanctorum et domesticus Dei, nec jam alienus ab Israel (*Ephes.* II, 19, 12), sed verus Israelita, in quo dolus non esset (*Joan.* I, 47), disceret etiam ista verba ex corde simplici dicere, quæ subsequenter contexit idem ipse Jeremias : *Patientia Israel, Domine ; universi qui te derelinquunt, terreantur.* Cum enim de perdice dixisset, qui [2] clamat et congregat quæ non peperit, commendavit excellentiam civitatis super montem positæ quæ abscondi non potest, ut ab Ecclesia catholica hominem hæretici non separent [3], dicens, *Sedes autem gloriæ exaltata est, sanctificatio nostra.* Deinde quasi veniret in mentem, Quid ergo facimus de tam multis malis, qui tanto amplius ubique permixti sunt, quanto excellentior est Christi gloria in unitate omnium gentium ? subjecit statim, *Patientia Israel, Domine.* Patienter enim ferendum est quod ait, *Sinite utraque crescere usque ad messem* (*Matth.* XIII, 30) : ne impatientia tolerandi malos, relinquantur boni, qui proprie sunt corpus Christi ; et ideo cum ipsi relinquuntur, ille relinquitur. Unde subjecit atque addidit, *Universi qui te derelinquunt, terreantur : confundantur qui recesserunt in terram.* Terra est enim homo de se præsumens, atque alios ut de ipso præsumatur inducens : et ideo sequitur, *Evertentur, quoniam dereliquerunt fontem vitæ Dominum.* Quid enim aliud clamat perdix, nisi apud se esse et a se dari fontem vitæ, ad quem congregati recedant a Christo, Christi promissione decepti, cujus nomine jam tenebantur imbuti ? Non enim quos peperit, congregat : sed ut congreget quos non peperit, dicit, Salus quam Christus promisit, apud me est ; ego dabo. Sed vide quid iste dicat, *Sana me, Domine, et sanabor ; salvum me fac, et salvus ero.* Unde Apostolus dicit, *Nemo glorietur in homine* (I *Cor.* III, 21) : et iste subjungit, *Quoniam gloriatio mea tu es* (*Jerem.* XVII, 13, 14). Iis modis nos instruimus hominem ex apostolica propheticaque doctrina, ut ædificetur super fundamenta Apostolorum et Prophetarum (*Ephes.* II, 20).

CAPUT XVII. — Faustus autem quomodo persuaderet divinitatem Christi, homini gentili, quem constituit dicentem, Nec Prophetis credo de Christo ; nec Christo de Prophetis ? An Christo crederet de se ipso dicenti, cui non crederet de aliis testificanti ? Vere ridiculum est hoc putare. Quem semel enim dignum fide non duceret, aut omnino nihil ei crederet, aut potius pro aliis quam pro se ipso testificanti crederet. Hic forte Faustus irrisus, Sibyllas homini legeret, et Orpheum, et cæteros hujusmodi, si quos alios Gentilium reperiret de Christo aliquid prænuntiasse ? Sed non faceret : eos quippe sibi incognitos fassus est, dicens, *Sane si sunt aliqua, ut fama est, Sibyllæ de Christo præsagia, aut Hermetis, quem dicunt Trismegistum, aut Orphei aliorumque in Gentilitate vatum.* Horum ergo iste litteras nesciens, quandoquidem per famam putat esse aliquos tales, non eas utique legeret illi dicenti, Nec Prophetis credo, nec Christo. Quid igitur faceret ? An proferret Manichæum, et ex illo commendaret Christum ? Nunquam hoc fecerunt : sed potius de Christo, cujus jam nomen ubique dulciter clarum est, Manichæum semper commendare conati sunt, ut hoc melle scilicet venenati sui poculi labra perungerent. Cum enim Christus promiserit suis, missurum se Paracletum, id est, consolatorem vel advocatum, Spiritum veritatis (*Joan.* XIV, 16) ; per hanc promissionis occasionem, hunc Paracletum dicentes esse Manichæum, vel in Manichæo, subrepunt in hominum mentes ignorantes ille a Christo promissus quando sit missus. Qui autem legerunt canonicum librum, qui Actus Apostolorum inscribitur,

[1] Lov. : *Signa Thau in fronte eos.* Abest, *Thau*, ab edit. aliis et a Mss. necnon a græco LXX.
[2] Er., *quæ*. M.
[3] Am. Er., *hominem hæreticum non separaret.* Plures Mss., *hominem hæreticum separaret.*

vident illam Christi promissionem illic rursus commemoratam, et illic manifestissime impletam (*Act.* I, 8, *et* II, 1-4). Sed modo quærimus, unde illi gentili fidem faceret de Christo? Puto enim neminem esse tam cæcum, qui velit dicere, Manichæo credo : cum dicat, Christo non credo. Deinde si non ridens, saltem stomachans diceret, Itane Persicis libris me jubes credere, qui Hebræis me dixisti [1] non credere? Quomodo ergo capturus es, hæretice, istum hominem, nisi jam nomini Christi aliquo modo subditum inveneris; ut quia ille jam Christo credendum esse non dubitat, tanquam melius prædicanti Christum Manichæo deceptus acquiescat? Ecce est ille perdix congregans quæ non peperit. Itane eum nondum derelinquitis, vos quos congregat, et nondum vobis apparet insipiens, qui dicit Hebræorum testimonia nobis [2], etiam si vera sint, ante fidem inutilia esse, post fidem supervacua.

CAPUT XVIII. — Abjiciant ergo qui crediderunt, omnes libros per quos factum est ut crederent. Nam si hoc verum est, cur vel ipsum Evangelium Christi a fidelibus legatur, non video. Ante fidem quippe inutile est, quia ille gentilis, quem ridentem ridendus, vel potius flendus Faustus inducit, non credit Christo. Post fidem autem supervacuum, si etiam veris de Christo præconiis jam superfluo creditur, cum in eum creditum fuerit. Illic forte dicetis : Sed Evangelium debet legere jam fidelis, ne obliviscatur quod credidit. Sic ergo, insani, etiam Prophetarum vera testimonia, ne obliviscatur quare crediderit : quod si oblitus fuerit, firmum apud eum non poterit esse quod credidit. Aut projicite jam libros Manichæi, quibus testibus credidistis lucem pugnasse cum tenebris, quæ lux ipse Deus erat; et ut posset ligare lux tenebras, prius esse lucem a tenebris devoratam, et ligatam, et inquinatam, et dilaniatam : quam vos manducando recreatis, et solvitis, et purgatis, et sanatis, ut vobis merces retribuatur, ne cum illa quæ liberari non potuerit, in globo æterno damnemini. Hanc fabellam quotidie et moribus et vocibus cantatis : cur adhuc in ea quæritis testimonia librorum, ut in rebus superfluis et conficiendis codicibus vestris aliena substantia consumatur, et Dei vestri ligata teneatur [1]? Incendite omnes illas membranas, elegantesque tecturas decoris pellibus exquisitas [2], ut nec res superflua vos oneret, et Deus vester inde solvatur, qui tanquam pœna servili etiam in codice ligatus tenetur. Nam si possetis libros vestros vel elixatos comedere, quantum membris Dei vestri beneficium præstaretis? An et si fieri posset, carnis immunditia prohiberet paginas ab epulis vestris? Imputet ergo sibi encausti munditia, quæ corio inhæsit agnino. Sed et hoc vos fecistis, qui tanquam primo bello vestro, id quod mundum erat [3] in calamo, immunditiæ membranarum scribendo affixistis : nisi quod colores contrario testimonio vos arguunt. Vos enim potius ad lucem candidarum paginarum, cum tenebris atramenti venistis. Nobis debetis irasci talia dicentibus, an vobis talia credentibus, ut, velitis, nolitis, ista consequantur? Nos autem et ad commemorationem fidei nostræ, et ad consolationem spei nostræ, et ad exhortationem charitatis nostræ, Libros propheticos et apostolicos legimus alterutris vocibus sibimet concinentes; et ea concinentia, tanquam cœlesti tuba, et a torpore mortalis vitæ nos excitantes, et ad palmam supernæ vocationis extendentes. De Libris enim propheticis quiddam cum commemorasset Apostolus, sicut scriptum est, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* (*Psal.* LXVIII, 10); continuo subjungit utilitatem divinæ lectionis : *Quæcumque enim ante scripta sunt*, inquit, *ut nos doceremur, scripta sunt; ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus ad Deum* (*Rom.* XV, 4). Sed contradicit Faustus Fiat ergo illi quod dicit Paulus : *Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 9).

[1] Sic Am. et plerique Mss. At Er. et Lov., *dixi*.
[2] Am. et Er., *vobis*.

[1] Lov., *membra ligata teneantur*. Superfluo addita vox, *membra*, qua carent editi alii et Mss. cujusque loco subintelligitur, *substantia*.
[2] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *exæquatas*.
[3] Editio Lov., *tanquam primo libello vestro id quod immundum erat*. Castigatur ex editionibus aliis et Mss.

LIBER QUARTUS DECIMUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Quare Moysen non accipitis? Amoris pietatisque causa, qua colimus Christum. Quis enim irreligiosus adeo est, ut eum libenter aspiciat [1], qui suo maledixerit patri? Quapropter et nos Moysen, quanquam humanorum nulli unquam divinorumque pepercerit blasphemando, plus tamen hinc exsecramur, quod Christum Filium Dei, qui nostræ salutis causa pependit in ligno, diro devotationis [2] convicio lacessivit : utrum volens, an casu, tu videris. Neutro enim horum excusatus erit aut commendatus, ut debeat accipi. Ait enim maledictum esse omnem qui pendet in ligno (*Deut.* XXI, 23). Hunc ergo tu vis ut accipiam, huic ut credam : cum si divinus fuit, constet eum scientem volentemque maledixisse Christo; si vero nolens nesciensque maledixerit, constet eum non fuisse divinum. Tu ergo elige utrumvis, aut Moysen prophetam non fuisse, et imprudentia peccasse, ut dum aliis ex more suo maledicit, nesciens blasphemaverit et Deum; aut fuisse quidem divinum, nec futura hæc ignoravisse, sed invidentem tamen nostræ saluti, quæ futura erat ex ligno, in ejus auctorem maledici oris sui venena

[1] Aliquot Mss., *accipiat*.
[2] Am. Er. et quidam Mss. constanter habent, *devotionis*. Itemque paulo post, col. 295, *non tam crudæ devotionis contumelia*.— Editio PP. Benedictinorum Antuerpiana habet, *devotionis*. M.

prompsisse. Et quis ergo credat hunc vidisse aut cognovisse Patrem, qui sic lacceraverit Filium : hunc adventum Filii potuisse prædicere, qui ascensionis ejus ignoraverit exitum? Huc accedit, quod illud etiam considero, quam late hoc sit sparsum convicium, quamque multa comprehendat et violet : ut omnes etiam tangat justos et martyres, quotquot similis passionis exitu defuncti sunt vita, ut Petrus, et Andreas, ac reliqui ejusdem sortis. Quos nisi Moyses aut ut non propheta, nescisset, aut ut malignus odisset, si fuit propheta, non tam crudelis devotationis contumelia lacerasset. Neque enim vulgo saltem eos maledictos dicit, id est, apud homines tantum, sed maledictos Deo. Quod si ita est, unde jam benedictionis relinquetur spes vel Christo, vel Apostolis, vel ipsis nobis, si nominis ejus causa [1] crucifigi contingat? Quam denique imprudens erat et vacans inspiratione divina, ut cogitare nequiverit diversis ex causis homines in ligno suspendi; alios quidem ob iniquum facinus, quosdam vero justitiæ causa, et propter Deum : idcircoque confuse omnes et sine discretione ulla sub idem conjecit maledictum : cum esset dicendum, si ei prudentia inesset ulla, non dicam divinatio, et si adeo crux offenderat eum, ut sola excepta abdicataque esset ex omni genere punitionum, maledictum esse sceleratum et impium omnem qui pependisset in ligno; ut esset discretio aliqua inter justos et injustos : quanquam ne sic quidem vera dixisset, cum latronem Christus de ligno secum introduxerit in paradisum Patris sui (*Luc*, XXIII, 43). Ubi est ergo, *Maledictus omnis qui pendet in ligno?* An Barabbas latro ille insignis, qui non solum in ligno suspensus minime est, sed etiam Judæorum rogatu emissus e carcere (*Matth.* XXVII, 26), magis fuit benedictus, quam ille qui cum Christo de cruce ascendit in cœlum? Quid denique, quod etiam eum maledictum vocat, qui solem adoraverit, aut lunam (*Deut.* XVII, 3)? Si ergo sub gentili positus rege, solem adorare cogar, et cum restitero, maledictum hoc metuens jubear crucifigi, in aliud ejus incurram maledictum, quod adversus eum deprompsit qui pendet in ligno? An ipsi quidem bonis omnibus maledicere consuetum est? Nos vero tanti devotationes ejus æstimare debemus, quanti sunt stomachantium vetularum. Sic enim et Dei omnes pueros ac virgines pari devotatione prosequitur dicens, maledictum esse omnem qui non suscitaverit semen in Israel (*Id.* XXV, 5-10). Quod æque convicium principaliter quidem Jesum tangit, qui ortus et ipse, ut dicitis, ex Judæis, nullam tamen inter eos servandæ posteritatis causa sobolem suscitavit. Deinde et discipulos ejus, quorum nonnullos quidem ab uxoribus sejunxit, quos copulatos invenerat : quosdam vero et conjungi vetuit, quos deprehendit intactos. Qua de re Moyseos impunitam hanc linguam, maledictorum jaculis Christum lumen, sanctimoniam, divina omnia petentem, jure nos cognoveris exsecratos. Ac ne forte multum interesse putes inter suspensum et crucifixum; nam et hoc in præsidium vobis defensionis soletis assumere; commentis hisce vestris Paulum audias præscribentem, *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum : quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Galat.* III, 13).

[1] Sola fere editio Lov., *si omnes nos ejus causa.*

CAPUT II. — AUGUSTINUS respondit : Pius homo Faustus dolet Christum esse maledictum a Moyse, et ob hoc odit Moysen, quia diligit Christum. Interim, antequam aperiam in quam magno sacramento, et quam pie dictum sit, *Maledictus omnis qui in ligno pependerit* (*Deut.* XXI, 23), istos pios homines interrogo, cur irascantur Moysi, quandoquidem maledictum ejus ad Christum istorum non pervenerit. Si enim Christus pependit in ligno, clavis utique affixus est. Unde etiam ipsas cicatrices post resurrectionem discipulo minus credulo demonstravit (*Joan.* XX, 27). Quod si ita est, utique vulnerabile atque mortale corpus habuit, quod isti nolunt fateri. Si ergo et illa vulnera, et illæ cicatrices falsæ erant, falsum est et quod pependit in ligno. Non itaque potuit ad eum illa maledictio pervenire, non est quod succenseant ei a cujus ore processit. Itaque si ipsi irasci se fingunt ei qui maledixerit falsæ morti Christi, quod secundum ipsos dixerim; quomodo fugiendi sunt, qui non maledicunt Christum, sed quod est exsecrabilius, criminantur? Si enim non est accipiendus qui maledictum ingerit mortalitati; quomodo est detestandus qui fallaciam objicit veritati? Sed jam videamus ex occasione calumniantium hæreticorum, quomodo illud sacramentum fidelibus exponatur.

CAPUT III. — Mors hominis ex pœna peccati est, unde et ipsa peccatum dicitur : non quia peccat homo dum moritur, sed quia ex peccato factum est ut moriatur. Sicut alio modo dicitur lingua proprie caro quæ intra dentes sub palato movetur; et alio modo dicitur lingua, quod per linguam fit; secundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina : et manus alio modo dicitur ipsum proprie corporis membrum quod movemus ad operandum, et alio modo manus dicitur scriptura quæ fit per manum. Dicimus enim, Prolata est manus ejus : Lecta est adversus eum manus ejus : Habeo manum tuam : Recipe manum tuam. Manus utique proprie membrum est hominis : non autem opinor illam scripturam membrum esse hominis, et tamen dicitur manus, eo quod manu facta sit. Sic et peccatum, non tantum ipsum opus malum, quod pœna dignum est; sed etiam ipsa mors, quæ peccato facta est, peccatum appellata est [1]. Illud itaque peccatum, quo reus esset mortis, non commisit Christus : illud autem alterum, id est, mortem, quæ peccato inflicta est humanæ naturæ, suscepit pro nobis. Hoc suspendit in ligno, hoc maledictum est per Moysen : ibi mors damnata est ne regnaret, et maledicta est ut periret. Quapropter pet Christi tale peccatum, damnatum est et nostrum peccatum ut nos liberaremur, ne regnante peccato nos damnati remaneremus.

[1] Er. et plerique Mss., *appellatum sit.*

CAPUT IV. — Quid ergo miratur Faustus maledictum esse peccatum, maledictam esse mortem, maledictam esse mortalitatem carnis sine peccato Christi, ex peccato tamen hominis etiam in Christo factam? Ex Adam quippe corpus assumpsit, quia ex Adam virgo Maria, quæ peperit Christum. Dixerat autem Deus in paradiso, *Qua die tetigeritis, morte moriemini* (*Gen.* II, 17) : hoc est maledictum, quod pependit in ligno. Ille neget Christum maledictum, qui negat et mortuum. Qui autem confitetur et mortuum, et negare non potest mortem de peccato esse, et ob hoc etiam ipsam peccatum vocari, audiat Apostolum dicentem, *Quoniam vetus homo noster simul cum illo crucifixus est* (*Rom.* VI, 6); et intelligat quem maledictum Moyses dixerit. Ideoque securus [1] Apostolus ait de Christo, *Factus pro nobis maledictum* (*Galat.* III, 13) : sicut non timuit dicere, *Pro omnibus mortuus est* (II *Cor.* V, 15). Hoc est enim, *mortuus est*, quod *maledictus* : quoniam mors ipsa ex maledicto est, et maledictum est omne peccatum, sive ipsum quod fit, ut sequatur supplicium, sive ipsum supplicium, quod alio modo vocatur peccatum, quia fit ex peccato. Suscepit autem Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum, et finiret etiam supplicium nostrum.

CAPUT V. — Ex ingenio meo ista dixerim, si non Apostolus toties hoc inculcat, ut et dormientes excitet, et calumniantes offocet. *Misit*, inquit, *Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne* (*Rom.* VIII, 3). Non erat ergo illa caro peccati, quia non de traduce mortalitatis in Mariam per masculum venerat : sed tamen quia de peccato est mors, illa autem caro quamvis ex virgine, tamen mortalis fuit; eo ipso quo mortalis erat, similitudinem habebat carnis peccati. Hoc appellat etiam peccatum, consequenter dicens, *Ut de peccato damnaret peccatum in carne.* Item alio loco, *Eum*, inquit, *qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso* (II *Cor.* V, 21). Cur ergo timeret Moyses dicere *maledictum*, quod Paulus non timuit dicere *peccatum?* Plane hoc Propheta et prævidere debuit, et prædicere, paratus ab hæreticis cum Apostolo reprehendi. Quisquis enim reprehenderit Prophetam dixisse, *maledictum;* cogitur reprehendere Apostolum dixisse, *peccatum :* nam utique maledictum comes peccati est.

CAPUT VI. — Nec ideo major invidia est, quod addiderit, *Deo*, ut diceret, *Maledictus Deo omnis qui pependerit in ligno.* Nisi enim Deus odisset peccatum, et mortem nostram, non ad eam suscipiendam atque delendam Filium suum mitteret. Quid ergo mirum, si maledictum est Deo, quod odit Deus? Tanto enim libentius nobis donat immortalitatem, quæ futura est Christo veniente, quanto misericordius odit mortem nostram, quæ in ligno pependit Christo moriente. Quod autem additum est, *omnis*, ut diceretur, *Maledictus omnis qui in ligno pependerit*, non sane Moyses minus prævidit etiam justos in cruce futuros, sed bene prævidit hæreticos veram mortem Domini negaturos, et ideo volentes ab hoc maledicto Christum sejungere, ut a mortis etiam veritate sejungerent. Si enim vera illa mors non erat, nullum maledictum Christo crucifixo pependit in ligno, quia nec vere crucifixus est. Sed contra longe futuros hæreticos, quam de longe clamat Moyses, Sine causa tergiversamini, quibus displicet [1] veritas mortis Christi, *Maledictus omnis qui pendet in ligno :* non ille aut ille, sed omnis omnino! Etiamne et Filius Dei? Etiam prorsus. Nam hoc est quod non vultis : inde satagitis, inde seducitis. Displicet enim vobis maledictus pro nobis, quia displicet mortuus pro nobis. Tunc enim extra maledictum illius Adam, si extra illius mortem. Cum vero ex homine et pro homine mortem suscepit, ex illo et pro illo etiam maledictum quod morti comitatur, suscipere non dedignatus est etiam ille, prorsus etiam ille Filius Dei semper vivus in sua justitia, mortuus autem propter delicta nostra (*Rom.* IV, 25), in carne suscepta ex pœna nostra. Sic et semper benedictus in sua justitia, maledictus autem propter delicta nostra, in morte suscepta ex pœna nostra : ac per hoc additum est, *omnis*, ne Christus ad veram mortem non pertinere diceretur, si a maledicto, quod mort conjunctum est, insipienti honorificentia separaretur.

CAPUT VII. — Qui autem ex veritate evangelica fidelis est, intelligit tam non esse contumeliam Christi ex ore Moysi, cum eum dixit maledictum, non ex divinitate majestatis suæ, sed ex conditione pœnæ nostræ, ex qua in ligno suspensus est; quam non est laus Christi ex ore Manichæorum, cum eum negant carnem habuisse mortalem, in qua veram mortem pateretur : quia ex illo prophetico maledicto laus intelligitur humilitatis, ex isto hæretico quasi honore crimen objicitur falsitatis. Si ergo negas maledictum, nega mortuum : si negas mortuum, non jam contra Moysen, sed contra Apostolos dimicas. Si autem confiteris mortuum, confitere suscepisse pœnam peccati nostri sine peccato nostro. Jam vero ubi audis pœnam peccati, aut ex benedictione crede venientem, aut ex maledictione : si ex benedictione venit pœna peccati, opta esse semper in pœna peccati; si autem optas inde liberari, crede per divinæ sententiæ justitiam ex maledictione venisse. Confitere ergo maledictum suscepisse pro nobis, quem confiteris mortuum esse pro nobis; nec aliud significare voluisse Moysen, cum diceret, *Maledictus omnis qui in ligno pependerit;* nisi, Mortalis omnis et moriens omnis qui in ligno pependerit. Poterat enim dicere, Maledictus omnis mortalis; aut, Maledictus omnis moriens : sed hoc est quod asserit Propheta [2], quia sciebat Christi mortem in cruce pensuram, et futuros hæreticos qui dicerent, Pependit quidem in ligno, sed specie quadam, non ut vere moreretur. Clamando ergo, *Maledictus*, nihil aliud clamavit, nisi quia vere mortuus, sciens mortem hominis peccatoris, quam sine peccato ipse suscepit, de illo maledicto venien-

[1] Plures Mss., *secutus.*

[1] Mss., *o quibus displicet.*
[2] In Mss., *propheta.*

tem quo dictum est, *Si tetigeritis, morte moriemini* (*Gen.* II, 17). Ad hoc pertinet et serpens ille in ligno suspensus, quo significaretur non falsam mortem Christum finxisse, sed illam veram in ligno passionis suæ suspendisse, in quam serpens ille hominem male suadendo dejecit. Quam veram mortem nolunt isti conspicere: et ideo non sanantur a veneno serpentis, sicut in eremo quicumque illum attenderent sanabantur (*Num.* XXI, 9).

CAPUT VIII.—Itaque fatemur ab imperitis dici, aliud esse affigi ligno, aliud in ligno pendere. Sic enim quidam putant solvendam esse istam quæstionem, ut Judam dicant a Moyse maledictum qui laqueo se suspendit; quasi primo noverint utrum ex ligno an ex lapide se ille suspenderit. Sed verum est, quod et Faustus commemoravit, Apostolum non sinere aliud intelligere, quam de Christo esse prædictum. Sed talis imperitia nonnullorum Catholicorum, venatio Manichæorum est. Tales enim solent insectari, tales suis fallaciis irretire: tales in eos cecideramus, tales hæseramus; tales, non viribus nostris, sed Dei misericordia eruti sumus.

CAPUT IX.—Quæ autem divina Moyses lacessivit, sicut Faustus criminatur dicens, quod *humanorum nulli unquam divinorumque pepercerit?* Dixit enim, et abiit: nihil sategit probare, nihil curavit ostendere. Nos autem scimus Moysen omnia vere divina pie laudasse, et pro sui temporis congruentia suæque dispensationis gratia, juste humana rexisse. Exigant isti ut hoc doceam, cum et ipsi docere conati fuerint quod Faustus objicit, caute quidem, ut erat acutus, sed ob hoc incautus, quia suo acumine se perimebat. Felix enim cor acutum ad veritatem, infelix contra veritatem. Non dixit, hominum nulli unquam deorumque pepercerit, sed, *humanorum*, inquit, *et divinorum*. Si enim diceret eum Deo non pepercisse, facile convinceretur falsæ criminationis; cum Moyses inveniretur ubique honorare ac prædicare Deum verum, qui fecit cœlum et terram. Si autem diceret, nulli deorum pepercisse, proderet se Christianis illos deos colere, a quibus adorandis Moyses prohibet: atque ita sub alas Catholicæ matris pullis fugientibus non congregaret quæ non peperit. Ut ergo insidias tenderet parvulis, dixit divinorum nulli pepercisse Moysen, quo possent neque Christiani, aperto deorum cultu, fugere impietatem istorum nimis abhorrentem a religione Christiana, et Pagani eis favere adversum nos, qui Moysen scirent contra idola et contra deos Gentium, quæ sunt dæmonia, multa vera et digna dixisse.

CAPUT X.—Quod si istis displicet, aperte se fateantur idolorum vel dæmoniorum esse cultores: quod quidem ignoranter essent, eo ipso solo quod essent hæretici. De talibus enim dixit Apostolus: *Quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, intendentes spiritibus seductoribus, doctrinis dæmoniorum in hypocrisi mendaciloquorum* (I *Tim.* IV, 1, 2). Qui enim nisi dæmones, quibus est amica fallacia, istis persuaderent quod Christus fallaciter passus, fallaciter mortuus sit, fallaciter cicatrices ostenderit; id est, non vere passus, nec vere mortuus sit, nec illæ veræ fuerint ex veris vulneribus cicatrices? Quæ sunt evidentiores doctrinæ mendaciloquorum dæmoniorum, quam istæ quibus persuadetur Filium Dei, id est ipsam veritatem, esse mendacem? Sed isti in doctrina sua habent et apertam, non quidem dæmoniorum, sed tamen creaturæ culturam, quam damnat Apostolus, dicens: *Et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori* (*Rom.* I, 25).

CAPUT XI.—Proinde isti in phantasmatibus fabularum suarum idola et dæmonia nescientes colunt: in sole autem et luna noverunt se servire creaturæ; et quod putant se etiam Creatori servire, multum falluntur: phantasmati enim suo serviunt, Creatori autem nullo modo serviunt, quando ea negant Deum creasse, quæ aperte Apostolus ad Dei creaturam pertinere demonstrat, dicens, cum de cibis et carnibus ageret, *Omnis enim creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (I *Tim.* IV, 4). Videte quid sit sana doctrina, quam non ferentes vos ad fabulas convertistis. Quomodo Apostolus et creaturam Dei laudat, et ei tamen cultum religionis exhiberi vetat: sic et Moyses (qui vobis videtur nulli divinorum pepercisse, non ob aliud suspicor, nisi quia solem et lunam vetuit adorari [*Deut.* XVII, 3], ad quorum circuitum vos per omnes angulos vertitis, ut eos adoretis) solem et lunam vera laude laudavit, cum eos factos a Deo, et in cœlesti ordine ad peragenda sua opera collocatos, sicut est, ita narravit: *Solem in potestatem diei, lunam in potestatem noctis* (*Gen.* I, 16, *et Psal.* CXXXV, 8, 9). Falsis autem vestris laudibus sol et luna non gaudent. Diabolus novit falsa laude gaudere, prævaricatrix creatura. Potestates vero cœlorum, quæ peccato non lapsæ sunt, artificem suum in se laudari volunt: quarum illa vera laus est, qua Creatori illarum non fit injuria. Fit autem cum dicitur quod partes ejus sunt, aut membra ejus, aut aliquid substantiæ ipsius. Ille enim perfectus, et nullius indigens, et nusquam defluens, neque discissus, neque per loca distentus, apud se totus incommutabilis, sibique sufficiens, se ipso beatus, propter abundantiam bonitatis per Verbum suum dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt (*Psal.* CXLVIII, 5). Proinde si terrestria corpora, de quibus loquebatur Apostolus cum cibum nullum immundum diceret, bona sunt, quia *omnis creatura Dei bona est;* quanto magis cœlestia, in quibus excellunt sol et luna! cum ipse Apostolus dicat, *Corpora cœlestia et corpora terrestria; sed alia est cœlestium gloria, alia terrestrium* (I *Cor.* XV, 40).

CAPUT XII.—Non ergo conviciatur Moyses soli et lunæ, cum eos vetat adorari; sed eos laudat tanquam creaturam cœlestem: Deum autem laudat tanquam creatorem cœlestium et terrestrium; nec vult offendi Deum, cum illi pro illo adorantur, qui propter illum et ex illo laudantur.

At quam sibi Faustus argute reprehendere visus est, quod etiam maledictum vocat Moyses, qui solum

adoraverit ac lunam. *Si ergo*, inquit, *sub gentili positus rege, solem cogar adorare, et cum restitero, maledictum hoc metuens, jubear crucifigi, in aliud ejus incurram maledictum, quod adversus eum deprompsit, qui pendet in ligno.* Vos quidem nullus rex gentilis cogit adorare solem, quod nec ipse sol cogeret, si in terra regnaret, quia nec nunc a vobis hoc vult fieri : sed sicut Creator ipse impios blasphematores suos usque ad judicium sustinet, sic et ipsa cœlestia tolerant vanos adoratores suos usque ad judicium Creatoris sui (*a*). Tamen mementote Christianum regem non posse cogere ut sol adoretur. De gentili enim rege exemplum Faustus proposuit, sciens profecto ad Gentiles pertinere quod facitis, cum solem adoratis. Non est ergo hoc christianum : sed ubique jam perdix nomen Christi ponit, ut congreget quæ non peperit (*Jerem.* XVII, 11). Videte tamen quam facile respondeat veritas, et sana doctrina quam facile disrumpat hunc vestræ quæstionis tanquam inevitabilem et bicipitem laqueum. Ecce faciamus aliquem armatum regia potestate comminari homini christiano, ut si solem adorare noluerit, suspendatur in ligno. Si declinavero, inquis, maledictum, quod Lex prompsit in solis adoratorem, incidam in illud quod eadem Lex prompsit in eum qui pependerit in ligno. Ita vero turbaberis : sed tu, imo nec tu, qui et nullo cogente adoras solem. At vero Christianus ædificatus super fundamentum Apostolorum et Prophetarum (*Ephes.* II, 20), attendit singulas causas, et singula maledicta : videt unum pertinere ad corpus mortale, quod ligno suspenditur ; alterum ad animum, quo sol adoratur. Etsi enim corpus inclinatur in adorando, animus tamen aut colit quod adorat, aut fingit ; utrumque autem perniciosum est. Quapropter quoniam maledictum in utroque mors meruit, sicut mors est corporis in ligno pendere, ita mors animi est solem adorare. Eligendum est igitur maledictum in corporis morte, quo maledicto et ipsum corpus in resurrectione liberabitur : devitandum autem maledictum in animæ morte, ne cum suo corpore in æterno igne damnetur. Hanc enim quæstionem nobis Dominus solvit, dicens : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere : sed eum timete qui habet potestatem et animam et corpus occidere in gehennam ignis* (*Matth.* X, 28). Tanquam diceret, Nolite timere maledictum corporalis mortis, quod temporaliter solvitur ; sed timete maledictum spiritualis mortis, per quod anima in æternum cum suo corpore cruciatur. Ecce non est anicularis maledictio, sed prophetica prædictio, *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Sic enim aufert Christus de maledicto maledictum, quomodo de morte mortem, de peccato peccatum. Sic ergo non blasphemavit Moyses dicendo, *Maledictus omnis qui pendet in ligno :* quomodo non blasphemaverunt Apostoli dicendo, *Mortuus est* (II *Cor.* V, 14, 15) ; et, *Vetus homo noster confixus est cruci cum illo* (*Rom.* VI, 6) ; et, *De peccato damnavit peccatum* (*Id.* VIII, 3) ; et, *Eum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit* (II *Cor.* V, 21) ; et multa hujusmodi. Vos autem cum horretis maledictum Christum, fatemini vos horrere mortem Christi. Ubi apparet vestra, non anicularis maledictio, sed diabolica simulatio, qui mortem Christi corporis, animæ vestræ mortis non creditis. Quam tamen mortem Christi non veram, sed simulatam suadetis : quasi non audeatis per nomen christianum homines fallere, nisi ipsum Christum magistrum fallaciæ faciatis.

CAPUT XIII. — Quod autem invidus continentiæ vel virginitati Fausto Moyses visus est, quia dixit, *Maledictus omnis qui non suscitaverit semen in Israel* (*Deut.* XXV, 7) ; legant Isaiam clamantem, *Hæc dicit Dominus spadonibus omnibus : Qui observaverint præcepta mea, et elegerint quæ ego volo, et custodierint testamentum meum ; dabo illis in domo mea et in muro meo locum nominatum, meliorem filiorum et filiarum : nomen æternum dabo illis, et non decrit illis* (*Isai.* LVI, 4, 5). Aut si contrarium putant Isaiam Moysi, hic eis placeat, si ille displicet ; non est parum adversus istos. Nobis enim sufficit scire unum Deum locutum et per Moysen et per Isaiam : et maledictum esse omnem qui non suscitaverit semen in Israel, sive tunc, cum populo secundum carnem propagando etiam carnalis prolis operatio in conjugali castitate ad officium civicum [1] pertinebat ; sive nunc, ne quisquam spiritualiter natus, putet sibi debere sufficere, nec instet dominicis lucris, quibus quisque pro modulo suo prædicando Christum, debet generare christianos. Ita illa divina sententia tempora utriusque Testamenti mira brevitate complectitur, *Maledictus omnis qui non suscitaverit semen in Israel.*

(*a*) II Retract., cap. 7, n. 3.

[1] Editio Lov., *ad officium conjugum.* At Mss. cum Am. et Er., *ad officium civicum*, habent, aut, *ad officium civium.*

LIBER QUINTUS DECIMUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS. dixit : Quare non accipitis Testamentum Vetus ? Quia et omne vas plenum superfusa non recipit, sed effundit : et stomachus satur rejicit ingesta. Proinde et Judæi ex præoccupatione Moyseos Testamento Veteri satiati, respuerunt Novum : et nos ex Christi præventione Novo referti, respuimus Vetus. Vos ideo utrumque accipitis, quia in neutro estis pleni, sed semi : alterumque ex altero in vobis non tam repletur, quam corrumpitur ; quia et sema vasa nunquam de dissimili implentur materia, sed de eadem ac sibi simili, ut vini vino, mellis melle, et aceti aceto : quibus si dissimilia et non sui generis superfundas, ut melli fel, et aquam vino, et aceto garos ; non repletio vocabitur hæc, sed adulterium. Hæc ergo causa est, unde nos parum accipimus Testamentum Vetus : et quia Ecclesia nostra, sponsa

Christi, pauperior quidem ei nupta, sed diviti, contenta sit bonis mariti sui, humilium amatorum dedignatur opes, sordent ei Testamenti Veteris et ejus auctoris munera, famæque suæ custos diligentissima, nisi sponsi sui non accipit litteras. Vestra sane Ecclesia usurpet Testamentum Vetus, quæ ut lasciva virgo immemor pudoris, alieni viri et muneribus gaudet et litteris. Amator denique ille vester, et pudoris corruptor Hebræorum Deus, diptychio lapideo suo, aurum vobis promittit et argentum, ventris saturitatem (*Deut.* VIII, 7-9), et terram Chananæorum (*Exod.* XXIII, 23). Hi vos delectaverunt tam sordidi quæstus, ut libeat peccare post Christum, ut sitis ingrati tam immensis dotibus ejus. Hæc vos illiciunt, ut in Hebræorum depereatis Deo post nuptias Christi. Discite ergo jam nunc etiam falli vos, et decipi falsis promissionibus ejus. Pauper est, egens est, nec ea quidem præstare potest quæ promittit : nam si suæ propriæ conjugi, dico autem Synagogæ, nihil horum præstat quæ pollicetur, et quidem morem gerenti sibi per omnia, et servienti submissius quam ancilla; vobis præstare quid poterit alienis ab se, et mandatorum suorum detrectantibus jugum superba cervice? Sed vos quidem pergite agere ut cœpistis, rudem pannum veteri vestimento committite, novum vinum veternosis utribus credite (*Matth.* IX, 16, 17), duobus maritis nulli placituri servite, christianam denique fidem Hippocentaurum facite, nec equum perfectum, nec hominem : nobis soli Christo servire permittite, ejus tantum immortali dote contentis, et imitantibus Apostolum qui dicit, *Sufficientia nostra ex Deo est, qui nos idoneos probavit ministros Novi Testamenti* (II *Cor.* III, 5, 6). Hebræorum Dei et nostra admodum diversa conditio est; quia nec ipse quæ promittit implere potest, et nos ea fastidimus accipere. Superbos nos adversus blanditias ejus, Christi liberalitas fecit. Ac ne incongrue me hæc comparasse existimes, Paulus in nos hanc conjugalis disciplinæ similitudinem prior contulit, dicens : *Quæ sub viro est mulier vivente viro alligata est lege viri : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Ergo vivente viro vocabitur*, inquit, *adultera, si juncta fuerit alteri viro : quod si mortuus fuerit vir ejus, non erit adultera alii conjuncta* (*Rom.* VII, 2, 3). Per hoc ostendens, spiritu mœchari eos qui non ante repudiantes, et in mortuis quodam modo ponentes Legis auctorem, tum demum se copulaverint Christo. Quod dictum ad eos præcipue spectat, qui crediderint ex Judæis, videlicet ut ipsi sint primæ superstitionis obliti. Nobis vero in hoc quid opus est vel præcepto, quibus ex Gentilitate conversis ad Christum, Hebræorum Deus non mortuus debet videri, sed nec natus? Sane Judæo, si credat, Adoneus debet videri defunctus, gentili vero idolum : et unicuique quod est veneratus ante cognitum Christum. Nam si post idololatriæ divortia Hebræorum quis Deum et Christum pariter colat, nihil ille quidem a detriti pudoris femina discrepavit, quæ post unius mariti obitum duobus nupserit.

CAPUT II. — AUGUSTINUS respondet : Audite hæc, quorum corda possidet Christus; et videte, si toleratis, nisi quia ipse est vestra patientia. Faustus novo melle plenus, respuit acetum vetus, et Paulus aceto vetere plenus, effudit dimidium, quo caperet infusum mel novum; non servandum, sed corrumpendum. Vides enim, quod ait apostolus Paulus, *Servus Christi Jesu, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei*, ex melle novo est. Illud autem quod sequitur, *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 1-3); ex aceto vetere. Quis hoc sustineret audire, nisi nos consolaretur idem dicens : *Oportet et hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis* (I *Cor.* XI, 19)? Sed quid opus est eadem jam superius satis dicta repetere (*Lib.* 8)? Nam pannum novum et vestimentum vetus, et vinum novum et utres veteres, non duo Testamenta significare, sed duas vitas, et spes duas : ad duo vero Testamenta intelligenda illam datam esse a Domino similitudinem, *Propterea omnis scriba eruditus in regno Dei similis est patrifamilias proferenti de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII, 52), ex his quæ ante diximus, recordetur qui potuerit, vel certe recenseat qui voluerit. Duas enim spes si quis habendas putaverit ut et propter felicitatem terrenam, et propter regnum cœlorum Deo serviat; hæc illam non capit, et cum hæc aliqua tribulatione fuerit perturbata, deficiens homo amittet etiam illam. Inde est et illud : *Nemo potest duobus dominis servire.* Quod exposuit dicens, *Non potestis Deo servire et mammonæ* (*Id.* VI, 24). Vetus autem Testamentum recte intelligentibus prophetia est Novi Testamenti. Itaque et in illo primo populo sancti Patriarchæ et Prophetæ, qui intelligebant quod agebant, vel quod per eos agebatur, in Novo Testamento habebant istam spem salutis æternæ : ad illud enim pertinebant, quod intelligebant et diligebant; quia etsi nondum revelabatur, jam tamen figurabatur. Ad Vetus autem illi pertinebant, qui non illic amplius quam promissa temporalia cogitata concupiscebant, in quibus æterna figurata et prophetata non intelligebant. Sed hæc jam satis superque prioribus responsionibus nostris dicta sunt.

CAPUT III. — Illa vero est mirabilis impudentia, cum Manichæorum sacrilega et immunda societas etiam castam sponsam Christi se jactare non dubitat : in quo adversus sanctæ Ecclesiæ vere casta membra[1] quid proficit, nisi ut veniat in mentem adversus tales apostolica illa admonitio : *Aptavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens Evam fefellit astutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur a castitate, quæ est in Christo* (II *Cor.* XI, 2, 3)? Quid enim agunt isti evangelizantes nobis præter quod accepimus, nisi ut nos a castitate corrumpant, quam Christo servamus, quando legem Dei culpant nomine vetustatis, et errorem suum laudant nomine novitatis, quasi omnis vetustas fugienda sit, aut omnis novitas appetenda; cum et mandatum vetus in laude

[1] Sola editio Lov., *vere catholicæ casta membra.*

ponat apostolus Joannes (I *Joan.* II, 7), et profanas verborum novitates evitari jubeat apostolus Paulus (I *Tim.* VI, 20)? Te ergo, vera sponsa veri Christi Ecclesia catholica, alloquar et ego te pro modulo meo, qualiscumque filius et servus tuus positus in te dispensare cibaria conservis meis. Cave semper, ut caves, Manichæorum impiam vanitatem, jam tuorum periculo expertam, et liberatione convictam. Ille me quondam de gremio tuo error excusserat : expertus fugi quod experiri non debui. Sed tibi profecerint etiam pericula mea, cui nunc servit liberatio mea. Quia nisi mihi verus et verax sponsus tuus, de cujus latere facta es, in vero sanguine suo remissionem peccatorum posuisset, absorbuisset me vorago fallaciæ, et terram factum serpens irreparabiliter devorasset. Noli decipi fionine veritatis : hanc sola tu habes, et in lacte tuo, et in pane tuo; in hac autem tantum nomen ejus est, ipsa non est. Et in tuis quidem grandibus secura es : sed appello in te parvulos tuos, fratres, filios, dominos meos, quos vel tanquam ova sollicitis alis foves, vel tanquam infantes lacte nutris, sine corruptione fecunda, virgo mater. Hos in te appello teneros fetus tuos, ne garrula curiositate seducantur abs te ; sed potius anathement, si quis eis evangelizaverit præter id quod acceperunt in te (*Galat.* I, 9) : nec relinquant verum veracemque Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II, 3), et magnam multitudinem dulcedinis ejus, quam abscondit metuentibus se, perfecit autem sperantibus in se (*Psal.* XXX, 20). Ibi vero quomodo possunt esse verba veracis, in prædicatore Christi fallacis? Contemne insultationes eorum : quia bene tibi es conscia, promissionem vitæ æternæ te adamasse in muneribus sponsi tui, id est, ipsum sponsum tuum, quia ipse est vita æterna.

CAPUT IV. — Non autem, sicut illi desipiunt, ad alienum deum seducta es, promittentem saturitatem ventris et terram Chananæorum. Intelligis quippe in ipsis etiam promissionibus te jam tunc figuratam et prophetatam, præscientiam parturisse sanctorum. Nec lapideo diptychio miserabili dicacitate reprehenso movearis : quia non habes lapideum cor, quod illæ tabulæ in populo priore significabant. Es enim *epistola* Apostolorum, *scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II *Cor.* III, 2, 3). Ad quæ verba illi vani gaudent, putantes Apostolum reprehendisse dispensationem illi tempori congruam Veteris Testamenti, non intelligentes hoc eum ex Propheta dixisse. Hæc enim verba, quæ imperite amplectuntur, longe antequam per Apostolos dicerentur et implerentur, a Prophetis, quos respuunt, prænuntiata sunt. Propheta enim dixerat : *Auferam eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum* (*Ezech.* XI, 19). Videant si non hoc est, *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Nam neque ibi quod dictum est cor carneum, neque hic tabulæ carnales, hoc volunt, ut carnaliter sapiamus[1] : sed quia in comparatione lapidis, qui sine sensu est, caro sentit; per lapidis insensualitatem significatum est cor non intelligens, et per carnis sensualitatem significatum est cor intelligens. Tu potius istos irride, qui dicunt, et terram et ligna et lapides habere sensum, et intelligentiore vita vivere, carnes autem stolidiore et obtusiore. Unde non a veritate, sed a sua vanitate coguntur fateri mundius esse legem conscriptam in tabulis lapideis, quam suum thesaurum in pellibus morticinis. An forte quia in fabella sua etiam lapides dicunt esse ossa principum, non eis dubitant coria præponere agnorum? Nempe ergo illa Testamenti arca mundius tegebat lapideas tabulas, quam caprina pellis codicem istorum. Hæc tu misericorditer irride, ut eis irridenda et fugienda commendes ; nam in illo diptychio lapideo, jam tu non corde lapideo intelligis, quid duro illi populo congruebat; et in eo tamen agnoscis petram, ipsum sponsum tuum, illum quem Petrus loquitur, *lapidem vivum ab hominibus reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum.* Illis ergo erat *lapis offensionis, et petra scandali :* tibi autem *lapis quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli*[1] (I *Petr.* II, 4-8). Quod totum idem Petrus apostolus explicat, et totum a Prophetis, a quibus isti damnati alienantur, prædictum esse commemorat. Lege sane etiam illud diptychium : ne timeas, plane sponsi tui est. Aliis lapis ille significavit duram stoliditatem : tibi autem firmam stabilitatem. Digito Dei scriptæ sunt tabulæ illæ (*Exod.* XXXI, 18) : digito Dei sponsus tuus ejecit dæmonia (*Luc.* XI, 20) : digito Dei expelle tu doctrinas dæmoniorum mendaciloquorum cauteriantium[2] conscientiam (I *Tim.* IV, 2). Ex hoc diptychio repellis adulterum, qui se Paracletum dicit, ut sancto nomine te seducat. Quinquagesimo enim die post Pascha datæ sunt illæ tabulæ (*Exod.* XX) ; et quinquagesimo die post passionem sponsi tui quam Pascha illud præfigurabat, datus est digitus Dei, Spiritus sanctus promissus Paracletus (*Act.* II, 1-4). Noli ergo formidare diptychium, quo tibi scripta olim, quæ nunc agnosceres, mittebantur : tantum noli esse sub lege, ne illam timore non impleas; sed sub gratia, ut sit in te plenitudo legis charitas. Non enim aliud diptychium recensebat sponsi tui amicus, cum diceret : *Nam, Non adulterabis, Non homicidium facies, Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tanquam te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis est charitas* (*Rom.* XIII, 9 *et* 10). Ibi enim sunt duo illa præcepta, dilectionis Dei, et dilectionis proximi, singulis tabulis explicata. Hoc ergo diptychium ille præmisit, qui tibi hæc duo præcepta veniens commendavit, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40). In primo præcepto est castitas nuptiarum tuarum, in secundo unitas membrorum tuorum : illo amplecteris divinitatem, isto congregas societatem. Quæ duo præcepta, ipsa sunt decem : tria pertinent ad Deum, et septem

[1] Editio Lov., *sapiamus ista.* Abest, *ista*, a cæteris libris.

[1] Mss., *in capite anguli.*

[2] Lov., *cauteriatam habentium.* At editi alii et Mss. hoc loco habent. *cauteriantium.*

ad proximum. O pudicum diptychium, in quo, vetere figura, ille dilector et dilectus tuus prænuntiabat tibi canticum novum, in decachordo psalterio (*Psal.* XCI, 4) : tanquam pro te etiam nervos suos extensurus in ligno, ut de peccato peccatum damnaret in carne, et justitia legis impleretur in te (*Rom.* VIII, 3, 4). O diptychium conjugale, quod non sine causa odit adultera !

CAPUT V. — Jam enim mihi ad te est sermo, manichæa congregatio fallax, et fallaciis involuta. Itane multinuba tot elementis, vel potius meretrix prostituta dæmoniis, et sacrilegis vanitatibus imprægnata, audes matrimonium catholicum Domini tui, crimine impudicitiæ lacerare ? Ostende nobis mœchos tuos, splenditenentem [1] ponderatorem, et Atlantem laturarium. Illum enim dicis capita elementorum tenere, mundumque suspendere ; istum autem genu fixo, scapulis validis subbajulare tantam molem, utique ne ille deficiat. Ubi sunt isti ? Qui si vere essent, quando ad te venirent occupati tanto negotio ? quando ad te intrarent, ut blanda manu tua, et otiosa, plane delicata [2], post tantum laborem, alteri digitos, alteri humeros confricares ? Sed fallunt te mala dæmonia, quæ tecum scortantur, ut concipias mendacia, et parias phantasmata. Cur ergo non respuas diptychium veri Dei, tuis membranis inimicum, quibus tot falsos deos adamasti mente vagabunda per figmenta cogitationum tuarum, quibus omnia poetica mendacia graviora et honestiora reperirentur, vel hoc certe, quod apud poetas neminem decipit ipsa professio falsitatis, in libris autem tuis tanta fallaciarum turba, pueriles et in senibus animas [3], nomine veritatis illectas, miserabilibus corrumpit erroribus, cum prurientes auribus, sicut Apostolus dicit, et a veritate auditum suum avertentes, ad fabulas convertuntur (II *Tim.* IV, 4) ? Quomodo ergo sanam doctrinam ferres illarum tabularum, ubi primum præceptum est, *Audi, Israel ; Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4), cum tot deorum nominibus [4] delectata turpissimi cordis fornicatione voluteris ? Annon recordaris amatorium canticum tuum, ubi describis maximum regnantem regem, sceptrigerum perennem, floreis coronis cinctum et facie rutilantem ? Quem si solum talem amares, erubescendum tibi esset : nam etiam vir unus floreis coronis cinctus pudicæ conjugi displiceret. Neque enim potes dicere hoc aliqua mystica significatione ita dictum, vel ita demonstratum, cum tibi præcipue laudari Manichæus non ob aliud soleat, nisi quod remotis figurarum integumentis, ipse tibi veritatem nudam et propriam loqueretur. Proprie igitur cantas Deum regem sceptrigerum, floribus coronatum. Ponat saltem sceptrum, quando coronis floreis cingitur : non decet regiæ virgæ severitatem illa luxuriæ mollitudo. Huc accedit, quia non a te solus adamatus est : sequeris enim cantando, et adjungis duodecim sæcula floribus convestita, et canoribus plena, et in faciem patris flores suos jactantia. Ubi et ipsos duodecim magnos quosdam deos profiteris, ternos per quatuor tractus, quibus ille unus circumcingitur. Quem quomodo immensum faciatis, quem sic circumdatum dicitis, nunquam invenire potuistis. Adjungis etiam innumerabiles regnicolas, et deorum agmina, et angelorum cohortes : quæ omnia non condidisse dicis Deum, sed de sua substantia genuisse.

CAPUT VI. — Ita convinceris innumerabiles deos colere, non ferendo sanam doctrinam, qua docetur unus de uno Deo natus Filius, et utriusque Spiritus sanctus. Quos tamen non solum innumerabiles, sed nec tres deos fas est dicere : quorum est non solum una eademque substantia, sed etiam una eademque operatio, per ipsam propriam unam eamdemque substantiam ; per creaturam vero corporalem etiam demonstratio singulorum. Hæc tu non intelligis, non capis : novi, plena es, inebriata es, ingurgitata es fabuloso sacrilegio. Digeras aliquando quod exhalas, et te jam obruere talibus desinas : interim canta quod cantas, et inspice, si potes, dedecus fornicationis tuæ. Invitavit enim te doctrina dæmoniorum mendaciloquorum ad fictas domos angelorum, ubi flat aura salubris, et ad campos [1] ubi scatent aromata, cujus arbores et montes, maria et flumina, dulce nectar fluunt per cuncta sæcula. Et credidisti et finxisti hæc in corde tuo, ubi vanis recordationibus luxuriata et dissoluta jacteris. Cum enim quædam talia dicuntur de ineffabili affluentia spiritualium deliciarum, utique in ænigmate dicuntur ; ita ut noverit animus qui talibus exercetur, esse aliud quod ibi quærendum et intelligendum sit, sive corporeis sensibus in veritate corporali tale quid demonstretur, sicut ignis in rubo (*Exod.* III, 2), et de virga serpens, et de serpente virga (*Id.* IV, 2-4), et tunica Domini a persecutoribus non divisa (*Joan.* XIX, 24), et obsequio mulieris unctio pedum aut capitis ejus (*Matth.* XXVI, 7, *et Joan.* XII, 3), et frondes multitudinis præcedentis et consequentis asellum ejus (*Matth.* XXI, 7-9) : sive in spiritu per imagines corporum, vel in somnio, vel in ecstasi figurate ostendantur, sicut Jacob scalæ (*Gen.* XXVIII, 12), et Danieli lapis præcisus sine manibus et auctus in montem (*Dan.* II, 34, 35), et Petro ille discus (*Act.* X, 11), et Joanni tam multa (*Apoc.* I, *etc.*) : sive sola locutione ad eumdem modum figurentur, sicut Cantica canticorum (*Cantic.* I, *etc.*), et quod in Evangelio fecit pater familias nuptias filio suo (*Matth.* XXII, 2 14), et homo quidam duos filios habuit, frugi et luxuriosum (*Luc.* XV, 11-32), et homo quidam novellavit vineam, et locavit agricolis (*Matth.* XXI, 33). Tu vero præcipue Manichæum ob hoc prædicas, quod non ad talia dicenda, sed potius ad solvenda ultimus venerit : ut et figuris antiquorum apertis, et suis narrationibus ac disputationibus evidenti luce prolatis, nullo se occultaret ænigmate. Addis eam [2] præsumptionis hujus causam, quod videlicet

[1] Am. Er. et aliquot Mss., *splendide tenentem.*
[2] Sic probæ notæ Mss. Alii cum editis, *et otioso pane delucta.*
[3] Lov., *pueriles et seniles animas.* Melius editi alii et Mss., *pueriles et in senibus animas.*
[4] Aliquot Mss., *deorum numinibus.*

[1] Forte, *ad campum.*
[2] Sola fere editio Lov., loco, *eam*, habet, *etiam.*

antiqui, ut figuras hujusmodi vel viderent, vel agerent, vel dicerent, sciebant istum postea venturum, per quem cuncta manifestarentur : iste autem, qui sciret post se neminem adfuturum, sententias suas nullis allegoricis ambagibus texeret. Quid ergo facit affectus tuus desideriis carnalibus sordidus, in campis et montibus nemorosis, et coronis floreis, et scatentibus aromatibus? Si non sunt ænigmata rationis, phantasmata sunt cogitationis, aut vecordia furoris. Si vero ænigmata esse dicuntur, cur non fugis adulterum, apertam veritatem, ut illiciat, promittentem, et fabulosa fallacia quos illexerit illudentem? Nonne ministri ejus, et ipsi miseri talibus vanitatibus venenati, in hamo suo solent hanc escam de Paulo apostolo ponere, ubi ait : *Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est, auferetur;* et, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (1 *Cor.* XIII, 9, 10, 12)? Ut scilicet apostolus Paulus ex parte scierit, et ex parte prophetaverit, per speculum et in ænigmate videns, quod totum auferendum est veniente Manichæo, et afferente quod perfectum est, ubi facie ad faciem veritas [1] videatur. O lasciva, immunda, sine fronte adhuc ista garris, adhuc pascis ventos, adhuc amplecteris idola cordis tui! Itane tu facie ad faciem vidisti regnantem regem sceptrigerum, floreis coronis cinctum, et deorum agmina, et splenditenentem magnum [2], sex vultus et ora ferentem, micantemque lumine; et alterum regem honoris, Angelorum exercitibus circumdatum; et alterum adamantem heroam belligerum; dextra hastam tenentem, et sinistra clypeum; et alterum gloriosum regem tres rotas impellentem [3], ignis, aquæ, et venti; et maximum Atlantem mundum ferentem humeris, et cum genu fixo brachiis utrinque [4] secus fulcientem? Hæc et alia mille portenta tu facie ad faciem vidisti, an hæc tibi doctrina dæmoniorum mendaciloquorum per ora deceptorum cantat, et nescis? Væ tibi, infelix! ecce quibus phantasmatibus constupraris, ecce quas vanitates pro veritate lambis : et serpentinis poculis ebria, de diptychio lapideo audes insultare matronali verecundiæ conjugis unici Filii Dei; quia illa jam non sub pædagogio Legis [5], sed sub magisterio gratiæ, nec superba operibus, nec fracta terroribus, vivit ex fide et spe et charitate, facta Israel, in quo dolus non est (*Joan.* I, 45), et audiens quod ibi scriptum est, *Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4) : quod tu non audiens, in tam multos fictos deos fornicationem tuam diffudisti.

CAPUT VII. — Quomodo non sint tibi inimicæ illæ Tabulæ, in quibus secundum præceptum est, *Non accipies in vanum nomen Domini Dei tui* (*Exod.* XX, 7); quandoquidem tu etiam ipsum Christum, qui propter carnales a carnali vanitate mundandos, etiam carneis oculis verus in veritate carnis exortus est, in fallaciæ vanitate posuisti? Quomodo tibi non sit adversum tertium præceptum de sabbati requie, quæ tot figmentorum illusionibus inquieta anima ventilaris? Hæc tria præcepta quomodo pertineant ad dilectionem Dei, quando capies, quando sapies, quando amabis? Immoderata es, et fœda, et contentiosa : tumuisti, evanuisti, viluisti, excessisti modum tuum, turpasti decorem tuum, turbasti ordinem tuum. Talis apud te fui, novi te. Quo pacto ergo te nunc doceam hæc tria præcepta ad dilectionem Dei pertinere, ex quo, et per quem, et in quo sunt omnia (*Rom.* XI, 30)? Unde hoc intelligis, quando nec illa septem, quæ ad dilectionem proximi pertinent qua humanæ vitæ societas continetur, erroris tui detestanda perversitate nosse atque observare permitteris? In quibus mandatum primum est, *Honora patrem tuum et matrem tuam :* quod et Paulus commemorat mandatum primum in repromissione, eadem atque itidem etiam ipse præcipiens (*Exod.* XX, 12, *et Ephes.* VI, 2). Tu autem doctrina dæmoniaca [1] didicisti inimicos deputare parentes tuos, quod te per concubitum in carne ligaverint, et hoc modo utique deo tuo immundas compedes imposuerint. Hinc etiam consequens præceptum, quod est, *Non mœchaberis*, ita violatis, ut hoc maxime in conjugio, detestemini, quod filii procreantur; ac sic Auditores vestros, dum cavent ne feminæ quibus miscentur concipiant, etiam uxorum, adulteros faciatis. Ducunt enim eas ex lege matrimonii, tabulis proclamantibus, liberorum procreandorum causa : et vestra lege, metuentes ne particulam dei sui sordibus carnis afficiant, ad explendam tantum libidinem feminis impudica conjunctione miscentur; filios autem inviti suscipiunt, propter quod solum conjugia copulanda sunt. Quomodo ergo non prohibes nubere, quod de te tanto ante prædixit Apostolus (1 *Tim.* IV, 3), quando id conaris auferre de nuptiis, unde sunt nuptiæ? Quo ablato, mariti erunt turpiter amatores; meretrices, uxores; thalami, fornices; soceri, lenones. Ac per hoc etiam illud præceptum, quod est, *Non occides*, ex ejusdem erroris perversitate non servas. Dum enim times ne dei tui membrum ligetur in carne, non das esurienti panem : hic formidans homicidium falsum, illic perpetras verum [2]. Itaque si incurras in eum famelicum qui mori possit, nisi cibum porrigendo subvenias; jam tu homicida teneberis aut lege Dei, si non dederis; aut lege Manichæi, si dederis. Quid cætera Decalogi præcepta, quomodo servabis? An a furto abstineas, ut nescio quis panem, seu quamlibet escam in suis visceribus trucidandam, devoret potius, quam tu, si possis, ei subripias, atque ad officinam ventris Electorum tuorum curras, ut furto tuo deus tuus nec in gravius incidat vinculum, et quo inciderat eruatur? Porro si in eodem furto comprehendaris, nonne per ipsum deum tuum, non te abstulisse jurabis? Quid enim

[1] Verbum, *veritas*, abest a pluribus manuscriptis.
[2] Er. et Lov., *splendentem agnum*. Am. cum aliquot Mss., *splendide tenentem magnum*. Alii quidam probæ notæ Mss., *splenditenentem magnum*.
[3] Am. Er. et nonnulli Mss., *implentem*.
[4] Quidam codic. s, *utrisque*.
[5] Sic Mss. Editi autem, *sub pædagogo Legis*.

[1] In Mss., *dæmonica*.
[2] In B., *perpetrans verum*. Er. Lugd. Ven. secuti sumus. M.

tibi facturus est talis deus, cui dicis, Falsum juravi per te, sed pro te; nisi velles ut exitium tibi inferrem, dum honorem deferrem? Ita et illud mandatum Legis, *Ne falsum testimonium dicas*, propter membra dei tui sic contemnes [1], ut ea non solum testimonio, sed et juramento falso de compedibus liberes. Jam vero quod sequitur, *Non concupisces uxorem proximi tui* (*Exod.* xx, 13, 16, 17), debet apud te impleri: et hoc unum video, quod nulla tui erroris necessitate violare cogaris. Sed si nefas est conjugem concupiscere alienam, considera quid sit concupiscendum se proponere alienis: et recordare deos tuos formosos et deas formosas, præbentes se ut ardenter concupiscantur, illi a feminis principibus tenebrarum, et illæ a masculis: quibus excitatis in fruendi libidinem, et in suos amplexus inhianter æstuantibus, eruant ab eis illum deum tuum ubique compeditum, et tanta suorum turpitudine, ut solvi valeat, indigentem. Nam rem proximi non concupiscere, quod est ultimum Decalogi mandatum, unde potes, misera? Nonne tibi deus ipse tuus in terra aliena se fabricare mentitur sæcula nova, ubi post falsam victoriam falso triumpho tumescas? Quod cum modo insana vanitate desideras, et eamdem terram gentis tenebrarum summa vicinitate substantiæ tuæ conjungi credis, utique rem proximi concupiscis. Merito tibi est inimicum diptychium, continens tam bona mandata multum errori tuo contraria. Nam illa tria quæ ad dilectionem Dei pertinent, omnino ignoras, omnino non servas: hæc autem septem quibus societas humana non læditur, si quando custodis, aut pudore reprimeris, ne inter homines confundaris; aut timore frangeris, ne publicis legibus puniaris; aut malum factum bona aliqua consuetudine horrescis; aut ipsa naturali lege, quam injuste alteri facias quod tibi ab altero fieri non vis, advertis: error tamen tuus quam te in contrarium ire compellat, et dum sequeris, et dum non sequeris, sentis; cum vel hoc facis quod pati non vis, vel ideo non facis quia pati non vis.

CAPUT VIII. — At ista vera sponsa Christi, cui de diptychio lapideo fronte impudentissima insultas, intelligit quid distet inter litteram et spiritum (II *Cor.* iii, 6), quæ duo dicuntur alio modo, Lex et gratia: et non jam in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus Deo serviens (*Rom.* vii, 6), non est jam sub lege, sed sub gratia. Neque enim litigiosa cæcatur; sed mitis intendit verbis Apostoli, ut intelligat quid appellet legem, sub qua nos jam non vult esse, quia *transgressionis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est* (*Galat.* iii, 19): et quia ideo *subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia* (*Rom.* v, 20). Nec ideo tamen eamdem legem peccatum vocat, quia sine gratia non vivificat; auget enim potius reatum prævaricatione addita: *Ubi enim lex non est, nec prævaricatio* (*Id.* iv, 15); et ideo per se ipsam, cum sola littera est sine spiritu, id est, lex sine gratia, tantummodo reos facit: sed proponit sibi quod putare minus intelligentes possent, et aperit quid dicat, cum ait: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione itaque accepta, peccatum per mandatum fefellit me, et per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum. Quod ergo bonum est, factum est mihi mors? Absit: sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem* (*Rom.* vii, 7-13). Hæc ista, cui tu insultas, intelligit; quia gemens petit, quia humilis quærit, quia mitis pulsat: et sic videt non reprehendi legem, cum dicitur, *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.* iii, 6); sicut non reprehenditur scientia, cum dicitur, *Scientia inflat, charitas vero ædificat*. Nam utique ipse dixerat, *Scimus quia omnes scientiam habemus*: et tunc adjungit, *Scientia inflat, charitas vero ædificat* (I *Cor.* viii, 1). Utquid ergo habebat ipse quo inflaretur, nisi quia cum charitate non solum non inflat scientia, sed etiam firmat? Ita littera cum spiritu, et lex cum gratia, jam non eo modo littera et lex appellatur, sicut per se ipsam cum occidit abundante delicto. Ita enim lex et *virtus peccati* dicta est (*Id.* xv, 56), cum auget ejus noxiam delectationem, per severam prohibitionem. Nec tamen etiam sic mala est: *sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mortem*. Ita multa quibusdam sunt noxia, quamvis non sint mala. Nam et vos cum oculos doletis, etiam contra deum vestrum solem fenestras clauditis. Hæc igitur sponsa Christi, jam mortua legi, id est, peccato, quod legis prohibitione fit abundantius, cum lex sine gratia jubet, non juvat: tali ergo legi mortua, ut sit alterius qui ex mortuis resurrexit, discernit ista sine legis injuria, ne sacrilegium committat in ejus auctorem: quod tu facis in eum, quem non intelligis auctorem boni; cum audias Apostolum dicentem, *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum*. Ecce auctor boni est, qui tibi videtur unus ex principibus tenebrarum. Attende veritatem, ferit tibi oculos. Ecce Paulus apostolus dicit, *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum*. Ecce cujus auctor est, qui diptychium illud, quod stulta irrides, in magni sacramenti dispensationem [1] præmisit. Eadem quippe lex, quæ per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* i, 17), cum accessit litteræ spiritus, ut inciperet impleri justitia legis, quæ non impleta reos etiam prævarisatione faciebat. Neque enim alia lex est sancta et justa et bona, et alia per quam peccatum mortem operatur, cui mori nos oportet, ut simus alterius qui ex mortuis resurrexit: sed eadem ipsa est. Ecce sequere, lege. *Sed peccatum*, inquit, *ut appareat peccatum, per bonum mihi est operatum mortem, ut fiat supra modum peccator, aut peccatum per mandatum*. Surda, cæca, audi, vide. *Per bonum*, inquit, *mihi operatum est mortem*. Ergo lex semper est bona; sive obsit inanibus gratia, sive prosit plenis gratia, semper est bona:

[1] Fr. Lugd. Ven., *contemnis*. M.

[1] Am. Er. et aliquot Mss., *dispensatione*.

sicut sol semper est bonus, quia omnis creatura Dei bona est (I *Tim.* IV, 4), sive dolentibus oculis noceat, sive sanos mulceat. Proinde quod est oculis sanitas ad videndum solem, hoc est gratia mentibus ad implendam legem. Et sicut oculi sani non solis delectationi moriuntur, sed illis ictibus asperis radiorum, quibus reverberati in densiores tenebras pellebantur: sic anima per charitatem spiritus salva facta, non justitiæ legis mortua dicitur, sed illi reatui et prævaricationi, quam lex per litteram, cum gratia defuit, faciebat. Itaque de illa utrumque dicitur, et, *Bona est lex, si quis ea legitime utatur;* et quod sequitur, *Sciens hoc, quia justo lex non est posita* (*Id.* I, 8, 9); quia non opus habet terrente littera, quem delectat ipsa justitia.

CAPUT IX. — Hæc sponsa Christi gaudens in spe plenæ salutis suæ, et tibi optat bonam conversionem a fabulis ad veritatem, ne Adoneum quasi adulterum reformidans, cum versutissimo adultero serpente remaneas. Adonai enim verbum hebræum est, et interpretatur Dominus, eo modo quo solus Deus dicitur Dominus: sicut Latria, quod verbum græcum est, et interpretatur Servitus, non quæcumque, sed illa qua tantummodo Deo servitur: sicut Amen, interpretatur Verum, non ubicumque et quomodocumque, sed mystica religione. Quod si a te quæratur unde tu quoque habeas; præter hebræas litteras, vel quæ ex hebræo sunt, non invenis. Non ergo timet Ecclesia Christi istorum nominum objectionem: intelligit, et amat; nec curat imperitum insultatorem: et quæ nondum intelligit, credit esse talia, qualia nonnulla experta est, quæ nondum intellecta sic erant. Objiciat ei quisque quod Emmanuel adamaverit; irridet inscitiam illius hominis, amplectitur veritatem hujus nominis. Objiciat quod amaverit Messiam; repellit exstinctum adversarium, tenet unctum magistrum. Ita te quoque cupit sanari a vanis erroribus, et ædificari super fundamentum Apostolorum et Prophetarum (*Ephes.* II, 20). Quem dicis Hippocentaurum, nesciens quid loquaris, nec attendis quid tibi tua fabula confecerit, cum ex parte dei tui et ex parte terræ tenebrarum falsum mundum fabricasti in corde tuo. Itane ille non est Hippocentaurus, semiferus et semideus? Vere, quia nec Hippocentaurus dicendus est. Quid autem sit, tu attende, et erubesce et mitesce, ut corruptionem tuam a serpente adultero perhorrescas: cujus astutiam si apud Moysen credendam non putasti, apud Paulum cavere debuisti, qui veram Ecclesiam volens virginem castam exhibere Christo, *Timeo*, inquit, *ne sicut serpens Evam fefellit in versutia sua, ita corrumpantur mentes vestræ a simplicitate et castitate, quæ est in Christo* (II *Cor.* XI, 2, 3). Hoc tu cum audires, usque adeo tamen desipuisti, et venenatis incantationibus ejus amens facta es, ut aliis multis hæresibus aliud atque aliud idem serpens, tibi autem etiam se Christum esse persuaserit. Porro si errant multæ fallaciis ejus variis et multiformibus irretitæ, quæ tamen hanc admonitionem Apostoli veram fatentur: tu quantum adulterata es, quam in longinquo prostituta, quæ ipsum pro Christo habes, a quo Apostolus Christi seductam Evam atque corruptam clamat, ut ab eo virginem sponsam Christi tali admonitione custodiat? Tenebravit cor tuum, qui tecum in phantasmatibus lucidorum nemorum volutatur. Quæ sunt, ubi sunt, unde sunt fidelia promissa ejus? O ebria, non a vino (*Isai.* LI, 21)!

CAPUT X. — Nempe conviciata es impudentia sacrilega Deo Prophetarum, quod ipsis Judæis sibi servientibus non exhibuerit quod promisit. Nec sane dixisti quid promiserit et non exhibuerit, ne ibi convincereris aut jam exhibitum quod non intelligis, aut adhuc futurum quod non credis. Tibi quid promissum est et præsentatum, unde tibi fides fieret te accepturam triumphos novorum sæculorum super terram tenebrarum? Si aliquos prophetas protuleris in quibus legamus cum laude prædictos futuros Manichæos, unde jam tibi aliquid exhibitum putes, hoc ipso quia esse vos videmus; prius probatura es quod non ipse Manichæus tibi prophetas finxerit, qui sibi ut crederes voluit. Neque enim putat turpe mendacium: aut vero potest dubitare falsos prophetas ostendere in pellibus ovinis, qui Christum laudans asseverat falsas cicatrices ostendisse in membris suis. At ego vos plane prædictos lego, non solum a prophetis aliquando obscurius, verum et ab Apostolo expressius. Sed videte quemadmodum: *Spiritus*, inquit, *manifeste dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, intendentes spiritibus seductoribus, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi mendaciloquorum, cauteriatam habentes conscientiam suam, prohibentes nubere, abstinentes a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (I *Tim.* IV, 1-4). Hæc quemadmodum in vobis impleta sint, et luce clarius omnium qui vos noverunt oculos tangit [1], et supra pro tempore ostendimus.

CAPUT XI. — Ista autem, quam doctrina apostolica virginem castam uni viro exhibens Christo, a fallacia serpentis qua tu corrupta es, monet ut caveat, agnoscit Deum Prophetarum, Deum verum, Deum suum: hujus ultimæ pollicitationi secura credit, cujus tanta promissa completa jam tenet; nec quisquam dicit, ad præsens tempus ei confictos esse Prophetas, quos in Judæorum codicibus asserit. Quid enim incredibilius promittebatur, quam id quod Abrahæ dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Et quid certius jam tenemus exhibitum? Illa certe est ultima ejus promissio, quam propheta breviter ita commemorat: *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Finita quippe omni indigentia, et novissima inimica morte destructa (I *Cor.* XV, 26), perpetua Dei laus erit otiosorum negotium: quo jam nemo accedet, unde jam nemo discedet. Quod alibi propheta ita commemorat: *Collauda, Jerusalem, Dominum;*

[1] Lovanienses legi volebant, *oculos tangant*: minus recte.

lauda Deum tuum, Sion : quoniam confirmavit vectes portarum tuarum, benedixit filios tuos in te (*Psal.* CXLVII, 1, 2). Clausis portis nullus intrabit, nullus exibit. Quod et ipse sponsus in Evangelio dicit, fatuis virginibus, etiam pulsantibus, se non aperturum (*Matth.* XXV, 12). Hæc Jerusalem, sancta Ecclesia, sponsa Christi, in Apocalypsi Joannis copiosius uberiusque describitur. Non credat huic propheticæ promissioni virgo casta, si non jam tenet quod ei per eamdem prophetiam hoc tempore futurum promissum est : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui; quoniam concupivit rex speciem tuam, quia ipse est Deus tuus, et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus : vultum tuum deprecabuntur divites plebis. Omnis gloria ejus filiæ regis intrinsecus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus : afferentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi, in lætitia et exsultatione adducentur in templum regis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram : memores erunt nominis tui in omni progenie et generatione, propterea populi confitebuntur tibi in æternum et in sæculum sæculi* (*Psal.* XLIV, 11-18). Sed tu infelix a serpente corrupta, quando vel cogitare conaris quæ sit pulchritudo filiæ regis intrinsecus? Ipsa est enim castitas mentis, ubi tu vitiata es, ut aperirentur tibi oculi ad amandum et adorandum solem et lunam; ac sic per justum judicium Dei alienareris a ligno vitæ, quod est æterna et interna sapientia; nihilque aliud vocares putaresque veritatem atque sapientiam, nisi lucem istam, quam per male apertos oculos tractam, et in immensum auctam, multipliciterque variatam per imagines fabulosas impudica mente convolveres. Hæ sunt fornicationes tuæ nimis abominandæ. Et tamen patienter cogita eas, et revertere ad me, dicit Veritas. Revertere ad me, et mundaberis, reparaberis [1], si confundaris tibi, et refundaris mihi. Iloc audi, hoc dicit vera Veritas, quæ nec fallacibus formis cum tenebrarum gente pugnavit, nec fallaci sanguine te redemit,

[1] Lov. et Belgici tantum Mss. omittunt, *reparaberis*.

LIBER SEXTUS DECIMUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit : Quare Moysen non accipitis, cum Christus dicat : *Moyses de me scripsit; et si credideretis Moysi, credideretis et mihi* (*Joan.* V, 46)? Ego vero non solum Moysen de Christo scripsisse velim, sed omnes etiam Prophetas Judæorum et Gentium. Quid enim hoc nostræ fidei noceret, aut quid non potius prodesset, si congrua et convenientia undique in Deum nostrum testimonia carperemus? Siquidem esset etiam tum liberum nobis, odio manente atque exsecratione superstitionis eorum, solas ab eisdem de Christo excerpere prophetias : adeo mihi contrarium non potest esse, si et Moyses, quamvis sit alienus a Christo, nonnihil tamen videatur scripsisse de Christo. An quisquam hominum non optaverit de spinis omnibus florem legere, de omni herba frugem, de muscis omnibus mel : quamvis nec muscas, nec gramen in cibum, nec spinas in coronæ usurpemus ornatum? An quisquam nollet in omni profundo margaritam nasci, in omnibus terris gemmas, in silvis omnibus poma? Aut si piscem de mari edere non nocet, aquam bibere nocet, sciuntque homines utilibus sumptis inimica respuere; nobis liberum non esset, religionis cujusque ritu damnato, si esset inutilis nobis, solas inde de Christo prophetias accipere? Neque hoc prodesset erroribus ad capiendos nosmet ac redigendos in propriam servitutem : quia nec spiritibus immundis, cum iidem Jesum esse Filium Dei exserte indissimulanterque confiterentur (*Matth.* VIII, 29), profuit, ut minime sint nobis exosi. Quare si et Moyses secundum hoc testimonium de Christo aliquid scripsit, accipiam : ita tamen ut ipsi hoc minime prosit ad captivandum me in propriam legem, quam nihil videam a Paganismo distare. Quapropter nihil omnino est quod arbitreris, si probatum hoc fuerit, me minime gavisurum, spiritum omnem prophetasse de Christo.

CAPUT II. — Tibi sane sufficientes [1] referam gratias, si quemadmodum ostendis quia Christus Moysen de se scripsisse testatus sit, ita etiam illud doceas, quænam sint ea quæ scripsit. Nam ego quidem Scripturas ejus perscrutatus, ut jussum est [2], nullas ibidem de Christo prophetias inveni; sive quia nullæ sunt, sive quia intelligere ipse non potui. Unde in ingenti positus æstu, ratione cogebar in alterum e duobus; ut aut falsum pronuntiarem capitulum hoc, aut mendacem Jesum. Sed id quidem alienum pietatis erat, Deum existimare mentitum. Rectius ergo visum est, scriptoribus ascribere falsitatem, quam veritatis auctori mendacium. Quippe cum et ipsum dicentem audirem, fures fuisse et latrones omnes qui venerunt ante se (*Joan.* X, 8) : qua sententia primum omnium video feriri Moysen. Ad hæc, et cum majestatem suam loquenti eidem, ubi se mundi lumen appellat, Judæi indignantes reclamarent, *Quia tu de te testificaris, testimonium tuum non est verum* : non cum video prosecutum, ubi maxime locus exigebat, ut diceret de se prophetasse Moysen; sed tanquam revera alienus et nullum habens ex eorum patribus testimonium, respondit, *Nempe in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testificor de me; et testificatur de me, qui me misit, Pater* (*Id.* VIII, 13, 17, 18). Illud eis commemorans, quod de cœlo dictum omnes audierant, *Hic est Filius meus dilectissimus, credite illi* (*Matth.* III, 17, *et Luc.* IX, 35). Necnon et illud mihi verisimile non videtur, Judæos potuisse tacere, cum Christus diceret de se scripsisse Moysen, quin statim, utpote maligni et astuti, quærerent quidnam illud esset, quod de se a

[1] Am. Er. et Mss., *insufficientes*.

[2] Lov., *ut visum est*. Am. et Er., *ut justum est*. Vernus Mss., *ut jussum est* : isto videlicet Evangelii capitulo Joan. 5, ℣. 39, *Scrutamini Scripturas*, etc.

Moyse scriptum putaret. Sed et hæc eorum omnifaria t: eiturnitas non minus Jesum nihil tale dixisse significat.

CAPUT III. — Quamvis ergo et hæc non parva videantur ad confirmandam suspicionem falsi de capitulo isto, plus tamen illo teneor, quia omnem, ut dixi, Moyseos scripturam scrutatus, nullas ibi de Christo prophetias inveni. Nunc tamen te compertus melioris intelligentiæ lectorem, consecuturum me aliquid credo, acturumque fateor gratias, si spem profectus ac doctrinæ, quam mihi objurgationis tuæ fiducia promittit, nulla frustreris invidia; sed doceas, si quid est quod me forte legentem præterierit de Deo ac de Domino nostro memoratum in scriptura Moysi. Nec dixeris, quæso, ut imperiti solent, hoc ipsum satis esse debere ad fidem, quia Christus dixerit de se scripsisse Moysen. Nolo enim nunc ad me respicias, quem ad credendum professio mea fecit obnoxium, ut non possim non credere ei quem sequor; sed puta nos cum Judæo tractare, puta cum Gentili: cum eis dixerimus, Moyses de Christo scripsit, quæsituri erunt [1] probationes, quid offeremus? Numquidnam dicere poterimus, Christus hoc dixit, cui adhuc illi minime credunt? Nempe opus erit nos ipsis ostendere quid scripserit.

CAPUT IV. — Quid ergo ostendemus [2]? An illud quod vos soletis, ubi Deus suus loquitur ad Moysen dicens: *Suscitabo illis Prophetam de fratribus ipsorum similem tibi* (*Deut.* XVIII, 15, 18)? Sed hoc quidem ad Christum minime spectare, nec Judæum latet, nec nobis sic credere conducibile est: quia non propheta Christus, nec Moysi similis propheta: siquidem ille fuerit homo, hic Deus; ille peccator, hic sanctus; ille ex coitu natus, hic secundum te ex virgine, secundum me vero nec ex virgine; ille offenso Deo suo occiditur in monte (*Deut.* XXXIV, 5), hic Patri perplacens patitur propria voluntate (*Joan.* X, 18). Quomodo ergo ipse erit propheta similis Moysi? Nempe statim nos Judæus aut ut imperitos irridebit, aut coarguet ut mendaces.

CAPUT V. — An illud offeremus ei, quod perinde soletis inducere, *Videbunt vitam suam pendentem, et non credent vitæ suæ* (*Deut.* XXVIII, 66)? Cui vos quidem adjicitis, *in ligno;* nam non habetur. Sed hoc quoque probare quod ad Christum minime pertineat, nihil tam in promptu est. Inter maledictorum enim sæva, quæ prompsit in populum suum, si a lege sua desciscerent, etiam hoc adjecit, futuros eosdem dicens in captivitate hostium suorum, finemque sui meditaturos diebus ac noctibus, ut nec vitæ ipsius suæ fiduciam gererent, quæ sibi e-set a victoribus condonata; quia eadem ex incerto penderet pavens ac sollicita semper sub imminentia gladiorum. Ne hoc quidem ergo ad Christum pertinet: quærenda sunt alia. Nam illud quidem vix crediderim de Christo vos dictum putare, maledictum esse omnem qui pendet in ligno (*Id.* XXI, 23): aut illud aliud, interficiendum esse prophetam sive principem populi, qui eos a Deo suo vellet avertere, aliquodve infringere mandatorum (*Deut.* XIII, 5). Quod ego quidem Christum fecisse plane negare non possum. Sed tu contra de ipso hæc esse scripta plane fateri non poteris, ne si hoc sit, quærere rursus incipiamus, etiam in quonam spiritu Moyses prophetaverit, ut aut malediceret Christo, aut eum juberet occidi. Si enim spiritum Dei habuit, hæc de Christo non dixit: si hæc de Christo dixit, spiritum Dei non habuit. Neque enim divinus spiritus aut malediceret Christo, aut eum juberet interfici. Ut ergo Moysen ab hoc crimine vindicetis, fateamini necesse est, ne hæc quidem eum scripsisse de Christo. Quod si hæc de Christo minime scripsit, aut alia dabitis, aut nulla erunt. Si nulla fuerint, nec Christus potuit asseverare quod nusquam est. Ita si Christus hoc minime asseveraverit, capitulum illud falsum esse constiterit.

CAPUT VI. — Sed nec illud quidem verisimile est, quod prosequitur, *Si credieretis Moysi, credieretis et mihi* (*Joan.* V, 46). Quia dissimilis admodum traditio est et longe altera Moyseos et Christi, ut si eorum alteri Judæi crederent, alteri necessario repugnarent. Nam Moyses quidem præ cæteris ab omni opere abstinendum docet in sabbato, causamque inducit religionis hujus hanc esse, quia Deus cum mundum et quæ in eo sunt omnia fabricaret, sex diebus indulserit operi, septima vero cessaverit, quod est sabbatum: idcircoque benedixerit, id est, sanctificaverit, tanquam suæ tranquillitatis portum, legemque dederit insuper, ut qui idem solveret, occideretur (*Exod.* XX, 8-11, *et* XXXI, 13-17). Hoc igitur Judæi vehementer credebant, docente Moyse: idcircoque Christo ne aures quidem accommodandas putabant, asseveranti Deum semper operari, nec ullum sibi cessationis statuisse diem, quia sit jugis et infatigabilis virtus; seque adeo idcirco nunquam debere cessare, ne sabbatis quidem: *Pater* enim, inquit, *meus semper operatur, et me oportet operari* (*Joan.* V, 17, *et* IX, 4). Item Moyses carnis peritomen in sacris et Deo amabilibus numerat, jubetque circumcidi masculinum omne, carne præputii ipsorum: esseque hoc docet necessarium signum testamenti illius, quod Deus suus disposuerit ad Abraham, affirmatque quod virorum quisquis [1] hoc non gestaverit, exterminabitur ille de tribu sua, et hæreditatis quæ Abrahæ repromissa sit ac semini ejus, non veniet in consortium (*Gen.* XVII, 9-14). Et hoc ergo Judæi valde crediderant, asseverante Moyse: idcircoque fidem Christo habere non poterant infirmanti ea, et insuper asseveranti quod dupliciter gehennæ filius fieret, qui esset circumcisus (*Matth.* XXIII, 15). Item Moyses carnalium ciborum sollicitam facit discretionem, et inter pisces ac volucres et quadrupedia belluonis in modum disceptator sedet; jubetque alia quidem abluiri pro mundis, alia vero pro immundis ne

[1] Er. Lugd. et Ven., *erant.* M.

[2] In B., *ostendimus.* Er. Lugd. Lov., secuti sumus. M.

[1] Amerbachius et nonnulli Mss., *quod utrorum virorum quisquis.* Erasmus vero, *quod virorum virorum quisquis;* idque esse Hebraismum notat ad oram libri: « Hebraice, » ait, « pro, *quorumcumque viro.* »

contingi quidem : quorum in parte porcum taxat et leporem, et si quid in piscibus caret squama, aut in quadrupedibus ungulam fissam non habet, nec ruminat (*Deut.* XIV, 3-20). Et hæc ergo Judæi fortiter crediderunt, scribente Moyse : idcircoque Christo jam credere non poterant, indifferentiam docenti ciborum, et a suis quidem discipulis omnia penitus removenti, sæcularibus vero vulgo concedenti omnia quæ possent edi, atque asseveranti quod eos nihil in os intrans pollueret; quia quæ de ore impudenter [1] procedant, ea sola sint quæ polluant hominem (*Matth.* XV, 11-20). Hæc atque alia multa Moysi contraria, Jesum dogmatizare, nemo qui nesciat.

CAPUT VII. — Quæ quia singula percurrere longum est, unum pro multis ostendam, id est, quia Christianarum hæresium pars maxima, et, quod est in promptu, Catholici nihil eorum servare curant, quæ Moyses scribit. Quod ipsum si non de errore descendit aliquo, sed ex vera illa Christi et discipulorum ejus traditione, vos omnino fatemini necesse est, contraria invicem sibi Jesum docuisse atque Moysen : idcircoque nec creditum Christum a Judæis, quia fidem vellent exhibere Moysi. Quorsum ergo falsum non erit, illud Jesum dixisse ad eos, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi :* cum sit longe manifestum, idcirco magis eos non credidisse Jesu, quia Moysi crederent; potuisse autem fidem Christo habere, si Moysi credere destitissent? Tu tamen, ut dixi, ubinam Moyses de Christo aliquid scripserit, quæso nos doceas.

CAPUT VIII. — Alias inquit : Si Christianus es, crede dicenti Christo quia de se scripsit Moyses. Quod si non credis, christianus non es. Inepta hæc semper et imbecilla responsio est nihil habentium quod ostendant. Quanto igitur melius fecisses, si idem confitereris simpliciter? et tamen hoc mihi quidem dicere potuisti, quem scias necesse habere ut credam causa religionis qua famulor Christo : licet hoc ipsum adhuc quæratur, utrum sit et hoc Christi testimonium, ut credi debeat absolute; an scriptoris, ut examinari sollicite. Nec si nos non credimus falsis, Christum hinc offendimus, sed falsatores. Tamen utcumque hoc ferri [2] poterit Christianis oppositum : quid autem de illis agemus, quos retuli, Judæo scilicet atque Gentili, quibus dicere non possumus, Si christianus es, crede; si non credis, christianus non es? Quanquam ne Christiano quidem hoc rectissime dixeris, cum Christus Thomam apostolum dubitantem de se aspernatus non sit; sed quo animi ejus vulneribus mederetur, corporis sui cicatrices ostendit : nec dixit, Si discipulus es, crede, si non credis, discipulus non es. Tu mihi hoc dicas, non de Christo dubitanti, sed de sententia, utrum sit ejus, an subinducta. At, inquis, beatiores appellat, qui non viderunt et crediderunt (*Joan.* XX, 27, 29). Hoc si ideo dictum putas, ut sine ratione et judicio quidque credamus; esto tu beatior sine sensu, ego mihi contentus ero cum ratione beatus audisse.

[1] In Mss., *imprudenter*.
[2] Er. Lugd. et Ven., *fieri*. M.

CAPUT IX. — Augustinus respondit : Astute quidem paratum te dicis, si quas in libris Moysi de Christo prophetias inveneris, ita percipere, ac si piscem de mari, cum aquam ipsam unde piscis capitur, respuas. Sed quia Moyses omne quod scripsit, de Christo est, id est, ad Christum omnino pertinet, sive quod eum figuris rerum vel gestarum vel dictarum prænuntiet, sive quod ejus gratiam gloriamque commendet; tu qui commentitium fallacemque Christum de Manichæi litteris credidisti, ita Moysi non vis credere, sicut nec piscem vis edere. Verum hoc interest, quod Moysen hostiliter insectaris, piscem autem fallaciter laudas. Si enim piscem de mari edere non nocet, sicut ipse dixisti; cur ita eum vos noxium prædicatis, ut si alia esca non occurrat, prius fame consumamini, quam pisce vescamini? Quid, quod si omnis caro immunda est, ut dicitis, et in omni aqua omnique herba vita illa misera dei vestri retinetur, quæ per vestra alimenta purganda est; detestabilis superstitio tua et piscem te cogit projicere quem laudasti, et aquam marinam bibere ac spinas edere quas vituperasti? Quod vero etiam dæmonibus Dei famulum comparasti, ut quales illi fuerunt cum Christum confiterentur, (*Matth.* VIII, 29), talis et iste accipiatur si aliquid in ejus libris reperiri potuerit quod prædicet Christum; ille quidem non dedignatur opprobrium Domini sui. Si enim paterfamilias Beelzebub appellatus est, quanto magis domestici ejus (*Id.* X, 25) ? Sed vos videte a quibus ista didiceritis, profecto sceleratiores quam illi qui Domino ita conviciati sunt. Illi enim non eum Christum esse credebant, et ideo fallacem putabant : vos autem doctrinam non putatis esse veracem, nisi quæ Christum audet prædicare fallacem.

CAPUT X. — Unde autem tibi videtur legem Moysi nihil a Paganismo distare? An quia templum, sacrificium, altare, sacerdotemque commendat? At hæc omnia nomina et in Novo Testamento reperiuntur. *Solvite*, inquit, *templum hoc, et in triduo resuscitabo illud* (*Joan.* II, 19) ; et, *Cum offers munus tuum ad altare* (*Matth.* V, 24); et, *Vade ostende te sacerdoti, et offer pro te sacrificium, quod præcepit Moyses, in testimonium illis* (*Id.* VIII, 4). Quorum autem figuræ fuerint istæ, partim Dominus ipse demonstrat, cum templum corporis sui templo illi comparat; partim apostolica doctrina cognoscimus : *Templum enim Dei sanctum est*, ait Apostolus, *quod estis vos* (I *Cor.* III, 17) ; et, *Obsecro itaque vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII, 1) ; et cætera hujusmodi. Proinde illa omnia *figuræ nostræ fuerunt* (I *Cor.* X, 6), sicut idem dicit, et sæpe commemorandum est : quia non dæmoniis exhibebantur, sed uni vero Deo, qui fecit cœlum et terram; non tanquam indigenti talibus, sed tempora distinguenti, et jubenti præsentia, per quæ significaret futura. Vos autem, qui ut seducatis et decipiatis idiotas imperfectosque Christianos, Paganismum vos fingitis detestari, edite nobis auctoritatem christianorum librorum, in quibus vobis solem ac

lunam colere atque adorare præceptum sit. Vester ergo potius error Paganismo similis est; quandoquidem nec Christum colitis, sed Christi nomine nescio quid, quod vobis mentiendo finxistis, et deos vel in isto conspicuo cœlo visibiles, vel alios innumerabiles commentitios adoratis. Quibus phantasmatibus quasi vanis atque inanibus simulacris, non ædiculas fabricastis, sed corda vestra templa fecistis.

CAPUT XI. — Exigis a me ut ostendam quænam scripserit de Christo Moyses. Jam quidem superius multa demonstrata sunt; sed quis possit omnia demonstrare? Præsertim, quia si quædam commemorem, paratus videtur iste perversus, vel in alium sensum ea conari pervertere; vel si fuerit evidentia clarioris veritatis oppressus, dicere se illa tanquam de mari salso suavem piscem capere: nec ideo se ad totam Scripturam Moyseos, velut ad aquam marinam bibendam cogi oportere. Quapropter sufficere arbitror huic operi, ut ea ipsa quæ reprehendenda decerpsit[1] de Scriptura legis Hebræorum, ad Christum prædicandum pertinere, si recte intelligantur, ostendam: ex quo satis appareat multo magis cætera, vel statim pronuntiata, vel diligenter ac veraciter perscrutata, christianæ fidei convenire; si ea quæ deridenda atque damnanda objicit inimicus, eis ipsis convincatur christiana veritate damnandus. Quapropter, o plene omni fallacia, cum Dominus in Evangelio dixerit, *Si credere:is Moysi, credere:is et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* v, 46); nihil est quod te in ingenti æstu positum fingas, et cogi videaris in alterum e duobus, ut aut falsum pronunties capitulum hoc, aut mendacem Jesum. Sicut enim hoc capitulum verum est, ita et verax est Jesus. *Rectius visum est*, inquit, *scriptoribus ascribere falsitatem, quam veritatis auctori mendacium.* Itane tu Christum credis veritatis auctorem, quem prædicas carnis, et mortis, et vulnerum, et cicatricum simulatorem? Volo mihi ostendas, unde auctorem veritatis didiceris Christum, si eis, qui de illo scripserunt, quorum auctoritas recenti memoria commendata atque firmata in posteros emanavit, audes ascribere falsitatem. Non enim vidisti Christum, aut quemadmodum cum Apostolis, locutus est tecum, aut de cœlo te, sicut Saulum, vocavit (*Act.* IX, 3-7). Quid de illo sentire, quid credere possumus, nisi quod Scriptura testatur? Porro si mendax est Evangelium disseminatum et notum omnibus gentibus, et ab initio prædicationis nominis Christi in Ecclesiis omnibus in tanto sanctitatis culmine collocatum; quæ scriptura proferri potest, cui de Christo fides habenda sit? Quid poteris proferre scriptum, quod non ille qui hoc non vult credere, dicat esse confictum, si tanta Evangelii notitia venit in dubium?

CAPUT XII. — Deinde subjungis, ipsum te audisse dicentem, fures fuisse et latrones omnes qui venerunt ante se (*Joan*, x, 8). Unde illum audisti hoc dicentem, nisi ex Evangelio? At si hoc, quod ita credis ex Evangelio, ut tanquàm ex ore Domini audisse te dicas, alius falsum esse contendat, atque hoc dixisse Christum neget; quo ibis? quid facies? Nonne evangelicam auctoritatem quantis potueris viribus prædicabis? Miser, illic scriptum est quod non vis credere, ubi didicisti quod ita credis, ut hoc te ab ipso Christo dicas audisse. Ecce nos utrumque credimus, quia Evangelio sancto credimus, ubi utrumque scriptum est; et de Christo scripsisse Moysen, et omnes qui ante Christum venerunt, fures fuisse et latrones. Venisse quippe ita vult intelligi, quia missi non sunt: nam qui missi sunt, sicut Moyses et sancti Prophetæ,[1] non ante ipsum, sed cum ipso venerunt; quia non eum per superbiam præcedere voluerunt, sed eum per ipsos loquentem humiliter portaverunt. Vos autem, qui hæc Domini verba sic intelligitis, secundum vestrum intellectum satis confitemini nullos vos habere prophetas, qui venturum Christum prophetaverint: et ideo vobis eum sicut voluistis, finxistis. Nam si aliqui vestri, quibus quidem propterea fides habenda non est, quia non nisi a vobis proferuntur; tamen si aliqui sunt, quos dicere audeatis prophetasse Christum falsa carne venturum, falsa morte passurum, falsas cicatrices dubitantibus discipulis oblaturum; non dico ex hoc ipso quam sint detestandi atque fugiendi, quamque non possint esse veraces, quibus de mendacio Christus placet: ut hoc non dicam, certe ut dicere cœperam, secundum istum intellectum vestrum fures fuerunt et latrones, quoniam ante Christum venerunt, qui eum venturum quoquo modo prædicaverunt. Porro si ille intellectus est verus, ut ipsi ante Christum venisse dicantur, qui cum Christo, id est, cum Verbo Dei venire noluerunt, sed cum eos non miserit Deus, mendacia sua hominibus attulerunt: vos quoque ipsi, quamvis post Christi passionem et resurrectionem in hoc mundo nati fueritis, fures et latrones estis; quia priusquam vos ipse illuminaret, ut veritatem ipsius prædicaretis, ante eum venire voluistis, ut vestram fallaciam jactaretis.

CAPUT XIII. — Illic autem, ubi ei dictum est a Judæis, *Tu de te testificaris; testimonium tuum non est verum;* non mirum est, non te videre prosecutum eum, ut diceret de se prophetasse Moysen: non enim habes pium oculum, quo id possis videre. Nam ecce idipsum quod eis respondit: nempe, *In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testificor de me, et testificatur de me, qui me misit, Pater* (*Joan.* VIII, 13, 17, 18): quid aliud sonat recte intelligentibus, nisi illum testium numerum in lege prophetico spiritu consecratum et commendatum, ut etiam sic prænuntiaretur futura revelatio Patris et Filii, quorum Spiritus est in illa inseparabili Trinitate Spiritus sanctus? Ideo scriptum est, *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Deut.* XIX, 15). Alioquin et unus testis plerumque verum dicit, et plures plerumque mentiuntur: potiusque creditum est in exordio fidei gentium uni

[1] Am. et Mss., *secerpit.*

[1] Vetus codex Bernardinorum Parisiensium habet hic inserta quædam non mala, scilicet: *Non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturos præcones mittebat*, etc. Verum hæc sumpta sunt ex Augustini tractatu 45 in Joannem.

apostolo evangelizanti, quam populis errantibus a quibus ipse persecutionem patiebatur. Non igitur frustra quodam modo consecratus est iste numerus testium : et cum hoc Dominus respondit, eo quoque ipso intelligi voluit de se prophetasse Moysen. An forte inde calumniamini, quia non ait, in lege Dei, sed, *In lege vestra scriptum est?* Ubi usitatam locutionem Scripturarum quis non agnoscat? *In lege* enim *vestra* dixit, vobis data (II *Tim.* II, 8, *et Galat* I, 11, 12) : sicut dicit Apostolus Evangelium suum, quod se tamen accepisse testatur, non ab homine, sed per revelationem Jesu Christi. An et Christum dicitis negasse se habere Patrem Deum, ubicumque non ait, Pater noster; sed, *Pater vester* (*Matth.* VI, 26, 32, etc.)? Jam vero vocem illam, quam commemorasti cœlo delatam, *Hic est Filius meus dilectissimus, credite illi* (*Id.* III, 17, *et* XVII, 5); quia vos non audistis, nolite illi credere. Si autem ideo creditis, quia eam in Scripturis sanctis invenistis, ibi est et ista cui credere non vultis, de Christo scripsisse Moysen; ibi aliæ multæ, quibus pariter fidem derogatis: nec timetis, miseri, ne ita profanus aliquis dicat, istam vocem omnino non sonuisse de cœlo; et sicut vos contra salutem generis humani, quæ omnibus gentibus evangelica auctoritate confertur, etiam in vestram perniciem argumentamini, cum dicitis propterea non esse credendum, quod dixerit Christus de se scripsisse Moysen, quia *si hoc ille dixisset, nec Judæi tacere potuissent, quin statim, utpote maligni et astuti, quærerent quidnam illud esset, quod de se a Moyse scriptum putaret :* sic et ille vanus et perditus dicat, Si de cœlo vox illa sonuisset, omnes Judæi qui audierant, credidissent? Cur ergo non consideratis, insani, sicut fieri potuit ut et post illam cœlestem vocem dura Judæorum infidelitas permaneret; ita fieri potuisse ut cum Christus diceret de se scripsisse Moysen, hoc magis maligna astutia timentes unde convincerentur audire, omnino non quærerent quid de illo scripserit Moyses?

CAPUT XIV. — Sed hanc non solum sacrilegam adversus evangelicam sanctitatem, verum etiam enervem ac debilem esse argumentationem sentit et Faustus; atque intentionem suam in illud potius confert, eoque se plus teneri dicit, quia omnem Moyseos scripturam scrutatus nullas ibi de Christo prophetias invenit. Cui cito respondeo, quia non intelligit : et si cur non intelligat quisquam quæsierit; respondebo, quia inimico, quia adverso [1] animo legit; quia non ideo scrutatur ut sciat, sed quod nescit, scire se putat. Hæc præsumptio tumidæ arrogantiæ oculum cordis vel claudit, ut omnino non videat; vel distorquet, ut perverse videat, et aliud pro alio probet aut improbet. *Tu me,* inquit, *doce, quid est quod me forte legentem præterierit de Deo ac Domino nostro memoratum in Scriptura Moysi.* Et hic cito respondeam, Totum te præteriit, quia totum ille [2] de Christo scripsit. Sed quia totum discutere et pertractare non possumus, hoc tibi in isto opere, si potero Domino adjuvante, servabo, quod superius dixi, ut ea ipsa quæ ad reprehendendum eligis, ostendam de Christo esse conscripta. Quin etiam petis ne dixerim, *ut imperiti solent, hoc ipsum satis esse debere ad fidem, quia Christus dixerit de se scripsisse Moysen.* Quod quidem si dico, non ut imperitus, sed ut fidelis dico : non valere autem hoc ad convincendum Gentilem vel Judæum, et ego fateor; sed adversus vos, qui quoquo modo nomine Christiano gloriamini, satis esse ideneum ac prævalidum, tu quoque etsi diu tergiversatus, tamen coactus es confiteri dicens, *Nolo enim nunc ad me respicias, quem ad credendum professio mea fecit obnoxium, ut non possim non credere ei quem sequor: sed puta nos cum Judæo tractare, puta cum Gentili.* Quibus verbis ostendisti, te interim, cum quo mihi nunc res est, quia te ad credendum professio tua fecit obnoxium, satis esse convictum de Christo scripsisse Moysen; quia ipsum Christum hoc dixisse, in Evangelio scriptum est, cujus tam præclaram sanctamque auctoritatem labefactare non audes : quia et cum id ex obliquo audes, difficultatis tuæ pressus angustiis, et cernens quanta ruina te obruat cum tibi dicitur, nullam esse scripturam cui de factis et dictis Christi flagites esse credendum, si Evangelio tam sancte lateque notissimo credendum esse non putas; et timens ne amisso Christiani nominis pallio nuda vanitas vestra omnibus conspuenda et detestanda remaneat, rursus te saucium colligere conaris, et dicis quod istis Evangelii verbis jam te ad credendum professio tua fecit obnoxium. Sic ergo te interim, cum quo nunc ago, teneo, ferio, perimo, id est, errorem tuum atque fallaciam; et cogo fateri de Christo scripsisse Moysen : quia hoc Christum dixisse in Evangelio legitur, cui te ad credendum professio tua fecit obnoxium. Cum Judæo vero vel Gentili si mihi necesse fuerit disputare, jam supra ostendi quibus modis pro meis parvulis viribus me agere oportere existimem.

CAPUT XV. — Nec illud nego de Christo esse prædictum, quod tu tanquam facile refellendum elegisti, ubi Deus loquitur ad Moysen, dicens : *Suscitabo illis Prophetam de fratribus ipsorum similem tibi* (*Deut.* XVIII, 15, 18). Nec me tua lauta et lepida antitheta, quibus luteum sermonem quasi colorare ac pingere voluisti, ullo modo ab hac fidei veritate deterrent. Comparans enim Christum atque Moysen, et cupiens demonstrare dissimiles, ut ob hoc non de Christo videatur intelligendum esse quod scriptum est, *Suscitabo illis Prophetam similem tibi;* opposuisti tibimet ex adverso multa contraria, quod ille homo, hic Deus; ille peccator, hic sanctus; ille ex coitu natus, hic secundum nos ex virgine, secundum vos vero nec ex virgine; ille offenso Deo occiditur in monte, hic Patri perplacens patitur propria voluntate. Quasi vero cum simile aliquid dicitur, ex omni parte atque ex omni modo simile intelligatur : quia non ea tantum, quæ unius ejusdemque naturæ sunt, dicuntur inter se esse similia, sicut gemini homines, vel filii parenti-

[1] Editio Fr., *averso.*
[2] Editi, *illud.* At Mss., *ille.*

bus, vel omnes homines omnibus hominibus, in quantum homines sunt, similes utique sunt, quod et in cæteris animalibus intueri facillimum est, vel arboribus, ut olea oleæ, laurus lauro similis dicitur, verum etiam naturæ disparis sunt et dicuntur multa similia, ut olivæ oleaster, et far tritico. De rebus adhuc proximis et attingentibus loquor : nam quid tam longe distans a Filio Dei, per quem facta sunt omnia (*Joan.* I, 3), quam pecus et lapis? et tamen in Evangelio legitur, *Ecce Agnus Dei* (*Ibid.*, 29); et in Apostolo, *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 4) : quæ nullo modo quisquam recte diceret, si eorum aliquam similitudinem nullo modo ille susciperet. Quid ergo mirum si non est dedignatus Christus fieri similis ipsi Moysi, qui similis factus est ovi, quam in ejus prænuntiationem per ipsum Moysen præcepit Deus manducari a populo suo, ejusque sanguinem ad tutelam salutis adhiberi, et Pascha appellari (*Exod.* XII), quod nunc in Christo esse completum nemo dissimulare permittitur? Quapropter de Scripturis agnosco dissimilem, de Scripturis mecum agnosce et tu similem : non inde dissimilem unde similem; sed alia causa illud, alia illud; dum tamen utrumque demonstrem. Dissimilis homini Christus, quia Deus; scriptum est enim de illo, *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5) : et similis homini Christus, quia homo; quia de illo itidem scriptum est, *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5). Dissimilis peccatori Christus, quia semper sanctus : et similis peccatori Christus, quia Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne (*Rom.* VIII, 3). Homini ex coitu nato dissimilis Christus, in quantum ex virgine natus est : sed homini nato similis Christus, in quantum et ipse ex femina natus est, cui dictum est, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Homini propter peccatum suum mortuo dissimilis Christus, in quantum sine peccato et propria potestate mortuus est : sed rursus homini mortuo similis Christus, in quantum et ipse vera morte corporis mortuus est.

CAPUT XVI. — Nec ideo Moysi famulo Dei derogaveris, quia eum peccatorem fuisse, et offenso Deo suo in monte occisum esse dixisti (*Deut.* XXXIV, 5). Noverat enim et ipse in Domino gloriari, ut ab eo salvus fieret : a quo et ille qui dicit, *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum* (I *Tim.* I, 15). Arguitur enim Moyses voce divina, quod ejus fides ad aquam de petra eliciendam [1] aliquantum titubaverit (*Num.* XX, 10-12) : quod ei cum peccato Petri potest esse commune, qui in mediis fluctibus simili fidei defectu dubitavit (*Matth.* XIV, 30, 31). Verum absit ut credamus hinc eum esse alienatum ab æterna societate sanctorum, qui cum sancto Elia, sicut Evangelium loquitur, meruit clarificato in monte Domino assistere (*Matth.* XVII, 1-5). Nam, ut in veteribus legimus Libris, etiam post ipsum peccatum, quantum sit apud Deum meritum ejus apparet. Sed quid causæ fuerit, ut de peccato ejus tali morte vindicando Deus loqueretur? Quoniam pollicitus sum ea ipsa demonstrare ad prænuntiandum Christum pertinere, quæ tu reprehendenda delegeris; faciam sicut possum, Domino adjuvante, ut hoc etiam quod in Moysi morte reprehendisti, prophetiam fuisse de Christo recte intelligentibus doceam.

CAPUT XVII. — Sicut enim mos est divinorum in Scripturis sanctis mysteriorum, ut idem homo alias aliam atque aliam pro re aliqua significanda personam gerat; tunc Moyses populi Judæorum sub Lege positi personam gerebat, eumque in prophetica prænuntiatione figurabat. Sicut ergo Moyses petram virga percutiens de Dei virtute dubitavit; ita ille populus, qui sub Lege per Moysen data tenebatur, Christum ligno crucis affigens, eum Virtutem Dei esse non credidit. Sed sicut percussa petra manavit aqua sitientibus; sic plaga dominicæ passionis effecta est vita credentibus. Habemus enim de hac re præclarissimam et fidelissimam vocem Apostoli, cum inde loqueretur, dicentis, *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 4). Hanc ergo carnalem de Christi divinitate desperationem in ipsius Christi altitudine Deus mori jubet, cum mortem carnis Moysi in monte imperat fieri. Sicut enim petra Christus, ita et mons Christus : petra humilis fortitudo, mons eminens magnitudo. Quia sicut Apostolus ait, *Petra erat Christus;* ita ipse Dominus, *Non potest civitas abscondi super montem constituta* (*Matth.* V, 14) : se scilicet montem, fideles autem suos in sui nominis gloria fundatos asserens civitatem. Prudentia carnis vivit, cum tanquam petra percussa Christi humilitas in cruce contemnitur : Christus enim crucifixus Judæis scandalum est, Gentibus autem stultitia. Et prudentia carnis moritur, cum tanquam montis eminentia Christus excelsus agnoscitur : ipsis enim vocatis Judæis et Græcis, Christus Dei Virtus et Dei Sapientia est (I *Cor.* I, 23, 24). Ascendit itaque Moyses in montem, ut carne mortua vivo spiritu reciperetur : quo Faustus non ascenderat, ut carnales calumnias mente mortua loqueretur. Nonne ipsam petram Petrus per prudentiam carnis percuti exhorruit, cum Domino passionem suam prænuntianti ait : *Absit, Domine, non fiet istud; propitius esto tibi?* Neque enim pepercit huic peccato Dominus, cum ei retulerit : *Redi retro, satana, scandalum mihi es : non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (*Matth.* XVI, 22, 23). Aut ubi mortua est ista carnalis diffidentia, nisi in Christi glorificatione, tanquam in montis altitudine? Nam utique vivebat, cum eum timide negaret : et utique mortua erat, cum eum libere prædicaret. Hæc vivebat in Saulo, cum scandalum crucis detestans vastabat christianam fidem (*Act.* VIII, 3) : et ubi nisi in illo monte mortua erat, cum jam Paulus diceret, *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20).

CAPUT XVIII. — Quid habes igitur, hæretica vanitas, unde te putes posse convincere, non de Christo esse prædictum, *Suscitabo illis Prophetam de fratribus ipsorum similem tibi;* quando ne hinc quidem potuis,

[1] Am. et Mss., *efficiendam.*

quod dissimilem ostendis? Aliis enim causis et nos similem ostendimus. An quia propheta dictus est, qui et homo esse dignatus est, et tam multa futura prædixit? Nisi forte aliud est propheta, quam homo ultra humanas conjecturas futura prænuntians? Unde et ipse de se ipso ait : *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* (*Matth.* XIII, 57). Sed de te videro, qui te convictum paulo ante confessus es, cum dixisti, quod te ad credendum Evangelio professio tua fecit obnoxium : Judæus ipse procedat in medium, qui cervicem a jugo Christi male liberam tollit, et ideo sibi adhuc fas putat dicere, Mentitus est Christus vester ; nihil de illo scripsit Moyses.

CAPUT XIX. — Dicat mihi quem prophetam promiserit Deus, cum ait Moysi, *Suscitabo illis Prophetam de fratribus eorum, sicut te*, vel, *similem tibi*? Multi enim prophetæ postea fuerunt, sed utique unum quemdam intelligi voluit. Illic ei, credo, facillime occurret successor ille Moysi, qui populum ex Ægypto liberatum, in terram promissionis induxit. Quem cogitans, me adhuc fortasse ridebit quærentem de quo dictum sit, *Suscitabo illis Prophetam similem tibi* ; cum legam quis in eodem munere populi illius regendi atque ducendi Moysi defuncto successerit. Qui cum me velut imperitum riserit (talis enim et a Fausto describitur), non desinam hominem adhuc etiam compellare [1], et a securo risu ad curam respondendi revocare, quærendo atque flagitando, cur eidem ipsi futuro suo successori, in cujus comparatione improbatus est, ut non ipse introduceret populum in terram promissionis ; ne videlicet Lex per Moysen non ad salvandum, sed ad convincendum peccatorem data, in regnum cœlorum introducere putaretur (*Joan.* I, 17), sed gratia et veritas per Jesum Christum facta : quæram ergo a Judæo, cur eidem ipsi futuro suo successori Moyses nomen mutaverit. Vocabatur enim Ause [2], et appellavit eum Jesum (*Num.* XIII, 9, *et* XIV, 6). Cur denique tunc appellaverit, quando ex convalle Pharan præmisit ad eamdem terram, quo erat populus ipso duce venturus ? Dixit enim verus ipse Jesus : *Et si iero, et præparavero vobis locum ; iterum veniam, et assumam vos ad me* (*Joan.* XIV, 3). Quæram etiam, utrum non huic figuræ attestetur propheta dicens, *Deus ab Africo veniet, et sanctus de Pharan* (*Habac.* III, 3) : tanquam diceret, Ejus nominis veniet Deus sanctus, cujus nominis erat ille qui venit ab Africo de Pharan, id est, Jesus. Huc accedit quod idem ipsum Dei Verbum intelligitur loqui, ubi promittit eumdem ipsius Moyseos successorem, per quem populus in terram promissionis mitteretur, nomine angeli eum appellans ; sicut etiam homines aliquid nuntiantes in Scriptura divina solent appellari : et ita dicit, *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, ut servet te in via, et inducat te in terram quam juravi tibi* [3]. *Attende tibi, et obaudi eum, ne non credas illi : nihil enim subtrahet tibi, nomen enim meum est in eo* (*Exod.* XXIII, 20, 21). Quid est hoc? Perscrutetur Scripturas illas non jam Manichæus, sed ipse etiam Judæus, et videat utrum de aliquo Angelo Deus dixerit, *Nomen meum est in illo*, nisi de hoc, quem introductorem in promissionis terram pollicetur. Deinde quærat in hominibus quis Moysi successor introduxerit populum ; et inveniet Jesum : non hoc ab initio vitæ suæ, sed nomine mutato appellatum. Qui ergo dixit, *Nomen meum est in illo* Jesu, ipse est verus Jesus, rector et ductor populi in hæreditatem vitæ æternæ, secundum Testamentum Novum, cujus figura erat Testamentum Vetus. Ita quantum attinet ad propheticum apparatum, nec geri, nec dici aliquid posset insignius, quandoquidem res perducta est usque ad nominis expressionem.

CAPUT XX. — Superest ut Judæus ille, si vult et in abscondito Judæus esse non littera, sed spiritu (*Rom.* II, 29) ; si vult reputari verus Israelita, in quo dolus non est (*Joan.* I, 47), recordetur in figura illum mortuum Jesum, qui introduxit in terram morientium, et agnoscat in veritate vivum Jesum, quo duce intret in terram viventium. Talis enim jam non acerbus resistet tam perspicuæ prophetiæ, sed ex commemoratione Jesu qui introduxit in illam promissionis terram, mitis effectus, audiet jam ipsum cujus nomen ille habebat, verius introducentem et dicentem, *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram* (*Matth.* V, 4). Illic jam etiam ille Gentilis, si non nimis lapideum cor haberet, aut si ex illis esset lapidibus de quibus suscitat Deus filios Abrahæ (*Id.* III, 9), nonne miraretur in Libris antiquis ejusdem gentis, ex qua natus perhiberetur Jesus, tam evidentem de illo conscriptam esse prophetiam, ut etiam nomen ejus exprimeretur : simulque ibi adverteret, non quemlibet hominem prædictum fuisse Jesum, sed utique Deum, cum in homine illo qui regendo et introducendo in regnum populo constitutus, mutato nomine Jesus appellatus est, suum nomen inesse Deus diceret, eumque angelum nominaret ; eo ipso quod mutato nomine mittebatur, magnum aliquid divinumque nuntiantem? Nuntium quippe græce Angelum dici, quis illa lingua vel tenuiter tinctus ignoret? Quamobrem quilibet Gentilis, si perversus et pervicax esse nollet, non ideo Libros illos contemneret, quia essent Hebræi, cujus gentis lege non teneretur : sed cujuslibet gentis libros ideo magni penderet, quia in eis tanto ante conscripta inveniret, quæ suis jam temporibus impleta cognosceret : ipsumque Christum Jesum non propterea sperneret, quia Hebraicis litteris prænuntiatum videret ; sed potius eum, qui litteris quibuslibet, antequam inter homines nasceretur, per tot volumina sæculorum, partim apertioribus testimoniis, partim rerum gestarum et sermonum figuris et sacramentis ita prænuntiari commendarique meruisset, cum ingenti admiratione et devota religione [4] sectandum venerandumque censeret. Ita illi ex rerum Christianarum jam præsentatis effectibus, Librorum

[1] Am. Er. et aliquot Mss., *compellere*.

[2] Sic Mss. juxta LXX. At Am. et Er. juxta Vulgatam, *Vocabatur enim Osee* Lov., *Vocabatur enim Josue*.

[3] Lov., *quam præparavi tibi*. Editi vero alii et Mss., *quam juravi tibi*.

[4] Omnes Mss., *et debita religione*.

prophetia vera probaretur : ex Librorum vero prophetia Christus colendus agnosceretur. Vana loqui deputer, si non ita factum est, si non ita fit, si non in eam fidem per universum orbem terrarum eorumdem Librorum recitatione concurritur.

CAPUT XXI. — Unde mirabiliter istorum est ridenda vecordia, qui tanquam impossibile a nobis quæruntur, quomodo per Judæorum Libros fidem Christianam velit discere homo Gentilis, cum tanta devotione et tanta celebritate omnes gentes istorum Librorum fieri discipulas cernat [1] : eo ipso nimirum fortius atque firmius, quod ex manibus inimicorum tanta de Christo testimonia proferuntur; in quibus ideo Gentes quæ credunt, nihil de illo ad tempus possunt putare conflictum, quia in eis Libris inveniunt Christum, quibus a tot sæculis serviunt, qui crucifixerunt Christum, et quos in tanto apice auctoritatis habent qui quotidie blasphemant Christum. Si enim ab eis proferrentur prophetiæ de Christo qui prædicant Christum, ab eis ipsis conflictæ putarentur : nunc vero id exponit qui prædicat, quod recitat qui blasphemat. Ad aliquem namque usum sanctorum ordinatur omnis cæcitas impiorum a summo Deo, qui pro sui regiminis æquitate bene utitur etiam malis, ut qui suo arbitrio injuste vivunt, illius judicio juste disponantur. Ergo ne testimonia prophetiæ Christi nascituri, mira facturi, indigna passuri, morituri, resurrecturi, ascensuri, per omnes gentes Evangelium vitæ æternæ disseminaturi, illi finxisse crederentur, qui eum populis annuntiarent; magnum aliquid actum est in usum nostrum de infidelitate Judæorum, ut iidem ipsi qui hæc propter se non haberent in cordibus, propter nos haberent in codicibus. Nec inde auctoritas illis Libris minuitur, quod a Judæis non intelliguntur; imo et augetur : nam et ipsa eorum cæcitas ibi prædicta est. Unde magis non intelligendo veritatem perhibent testimonium veritati : quia cum eos Libros non intelligunt, a quibus non intellecturi prædicti sunt, etiam hinc eos veraces ostendunt.

CAPUT XXII. — Hinc est et illud, cujus ambiguitate Faustus fallitur : *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ* (*Deut.* XXVIII, 66). Quæ verba et aliter posse intelligi, potest aliquis dicere : de Christo autem non posse intelligi, nec Faustus ausus est dicere, nec quisquam prorsus audebit, nisi qui negaverit aut Christum esse vitam, aut a Judæis visum esse pendentem, aut eos illi non credidisse. Cum vero et ipse dicat, *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6); et eum pependisse constet ante oculos non ei credentium Judæorum; non video cur dubitare debeamus, id etiam de Christo scripsisse illum, de quo Christus ait, *Ille enim de me scripsit* (*Id.* V, 47). Proinde si quod scriptum est, *Suscitabo eis Prophetam de fratribus illorum similem tibi*, ostendere conatus est Faustus non posse de Christo intelligi, quia Christus Moysi similis non est, et tamen ex omni parte convictus est; quid opus est in hoc testimonio laborare ? Aut certe, si ut dixit Christum similem non esse Moysi, ut illam refelleret prophetiam; sic etiam ut hanc refellat, dicat Christum non esse vitam, vel in conspectu Judæorum non ei credentium non pependisse. Cum autem hoc ille non dixerit, nec hodie quisquam eorum audeat dicere, nihil est cur moremur hanc quoque de Domino et Salvatore nostro Jesu Christo famuli ejus amplecti prophetiam. At enim inter cætera maledicta et hoc positum est. Num ideo non est prophetia, cum et cætera, inter quæ positum est, nihil sint aliud quam prophetiæ ? Aut ideo non est de Christo prophetia, quia illa quæ in ea lectione vel præcedentia vel consequentia contexuntur, nihil pertinere videntur ad Christum ? Quasi vero quidquam sit pejus inter maledicta, quæ Judæis pro merito superbæ [1] impietatis acciderunt, quam videre vitam suam, id est, Filium Dei pendentem, et non credere vitæ suæ. Maledicta enim, cum ex prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio spiritu denuntiantis. Nam illa quæ de malo voto sunt, prohibentur, cum dicitur. *Benedicite, et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14). Hæc autem sæpe inveniuntur in sermone sanctorum, sicut apostolus Paulus, *Alexander*, inquit, *æramus multa mala mihi ostendit; reddet illi Dominus secundum opera sua* (II *Tim.* IV, 14). Nam illud tanquam stomachatus et indignatus etiam male optasse videtur Apostolus, *Utinam et abscindantur qui vos conturbant* (*Galat.* V, 12) ! Quod utique si consideres personam scribentis, magis eum elegantissimo ambigue bene optasse intelliges. Sunt enim spadones, qui se ipsos absciderunt propter regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 12). Quod in his quoque verbis Faustus sapuisset, si pium palatum ad escas dominicas attulisset. Sic enim sonuit fortasse Judæis, quod dictum est, *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ;* ut inter minas vel dolos hostium suorum vitam suam videntes ex incerto pendere, victuros se esse non crederent. Sed filius Evangelii cum audit, *Ille enim de me scripsit*, in hac ipsa ambigultate sententiæ videt quid Prophetæ porcis projiciant, quid hominibus immuant : statimque illi occurrit vita hominum Christus pendens, eique non credentes Judæi, ob hoc ipsum quia pendentem vident. Et alius quidem aliquis cito diceret, inter cætera maledicta quæ in illa lectione ad aliquid de Christo intelligendum non pertinent, hoc solum ibi esse de Christo, quod scriptum est, *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ.* Neque enim fieri non posset ut inter diversa maledicta quæ impio populo prophetice prænuntiabantur, hoc quoque ponderetur. Sed ego, et qui mecum aliquanto attentius cogitant evangelicam illam dominicamque sententiam, qua non ait, Ille enim et de me scripsit; ut et alia quæ ad Christum non pertinent, scripsisse crederetur : sed ait, *De me enim ille scripsit;* ut omnem scripturæ illius intentionem non nisi ad intelligendam Christi gratiam perscrutando consuleremus; etiam cætera in illa lectione maledicta propter Christum prædicta cogno-

[1] Sic Am. et plures Mss. At Er et Lov., *cernant.*

[1] Edd., *superbiæ.* At Mss., *superæ.*

scimus : quod nunc ostendere si velim, nimis longum erit.

CAPUT XXIII.— Unde tantum abest ut hoc quod Faustus commemoravit, propterea non pertineat ad Christum, quia inter cætera maledicta positum est; ut nec ipsa cætera rectum habeant intellectum, nisi ad Christi gloriam, qua generi humano consulitur, prophetata referantur : quanto magis hoc ? Quod et si talis fuisset Moyses, ut aliud corde intuens, id ore funderet; facilius eum dicerem prophetasse nescientem, quam cum audirem populo Judæorum dictum, *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ*, de Christo prophetatum negarem. Neque enim hoc intuebatur animo Caiphas, quod ex verbis ejus intellectum est, cum Christum ut inimicum persequens, ait expedire ut unus homo moreretur, ne periret tota gens. Ubi Evangelista subjecit, hoc eum non a se dixisse, sed cum esset pontifex prophetasse (*Joan.* xi, 49 51). Sed Moyses non erat Caiphas : quare illud quod populo Hebræo dixit, *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ;* non solum de Christo dixit, quod etsi nesciens dixisset, de nullo alio dixisse deberet intelligi; verum etiam sciens dixit. Erat enim fidelissimus dispensator prophetici sacramenti, id est, illius sacerdotalis chrismatis, unde Christi nomen agnoscimus : in quo sacramento, quamvis homo pessimus, Caiphas etiam nesciens potuit prophetare. Hoc quippe in eo egit propheticum chrisma, ut prophetaret : hoc autem vita impia, ut nesciens prophetaret. Quo itaque ore dicitur nihil de Christo prophetasse Moyses, a quo illud chrisma cœpit, unde Christi nomen innotuit, et unde Christum etiam persecutor Christi vel nesciens prophetavit ?

CAPUT XXIV. —Nam de maledicto pendentis in ligno, jam quantum satis visum est, supra diximus. Interficiendum autem esse prophetam sive principem populi, qui filios Israel a Deo suo vellet avertere, aliquodve infringere mandatorum, non adversus Christum præcepisse Moysen, et ex his quæ jam multa egimus, satis clarum est, et magis magisque consideranti dicta et facta Domini nostri Jesu Christi, magis magisque clarebit : quia nec a suo Deo voluit quemquam eorum Christus avertere. Deus quippe, quem illis Moyses diligendum colendumque præcepe-rat, ipse est certe Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, quem Dominus Jesus Christus eadem commendatione commemorat, ejusque auctoritate Sadducæorum refellit errorem resurrectionem negantium, ubi ait, *De resurrectione autem mortuorum non legistis quid Deus locutus sit de rubo ad Moysen, Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* xxii, 31, 32, *et Luc.* xx, 37, 38) : *omnes enim illi vivunt.* Opportune itaque eadem voce nunc convincuntur Manichæi, qua tunc convicti sunt Sadducæi : nam et ipsam resurrectionem alio quidem modo, sed tamen etiam isti negant. Item cum fidem Centurionis laudans diceret, *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel;* adjecit et ait, *Dico autem vobis, quoniam multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ibunt in tenebras exteriores* (*Matth.* viii, 10-12). Si ergo, quod negare Faustus non potest, non commendavit Moyses populo Israel Deum, nisi Deum Abraham, et Isaac, et Jacob, eumque ipsum Christus ex his et aliis testimoniis sine dubitatione commendat; non est conatus illum populum avertere a Deo suo : sed ideo minatus est eos ituros in tenebras exteriores, quod aversos videret a Deo suo, in cujus regno Gentes vocatas ex toto orbe terrarum, recubitu-ras dicit cum Abraham, et Isaac, et Jacob : non ob aliud, quam quod fidem, tenuissent Dei Abraham, et Isaac, et Jacob. Unde et Apostolus dicit, *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ dicens, In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Galat.* iii, 8); ut illi scilicet in semine Abrahæ benedicerentur, qui Abrahæ fidem imitarentur. Non igitur Christus Israelitas a Deo suo volebat avertere, sed eos potius quod ab illo averterentur arguebat. Mandatorum autem aliquod eorum quæ per Moysen data sunt, infregisse Dominum qui arbitratur, non mirum si hoc putat quod Judæi : sed ideo errat, quia in hoc erraverunt et Judæi. Ubi autem Faustus commemorat ipsum mandatum, quod Dominum infregisse vult credi, ibi opus est ut ostendamus quomodo fallatur, sicut jam supra, ubi oportebat, ostendimus. Nunc illud dico, quia si aliquod illorum mandatorum Dominus infregisset, non etiam de hoc ipso Judæos arguisset : quibus calumniantibus quod discipuli ejus illotis manibus manducarent, et ob hoc excederent, non mandatum Dei, sed traditiones seniorum, ait illis, *Utquid et vos transgredimini mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis?* Ipsumque Dei mandatum commemorat, quod per Moysen mandatum esse novimus. Secutus quippe ait, *Deus enim dixit, Honora patrem et matrem; et, Qui maledixerit patri aut matri, morte morietur*[1]. *Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quod est ex me, proderit*[2], *non honorabit patrem suum : et irritum fecistis verbum Dei propter vestram traditionem* (*Matth.* xv, 3-6). Qua in re videte quam multa nos doceat, et Judæos a Deo suo se non avertere; et ejus mandata non tantum se non infringere, verum etiam illos a quibus infringerentur, arguere; et non nisi Deum per Moysen ista mandasse.

CAPUT XXV. — Quamobrem quoniam nos credimus omnia quæ scripsit Moyses, ad Christi commendationem pertinere, quod isto opere quia demonstrare non possumus, polliciti sumus in iis hoc ostendere, quæ Faustus de illa scriptura refellenda vel vituperanda delegerit, recte a nobis debitum exigitur, ut hoc etiam, quod præcepit Moyses interficiendum esse prophetam sive principem, qui eos a Deo suo vellet avertere, aliquodve infringere mandatorum, ostendamus ad custodiendam fidem, quæ in Ecclesia Christi discitur, pertinere. Videbat quippe ille spiritu

[1] Am. Fr. et Cisterciensis Ms., *morte moriatur*.

[2] Fr. Lugd. et Ven.: *Munus quod est ex me tibi prosit.* Vulgata, *munus quodcumque est ex me tibi proderit.* M.

prophetico et Deo sibi loquente, multos exsurrecturos hæreticos diversorum errorum magistros adversum doctrinam Christi, qui non eum Christum prædicarent qui verus est Christus. Ille enim verus est, qui per prophetias, per eumdem Moysen cæterosque sanctos ejus gentis editas, prænuntiatus est. Quisquis itaque alium docere vellet, ipsum interficiendum Moyses præcipiebat. Quid autem nunc aliud agit lingua catholica, nisi ut spirituali gladio utriusque Testamenti acie bis acuto interficiantur omnes qui nos a Deo nostro volunt avertere, aliquodve infringere mandatorum? Inter quos præcipue cadit ipse Manichæus, cum ejus error asserta Legis et Prophetarum veritate perimitur, volentis nos avertere a Deo nostro, Deo Abraham, et Isaac, et Jacob, quem Christus commendat; et volentis infringere mandata Legis, in quorum etiam figuris Christum prophetatum esse cognoscimus.

CAPUT XXVI. — Jam vero illam complexionem utrum obtusissimam [1] an fraudulentissimam dicam, nescio; erat enim Fausto ingenium: unde magis arbitror eum nebulam injicere voluisse minus attento lectori, quam non vidisse quod dicam [2]: ait enim, *Quod si hæc de Christo minime scripsit, aut alia dabitis, aut nulla erunt.* Hæc propositio vera est, sed consequens erat ut ostenderet et hæc de Christo minime scripta esse, et alia dari non posse. Nihil autem horum fecit: quia et hæc nos ostendimus, quomodo de Christo accipi possint; et superius alia multa dedimus, quæ nisi de Christo intellectum habere non possint. Non est ergo cur concludas, Fauste, nulla esse a Moyse scripta de Christo. Attende enim quid dicas: *Quod si hæc*, inquis, *minime de Christo scripsit, aut alia dabitis, aut nulla erunt.* Verum dicis. Proinde, quia et hæc de Christo, vel propter Christum scripta docuimus, et alia multa dedimus, argumentatio tua potius nulla erit. Et hæc quidem quæ commemorasti, quamvis non obtinueris, saltem conatus es ostendere non esse scripta de Christo. Quod autem subdidisti, *Aut alia dabitis, aut nulla erunt;* prius demonstrare debuisti, alia nos dare non posse, ut securus inferres nulla esse. Nunc vero tanquam libellus tuus surdos auditores vel cæcos lectores esset habiturus, ut nullus adverteret quid prætermiseris, cucurristi dicere: *Si nulla fuerint, nec Christus potuit asseverare quod nusquam est; ita, si Christus hoc minime asseveraverit, capitulum hoc falsum esse constiterit.* O hominem se cogitantem dictorem, et alium non cogitantem contradictorem! Ubi est acumen tuum? An in mala causa non posses aliter? Sed mala causa te vana loqui coegit: malam vero habere causam nemo te cogit. Quid si enim alia dabimus? Certe utique non erunt nulla, quia erunt aliqua. Et si erunt aliqua, potuit Christus hoc asseverare quod est. Ita, si Christus hoc asseverare potuit, capitulum illud evangelicum falsum esse non constat. Redi ergo ad propositionem tuam, qua dixisti, *Aut alia dabitis, aut nulla erunt;* et vide non te ostendisse nulla nos alia daturos. Vide etiam quam multa alia jam supra dederimus, et quid hinc conficiatur adverte; scilicet non esse falsum, quod in Evangelium Christum dixisse legimus, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit.* Et Evangelii quidem tam eminens est auctoritas et tam fundata veritas, ut etiamsi nos propter tarditatem intelligentiæ nostræ nulla inveniremus a Moyse scripta de Christo, non solum esse aliqua, sed ad Christum omnia pertinere quæ scripsit, quia non ait, Et de me scripsit; sed, *De me ille scripsit;* credere deberemus. Nunc autem etsi de isto Evangelii capitulo, quod absit, dubitandum esset, compertis tam multis in scriptura Moysi de Christo testimoniis, omnis illa dubitatio tolleretur: et quia de capitulo Evangelii dubitandum non est, etiamsi illa comperta non essent, esse tamen credi oporteret.

CAPUT XXVII. — Nam illud quod adjungis, *dissimilem fuisse traditionem Christi atque Moyseos; et ideo non fuisse verisimile, ut si crederent Moysi, crederent et Christo; imo illud potius esse consequens, ut si alteri Judæi crederent, alteri necessario repugnarent;* non utique diceres, si considerationis oculum paululum attolleres, orbemque terrarum sine contentionis cæcitate conspiceres in hominibus doctis atque indoctis, Græcis et Barbaris, sapientibus et insipientibus, quibus se debitorem dicebat Apostolus (*Rom.* I, 14), et Moysi et Christo simul credentem. Si ergo non erat verisimile ut Judæi Moysi et Christo pariter crederent, multo minus verisimile est ut orbis terrarum Moysi et Christo pariter credat. Cum vero videamus omnes gentes utrique credere, et illius prophetiam cum Evangelio hujus convenientem fide robustissima et celeberrima retinere, non ad aliquid impossibile gens una vocabatur, cum ei diceretur, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi:* potiusque est miranda et vehementius arguenda duritia Judæorum, qui hoc non fecerunt, quod totum mundum fecisse conspicimus.

CAPUT XXVIII. — Nam quidquid dicis de sabbato, et de circumcisione carnis, et de differentia ciborum, aliam fuisse traditionem Moysi, aliud per Christum didicisse Christianos; jam supra ostendimus quia, sicut dicit Apostolus, *Hæc omnia figuræ nostræ fuerunt* (I *Cor.* X, 6). Non ergo diversa doctrina est, sed diversum tempus. Aliud enim erat, quo hæc oportebat per figuratas prophetias prænuntiari; et aliud est, quo hæc jam oportet per manifestam veritatem redditamque adimpleri. Sed quid mirum si Judæi carnaliter intelligentes sabbatum, Christo, qui jam hoc spiritualiter insinuabat, repugnaverunt? Tu Apostolo responde, si potes, qui vacationem ipsius diei umbram futuri esse testatur (*Coloss.* II, 16, 17). Sed si illi restiterunt Christo, non intelligentes verum sabbatum, vos ei nolite resistere, et intelligite veram innocentiam. Nam eo ipso loco, ubi præcipue destructor sabbati putatur Jesus, cum discipuli ejus per segetem transeuntes et esurientes vellerent spicas et

[1] In Mss., *obtunsissimam*. Et passim *obtunsus*, pro *obtusus*.
[2] Am et codex unus Vaticanus, *dicat*.

scimus : quod nunc ostendere si velim, nimis longum erit.

CAPUT XXIII.— Unde tantum abest ut hoc quod Faustus commemoravit, propterea non pertineat ad Christum, quia inter cætera maledicta positum est; ut nec ipsa cætera rectum habeant intellectum, nisi ac Christi gloriam, qua generi humano consulitur, prophetata referantur : quanto magis hoc? Quod et si talis fuisset Moyses, ut aliud corde intuens, id ore funderet; facilius eum dicerem prophetasse nescientem, quam cum audirem populo Judæorum dictum, *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ*, de Christo prophetatum negarem. Neque enim hoc intuebatur animo Caiphas, quod ex verbis ejus intellectum est, cum Christum ut inimicum persequens, ait expedire ut unus homo moreretur, ne periret tota gens. Ubi Evangelista subjecit, hoc eum non a se dixisse, sed cum esset pontifex prophetasse (*Joan.* xi, 49-51). Sed Moyses non erat Caiphas : quare illud quod populo Hebræo dixit, *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ;* non solum de Christo dixit, quod etsi nesciens dixisset, de nullo alio dixisse deberet intelligi; verum etiam sciens dixit. Erat enim fidelissimus dispensator prophetici sacramenti, id est, illius sacerdotalis chrismatis, unde Christi nomen agnoscimus : in quo sacramento, quamvis homo pessimus, Caiphas etiam nesciens potuit prophetare. Hoc quippe in eo egit propheticum chrisma, ut prophetaret : hoc autem vita impia, ut nesciens prophetaret. Quo itaque ore dicitur nihil de Christo prophetasse Moyses, a quo illud chrisma cœpit, unde Christi nomen innotuit, et unde Christum etiam persecutor Christi vel nesciens prophetavit?

CAPUT XXIV. —Nam de maledicto pendentis in ligno, jam quantum satis visum est, supra diximus. Interficiendum autem esse prophetam sive principem populi, qui filios Israel a Deo suo vellet avertere, aliquodve infringere mandatorum, non adversus Christum præcepisse Moysen, et ex his quæ jam multa egimus, satis clarum est, et magis magisque consideranti dicta et facta Domini nostri Jesu Christi, magis magisque clarebit : quia nec a suo Deo voluit quemquam eorum Christus avertere. Deus quippe, quem illis Moyses diligendum colendumque præcepe-rat, ipse est certe Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, quem Dominus Jesus Christus eadem commendatione commemorat, ejusque auctoritate Sadducæorum refellit errorem resurrectionem negantium, ubi ait, *De resurrectione autem mortuorum non legistis quid Deus locutus sit de rubo ad Moysen, Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* xxii, 31, 32, *et Luc.* xx, 37, 38) : *omnes enim illi vivunt.* Opportune itaque eadem voce nunc convincuntur Manichæi, qua tunc convicti sunt Sadducæi : nam et ipsam resurrectionem alio quidem modo, sed tamen etiam isti negant. Item cum fidem Centurionis laudans diceret, *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel;* adjecit et ait, *Dico autem vobis, quoniam multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ibunt in tenebras exteriores* (*Matth.* viii, 10-12). Si ergo, quod negare Faustus non potest, non commendavit Moyses populo Israel Deum, nisi Deum Abraham, et Isaac, et Jacob, eumque ipsum Christus ex his et aliis testimoniis sine dubitatione commendat; non est conatus illum populum avertere a Deo suo : sed ideo minatus est eos ituros in tenebras exteriores, quod aversos videret a Deo suo, in cujus regno Gentes vocatas ex toto orbe terrarum, recubituras dicit cum Abraham, et Isaac, et Jacob : non ob aliud, quam quod fidem, tenuissent Dei Abraham, et Isaac, et Jacob. Unde et Apostolus dicit, *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ dicens, In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Galat.* iii, 8); ut illi scilicet in semine Abrahæ benedicerentur, qui Abrahæ fidem imitarentur. Non igitur Christus Israelitas a Deo suo volebat avertere, sed eos potius quod ab illo averterentur arguebat. Mandatorum autem aliquod eorum quæ per Moysen data sunt, infregisse Dominum qui arbitratur, non mirum si hoc putat quod Judæi : sed ideo errat, quia in hoc erraverunt et Judæi. Ubi autem Faustus commemorat ipsum mandatum, quod Dominum infregisse vult credi, ibi opus est ut ostendamus quomodo fallatur, sicut jam supra, ubi oportebat, ostendimus. Nunc illud dico, quia si aliquod illorum mandatorum Dominus infregisset, non etiam de hoc ipso Judæos arguisset : quibus calumniantibus quod discipuli ejus illotis manibus manducarent, et ob hoc excederent, non mandatum Dei, sed traditiones seniorum, ait illis, *Utquid et vos transgredimini mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis?* Ipsumque Dei mandatum commemorat, quod per Moysen mandatum esse novimus. Secutus quippe ait, *Deus enim dixit, Honora patrem et matrem; et, Qui maledixerit patri aut matri, morte morietur*[1]. *Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quod est ex me, proderit*[2], *non honorabit patrem suum : et irritum fecistis verbum Dei propter vestram traditionem* (*Matth.* xv, 3-6). Qua in re videte quam multa nos doceat, et Judæos a Deo suo se non avertere; et ejus mandata non tantum se non infringere, verum etiam illos a quibus infringerentur, arguere; et non nisi Deum per Moysen ista mandasse.

CAPUT XXV. — Quamobrem quoniam nos credimus omnia quæ scripsit Moyses, ad Christi commendationem pertinere, quod isto opere quia demonstrare non possumus, polliciti sumus in iis hoc ostendere, quæ Faustus de illa scriptura refellenda vel vituperanda delegerit, recte a nobis debitum exigitur, ut hoc etiam, quod præcepit Moyses interficiendum esse prophetam sive principem, qui eos a Deo suo vellet avertere, aliquodve infringere mandatorum, ostendamus ad custodiendam fidem, quæ in Ecclesia Christi discitur, pertinere. Videbat quippe ille spiritu

[1] Am. Fr. et Cisterciensis Ms., *morte moriatur.*
[2] Er. Lugd. et Ven.: *Munus quod est ex me tibi prosit.* Vulgata, *munus quodcumque est ex me tibi proderit.* M.

prophetico et Deo sibi loquente, non nos exsurrexturos hæreticos diversorum errorum magistros adversum doctrinam Christi, qui non eum Christum prædicarent qui verus est Christus. Hic enim verus est [illegible] per prophetias, per eumdem Moysen, cæteros [illegible] sanctos ejus gentis [illegible] prænuntiatus est. [illegible] itaque [illegible] docere [illegible] ipsum [illegible] Moyses præcipiebat. Quid autem nunc [illegible] gua catholica [illegible] et spirituali gladio [illegible] stamenti [illegible] a Deo nostro volunt avertere, aliquod [illegible] mandatorum? Inter quos [illegible] Manichæus, cum ejus error [illegible] Legis et Prophetarum veritate [illegible] Deo Abraham, et Isaac, et Jacob [illegible] mendat; et [illegible] quorum etiam [illegible] Christum [illegible] cognoscimus.

CAPUT XXVI. — [illegible] utrum [illegible] nescio [illegible] arbitror [illegible] lectori [illegible] *Quod si hæc de Christo [illegible] tis, aut nulla erunt* [illegible] consequens erat [illegible] nime scripta esse [illegible] horum [illegible] de Christo accipi [illegible] dedimus, quæ [illegible] possint. Non est ergo [illegible] esse a Moyse scripta de Christo [illegible] dicas: *Quod si hæc [illegible] aut alia dubitis, aut nulla erunt.* Verum [illegible] quia et hæc de Christo [illegible] docuimus, et alia multa [illegible] potius nulla erit. Et hæc quidem [illegible] quamvis non [illegible] non esse scripta de Christo. Quod autem [illegible] *Aut alia dubitis, aut nulla erunt* [illegible] debuisti, a [illegible] nulla esse. Nunc vero tanquam [illegible] auditores vel [illegible] adverteret quid [illegible] *nulla fuerint, nec Christus [illegible] quam est; ita, si Christus hæc [illegible] capitulum hoc [illegible]* cogitantem [illegible] traditorem? [illegible] causa non [illegible] loqui coegit: [illegible] cogit. Quid si [illegible] erunt nulla, quia [illegible] potuit Christus hæc [illegible] stus hoc [illegible] cum falsum esse [illegible] tionem tuam, quæ dixisti, *Aut alia dubitis* [illegible]

[1] In Mss., [illegible]
[2] [illegible]

[illegible] Evangelium [illegible] Evangelii [illegible]

CAPUT XXVII. — [illegible]

[illegible] et, [illegible] Vi- [illegible] interro- [illegible] immundas [illegible] rum debere [illegible] apertam suam [illegible] proprie dictum [illegible] tur: *At ille dixit: [illegible] et non intelligitis quia [illegible] trem vadit, et in latrinam [illegible] unt ex ore, de corde exeunt, [illegible] nem? Nam de corde exeunt [illegible] nicidia, adulteria, fornicatio- [illegible] monia, blasphemiæ; hæc sunt quæ [illegible] nem; non lotis autem manibus mandu- [illegible] inicat hominem* (*Matth.* xv, 10-20).

[illegible] XII. — [illegible] manifestata fallacia

[illegible] lib. contra Adi[illegible] cap. 15.

ederent, innocentes eos dixit, respondens Judæis, *Si sciretis quid sit, Misericordiam volo* [1] *quam sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes* (*Matth.* XII, 7). Magis enim esurientium misereri debuerunt, quia hoc illi coacti fame fecerunt. A vobis autem quisquis vulserit spicas, non ex traditione Christi, qui hanc innocentiam vocat, sed ex traditione Manichæi homicida deputatur. An forte misericordiam eisdem spicis exhibuerunt Apostoli, ut inde membra Dei manducando purgarent, sicut vestra fabula est? Vos ergo crudeles, qui hoc non facitis. Sed videlicet novit Faustus destruere sabbatum, quia scit virtutem Dei semper atque infatigabiliter operari. Illi hoc dicant, qui intelligunt Deum sine temporali voluntate universa tempora facientem. Hoc ad vos multum est, qui Dei vestri requiem rebellatione gentis tenebrarum perhibetis excussam, et hostium repentino impetu perturbatam. An ex æterno prævidens hoc futurum, nunquam habuit requiem, quia nunquam securus fuit, qui se cogitabat tam grave bellum cum tanta membrorum suorum labe damnoque gesturum?

CAPUT XXIX. — Cæterum illud sabbatum, quod imperite atque impie deridetis, nisi et ipsum inter prophetias quæ de Christo scriptæ sunt, haberet intellectum, non ei Christus sic attestaretur: qui cum propria voluntate, sicut ipse in ejus laude posuisti, pateretur, ideoque tempora passionis et resurrectionis suæ haberet in potestate, id egit, ut caro ejus in sepultura sabbato requiesceret ab omnibus operibus suis, ut tertio die resurgens, quem dominicum dicimus, qui post sabbatum numeratur octavus, etiam circumcisionem octavi diei ad se prophetandum pertinere declararet. Quid enim significat circumcisio carnis? Quid, nisi exspoliationem mortalitatis, quam de carnali generatione portamus? Propter hoc dixit Apostolus: *Exuens se carnem, principatus et potestate exemplavit, fiducialiter triumphans eos in semetipso* (*Coloss.* II, 15). Quod enim dicit exuisse se carnem, eo loco carnem mortalitatem carnis intelligimus, secundum quam proprie corpus hoc caro nominatur. Quæ mortalitas proprie caro appellata est, quia in illa resurrectionis immortalitate non erit: propterea scriptum est, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*. De quibus verbis soletis calumniari fidei nostræ, qua credimus hujus corporis futuram resurrectionem, quæ in ipso Domino jam præcessit, dissimulantes ea quæ sequuntur, in quibus aperte Apostolus quid dicat exponit. Volens enim ostendere quid eo loco dixerit carnem, continuo subjecit: *Neque corruptio incorruptionem possidebit*. Hoc enim corpus, quod propter mortalitatem proprie caro nominatur, mutari dicit in resurrectione, ut jam non sit corruptibile atque mortale. Quod ne putetur nostra suspicione dici, ipsa ejus quæ sequuntur verba consulite. *Ecce*, inquit, *mysterium dico: omnes quidem resurgemus, non tamen omnes immutabimur. In atomo, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.* XV, 50-53). Ut ergo induatur immortalitate, exuitur mortalitate: hoc est circumcisionis mysterium, quæ octavo die fieri jussa est (*Gen.* XVII, 12), et octavo die, id est, dominico post sabbatum jam in veritate a Domino impleta. Unde dicitur, *Exuens se carnem, principatus et potestates exemplavit*. Per hanc enim mortalitatem nobis invidæ diabolicæ potestates dominabantur: quas exemplasse dictus est, quia in se ipso capite nostro præbuit exemplum, quod in toto ejus corpore, id est, Ecclesia ex diaboli potestate liberanda, in ultima resurrectione complebitur: hæc est fides nostra. Et quoniam, sicut testimonium propheticum Paulus commemorat, *Justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17; *Habac.* II, 4); hæc est justificatio nostra. Mortuum quippe Christum et Pagani credunt: resurrexisse autem Christum, propria fides est Christianorum. *Si enim confitearis*, ait Apostolus, *in ore tuo quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris* (*Rom.* X, 9). Quia ergo ex ista resurrectionis fide justificamur, ideo et illud de Christo apostolicum est, *Quia mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Id.* IV, 25). Et quia ista resurrectio, quæ credita nos justificat, illa octava diei circumcisione figurata est; propterea de ipso Abraham, cui primum tradita est, dicit Apostolus: *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei* (*Ibid.*, 11). Ergo et istam circumcisionem inter alias figuras propheticas de Christo scripsit Moyses: de quo ipse dicit, *De me enim ille scripsit*. Quod autem dicit Dominus, *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare et aridam, facere unum proselytum; et cum feceritis eum, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos estis*: non quia circumciditur, dixit, sed quod eorum mores imitatur, a quibus imitandis cohibet suos, dicens, *Super Cathedram Moysi sedent Scribæ et Pharisæi: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 15, 2, 3). In quibus dominicis verbis utrumque debetis advertere, et quantus honor delatus sit doctrinæ Moysi, in cujus cathedra etiam mali sedentes, bona docere cogebantur; et unde fieret proselytus filius gehennæ, non scilicet a Pharisæis verba legis audiendo, sed eorum facta sectando. Hoc ergo dici posset tunc proselyto circumciso, quod Paulus dicit: *Circumcisio quidem prodest, si legem custodias* (*Rom.* II, 25). Quia vero ille in non custodienda lege Pharisæos imitabatur, fiebat filius gehennæ: propterea, quantum arbitror, duplo quam ille, quia hoc negligebat implere quod propria voluntate susceperat, non ex Judæis natus, sed sponte Judæus factus.

CAPUT XXX. — Quid autem dicere voluisti, sine respectu injuriose, quod *Moyses helluonis in modum disceptator sedet, jubetque alia quidem abluviri pro mundis, alia vero pro immundis ne contingi quidem?*

[1] Lov., *misericordiam malo*. Editi vero alii et Mss., *misericordiam volo quam sacrificium*: juxta græcum, Osee, cap. 6.

cum ad helluonem hoc magis pertineat, ut nulla discernat; aut si discernit, suaviora eligat. An hoc ideo dicis, ut imperitis continentia tua velut ab ineunte ætate miranda videatur, quasi nescientis, vel jam obliti, quanto jucundius sapiat porcina, quam vervecina? Sed quia et ista Moyses figuris propheticis de Christo scripsit, in animalium carnibus significans homines, vel incorporandos Christi corpori, quod est Ecclesia; vel respuendos; vos quoque inter immunda figuravit, qui propterea fidei catholicæ non convenitis, quia nec ruminatis verbum sapientiæ, et duo Testamenta, Vetus et Novum, non concorditer distinguentes tanquam geminam ungulam non habetis. Quis autem ferat te quoque Adimanti vestri fallaciam non puduisse sectari?

CAPUT XXXI. — Dicis enim et tu, *Christum sic docuisse ciborum indifferentiam, ut a suis quidem discipulis omnes carnes penitus removeret, sæcularibus vero vulgo concederet omnia quæ possent edi; atque asseveraret quod eos nihil in os intrans polluere, quia quæ de ore impudenter procedunt, ea sola sunt quæ polluant hominem.* Hæc verba tua sunt, tanto impudentiore, quanto apertiore mendacio deprompta et expressa. Primo quia secundum Christi sententiam, si ea sola polluunt hominem, quæ mala ex ore procedunt; cur et discipulos Christi non ea sola polluerunt, ut non eos [1] tanquam ab immundis carnibus esset necesse prohiberi? An sæculares homines non polluuntur his quæ in os intrant, sed his quæ ex ore exeunt? Ergo mundiliores sunt adversus immunditiam quam sancti, si sanctos et ea quæ intrant, et ea quæ exeunt possunt inquinare. Vellem autem isti mihi dicerent, quid manducabat et bibebat Christus, qui in comparatione Joannis non manducantis neque bibentis, se dixit manducantem et bibentem? Cum enim argueret perversitatem hominum, utrobique calumnias inquirentium, *Venit enim*, inquit, *Joannes non manducans neque bibens, et dicunt, Dæmonium habet: venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt, Ecce homo vorax et vinarius* [2], *amicus publicanorum et peccatorum* (*Matth.* XI, 18, 19). Et Joannis quidem escam et potum novimus: non enim dictum est quod omnino non biberet; sed quod vinum et siceram non biberet (*Luc.* I, 15): bibebat ergo aquam. Cibus autem ejus non omnino nullus erat, sed locustæ et mel silvestre (*Matth.* III, 4). Unde ergo dictus est *non manducans neque bibens*, nisi quia illo victu quo Judæi utebantur, ille non utebatur? Hoc ergo Dominus nisi uteretur, non in ejus comparatione *manducans bibensque* diceretur. An forte ideo quia pane et oleribus Dominus vescebatur, quibus Joannes non vescebatur? Mirum si *non manducans* dicitur, qui locustas et mel comedit; et *manducans* dicitur, qui pane atque olere contentus est. Sed de cibis suspicamini quidquid vultis; certe *bibens et vinarius* [3] non diceretur, nisi vinum biberet: cur ergo et hoc vos immundum putatis? Neque enim hæc propter continentiam disciplinamque domandi corporis tangere prohibetis, sed quod immunda sint: nam ea sordes et fel gentis tenebrarum esse perhibetis, contra Apostolum dicentem, *Omnia munda mundis* (*Tit.* I, 15). Ecce qui audent dicere Christum indifferentiæ ciborum magistrum, discipulos tamen suos ab iis prohibuisse, quæ immunda ipsi putant. Ostendite ubi ista a discipulis suis removerit, fallaces, improbi; verumtamen Dei vindicis providentia ita cæcati, ut etiam commoneatis nos unde convincamini. Nam vim patior ab animo meo, nisi totum ipsum Evangelii capitulum, quod iste adversum Moysen opponere voluit, inspiciendum inseruero: ut ibi videamus quam falsum sit, quod prior Adimantus, et modo Faustus dixit, Dominum Jesum a discipulis suis carnes vescendas removisse, easque vulgo sæcularibus concessisse (*a*). Nempe cum respondisset calumniantibus quod non lotis manibus manducarent, ita sequitur Evangelium: *Et convocatis turbis, ait illis, Audite et intelligite. Non quod intrat in os, communicat hominem; sed quod procedit de ore, communicat hominem. Tunc accedentes discipuli, dixerunt ad eum: Scis quod Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* Hic certe a discipulis compellatus, debuit eos, sicut isti volunt, proprie docere ab omnibus carnibus abstinendum, ut illud quod supra dixit, *Non quod intrat in os, communicat hominem; sed quod procedit de ore*, turbis dixisse videretur. Sequatur ergo Evangelista, et dicat quid jam non turbis, sed discipulis responderit Dominus. *At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt duces cæcorum. Cæcus autem si cæcum ducat, ambo in foveam cadunt.* Hoc utique ideo, quia traditiones suas volentes statuere, mandata Dei non intelligebant. Sed nondum quæsierant discipuli a Magistro, quomodo ipsi quod turbis dixerat, accipere deberent. Ecce et hoc fit: nam contexit Evangelista, et dicit, *Respondens autem Petrus, ait illi: Narra nobis parabolam istam.* Hinc intelligimus Petrum putasse, non proprie, nec aperte Dominum locutum fuisse cum diceret, *Non quod intrat in os, communicat hominem; sed quod procedit de ore:* sed, ut solet, obscuritate parabolæ aliquid significare voluisse. Videamus ergo utrum jam secretius discipulis interrogantibus hoc dicat, quod Manichæi volunt, immundas esse omnes carnes, nec eos aliquid earum debere contingere. Quid, quod exprobrat quod apertam suam locutionem nondum intellexerint, et proprie dictum parabolam putent? Sic enim sequitur: *At ille dixit: Adhuc et vos insipientes estis, et non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in latrinam emittitur: quæ autem procedunt ex ore, de corde exeunt, et illa communicant hominem? Nam de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc sunt quæ communicant hominem: non lotis autem manibus manducare, non communicat hominem* (*Matth.* XV, 10-20).

CAPUT XXXII. — Certe jam manifestata fallacia

[1] Editi, *ut eos*; omissa negante particula, quam ex probæ notæ Mss. addidimus.

[2] Er. Lugd. et Ven., *vinaria*. M.

[3] Er. Lugd. et Ven. *vinaria*. M.

(*a*) Supra, lib. contra Adimantum, cap. 15.

convicta discedit : certe jam clarum est, non aliud hac de re turbas, aliud secreto discipulos Dominum docuisse : certe sine dubitatione perspicitur Manichæos potius esse mendaces atque fallaces, non Moysen, non Christum, non Testamenti utriusque doctrinam ibi figuratam, hic revelatam ; ibi prophetatam, hic præsentatam. Quomodo ergo nihil eorum Catholicos servare putant, quæ Moyses scripsit, cum omnia prorsus observent ; non jam in figuris, sed in eis rebus quas illæ figuræ significando prænuntiarunt ? Neque enim, si aliud tempus esset scribendi, aliud legendi, recte diceremus Scripturam illam non observare lectorem, quia et ipse characteres illos non faceret : cum illi fuissent figuræ sonorum, ille autem jam sonos ipsos expromeret, illarum tamen figurarum non formatione occupatus, sed inspectione commonitus. Ideo autem Judæi Christo non credebant, quia nec illa quæ Moyses non figurate, sed aperte præceperat, observabant. Unde illis dicit : *Decimatis mentham et cyminum, et reliquitis graviora Legis, misericordiam et judicium ; liquantes culicem, camelum autem glutientes : hæc oportebat facere, illa autem non omittere* (*Matth.* XXIII, 23, 24). Unde est et illud, quod traditionibus suis docebant quomodo infirmaretur præceptum Dei, quo deferri honorem parentibus jusserat ; propter quam superbiam et iniquitatem excæcari meruerunt, ut cætera non intelligerent : quia ea quæ intelligebant, impie contemnebant.

CAPUT XXXIII. — Videsne quam tibi non dicam [1], Si Christianus es, crede dicenti Christo quia de se scripsit Moyses ; quod si non credis, Christianus non es ? Ipse quippe videris quid de te sentias, qui te ut Gentilem vel Judæum doceri de Christo expetis : ego tamen neque hoc defugi, et omnes tibi aditus erroris quantum potui clausi. Nec illud sivi patere præcipitium, qua vos cæci mittitis, dicentes falsa esse in Evangelio, sicubi vestra hæresis exitum non invenerit : ut vobis nihil remaneat, quo redire possitis, unde Christo credatis, ubi vobis hæc vox pestilentiæ non possit opponi. Quin etiam sic te doceri cupis, ut christianum Thomam, quem Christus *de se dubitantem non est aspernatus, sed quo animi ejus vulneribus mederetur, corporis sui cicatrices ostendit.* Ilæc verba tua sunt. Bene quod sic te doceri exigis. Quam enim verebar ne hoc quoque in Evangelio falsum esse contenderes ! Crede ergo cicatricibus Christi : quia si cicatrices illæ veræ erant, vera etiam illa vulnera fuerant ; nec vera vulnera, nisi vera caro habere potuisset : hoc verum totum vestrum evertit errorem. Porro, si Christus falsas cicatrices dubitanti discipulo demonstravit, et ipsum fallacem dicis ita docentem, et te falli cupis ita discentem. Sed quia falli nemo est qui velit, fallere autem multi volunt, magis te velle intelligo quasi exemplo Christi fallaciter docere, quam exemplo Thomæ fallaciter discere. Proinde, si credis quod falsis cicatricibus Christus fefellerit dubitantem, te quis velit credere docentem, ac non potius cavere fallentem ? At si ille discipulus veras cicatrices tetigit Christi, veram confiteri cogeris et carnem Christi. Ita Manichæus non permanebis, si sic credas ut Thomas : infidelis autem remanebis, si nec sic credis ut Thomas (*Joan.* XX, 27, 28).

[1] Sic Mss. Editi vero Er. et Lov. : *Vides, nequaquam tibi nunc dicam.* Minus recte.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Cur Legem non accipitis et Prophetas, cum Christus eos non se venisse solvere dixerit, sed adimplere (*Matth.* V, 17) ? Quis hoc testatur dixisse Jesum ? Matthæus. Ubi dixisse ? In monte. Quibus præsentibus ? Petro, Andrea, Jacobo et Joanne, quatuor his tantum : cæteros enim necdum elegerat, nec ipsum Matthæum. Ex his ergo quatuor unus, id est Joannes, Evangelium scripsit ? Ita. Alicubi hoc ipse commemorat ? Nusquam. Quomodo ergo quod Joannes non testatur qui fuit in monte, Matthæus hoc scripsit qui longo intervallo, postquam Jesus de monte descendit, secutus est eum ? Ac per hoc de hoc ipso primo ambigitur, utrum Jesus tale aliquid dixerit, quia testis idoneus tacet, loquitur autem minus idoneus : ut interim permiserimus nobis injuriam fecisse Matthæum, donec et ipsum probemus hæc non scripsisse, sed alium nescio quem sub nomine ejus : quod docet et ipsa lectionis ejusdem Matthæi obliqua narratio. Quid enim dicit ? *Et cum transiret Jesus, vidit hominem sedentem ad telonium, nomine Matthæum, et vocavit eum : at ille confestim surgens, secutus est eum* (*Id.* IX, 9). Et quis ergo de se ipso scribens, dicat, *Vidit hominem, et vocavit eum, et secutus est eum ;* ac non potius dicat, Vidit me, et vocavit me, et secutus sum eum : nisi quia constat hæc Matthæum non scripsisse, sed alium nescio quem sub ejus nomine ? Cum ergo ne quidem si et Matthæus hoc scriberet, verum foret ; quia præsens non erat cum Jesus hæc loquebatur in monte : quanto magis credendum non erit, quia nec Matthæus eadem scripsit, sed alius sub nominibus et Jesu et Matthæi ?

CAPUT II. — Quid, quod etiam ex ipso sermone, quo præcipit non putare quia venerit Legem solvere, magis intelligi detur quia solverit ? Neque enim nihil eo tale faciente Judæi suspicari hoc possent. Sed, *Nolite*, inquit, *putare quia veni solvere Legem.* Agedum ergo, si ei et Judæi dixissent, Quid porro autem tu tale agis, unde hoc suspicari possimus ? An quia circumcisionem derides, sabbatum violas, sacrificia respuis, confundis cibos ? Hoc est ergo, *Nolite putare.* Et quid hoc amplius, quidve manifestius fieri potuit in destructionem Legis ac Prophetarum ? Aut si hoc adimplere est Legem, quid erit solvere ? Quid, quod

etiam Lex et Prophetæ ne adimpletione[1] quidem gaudent, adeo sibi pleni videntur et consummati, quorum auctor ac pater non minus eis adjici indignatur, quam detrahi, ut scribens in Deuteronomio dicat, *Hæc præcepta quæ mando tibi hodie, Israel, observabis; et cave ne declines ab iisdem, neque in sinistram, neque in dexteram; nec addas quidquam eis, nec minuas: sed in iisdem perseverabis, ut benedicat te Deus tuus* (*Deut.* v, 32, *et* xii, 32)? Quapropter, sive adimplendi causa Jesus Legi aliquid et Prophetis adjecit, in dexteram videtur lapsus; sive dempsit ut destrueret, in sinistram; utrumque certe offendit Legis auctorem: idcircoque aut aliud aliquid significat Istud, aut falsum est.

CAPUT III. — Augustinus respondit: O mirabilem insaniam[2], de Christo aliquid narranti nolle credi Matthæo, et velle credi Manichæo! Si Matthæus non interfuit, cum Christus dixisset, *Non veni solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere* (*Matth.* v, 17); et propterea non est ei credendum: numquid Manichæus interfuit, aut jam vel natus fuit, cum Christus inter homines appareret? Secundum ergo hanc fidei vestræ legem, nihil ei de Christo testificanti credere debuistis. Nos autem non propterea dicimus non credendum esse Manichæo, quia dictis factisque Christi non interfuit, et longe post natus est; sed quia de Christo contra Christi discipulos loquitur, et contra Evangelium quod illorum auctoritate firmatum est. Habemus enim Apostoli vocem, qui in Spiritu sancto tales venturos esse cernebat. Unde fidelibus dicebat: *Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* i, 9). Nam si nemo de Christo vera dicit, nisi qui eum præsens vidit et audivit, hodie de illo nemo vera dicit. Porro si hodie propterea de illo fidelibus ejus vera dicuntur, quia illi qui viderunt et audierunt, vel prædicando vel scribendo ea disseminaverunt; cur ex ore Joannis condiscipuli sui non posset vera Matthæus audire de Christo, ubi ille adfuit, et ipse non adfuit, si ex libro Joannis possumus vera loqui de Christo, non solum nos tanto post nati, sed etiam post nos alii nasciturі? Hinc enim non solum Matthæi, verum etiam Lucæ ac Marci Evangelium, qui eosdem discipulos secuti sunt, in non imparem auctoritatem receptum est. Huc accedit, quia et ipse Dominus potuit narrare Matthæo, quod antequam eum vocasset, cum iis egerat quos prius vocaverat. At enim hoc ipse Joannes in Evangelio suo ponere debuit, si hoc dictum a Domino audierat, qui, cum diceretur, præsens erat? Quasi fieri non potuerit ut cum omnia quæ a Domino audierat, scribere non posset, inter alia quæ prætermisit, et hoc prætermiserit, cum in alia scribenda esset intentus. Nonne Evangelium suum ita ipse conclusit, dicens, *Et alia quidem multa fecit Jesus, quæ si scriberentur singula, nec ipsum existimo capere mundum qui scriberentur libros* (*Joan.* xxi, 25)? Hic utique ostendit se scientem multa prætermisisse. Sed si de Lege et Prophetis vos delectat Joannis auctoritas, Joanni credite attestanti Legi et Prophetis. Ipse scripsit quod Isaias viderit Christi gloriam (*Joan.* xii, 41). In ejus habetis Evangelio, unde jam paulo ante tractavimus: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Id.* v, 46). Undique tergiversatio vestra contunditur. Aperte dicite non vos credere Christi Evangelio: nam qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.

CAPUT IV. — At quam elegantem rem sibi visus est Faustus dicere, ubi propterea voluit non credi hæc scripsisse Matthæum, quia cum de sua electione diceret, non ait, Vidit me, et dixit mihi, Sequere me; sed, *Vidit Matthæum, et dixit ei, Sequere me* (*Matth.* ix, 9): quod nescio utrum de errore imperitiæ dixerit, an de more fallaciæ. Sed non usque adeo imperitum putaverim, ut nec legerit, nec audierit, solere scriptores rerum gestarum, cum in suam personam venerint, ita se contexere, tanquam de alio narrent, quod de se narrant. Magis ergo hunc arbitror non ut imperitum, sed ut imperitis nebulam obtendere voluisse, sperantem se plures esse captu rum, qui ista non nossent. Et in historia quidem rerum sæcularium talis narrationis reperiuntur exempla: sed non opus est ut ex alio genere litterarum vel nostros admoneam, vel istum refellam. Ipse certe paulo ante de libris Moysi quædam testimonia ita proferebat, ut non ea negaret scripsisse Moysen, imo et affirmaret, sed ad Christum non pertinere contenderet. Legat ergo in eisdem libris, quæ de se scripsit Moyses, utrum ita scripserit, Dixi, aut, Feci hoc vel illud; et non potius, *Dixit Moyses* (*Exod.* iii, 3), et, *Fecit Moyses* (*Id.* vii, 6): aut, Vocavit me Dominus, vel, Dixit ad me Dominus; et non potius, *Vocavit Dominus Moysen* (*Levit.* i, 1), et, *Dixit Dominus ad Moysen* (*Exod.* iv, 19): et omnia cætera in eumdem modum. Ita ergo et Matthæus de se tanquam de alio scripsit: quod et Joannes fecit; nam circa finem libri sui etiam ipse sic loquitur: *Conversus Petrus vidit discipulum quem diligebat Jesus, qui et recumbebat in cœna super pectus ejus, et dixerat Domino, Quis est qui te tradet?* Numquid et hic dixit, Conversus Petrus vidit me? An forte propterea nec istum putant hoc Evangelium scripsisse? Sed paulo post dicit: *Hic est discipulus qui testificatur de Jesu, et qui hæc scripsit; et scimus quia verum est testimonium ejus* (*Joan.* xxi, 20, 24), Numquid ait, Ego sum discipulus qui testificor de Jesu, et qui hæc scripsi; et scimus quia verum est testimonium meum? Certe manifestum est hunc morem fuisse scriptorum, cum gesta narrarent. Quam multa et ipse Dominus eadem locutione de se dicit, quis enumerare sufficiat? *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis, putas, inveniet fidem in terra* (*Luc.* xviii, 8)? non dixit, Cum venero, putas, inveniam? Et, *Venit Filius hominis manducans et bibens* (*Matth.* xi, 19): non dixit, Veni. Et, *Veniet hora, et nunc est, cum mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent* (*Joan.* v, 25): non dixit, Vocem meam: et multa hujusmodi. Unde jam puto sufficere quæ dicta

[1] Lov. ex Belgicis aliquot Mss., *ne adimpletione tua.*
[2] Quidam Mss.: *O miserabilem insaniam!*

sunt, et ad studiosos commonendos, et ad calumniosos convincendos.

CAPUT V. — Jam illud quam sit infirmum, quis non videt, quod ait, non enim dicere potuisse, *Nolite putare quia veni solvere Legem aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere:* nisi aliquid tale jam fecisset, ut in hanc suspicionem posset venire? Quasi nos negemus Judæis non intelligentibus videri potuisse Christum destructorem Legis et Prophetarum: sed hoc ipsum est cur ille verax et veritas non potuerit de alia Lege et de aliis Prophetis dicere, quod eos non solveret, nisi de iis quos illi eum solvere suspicabantur. Quod hinc etiam satis confirmatur, quia ibi sequitur, et dicit: *Amen, amen dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non transiet de Lege, donec omnia fiant. Quicumque ergo solverit unum ex mandatis istis mininis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: quicumque autem fecerit, et sic docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Pharisæos enim cogitabat, cum ista diceret, qui solvebant Legem factis, et docebant verbis. De quibus alio loco dicit: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 3). Propterea et hic ita sequitur: *Dico enim vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Id.* V, 17-20): id est, nisi vos feceritis et ita docueritis, quod illi non faciunt et sic docent, non intrabitis in regnum cœlorum. Quam ergo Legem docebant Pharisæi et non faciebant, ipsam dicit Christus non se venisse solvere, sed adimplere: quia ipsa pertinet ad cathedram Moysi, in qua sedentes Pharisæi, et dicentes nec facientes, audiendi sunt, non imitandi.

CAPUT VI. — Nec intelligit Faustus, aut forte se fingit non intelligere, quid sit implere Legem; cum hoc de verborum adjectione putat accipiendum, quia scriptum est, ne quid addatur Scripturæ Dei, vel detrahatur (*Deut.* XII, 32): unde dicit non debuisse adimpleri, quod ita perfectum commendatur, ut nihil addendum minuendumque sit. Nesciunt ergo isti quomodo adimpleat Legem, qui sic vivit ut Lex præcepit. *Plenitudo* enim *Legis charitas*, sicut dicit Apostolus (*Rom.* XIII, 10). Istam charitatem Dominus et exhibere et donare dignatus est, mittendo fidelibus suis Spiritum sanctum. Unde item dicit idem apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Id.* V, 5). Et ipse Dominus: *In hoc scient omnes quia discipuli mei estis, si vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 35). Impletur ergo Lex, vel cum fiunt quæ ibi præcepta sunt, vel cum exhibentur quæ ibi prophetata sunt. Lex enim per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Id.* I, 17). Ipsa Lex cum impleta est, gratia et veritas facta est. Gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum implectionem. Et quia utrumque per Christum, ideo non venit solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere: non ut Legi adderentur quæ deerant, sed ut fierent quæ scripta erant: quod ipsa ejus verba testantur. Non enim ait, *Iota unum, aut unus apex non transiet a Lege*, donec addantur quæ desunt; sed, *donec omnia fiant.*

LIBER DECIMUS OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit: *Non veni Legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* V, 17). Sed enim hoc, nisi aliud forte significat, a Christo dictum credere, non minus tibi contrarium scias esse, quam mihi. Uterque enim nostrum sub hac opinione christianus est, quia Christum in destructionem Legis ac Prophetarum venisse putavimus. Quod si tu verbo interim fateri non vis, attamen id operibus indicas. Inde enim est quod Legis ac Prophetarum præcepta et ipse contemnis: inde quod Novum Testamentum Jesum condidisse utrique fatemur: quo quid aliud, quam destructionem fatemur Veteris Testamenti? Quæ cum ita sint, quomodo Christum illud dixisse credemus, nisi ante nosmetipsos damnemus stultæ in præteritum opinionis, et ad pœnitudinem recurramus, obsequamurque Legi de integro ac Prophetis, atque eorum curemus, qualiacumque sint, observare mandata? Quod cum fecerimus, tunc denique vere crediderimus dixisse Jesum quia non venerit Legem solvere, sed adimplere. Nunc autem falsum est, quia nec tu id credis, de quo me solum incusas.

CAPUT II. — Sed esto, licuerit in præteritum errasse. Quid nunc tandem? Placetne ire sub Legem, si eam Christus non tam [1] solvit, sed adimplevit? Placet circumcidi, id est, pudendis insignire pudenda, et Deum credere sacramentis talibus delectari? placet suscipere sabbatorum otium, et Saturniacis manus insertare catenis? Placet ad ingluviem Judæorum dæmonis (neque enim Dei [2]) nunc tauros, nunc arietes, nunc etiam hircos, ut non et homines dicam, cultris sternere: ac propter quod idola sumus exosi, id nunc exercere crudelius sub Prophetis ac Lege? Placet denique feralium ciborum quædam existimare munda, quædam in immundis et contaminatis habere, ex quibus inquinatiorem porcinam Lex asserunt et Prophetæ? Negabis profecto horum quidquam faciendum nobis volentibus perseverare esse quod sumus: quoniam quidem Christum dicentem audias, dupliciter filium gehennæ fieri eum qui fuerit circumcisus (*Matth.* XXIII, 15). Sabbatum vero nec ipsum servasse videas, nec usquam mandasse servandum. De cibis item ipsum asseverantem audias, nullo eorum inquinari hominem, quæ in os ingrediuntur, sed ea potius quæ de

[1] Forte, *jam.*
[2] Sic meliores Mss. At Lov., *in ingluviem Judæorum Læmonis, neque enim Deo.*

ore procedunt polluere (*Matth.* xv, 11). De sacrificiis item frequentem ipsius esse sermonem, Deum misericordiam velle, non sacrificium (*Id.* ix, 13, *et* xii, 7). Hæc igitur si ita sunt, ubi illud erit, non eum venisse solvere Legem et Prophetas, sed adimplere? Quod si dixit, aut aliud significans dixit, aut, quod absit, mentiens dixit, aut omnino nec dixit. Sed Jesum quidem mentitum esse nullus dicat, duntaxat Christianus : ac per hoc aut aliter dictum est, aut omnino nec dictum.

CAPUT III. — Et tamen me quidem jam adversus capituli hujus necessitudinem manichæa fides reddidit tutum, quæ principio mihi non cunctis quæ ex Salvatoris nomine scripta leguntur passim credere persuasit, sed probare si sint eadem vera, si sana, si incorrupta : esse enim permulta zizania, quæ in contagium boni seminis Scripturis pene omnibus noctivagus quidam seminator insperserit (*Id.* xiii, 25). Idcircoque me ne hic quidem terruerit sermo, quamvis reverendi nominis præ se ferat inscriptionem; quia probare mihi adhuc ex proposito licet, utrumne et hic interdiani satoris et boni sit, an nocturni illius et pessimi. Tu vero qui temere omnia credis, qui naturæ beneficium rationem ex hominibus damnas, cui inter verum falsumque judicare religio est, cuique bonum a contrario separare, non minus formidini est, quam infantibus maniæ [1]; quid facturus eris, cum te in capituli hujus angustiam necessitas coget? Dico autem, cum te Judæus, seu quis alter sermonis istius non inscius interpellabit, quid ita Legis et Prophetarum præcepta non serves, cum Christus eadem non se venisse solvere dicat, sed adimplere? Nempe cogeris aut vanæ superstitioni succumbere, aut capitulum profiteri falsum, aut te Christi negare discipulum.

CAPUT IV. — Augustinus respondit : Jam toties explosa atque convicta quia repetis, nos quoque, quibus ea convicimus, repetere non pigebit. Ea Christiani ex Lege et Prophetis non faciunt, quibus significata sunt ista quæ faciunt. Illæ quippe erant figuræ futurorum, quas rebus ipsis per Christum revelatis et præsentatis auferri oportebat, ut eo quoque ipso quod hæc ablata sunt, Lex et Prophetæ implerentur. Ibi quippe et hoc scriptum est, daturum Deum Testamentum novum, *Non quale dedi*, inquit, *patribus eorum* (*Jerem.* xxxi, 32). Populus enim ille pro suo corde lapideo, multa præcepta magis sibi congrua quam bona acceperat, quibus tamen figurarentur et prophetarentur futura : sed tunc a non intelligentibus celebrabantur. Cum autem venerunt et patefacta sunt quæ illis significabantur, non jam illa jubentur facienda, sed leguntur intelligenda. Unde ibi de hac etiam re futura dicitur, *Auferam eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum* (*Ezech.* xi, 19) : id est, non cor sine sensu, sed cor cum sensu. Unde traxit Apostolus quod ait, *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II *Cor.* iii, 3). Quid enim aliud dixit, quam *cor carneum?* Quia ergo et hoc prædictum erat, magis si ista de nostra celebratione non auferrentur, non implerentur Lex et Prophetæ; quia non fieret quod prædixerant : cum vero et hoc fit, inde potius intelliguntur adimpleri, unde vobis videntur non adimpleri.

CAPUT V. — Nec nos terret insultatio tua, quod sabbatorum otium, catenas Saturniacas appellas. Vana est enim et inepta; nec tibi hoc dicere veniret in mentem, nisi quia vos in die, quem dicunt Solis, solem colitis. Sicut autem nos eumdem diem dominicum dicimus, in eoque non istum solem, sed resurrectionem Domini veneramur; sic otium sabbatorum sine Saturni veneratione a patribus observatum est, cum sic illud observari oportebat : erat enim umbra futurorum, sicut Apostolus testis est (*Coloss.* ii, 17). Diebus quippe istis, quorum septenarius numerus in orbem redit, deorum suorum nomina Gentes imposuerunt. De quibus ait Apostolus, quod *coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori* (*Rom.* i, 25). Quos in hac parte etiam vos imitamini, nisi quod cum eis lucidiora duo lumina, cætera vero sidera non cum eis adoratis. Sed et mensibus imposuerunt nomina deorum suorum. Propter honorem quippe Romuli, quia eum Martis filium crediderunt, primum mensem Marti dicantes, Martium vocaverunt. Et inde Aprilem a nullo dei sui nomine, sed a re ipsa, quasi Aperilem, quod tunc plurimum germinis [1] aperiatur in florem. Inde tertium mensem Maium, quod Maiam Mercurii matrem deam colant. Inde quartum Junium a Junone. Inde cæteros usque ad Decembrem a numeris nominarunt. Sed ex eis Quintilis atque Sextilis nominibus hominum, quibus divinos honores decreverant, appellati sunt, Julius et Augustus : nam septimus September, et cæteri, ut dixi, usque ad Decembrem, numerorum ex ordine nominibus enuntiantur. Porro Januarius a Jano appellatus est, Februarius a Februis sacris Lupercorum. Vultis ergo ut et vos dicamini in mense Martio Martem colere? Illo enim mense Bema vestrum cum magna festivitate celebratis (*a*). Si autem vobis in mense Martio licere arbitramini aliud considerare, non Martem; cur ex die septimo, quod sabbatum a requie nominatum est, divinis Scripturis Saturnum importare conamini, quia eum diem Saturni Gentes appellaverunt? Nempe jam videtis cum quanta impietate deliretis.

CAPUT VI. — De sacrificiis autem animalium quis nostrum nesciat, magis ea perverso populo congruenter imposita, quam Deo desideranti oblata? Sed tamen etiam in his figuræ nostræ fuerunt; quia nostra mundatio, et Dei propitiatio nobis sine sanguine nulla est. Sed illarum figurarum veritas Christus est, cujus sanguine redempti et mundati sumus. Nam in figuris eloquiorum divinorum, et taurus dictus est propter virtutem crucis, cujus cornibus impios ventilavit; et aries, propter in-

[1] Er. et Lov. hic et postea, cap. 7, *lamiæ*. At Am. et omnes prope mss. constanter, *maniæ*. Sic dici solent terriculamenta infantium, atque uti in Isidor. Gloss. legitur, formidinum imagines. Lamias idem significare hoc loco manifestum est.

[1] Nonnulli Mss., *quod tunc primum germen*.

(*a*) Confer librum contra Epistolam Fundamenti, cap. 8.

quod dissimilem ostendis? Aliis enim causis et nos similem ostendimus. An quia propheta dictus est, qui et homo esse dignatus est, et tam multa futura prædixit? Nisi forte aliud est propheta, quam homo ultra humanas conjecturas futura prænuntians? Unde et ipse de se ipso ait : *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* (*Matth.* XIII, 57). Sed de te videro, qui te convictum paulo ante confessus es, cum dixisti, quod te ad credendum Evangelio professio tua fecit obnoxium : Judæus ipse procedat in medium, qui cervicem a jugo Christi male liberam tollit, et ideo sibi adhuc fas putat dicere, Mentitus est Christus vester ; nihil de illo scripsit Moyses.

CAPUT XIX. — Dicat mihi quem prophetam promiserit Deus, cum ait Moysi, *Suscitabo illis Prophetam de fratribus eorum, sicut te*, vel, *similem tibi?* Multi enim prophetæ postea fuerunt, sed utique unum quemdam intelligi voluit. Hic ei, credo, facillime occurret successor ille Moysi, qui populum ex Ægypto liberatum, in terram promissionis induxit. Quem cogitans, me adhuc fortasse ridebit quærentem de quo dictum sit, *Suscitabo illis Prophetam similem tibi ;* cum legam quis in eodem munere populi illius regendi atque ducendi Moysi defuncto successerit. Qui cum me velut imperitum riserit (talis enim et a Fausto describitur), non desinam hominem adhuc etiam compellare [1], et a securo risu ad curam respondendi revocare, quærendo atque flagitando, cur eidem ipsi futuro suo successori, in cujus comparatione improbatus est, ut non ipse introduceret populum in terram promissionis ; ne videlicet Lex per Moysen non ad salvandum, sed ad convincendum peccatorem data, in regnum cœlorum introducere putaretur (*Joan.* I, 17), sed gratia et veritas per Jesum Christum facta : quæram ergo a Judæo, cur eidem ipsi futuro suo successori Moyses nomen mutaverit. Vocabatur enim Ause [2], et appellavit eum Jesum (*Num.* XIII, 9, *et* XIV, 6). Cur denique tunc appellaverit, quando ex convalle Pharan præmisit ad eamdem terram, quo erat populus ipso duce venturus? Dixit enim verus ipse Jesus : *Et si iero, et præparavero vobis locum ; iterum veniam, et assumam vos ad me* (*Joan.* XIV, 3). Quæram etiam, utrum non huic figuræ attestetur propheta dicens, *Deus ab Africo veniet, et sanctus de Pharan* (*Habac.* III, 3) : tanquam diceret, Ejus nominis veniet Deus sanctus, cujus nominis erat ille qui venit ab Africo de Pharan, id est, Jesus. Huc accedit quod idem ipsum Dei Verbum intelligitur loqui, ubi promittit eumdem ipsius Moyseos successorem, per quem populus in terram promissionis mitteretur, nomine angeli eum appellans ; sicut etiam homines aliquid nuntiantes in Scriptura divina solent appellari : et ita dicit, *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, ut servet te in via, et inducat te in terram quam juravi tibi* [3]. *Attende tibi, et obaudi eum, ne non credas illi : nihil enim subtrahet tibi, nomen enim meum est in eo* (*Exod.* XXIII, 20, 21). Quid est hoc? Perscrutetur Scripturas illas non jam Manichæus, sed ipse etiam Judæus, et videat utrum de aliquo Angelo Deus dixerit, *Nomen meum est in illo*, nisi de hoc, quem introductorem in promissionis terram pollicetur. Deinde quærat in hominibus quis Moysi successor introduxerit populum ; et inveniet Jesum : non hoc ab initio vitæ suæ, sed nomine mutato appellatum. Qui ergo dixit, *Nomen meum est in illo* Jesu, ipse est verus Jesus, rector et ductor populi in hæreditatem vitæ æternæ, secundum Testamentum Novum, cujus figura erat Testamentum Vetus. Ita quantum attinet ad propheticum apparatum, nec geri, nec dici aliquid posset insignius, quandoquidem res perducta est usque ad nominis expressionem.

CAPUT XX. — Superest ut Judæus ille, si vult et in abscondito Judæus esse non littera, sed spiritu (*Rom.* II, 29) ; si vult reputari verus Israelita, in quo dolus non est (*Joan.* I, 47), recordetur in figura illum mortuum Jesum, qui introduxit in terram morientium, et agnoscat in veritate vivum Jesum, quo duce intret in terram viventium. Talis enim jam non acerbus resistet tam perspicuæ prophetiæ, sed ex commemoratione Jesu qui introduxit in illam promissionis terram, mitis effectus, audiet jam ipsum cujus nomen ille habebat, verius introducentem et dicentem, *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram* (*Matth.* V, 4). Hic jam etiam ille Gentilis, si non nimis lapideum cor haberet, aut si ex illis esset lapidibus de quibus suscitat Deus filios Abrahæ (*Id.* III, 9), nonne miraretur in Libris antiquis ejusdem gentis, ex qua natus perhiberetur Jesus, tam evidentem de illo conscriptam esse prophetiam, ut etiam nomen ejus exprimeretur : simulque ibi adverteret, non quemlibet hominem prædictum fuisse Jesum, sed utique Deum, cum in homine illo qui regendo et introducendo in regnum populo constitutus, mutato nomine Jesus appellatus est, suum nomen inesse Deus diceret, eumque angelum nominaret ; eo ipso quod mutato nomine mittebatur, magnum aliquid divinumque nuntiantem? Nuntium quippe græce Angelum dici, quis illa lingua vel tenuiter tinctus ignoret? Quamobrem quilibet Gentilis, si perversus et pervicax esse nollet, non ideo Libros illos contemneret, quia essent Hebræi, cujus gentis lege non teneretur : sed cujuslibet gentis libros ideo magni penderet, quia in eis tanto ante conscripta inveniret, quæ suis jam temporibus impleta cognosceret : ipsumque Christum Jesum non propterea sperneret, quia Hebraicis litteris prænuntiatum videret ; sed potius eum, qui litteris quibuslibet, antequam inter homines nasceretur, per tot volumina sæculorum, partim apertioribus testimoniis, partim rerum gestarum et sermonum figuris et sacramentis ita prænuntiari commendarique meruisset, cum ingenti admiratione et devota religione [1] sectandum venerandumque censeret. Ita illi ex rerum Christianarum jam præsentatis effectibus, Librorum

[1] Am. Er. et aliquot Mss., *compellere.*

[2] Sic Mss. juxta LXX. At Am. et Er. juxta Vulgatam, *Vocabatur enim Osee* Lov., *Vocabatur enim Jesue.*

[3] Lov., *quam præparavi tibi.* Editi vero alii et Mss., *quam juravi tibi.*

[1] Omnes Mss., *et debita religione.*

prophetia vera probaretur : ex Librorum vero prophetia Christus colendus agnosceretur. Vana loqui deputer, si non ita factum est, si non ita fit, si non in eam fidem per universum orbem terrarum eorumdem Librorum recitatione concurritur.

CAPUT XXI. — Unde miralbiliter istorum est ridenda vecordia, qui tanquam impossibile a nobis quæruntur, quomodo per Judæorum Libros fidem Christianam velit discere homo Gentilis, cum tanta devotione et tanta celebritate omnes gentes istorum Librorum fieri discipulas cernat[1] : eo ipso nimirum fortius atque firmius, quod ex manibus inimicorum tanta de Christo testimonia proferuntur; in quibus ideo Gentes quæ credunt, nihil de illo ad tempus possunt putare conflictum, quia in eis Libris inveniunt Christum, quibus a tot sæculis serviunt, qui crucifixerunt Christum, et quos in tanto apice auctoritatis habent qui quotidie blasphemant Christum. Si enim ab eis proferrentur prophetiæ de Christo qui prædicant Christum, ab eis ipsis conflictæ putarentur : nunc vero id exponit qui prædicat, quod recitat qui blasphemat. Ad aliquem namque usum sanctorum ordinatur omnis cæcitas impiorum a summo Deo, qui pro sui regiminis æquitate bene utitur etiam malis, ut qui suo arbitrio injuste vivunt, illius judicio juste disponantur. Ergo ne testimonia prophetiæ Christi nasciturі, mira facturi, indigna passuri, morituri, resurrecturi, ascensuri, per omnes gentes Evangelium vitæ æternæ disseminaturi, illi finxisse crederentur, qui eum populis annuntiarent; magnum aliquid actum est in usum nostrum de infidelitate Judæorum, ut iidem ipsi qui hæc propter se non haberent in cordibus, propter nos haberent in codicibus. Nec inde auctoritas illis Libris minuitur, quod a Judæis non intelliguntur; imo et augetur : nam et ipsa eorum cæcitas ibi prædicta est. Unde magis non intelligendo veritatem perhibent testimonium veritati : quia cum eos Libros non intelligunt, a quibus non intellecturi prædicti sunt, etiam hinc eos veraces ostendunt.

CAPUT XXII. — Hinc est et illud, cujus ambiguitate Faustus fallitur : *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ* (*Deut.* XXVIII, 66). Quæ verba et aliter posse intelligi, potest aliquis dicere : de Christo autem non posse intelligi, nec Faustus ausus est dicere, nec quisquam prorsus audebit, nisi qui negaverit aut Christum esse vitam, aut a Judæis visum esse pendentem, aut eos illi non credidisse. Cum vero et ipse dicat, *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6); et cum pependisse constet ante oculos non ei credentium Judæorum; non video cur dubitare debeamus, id etiam de Christo scripsisse illum, de quo Christus ait, *Ille enim de me scripsit* (*Id.* V, 47). Proinde si quod scriptum est, *Suscitabo eis Prophetam de fratribus illorum similem tibi*, ostendere conatus est Faustus non posse de Christo intelligi, quia Christus Moysi similis non est, et tamen ex omni parte convictus est; quid opus est in hoc testimonio laborare ? Aut certe, si ut dixit Christum similem non esse Moysi, ut illam refelleret prophetiam; sic etiam ut hanc refellat, dicat Christum non esse vitam, vel in conspectu Judæorum non ei credentium non pependisse. Cum autem hoc ille non dixerit, nec hodie quisquam eorum audeat dicere, nihil est cur moremur hanc quoque de Domino et Salvatore nostro Jesu Christo famuli ejus amplecti prophetiam. At enim inter cætera maledicta et hoc positum est. Num ideo non est prophetia, cum et cætera, inter quæ positum est, nihil sint aliud quam prophetiæ ? Aut ideo non est de Christo prophetia, quia illa quæ in ea lectione vel præcedentia vel consequentia contexuntur, nihil pertinere videntur ad Christum ? Quasi vero quidquam sit pejus inter maledicta, quæ Judæis pro merito superbæ[1] impietatis acciderunt, quam videre vitam suam, id est, Filium Dei pendentem, et non credere vitæ suæ. Maledicta enim, cum ex prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio spiritu denuntiantis. Nam illa quæ de malo voto sunt, prohibentur, cum dicitur, *Benedicite, et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14). Hæc autem sæpe inveniuntur in sermone sanctorum, sicut apostolus Paulus, *Alexander*, inquit, *æramus multa mala mihi ostendit; reddet illi Dominus secundum opera sua* (II *Tim.* IV, 14). Nam illud tanquam stomachatus et indignatus etiam male optasse videtur Apostolus, *Utinam et abscindantur qui vos conturbant* (*Galat.* V, 12) ! Quod utique si consideres personam scribentis, magis eum elegantissimo ambigue bene optasse intelliges. Sunt enim spadones, qui se ipsos absciderunt propter regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 12). Quod in his quoque verbis Faustus sapuisset, si pium palatum ad escas dominicas attulisset. Sic enim sonuit fortasse Judæis, quod dictum est, *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ;* ut inter minas vel dolos hostium suorum vitam suam videntes ex incerto pendere, victuros se esse non crederent. Sed filius Evangelii cum audit, *Ille enim de me scripsit*, in hac ipsa ambigultate sententiæ videt quid Prophetæ porcis projiciant, quid hominibus innuant : statimque illi occurrit vita hominum Christus pendens, eique non credentes Judæi, ob hoc ipsum quia pendentem vident. Et alius quidem aliquis cito diceret, inter cætera maledicta quæ in illa lectione ad aliquid de Christo intelligendum non pertinent, hoc solum ibi esse de Christo, quod scriptum est, *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ*. Neque enim fieri non posset ut inter diversa maledicta quæ impio populo prophetice prænuntiabantur, hoc quoque ponderetur. Sed ego, et qui mecum aliquanto attentius cogitant evangelicam illam dominicamque sententiam, qua non ait, Ille enim et de me scripsit; ut et alia quæ ad Christum non pertinent, scripsisse crederetur : sed ait, *De me enim ille scripsit;* ut omnem scripturæ illius intentionem non nisi ad intelligendam Christi gratiam perscrutando consuleremus; etiam cætera in illa lectione maledicta propter Christum prædicta cogno-

[1] Sic Am. et plures Mss. At Er et Lov., *cernant*.

[1] Edili, *superbiæ*. At Mss., *supervæ*.

scimus : quod nunc ostendere si velim, nimis longum erit.

CAPUT XXIII.— Unde tantum abest ut hoc quod Faustus commemoravit, propterea non pertineat ad Christum, quia inter cætera maledicta positum est; ut nec ipsa cætera rectum habeant intellectum, nisi ad Christi gloriam, qua generi humano consulitur, prophetata referantur : quanto magis hoc ? Quod et si talis fuisset Moyses, ut aliud corde intuens, id ore funderet; facilius eum dicerem prophetasse nescientem, quam cum audirem populo Judæorum dictum, *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ*, de Christo prophetatum negarem. Neque enim hoc intuebatur animo Caiphas, quod ex verbis ejus intellectum est, cum Christum ut inimicum persequens, ait expedire ut unus homo moreretur, ne periret tota gens. Ubi Evangelista subjecit, hoc eum non a se dixisse, sed cum esset pontifex prophetasse (*Joan.* xi, 49-51). Sed Moyses non erat Caiphas : quare illud quod populo Hebræo dixit, *Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ;* non solum de Christo dixit, quod etsi nesciens dixisset, de nullo alio dixisse deberet intelligi; verum etiam sciens dixit. Erat enim fidelissimus dispensator prophetici sacramenti, id est, illius sacerdotalis chrismatis, unde Christi nomen agnoscimus : in quo sacramento, quamvis homo pessimus, Caiphas etiam nesciens potuit prophetare. Hoc quippe in eo egit propheticum chrisma, ut prophetaret : hoc autem vita impia, ut nesciens prophetaret. Quo itaque ore dicitur nihil de Christo prophetasse Moyses, a quo illud chrisma cœpit, unde Christi nomen innotuit, et unde Christum etiam persecutor Christi vel nesciens prophetavit ?

CAPUT XXIV. —Nam de maledicto pendentis in ligno, jam quantum satis visum est, supra diximus. Interficiendum autem esse prophetam sive principem populi, qui filios Israel a Deo suo vellet avertere, aliquodve infringere mandatorum, non adversus Christum præcepisse Moysen, et ex his quæ jam multa egimus, satis clarum est, et magis magisque consideranti dicta et facta Domini nostri Jesu Christi, magis magisque clarebit : quia nec a suo Deo voluit quemquam eorum Christus avertere. Deus quippe, quem illis Moyses diligendum colendumque præcepe-rat, ipse est certe Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, quem Dominus Jesus Christus eadem commendatione commemorat, ejusque auctoritate Sadducæorum refellit errorem resurrectionem negantium, ubi ait, *De resurrectione autem mortuorum non legistis quid Deus locutus sit de rubo ad Moysen, Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* xxii, 31, 32, *et Luc.* xx, 37, 38) : *omnes enim illi vivunt.* Opportune itaque eadem voce nunc convincuntur Manichæi, qua tunc convicti sunt Sadducæi : nam et ipsam resurrectionem alio quidem modo, sed tamen etiam isti negant. Item cum fidem Centurionis laudans diceret, *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel;* adjecit et ait, *Dico autem vobis, quoniam multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ibunt in tenebras exteriores* (*Matth.* viii, 10-12). Si ergo, quod negare Faustus non potest, non commendavit Moyses populo Israel Deum, nisi Deum Abraham, et Isaac, et Jacob, eumque ipsum Christus ex his et aliis testimoniis sine dubitatione commendat; non est conatus illum populum avertere a Deo suo : sed ideo minatus est eos ituros in tenebras exteriores, quod aversos videret a Deo suo, in cujus regno Gentes vocatas ex toto orbe terrarum, recubituras dicit cum Abraham, et Isaac, et Jacob : non ob aliud, quam quod fidem, tenuissent Dei Abraham, et Isaac, et Jacob. Unde et Apostolus dicit, *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ dicens, In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Galat.* iii, 8); ut illi scilicet in semine Abrahæ benedicerentur, qui Abrahæ fidem imitarentur. Non igitur Christus Israelitas a Deo suo volebat avertere, sed eos potius quod ab illo averterentur arguebat. Mandatorum autem aliquod eorum quæ per Moysen data sunt, infregisse Dominum qui arbitratur, non mirum si hoc putat quod Judæi : sed ideo errat, quia in hoc erraverunt et Judæi. Ubi autem Faustus commemorat ipsum mandatum, quod Dominum infregisse vult credi, ibi opus est ut ostendamus quomodo fallatur, sicut jam supra, ubi oportebat, ostendimus. Nunc illud dico, quia si aliquod illorum mandatorum Dominus infregisset, non etiam de hoc ipso Judæos arguisset : quibus calumniantibus quod discipuli ejus illotis manibus manducarent, et ob hoc excederent, non mandatum Dei, sed traditiones seniorum, ait illis, *Utquid et vos transgredimini mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis?* Ipsumque Dei mandatum commemorat, quod per Moysen mandatum esse novimus. Secutus quippe ait, *Deus enim dixit, Honora patrem et matrem; et, Qui maledixerit patri aut matri, morte morietur*[1]. *Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quod est ex me, proderit*[2], *non honorabit patrem suum : et irritum fecistis verbum Dei propter vestram traditionem* (*Matth.* xv, 3-6). Qua in re videte quam multa nos doceat, et Judæos a Deo suo se non avertere; et ejus mandata non tantum se non infringere, verum etiam illos a quibus infringerentur, arguere; et non nisi Deum per Moysen ista mandasse.

CAPUT XXV. — Quamobrem quoniam nos credimus omnia quæ scripsit Moyses, ad Christi commendationem pertinere, quod isto opere quia demonstrare non possumus, polliciti sumus in iis hoc ostendere, quæ Faustus de illa scriptura refellenda vel vituperanda delegerit, recte a nobis debitum exigitur, ut hoc etiam, quod præcepit Moyses interficiendum esse prophetam sive principem, qui eos a Deo suo vellet avertere, aliquodve infringere mandatorum, ostendamus ad custodiendam fidem, quæ in Ecclesia Christi discitur, pertinere. Videbat quippe ille spiritu

[1] Am. Er. et Cisterciensis Ms., *morte moriatur.*

[2] Er. Lugd. et Ven.: *Munus quod est ex me tibi prosit.* Vulgata, *munus quodcumque est ex me tibi proderit.* M.

prophetico et Deo sibi loquente, multos exsurrecturos hæreticos diversorum errorum magistros adversum doctrinam Christi, qui non eum Christum prædicarent qui verus est Christus. Ille enim verus est, qui per prophetias, per eumdem Moysen cæterosque sanctos ejus gentis editas, prænuntiatus est. Quisquis itaque alium docere vellet, ipsum interficiendum Moyses præcipiebat. Quid autem nunc aliud agit lingua catholica, nisi ut spirituali gladio utriusque Testamenti acie bis acuto interficiantur omnes qui nos a Deo nostro volunt avertere, aliquodve infringere mandatorum? Inter quos præcipue cadit ipse Manichæus, cum ejus error asserta Legis et Prophetarum veritate perimitur, volentis nos avertere a Deo nostro, Deo Abraham, et Isaac, et Jacob, quem Christus commendat; et volentis infringere mandata Legis, in quorum etiam figuris Christum prophetatum esse cognoscimus.

CAPUT XXVI. — Jam vero illam complexionem utrum obtusissimam [1] an fraudulentissimam dicam, nescio; erat enim Fausto ingenium: unde magis arbitror eum nebulam injicere voluisse minus attento lectori, quam non vidisse quod dicam [2]: ait enim, *Quod si hæc de Christo minime scripsit, aut alia dabitis, aut nulla erunt.* Hæc propositio vera est, sed consequens erat ut ostenderet et hæc de Christo minime scripta esse, et alia dari non posse. Nihil autem horum fecit: quia et hæc nos ostendimus, quomodo de Christo accipi possint; et superius alia multa dedimus, quæ nisi de Christo intellectum habere non possint. Non est ergo cur concludas, Fauste, nulla esse a Moyse scripta de Christo. Attende enim quid dicas: *Quod si hæc*, inquis, *minime de Christo scripsit, aut alia dabitis, aut nulla erunt.* Verum dicis. Proinde, quia et hæc de Christo, vel propter Christum scripta docuimus, et alia multa dedimus, argumentatio tua potius nulla erit. Et hæc quidem quæ commemorasti, quamvis non obtinueris, saltem conatus es ostendere non esse scripta de Christo. Quod autem subdidisti, *Aut alia dabitis, aut nulla erunt;* prius demonstrare debuisti, alia nos dare non posse, ut securus inferres nulla esse. Nunc vero tanquam libellus tuus surdos auditores vel cæcos lectores esset habiturus, ut nullus adverteret quid prætermiseris, cucurristi dicere: *Si nulla fuerint, nec Christus potuit asseverare quod nusquam est; ita, si Christus hoc minime asseveraverit, capitulum hoc falsum esse constiterit.* O hominem se cogitantem dictorem, et alium non cogitantem contradictorem! Ubi est acumen tuum? An in mala causa non posses aliter? Sed mala causa te vana loqui coegit: malam vero habere causam nemo te cogit. Quid si enim alia dabimus? Certe utique non erunt nulla, quia erunt aliqua. Et si erunt aliqua, potuit Christus hoc asseverare quod est. Ita, si Christus hoc asseverare potuit, capitulum illud evangelicum falsum esse non constat. Redi ergo ad propositionem tuam, qua dixisti, *Aut alia dabitis, aut nulla erunt;* et vide non te ostendisse nulla nos alia daturos. Vide etiam quam multa alia jam supra dederimus, et quid hinc conficiatur adverte; scilicet non esse falsum, quod in Evangelium Christum dixisse legimus, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit.* Et Evangelii quidem tam eminens est auctoritas et tam fundata veritas, ut etiamsi nos propter tarditatem intelligentiæ nostræ nulla inveniremus a Moyse scripta de Christo, non solum esse aliqua, sed ad Christum omnia pertinere quæ scripsit, quia non ait, Et de me scripsit; sed, *De me ille scripsit;* credere deberemus. Nunc autem etsi de isto Evangelii capitulo, quod absit, dubitandum esset, compertis tam multis in scriptura Moysi de Christo testimoniis, omnis illa dubitatio tolleretur: et quia de capitulo Evangelii dubitandum non est, etiamsi illa comperta non essent, esse tamen credi oporteret.

CAPUT XXVII. — Nam illud quod adjungis, *dissimilem fuisse traditionem Christi atque Moyseos; et ideo non fuisse verisimile, ut si crederent Moysi, crederent et Christo; imo illud potius esse consequens, ut si alteri Judæi crederent, alteri necessario repugnarent;* non utique diceres, si considerationis oculum paululum attolleres, orbemque terrarum sine contentionis cæcitate conspiceres in hominibus doctis atque indoctis, Græcis et Barbaris, sapientibus et insipientibus, quibus se debitorem dicebat Apostolus (*Rom.* I, 14), et Moysi et Christo simul credentem. Si ergo non erat verisimile ut Judæi Moysi et Christo pariter crederent, multo minus verisimile est ut orbis terrarum Moysi et Christo pariter credat. Cum vero videamus omnes gentes utrique credere, et illius prophetiam cum Evangelio hujus convenientem fide robustissima et celeberrima retinere, non ad aliquid impossibile gens una vocabatur, cum ei diceretur, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi:* potiusque est miranda et vehementius arguenda duritia Judæorum, qui hoc non fecerunt, quod totum mundum fecisse conspicimus.

CAPUT XXVIII. — Nam quidquid dicis de sabbato, et de circumcisione carnis, et de differentia ciborum, aliam fuisse traditionem Moysi, aliud per Christum didicisse Christianos; jam supra ostendimus quia, sicut dicit Apostolus, *Hæc omnia figuræ nostræ fuerunt* (I *Cor.* X, 6). Non ergo diversa doctrina est, sed diversum tempus. Aliud enim erat, quo hæc oportebat per figuratas prophetias prænuntiari; et aliud est, quo hæc jam oportet per manifestam veritatem redditamque adimpleri. Sed quid mirum si Judæi carnaliter intelligentes sabbatum, Christo, qui jam hoc spiritualiter insinuabat, repugnaverunt? Tu Apostolo responde, si potes, qui vacationem ipsius diei umbram futuri esse testatur (*Coloss.* II, 16, 17). Sed si illi restiterunt Christo, non intelligentes verum sabbatum, vos ei nolite resistere, et intelligite veram innocentiam. Nam eo ipso loco, ubi præcipue destructor sabbati putatur Jesus, cum discipuli ejus per segetem transeuntes et esurientes vellerent spicas et

[1] In Mss., *obtunsissimam*. Et passim *obtunsus*, pro *obtusus*.
[2] Am et codex unus Vaticanus, *dicat*.

ederent, innocentes eos dixit, respondens Judæis, *Si sciretis quid sit, Misericordiam volo* [1] *quam sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes* (*Matth.* XII, 7). Magis enim esurientium misereri debuerunt, quia hoc illi coacti fame fecerunt. A vobis autem quisquis vulserit spicas, non ex traditione Christi, qui hanc innocentiam vocat, sed ex traditione Manichæi homicida deputatur. An forte misericordiam eisdem spicis exhibuerunt Apostoli, ut inde membra Dei manducando purgarent, sicut vestra fabula est? Vos ergo crudeles, qui hoc non facitis. Sed videlicet novit Faustus destruere sabbatum, quia scit virtutem Dei semper atque infatigabiliter operari. Illi hoc dicant, qui intelligunt Deum sine temporali voluntate universa tempora facientem. Hoc ad vos multum est, qui Dei vestri requiem rebellatione gentis tenebrarum perhibetis excussam, et hostium repentino impetu perturbatam. An ex æterno prævidens hoc futurum, nunquam habuit requiem, quia nunquam securus fuit, qui se cogitabat tam grave bellum cum tanta membrorum suorum labe damnoque gesturum?

CAPUT XXIX. — Cæterum illud sabbatum, quod imperite atque impie deridetis, nisi et ipsum inter prophetias quæ de Christo scriptæ sunt, haberet intellectum, non ei Christus sic attestaretur : qui cum propria voluntate, sicut ipse in ejus laude posuisti, pateretur, ideoque tempora passionis et resurrectionis suæ haberet in potestate, id egit, ut caro ejus in sepultura sabbato requiesceret ab omnibus operibus suis, ut tertio die resurgens, quem dominicum dicimus, qui post sabbatum numeratur octavus, etiam circumcisionem octavi diei ad se prophetandum pertinere declararet. Quid enim significat circumcisio carnis? Quid, nisi exspoliationem mortalitatis, quam de carnali generatione portamus? Propter hoc dixit Apostolus : *Exuens se carnem, principatus et potestate exemplavit, fiducialiter triumphans eos in semetipso* (*Coloss.* II, 15). Quod enim dicit exuisse se carnem, eo loco carnem mortalitatem carnis intelligimus, secundum quam proprie corpus hoc caro nominatur. Quæ mortalitas proprie caro appellata est, quia in illa resurrectionis immortalitate non erit : propterea scriptum est, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*. De quibus verbis soletis calumniari fidei nostræ, qua credimus hujus corporis futuram resurrectionem, quæ in ipso Domino jam præcessit, dissimulantes ea quæ sequuntur, in quibus aperte Apostolus quid dicat exponit. Volens enim ostendere quid eo loco dixerit carnem, continuo subjecit : *Neque corruptio incorruptionem possidebit*. Hoc enim corpus, quod propter mortalitatem proprie caro nominatur, mutari dicit in resurrectione, ut jam non sit corruptibile atque mortale. Quod ne putetur nostra suspicione dici, ipsa ejus quæ sequuntur verba consulite. *Ecce*, inquit, *mysterium dico : omnes quidem resurgemus, non tamen omnes immutabimur. In atomo, in ictu oculi, in novissima tuba ; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.* XV, 50-53). Ut ergo induatur immortalitate, exuitur mortalitate : hoc est circumcisionis mysterium, quæ octavo die fieri jussa est (*Gen.* XVII, 12), et octavo die, id est, dominico post sabbatum jam in veritate a Domino impleta. Unde dicitur, *Exuens se carnem, principatus et potestates exemplavit*. Per hanc enim mortalitatem nobis invidæ diabolicæ potestates dominabantur : quas exemplasse dictus est, quia in se ipso capite nostro præbuit exemplum, quod in toto ejus corpore, id est, Ecclesia ex diaboli potestate liberanda, in ultima resurrectione complebitur : hæc est fides nostra. Et quoniam, sicut testimonium propheticum Paulus commemorat, *Justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17; *Habac.* II, 4); hæc est justificatio nostra. Mortuum quippe Christum et Pagani credunt : resurrexisse autem Christum, propria fides est Christianorum. *Si enim confitearis*, ait Apostolus, *in ore tuo quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris* (*Rom.* X, 9). Quia ergo ex ista resurrectionis fide justificamur, ideo et illud de Christo apostolicum est, *Quia mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Id.* IV, 25). Et quia ista resurrectio, quæ credita nos justificat, illa octava diei circumcisione figurata est; propterea de ipso Abraham, cui primum tradita est, dicit Apostolus : *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei* (*Ibid.*, 11). Ergo et istam circumcisionem inter alias figuras propheticas de Christo scripsit Moyses : de quo ipse dicit, *De me enim ille scripsit*. Quod autem dicit Dominus, *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare et aridam, facere unum proselytum ; et cum feceritis eum, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos estis* : non quia circumciditur, dixit, sed quod eorum mores imitatur, a quibus imitandis cohibet suos, dicens, *Super Cathedram Moysi sedent Scribæ et Pharisæi : quæ dicunt, facite ; quæ autem faciunt, facere nolite : dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 15, 2, 3). In quibus dominicis verbis utrumque debetis advertere, et quantus honor delatus sit doctrinæ Moysi, in cujus cathedra etiam mali sedentes, bona docere cogebantur; et unde fieret proselytus filius gehennæ, non scilicet a Pharisæis verba legis audiendo, sed eorum facta sectando. Hoc ergo dici posset tunc proselyto circumciso, quod Paulus dicit : *Circumcisio quidem prodest, si legem custodias* (*Rom.* II, 25). Quia vero ille in non custodienda lege Pharisæos imitabatur, fiebat filius gehennæ : propterea, quantum arbitror, duplo quam illi, quia hoc negligebat implere quod propria voluntate susceperat, non ex Judæis natus, sed sponte Judæus factus.

CAPUT XXX. — Quid autem dicere voluisti, sine respectu injuriose, quod *Moyses helluonis in modum disceptator sedet, jubetque alia quidem abluviri pro mundis, alia vero pro immundis ne contingi quidem?*

[1] Lov., *misericordiam malo*. Editi vero alii et Mss., *misericordiam volo quam sacrificium* : juxta græcum, Osee, cap. 6.

cum ad helluonem hoc magis pertineat, ut nulla discernat; aut si discernit, suaviora eligat. An hoc ideo dicis, ut imperitis continentia tua velut ab ineunte ætate miranda videatur, quasi nescientis, vel jam obliti, quanto jucundius sapiat porcina, quam vervecina? Sed quia et ista Moyses figuris propheticis de Christo scripsit, in animalium carnibus significans homines, vel incorporandos Christi corpori, quod est Ecclesia; vel respuendos; vos quoque inter immunda figuravit, qui propterea fidei catholicæ non convenitis, quia nec ruminatis verbum sapientiæ, et duo Testamenta, Vetus et Novum, non concorditer distinguentes, tanquam geminam ungulam non habetis. Quis autem ferat te quoque Adimanti vestri fallaciam non puduisse sectari?

CAPUT XXXI. — Dicis enim et tu, *Christum sic docuisse ciborum indifferentiam, ut a suis quidem discipulis omnes carnes penitus removeret, sæcularibus vero vulgo concederet omnia quæ possent edi; atque asseveraret quod eos nihil in os intrans pollueret, quia quæ de ore impudenter procedunt, ea sola sunt quæ polluant hominem.* Hæc verba tua sunt, tanto impudentiore, quanto apertiore mendacio deprompta et expressa. Primo quia secundum Christi sententiam, si ea sola polluunt hominem, quæ mala ex ore procedunt; cur et discipulos Christi non ea sola polluerunt, ut non eos [1] tanquam ab immundis carnibus esset necesse prohiberi? An sæculares homines non polluuntur his quæ in os intrant, sed his quæ ex ore exeunt? Ergo munitiores sunt adversus immunditiam quam sancti, si sanctos et ea quæ intrant, et ea quæ exeunt possunt inquinare. Vellem autem isti mihi dicerent, quid manducabat et bibebat Christus, qui in comparatione Joannis non manducantis neque bibentis, se dixit manducantem et bibentem? Cum enim argueret perversitatem hominum, utrobique calumnias inquirentium, *Venit enim*, inquit, *Joannes non manducans neque bibens, et dicunt, Dæmonium habet: venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt, Ecce homo vorax et vinarius* [2], *amicus publicanorum et peccatorum* (*Matth.* xi, 18, 19). Et Joannis quidem escam et potum novimus: non enim dictum est quod omnino non biberet; sed quod vinum et siceram non biberet (*Luc.* I, 15): bibebat ergo aquam. Cibus autem ejus non omnino nullus erat, sed locustæ et mel silvestre (*Matth.* III, 4). Unde ergo dictus est *non manducans neque bibens*, nisi quia illo victu quo Judæi utebantur, ille non utebatur? Hoc ergo Dominus nisi uteretur, non in ejus comparatione *manducans bibensque* diceretur. An forte ideo quia pane et oleribus Dominus vescebatur, quibus Joannes non vescebatur? Mirum si *non manducans* dicitur, qui locustas et mel comedit; et *manducans* dicitur, qui pane atque olere contentus est. Sed de cibis suspicamini quidquid vultis; certe *bibens et vinarius* [3] non diceretur, nisi vinum biberet: cur ergo et hoc vos immundum putatis? Neque enim hæc propter continentiam disciplinamque domandi corporis tangere prohibetis, sed quod immunda sint: nam ea sordes et fel gentis tenebrarum esse perhibetis, contra Apostolum dicentem, *Omnia munda mundis* (*Tit.* I, 15). Ecce qui audent dicere Christum indifferentiæ ciborum magistrum, discipulos tamen suos ab iis prohibuisse, quæ immunda ipsi putant. Ostendite ubi ista a discipulis suis removerit, fallaces, improbi; verumtamen Dei vindicis providentia ita cæcati, ut etiam commoneatis nos unde convincamini. Nam vim patior ab animo meo, nisi totum ipsum Evangelii capitulum, quod iste adversum Moysen opponere voluit, inspiciendum inseruero: ut ibi videamus quam falsum sit, quod prior Adimantus, et modo Faustus dixit, Dominum Jesum a discipulis suis carnes vescendas removisse, easque vulgo sæcularibus concessisse (*a*). Nempe cum respondisset calumniantibus quod non lotis manibus manducarent, ita sequitur Evangelium: *Et convocatis turbis, ait illis, Audite et intelligite. Non quod intrat in os, communicat hominem; sed quod procedit de ore, communicat hominem. Tunc accedentes discipuli, dixerunt ad eum: Scis quod Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* Hic certe a discipulis compellatus, debuit eos, sicut isti volunt, proprie docere ab omnibus carnibus abstinendum, ut illud quod supra dixit, *Non quod intrat in os, communicat hominem; sed quod procedit de ore*, turbis dixisse videretur. Sequatur ergo Evangelista, et dicat quid jam non turbis, sed discipulis responderit Dominus. *At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt duces cæcorum. Cæcus autem si cæcum ducat, ambo in foveam cadunt.* Hoc utique ideo, quia traditiones suas volentes statuere, mandata Dei non intelligebant. Sed nondum quæsierant discipuli a Magistro, quomodo ipsi quod turbis dixerat, accipere deberent. Ecce et hoc fit: nam contexit Evangelista, et dicit, *Respondens autem Petrus, ait illi: Narra nobis parabolam istam.* Hinc intelligimus Petrum putasse, non proprie, nec aperte Dominum locutum fuisse cum diceret, *Non quod intrat in os, communicat hominem; sed quod procedit de ore:* sed, ut solet, obscuritate parabolæ aliquid significare voluisse. Videamus ergo utrum jam secretius discipulis interrogantibus hoc dicat, quod Manichæi volunt, immundas esse omnes carnes, nec eos aliquid earum debere contingere. Quid, quod exprobrat quod apertam suam locutionem nondum intellexerint, et proprie dictum parabolam putent? Sic enim sequitur: *At ille dixit: Adhuc et vos insipientes estis, et non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in latrinam emittitur: quæ autem procedunt ex ore, de corde exeunt, et illa communicant hominem? Nam de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc sunt quæ communicant hominem: non lotis autem manibus manducare, non communicat hominem* (*Matth.* xv, 10-20).

CAPUT XXXII. — Certe jam manifestata fallacia

[1] Editi, *ut eos*; omissa negante particula, quam ex probæ notæ Mss. addidimus.

[2] Er. Lugd. et Ven., *vinaria*. M.

[3] Er. Lugd. et Ven. *vinaria*. M.

(*a*) Supra, lib. contra Adimantum, cap. 15.

convicta discedit : certe jam clarum est, non aliud hac de re turbas, aliud secreto discipulos Dominum docuisse : certe sine dubitatione perspicitur Manichæos potius esse mendaces atque fallaces, non Moysen, non Christum, non Testamenti utriusque doctrinam ibi figuratam, hic revelatam ; ibi prophetatam, hic præsentatam. Quomodo ergo nihil eorum Catholicos servare putant, quæ Moyses scripsit, cum omnia prorsus observent ; non jam in figuris, sed in eis rebus quas illæ figuræ significando prænuntiarunt ? Neque enim, si aliud tempus esset scribendi, aliud legendi, recte diceremus Scripturam illam non observare lectorem, quia et ipse characteres illos non faceret : cum illi fuissent figuræ sonorum, ille autem jam sonos ipsos expromeret, illarum tamen figurarum non formatione occupatus, sed inspectione commonitus. Ideo autem Judæi Christo non credebant, quia nec illa quæ Moyses non figurate, sed aperte præceperat, observabant. Unde illis dicit : *Decimatis mentham et cyminum, et relinquitis graviora Legis, misericordiam et judicium ; liquantes culicem, camelum autem glutientes : hæc oportebat facere, illa autem non omittere* (*Matth.* XXIII, 23, 24). Unde est et illud, quod traditionibus suis docebant quomodo infirmaretur præceptum Dei, quo deferri honorem parentibus jusserat ; propter quam superbiam et iniquitatem excæcari meruerunt, ut cætera non intelligerent : quia ea quæ intelligebant, impie contemnebant.

CAPUT XXXIII. — Videsne quam tibi non dicam [1], Si Christianus es, crede dicenti Christo quia de se scripsit Moyses ; quod si non credis, Christianus non es ? Ipse quippe videris quid de te sentias, qui te ut Gentilem vel Judæum doceri de Christo expetis : ego tamen neque hoc defugi, et omnes tibi aditus erroris quantum potui clausi. Nec illud sivi patere præcipitium, qua vos cæci mittitis, dicentes falsa esse in Evangelio, sicubi vestra hæresis exitum non invenerit : ut vobis nihil remaneat, quo redire possitis, unde Christo credatis, ubi vobis hæc vox pestilentiæ non possit opponi. Quin etiam sic te doceri cupis, ut christianum Thomam, quem Christus *de se dubitantem non est aspernatus, sed quo animi ejus vulneribus mederetur, corporis sui cicatrices ostendit.* Illæc verba tua sunt. Bene quod sic te doceri exigis. Quam enim verebar ne hoc quoque in Evangelio falsum esse contenderes ! Crede ergo cicatricibus Christi : quia si cicatrices illæ veræ erant, vera etiam illa vulnera fuerant ; nec vera vulnera, nisi vera caro habere potuisset : hoc verum totum vestrum evertit errorem. Porro, si Christus falsas cicatrices dubitanti discipulo demonstravit, et ipsum fallacem dicis ita docentem, et te falli cupis ita discentem. Sed quia falli nemo est qui velit, fallere autem multi volunt, magis te velle intelligo quasi exemplo Christi fallaciter docere, quam exemplo Thomæ fallaciter discere. Proinde, si credis quod falsis cicatricibus Christus fefellerit dubitantem, te quis velit credere docentem, ac non potius cavere fallentem ? At si ille discipulus veras cicatrices tetigit Christi, veram confiteri cogeris et carnem Christi. Ita Manichæus non permanebis, si sic credas ut Thomas : infidelis autem remanebis, si nec sic credis ut Thomas (*Joan.* XX, 27, 28).

[1] Sic Mss. Editi vero Er. et Lov. : *Vides, nequaquam tibi nunc dicam.* Minus recte.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit : Cur Legem non accipitis et Prophetas, cum Christus eos non se venisse solvere dixerit, sed adimplere (*Matth.* V, 17) ? Quis hoc testatur dixisse Jesum ? Matthæus. Ubi dixisse ? In monte. Quibus præsentibus ? Petro, Andrea, Jacobo et Joanne, quatuor his tantum : cæteros enim necdum elegerat, nec ipsum Matthæum. Ex his ergo quatuor unus, id est Joannes, Evangelium scripsit ? Ita. Alicubi hoc ipse commemorat ? Nusquam. Quomodo ergo quod Joannes non testatur qui fuit in monte, Matthæus hoc scripsit qui longo intervallo, postquam Jesus de monte descendit, secutus est eum ? Ac per hoc de hoc ipso primo ambigitur, utrum Jesus tale aliquid dixerit, quia testis idoneus tacet, loquitur autem minus idoneus : ut interim permiserimus nobis injuriam fecisse Matthæum, donec et ipsum probemus hæc non scripsisse, sed alium nescio quem sub nomine ejus : quod docet et ipsa lectionis ejusdem Matthæi obliqua narratio. Quid enim dicit ? *Et cum transiret Jesus, vidit hominem sedentem ad telonium, nomine Matthæum, et vocavit eum : at ille confestim surgens, secutus est eum* (*Id.* IX, 9). Et quis ergo de se ipso scribens, dicat, *Vidit hominem, et vocavit eum, et secutus est eum ;* ac non potius dicat, Vidit me, et vocavit me, et secutus sum eum : nisi quia constat hæc Matthæum non scripsisse, sed alium nescio quem sub ejus nomine ? Cum ergo ne quidem si et Matthæus hoc scriberet, verum foret ; quia præsens non erat cum Jesus hæc loquebatur in monte : quanto magis credendum non erit, quia nec Matthæus eadem scripsit, sed alius sub nominibus et Jesu et Matthæi ?

CAPUT II. — Quid, quod etiam ex ipso sermone, quo præcipit non putare quia venerit Legem solvere, magis intelligi detur quia solverit ? Neque enim nihil eo tale faciente Judæi suspicari hoc possent. Sed, *Nolite*, inquit, *putare quia veni solvere Legem.* Agedum ergo, si ei et Judæi dixissent, Quid porro autem tu tale agis, unde hoc suspicari possimus ? An quia circumcisionem derides, sabbatum violas, sacrificia respuis, confundis cibos ? Hoc est ergo, *Nolite putare.* Et quid hoc amplius, quidve manifestius fieri potuit in destructionem Legis ac Prophetarum ? Aut si hoc adimplere est Legem, quid erit solvere ? Quid, quod

etiam Lex et Prophetæ ne adimpletione[1] quidem gaudent, adeo sibi pleni videntur et consummati, quorum auctor ac pater non minus eis adjici indignatur, quam detrahi, ut scribens in Deuteronomio dicat, *Hæc præcepta quæ mando tibi hodie, Israel, observabis; et cave ne declines ab iisdem, neque in sinistram, neque in dexteram; nec addas quidquam eis, nec minuas: sed in iisdem perseverabis, ut benedicat te Deus tuus* (*Deut.* v, 32, *et* xii, 32)? Quapropter, sive adimplendi causa Jesus Legi aliquid et Prophetis adjecit, in dexteram videtur lapsus; sive dempsit ut destrueret, in sinistram; utrumque certe offendit Legis auctorem: idcircoque aut aliud aliquid significat istud, aut falsum est.

CAPUT III. — Augustinus respondit: O mirabilem insaniam[2], de Christo aliquid narranti nolle credi Matthæo, et velle credi Manichæo! Si Matthæus non interfuit, cum Christus dixisset, *Non veni solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere* (*Matth.* v, 17); et propterea non est ei credendum: numquid Manichæus interfuit, aut jam vel natus fuit, cum Christus inter homines appareret? Secundum ergo hanc fidei vestræ legem, nihil ei de Christo testificanti credere debuistis. Nos autem non propterea dicimus non credendum esse Manichæo, quia dictis factisque Christi non interfuit, et longe post natus est; sed quia de Christo contra Christi discipulos loquitur, et contra Evangelium quod illorum auctoritate firmatum est. Habemus enim Apostoli vocem, qui in Spiritu sancto tales venturos esse cernebat. Unde fidelibus dicebat: *Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* i, 9). Nam si nemo de Christo vera dicit, nisi qui eum præsens vidit et audivit, hodie de illo nemo vera dicit. Porro si hodie propterea de illo fidelibus ejus vera dicuntur, quia illi qui viderunt et audierunt, vel prædicando vel scribendo ea disseminaverunt; cur ex ore Joannis condiscipuli sui non posset vera Matthæus audire de Christo, ubi ille adfuit, et ipse non adfuit, si ex libro Joannis possumus vera loqui de Christo, non solum nos tanto post nati, sed etiam post nos alii nasciturі? Hinc enim non solum Matthæi, verum etiam Lucæ ac Marci Evangelium, qui eosdem discipulos secuti sunt, in non imparem auctoritatem receptum est. Huc accedit, quia et ipse Dominus potuit narrare Matthæo, quod antequam eum vocasset, cum iis egerat quos prius vocaverat. At enim hoc ipse Joannes in Evangelio suo ponere debuit, si hoc dictum a Domino audierat, qui, cum diceretur, præsens erat? Quasi fieri non potuerit ut cum omnia quæ a Domino audierat, scribere non posset, inter alia quæ prætermisit, et hoc prætermiserit, cum in alia scribenda esset intentus. Nonne Evangelium suum ita ipse conclusit, dicens, *Et alia quidem multa fecit Jesus, quæ si scriberentur sigula, nec ipsum existimo capere mundum qui scriberentur libros* (*Joan.* xxi, 25)? Hic utique ostendit se scientem multa prætermisisse. Sed si de Lege et Prophetis vos delectat Joannis auctoritas, Joanni credite attestanti Legi et Prophetis. Ipse scripsit quod Isaias viderit Christi gloriam (*Joan.* xii, 41). In ejus habetis Evangelio, unde jam paulo ante tractavimus: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Id.* v, 46). Undique tergiversatio vestra contunditur. Aperte dicite non vos credere Christi Evangelio: nam qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.

CAPUT IV. — At quam elegantem rem sibi visus est Faustus dicere, ubi propterea voluit non credi hæc scripsisse Matthæum, quia cum de sua electione diceret, non ait, Vidit me, et dixit mihi, Sequere me; sed, *Vidit Matthæum, et dixit ei, Sequere me* (*Matth.* ix, 9): quod nescio utrum de errore imperitiæ dixerit, an de more fallaciæ. Sed non usque adeo imperitum putaverim, ut nec legerit, nec audierit, solere scriptores rerum gestarum, cum in suam personam venerint, ita se contexere, tanquam de alio narrent, quod de se narrant. Magis ergo hunc arbitror non ut imperitum, sed ut imperitis nebulam obtendere voluisse, sperantem se plures esse captu rum, qui ista non nossent. Et in historia quidem rerum sæcularium talis narrationis reperiuntur exempla: sed non opus est ut ex alio genere litterarum vel nostros admoneam, vel istum refellam. Ipse certe paulo ante de libris Moysi quædam testimonia ita proferebat, ut non ea negaret scripsisse Moysen, imo et affirmaret, sed ad Christum non pertinere contenderet. Legat ergo in eisdem libris, quæ de se scripsit Moyses, utrum ita scripserit, Dixi, aut, Feci hoc vel illud; et non potius, *Dixit Moyses* (*Exod.* iii, 3), et, *Fecit Moyses* (*Id.* vii, 6): aut, Vocavit me Dominus, vel, Dixit ad me Dominus; et non potius, *Vocavit Dominus Moysen* (*Levit.* i, 1), et, *Dixit Dominus ad Moysen* (*Exod.* iv, 19): et omnia cætera in eumdem modum. Ita ergo et Matthæus de se tanquam de alio scripsit: quod et Joannes fecit; nam circa finem libri sui etiam ipse sic loquitur: *Conversus Petrus vidit discipulum quem diligebat Jesus, qui et recumbebat in cœna super pectus ejus, et dixerat Domino, Quis est qui te tradet?* Numquid et hic dixit, Conversus Petrus vidit me? An forte propterea nec istum putant hoc Evangelium scripsisse? Sed paulo post dicit: *Hic est discipulus qui testificatur de Jesu, et qui hæc scripsit; et scimus quia verum est testimonium ejus* (*Joan.* xxi, 20, 24), Numquid ait, Ego sum discipulus qui testificor de Jesu, et qui hæc scripsi; et scimus quia verum est testimonium meum? Certe manifestum est hunc morem fuisse scriptorum, cum gesta narrarent. Quam multa et ipse Dominus eadem locutione de se dicit, quis enumerare sufficiat? *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis, putas, inveniet fidem in terra* (*Luc.* xviii, 8)? non dixit, Cum venero, putas, inveniam? Et, *Venit Filius hominis manducans et bibens* (*Matth.* xi, 19): non dixit, Veni. Et, *Veniet hora, et nunc est, cum mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent* (*Joan.* v, 25): non dixit, Vocem meam: et multa hujusmodi. Unde jam puto sufficere quæ dicta

[1] Lov. ex Belgicis aliquot Vss., *ne adimpletione tua.*
[2] Quidam Mss.: *O miserabilem insaniam!*

sunt, et ad studiosos commonendos, et ad calumniosos convincendos.

CAPUT V. — Jam illud quam sit infirmum, quis non videt, quod ait, non enim dicere potuisse, *Nolite putare quia veni solvere Legem aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere:* nisi aliquid tale jam fecisset, ut in hanc suspicionem posset venire? Quasi nos negemus Judæis non intelligentibus videri potuisse Christum destructorem Legis et Prophetarum: sed hoc ipsum est cur ille verax et veritas non potuerit de alia Lege et de aliis Prophetis dicere, quod eos non solveret, nisi de iis quos illi eum solvere suspicabantur. Quod hinc etiam satis confirmatur, quia ibi sequitur, et dicit: *Amen, amen dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non transiet de Lege, donec omnia fiant. Quicumque ergo solverit unum ex mandatis istis mininis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: quicumque autem fecerit, et sic docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Pharisæos enim cogitabat, cum ista diceret, qui solvebant Legem factis, et docebant verbis. De quibus alio loco dicit: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 3). Propterea et hic ita sequitur: *Dico enim vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Id.* V, 17-20): id est, nisi vos feceritis et ita docueritis, quod illi non faciunt et sic docent, non intrabitis in regnum cœlorum. Quam ergo Legem docebant Pharisæi et non faciebant, ipsam dicit Christus non se venisse solvere, sed adimplere: quia ipsa pertinet ad cathedram Moysi, in qua sedentes Pharisæi, et dicentes nec facientes, audiendi sunt, non imitandi.

CAPUT VI. — Nec intelligit Faustus, aut forte se fingit non intelligere, quid sit implere Legem; cum hoc de verborum adjectione putat accipiendum, quia scriptum est, ne quid addatur Scripturæ Dei, vel detrahatur (*Deut.* XII, 32): unde dicit non debuisse adimpleri, quod ita perfectum commendatur, ut nihil addendum minuendumque sit. Nesciunt ergo isti quomodo adimpleat Legem, qui sic vivit ut Lex præcepit. *Plenitudo* enim *Legis charitas*, sicut dicit Apostolus (*Rom.* XIII, 10). Istam charitatem Dominus et exhibere et donare dignatus est, mittendo fidelibus suis Spiritum sanctum. Unde item dicit idem apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Id.* V, 5). Et ipse Dominus: *In hoc scient omnes quia discipuli mei estis, si vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 35). Impletur ergo Lex, vel cum fiunt quæ ibi præcepta sunt, vel cum exhibentur quæ ibi prophetata sunt. Lex enim per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Id.* I, 17). Ipsa Lex cum impleta est, gratia et veritas facta est. Gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum implectionem. Et quia utrumque per Christum, ideo non venit solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere: non ut Legi adderentur quæ deerant, sed ut fierent quæ scripta erant: quod ipsa ejus verba testantur. Non enim ait, *Iota unum, aut unus apex non transiet a Lege*, donec addantur quæ desunt; sed, *donec omnia fiant.*

LIBER DECIMUS OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit: *Non veni Legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* V, 17). Sed enim hoc, nisi aliud forte significat, a Christo dictum credere, non minus tibi contrarium scias esse, quam mihi. Uterque enim nostrum sub hac opinione christianus est, quia Christum in destructionem Legis ac Prophetarum venisse putavimus. Quod si tu verbo interim fateri non vis, attamen id operibus indicas. Inde enim est quod Legis ac Prophetarum præcepta et ipse contemnis: inde quod Novum Testamentum Jesum condidisse utrique fatemur: quo quid aliud, quam destructionem fatemur Veteris Testamenti? Quæ cum ita sint, quomodo Christum illud dixisse credemus, nisi ante nosmetipsos damnemus stultæ in præteritum opinionis, et ad pœnitudinem recurramus, obsequamurque Legi de integro ac Prophetis, atque eorum curemus, qualiacumque sint, observare mandata? Quod cum fecerimus, tunc denique vere crediderimus dixisse Jesum quia non venerit Legem solvere, sed adimplere. Nunc autem falsum est, quia nec tu id credis, de quo me solum incusas.

CAPUT II. — Sed esto, licuerit in præteritum errasse. Quid nunc tandem? Placetne ire sub Legem, si eam Christus non tam [1] solvit, sed adimplevit? Placet circumcidi, id est, pudendis insignire pudenda, et Deum credere sacramentis talibus delectari? placet suscipere sabbatorum otium, et Saturniacis manus insertare catenis? Placet ad ingluviem Judæorum dæmonis (neque enim Dei [2]) nunc tauros, nunc arietes, nunc etiam hircos, ut non et homines dicam, cultris sternere: ac propter quod idola sumus exosi, id nunc exercere crudelius sub Prophetis ac Lege? Placet denique feralium ciborum quædam existimare munda, quædam in immundis et contaminatis habere, ex quibus inquinatiorem porcinam Lex asserunt et Prophetæ? Negabis profecto horum quidquam faciendum nobis volentibus perseverare esse quod sumus: quoniam quidem Christum dicentem audias, dupliciter filium gehennæ fieri eum qui fuerit circumcisus (*Matth.* XXIII, 15). Sabbatum vero nec ipsum servasse videas, nec usquam mandasse servandum. De cibis item ipsum asseverantem audias, nullo eorum inquinari hominem, quæ in os ingrediuntur, sed ea potius quæ de

[1] Forte, *jam.*
[2] Sic meliores Mss. At Lov., *in ingluviem Judæorum dæmoniis, neque enim Deo.*

ore procedunt polluere (*Matth.* xv, 11). De sacrificiis item frequentem ipsius esse sermonem, Deum misericordiam velle, non sacrificium (*Id.* ix, 13, *et* xii, 7). Hæc igitur si ita sunt, ubi illud erit, non eum venisse solvere Legem et Prophetas, sed adimplere? Quod si dixit, aut aliud significans dixit, aut, quod absit, mentiens dixit, aut omnino nec dixit. Sed Jesum quidem mentitum esse nullus dicat, duntaxat Christianus : ac per hoc aut aliter dictum est, aut omnino nec dictum.

CAPUT III. — Et tamen me quidem jam adversus capituli hujus necessitudinem manichæa fides reddidit tutum, quæ principio mihi non cunctis quæ ex Salvatoris nomine scripta leguntur passim credere persuasit, sed probare si sint eadem vera, si sana, si incorrupta : esse enim permulta zizania, quæ in contagium boni seminis Scripturis pene omnibus noctivagus quidam seminator insperserit (*Id.* xiii, 25). Ideircoque me ne hic quidem terruerit sermo, quamvis reverendi nominis præ se ferat inscriptionem; quia probare mihi adhuc ex proposito licet, utrumne et hic interdiani satoris et boni sit, an nocturni illius et pessimi. Tu vero qui temere omnia credis, qui naturæ beneficium rationem ex hominibus damnas, cui inter verum falsumque judicare religio est, cuique bonum a contrario separare, non minus formidini est, quam infantibus maniæ [1]; quid facturus eris, cum te in capituli hujus angustiam necessitas coget? Dico autem, cum te Judæus, seu quis alter sermonis istius non inscius interpellabit, quid ita Legis et Prophetarum præcepta non serves, cum Christus eadem non se venisse solvere dicat, sed adimplere? Nempe cogeris aut vanæ superstitioni succumbere, aut capitulum profiteri falsum, aut te Christi negare discipulum.

CAPUT IV. — Augustinus respondit : Jam toties explosa atque convicta quia repetis, nos quoque, quibus ea convicimus, repetere non pigebit. Ea Christiani ex Lege et Prophetis non faciunt, quibus significata sunt ista quæ faciunt. Illæ quippe erant figuræ futurorum, quas rebus ipsis per Christum revelatis et præsentatis auferri oportebat, ut eo quoque ipso quod hæc ablata sunt, Lex et Prophetæ implerentur. Ibi quippe et hoc scriptum est, daturum Deum Testamentum novum, *Non quale dedi*, inquit, *patribus eorum* (*Jerem.* xxxi, 32). Populus enim ille pro suo corde lapideo, multa præcepta magis sibi congrua quam bona acceperat, quibus tamen figurarentur et prophetarentur futura : sed tunc a non intelligentibus celebrabantur. Cum autem venerunt et patefacta sunt quæ illis significabantur, non jam illa jubentur facienda, sed leguntur intelligenda. Unde ibi de hac etiam re futura dicitur, *Auferam eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum* (*Ezech.* xi, 19) : id est, non cor sine sensu, sed cor cum sensu. Unde traxit Apostolus quod ait, *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II *Cor.* iii, 3). Quid enim aliud dixit, quam *cor carneum?* Quia ergo et hoc prædictum erat, magis si ista de nostra celebratione non auferrentur, non implerentur Lex et Prophetæ; quia non fieret quod prædixerant : cum vero et hoc fit, inde potius intelliguntur adimpleri, unde vobis videntur non adimpleri.

CAPUT V. — Nec nos terret insultatio tua, quod sabbatorum otium, catenas Saturniacas appellas. Vana est enim et inepta; nec tibi hoc dicere venisset in mentem, nisi quia vos in die, quem dicunt Solis, solem colitis. Sicut autem nos eumdem diem dominicum dicimus, in eoque non istum solem, sed resurrectionem Domini veneramur; sic otium sabbatorum sine Saturni veneratione a patribus observatum est, cum sic illud observari oportebat : erat enim umbra futurorum, sicut Apostolus testis est (*Coloss.* ii, 17). Diebus quippe istis, quorum septenarius numerus in orbem redit, deorum suorum nomina Gentes imposuerunt. De quibus ait Apostolus, quod *coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori* (*Rom.* i, 25). Quos in hac parte etiam vos imitamini, nisi quod cum eis lucidiora duo lumina, cætera vero sidera non cum eis adoratis. Sed et mensibus imposuerunt nomina deorum suorum. Propter honorem quippe Romuli, quia eum Martis filium crediderunt, primum mensem Marti dicantes, Martium vocaverunt. Et inde Aprilem a nullo dei sui nomine, sed a re ipsa, quasi Aperilem, quod tunc plurimum germinis [1] aperiatur in florem. Inde tertium mensem Maium, quod Maiam Mercurii matrem deam colant. Inde quartum Junium a Junone. Inde cæteros usque ad Decembrem a numeris nominarunt. Sed ex eis Quintilis atque Sextilis nominibus hominum, quibus divinos honores decreverant, appellati sunt, Julius et Augustus : nam septimus September, et cæteri, ut dixi, usque ad Decembrem, numerorum ex ordine nominibus enuntiantur. Porro Januarius a Jano appellatus est, Februarius a Februis sacris Lupercorum. Vultis ergo ut et vos dicamini in mense Martio Martem colere? Illo enim mense Bema vestrum cum magna festivitate celebratis (*a*). Si autem vobis in mense Martio licere arbitramini aliud considerare, non Martem; cur ex die septimo, quod sabbatum a requie nominatum est, divinis Scripturis Saturnum importare conamini, quia eum diem Saturni Gentes appellaverunt? Nempe jam videtis cum quanta impietate deliretis.

CAPUT VI. — De sacrificiis autem animalium quis nostrum nesciat, magis ea perverso populo congruenter imposita, quam Deo desideranti oblata? Sed tamen etiam in his figuræ nostræ fuerunt; quia nostra mundatio, et Dei propitiatio nobis sine sanguine nulla est. Sed illarum figurarum veritas Christus est, cujus sanguine redempti et mundati sumus. Nam in figuris eloquiorum divinorum, et taurus dictus est propter virtutem crucis, cujus cornibus impios ventilavit; et aries, propter in-

[1] Er. et Lov. hic et postea, cap. 7, *lamiæ*. At Am. et omnes prope mss. constanter, *maniæ*. Sic dici solent terriculamenta infantium, atque uti in Isidor. Gloss. legitur, *formidinum imagines*. Lamias idem significare hoc loco manifestum est.

[1] Nonnulli Mss., *quod tunc primum germen*.

(*a*) Confer librum contra Epistolam Fundamenti, cap. 8.

nocentiæ principatum; et hircus, propter similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum (*Rom.* VIII, 3): et si quod aliud sacrificii genus expressius commemoraveris, in eo quoque tibi Christum prophetatum esse monstrabo. Quocirca sive circumcisio, sive sabbatum, sive differentia ciborum, sive immolatio sacrificiorum, omnia hæc figuræ nostræ fuerunt et prophetiæ : quas Christus non solvere, sed adimplere venit, cum ea quæ his prænuntiabantur, implevit. Attende cui contradicas : cum Apostolo, ex Apostolo dico, *Omnia hæc figuræ nostræ fuerunt* (I *Cor.* X, 6).

CAPUT VII. — Nam sicut te Manichæus impiam docuit perversitatem, ut ex Evangelio, quod hæresim tuam non impedit, hoc accipias; quod autem impedit, non accipias : sic nos Apostolus docuit piam provisionem, ut quisquis nobis annuntiaverit præter id quod accepimus, anathema sit (*Galat.* I, 8, 9). Unde Christiani catholici et vos inter zizania numerant, quia Dominus exposuit quid sint zizania, non aliqua falsa veris scripturis immissa, sicut tu interpretaris; sed homines filios maligni, id est, imitatores diabolicæ falsitatis (*Matth.* XIII, 39). Nec omnia temere credunt : et ideo Manichæo cæterisque hæreticis non utique credunt. Nec rationem ex hominibus damnant : sed quam vos dicitis esse rationem, errorem esse convincunt. Nec verum falsumque judicare impium putant : ideo vestram sectam falsissimam, fidem autem catholicam veri simam judicant. Nec bonum a contrario separare formidant; sed malum non esse naturam, quia contra naturam est, intelligunt : non gentem nescio quam tenebrarum, adversum divina regna a suo principio nascentem et rebellantem, quæ vere ampliorem formidinem intulit deo vestro, quam infantibus maniæ; quippe quem dicitis, ne sua membra illius impetu capta et vastata conspiciat, velum contra se posuisse. Proinde nullas ex hoc capitulo patiuntur angustias, quod quasi Legis et Prophetarum præcepta non servent : quia et ex gratia Christi habent legitimam charitatem Dei et proximi, in quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 40); et quæcumque ibi vel rebus gestis, vel sacramentorum celebrationibus, vel locutionum modis figurate prophetata sunt, in Christo et Ecclesia impleri cognoscunt. Unde nec vanæ superstitioni succumbimus, nec illud evangelicum capitulum falsum esse dicimus, nec Christi discipulos nos negamus : quia ea ratione veritatis, quam pro meis viribus toties exposui, non aliam Legem, nec alios Prophetas, quam eos quos catholica tenet auctoritas, non venit solvere, sed adimplere.

LIBER DECIMUS NONUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit : *Non veni solvere Legem et Prophetas, sed adimplere* (*Matth.* V, 17). Ecce jam consentio dictum. Quærendum tamen est, cur hoc dixerit Jesus, utrumne compalpandi Judæorum furoris causa, quia iidem sacrosancta sua ab eodem conculcari videntes indignarentur, eumque ac si impium ac malesanum, ne audiendum quidem existimarent, nedum sequendum : an ut nos qui ei credebamus ex Gentibus, institueret atque informaret, patienter ac morigere mandatorum subire jugum, quod cervicibus nostris Judæorum Lex imponeret ac Prophetæ. Sed hoc quidem nec teipsum putare credo, quod Jesus hoc verbum protulerit, ut nos Hebræorum Legi addiceret ac Prophetis. Ac per hoc, si hæc non fuit causa dicendi, illa alia debet esse quam dixi. Judæos enim verbis semper atque operibus Christi vehementer insidiatos esse, nemo qui nesciat. Ex quibus cum iidem colligerent Legem ac Prophetas suos ab eodem solvi, indignarentur necesse est, ac per hoc reprimendi furoris eorum gratia non ab re fuerit dixisse, uti ne putarent [1], quia venisset Legem solvere, sed adimplere. Nec hoc ipsum mentitus est, nec fefellit : indifferenter enim et absolute nominavit Legem.

CAPUT II. — Sunt autem legum genera tria : unum quidem Hebræorum, quod peccati et mortis Paulus appellat (*Rom.* VIII, 2). Aliud vero Gentium, quod naturale vocat : *Gentes enim*, inquit, *naturaliter quæ legis sunt faciunt; et ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis* (*Id.* II, 14, 15). Tertium vero genus legis est veritas, quod perinde significans Apostolus dicit : *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis* (*Id.* VIII, 2). Tribus ergo existentibus legibus, et Jesu asseverante nobis quia non venit solvere Legem, sed adimplere, non parva cura ac diligentia opus est, de qua earum dixerit intelligere. Item Prophetæ, alii sunt Judæorum, alii Gentium, alii veritatis. Sed de Judæorum quidem nullus quæsiverit; notum est enim. De Gentium vero si quis ambigit, audiat Paulum, qui scribens ad Titum de Cretensibus, dicit : *Dixit quidam proprius eorum propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri* (*Tit.* I, 12). Ac per hoc dubitandum non est, et Gentes suos habere prophetas. Necnon et veritatem habere prophetas suos, tam idem Paulus significat, quam etiam Jesus. Et Jesus quidem, ubi dicit : *Ecce mitto ad vos sapientes et Prophetas, et ex ipsis interficietis in singulis locis* (*Matth.* XXIII, 34). Paulus vero cum dicit : *Ipse Dominus constituit primum apostolos, deinde prophetas* (I *Cor.* XII, 28, *et Ephes.* IV, 11).

CAPUT III. — Lege ergo tripartita, et tripartitis Prophetis; de quonam eorum Jesus dixerit, non satis liquet : est tamen conjicere ex consequentibus. Etenim si circumcisionem statim nominaret, et sabbata ac sacrificia et observationes Hebraicas, inque eas aliquid adimpletionis gratia protulisset; dubium non erat quin de Judæorum Lege dixisset et Pro-

[1] Er. Lugd. Ven., *ut reputarent*. M.

phetis, quia eos non solvere venerit, sed adimplere. Ubi vero horum quidem nihil memorat, sola vero recenset antiquiora præcepta, id est, *Non occides*, *Non mœchaberis*, *Non pejerabis* ; hæc autem erant antiquitus in nationibus, ut est in promptu probare, olim promulgata per Enoch et Seth et cæteros eorum similes justos, quibus eadem illustres tradiderint Angeli temperandæ in hominibus gratia feritatis : cui non videatur hoc eum de veritatis dixisse lege et ejus prophetis? Denique etiam adimpletio probatur ejus circa hæc eadem quæ promisit. Quid enim dicit? *Audistis dictum esse antiquis, Non occides; ego autem dico vobis, ne irascamini quidem* : adimpletio est. *Audistis dictum esse, Non mœchaberis; ego autem dico vobis, ne concupiscatis quidem :* adimpletio est. *Dictum est, Non pejerabis; ego autem dico vobis, ne juretis quidem :* æque adimpletio est. In his enim et priora roborat, et quod defuit, adjicit. Ubi vero Judæorum quædam visus est nominasse, illa quidem nec adimplevit, sed etiam penitus eradicavit præceptione contrariorum. Quid enim sequitur? *Audistis dictum esse, Oculum pro oculo, dentem pro dente; ego autem dico vobis, qui te percusserit in maxillam, præbe illi et alteram :* hoc jam destructio est. *Dictum est*, inquit, *Amabis amicum tuum, et oderis inimicum tuum; ego autem dico vobis, amate inimicos vestros, et pro persecutoribus vestris orate :* æque destructio est. *Dictum est, Qui voluerit uxorem dimittere, det ei repudium; ego autem dico, quicumque uxorem suam dimiserit, excepta causa fornicationis, et ipsam mœchari faciet, et is erit mœchus, si postea alteram duxerit.* (*Matth.* v. 21-44). Hæc igitur sunt de manifesto Moyseos præcepta, idcircoque destructa : illa veterum justorum, et ob hoc adimpleta. Quod si et tibi ita intelligere placet, non ab re erit et illud dixisse Jesum, quia non venit solvere Legem, sed adimplere. Sin hæc nostra tibi displicet expositio, aliam quære : tantum ne Jesum mentitum dicere cogaris ; aut te necesse sit Judæum fieri : ne etiam nunc Legem solvere perseveres, quam ipse non solvit.

CAPUT IV. — Et tamen hoc si mihi Nazaræorum objiceret quisquam, quos alii Symmachianos appellant, quod Jesus dixerit, non se venisse solvere Legem ; aliquantisper hæsissem incertus quid ei responderem. Nec immerito : veniebat enim corpore atque animo simul Lege obsitus ac Prophetis. Nam hujusmodi, quos aio, et circumcisionem portant, et observant sabbatum, et porcina ac reliquis abstinent hujusmodi quæ præcepit Lex, sub christiani quamvis nominis professione, decepti etiam ipsi, ut intelligi datur, hoc ipso capitulo quo et tu, quia Christus non ad solvendam Legem se venisse dixerit, sed ad implendam. Quare cum talibus esset mihi non pusillum, ut dixi, certamen, donec capituli hujus a me molestiam demolirer : tibi vero nequaquam congredi metuam, nullis confiso viribus, et impudentia potius lacessenti, ut facilius tentari me putem abs te, quam cogi, ut credam dixisse Christum, quod nec te videam credidisse. Nec enim quidquam eorum præferens [1], quibus Lex et Prophetæ non solvi videantur, sed adimpleri, me tanquam desidem objurgas ac prævaricatorem, ex hujus objectione capituli. An et tu jam de truncatorum inguinum obscœno illo signaculo gloriaris, tanquam Judæus aut Nazaræus? An supercilium de observatione erigis sabbatorum? An de porcinæ abstinentia tibi conscius gaudes? An denique de victimarum sanguine et holocaustorum nidoribus Judæorum te exsaturasse Deum exsultas? Quod si horum fecisti nihil, quid ita Christum non venisse Legem solvere, sed adimplere contendis?

CAPUT V. — Quare indeficientes ego præceptori meo refero gratias, qui me similiter labentem retinuit, ut essem hodie Christianus. Nam ego quoque, cum capitulum hoc imprudens legerem, quemadmodum tu, pene ieram in consilium Judæus fieri. Nec immerito : etenim si Christus Legem non venit solvere, sed adimplere, adimpletio autem nunquam in vase inani dicitur, sed in semo, solus mihi videbatur Israelita posse Christianus fieri, qui refertus maxima ex parte Lege ac Prophetis, ad Christum veniret, replendus eo cujus adhuc videretur esse capacior; si tamen et ipse priora non solveret : alioquin nec circa eum adimpletio hæc esset, sed exhaustio. At ego ex Gentibus veniens, incassum me accessisse putabam ad Christum, quia nihil tale afferrem, quod in me de suis posset adjectionibus adimplere. Quærens ergo quænam esset prior illa mensura, invenio sabbata, peritomen, sacrificia, neomenias, baptismata, azymophagias, ciborum discretiones, potuum, vestimentorum, et alia, quæ percurrere longum est. Arbitratus ergo sum hoc esse ; nec aliud quidquam, quod se Christus non venisse solvere dixerit, sed adimplere. Nec immerito : quid enim Lex sine mandatis? Quid Prophetæ sine præfatibus [2]? Ad hæc invenio etiam amarum illic indictum maledictum adversus eos, qui non permanserint in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis illius, ut faciant ea (*Deut.* xxvii, 26). Et illinc ergo maledictum metuens tanquam Dei, et hinc Christum tanquam ejus filium dicentem audiens quod non venerit eadem solvere, sed adimplere ; vide si quid impedire jam poterat quin factus essem judæus. Sed huic periculo me Manichæi veneranda fides eripuit.

CAPUT VI. — Tu tamen quid fiduciæ gerens, hæc objicias quæro, aut quare contra me id esse putes solum, quod tibi non minus videatur esse contrarium. Si Christi non est Legem solvere et Prophetas, utique nec Christianorum. Cur ergo eadem vos solvitis? An sensim fatemini vos non esse Christianos? Quid Legi et Prophetis omnibus sacrosanctum illum sabbatorum diem, in quo et mundi ipsum opificem Deum requievisse testantur (*Gen.* II, 2), vos omni opere profanatis, nec pœnam mortis quam adversum violatores ejus statuit, nec maledicti pertimescentes infamiam? Quid et a circumcisionis dedecoroso illo signaculo Legi ac Prophetis omnibus honorato, et

[1] Aliquot Mss., *proferens*.
[2] Unus Parisiensis Ms., *sine prophatibus*.

maxime Abrahæ post opinatam suam fidem, sinus defenditis vestros : præsertim cum et peritnrum omnem de plebe sua perhibeat Judæorum Deus, quicumque non hac fuerit ignominia præsignatus (*Gen.* xvii, 9-14)? Cur et sacrificiorum legitima, quæ nec Moyses ac Prophetæ sub Lege, nec sub fide sua in secundis habuit Abraham, vos spernitis? Cur vero et ciborum indifferentia animas polluitis vestras, si hæc, ut creditis, omnia Christus non venit solvere, sed adimplere? Cur et azymorum anniversale jus, et mactationis agninæ sacrum, quod in æternum servare Lex et Prophetæ præcipiunt, vos impiatis? Cur denique neomenias, et baptismata, et scenopegiam, ac reliqua hujusmodi Legis atque Prophetarum sacramenta carnalia, parum devitatis irrumpere, si eadem Christus minime destruxit? Quare non immerito dixerim, quia si vultis ut ratio vobis contemptus istius constet, oportet aut vos negare Christi esse discípulos, aut tandem fateri ipsum omnia hæc destruxisse priorem. Quod cum fueritis confessi, tunc et illud consequitur, ut aut falso fatcamini scriptum esse, tanquam idem dixerit, non se venisse solvere Legem, sed adimplere; aut nescio quid hoc longe aliud quam vos putatis, significasse.

CAPUT VII. — Augustinus respondit : Quia jam consentis dixisse Christum, *Non veni solvere Legem vel Prophetas, sed adimplere* (*Matth.* v, 17); durum enim tibi videtur adversus evangelicam auctoritatem venire; durum etiam tibi videatur venire adversus Apostolum, dicentem, *Omnia hæc figuræ nostræ fuerunt* (I *Cor.* x, 6); item dicentem de Christo, *Quia non* [1] *fuit Etiam et Non, sed Etiam in illo erat : quotquot enim promissiones Dei, in illo Etiam* (II *Cor.* i, 19, 20); id est, in illo exhibitæ, in illo adimpletæ sunt : et sine caligine videbis, et quam Legem adimplere venerit, et eam quo pacto adimpleverit. Nec perges extendi per tria genera legis et tria genera Prophetarum, quærens qua exeas, et non inveniens. Manifestum est enim, et luce clarius hoc etiam Novi Testamenti scriptura sæpe testatur, quam Legem et quos Prophetas Christus non venerit solvere, sed adimplere. Ipsa est enim Lex, quæ per Moysen data, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* i, 17). Ipsa est, inquam, Lex per Moysen data, de quo Christus ait, *De me enim ille scripsit* (*Id.* v, 46). Certe enim ipsa est Lex, quæ subintravit ut abundaret delictum (*Rom.* v, 20) : quod ad ejus reprehensionem, nihil intelligentes, in ore habere consuestis. Ibi ergo lege et vide, quia ipsa est de qua dicitur, *Itaque Lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem* (*Id.* vii, 12, 13). Neque enim Lex jubebat delictum, ut illa subintrante abundaret delictum; sed superbos multum sibi tribuentes, mandati sancti et justi et boni adjectio reos etiam prævaricationis effecerat : ut eo modo humiliati, discerent ad gratiam pertinère per fidem, ut jam non essent Legi subditi per reatum, sed Legi sociati per justitiam. Idem quippe apostolus dicit : *Quia priusquam veniret fides, sub Lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ postea revelata est. Itaque Lex*, inquit, *pædagogus noster erat in Christo Jesu : sed posteaquam venit fides, jam non sumus sub pædagogo* (*Galat.* iii, 23-25). Quia nos reatus Legis non obligat, jam per gratiam liberatos. Namque antequam spiritualem gratiam humiliati reciperemus, nihil nisi mortificabat nos littera, jubens quod non possemus implere. Unde idem dicit : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.* iii, 6). Rursus ejusdem apostoli verba sunt : *Si enim data esset Lex, quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia; sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (*Galat.* iii, 21, 22). Item ipsius verba sunt : *Quod enim impossibile erat Legis* [1], *in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne, ut justitia Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum* (*Rom.* viii, 3, 4). Ecce quod est, *Non veni Legem solvere, sed adimplere.* Quia [2] lex enim superbos etiam prævaricationis reatu devinxit, augendo peccatum, cum jubet quod implere non possunt; ipsius Legis impletur justitia per gratiam spiritus, in eis qui discunt a Christo mites esse atque humiles corde; qui venit non Legem solvere, sed adimplere. Deinde, quia etiam sub gratia positis, in hac mortali vita difficile est omni modo implere quod in Lege scriptum est, *Non concupisces* (*Exod.* xx, 17); ille per carnis suæ sacrificium sacerdos effectus, impetrat nobis indulgentiam, etiam hinc adimplens Legem; ut quod per nostram infirmitatem minus possumus, per illius perfectionem recuperetur [3], cujus capitis membra effecti sumus. Unde Joannes dicit : *Filioli, hæc scribo vobis, ut non peccetis : et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum; ipse est exoratio pro peccatis nostris* (I *Joan.* ii, 1, 2).

CAPUT VIII. — Prophetias autem sic adimplevit, cum in eo veritas facta est promissionum Dei [4]. Hoc paulo ante ex Apostolo commemoravi, dicente, *Quotquot enim promissiones Dei, in illo Etiam.* Idem rursus dicit, *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum* (*Rom.* xv, 8). Quod ergo in Prophetis, sive aperte, sive per figuras, vel locutionum vel actionum promittebatur, in illo adimpletum est, qui non venit solvere Legem et Prophetas, sed adimplere. Hoc autem vos non intelligitis, quia si quædam facta et celebrationes, quæ figuræ erant ventura prænuntiantes, adhuc a Christianis fierent, nihil significaretur, nisi nondum venisse, quæ tum illis figuris prænuntiabantur. Quod enim adhuc venturum prænuntiatur, aut nondum venit, aut si jam venit,

[1] Editi, *Quia non fuit in illo.* Abest, *in illo*, a Mss.

[1] Lov., *Legi.* Editi vero alii et Mss., *Legis* : juxta græcum.
[2] Editi, *quæ.* Plures Mss., *quia.*
[3] Aliquot Mss., *recuretur.*
[4] Sic in quibusdam Mss. At in editis, *promissio Dei.*

superfluo vel fallaciter prænuntiatur. Quapropter, unde vobis videtur Christus non implesse Prophetas, quia non fiunt a Christianis quædam quæ per Prophetas, ab Hebræis ut fierent, instituta sunt, inde potius probatur implesse. Usque adeo enim quidquid per hujusmodi figuras prophetabatur impletum est, ut jam per illas non prophetetur. Ad hoc pertinet etiam quod ipse Dominus ait, *Lex et Prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* xvi, 16). Lex enim, quæ prævaricatores abundanti reatu concludebat in eam fidem quæ postea revelata est, gratia facta est per Jesum Christum, per quem superabundavit gratia : ac per hoc impleta est per gratiam liberantem, quæ non implebatur per litteram jubentem. Item in ipsa Lege universa prophetia, quæ non tantum verbis, sed etiam quarumdam actionum figuris, Salvatoris promittebat adventum, veritas facta est per Jesum Christum. *Lex* enim *per Moysen data est ; gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* i, 17). Ex cujus adventu jam regnum Dei cœpit annuntiari : quia *Lex et Prophetæ usque ad Joannem ;* Lex ut reos faceret, qui desiderarent salutem ; Prophetæ, ut promitterent Salvatorem. Cæterum prophetas alios exstitisse jam in Ecclesia post ascensionem Christi, quis nesciat ? De quibus Paulus dicit : *Et quosdam constituit in Ecclesia, primum apostolos, deinde prophetas, tertio doctores* (I *Cor.* xii, 28), et cætera. Non itaque de illis dictum est, *Lex et Prophetæ usque ad Joannem :* sed de iis qui primum Christi adventum prophetaverunt ; qui adventus impletus non utique adhuc posset prophetari.

CAPUT IX. — Proinde, cum quæris, cur jam non circumcidatur carne Christianus, si Christus non venit Legem solvere, sed adimplere : respondeo, Imo ideo jam non circumciditur Christianus, quia id quod eadem circumcisione prophetabatur, jam Christus implevit. Exspoliatio enim carnalis generationis, quæ in illo facto figurabatur, jam Christi resurrectione adimpleta est : quod et in nostra resurrectione futurum sacramento Baptismi commendatur. Nam neque penitus auferri debuit novæ vitæ sacramentum, quia restat adhuc in nobis futura resurrectio mortuorum : et in melius tamen idem [1] succedente Baptismo debuit commutari, quia jam factum est, quod nunquam factum erat, ut futuræ vitæ æternæ in resurrectione Christi nobis præberetur exemplum. Cum quæris, sabbati otium cur non observet Christianus, si Christus non venit Legem solvere, sed adimplere : respondeo, Imo id propterea non observat Christianus, quia quod ea figura prophetabatur, jam Christus implevit. In illo quippe habemus sabbatum, qui dixit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam ; tollite jugum meum super vos, et discite a me quoniam mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* xi, 28, 29).

CAPUT X. — Cum quæris, quare Christianus non observet differentiam ciborum, quæ in Lege præcipitur, si Christus non venit Legem solvere, sed adimplere : respondeo, Imo propterea id non observat Christianus, quia quod illis figuris prophetabatur, jam Christus implevit, non admittens ad corpus suum quod [1] in sanctis suis ad vitam æternam prædestinavit, quidquid per illa animalia in moribus hominum significatum est. Cum quæris, quare Christianus non animalibus immolatis carnis et sanguinis sacrificia offerat Deo, si Christus non venit Legem solvere, sed adimplere : respondeo, Imo propterea magis hæc Christianus jam offerre non debet, quia ea quæ talibus rerum figuris illi prophetabant, immolatione carnis et sanguinis sui Christus implevit. Cum quæris, cur azyma sicut Judæi non observet Christianus, si Christus non venit Legem solvere, sed adimplere : respondeo, Imo propterea magis hoc non observat Christianus, quia quod illa figura prophetabatur, expurgato veteris vitæ fermento, novam vitam demonstrans Christus implevit (I *Cor.* v, 7). Cum quæris, cur de carne agni Christianus Pascha non celebret, si Christus non venit Legem solvere, sed adimplere : respondeo, Imo propterea Christianus jam sic Paschæ non celebrat, quia id quod illa figura prænuntiabatur, agnus immaculatus sua passione Christus implevit. Cum quæris, quam ob causam neomenias in Lege mandatas non celebret Christianus, si Christus non venit Legem solvere, sed adimplere : respondeo, Imo propterea jam Christianus istas non celebrat, quia propter quod prænuntiandum celebrabantur, jam Christus implevit. Celebratio enim novæ lunæ prænuntiabat novam creaturam, de qua dicit Apostolus : *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt ; ecce facta sunt nova* (II *Cor.* v, 17). Cum quæris, cur illa singularum quarumque immunditiarum baptismata, quæ in Lege præcipiuntur, non observet Christianus, si Christus non venit Legem solvere, sed adimplere : respondeo, inde potius hæc non observare Christianum, quia figuræ futurorum erant, quas Christus implevit. Venit enim consepelire nos sibi per Baptismum in mortem ; ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis, sic et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* vi, 4). Cum quæris, quid causæ est ut scenopegia non sit solemnitas Christianorum, si Lex a Christo adimpleta est, non soluta : respondeo, tabernaculum Dei fideles ejus esse, in quibus charitate sociatis et quodammodo compactis habitare dignatur ; et ideo magis illud non observari a Christianis, quia jam Christus in Ecclesia sua, quod illa figura prophetice promittebat, implevit.

CAPUT XI. — Et nunc quidem ista pro suscepto negotio, ne silentio præterirentur, quanta potuimus brevitate perstrinximus. Cæterum membratim articulatimque discussa, libros magnos multosque fecerunt [2], nihil aliud in eis quam Christum prophetatum ostendentes : ita fit ut omnia quæ ex illa Scriptura propterea putatis non observari a Christianis, quod ea Christus solverit, propterea potius reperiantur non obser-

[1] Am. Fr. et plures Mss., *id est succedente Baptismo.*

[1] Editi, *quod corpus.* Vox, *corpus*, non repetitur in Mss.

[2] Aliquot Mss., *facerent.*

vari a Christianis, quod ea Christus impleverit. Ipsa quippe talium figurarum observatio, prænuntiatio Christi fuit. Unde quid mirum est, quid absurdum, imo quid non congruum et consentaneum, si post ejus cessavit adventum, quidquid ideo fiebat, ut ejus prænuntiaret adventum? Figuræ igitur rerum, quæ ad hoc observabantur, ut ipsa earum observatione venturus Christus prophetaretur, usque adeo non debent propterea putari per Christi adventum non impletæ, quia illo veniente non observantur, ut nisi jam per adventum Christi implerentur, adhuc observarentur. In nullum autem nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur : quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.

CAPUT XII. — Verumtamen, quia visibilia sacramenta pietatis inesse possunt etiam impiis, sicut habuisse sanctum Baptismum etiam magum Simonem legimus (*Act.* VIII, 13) ; fiunt tales, quales Apostolus ait, *Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (II *Tim.* III, 5). Virtus autem pietatis est finis præcepti, id est, charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta (I *Tim.* I, 5). Unde apostolus Petrus, cum de sacramento arcæ, in qua Noe domus a diluvio liberata est, loqueretur, *Sic et vos*, inquit, *simili forma Baptisma salvos facit.* Et ne sibi sufficere putarent visibile sacramentum, per quod habebant formam pietatis, et per malos mores perdite vivendo virtutem ejus abnegarent, continuo subjecit, *Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio* (I *Petr.* III, 21).

CAPUT XIII. — Proinde prima sacramenta, quæ observabantur et celebrabantur ex Lege, prænuntiativa erant Christi venturi : quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt ; et ideo ablata, quia impleta ; non enim venit solvere Legem, sed adimplere : et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam justitia fidei revelata, et in libertatem vocatis filiis Dei jugo servitutis ablato (*Galat.* V, 1, 13), quod duro et carni dedito populo congruebat.

CAPUT XIV. — Verumtamen si antiqui justi, qui sacramentis illis intelligebant venturam prænuntiari revelationem fidei [1], ex qua licet adhuc operta et abscondita, munere tamen pietatis intellecta, etiam tunc ipsi vivebant ; quia in hac vita nemo esse potest justus, nisi qui ex fide vivit (*Rom.* I, 17) : si ergo antiqui justi pro illis prænuntiativis sacramentis et rerum nondum impletarum figuris, omnia dura et horrenda perpeti parati fuerunt, et plerique perpessi sunt ; si tres pueros Danielemque prædicamus, quia de mensa regis contaminari noluerunt (*Dan.* I, 8), quod erat contra illius temporis sacramentum ; si Machabæos cum ingenti admiratione præferimus, quia escas, quibus nunc Christiani licite utuntur, attingere noluerunt (II *Machab.* VII), quia tunc pro tempore prophetico non licebat : quanto magis nunc pro Baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, pro signo Christi ad omnia perferenda paratior debet esse Christianus, cum illa fuerint promissiones rerum complendarum, hæc sint indicia completarum ? Quod enim adhuc promittitur Ecclesiæ, id est, corpori Christi, et in manifestatione prædicatur, et in ipso capite corporis Salvatore, id est, in ipso Mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu (I *Tim.* II, 5), jam utique completum est. Quid enim promittitur, nisi vita æterna ex resurrectione a mortuis ? Hoc jam completum est in illa carne, quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). Tunc ergo et occulta erat fides ; nam eadem credebant, eademque sperabant omnes justi et sancti etiam temporum illorum ; et promissiva erant illa omnia sacramenta omnisque ritus ille sacrorum : nunc autem revelata est fides, in quam conclusus erat populus, quando sub Lege custodiebatur (*Galat.* III, 23) ; et quod fidelibus promittitur in judicio, jam completum est in exemplo, per eum qui Legem et Prophetas non venit solvere, sed adimplere.

CAPUT XV. — Quapropter quæritur quidem inter scrutatores sanctarum Scripturarum, utrum tantum profuerit antiquis justis fides passuri et resurrecturi Christi, quam vel revelationibus discebant, vel in Prophetis intelligebant ; quantum nunc prodest fides passi et resuscitati : an ipsa effusio sanguinis Agni Dei, quæ facta est, sicut ipse dicit, *pro multis in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI, 28), aliquid utilitatis et purgationis vel dederit vel addiderit, etiam iis qui hoc futurum credentes, antequam fieret ex hac vita emigraverant ; et utrum mors ejus ad liberationem etiam mortuos visitaverit. Sed nunc istam quæstionem vel pertractando discutere, vel aliquid in ea repertum etiam confirmando definire, et longum est, et huic operi non necessarium.

CAPUT XVI. — Interim adversus calumniosam imperitiam Fausti demonstrare sufficerit, quanto errore delirent qui putant signis sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diversas, quas ritus propheticus prænuntiavit promissas, et quas ritus evangelicus annuntiavit impletas : aut qui censent, cum res eædem sint, non eas aliis sacramentis annuntiari debuisse completas, quam iis quibus adhuc complendæ prænuntiabantur. Si enim soni verborum quibus loquimur, pro tempore commutantur, eademque res aliter enuntiatur facienda, aliter facta, sicut ista ipsa duo verba quæ dixi, facienda et facta, nec paribus morarum intervallis, nec iisdem vel totidem litteris syllabisve sonuerunt : quid mirum si aliis mysteriorum signaculis passio et resurrectio Christi futura promissa est, aliis jam facta annuntiatur ; quandoquidem ipsa verba, futurum et factum, passurus et passus, resurrecturus et resurrexit, nec tendi æqualiter, nec similiter sonare potuerunt ? Quid enim sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quædam

[1] Duo Mss., *venturum prænuntiari revelatione fidei.*

quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia et temporalia? Deus enim æternus est, nec tamen aqua et omnis illa actio corporalis, quæ agitur cum baptizamus, et fit, et transit [1], æterna est : ubi rursus etiam illæ syllabæ celeriter sonantes et transeuntes, cum dicitur, Deus, nisi dicantur, non consecratur. Hæc omnia fiunt et transeunt, sonant et transeunt : virtus tamen quæ per ista operatur, jugiter manet, et donum spirituale quod per ista insinuatur, æternum est. Qui ergo dicit, Si Christus Legem et Prophetas non solvisset, illa sacramenta Legis et Prophetarum in Christianorum congregationibus et celebrationibus permanerent; potest dicere, Si Christus Legem et Prophetas non solvisset, adhuc promitteretur nasciturus, passurus et resurrecturus : cum ideo magis hæc non solverit, sed adimpleverit, quia jam non promittitur nasciturus, passurus, resurrecturus, quod illa sacramenta quondam personabant; sed annuntiatur quod natus sit, passus sit, resurrexerit, quod hæc sacramenta quæ a Christianis aguntur, jam personant. Qui ergo venit Legem et Prophetas non solvere, sed adimplere, ipsa adimpletione abstulit ea per quæ adhuc promittebatur implendum, quod jam constat impletum : tanquam si verba ista tolleret, nasciturus, passurus, resurrecturus, quæ cum hæc futura essent, recte dicebantur; et instituerat dici, Natus est, passus est, resurrexit, quæ illis completis, et ob hoc ablatis, recte dicuntur.

CAPUT XVII. — Sicut ergo ista verba, ita illa prioris populi sacramenta, quia per eum qui non venit Legem et Prophetas solvere, sed adimplere, jam impleta sunt, ideo tolli mutarique debuerunt : quod primis Christianis, qui ex Judæis crediderant, donec contra tam diuturnam consuetudinem paulatim persuaderetur atque ad intellectum perfectum perduceretur, et quia ita nati erant atque instituti, siverunt eos Apostoli patrium ritum traditionemque servare; et eos quibus hoc opus erat, ut congruerent illorum tarditati moribusque monuerunt. Inde est quod Timotheum Judæa matre et Græco patre natum, propter illos, ad quos tales cum eo venerat, etiam circumcidit Apostolus (*Act.* xvi, 1-3) : atque ipse inter eos morem hujusmodi custodivit, non simulatione fallaci, sed consilio prudenti. Neque enim ita natis, et ita institutis noxia erant ista, quamvis jam non essent significandis futuris necessaria. Magis quippe noxium erat, ea tanquam noxia prohibere in his hominibus usque ad quos durare debuerunt. Quoniam Christus, qui omnes illas prophetias implere venerat, sic eos initiatos invenerat : ut jam de cætero, qui nulla tali necessitudine tenerentur, sed ex diverso veluti pariete, id est, ex præputio, ad illum angularem lapidem qui est Christus, convenirent (*Ephes.* II, 14, 20), ad nulla talia cogerentur. Si autem iis qui ex circumcisione venerant, talibusque sacramentis adhuc dediti erant, ultro vellent, sicut Timotheus, conferre congruentiam, non prohiberentur : verum si in hujusmodi Legis operibus putarent suam spem salutemque contineri, tanquam a certa pernicie vetarentur. Unde est illud Apostoli : *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Galat.* v. 2). *Circumcidamini* scilicet, sicut ipsi volebant, sicut eis a quibusdam depravatis persuasum erat quod sine his Legis operibus salvi esse non possent (*Act.* xv, 1). Nam cum Gentes ad Christi fidem ita venirent, maxime per Pauli apostoli prædicationem, sicut venire debuerunt, ut nullis ejusmodi observationibus onerarentur; quia et insolita ista, maxime circumcisionem, grandes ætate reformidantes deterrerentur a fide; et non ita nati, ut talibus sacramentis imbuerentur, si more pristino proselyti fierent, tanquam Christus per illa mysteria venturus adhuc promitteretur : cum ergo sic venirent ad fidem, ut jam ex Gentibus venire oportebat, non intelligentes qui ex circumcisione venerant, cur sibi illa permissa essent, et cur Gentibus imponenda non essent; quibusdam carnalibus seditionibus cœperant Ecclesiam perturbare, quod Gentiles ad Dei populum accedentes, non solemniter proselyti fierent in carnis circumcisione, et cæteris hujuscemodi observationibus Legis : atque in his erant, qui hoc ideo fieri magnopere insistebant, quia timebant Judæos inter quos versabantur. Contra hos apostolus Paulus multa scripsit : nam in horum simulationem etiam Petrum adductum fraterna objurgatione correxit (*Galat.* II, 14). Sed posteaquam in unum Apostoli congregati, etiam consilio [1] suo censuerunt Gentes ad hujusmodi opera Legis non esse cogendas (*Act.* xv, 6-11); displicuit quibusdam ex circumcisione Christianis, non valentibus mente discernere, illos solos ab hujusmodi observationibus non fuisse prohibendos, quos fides, quæ revelata est, his jam imbutos invenerat; ut in eis jam consummaretur ipsa actio prophetica, quos ante adimpletionem prophetiæ jam tenuerat : ne si et ab ipsis removeretur, improbata potius quam terminata videretur; si autem et Gentibus imponeretur, aut non Christi promittendi causa instituta esse, aut adhuc Christum promittere putaretur. Primus itaque populus Dei, antequam Christus veniret Legem Prophetasque adimplere, illa omnia quæ hunc promittebant, observare jubebatur : liber in eis, qui hæc quo pertinerent intelligebant; servus autem in eis, qui hoc non intelligebant. Posterior vero populus accedens ad fidem qua jam Christus venisse, passus esse, ac resurrexisse prædicabatur, in iis quidem hominibus quos jam talibus sacramentis institutos eadem fides invenerat, nec cogebatur ista observare, nec prohibebatur : in iis autem qui talibus vacui, nulla generis, nulla consuetudinis vel congruentiæ necessitudine retenti crediderant, etiam prohibebatur; ut per eos jam inciperet apparere, illa omnia propter promittendum Christum fuisse instituta; quo veniente atque hæc promissa adimplente, jam oportere cessare. Hoc igitur temperamentum moderamenque Spiritus sancti per Apostolos operantis cum displicuisset quibusdam ex circumcisione credentibus, qui hæc non intellige-

[1] Quæ jam cyltices, *cum Baptismus fit et transit.*

[1] Er. Lugd. et Ven., *concilio.* M.

lant, in ea perversitate manserunt, ut et Gentes cogerent judaizare. Ii sunt quos Faustus Symmachianorum vel Nazaræorum nomine commemoravit, qui usque ad nostra tempora jam quidem in exigua, sed adhuc tamen vel in ipsa paucitate perdurant.

CAPUT XVIII. — Quid habent ergo isti, unde Legi et Prophetis calumnientur, quod eos Christus solvere venerit potius quam adimplere, quia Christiani non observant quæ ibi præcepta sunt; cum ea sola non observent per quæ Christus promittebatur; et ideo non observent magis, quia eadem promissa jam Christus implevit, nec adhuc promittuntur quæ jam impleta sunt; eorumque promissiva signa in eis terminari debuerunt, quos fides Christi hæc adimplentis jam talibus imbutos invenerat? Numquid enim non observant Christiani quod in illa Scriptura est, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4): *Non facies tibi idolum;* et cætera hujusmodi? Numquid non observant Christiani quod ibi dicitur, *Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum?* Numquid ipsum sabbatum, quod ad intelligendam veram requiem pertinet, non observant Christiani? Numquid honorem parentibus Christiani non deferunt, quod ibi præceptum est? Numquid a fornicationibus, aut homicidiis, aut furtis, aut falsis testimoniis, aut a concupiscenda uxore proximi, aut a concupiscenda re proximi non se temperant Christiani; quæ omnia in illa Lege conscripta sunt (*Exod.* XX, 4-17)? Hæc præcepta sunt morum, illa sacramenta sunt promissorum: hæc implentur per adjuvantem gratiam, illa per redditam veritatem: utraque per Christum et illam semper gratiam donantem, nunc etiam revelantem; et hanc veritatem tunc promittentem, nunc exhibentem: quia *Lex per Moysen data est; gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17). Denique ista, quæ in recte vivente conscientia conservantur, fide per dilectionem operante complentur (*Galat.* V, 6): illa vero quæ in promittente significatione versata sunt, rebus redditis transierunt. Ita et ipsa non soluta, sed adimpleta sunt; quia ea non irrita, nec fallacia Christus ostendit, cum id quod eorum significatione promittebatur exhibuit.

CAPUT XIX. — Non itaque, sicut Faustus opinatur, quædam Dominus Jesus adimplevit, quæ ab antiquis justis jam dicta erant ante Legem Moyseos, sicuti est, *Non occides;* quod non contrario redarguit, sed magis firmavit, cum et ab ira et a convicio revocavit (*Exod.* XX, 13, *et Matth.* V, 21, 22): quædam vero solvit, quæ propria videbantur legis Hebræorum, sicuti est, *Oculum pro oculo, dentem pro dente;* quod videtur potius abstulisse quam confirmasse, cum ait, *Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, præbe illi et alteram* (*Exod.* XXI, 24, *et Matth.* V, 38, 39), et cætera. Nos enim dicimus etiam hæc, quæ isti putant solvisse Christum, velut contraria referendo, et tunc pro tempore bene fuisse instituta, et nunc a Christo non soluta, sed adimpleta.

CAPUT XX. — Proinde primum ab his quæro, utrum illi antiqui justi, Enoch et Seth (hos enim potissimum Faustus commemorat), et si qui alii, non solum ante Moysen, sed et si qui ante Abraham fuerunt, irati sint fratri sine causa, aut dixerint fratri, *Fatue.* Si enim non dixerunt, cur non et talia docuerunt? Quod si et talia docuerunt, quæro quemadmodum vel eorum justitiam doctrinamque Christus adimpleverit, addendo, *Ego autem dico vobis, si quis irascitur fratri suo; aut si quis dicit, Racha; aut si quis dicit, Fatue; reus erit vel judicii, vel consilii, vel gehennæ ignis* (*Matth.* V, 22): quandoquidem et illi eodem modo vivebant, eodem modo vivendum monebant? An ignorabant illi justi frenandam esse iracundiam, nec petulanti convicio fratrem lacessendum; aut noverant quidem, sed ab his se abstinere non poterant? Ergo rei erant gehennæ: quomodo igitur justi? Profecto enim nec Imperitam rerum ad suum officium pertinentium, nec intemperantem audes dicere eorum fuisse justitiam, in tantum ut eos faceret reos gehennæ. Cur ergo illam legem, secundum quam vivebant antiqui justi, hæc addendo Christus impleret, cum eorum quoque justitia sine istis esse non posset? An dicturus es quod præceps iracundia, et lingua improba, ex quo venit Christus, cœpit ad iniquitatem pertinere; antea vero non erat iniquum vel corde vel ore ista committere? Sicut in quibusdam rebus pro temporum proprietatibus institutis, invenimus nunc aliquid non licere, quod ante licuerit; vel quod ante non licuerit, nunc licere. Non usque adeo desipis, ut hoc dicas: sed etiam si dicas, respondebitur tibi, quod secundum istum intellectum Christus non adimplere venerit quod legi antiquæ defuit, sed legem instituere quæ non fuit; si dicere fratri, *Fatue*, cum apud antiquos justos non fuisset injustum, nunc ita injustum esse Christus voluit, ut quisquis hoc dixerit, reus sit gehennæ. Proinde nondum invenisti cuinam legi hæc aliquando defuerunt quibus nunc additis, eam Christus impleret.

CAPUT XXI. — An forte lex non mœchandi apud illos justos antiquos semiplena erat, donec a Domino adimpleretur, addente, ne quis ad concupiscendum videat mulierem? Sic enim commemorasti ipsam sententiam: « *Audistis dictum esse, Non mœchaberis; ego autem dico vobis, ne concupiscatis quidem.* » *Adimpletio est*, inquis. Explica plane ipsa verba evangelica, noli tuis extenuare quod dictum est, et vide quid de illis antiquissimis justis senseris. *Audistis*, inquit, *quia dictum est, Non mœchaberis: ego autem dico vobis, si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Exod.* XX, 14 *et Matth.* V, 27, 28). Itane vero illi justi, Seth vel Enoch, vel si qui eis similes fuerunt, mœchabantur in cordibus suis; et, aut non erat cor eorum templum Dei, aut mœchabantur in templo Dei? Quod si non audes dicere, quomodo etiam de hac re legem illorum, quæ apud illos jam tunc plena erat, modo veniens Christus implevit?

CAPUT XXII. — De non jurando autem (*Exod.* XX, 7

et Matth. v, 33-37), quia et hic illorum legem a Christo adimpletam esse dixisti, non possum affirmare antiquos justos non jurasse : nam et Paulum apostolum jurasse invenimus (*Rom.* i, 9 ; *Philipp.* i, 8 *et* II *Cor.* i, 23). De vestro autem ore non tollitur crebra juratio, cum juretis per lumen, quod amatis cum muscis; neque enim lumen illud mentium ab istis oculis penitus alienum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i, 9), nostis aliqua ex parte cogitare : et per dominum [1] vestrum Manichæum, qui Manes lingua patria vocabatur; sed vos ut apud Græcos nomen insaniæ vitaretis, velut declinato et prolongato nomine, quasi fusionem addidistis, ubi amplius laberemini. Sic enim mihi quidam vestrum exposuit, cur appellatus sit Manichæus, ut scilicet in græca lingua tanquam manna fundere videretur ; quia Græce fundi χέειν dicitur : ubi quid egeritis nescio, nisi ut expressius vobis somniaretis [2] insaniam. Neque enim addidistis in parte priore nominis unam litteram, ut agnosceretur manna ; sed addidistis in posteriore duas syllabas, non appellantes Mannichæum, sed Manichæum ; ut nihil aliud vobis tam prolixis et vanis sermonibus suis nisi insaniam fundere sonaret. Sæpissime juratis et per Paracletum, non sane illum quem Christus discipulis promisit et misit (*Joan.* xiv, 16, 26; xvi, 7, *et Act.* ii, 2-4) : sed per eum ipsum, ut latine nomen ejus interpreter, insanifusorem [3]. Cum ergo jurare nunquam desinatis, vellem scire quomodo intelligatis hanc quoque Legis partem, quam vultis antiquissimam intelligi, quod vobis Dominus adimpleverit, et magis propter jurationes Apostoli. Nam vestra quæ auctoritas est, vel vobis ipsis, nedum mihi, aut cuiquam homini? Unde puto jam clarere, quam sit aliter accipiendum quod ait Christus, *Non veni Legem solvere, sed adimplere.* Non his videlicet additamentis, quæ vel ad expositionem pertinent propositarum antiquarum sententiarum, vel ad conversationem, non ad impletionem.

CAPUT XXIII. — Quia enim non intelligebant homicidium, nisi peremptionem corporis humani, per quam vita privaretur; aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari. Unde et Joannes dicit : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I *Joan.* iii, xv). Et quoniam putabant tantummodo corporalem cum femina illicitam commixtionem vocari mœchiam, demonstravit Magister etiam talem concupiscentiam nihil esse aliud. Item quia pejerare grave peccatum est; non jurare autem, sicut verum jurare, nullum peccatum est; sed longius remotus est a falsum jurando, qui nec jurare consuevit, quam qui verum jurare proclivis est : maluit nos Dominus et non jurantes non recedere a vero, quam verum jurantes propinquare perjurio. Itaque et Apostolus in sermonibus, quos habuisse narratur, nunquam juravit, ne jurandi consuetudine aliquando vel nescius in perjurium laberetur. In scriptis autem, ubi est consideratio major atque propensior, pluribus locis jurasse invenitur, ne quisquam putaret etiam verum jurando peccari, sed potius intelligeret, humanæ fragilitatis corda non jurando tutius a perjurio conservari. Quibus perspectis, invenimus nec illa esse destructa, sicut Faustus putat, quæ velut proprie vult ad Moysen pertinere.

CAPUT XXIV. — Nam et hic quæro ab istis, cur proprium velint esse Legis Moysi, quod dictum est antiquis, *Diliges proximum tuum, et oderis inimicum tuum* (*Levit.* xix, 18). An et apostolus Paulus non dixit homines quosdam *Deo odibiles* (*Rom.* i, 30)? Et utique in hac admonitione ipse Dominus ad hoc nos hortatur, ut imitemur Deum. *Ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri qui in cœlis est, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Quærendum itaque est quomodo intelligatur, exemplo Dei, cui dixit quosdam odibiles Paulus, odio habendos inimicos ; et rursus exemplo Dei, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, diligendos inimicos. Sic apparebit Dominum male intelligentibus id quod dictum est, *Oderis inimicum tuum*, inferre voluisse, quod omnino non norant, ut diligerent inimicos suos. Utrumque autem quomodo servandum sit, longum est disputare. Sed ad istos interim, quibus generaliter displicet, si quis oderit inimicum suum, est nobis sermo qui eorum frontem premat, cum eos interrogamus, utrum diligat deus eorum gentem tenebrarum : aut si propterea nunc inimici diligendi sunt, quod habeant partem boni ; cur non ob hoc eos et odisse debemus, quod habeant partem mali. Ea quippe regula et hoc solvitur, doceturque non esse contrarium, quod in antiqua Scriptura dictum est, *Oderis inimicum tuum* ; et in Evangelio, *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* v, 43-45) : quod unusquisque iniquus homo, in quantum iniquus est, odio habendus est; in quantum autem homo est, diligendus est; ut illud quod in eo recte odimus, arguamus, id est, vitium, quo possit illud quod in eo recte diligimus, id est, humana natura ipsa emendato vitio liberari. Hæc, inquam, regula est, qua et oderimus inimicum propter id quod in eo malum est, id est, iniquitatem ; et diliganus inimicum propter id quod in eo bonum est, id est, socialem rationalemque creaturam : nisi quod nos non eum per naturam vel suam vel alienam, sed per propriam voluntatem malum esse convincimus. Illi autem per naturam gentis tenebrarum putant esse hominem malum, quam secundum ipsos Deus totus timuit, antequam in parte vinceretur ; et in parte ab ea sic victus est, ut nec totus liberaretur. Audito igitur, et non intellecto, quod antiquis dictum erat, *Oderis inimicum tuum*, ferebantur homines in hominis odium, cum deberent non odisse nisi vitium : hos corrigit Dominus, dicendo, *Diligite inimicos vestros ;* ut, qui jam dixerat, *Non veni Legem solvere, sed adimplere*, ideoque de odio inimici quod scriptum est in Lege non solveret.

(Douze.)

[1] In Mss., *et per dominum.*
[2] Sic plerique Mss. At Am. et alii quidam Mss., *vobis somniaremini.* Er. et Lov., *nobis somniare videremini.*— Morel, Elem. Crit., p. 316, censet legendum, *omniaremini.* M.
[3] Aliquot Mss., *insaniæ fusorem.*

præcipiendo utique ut diligamus inimicos, cogeret nos intelligere quonam modo possemus unum eumdemque hominem et odisse propter culpam, et diligere propter naturam. Sed hoc ad perversas eorum mentes intelligere multum est. Urgendi sunt tantum, ut secundum calumniæ suæ perditam rationem, vel potius amentiam, defendant deum suum, quem non possunt dicere dilectorem gentis tenebrarum; ideoque ad ejus exemplum non habent quemadmodum hortentur ut suum quisque diligat inimicum. Potius enim genti ipsi tenebrarum dilectionem inimici tribuere potuerunt, quam deo suo. Illa quippe, sicut delirant, vicinam sibi lucem atque contiguam concupivit, eaque frui voluit, atque ut frueretur invadere cogitavit. Neque ista culpa est, cum verum et beatificum bonum appetitur. Unde et Dominus dicit : *Regnum cœlorum vim patitur, et qui vim fecerint, diripient illud* (*Matth.* XI, 12). Ecce gens tenebrarum secundum eorum vanitatem, vim facere ac diripere voluit bonum quod amaverat, ejus claritate et specie delectata : nec eam vicissim Deus dilexit, sed odio detestans frui se volentem, funditus eradicare molitus est. Si ergo mali amant bonum quo fruantur, boni autem oderunt malum ne polluantur; respondete, Manichæi, quinam eorum impleant quod Dominus ait, *Diligite inimicos vestros.* Ecce si has singulas repugnantesque sententias esse vultis, deus vester fecit quod scriptum est in lege Moysi, *Oderis inimicum tuum ;* et gens tenebrarum, quod scriptum est in Evangelio, *Diligite inimicos vestros.* Quanquam nec fingendo invenire potuistis, quo pacto dirimatis quæstionem inter muscas lucipetas, et blattas lucifugas : utramque enim prolem gentis tenebrarum esse contenditis. Unde ergo illæ amant a se alienam lucem, illæ autem hanc aversando sua potius origine delectantur ? An mundius nascuntur muscæ in fetidis cloacis, quam blattæ in obscuris cubiculis ?

CAPUT XXV. — Jam vero illud quod antiquis dictum est, *Oculum pro oculo, dentem pro dente,* quomodo contrarium habet quod ait Dominus, *Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis percusserit te in maxillam tuam dextram, præbe illi et alteram* (*Exod.* XXI, 24, *et Matth.* V, 39), et cætera ? Quandoquidem et illud antiquum ad reprimendas flammas odiorum, sævientiumque immoderatos animos refrenandos, ita præceptum est [1]. Quis enim tantumdem facile contentus est reponere vindictæ [2], quantum accepit injuriæ ? Nonne videmus homines leviter læsos mori cædem, sitire sanguinem, vixque invenire in malis inimici unde satientur ? Quis pugno percussus, non aut judicia concitat in damnationem ejus qui percusserit ; aut, si ipse repercutere velit, totum hominem, si non etiam telo aliquo arrepto, pugnis calcibusque contundit ? Huic igitur immoderatæ, ac per hoc injustæ ultioni, lex justum modum figens, pœnam talionis instituit, hoc est, ut qualem quisque intulit injuriam, tale supplicium pendat. Proinde, *Oculum pro oculo, dentem pro dente,* non fomes, sed limes furoris est, non ut id quod sopitum erat, hinc accenderetur, sed ne id quod ardebat, ultra extenderetur, impositus [1]. Est enim quædam justa vindicta, justeque debetur ei qui fuerit passus injuriam : unde utique cum ignoscimus, de nostro quodam modo jure largimur. Unde etiam debita dicuntur, quæ in oratione dominica humanitus dimittere monemur, ut nobis et nostra divinitus dimittantur (*Matth.* VI, 12). Quod autem debetur, etsi benigne dimittitur, non tamen inique repetitur : sed sicut in jurando, etiam qui verum jurat, propinquat perjurio, unde longe abest qui omnino non jurat ; et quamvis non peccet qui verum jurat, remotior tamen a peccato est qui non jurat ; unde admonitio non jurandi, conservatio est a peccato perjurii : ita cum peccet qui per immoderationem injuste vult vindicari, non peccet autem qui modum adhibens juste vult vindicari ; remotior est a peccato injustæ vindictæ qui non vult omnino vindicari. Peccat enim qui exigit ultra debitum ; non peccat autem qui exigit debitum : sed tutior longe est a peccato injusti exactoris, qui omnino non exigit debitum, præsertim ne cogatur et ipse reddere debitum ab eo qui nullum habet debitum. Possem ergo et ego sic ista ponere, Dictum est antiquis, Non injuste vindicabis ; ego autem dico, ne vindicetis quidem ; adimpletio est : sicut de jurando Faustus ait, *Dictum est,* « *Non pejerabis ; ego autem dico, ne juretis quidem ;* » *æque adimpletio est.* Poteram ergo et ego ita dicere, si mihi per hæc adjecta verba, quod Legi defuit, a Christo additum videretur ; ac non potius id quod Lex volebat efficere, ne injuste se quisquam vindicando peccaret, conservari tutius si omnino se non vindicaret ; sicut id quod volebat efficere, ne quisquam pejerando peccaret, conservari tutius si non juraret. Nam si contrarium est, *Oculum pro oculo ;* et, *Qui te percusserit in maxillam, præbe illi et alteram :* cur non sit contrarium, *Reddes Domino juajurandum tuum ;* et, *Noli jurare omnino* (*Exod.* XX, 7, *et Matth.* V, 33-37) ? Et tamen illam non destructionem, sed adimpletionem Faustus arbitratur : quod et hic debuit arbitrari. Nam si, Verum jura, adimpletur dicendo, Ne jures : cur non et, Juste vindica, adimpletur dicendo, Ne vindices ? Sic et ego [2] in utroque conservationem esse arbitror a peccato, quo vel falsum juratur, vel injuste vindicatur : quanquam hoc de donanda omnino vindicta valeat etiam ad illud, ut dimittendo hujusmodi debita, etiam nobis dimitti mereamur. Sed duro populo modus prius adhibendus fuit, quo disceret non egredi debitum : ut edomita ira, quæ ad immoderatam vindictam rapit, jam qui vellet, tranquillus attenderet quid ipse deberet, quod sibi relaxari a Domino cuperet, ut hac consideratione conservo debitum relaxaret.

CAPUT XXVI. — Nam et illud de uxore non dimittenda quod Dominus præcepit ; cum antiquis di-

[1] Er. Lugd., *a præcepto est.* M.
[2] Am. Er et Mss.: *Quis enim tandem facile contentus est tantum reponere vindictæ ?*

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *ultra extenderetur. Impositus est enim quædam.*
[2] Am. Er. ac plures Mss., *sicut ego.*

ctum sit, *Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii* (*Deut.* XXIV, 1, *et Matth.* V, 31, 32); si diligenter intuemur, videbimus non esse contrarium. Exposuit enim Dominus quid Lex voluerit: cum passim dimittenti uxorem jusserit libellum repudii dare. Neque enim ait, Qui voluerit, dimittat uxorem suam; cui esset contrarium non dimittere: sed utique nolebat dimitti uxorem a viro, qui hanc interposuit moram, ut in discidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, et quid mali esset uxorem dimittere cogitaret: præsertim quia, ut perhibent, apud Hebræos scribere litteras Hebræas nulli fas erat, nisi Scribis solis, cum et excellentiorem profiterentur sapientiam, et si qui eorum essent æquitate ac pietate præditi, non tantum profiterentur sapientiam, verum etiam sectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes Legis interpretes et justos discidii dissuasores, Lex mittere voluit eum, quem jussit libellum repudii dare, si dimisisset uxorem. Non enim ei poterat scribi libellus, nisi ab ipsis, qui per hanc occasionem ex necessitate venientem quodam modo in manus suas bono consilio regerent, atque inter ipsum et uxorem pacifice agendo dilectionem concordiamque suaderent. Quod si tantum intercederet odium, ut exstingui emendarique non posset, tunc utique scriberetur libellus: quia frustra non dimitteret, quam sic odisset, ut ad debitam conjugio charitatem nulla prudentium persuasione revocaretur. Si enim non diligitur uxor, dimittenda est. Quia ergo dimittenda non est, diligenda est. Dilectio autem monendo atque suadendo componi, non invitum cogendo imponi potest. Hoc facere Scriba debebat justus et sapiens, qualem in illa professione esse oportebat: ad quem ut veniretur, discordi marito libellus conscribendus præceptus est: quem vir bonus prudensque non scriberet, nisi in animo nimis averso atque perverso consilium concordiæ non valeret. Verumtamen a vobis ex vestri erroris sacrilega vanitate quæro, cur displiceat dimittere uxorem; quam non ad matrimonii fidem, sed ad concupiscentiæ crimen habendam esse censetis? Matrimonium quippe ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat: quod vobis odiosum est. Eo modo enim putatis partem dei vestri, gentis tenebrarum prælio devictam et subactam, etiam carnis compedibus colligari.

CAPUT XXVII. — Sed ut potius quod nunc agitur explicem: si Christus, ubi quibusdam antiquis sententiis propositis adjunxit, *Ego autem dico vobis*, neque primorum hominum legem hoc verborum additamento adimplevit, neque illam quæ per Moysen data est quasi contrariorum oppositione destruxit; sed potius omnia ex Hebræorum lege commemorata ita commendavit, ut quidquid ex persona sua insuper loqueretur, vel ad expositionem requirendam valeret, si quid illa obscure posuisset, vel ad tutius conservandum quod illa voluisset: vides quam sit aliter intelligendum, quod ait, non se venisse Legem solvere, sed adimplere; scilicet ut non quasi semiplena istis verbis integraretur, sed ut quod littera jubente propter superborum præsumptionem non poterat, suadente gratia propter humilium confessionem impleretur, opere factorum, non adjectione verborum. *Fides* enim, sicut Apostolus ait, *per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6). Unde item dicit: *Qui enim diligit alterum, Legem implevit* (*Rom.* XIII, 8). Istam charitatem quia veniens Christus, per Spiritum sanctum quem promissum misit, in manifestatione donavit, qua sola charitate justitia Legis posset impleri, propterea dixit: *Non veni solvere Legem, sed adimplere.* Hoc est Novum Testamentum, quo huic dilectioni hæreditas regni cœlorum promittitur, quod in figuris Veteris Testamenti pro temporum distributione tegebatur. Unde idem dicit: *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 34).

CAPUT XXVIII.— Itaque vel omnia, vel pene omnia, quæ monuit seu præcepit, ubi adjungebat, *Ego autem dico vobis*, inveniuntur et in illis veteribus Libris. Ibi contra iram dictum est, *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* VI, 8); et, *Melior est qui vincit iram, quam qui capit civitatem* (*Prov.* XVI, 32). Ibi contra verbum durum, *Plaga flagelli livorem faciet; plaga autem linguæ confringet ossa* (*Eccli.* XXVIII, 21). Ibi contra mœchiam cordis, *Ne concupiscas uxorem proximi tui* (*Exod.* XX, 17). Non enim ait, Ne adulteres; sed; *Ne concupiscas*. Unde Apostolus hoc ex Lege commemorat, dicens, *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces* (*Rom.* VII, 7). Ibi de patientia non resistendi laudatur vir præbens percutienti se maxillam et saturatus opprobriis (*Thren.* III, 30). Ibi de inimico diligendo dicitur, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi* (*Prov.* XXV, 21). Hinc enim hoc commemoravit Apostolus (*Rom.* XII, 20). Et illud in Psalmo, *Cum iis qui oderant pacem, eram pacificus* (*Psal.* CXIX, 7): et alia multa. Quod autem temperando a vindicta, et diligendo etiam malos, Deum imitemur, habes ibi de ipso Deo id agente copiosum locum: ibi namque scriptum est, *Multum enim valere tibi soli superat*[1] *semper, et virtuti brachii tui quis contra stabit? Quoniam tanquam momentum stateræ, sic ante te est orbis terrarum; et tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram: sed misereris omnium, quoniam omnia potes et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti horum quæ fecisti: nec enim odio habens aliquid constituisses. Quomodo ergo posset aliquid permanere, nisi a te voluisses; aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui animas amas. Bonus enim spiritus tuus est in omnibus; propter quod eos qui exerrant partibus corripis, et de quibus peccant admonens, alloqueris, ut relicta malitia credant in te, Domine* (*Sap.* XI, 22; XII, 2). Ad hanc benignam patientiam Dei, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, nos imi-

[1] Nonnulli codices, *superarat*: ut Vulgata in impressis. In manuscriptis tamen Bibliis nostris legitur, *superat*. In græco, *parestin*.

tandam Christus hortatur : ut vindicare nostras injurias negligamus, et benefaciamus nis qui nos oderunt, ut simus perfecti, sicut Pater noster cœlestis perfectus est (*Matth.* v, 44-48). Valere autem nobis et ad remittenda debita peccatorum nostrorum, quod aliis ista ultionum debita relaxamus, et cavendum esse, ne si hoc non fecerimus, nec nobis deprecantibus peccati obligatio remittatur, sic in illis Libris veteribus scriptum est : *Qui vindicari vult, inveniet vindictam a Deo, et peccata illius confirmans confirmabit. Relinque proximo tuo nocenti te, et nunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, et a Domino quærit medelam carnis? In hominem similem sibi non habet misericordiam, et pro peccatis suis deprecatur Dominum? et ipse dum caro sit, reservat iram, et repropitiationem petit a Domino? et quis exorabit pro peccatis illius* (*Eccli.* xxviii, 1-5)?

CAPUT XXIX.—Jam vero de uxore non dimittenda, quid aliud, vel quid opportunius ex illis Libris commemorem, quam id unde Judæis de hac re interrogantibus Dominus ipse respondit? Cum enim quærerent utrum liceret quacumque ex causa dimittere uxorem, ait illis : *Non legistis quia qui fecit ab initio*[1], *masculum et feminam fecit eos, et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ecce Judæi ex libris Moysi convincuntur non esse uxorem dimittendam, qui secundum voluntatem legis Moysi arbitrabantur se facere, cum dimitterent. Simul et illud hic, ipso Christo attestante, cognoscimus, Deum fecisse et conjunxisse masculum et feminam : quod Manichæi negando damnant[2], non jam Moyseos libro, sed Christi Evangelio resistentes. Porro autem si quod ipsi opinantur et prædicant, verum est, diabolum fecisse atque junxisse masculum et feminam : qua calliditate diabolica Faustus reprehendit Moysen tanquam conjugia dirimentem per libellum repudii, et laudat Christum tanquam illud ejusmodi vinculum confirmantem ex præcepto Evangelii ; cum utique secundum suam stultam sacrilegamque sententiam Moysen laudare debuerit separantem quod fecerat et conjunxerat diabolus, et Christum vituperare diaboli figmentum et ligamentum solidantem ? Jam illud quomodo aperit Magister bonus, cur ipse Moyses, ex cujus libro prolata est de prima conjunctione masculi et feminæ tam sancta et nulla separatione violanda castitas conjugalis, postea permiserit dimittere uxorem? Nam cum illi respondissent, *Quid ergo Moyses mandavit duri libellum repudii, et dimittere?* ait illis, *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras* (*Matth.* xix, 4-8). Hoc est quod paulo ante exposuimus (*Supra, cap.* 26). Quanta enim duritia erat, quæ nec per libelli interpositionem, ubi dissuadendi locus justis et prudentibus tribuebatur, solvi et flecti posset ad recipiendam vel revocandam conjugii charitatem? Ita Dominus, quid Lex et bonis præciperet, et duris permitteret, ejusdem Legis testimonio declaravit ; cum et non dimittendam uxorem ex eadem Scriptura commemorata conjunctione masculi et feminæ monuit, divinamque auctoritatem ejusdem conjunctionis exposuit, et dandum libellum repudii propter duritiam vel domandi vel indomiti cordis ostendit.

CAPUT XXX.—Quapropter, cum omnia illa excellentia præcepta Domini, quæ veteribus Hebræorum Libris contraria Faustus volebat ostendere, in eisdem quoque Libris inveniantur ; unde venit Dominus Legem non solvere, sed adimplere, nisi ut exceptis[1] promissorum figuris, quæ reddita veritate adimpletæ atque sublatæ sunt, ipsa quoque præcepta, per quæ Lex illa sancta et justa et bona est (*Rom.* vii, 12), non per vetustatem litteræ jubentis, et delicta superborum reatu etiam prævaricationis augentis, sed per novitatem spiritus adjuvantis, et humilium confessionem salutis gratia liberantis, implerentur in nobis? Quia revera, sicut omnia ista præcepta sublimia nec in illis Libris veteribus desunt ; ita illic finis quo referantur occultus est : quamvis secundum eum viverent sancti, qui futuram ejus revelationem videbant, et pro temporum proprietate vel prophetice tegebant, vel prophetice tectum sapienter intelligebant.

CAPUT XXXI.—Denique, quod non temere dixerim, nescio utrum quisquam in illis Libris invenit nomen regni cœlorum, quod tam crebro nominat Dominus. Dicitur quidem ibi : *Diligite sapientiam, ut in æternum regnetis* (*Sap.* vi, 22). Et ipsa vita æterna si non illic in manifesto prædicaretur, non diceret Dominus etiam malis Judæis : *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere ; ipsæ testimonium perhibent de me* (*Joan.* v, 39). Quo enim nisi ad hoc pertinet, quod ibi scriptum est, *Non moriar, sed vivam, et enarrabo opera Domini* (*Psal.* cxvii, 17) ; et, *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* (*Psal.* xii, 4) ; et, *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum :* et paulo post, *Illi autem sunt in pace ; et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; et in paucis vexati, in multis bene disponentur* (*Sap.* iii, 1-5) : et in alio loco, *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio eorum apud Altissimum ; ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini* (*Id.* v, 16, 17)? Hæc et alia multa, sive apertissima sive subobscura, inveniuntur illic testimonia vitæ æternæ. Et de ipsa corporum resurrectione non tacuerunt Prophetæ. Unde Pharisæi adversum Sadducæos eam non credentes, acerrime confligebant : quod non solum in Actibus Apostolorum canonicis, quos isti non accipiunt, ne de adventu veri Paracleti, quem promisit Dominus, convincantur, evidenter apparet (*Act.* xxiii, 6-9) ; verum etiam in Evangelio, ubi ei proponunt Sadducæi quæstionem de muliere, quæ septem fratribus singillatim nupserat, cum in ejus connubium

[1] Lov., *qui fecit hominem ab initio.* Editi vero alii et Mss. consentientes græco non habent *hominem ;* quæ vox ab antiquis etiam Corbeiensibus Bibliis Vulgatæ sive latinæ editionis abest.

[2] In Mss. et apud Am., *damnantur.*

[1] Am., *nisi ut ex præceptis.* Er., *nisi ut perceptis.*

alter alteri morienti succederet, cujusnam eorum in resurrectione uxor esset futura (*Matth.* xxii, 23-28). Proinde testimoniis vitæ æternæ et resurrectionis mortuorum abundat illa Scriptura : sed hoc nomen, id est regnum cœlorum, de nullo inde loco mihi occurrit ; hoc enim proprie pertinet ad revelationem Novi Testamenti, quia ea corpora quæ terrena fuerant, mutatione illa quam Paulus apertius commemorat, in resurrectione fient spiritualia (1 *Cor.* xv, 42-44), ac per hoc cœlestia, in quibus possideamus regnum cœlorum. Quod ori ejus etiam nominandum servabatur, quem regem ad regendos, et sacerdotem ad sanctificandos fideles suos universus ille apparatus veteris Instrumenti in generationibus, factis, dictis, sacrificiis, observationibus, festivitatibus, omnibusque eloquiorum præconiis, et rebus gestis, et rerum figuris parturiebat esse venturum : qui plenus gratia et veritate (*Joan.* i, 14), et ad præcepta facienda adjuvando per gratiam, et ad promissa implenda curando per veritatem, venit Legem non solvere, sed adimplere.

LIBER VIGESIMUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Cur solem colitis, nisi quia estis Pagani et Gentium schisma, non secta ? Igitur non ab re fuerit et hoc ipsum quærere, quo manifestius videre possimus, uter nostrum hoc nomine debeat appellari. Et quidem si tibi fidem meam nunc simpliciter, ut in amicis referam, videar fortasse excusationis causa id fingere, aut divinorum, quod absit, luminum erubescere culturam. Sed tu quidem utcumque volueris accipe : me tamen dixisse non pœnitebit, vel propter aliquos, qui hactenus scire habebunt, religionem nostram nihil cum Gentibus habere commune.

CAPUT II. — Igitur nos Patris quidem Dei omnipotentis, et Christi Filii ejus, et Spiritus sancti unum idemque sub triplici appellatione colimus numen : sed Patrem quidem ipsum lucem incolere credimus summam ac principalem, quam Paulus alias inaccessibilem vocat (1 *Tim.* vi, 16) : Filium vero in hac secunda ac visibili luce consistere ; qui quoniam sit et ipse geminus, ut eum Apostolus novit, Christum dicens esse Dei virtutem et Dei sapientiam (1 *Cor.* i, 24) ; virtutem quidem ejus in sole habitare credimus, sapientiam vero in luna : necnon et Spiritus sancti, qui est majestas tertia, aeris hunc omnem ambitum sedem fatemur ac diversorium ; cujus ex viribus ac spirituali profusione, terram quoque concipientem, gignere patibilem Jesum, qui est vita ac salus hominum, omni suspensus ex ligno. Quapropter et nobis circa universa, et vobis similiter erga panem et calicem par religio est, quamvis eorum acerrime oderitis auctores. Hæc nostra fides est : de qua si quærendum alias putaveris, audies ; quamvis nec illud ad præsens minus firmum sit argumentum, quod vel tu, vel quilibet alius rogatus, ubinam Deum suum credat habitare, respondere non dubitabit, In lumine : ex quo cultus hic meus omnium pene testimonio confirmatur.

CAPUT III. — Sed nunc ad illud, quia nos non sectam, sed schisma Gentium nuncupasti. Schisma, nisi fallor, est eadem opinantem atque eodem ritu colentem quo cæteri, solo congregationis delectari discidio. Secta vero est longe alia opinantem quam cæteri, alio etiam sibi ac longe dissimili ritu divinitatis instituisse culturam. Quæ si ita sunt, mea interim et opinio et cultus longe alia sunt quam Paganorum. De tuis postea videbimus. Pagani bona et mala, tetra et splendida, perpetua et caduca, mutabilia et certa, corporalia et divina unum habere principium dogmatizant. His ego valde contraria sentio, qui bonis omnibus principium fateor Deum, contrariis vero Hylen : sic enim mali principium ac naturam theologus noster appellat. Item Pagani, aris, delubris, simulacris, victimis, atque incenso Deum colendum putant. Ego ab his in hoc quoque multum diversus incedo, qui ipsum me, si modo sim dignus, rationabile Dei templum puto : vivum vivæ majestatis simulacrum Christum Filium ejus accipio : aram, mentem bonis artibus et disciplinis imbutam, honores quoque divinos ac sacrificia in solis orationibus et ipsis puris ac simplicibus pono : quomodo ergo schisma sum Paganorum ?

CAPUT IV. — Hactenus enim et Judæorum me poteras dicere schisma, quia et omnipotentem Deum colam, quod sibi et Judæus omnis audaciter assumit, cum non considerares rituum diversitatem, qua a me coleretur Omnipotens, et a Judæis ; si tamen Omnipotentem Judæi colunt. Sed interim de opinione tractamus, quæ sic et Paganos de solis cultura fefellit, ut de Omnipotentis Judæos. Sed nec vestrum quidem schisma si me dixeris, verum est, quamvis Christum venerer et colam : quia alio eum ritu colo et alia fide quam vos. Schisma vero aut nihil immutare debet ab eo unde factum est, aut non multum : ut puta vos, qui desciscentes a Gentibus, monarchiæ opinionem primo vobiscum divulsistis, id est, ut omnia credatis ex Deo : sacrificia vero eorum vertistis in agapes, idola in martyres, quos votis similibus colitis : defunctorum umbras vino placatis et dapibus ; solemnes Gentium dies cum ipsis celebratis, ut calendas, et solstitia : de vita certe mutastis nihil ; estis sane schisma, a matrice sua diversum nihil habens nisi conventum. Necnon et priores vestri Judæi, segregati etiam ipsi a Gentibus sculpturas solum dimiserunt : templa vero, et immolationes, et aras, et sacerdotia, atque omne sacrorum ministerium eodem ritu exercuerunt, ac multo superstitiosius quam Gentes. De opinione vero monarchiæ in nullo etiam ipsi dissentiunt a Paganis : quare constat vos atque Judæos schismata esse Gentilitatis ; cujus fidem tenentes, ab

ritus, modice quamvis immutatos, de sola conventuum divisione putatis vos esse sectas. Porro autem sectas si quæras, non plus erunt quam duæ, id est, Gentium, et nostra, qui eis longe diversa sentimus. Ita quidem oppositi invicem nobis, ut est veritas et mendacium, ut dies et nox, ut egestas et copia, ut morbus et sanitas. Vos vero nec erroris secta estis, nec veritatis : sed schisma tantum; nec ipsum veritatis saltem, sed erroris.

CAPUT V. — Augustinus respondit : O imperita pestis, et vanitas versipellis! utquid tibi objicis, quod si quis tibi objicit, nescit cum quo agat? Neque enim vos Paganos dicimus, aut schisma Paganorum; sed habere cum eis quamdam similitudinem, eo quod multos colatis deos. Verum vos eis esse longe deteriores, quod illi ea colunt quæ sunt, sed pro diis colenda non sunt : sunt enim et idola, sed ad salutem nihil sunt. Et qui colit arborem, non quidem arando, sed adorando, non id colit quod nusquam est, sed quod ita colendum non est. Ipsa etiam dæmonia, unde dicit Apostolus, *Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo* (I *Cor.* x, 20); utique sunt quibus illos immolare dicit, et quorum nos socios esse non vult. Jam vero cœlum et terra, mare et aer, sol et luna, et cætera sidera, omnia hæc manifesta oculis apparent, atque ipsis sensibus præsto sunt. Quæ cum Pagani tanquam deos colunt, vel tanquam partes unius magni dei; nam universum mundum quidam eorum putant maximum deum : ea colunt quæ sunt. Cum quibus quando agimus, ut ea non colant, non eis dicimus quod nulla sint, sed quod colenda non sint : eisque colendum horum omnium conditorem Deum invisibilem suademus, cujus solius participatione beatus homo fieri potest; quod omnes velle nemo ambigit. Sed quia nonnulli eorum invisibilem et incorpoream creaturam colunt, quod est et anima mensque humana; tamen quia nec ejusmodi creaturæ participatione fit homo beatus; ille non solum invisibilis, verum etiam incommutabilis Deus, id est, Deus verus colendus est : quia solus ille colendus est, quo solo fruens, beatus fit cultor ejus; et quo solo non fruens, omnis mens misera est, qualibet re alia perfruatur. Vos autem cum ea colatis quæ omnino non sunt, sed vestrarum fallacium fabularum vanitate finguntur, propinquiores essetis veræ pietati ac religioni, si saltem Pagani essetis, vel in eorum genere qui corpora colunt, etsi non colenda, sed tamen vera. Unde vos verius dixerim nec solem istum colere, ad cujus gyrum vestra oratio circumvolvitur.

CAPUT VI. — Nam et de ipso tam falsa, et tam detestanda jactatis, ut si suas vindicaret injurias, jam flammis ejus vivi arderetis. Nam primo eum navim quamdam esse dicitis : ita non tantum, ut dicitur, toto cœlo erratis, sed et natatis. Deinde cum omnium oculis rotundus effulgeat, eaque illi figura pro sui ordinis positione perfecta sit; vos eum triangulum perhibetis, id est, per quamdam triangulam cœli fenestram lucem istam mundo terrisque radiare. Ita fit ut ad istum quidem solem dorsum cervicemque curvetis; non autem ipsum tam clara rotunditate conspicuum, sed nescio quam navim per foramen triangulum micantem atque lucentem, quam conflctam cogitatis, adoretis. Quam profecto faber ille non faceret, si quemadmodum emuntur ligna, quibus navigiorum tabulæ compinguntur, sic emerentur et verba, quibus hæreticorum fabulæ confinguntur. Verum hæc tolerabilius vel ridentur vel flentur in vobis : illud est intolerabiliter sceleratum, quod de ipsa navi puellas pulchras et pueros proponi dicitis, quorum formosissimis corporibus inardescant principes tenebrarum, ad feminas masculi, et ad masculos feminæ; ut in ipsa flagranti libidine et inhianti concupiscentia de membris eorum tanquam de tetris sordidisque compedibus dei vestri membra solvantur. Et his obscœnissimis pannis vestris conamini assuere ineffabilem Trinitatem, dicentes Patrem in secreto quodam lumine habitare; Filii autem in sole virtutem, in luna sapientiam; Spiritum vero sanctum in aere!

CAPUT VII. — In qua tripartita vestra, vel potius jam quadripartita fabula, de Patris quidem secreto lumine, quid vobis dicam, nisi quia lumen cogitare non potestis, nisi quale videre consuestis? Hoc enim conspicuum et omni carni, non tantum hominum, verum etiam bestiarum et vermiculorum notissimum lumen intuentes, ex illo conceptam corde phantasiam in immensum soletis augere, et eam lucem dicere ubi Deus Pater habitat cum regnicolis suis. Quando enim discrevistis lucem qua cernimus, ab ea luce qua intelligimus, cum aliud nihil unquam putaveritis esse intelligere veritatem, nisi formas corporeas cogitare, sive finitas, sive ex aliquibus partibus infinitas; quæ inania phantasmata esse nescitis? Proinde cum tantum intersit inter cogitationem qua cogito terram luminis vestram quæ omnino nusquam est, et cogitationem qua cogito Alexandriam quam nunquam vidi, sed tamen est; rursusque tantum intersit inter istam qua cogito Alexandriam incognitam, et eam qua cogito Carthaginem cognitam : ab hac quoque cogitatione qua certa et nota corpora cogito, longe incomparabiliter distat cogitatio qua intelligo justitiam, castitatem, fidem, veritatem, charitatem, bonitatem, et quidquid ejusmodi est : quæ cogitatio dicite, si potestis, quale lumen sit, quo illa omnia quæ hoc non sunt, et inter se discernuntur, et quantum ab hoc distent, fida manifestatione cognoscitur : et tamen etiam hoc lumen, non est lumen illud quod Deus est; hoc enim creatura est, Creator est ille; hoc factum, ille qui fecit; hoc denique mutabile, dum vult quod nolebat, et scit quod nesciebat, et reminiscitur quod oblitum erat, illud autem incommutabili voluntate, veritate, æternitate persistit; et inde nobis est initium existendi, ratio cognoscendi, lex amandi; inde omnibus et irrationalibus animantibus natura qua vivunt, vigor quo sentiunt, motus quo appetunt; inde etiam omnibus corporibus mensura ut subsistant, numerus ut ornentur, pondus ut ordinentur. Itaque lumen illud Trinitas inseparabilis, unus Deus est, cujus vos nullo corpore adjuncto, per se ipsam incorpo-

ream, spiritualem, incommutabilemque substantiam etiam locis dividitis. Nec saltem Trinitati loca tria datis, sed quatuor : Patri unum, id est, lumen inaccessibile, quod prorsus non intelligitis, Filio duo, solem scilicet atque lunam; Spiritui sancto rursus unum, id est, aeris hunc omnem ambitum. De Patris ergo inaccessibili lumine, quia veram fidem tenentibus non inde separatur Filius et Spiritus sanctus, hactenus, in præsentia dixerim.

CAPUT VIII.— Vestræ autem vanitati quid placuit in sole ponere virtutem Filii, et in luna sapientiam? Cum enim in ipso Patre Filius inseparabilis maneat, quomodo potest sapientia ejus ab ejus virtute separari, ut illa sit in sole, hæc in luna; cum per ejusmodi locos nisi corpora dividi separarique non possint? Quod si sciretis, nunquam stulto insanoque phantasmate tantas fabulas texeretis. At in ea ipsa falsitate atque fallacia, quam incongrue, quam perverse sedem sapientiæ minus lucere dicitis, quam sedem virtutis; cum ad virtutem pertinere videatur operari et efficere, ad sapientiam vero docere et ostendere : ac per hoc si calor in sole, lux autem præpolleret in luna, utcumque invenissent ista figmenta verisimilitudinis nebulam, hominibus carnalibus et animalibus decipiendis, qui nihil putant esse, nisi quod corporale cogitaverint; caloris enim violenta operatio est ad movendum [1], unde virtuti tribueretur; lucis autem clarus fulgor, ad demonstrandum, unde hanc sapientiæ darent : cum vero lux longe in sole præcellat, quomodo ibi virtus, hic autem quod tanto minus lucet, sapientia est? O sacrilega ineptia! et cum sit unus Christus, Dei Virtus et Dei Sapientia (*I Cor.* I, 24), Spiritus autem sanctus non ipse sit Christus; quomodo separatur a se ipse Christus, cum ab eo non separetur Spiritus sanctus? Aerem quippe, quem sedem Spiritui sancto vestra fabula tribuit, totam mundi fabricam implere perhibetis. Unde sol et luna circuitus suos peragentes, semper cum illo sunt. A sole autem luna recedit, et ad solem rursus accedit : ita vobis auctoribus, vel potius deceptoribus, per dimidiam partem circuli recedit a virtute sapientia, et ad eam per aliam dimidiam rursus accedit : et cum plena est, tum longe est a virtute sapientia; tunc enim tam longo intervallo a se disjuncta sunt hæc duo lumina, ut cum sol vergit ad occidentem, tunc luna surgat ab oriente : ex quo fit, ut quoniam infirmantur omnia quæ virtute deserantur, eo sapientia sit infirmior, quo est luna plenior. Si autem, quod veritas habet, et sapientia Dei semper tantumdem valet, et virtus Dei semper tantumdem sapit; cur hæc sic duo dicitis, ut ea locorum sedibus intervallisque separetis, cum et ipsas sedes ejusdem substantiæ dicatis, homines cæca et insana mente non recedentes a phantasmate corporum, et virtute ac sapientia ita carentes, ut nec sapere possitis aliquid fortiter, nec valere sapienter? Itane vero, detestanda et anathemanda stultitia, Christus per solem lunamque distentus; hic virtute habitans, hic sapientia; nec hic perfectus et plenus, nec in sole sapiens, nec in luna prepotens, utrobique pulchros pueros subornat concupiscendos feminis principibus tenebrarum, et masculis puellas? Hæc legitis, hæc creditis, hæc docetis : ex hac fide doctrinaque vivitis; et miramini quia sic abominamini!

CAPUT IX. — Verum si in istis tam eminentibus notissimisque luminibus sic erratis, ut in eis non quod sunt, sed quod vobis dementissime fingitis adoretis, quid de cæteris vestris fabulis dicam? Quis enim splenditenens suspendit mundum, et quis Atlas eum illo supportat? Hæc et innumerabilia, quæ similiter deliratis, omnino non sunt, et colitis ea. Hinc vos Paganis dicimus deteriores, eo tantum similes, quod multos deos colitis : eo vero in pejorem partem dissimiles, quod illi pro diis ea colunt quæ sunt, sed dii non sunt; vos autem colitis ea quæ nec dii, nec aliquid sunt, quoniam prorsus nulla sunt. Habeant quidem et illi quædam fabulosa figmenta, sed esse illas fabulas norunt; et vel a poetis delectandi causa fictas esse asserunt, vel eas ad naturam rerum vel mores hominum interpretari conantur : sicut Vulcanum claudum, quia ignis terreni motus ejusmodi est; et Fortunam cæcam, quod ex incerto accidant, quæ fortuita dicuntur; et tria Fata in colo et fuso digitisque filum ex lana torquentibus, propter tria tempora, præteritum quod in fuso jam netum atque involutum est, præsens quod inter digitos nentis trajicitur, futurum in lana, quæ colo implicata est, quod adhuc per digitos nentis ad fusum, tanquam per præsens ad præteritum trajiciendum est; et Venerem Vulcani uxorem, quia ex calore voluptas naturaliter nascitur [1], et Martis adulteram, quia belligerantibus incongrua est; et Cupidinem puerum volitantem ac sagittantem, quod irrationabilis et instabilis amor corda vulneret miserorum : et alia permulta in hunc modum. Quocirca hoc in eis irridemus, quod interpretata sic adorant, quæ non intellecta, quamvis damnabiliter, tamen excusabilius adorarent. Ipsis quippe interpretationibus convincuntur, non se illum Deum colere, cujus solius participatione mens beata fit, sed ab illo conditam creaturam : nec solas virtutes ipsius creaturæ, sicut Minervam, cujus fabulam quod de Jovis capite nata sit, ad prudentiam consiliorum interpretantur, quæ rationis est propria, cui sedem capitis etiam Plato dedit; sed etiam vitia, sicut de Cupidine diximus. Unde quidam eorum tragicus ait :

> Deum esse amorem, turpis et vitio favens
> Finxit libido.
> (*Seneca in Hippolyto, act.* 1, *scen.* 2, *vers.* 194, 195.)

Nam et corporalium vitiorum simulacra Romani consecraverunt, sicut Palloris et Febris. Ut ergo omittam quod simulacrorum adoratores circa ipsas corporum figuras habent affectum, ut eas ipsas formas in locis honorabilibus sublimatas, quibus tantum

[1] Sic Mss. At editi vulgo minus bene, *caloris enim violentia, operatio est ad movendum.*

[1] Am. Er. et fere omnes Mss., *naturaliter asciscitur.*

obsequium exhiberi videat, tanquam deos timeant; illæ ipsæ interpretationes, quibus hæc muta, et surda, et cæca, et exanima defenduntur, dignius accusantur : verumtamen et ista quoquo modo sunt, quamvis, ut jam dixi, ad salutem vel aliquam utilitatem nihil sint, et quæ ex his interpretantur, in rebus inveniuntur. Vos autem primum hominem cum quinque elementis belligerantem; et spiritum potentem de captivis corporibus gentis tenebrarum, aut potius de membris dei vestri victis atque subjectis, mundum fabricantem; et splenditenentem, reliquias eorumdem membrorum dei vestri habentem in manu, et cætera omnia capta, oppressa, inquinata plangentem; et Atlantem maximum subter humeris suis cum eo ferentem, ne totum ille fatigatus abjiciat, atque ita fabula vestra [1] velut in tapete theatrico ad illius ultimi globi catastolium pervenire non possit : et alia innumerabilia pariter inepta et insana, nec pingendo aut sculpendo, nec interpretando demonstratis : et ea, cum omnino nulla sint, creditis et colitis; et insuper Christianis fide non ficta pias mentes mundantibus tanquam temere credulis insultatis. Ut enim multa non quæram, quibus hæc ostendantur omnino non esse, quia subtilius sublimiusque tractare de mundi fabrica, etsi mihi difficile non esset, certe nimis longum est; hoc dico : si ista vera sunt, Dei substantia commutabilis est, corruptibilis, coinquinabilis. Hoc autem credere, plenum est sacrilegæ insaniæ. Illa igitur omnia vana sunt, falsa sunt, nulla sunt. Proinde vos Paganis istis, qui vulgo noti sunt, et antiquitus fuerunt, et in reliquiis suis jam nunc erubescunt, prorsus deteriores estis, quod illi colunt ea quæ dii non sunt, vos autem omnino quæ non sunt.

CAPUT X. — Itaque, si propterea vos putatis tenere veritatem, quia et errori Paganorum longe dissimiles estis, nos autem propterea esse in errore, quia longius a vobis, quam a Paganis forte distamus : dicatur et mortuus ideo sanus, quia jam nec ægrotus est; et ideo reprehendatur qui sanus est, quia vicinior est ægroto quam mortuo. Aut si plerique Pagani; non velut ægri, sed velut mortui deputandi sunt; laudetur in sepulcro cinis informis, quia jam nec formam cadaveris tenet; et membra viva culpentur, quia cadaveri sunt similiora, quam cineri. Sic et nos ideo [3] isti culpandos putant, quia nos similiores esse dicunt funeri Paganorum, quam cineri [4] Manichæorum. Quanquam per multas differentias aliter atque aliter quæque res ad discernendum dividi soleant, ut quod in hac erat parte, per alias differentias in alia parte inveniatur ubi ante non erat. Velut, verbi gratia, si quis omnem carnem dividat in volatilia, et ea quæ volare non possunt; per hanc differentiam quadrupedia hominibus sunt similiora, quam avibus; pariter enim volare non possunt. Rursus si quis per aliam differentiam dividat, ut dicat alia esse rationalia, alia irrationalia; jam quadrupedes avibus sunt similiores, quam hominibus; pariter enim sunt rationis expertes. Hoc Faustus non cogitans, ait: *Porro autem sectas si quæras, non plus erunt quam duæ; ia est, Gentium, et nostra, qui eis longe diversa sentimus.* Videlicet quoniam dixerat eo maxime distare Gentes a Manichæis, quod ab uno principio dicunt esse omnia, quod Manichæi negant, addentes principium gentis tenebrarum. In hac differentia, quod fatendum est, plerique Pagani nobiscum sentiunt : sed non vidit quia item si quis ita dividat, ut dicat eorum qui aliqua religione detinentur, aliis placere unum Deum colendum, aliis multos; per hanc differentiam et Pagani a nobis remoti sunt, et isti cum Paganis deputantur, nos autem cum Judæis. Potest ergo aliquis secundum hanc differentiam hoc etiam modo duas solas sectas putare. Hic forte dicatis quod vos multos deos vestros ex una substantia perhibetis : quasi Pagani multos suos non ex una asserant; quamvis diversa illis officia et opera et potestates attribuant : sicut etiam apud vos alius expugnat gentem tenebrarum, alius ex ea capta fabricat mundum; alius desuper suspendit, alius subter portat; alius rotas ignium, ventorum, et aquarum in imo versat, alius in cœlo circumiens radiis suis, etiam de eloacis membra dei vestri colligit. Et quis numeret omnia deorum vestrorum officia fabulosa, nulla veritate manifesta, nullis ænigmatibus figurata? Porro, si alius ita dividat omnes homines, ut alios esse dicat qui credunt Deum humana curare, alios qui id omnino non credunt : in hac parte et Pagani nobiscum sentiunt et Judæi, et vos et omnes hæretici, qui quoquo modo Christiani appellantur; in illa vero Epicurei reperiuntur, et si qui alii sunt qui ita senserunt. Parvane ista differentia est? Cur ergo non et secundum istam duæ solæ sectæ esse dicantur, ut in una earum nobiscum sitis? An audebitis in hac differentia discedere a nobis, qui Deum prædicamus humana curare; et esse cum Epicureis, qui hoc negant? Illic profecto illos repudiantes ad nos curritis. Sic per alias et alias differentias, nunc hic, nunc illic reperiuntur, aliunde juncti, aliunde disjuncti, vicissim omnes nobiscum, et nos cum omnibus, et rursus nulli eorum nobiscum, nec nos cum aliquibus eorum. Quod si Faustus cogitaret, non tam diserte deliraret.

CAPUT XI. — Quid autem hinc dicam, quod ait, *ex viribus sancti Spiritus ac spirituali profusione terram quoque concipientem, gignere patibilem Jesum, qui est vita ac salus hominum, omni suspensus ex ligno?* O demens, ut interim non discutiam de hac re vestra vaniloquia, potestne terra de Spiritu sancto concipere patibilem Jesum, et Maria virgo non potuit? Compara, si audes, virginalia viscera tanta castitate sanc-

[1] In B., *an potius*. Lugd. et Lov. secuti sumus. M.

[2] Editi, *tabula vestra*. At Mss., *fabula vestra*. Paulo post duo Mss. loco *catastolium*, habent *castatolium*. Alius codex, *catastolum*. A verbo *catastéllô* fit *catastolé, amictus*; et *castolium*, quod idem est ac *coopertorium*, ut vocatur in libro de Hæresibus, cap. 46, in fine, atque ultimi globi (juxta Manichæos) *tectorium* ex animabus natura bonis quæ non potuerint a naturæ malæ contagione mundari; quo tectorio post sæculi finem tanquam carcere sempiterno inclusa erit substantia mali.

[3] In Mss., *sicut nos ideo*.

[4] Am. Er. et aliquot Mss., *quam favillæ*. Alii Mss. quidam, *quam fabellæ*.

cificata, cum omnibus terræ locis, ubi arbores herbæque gignuntur. Hanc in illa femina exhorrescis, aut horrescere te fingis uterum pudicitiæ dedicatum, et in hortis omnibus circum quasque urbes ex cloacinis aquis Jesum gigni non exhorrescis? Quis enim quamlibet cœnulentus humor non innumerabilia germina edit et nutrit? Sic prædicatis nasci patibilem Jesum, quem credere natum esse de virgine clamatis indignum. Si carnem putatis immundam, cur vobis non videtur immundius, quod a suæ salutis temperamento ipsa natura carnis expurgat? An caro immunda est, et fimus qui carne egeritur mundus est? Non ergo attenditis, non videtis stercoribus lætari agros, quo fertilius fecundentur? Nempe ad id redit vestra dementia, ut de Spiritu sancto, quem carnem Mariæ dicitis dedignatum, tanto uberius et lætius terra concipiat, quanto studiosius fuerit carnis sordibus et squaloribus pinguefacta. An ut hoc defendatis, dicetis Spiritum sanctum incontaminabili ubique pollere præsentia? Respondetur vobis: Cur non ergo et in utero virginali? Sed ut de conceptu jam taceam, partum ipsum deinde respicite. Concipientem de Spiritu sancto dicitis terram gignere patibilem Jesum, quem tamen ita contaminatum omni ex ligno pendere perhibetis in frugibus et pomis, ut innumerabilibus animalibus [1] animalium vescentium carnibus amplius contaminetur, ex ea sola parte purgandus cui fames vestra subvenerit. Itaque nos Christum Filium Dei, Verbum Dei, incontaminabiliter carne indutum, corde credimus, ore confitemur; quia illa substantia contaminari nec carne potest, quæ nulla re potest: vos autem secundum vestram fabulam, adhuc in arbore pendentem Jesum jam contaminatum dicitis, antequam carnem ingrediatur cujusque vescentis: aut si non est contaminatus, quomodo vos eum manducando purgatis? Deinde cum omnes arbores crucem ipsius esse dicatis, unde a Fausto prædicatur *omni suspensus ex ligno*; cur non sicut illum verum Jesum, bonum opus faciens Joseph ille ab Arimathia de cruce deposuit, ut sepeliret (*Joan.* XIX, 38), ita et vos poma decerpitis, ut Jesum de ligni suspensione depositum vestro ventre sepeliatis? Aut unde pium est, Christum sepulcro condere, impium autem de ligno deponere? An, ut de vobis etiam concinat, quod de propheta ponit Apostolus, *Sepulcrum patens est guttur eorum* (*Psal.* V, 11; *Rom.* III, 13); ore aperto exspectatis quis inferat Christum, tanquam optimæ sepulturæ, faucibus vestris? Postremo, dicite nobis quot christos esse dicatis. Aliusne est quem de Spiritu sancto concipiens terra patibilem gignit, omni non solum suspensus ex ligno, sed etiam jacens in herba; et alius ille quem Judæi crucifixerunt sub Pontio Pilato; et tertius ille per solem lunamque distentus? An unus atque idem, ex quadam sui parte ligatus in arboribus, ex quadam vero liber, eidem ligatæ captæque subveniens? Quod si ita est, ille quem sub Pontio Pilato passum esse conceditis, cum eum sine carne fuisse narretis, nondum dico quemadmodum talem mortem sine carne perpeti potuerit; sed quæro cui naves illas reliquerit, ut inde descendens talia pateretur, qualia sine quocumque corpore fieri non possent. Secundum præsentiam quippe spiritualem nullo modo illa pati posset: secundum præsentiam vero corporalem simul et in sole, et in luna, et in cruce esse non posset. Proinde si corpus non habuit, non est crucifixus: si autem habuit, quæro unde habuerit, cum omnia corpora ex tenebrarum gente esse dicatis, quamvis substantiam divinam cogitare nisi corpoream nunquam valueritis. Unde cogimini aut sine corpore dicere crucifixum, quo absurdius et dementius dici nihil potest: aut in phantasmate potius quam in veritate visum fuisse crucifigi; qua rursus impietate quid pejus est? aut non omnia corpora de gente esse tenebrarum, sed esse etiam corpus divinæ substantiæ, quod tamen immortale non sit, sed possit ligno affigi et occidi; quod nihilominus plenum est dementiæ: aut ex gente tenebrarum mortale corpus habuisse Christum, atque ita qui ejus corporis matrem Mariam virginem credere timetis, gentem dæmonum non timetis. Postremo, cum secundum sententiam Fausti, quam quidem ex illa longissima fabula vestra decerptam, quanta potuit brevitate perstrinxit, *de Spiritu sancto terra concipiens gignat patibilem Jesum, qui est vita et salus hominum, omni suspensus ex ligno*; cur ille Salvator pendenti pendendo congruit, et nascenti nascendo non congruit? Si autem propterea Jesum dicitis esse in arboribus, et Jesum crucifixum sub Pontio Pilato, et Jesum per solem lunamque distentum, quia totum hoc ex una eademque substantia est; cur non et cætera millia numinum vestrorum hac appellatione concluditis? Cur enim non sit Jesus et ille splenditenens, et ille Atlas, et ille rex honoris, et ille spiritus potens, et ille primus homo, et quidquid aliud innumerabiliter per diversa nomina et diversa officia prædicatis?

CAPUT XII. — Ipse denique Spiritus sanctus cur in tertia persona ponitur, cum sit inter innumerabiles? aut cur non sit etiam ipse Jesus? Et quid sibi jam vult [1] in scriptis Fausti fallax textura verborum, ubi conatus velut congruere veris Christianis, a quibus longe nimiumque secluditur, ait: *Igitur nos Patris quidem Dei omnipotentis, et Christi Filii ejus, et Spiritus sancti, unum idemque sub triplici appellatione colimus numen*? Cur enim sub triplici, ac non potius sub multiplici, non appellatione tantum, sed etiam re, si quot nomina, tot personæ sunt? Neque enim sicut in armis una res est sub triplici appellatione ensis, mucro, gladius, sicut unam rem dicitis, et lunam, et navem minorem et luminatorem nocturnum, et si quid aliud vocabuli eidem rei tribuitis; ita potestis dicere eumdem primum hominem, quem spiritum potentem, et quem splenditenentem, et quem Atlantem maximum: sed alius est ille, alius atque alius ille et ille,

[1] Vox, *animalibus*, deerat in excusis: sed omnibus in Mss. reperitur. Tres ex his codices sic habent: *ut innumerabilibus animalibus animalium carnem vescentibus, carnibus amplius contaminetur.*

[1] Aliquot Mss.: *Et quidnam sibi vult.*

et neminem istorum Christum dicere soletis. Aut quomodo unum numen, si diversa opera? Aut cur non totum simul [1] unus Christus, si propter unam substantiam et in arboribus Christus, et in persecutione Judæorum Christus, et in sole ac luna Christus? Nempe vias omnes vestra phantasmata perdiderunt : nempe nihil aliud sunt, quam visa furentium.

CAPUT XIII. — Cur autem arbitretur Faustus parem nobis esse religionem circa panem et calicem nescio, cum Manichæis vinum gustare non religio, sed sacrilegium sit. In uva enim agnoscunt deum suum, in cupa nolunt, quasi aliquid eos calcatus et inclusus offenderit. Noster autem panis et calix, non quilibet (quasi propter Christum in spicis et in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt), sed certa consecratione [2] mysticus fit nobis [3], non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis et calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis : nisi quod benedicimus, gratiasque agimus Domino in omni ejus munere, non solum spirituali, verum etiam corporali. Vobis autem per fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur, adhuc ligandus vestris visceribus, solvendusque ructatibus. Nam et cum manducatis, dei vestri defectione vos reficitis; et cum digeritis, illius refectione deficitis. Cum enim vos plenos reddit, resumptio vestra ipsum premit. Quod quidem misericordiæ deputaretur, quando aliquid pro vobis patitur in vobis, nisi vos rursus inanes relinqueret, ut a vobis liberatus effugeret. Quomodo ergo comparas panem et calicem nostrum, et parem religionem dicis errorem longe a veritate discretum; pejus desipiens quam nonnulli, qui nos propter panem et calicem Cererem ac Liberum colere existimant? Quod ideo commemorandum putavi, ut advertatis ex qua vanitate veniat etiam illud vestrum, quod propter sabbatum Saturno dicatos fuisse patres nostros putatis. Sicut enim a Cerere et Libero Paganorum diis longe absumus, quamvis panis et calicis sacramentum, quod ita laudastis, ut in eo nobis pares esse volueritis, nostro ritu amplectamur; ita patres nostri longe fuerunt a Saturniacis catenis, quamvis pro tempore prophetiæ sabbati vacationem observaverint.

CAPUT XIV. — Sed cur non etiam propter Hylen, quæ in nonnullis libris Paganorum frequentatur, parem vos cum Paganis religionem habere dixistis? Quinimo propter hoc imparem longeque dissimilem voluistis intelligi, quia hoc nomine mali principium ac naturam theologus vester appellat. In quo quidem imperitia vestra magna deprehenditur : quia nec quid sit Hyle scitis, et hoc rei vocabulo, quam penitus ignoratis, etiam inflari velut docti affectatis. Hylen namque Græci, cum de natura disserunt, materiem quamdam rerum definiunt, nullo prorsus modo formatam, sed omnium corporalium formarum capacem : quæ quidem in corporum mutabilitate utcumque cognoscitur; nam per se ipsam nec sentiri nec intelligi potest. Verum in hoc errant quidam Gentilium, quod eam tanquam coæternam Deo conjungunt; ut hæc ab illo non sit, quamvis ab illo formetur : quod alienum esse a veritate, ipsa veritas docet. Ecce tamen quibus Paganis de hac ipsa Hyle invenimini esse consimiles, quod eam vos quoque suum habere principium, nec ex Deo esse perhibetis : et in hoc vos dispares esse dicebatis, nescientes quid dicatis. In illo vero, quod nulla est huic Hylæ forma propria, nec nisi a Deo formari potest, nostræ illi veritati consentiunt : a vestra autem falsitate dissentiunt; qui nescientes quid sit Hyle, id est quid sit rerum materies, gentem tenebrarum eam dicitis, ubi non solum distinctas quinque generibus innumerabiles corporum formas, verum etiam mentem constituitis horum corporum formatricem; et, quod est imperitius, vel potius dementius, ipsam magis mentem dicitis Hylen, quam non formari, sed formare perhibetis. Nam si esset ibi mens quædam formans, et elementa corporea quæ formarentur, illa elementa dicenda essent Hyle, id est, materies quam formaret eadem mens, quam mentem principium mali esse vultis. Hoc si diceretis, non quidem multum erraretis in eo quod est Hyle, nisi quod ipsa quoque elementa, quamvis in alias formas formanda, tamen quia jam elementa essent, et speciebus propriis distinguerentur, Hyle non essent, quia illa est prorsus informis; verumtamen tolerabilis esset imperitia vestra, quia eum quæ formaretur, non eam quæ formaret, Hylen diceretis : sed tamen etiam sic eo teneremini vani atque sacrilegi, quia nescientes omnem modum naturarum numerumque formarum et ordinem ponderum non esse posse, nisi a Patre et Filio et Spiritu sancto, principio mali tantum bonum tribueretis. Nunc vero cum et quid sit Hyle, et quid sit malum ignoretis, o si possem vobis persuadere, ut a seducendis imperitioribus vos compesceretis!

CAPUT XV. — Jam vero quod etiam inde vos Paganis vultis esse meliores, quod illi aris, delubris, simulacris, victimis atque incenso Deum colendum putant, vos autem nihil horum facitis, quis non irrideat? Quasi vero non satius sit vel lapidi, qui quoquo modo est, aram constituere, et victimam offerre, quam id quod omnino non est, in deliramento phantasmatis adorare? Verum tu, qui rationabile Dei templum te esse dixisti, quomodo hoc explicabis? Placetne tibi ut templum Deus habeat, cujus aliquam partem diabolus fabricaverit? An vos non estis, qui dicitis omnia membra vestra, totumque corpus a maligna mente, quam Hylen dicitis, fabricatum, ejusque ipsius fabricatricis partem illic habitare simul cum parte dei vestri? Quæ cum ibi teneatur, ut perhibetis, concatenata et inclusa, utrum Dei templum, an Dei carcerem te dicere debuisti? Nisi forte animam tuam templum Dei dicis, quam ex terra luminis habes. At illam partem Dei, vel membrum Dei soletis dicere, non templum Dei. Restat ergo ut templum

[1] Plerique Mss., loco, *simul*, habent, *semel*.
[2] Quinque Mss., *certa consideratione*. Male.
[3] In editione Lov. additur hoc loco, *corpus Christi*; quod a Mss. abest.

Dei non te dixeris, nisi ex corpore, quod secundum te diabolus fabricavit. Ecce quomodo templum Dei blasphematis, ut non solum sanctum non esse dicatis, verum etiam machinamentum diaboli, et ergastulum Dei. At vero Apostolus, *Templum enim Dei sanctum est*, inquit, *quod estis vos* : et ne putes tantummodo ad animam pertinere, quod dictum est ; audi expressius, *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra templum est in vobis Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (I *Cor.* III, 17, *et* VI, 19) ? Vos autem fabricam dæmonum Dei templum dicitis, et ibi *vivum*, sicut Faustus ait, *vivæ majestatis simulacrum Christum Filium Dei* collocatis. Plane Christus vester phantasmaticus habitet in tali templo sacrilegæ vanitatis. Illic quippe non a similitudine, sed a simulatione simulacrum vocari potest.

CAPUT XVI. — Ita et mentem tuam aram fecisti, sed vide cujus. Ex ipsis enim artibus et disciplinis tuis apparet, quibus eam imbutam esse dixisti. Illæ artes et disciplinæ vetant panem porrigere mendicanti homini, ut in ara vestra cum sacrificio crudelitatis ardeatis : talem aram Domino destruente, qui ex Lege commemorat quali odore delectatur Deus, dicens, *Misericordiam volo quam sacrificium* (*Osee.* VI, 6). Ubi autem hoc Dominus commemoraverit, attendite : cum scilicet transiret per segetem, et esurientes discipuli ejus vellerent spicas, quod homicidium esse vos dicitis ex disciplina vestra, qua imbuistis mentem vestram ; aram sane, non Dei, sed dæmoniorum mendaciloquorum, ex quorum doctrinis insita cauteriatur maligna conscientia (I *Tim.* IV, 2), homicidium appellans, quam Veritas innocentiam dicit. Ita enim Judæis ait, ubi vos quoque futuros percussit atque destruxit : *Si sciretis quid sit, Misericordiam volo quam sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes* (*Matth.* XII, 7).

CAPUT XVII. — Quas autem habere simplices et puras orationes, tanquam divinos honores ac sacrificia poteritis, cum de ipsa natura atque substantia divina tanta indigna et turpia sentiatis, ut non solum vestris sacrificiis Deus verus non propitietur, sed in sacrificiis Paganorum deus vester immoletur ? Neque enim in lignis solum, et in herbis, aut in membris humanis, sed etiam in pecorum carnibus eum contaminantibus et polluentibus vinculis colligatum esse censetis. Ipsa vero anima vestra, cui Deo laudem dicat, cujus particulam se ipsam in tenebrarum gente captam teneri conclamans, quid aliud quam vituperat Deum, quem sibi alio pacto adversus hostes suos consulere non potuisse testatur, nisi partium suarum tanta corruptione, et tam turpi captivitate ? Unde vestræ etiam preces ad deum vestrum non possent esse religiosæ, sed invidiosæ. Quid enim mali apud illum commiseratis, ut in pœna ista nunc ad eum gematis, quem non propria voluntate peccando deseruistis, sed ab illo dati estis hostibus ipsius, ut pax regno ejus compararetur ? Nec saltem sicut obsides dari solent, cum honore custodiendi : nec sicut pastor ad capiendam bestiam tendit insidias : pecus enim suum solet ponere in illa captoria tendicula, non membrum suum ; et plerumque ita, ut ante bestia capiatur, quam pecus lædatur. Vos autem membra dei dati estis hostibus, non valentes eorum a deo vestro compescere feritatem, nisi eorum contaminati fœditate, non habentes peccatum proprium, sed hostili veneno tabefacti. Unde non potestis dicere in precibus vestris, *Propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos ; et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum* (*Psal.* LXXVIII, 9) : sed dicitis, Libera nos arte tua, quia ut modo in regno tuo securus lugeas, nos hic premimur, dilaniamur, inquinamur. Hæc vox accusatoria est, non deprecatoria. Nec illud potestis dicere, quod Magister veritatis docuit : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Qui sunt enim debitores vestri, qui in vos peccaverunt ? Si gens tenebrarum, numquid ei dimittitis debita, quam usque in finem eradicatam æterno carcere includitis ? Quæ autem debita vobis potest ille dimittere, quando ille potius in vos peccavit, cum ad ista vos misit, quam vos in illum, qui mittenti obtemperastis ? Aut si propterea ille non peccavit, quia hoc necessitate fecit ; major est vestra necessitas, cum jam in pugna prostrati jaceatis, quam fuit illius antequam pugnaretis. Jam enim vos patimini commixtum malum, nihil tale ille patiebatur, cum tamen necessitatem, ut vos mittere, pateretur. Itaque aut ipse potius vobis debet, quod ei dimittatis ; aut si nec ipse vobis, multo magis nec vos illi. Ubi sunt ergo sacrificia vestra, simplices ac puræ orationes vestræ, cum sint fallaces et impuræ blasphemiæ ?

CAPUT XVIII. — Et tamen volo mihi dicatis, unde ista omnia quæ laudatis in vobis, his nominibus appelletis, ut dicatis templum, aram, sacrificium. Si enim vero Deo ista vera non debentur, cur laudabiliter in vera religione prædicantur ? Si autem Deo vero verum sacrificium rite debetur, unde etiam divini honores recte appellantur, cætera quæ dicuntur sacrificia ad similitudinem fiunt cujusdam veri sacrificii. Hæc autem partim sunt imitamenta falsorum et fallacium deorum, hoc est dæmoniorum, superbe sibi ab eis quos deceperint, divinos honores exigentium, sicut sunt vel erant omnia in templis idolisque Gentilium ; partim prædicamenta venturi unius verissimi sacrificii quod pro peccatis omnium credentium offerri oporteret, qualia erant præcepta divinitus antiquis patribus nostris, ubi erat et illa mystica unctio qua Christus præfigurabatur, unde et ipsum nomen a chrismate ducitur. Proinde verum sacrificium, quod uni vero debetur Deo, quo ejus altare solus Christus implevit, in victimis pecorum imitata dæmonia sibi arroganter exposcunt. Unde dicit Apostolus, *Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo* (I *Cor.* X, 20) : non quod offerebatur culpans, sed quia illis offerebatur. Hebræi autem in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis et variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Unde jam Christiani, peracti

ejusdem sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi. Manichæi vero nescientes quid damnandum sit in sacrificiis gentium, et quid intelligendum in sacrificiis Hebræorum, et quid tenendum vel observandum in sacrificio Christianorum; vanitatem suam sacrum offerunt diabolo, qui eos decepit, recedentes a fide, intendentes spiritibus seductoribus, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi mendaciloquorum.

CAPUT XIX. — Discat ergo Faustus, vel potius illi qui ejus litteris delectantur, monarchiæ opinionem non ex Gentibus nos habere; sed Gentes non usque adeo ad falsos deos esse delapsas, ut opinionem amitterent unius veri Dei, ex quo est omnis qualiscumque natura. Sapientes enim eorum (quia, sicut dicit Apostolus, *Invisibilia Dei, a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas, ut sint inexcusabiles*) *cognoscentes Deum, non sicut Deum honorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedium, et serpentium.* Hæc sunt enim simulacra Gentium, in quibus interpretandis non habent exitum, nisi ad creaturam quam condidit Deus; ut in ipsa quoque interpretatione simulacrorum, de qua se peritiores eorum jactare atque inflare consueverunt, hoc in eis fiat quod paulo post idem apostolus dicit: *Coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula* (*Rom.* I, 20-25). Vos autem et in eo quod eis dissimiles estis, vani estis; et in eo quod eis similes estis, pejores estis [1]. Ad hoc enim non cum ipsis creditis monarchiam, quod illi verum credunt, ut ipsius unius Dei substantiam expugnabilem corruptibilemque credatis; quod est impiæ vanitatis: in pluribus autem diis colendis doctrina dæmoniorum mendaciloquorum illis persuasit multa idola, vobis multa phantasmata.

CAPUT XX. — Nec sacrificia eorum vertimus in agapes: sed sacrificium illud quod paulo ante commemoravi intelleximus, dicente Domino, *Misericordiam volo quam sacrificium.* Agapes enim nostræ pauperes pascunt, sive frugibus, sive carnibus. Pascitur enim creatura Dei de creatura Dei, quæ humanis dapibus congrua est. Vobis autem quia dæmonia mendaciloqua persuaserunt, non ad regendam carnem, sed ad exercendam blasphemiam, *abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem; quoniam omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur* (I *Tim.* IV, 2-4): ingrati Creatori, et pro largis ejus beneficiis sacrilegas retribuentes injurias, quoniam plerumque in agapibus etiam carnes pauperibus eroganter, misericordiam Christianorum similem dicitis sacrificiis Paganorum, quorum nonnullis in hoc quoque similes estis. Propterea enim nefas habetis pecora occidi, quia humanas animas in ea revolvi arbitramini, quod in quorumdam gentilium philosophorum libris invenitur: quanquam a posterioribus aliter intellectum esse dicatur. Verum in hoc etiam multo deterius erratis: illi enim in pecore timuerunt trucidare proximum suum; vos autem deum vestrum, cujus membra esse etiam pecorum animas arbitramini.

CAPUT XXI. — Nam quod etiam hinc nobis calumniatur Faustus, quod martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola convertisse, non tam me movet, ut huic calumniæ respondeam, quam ut ipsum Faustum ostendam studio calumniandi etiam ab ipsius Manichæi vanitatibus exorbitare voluisse, et in vulgarem atque poeticam Paganorum opinionem, a quibus se alienissimum cupit videri, nescio quomodo incautum incidisse. Cum enim dixisset nos vertisse idola in martyres, *quos votis*, inquit, *similibus colitis, defunctorum umbras vino placatis et dapibus:* sunt ergo umbræ defunctorum? Nunquam hoc in vestris sermonibus audivimus, nunquam in litteris leginus: imo contradicere soletis talibus opinionibus, asserentes animas mortuorum malas minusve purgatas [1], aut in revolutiones ire, aut in graviores aliquas pœnas; bonas autem in naves imponi, et in cœlo navigantes transire hinc in illud phantasma terræ luminis, pro qua pugnando perierant: ita nullas animas circa suorum corporum sepulcra detineri: unde igitur umbræ defunctorum? quæ substantia earum? qui locus? Sed maledicendi cupiditate Faustus quid profiteretur, oblitus est: aut forte dormitans umbras somniando dictavit; nec, cum verba sua legeret, evigilavit. Populus autem christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum [2], quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi, Petre; aut, Paule; aut, Cypriane: sed quod offertur, offertur Deo qui martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit; ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exsurgat, ad acuendam charitatem et in illos quos imitari possumus [3], et in illum quo adjuvante possumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata [4]: quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita felicioro victores, quam in ista adhuc usque

[1] Sic Am. Er. et aliquot Mss. At Lov., *et in eo quod eis similes estis, vani estis; et in eo quod eis similes non estis, pejores estis.*

[1] Erasmiana editio, *animas mortuorum magis minusve purgatas.*

[2] Lovanienses hoc loco addiderunt, *sacrificemus.* Abest ab editis Am. Er. et a Mss.

[3] Mss. plerique hoc et proximo loco, *possimus.*

[4] Am. Er. et plures Mss., *post incerta omnia superata.*

pugnantes. At illo cultu, quæ Græce λατρεία dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo : et quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur [1], sive ut caveatur. Etiam ipsi enim sancti, vel homines, vel Angeli, exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo et Barnaba, cum commoti miraculis quæ per eos facta sunt Lycaonii, tanquam diis immolare voluerunt : conscissis enim vestimentis suis, confitentes et persuadentes se deos non esse, ista sibi fieri vetuerunt (*Act.* XIV, 7-17). Apparuit et in Angelis, sicut in Apocalypsi legimus, angelum se adorari prohibentem, ac dicentem adoratori suo, *Conservus tuus sum et fratrum tuorum* (*Apoc.* XIX, 10, *et* XXII, 8, 9). Ista sibi plane superbi spiritus exigunt, diabolus et angeli ejus, sicut per omnia templa et sacra Gentilium. Quorum similitudo in quibusdam etiam superbis hominibus expressa est : sicut de Babyloniæ quibusdam regibus memoriæ commendatum tenemus. Unde sanctus Daniel accusatores ac persecutores pertulit, quod regis edicto proposito, ut nihil a quoquam deo peteretur, nisi a rege solo, Deum suum, hoc est, unum et verum Deum adorare deprecarique deprehensus est (*Dan.* VI). Qui autem se in memoriis martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari possunt, cum eos, etiam si in domibus suis id faciant, sana doctrina condemnet? Sed aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus, aliud quod præcipere jubemur, aliud quod emendare præcipimur, et donec emendemus, tolerare compellimur. Alia est disciplina Christianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum. Verumtamen et in hoc ipso distant plurimum culpæ vinolentorum et sacrilegorum. Longe quippe minoris peccati est, ebrium redire a martyribus, quam vel jejunum sacrificare martyribus. Sacrificare martyribus dixi : non dixi, Sacrificare Deo in memoriis martyrum; quod frequentissime facimus, illo duntaxat ritu quo sibi sacrificari Novi Testamenti manifestatione præcepit : quod pertinet ad illum cultum, quæ latria dicitur, et uni Deo debetur. Sed quid agam, et tantæ cæcitati istorum hæreticorum quando demonstrabo, quam vim habeat quod in Psalmis canitur : *Sacrificium laudis glorificabit me, et illic via est, ubi ostendam illi salutare meum* (*Psal.* XLIX, 23)? Hujus sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum [2] promittebatur; in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur; post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur : ac per hoc tantum interest inter sacrificia Paganorum et Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, et præfigurationem præ nuntiantem. Sicut autem non ideo contemnenda vel detestanda est virginitas sanctimonialium, quia et Vestales virgines fuerunt; sic non ideo reprehendenda sacrificia Patrum, quia sunt et sacrificia Gentium : quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quæ cui voveatur atque reddatur; sic inter sacrificia Paganorum et Hebræorum multum distat, eo ipso, quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata et oblata : illa scilicet superbæ impietati dæmoniorum idipsum sibi ob hoc arrogantium, quo haberentur dii, quia divinus honor est sacrificium; illa vero uni Deo, ut ei offerretur similitudo promittens veritatem sacrificii, cui erat offerenda ipsa reddita veritas in passione corporis et sanguinis Christi.

CAPUT XXII. — Neque enim, sicut Faustus dixit, priores nostri Judæi segregati a Gentibus, cum templum haberent, et immolationes, et aras, et sacerdotia, sculpturas solum dimiserunt, id est, idola : poterant enim sicut nonnulli, etiam sine idolorum sculpturis, arboribus, et montibus, postremo etiam soli ac lunæ cæterisque sideribus immolare. Quod si facerent per illum cultum, quæ latria dicitur, creaturæ potius quam Creatori servientibus, et ob hoc non parvo malo impiæ superstitionis errantibus, nihilominus dæmonia se præberent ad eos illudendos, et ab eis sumenda, quæ sic obtulissent. Illi quippe superbi et impii spiritus, non nidore ac fumo, sicut nonnulli vani opinantur, sed hominum pascuntur erroribus : non sui corporis refectione, sed malevola delectatione [1] cum quoquo modo decipiunt, vel arroganti fastu simulatæ majestatis cum divinos sibi honores exhiberi gloriantur. Non ergo illi patres nostri sola Gentium simulacra dimiserunt; sed neque terræ, neque cuiquam terrenæ rei, neque mari, neque cœlo, neque militiæ cœli aliquid immolantes, uni Deo creatori omnium victimas obtulerunt : quas sibi offerri voluit, per earum similitudinem promittens victimam veram, per quam nos sibi peccatorum remissione reconciliavit in Christo Jesu Domino nostro, cujus capitis corpus effectos fideles Paulus alloquitur dicens, *Obsecro autem vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII, 1). Sed Manichæi corpora humana opificium dicunt esse gentis tenebrarum, et carceres quibus victus inclusus est Deus : unde longe aliud annuntiat Faustus, aliud Paulus. Sed quoniam *quisquis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 9); verum dicit Christus in Paulo, anathema sit Manichæus in Fausto.

CAPUT XXIII. — Qui etiam dicit, nihil nos mutasse de moribus Gentium, nesciens quid loquatur. Cum enim justus ex fide vivat (*Rom.* I, 17); finisque præcepti sit charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (I *Tim.* I, 5); maneantque ad formandam [2] vitam fidelium tria hæc, fides, spes,

[1] Hic apud Lov. additum fuerat, *sive ut condemnetur*. Abest ab Am. Er. et a Mss.
Duo Mss., *per victimarum similitudinem*.

[1] Am. Er. et quidam Mss., *dilectione*.
[2] Ita Mss. At Am. et Er., *ad confirmandam*. Lov., *ad informandum*.

charitas (I *Cor.* XIII, 13) : unde fieri potest ut pares cum aliquo mores habeat, qui hæc tria cum illo paria non habet? Qui enim aliud credit, aliud sperat, aliud amat, necesse est ut aliter vivat. Et si usus quarumdam rerum similis videtur nobis esse cum Gentibus, sicut cibi et potus, tectorum, vestimentorum, lavacrorum ; et qui ex nostris conjugalem vitam gerunt, uxorum ducendarum et habendarum, filiorum gignendorum, nutriendorum, hæreditandorum : longe tamen aliter his rebus utitur, qui ad alium finem usum earum refert ; et aliter qui ex his Deo gratias agit, de quo prava et falsa non credit. Sicut enim in ipso errore vestro, cum eo pane vescamini quo cæteri homines, et fructibus vivatis et fontibus, lana et lino similiter texto amiciamini, nec in his tamen parem ducitis vitam, non aliud edendo, aut bibendo, aut induendo, sed aliud sentiendo et credendo, et ad alium finem ista omnia referendo, finem scilicet vestri erroris atque vanitatis : ita nos et in his et in aliis, quæ similiter sumimus, non similiter cum Gentibus vivimus, easdem res non ad eumdem finem referendo, sed ad finem legitimi divinique præcepti, charitatem de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, a quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium. In quo sane principatum tenetis, non intuentes, non considerantes in eisdem habendis agendisque rebus tantum ad diversam vitam valere, si diversa sit fides, ut cum auditores vestri et uxores habeant, et filios quamvis inviti suscipiant, eisque patrimonia congerant vel custodiant, carne vescantur, vinum bibant, lavent, metant, vindemient, negotientur, honores publicos administrent, vobiscum eos tamen, non cum Gentibus computetis, cum facta eorum Gentibus videantur similiora quam vobis. Nam et quorumdam facta Gentilium cum magis vobis propinquent, quam quibusdam Auditoribus vestris ; nonnulli quippe in sacrilegis sacris suis et a vino et a carnibus et a concubitu temperant ; potius Auditores vestros his omnibus utentes, et in eo vobis dissimiles, in Manichæi grege numeratis, quam istos eadem quæ facitis facientes : potiusque feminam quæ in Manichæum crediderit, vestram dicitis, etiam parientem, quam Sibyllam nec saltem nubentem. At enim multi Christiani catholici vocantur, et sunt adulteri, raptores, avari, ebriosi, et quidquid aliud sanæ doctrinæ adversatur? Quid autem inter vos, in tam exiguo ac pene nullo numero vestro, nonne plerique sunt tales, et quidam in Paganis [1] non sunt tales? Num ideo Paganos, qui tales non sunt, dicitis meliores vobis? Cum tamen propter sacrilegam vanitatem sectæ vestræ etiam qui in vobis tales non sunt, Paganis etiam talibus deteriores sint. Unde manifestum est, non ideo derogari sanæ doctrinæ, quæ sola catholica est, quia multi ejus nomine censeri volunt, et per illam sanari nolunt. Agnoscenda est enim paucitas illa, quam Dominus præcipue commendat in ingenti atque innumerabili multitudine toto orbe diffusa (*Matth.* XX, 16) : quæ tamen paucitas sanctorum atque fidelium, quod sæpe commendandum est, tanquam granorum in comparatione multitudinis palearum, paucitas dicitur ; per se autem ipsam tantam massam frumenti facit, ut omnes probos et reprobos vestros, quos pariter veritas reprobat, incomparabili multitudine superet. Ecce non sumus Gentium schisma, a quibus plurimum distamus in melius : sed nec vos hoc estis, quia plurimum ab eis distatis in pejus.

[1] In multis Mss., *et plerique in Paganis.*

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit : Unus Deus est, an duo? Plane unus. Quomodo ergo vos duos asseritis? Nunquam in nostris quidem assertionibus duorum deorum auditum est nomen. Sed tu unde hoc suspicaris, cupio scire. Quia bonorum et malorum duo principia traditis. Est quidem quod duo principia confitemur, sed unum ex his Deum vocamus, alterum Hylen : aut, ut communiter et usitate dixerim, dæmonem. Quod si tu hoc putas duos significare deos, poteris et medico disputante de infirmitate atque sanitate, duas easdem putare sanitates ; et cum quis bonum nominat et malum, tu poteris eadem duo putare bona ; et copiam audiens atque egestatem, duas easdem putabis copias. Quod si et de albo et nigro disputante me, et frigido et calido, et dulci et amaro, dicas quia duo alba, et duo calida, et duo dulcia ostenderim, nonne videberis mentis impos [1], et cerebri minime sani? Sic et cum duo principia dico, Deum et Hylen, non idcirco videri jam debeo tibi duos ostendere deos. An quia vim omnem maleficam Hylæ assignamus, et beneficam Deo, ut congruit, idcirco nihil interesse putas, an utrumque eorum vocemus Deum? Quod si ita est, poteris et venenum audiens et antidotum, nihil interesse putare, an utrumque vocetur antidotum, quia utrumque eorum vim suam habeat, utrumque agat aliquid et operetur : necnon et medicum audiens ac venenarium, utrosque vocabis medicos : et justum audiens atque injustum, poteris utrosque vocare justos, quia uterque eorum aliquid agat. Quod si hoc facere absurdum est, quanto absurdius Deum et Hylen idcirco duos putare deos, quia eorum quisque aliquid operetur? Quapropter inepta hæc et viribus satis effeta argumentatio est, ut quia de re mihi respondere non possis, de solis nominibus confles invidiam. Nam nec diffiteor, etiam interdum nos adversam naturam nuncupare deum, sed non hoc secundum nostram fidem, verum juxta præsumptum jam in eam nomen a cultoribus suis, qui eam imprudenter existimant deum : quemadmodum et Apostolus, *Deus*, inquit, *sæculi hu-*

[1] Am. Er. et aliquot Mss., *incompos.*

jus excæcavit mentes infidelium (II *Cor.* IV, 4). Deum quidem nominans, quia sic jam vocaretur a suis : sed adjiciens, quod mentes excæcet, ut ex hoc intelligatur non esse verus Deus.

CAPUT II.— AUGUSTINUS respondit : Duos quidem deos in vestris disputationibus solemus audire, quod etsi primo negasti, tamen paulo post etiam ipse confessus es, quasi rationem reddens cur hoc dicatis : quia et Apostolus ait, *Deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium.* Quam quidem sententiam plerique nostrum ita distinguunt, ut verum Deum dicant excæcasse infidelium mentes. Cum enim legerint, *In quibus Deus*, suspendunt pronuntiationem ; ac tunc inferunt, *sæculi hujus excæcavit mentes infidelium.* Quia etsi ita non distinguas, sed exponendi gratia ita verborum ordinem mutes, *In quibus Deus excæcavit mentes infidelium sæculi hujus*, idem qui in illa distinctione sensus elucet. Potest enim etiam talis operatio, qua excæcantur mentes infidelium, secundum quemdam modum pertinere ad verum Deum ; quod non facit malitia, sed justitia : sicut idem Paulus alibi dicit, *Numquid iniquus Deus, qui infert iram* (*Rom.* III, 5)? Item alibi : *Quid ergo dicimus*, inquit? *numquid iniquitas est apud Deum? Absit. Moysi enim dicit : Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero.* Cum ergo præmisisset, quod inconcusse est retinendum, non esse iniquitatem apud Deum, paulo post attende quid dicat : *Si autem volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, et ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* etc. (*Id.* IX, 14, 15, 22, 23). Certe hic nullo modo dici potest, alium Deum esse qui ostendit iram et demonstrat potentiam suam in vasis quæ perfecta sunt ad perditionem, et alium qui ostendit divitias in vasis misericordiæ. Nam unum eumdemque Deum facere utrumque, apostolica doctrina testatur. Hinc est et illud, *Propter hoc tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* : et paulo post, *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ* : item paulo post, *Et quoniam non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum* (*Id.* I, 24, 26, 28). Ecce quomodo verus Deus et justus excæcat mentes infidelium. Neque enim unquam in his Apostoli verbis quæ commemoravi, alius Deus intellectus est, quam ille qui Filium suum misit dicentem, *In judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant ; et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Nam et hic satis apparet mentibus fidelium, quomodo Deus excæcet mentes infidelium. Præcedit enim aliquid occultum in occultis, ubi Deus agat justissimum examen judicii sui, ut quorumdam mentes excæcentur, quorumdam illuminentur : cui verissime dictum est, *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7). Cujus profunditatis impenetrabilem altitudinem Apostolus admiratus, exclamat : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus*, etc. (*Rom.* XI, 33)!

CAPUT III. — Vos autem non valentes discernere quid faciat Deus beneficio, quid judicio, quia et a corde et ab ore vestro longe est Psalterium nostrum, ubi dicitur, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1) ; quidquid vos pro infirmitate humanæ mortalitatis offenderit, alienatis omnino ab arbitrio et judicio Dei veri : videlicet habentes paratum alterum deum malum, quem vobis non veritas ostendit, sed vanitas fingit, cui tribuatis non solum quidquid facitis injuste, verum etiam quidquid patimini juste ; ita Deo tribuentes beneficia donorum, et ei auferentes judicia pœnarum, quasi de alio dixerit Christus quod præparaverit [1] ignem æternum malis (*Matth.* XXV, 41), quam de illo qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Id.* V, 45). Unde hic tantam bonitatem, et ibi tantam severitatem ad unum pertinere Deum non intelligitis, nisi quia misericordiam et judicium cantare non nostis? Nonne idem ipse qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, frangit tamen ramos naturales et contra naturam inserit oleastrum? Nonne de uno ipso illic dicit Apostolus : *Vides ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui fracti sunt, severitatem ; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate* (*Rom.* XI, 17-24)? Nempe auditis, nempe advertitis, quemadmodum nec Deo auferat judiciariam severitatem, nec homini liberam voluntatem. Occultum est, altum est, inaccessibili secreto ab humana cogitatione seclusum est, quemadmodum Deus et damnet impium, et justificet impium : utrumque enim de illo Scripturarum sanctarum veritas loquitur. Num igitur ideo adversus divina judicia garrire delectat, quia sunt inscrutabilia? Quanto convenientius, quanto accommodatius est modulo nostro, expavescere illic ubi Paulus expavit, et exclamare, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Quanto melius est ita mirari quod investigare non sufficis, quam propterea velle alterum deum malum fingere, quia unum bonum non potuisti comprehendere? Non enim de nomine agitur, sed de opere.

CAPUT IV. — Nam cito videtur Faustus se defendisse, cum ait : *Non dicimus duos deos, sed Deum et Hylen.* Porro autem cum quæsieris quam dicat Hylen, audies plane describi alterum deum. Si enim materies informis corporalium formarum capax ab eis Hyle appellaretur, quæ appellata est ab antiquis, nemo eam nostrum coargueret dici deum. Nunc vero quantus error est, quanta dementia, vel materiem corporum dicere opificem corporum, vel opificem corporum negare Deum [2]? Quia ergo quod Deus verus facit, id est, corporum, elementorum, animalium qualitates et formas, ut corpora, ut elementa, ut animalia sint, hoc vos dicitis nescio quem alterum fa-

[1] Apud Er. Lugd. et Ven., *præparavit.* M.
[2] Plures Mss., *vel materiem corporum negare Deum.*

cere; quolibet eum nomine vocitetis, recte dicimini errore vestro denm alterum inducere. In hac enim una re bis erratis errore sacrilego : semel quidem, quod ea quæ Deus facit, eum facere dicitis, quem Deum fateri erubescitis; sed nullo modo efficietis ut non sit Deus, nisi eum talia facere negaveritis, qualia non facit nisi Deus : iterum autem, quia ea quæ bonus Deus bona facit, vos et a malo fieri, et mala esse opinamini, puerili sensu horrentes quæ pœnalis mortalitatis imbecillitati non congruunt, et amantes quæ congruunt. Proinde malum dicitis, qui fecit colubrum : istum autem solem tam magnum bonum putatis, ut nec factum a Deo, sed prolatum vel missum esse credatis. Deus autem verus, in quem nondum a vobis credi nimium doleo, et colubrum fecit inter alia inferiora, et solem inter alia superiora; et adhuc in sublimioribus non corporalibus cœlestibus, sed jam in spiritualibus multa ista luce longe méliora, quæ carnalis homo quilibet non percipit : quanto magis vos, qui cum carnem detestamini, nihil aliud quam vestram regulam detestamini, qua bona et mala metimini? Neque enim potest in vobis esse cogitatio vel malorum, nisi qualibus carnalis sensus offenditur; vel bonorum, nisi qualibus carnalis acies oblectatur.

CAPUT V.— Ut ergo ista in imo rerum opera Dei, terrena, infirma, mortalia, sed tamen opera Dei, qualia possumus videre, considerem, ineffabiliter moveor laude Creatoris illorum, qui prorsus ita magnus est in operibus magnis, ut minor non sit in minimis. Ars enim divina, qua cœlestia et terrena opera fiunt, cum ea sint inter se dissimilia, ipsa in omnibus sui similis est, quia in suo quoque genere perficiendo ubique perfecta est. Neque enim universum condit in singulis, sed ad universi complexum condens singula, universam se condendis præbet et singulis, omnia congruenter locis suis et ordinibus faciens atque disponens, et omnibus particulariter atque universaliter congrua tribuens. Ecce hic in isto quasi fundo infimo [1] universæ creaturæ aspicite animalia, quæ volant, et natant, et gradiuntur, et repunt. Nempe mortalia sunt : nempe vita eorum, sicut scriptum est, *vapor est ad modicum apparens* (*Jacobi* IV, 15). Hunc enim modulum ab optimo Conditore perceptum, tanquam in commune conferunt universo pro sui generis portione complendo, ut cum istis imis sint omnia bona, in quibus sunt eis superna meliora. Verumtamen attendite, et date mihi unum quamlibet abjectissimum animal, cujus anima oderit carnem suam, ac non potius nutriat et foveat eam, motuque vitali vegetet et regat, et quodam modo administret pro sui generis exiguitate quoddam universum suum, ad incolumitatem tuendam sibi conciliatum. Quod enim rationalis anima castigat corpus suum, et servituti subjicit, ne immoderato appetitu terrenorum impediatur a perceptione sapientiæ [2], etiam sic utique diligit carnem suam, quam sibi ad obediendum legitime subdit atque ordinat. Postremo vos ipsi, quamvis carnali errore carnem detestemini, non potestis nisi diligere carnem vestram, ejusque saluti et incolumitati consulere, omnes ictus, et casus, et intemperiem qua læditur devitare, munimenta vero et salubritatem qua conservatur appetere : ita ostenditis prævalere naturæ legem contra erroris vestri opinionem.

CAPUT VI. — Quid in ipsa carne vitalia viscera, totius formæ convenientia, membra operandi, vasa sentiendi, locis atque officiis suis cuncta distincta, et concordi unitate contexta, moderatione mensurarum, parilitate numerorum, ordine ponderum, nonne indicant artificem suum Deum verum, cui vere dictum est, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti* (*Sap.* XI, 21)? Si ergo cor non perversum atque corruptum vanis fabulis haberetis, invisibilia ejus etiam per ista quæ in hac infirma et carnali creatura facta sunt, intellecta conspiceretis (*Rom.* I, 20). Unde enim istis hæc quæ commemoravi, nisi ab illo cujus unitate omnis modus sistitur, cujus sapientia omnis pulchritudo formatur, cujus lege omnis ordo disponitur? Quod si ad ista intuenda oculum non habetis, apostolica vos ducat auctoritas.

CAPUT VII. — Apostolus enim, cum de sancta dilectione præciperet, qualis esse debeat virorum in uxores, ex anima amantis [1] sumpsit exemplum. *Qui diligit*, inquit, *uxorem suam, se ipsum diligit : nemo enim unquam carnem suam odio habet, sed nutrit et fovet eam, tanquam Christus Ecclesiam* (*Ephes.* V, 28, 29). Ecce in conspectu vestro est carnalis universa substantia; videte quemadmodum in omne animal sibi ad salutem conciliatum pertendat naturæ ista communio, ut diligat carnem suam. Neque enim hoc in hominibus tantum est, qui cum recte vivunt, non solum consulunt saluti carnis suæ, verum etiam carnales motus ad usum rationis [2] edomant et refrenant : sed etiam bestiæ fugiunt dolorem, formidant interitum; et quidquid illam membrorum compagem copulamque carnis et spiritus a concordi junctura dissicere [3] ac dirimere potest, quanta valent agilitate devitant, nutrientes etiam ipsæ ac fovente carnem suam. *Nemo enim unquam carnem suam odio habet, sed nutrit*, inquit, *ac fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* Videte unde, quo ascenderit : intuemini, si potestis, quam vim ducat a Creatore creatura, ab ipsis cœlestibus apparatibus usque ad carnem et sanguinem universitatis plenitudine terminata, formarum varietate decorata, rerum gradibus ordinata.

CAPUT VIII. — Rursus idem apostolus, cum de spiritualibus diversis muneribus, et tamen ad unitatem consonis, rem plane magnam et divinam et abditam nos doceret, de ista ipsa carne nostra similitudinem dedit, cujus artificem Deum, cum hæc loqueretur, omnino non tacuit. Quod etsi longum

[1] Nonnulli Mss., *mundo infimo.*
[2] Mérique Mss., *appetitu terreno impediatur perceptio sapientiæ.*

[1] Editi Am. et Er., *ex anima animantis.*
[2] Vaticanus codex, *carnales motus adversos rationi.*
[3] Editi, *discindere.* At Mss., *dissicere.*

est, tamen quia valde necessarium, totum ipsum locum ex ejus ad Corinthios Epistola huic operi me inserere non pigebit. *De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres : scitis quando Gentes eratis, ad simulacra sine voce quomodo ascendebatis inducti. Propter quod notum facio vobis, quia nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu : et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones autem donationum sunt, idem autem Spiritus : et divisiones ministrationum sunt* [1], *et idem ipse Dominus : et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui omnia operatur in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem : alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ ; alii, sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum ; alteri autem, fides in eodem Spiritu ; alii, donatio curationum in uno Spiritu ; alii, operationes virtutum ; alii, prophetia ; alii, dijudicatio Spirituum ; alii, genera linguarum ; alii, interpretatio sermonum : omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult. Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus ; ita et Christus. Etenim in uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi ; et omnes unum Spiritum potavimus. Etenim corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, Quia non sum manus, non sum de corpore ; num ideo non est de corpore? Vel si dixerit auricula, Quia non sum oculus, non sum de corpore ; num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit. Si autem fuissent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa membra, unum autem corpus. Non potest autem dicere oculus manui, Opus te non habeo ; aut iterum caput pedibus, Opus vobis non habeo : sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt ; et quæ videntur viliora esse corporis, his abundantiorem honorem circumponimus ; et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent : quæ autem honesta sunt nostra, non opus habent : sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat majorem honorem dans, ut non esset scissura in corpore, sed idem ipsum, ut pro invicem sollicita sint membra : et sive patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra ; sive glorificatur* [2] *unum membrum, congaudent omnia membra* (I *Cor.* XII, 1 26). Si ulla non dico fides christiana, ut credatis Apostolo, sed ullus sensus humanus in vobis est, ut manifesta cernatis ; unusquisque in semetipso iste videat atque consideret, quam vera, quam certa sint ; quam in parvo magna, et in extremo quam bona : quandoquidem iste in laude ponit Apostolus, ut per hæc infima corporalia quæ videntur, possint facilius illa sublimia spiritualia quæ non videntur, intelligi.

CAPUT IX. — Horum ergo membrorum et corporis nostri, quæ sic commendat, sic laudat Apostolus, quisquis artificem Deum negat, videtis cui contradicat, annuntians vobis [1] præter id quod accepimus (*Galat.* I, 9). Quid igitur opus est ut a me redarguatur potius, quam ab omnibus Christianis anathematur? Dicit Apostolus, *Deus temperavit corpus* : et dicit iste, Hyle, non Deus. Quid apertius his inimicitiis ante anathemandis, quam refellendis? Numquid et hic Apostolus, cum diceret, *Deus*, addidit, *hujus sæculi* (II *Cor.* IV, 4)? Ubi etiam si quis diabolum intellexerit excæcare mentes infidelium, non negamus, malis suasionibus : quibus qui consentiunt, justitiæ lumen amittunt, Deo retribuente quod justum est. Hæc omnia legimus in Scripturis sanctis : nam et illud dictum est de seductione extrinsecus veniente, *Timeo ne sicut serpens Evam seduxit in versutia sua, ita corrumpantur mentes vestræ a simplicitate et castitate, quæ est in Christo* (*Id.* XI, 3). Cui simile est, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (I *Cor.* XV, 33) : et illud quod et sibi quisque seductor sit, *Qui autem putat se esse aliquid, cum nihil sit, se ipsum seducit* (*Galat.* VI, 3) : et illud de Dei vindicta, quod supra commemoravi, *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom*, I, 28). Ita et in veteribus Libris, cum prædixisset, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* (*Sap.* I, 13); paulo post, *Invidia*, inquit, *diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Id.* II, 24). Et rursus de ipsa morte, ne se homines extra culpam ponerent, *Impii autem manibus et verbis*, inquit, *accersierunt illam ; et existimantes illam amicam defluxerunt* (*Id.* I, 16). Alibi autem, *Bona et mala, vita et mors, divitiæ et paupertas a Domino Deo sunt* (*Eccli.* XI, 14). Hic perturbati homines non intelligunt in uno eodemque opere malo, non postea consequente alia quæ manifesta erit, sed quadam continuo comitante vindicta, aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis ; cum diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit. Quocirca in opere malo, id est, excæcatione infidelium, si intelligatur et diabolus propter suadendi malignitatem, ut sic distinguatur, *Deus hujus sæculi*, non mihi videtur absurdum. Neque enim sine additamento dicitur, *Deus ;* cum adjungitur, *hujus sæculi*, id est hominum impiorum, non nisi in hoc sæculo florere volentium : secundum quod dicitur, et malum sæculum, sicut scriptum est, *Ut eximeret nos de præsenti sæculo maligno* (*Galat.* I, 4). Tale est enim et illud, *Quorum Deus venter* (*Philipp.* III, 19) : nisi esset ibi, *Quorum*, nullo modo diceret, *deus venter*. Nec in Psalmo dæmonia possent dii appellari, nisi adderetur, Gentium. Sic enim scriptum est : *Quoniam dii Gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 5). Hic autem, nec, *Deus hujus sæculi ;* nec, *quorum deus venter ;* nec, *dii Gentium dæmonia :* sed simpliciter positum est, *Deus temperavit corpus ;* qui non potest intelligi, nisi Deus verus omnium creator. Illa enim cum vituperatione dicuntur, hoc autem cum laude dictum est. Nisi forte Deum temperasse corpus, non dispositione membrorum, hoc est, fabricando et con-

[1] In Mss., *ministeriorum sunt.*
[2] Sic Am. Er. et plerique Mss. At Lov., *sive gloriatur.*

[1] Aliquot Mss., *nobis.*

struendo, sed admixtione lucis suæ, Faustus intelligit : ut scilicet hæc membra ita distincta et locata suis sedibus alter posuerit, qui hoc fabricavit [1]; Deus autem miscendo bonitatem suam, hujus fabricæ malitiam temperaverit. Talibus enim fabulis pueriles animas hebetant. Sed neque hoc eos posse dicere permisit subveniens Deus parvulis per ora sanctorum. Habes enim et paulo superius, *Deus posuit membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit.* Quis jam non intelligat secundum hoc Deum dictum temperatorem corporis, quod ex multis membris corpus fabricavit, officia diversorum operum in unitatis compage servantibus?

CAPUT X. — Dicant ergo Manichæi utrum animalia, quæ secundum deliramenta eorum Hyle fabricaverat in gente tenebrarum, antequam illis Deus lucem suam miscuisset, non habebant istam membrorum concordiam, quam sic laudat Apostolus : utrum ibi diceret caput pedibus, aut oculus manui, *Opus te non habeo.* Nunquam hoc dixerunt, nec dicere potuerunt : tales enim eis actus et opera tribuunt; repebant, ambulabant, natabant, volabant, quæque pro suo genere; videbant quoque, et audiebant, cæterisque sensibus sentiebant, alimentis et temperamentis congruis nutriebant et fovebant corpora sua. Hinc etiam prolis fecunditas suppetebat : nam et conjugia tribuunt eis. Hæc certe omnia quæ tanquam Hyles opera vituperat Manichæus, fieri non possunt sine membrorum concordia, quam laudat et Deo assignat Apostolus. Dubitatis adhuc quisnam sectandus, et quisnam anathemandus sit? Quid, quod erant ibi quædam, quæ etiam loquebantur, ut eis concionantibus omnia serpentia, quadrupedia, volatilia, natatilia, audirent, intelligerent, consentirent? Miranda hæc et omnino divina eloquentia; et neminem grammaticum aut rhetorem audierant, nec inter lacrymas ferularum atque virgarum ista didicerant. Nempe iste Faustus ut has vanitates diserte garriret, ad disciplinam faciendi sermonis etiam serus [2] accessit; et quamvis esset acer ingenio, tamen legendo stomachum rupit, ut ei loquenti tam pauci assentirentur. O miserum, qui in ista luce, ac non in illis tenebris natus est! illic enim cum contra lucem concionantem, omnis bipes, omnis multipes, omnis etiam serpens a dracone usque ad cochlcam libenter audiret, alacriter obediret : hic autem contra tenebras disputantem, plures eloquentem, quam doctum, multi autem seductorem perversissimum nominabant : inter paucos vero Manichæos tanquam magno magistro plaudentes, nullum ei pecus annuebat, nec ex illa doctrina saltem caballus ejus aliquid sciebat, tanquam omnibus animalibus ad hoc pars divina concreta sit, ut stolida fierent. Quid est hoc, rogo? Evigilate aliquando, miseri, et comparate in fabula vestra omnium animantium prius tempus et præsens, tunc in terra sua, nunc in hoc mundo; tunc firma erant corpora, nunc infirma sunt, tunc acris acies oculorum ad videndum cum delectatione invadendi regionem dei, nunc ita obtusa, ut a solis radiis avertatur; tunc auctæ mentes animalium ad intelligendum concionantis sermonem, nunc hebetes et ab hujusmodi capacitate penitus alienæ; tunc naturalis tam magna et tam potens eloquentia, nunc tanto studio ac labore vix parva et exigua. O quam magna bona commixtione boni perdidit gens tenebrarum!

CAPUT XI. — Iste ipse Faustus in hoc ipso sermone, cui nunc respondeo, multa sibimet contraria eleganter opponere visus est, sanitatem et infirmitatem, copiam et egestatem, album et nigrum, calidum et frigidum, dulce et amarum : in quibus omitto de albo et nigro aliquid dicere : aut si ullum momentum boni et mali est in coloribus, ut album dicant ad Deum pertinere, nigrum autem ad Hylen; cum omnia genera volatilium Hylen creasse perhibeant, si album colorem plumis eorum Deus aspersit, ubi latebant corvi, quando cycni candore perfusi sunt? Item de calido et frigido disputare non opus est : utrumque enim temperanter adhibitum, salubre, intemperanter autem, perniciosum est. Cætera videamus. Bonum et malum, quod in primis forte ponere debuit in iisdem contrariis ita videtur posuisse, ut tanquam generalia vellet intelligi, scilicet ut ad bonum pertineat sanitas, copia, album, calidum, dulce; ad malum autem, infirmitas, egestas, nigrum, frigidum, amarum : quam imperite et inconsiderate, videat qui potuerit. Ego autem ne homini calumniari puter, nihil objicio de albo et nigro, calido et frigido, de dulci et amaro, sanitate atque infirmitate [1]. Si enim album et dulce duo bona sunt, nigrum autem et amarum duo mala, quomodo plurima uva, omnisque oliva nigrescendo dulcescit, id est, mali amplius habendo fit melior? Item si duo bona sunt calor et sanitas, duo vero mala frigus et infirmitas, cur calescendo corpora ægrescunt? An forte sana febriunt? Non ergo hæc objicio, quæ forte non cautus, aut pro quibuslibet contrariis potius, quam pro bonis et malis commemoravit : præsertim quia ignem gentis tenebrarum nunquam frigidum fuisse dixerunt, sed calorem ejus utique malum.

CAPUT XII. — Verum ut ista omittamus, illa videamus, quæ ita commemoravit bona in his contrariis, ut nolit inde dubitari, sanitatem, copiam, dulcedinem. Itane in illa gente non erat sanitas corporum, in qua et nasci, et crescere, et gignere, et ita perdurare potuerunt illa animalia, ut quibusdam eorum gravidis, sicut desipiunt, captis, et in cœlo colligatis, nec saltem pleni temporis, sed abortivi fetus de tam excelso in terram cadentes, et vivere potuerint et crescere, et ista carnium, quæ nunc sunt innumerabilia, genera propagare? aut copia ibi non erat, ubi arbores non tantum in aquis et ventis, sed etiam in igne et fumo et nasci potuerunt et tanta fecunditate ditari, ut ex earum fructibus sui cujusque generis animalia gignerentur, et earum arborum feracitate

[1] Lov., *hanc fabricavit.* At Am. Er. et Mss., *hoc fabricavit.* Subaudi, *corpus.*

[2] Er. Lugd. Ven., *serius.* M.

[1] Sic Am. Er. et plures Mss. At Lov., *ne dulci et amaro, sanitati atque infirmitati præscribam.*

nutrita atque pasta conservarentur, quorum saginæ lætitiam prolis quoque fecunditas testaretur : maxime ubi nullus labor agriculturæ, nec intemperies esset æstatis et hiemis; neque enim sol ibi circumibat, ut alternantibus temporibus anni transcurrerent? Proinde perpetua fertilitas erat arborum, quibus clementum et alimentum sui generis, sicut gignendis adfuerat, ita fetandis perpetuo suppetebat, et fructus nunquam deesse faciebat : sicut videmus arbores citriorum toto anno flores et fructus parere, si jugiter irrigentur. Magna ergo illic copia, et ejus habendæ magna securitas : neque enim vel grando timebatur, ubi non erant luminis exactores, quos tonitrua commovere fabalamini.

CAPUT XIII. — Dulces autem ac suaves si non haberent cibos suos, nunquam eos appeterent, nunquam eis corpora vegetarent. Ita enim se res habet, ut pro cujusque corporis congruentia vel delectet esca vel offendat. Si delectat, dulcis aut suavis dicitur; si autem offendit, amara, sive aspera, sive aliqua insuavitate respuenda. Nonne ipsi nos homines ita sumus, ut plerumque alter appetat alimentum, quod alter exhorreat; sive pro temperatione naturæ, sive pro usu consuetudinis, sive pro affectione valetudinis? Quanto magis longe diversi generis corpora bestiarum possunt illud habere jucundum, quod nobis amarum est? An aliter capræ ad rodendum suspenderentur oleastrum? Nam sicut nonnulli morbo hominum mel amarum est, ita illi naturæ pecoris suavis oleaster. Sic insinuatur prudentibus rerum examinatoribus ordo quid valeat, cum scilicet sua cuique adhibentur atque redduntur; quantumque hoc bonum sit ab imis usque ad summa, a corporalibus usque ad spiritualia. Itaque in gente tenebrarum, cum animal alicujus elementi eo vescebatur cibo, qui nascebatur in ejus elemento, procul dubio suavitatem ipsa congruentia faciebat : si autem incidisset in alterius elementi cibum, ipsa incongruentia faceret offensionem sensui gustantis : quæ offensio vel amaritudo vel asperitas vel insuavitas vel quodlibet aliud, aut si ita nimium est, ut aliena vi compagem corporis concordiamque disrumpat, ac sic interimat, aut vires auferat, etiam venenum vocatur, non nisi per incongruentiam, quod alteri generi per congruentiam cibus est : sicut panem, qui quotidiana esca nostra est, si accipiter sumat, exstinguitur; et nos, si helleborum, quo pecora pleraque vescuntur; cujus tamen herbæ adhibendæ quidam modus etiam medicamentum est. Quod si sciret aut consideraret Faustus, non utique venenum et antidotum pro exemplo duarum naturarum mali et boni poneret, tanquam Deus sit antidotum, et Hyle venenum : cum eadem res eademque natura nunc congruenter, nunc incongruenter sumpta sive adhibita, vel prosit, vel noceat. Itaque secundum eorum fabulam potest dici deus eorum fuisse venenum genti tenebrarum, cujus corpora tam firma ita corrupit, ut infirmissima redderet : sed quia et lux ipsa capta, oppressa, corrupta est, invicem sibi venenum fuerunt.

CAPUT XIV. — Cur non ergo hæc, aut duo bona dicitis aut duo mala, vel magis et duo bona et duo mala; duo bona apud se, duo mala in alterutrum? Postea si opus fuerit, quæremus quid horum sit melius aut pejus : interim quia duo bona erant apud se, ita consideratur : Regnabat Deus in terra sua, regnabat et Hyle in sua. Sanitas regnantium et ibi et hic : copia fructuum et ibi et hic : fecunditas prolis utrobique : suavitas propriarum voluptatum apud utrosque. Sed illa gens, inquiunt, excepto eo quod vicinæ luci mala erat, et apud se ipsam mala erat. Interim bona ejus multa jam dixi, si et vos mala ejus potueritis ostendere, erunt duo regna bona, sed illud melius, ubi nullum erat malum : quænam ergo hujus mala dicitis fuisse? Vastabant se, inquit, invicem lædebant, occidebant, absumebant. Si ad hoc solum ibi vacaretur, quomodo ibi tanta agmina gignerentur, nutrirentur, perficerentur? Erat ibi ergo et quies et pax. Verumtamen fateamur illud fuisse melius regnum, ubi nulla discordia : duo tamen bona ista multo accommodatius dixerim, quam unum bonum et alterum malum; ut illud sit melius, ubi nec singuli sibimetipsis nocebant, nec invicem; hoc autem inferius bonum, ubi quamvis invicem adversarentur, unumquodque tamen animal suam salutem, incolumitatem, naturamque tuebatur. Verumtamen deo vestro illo saltem principe tenebrarum non ita longo intervallo comparari potest, cui nemo resistebat, cui regnanti cuncta servierunt, quem concionantem cuncta secuta sunt; quod sine magna pace atque concordia fieri non posset. Ibi enim sunt regna felicia, ubi omnium pleno consensu regibus obeditur. Huc accedit, quia illi principi non tantum sui generis, id est, bipedes, quos parentes hominum dicitis, sed etiam cuncta animalium cæterorum genera subdita erant, et ad nutum ejus convertebantur, faciendo quod jussisset, credendo quod suasisset. Hæc dicentes, usque adeo putatis surda hominum corda, ut exspectent a vobis deum alterum nominari, quem vident plane aperteque describi. Si enim principis hujus vires hoc poterant, magna potentia; si honor, magna claritas; si amor, magna concordia; si timor, magna disciplina. In his omnibus bonis si erant aliqua mala, num ideo jam mali natura dicenda est, nisi ab eis qui nesciunt quid loquantur? Porro, si propterea mali naturam putatis, quia non solum in alteram naturam mala erat, sed etiam in se ipsa habebat malum; nullumne malum esse arbitramini duram necessitatem, quam patiebatur deus vester ante commixtionem naturæ contrariæ, ut cum ea bellaret, et in ejus fauces sic opprimenda membra sua mittere cogeretur, ut non posset[1] tota purgari? Ecce erat et in ipsa magnum malum, antequam ei misceretur quod solum dicitis malum. Aut enim lædi et corrumpi non poterat a gente tenebrarum, et propria stultitia patiebatur illam necessitatem; aut si poterat corrumpi ejus substantia, non colitis Deum incorruptibilem, qualem Apostolus præ-

[1] Lov., *ut non possent*. At Mss., *ut non posset*. Editiones quoque Am. et Er. in singulari, *ut non possit*; subaudi, *natura Dei* : ad quam etiam illud quod mox sequitur referendum : *Ecce erat et in ipsa magnum malum*.

dicat (1 *Tim.* I, 17). Quid ergo? et ipsa corruptibilitas, qua quidem nondum corrumpebatur illa natura, sed tamen a qua [1] corrumpi poterat, non vobis in deo vestro videtur malum?

CAPUT XV. — Illud etiam quis non videat, quod aut præscientia ibi non erat; ubi vestrum est jam cogitare, utrum nullum vitium Dei sit carere præscientia, et quid immineat omnino nescire: aut si erat ibi præscientia, securitas ibi esse non poterat, sed æternus timor; et hoc quantum malum sit, certe agnoscitis. An non timebat, ne jam jamque adveniret tempus, quo membra ejus ita vastarentur et inquinarentur in illo prælio, ut vix cum tanto labore, nec tamen tota liberentur atque mundentur? Sed si ad ipsum hoc non pertinebat, quod quidem cernitis quam dure dicatur; certe ipsa membra ejus, quæ hic tanta mala passura erant, nempe metuebant. An hoc futurum ipsa nesciebant? Ergo qualicumque parti substantiæ dei vestri defuit utique præscientia. Numerate mala in summo vestro bono. An ideo non timebant, quia suam consecuturam liberationem ac triumphum pariter prævidebant? Certe vel pro sociis timebant, quos æternis in illo globo vinculis a suo regno noverant alienandos.

CAPUT XVI. — An ibi charitas non erat, ut nulla esset fraterna compassio, pro his utique quorum peccato nullo præcedente impendebant æterna supplicia? Quid, illæ ipsæ animæ in globo ligandæ, nonne et ipsæ membra dei vestri erant? Nonne unum genus et una substantia est? ipsæ saltem præscientes futurum sempiternum vinculum suum, nempe timebant, nempe mœrebant. Aut si ipsæ hoc futurum nesciebant, pars dei vestri provida erat, pars improvida: quomodo ergo una eademque substantia? Cum ergo tanta mala et ibi fuerint, antequam esset alieni mali commixtio, quid de illo tanquam puro et simplici et summo bono gloriamini? Ergo etiam apud semetipsas istas duas naturas, aut duo bona, aut duo mala fateri cogimini. Concedimus vobis, si duo mala dixeritis, ut quod volueritis horum pejus dicatis: si autem duo bona, quodlibet horum melius dicite, erit postea diligentior consideratio; dum tamen vester error ille tollatur, quo dicitis duo principia duarum naturarum, bonæ et malæ; et plane duos deos, unum bonum, et alterum malum. Jam vero si propterea malum est aliquid, quod alteri nocet, invicem sibi ista nocuerunt: fuerit una pars improbior, quia prior appetivit alienum. Una ergo malum inferre voluit, altera malum pro malo retribuit: et non lege talionis, tanquam oculum pro oculo (*Exod.* XXI, 24), quod imprudenter reprehendere soletis, sed multo gravius. Eligite ergo quam pejorem dicatis, quæ prior nocere voluit, an quæ amplius nocere et voluit et potuit. Ista enim pro modulo suo luce perfrui concupivit; illa eam funditus eradicavit. Ista si quod appetivit implesset, sibi certe nihil obfuisset: illa vero ut hostilem adversitatem penitus everteret, etiam suæ parti graviter nocuit. Sicut est illa notissima, et quarumdam litterarum memoriæ commendata furiosa sententia: *Pereant amici, dum inimici una intercidant* (*Apud Ciceronem, pro Dejotaro*). Missa est enim ad inexpiabilem contaminationem pars dei, ut esset unde tegeretur globus, quo in æternum hostis vivus sepeliendus est: tantum enim timebitur et victus, tantum terrebit inclusus, ut sempiterna miseria partis dei cætero deo tribuat qualemcumque securitatem. O magna innocentia bonitatis! Ecce faciet et deus vester, unde tenebrarum gentem horribiliter accusatis, quod et suis noceat et alienis. Idipsum omnino in deo vestro arguit ille globus extremus, quo et hostis includitur, et civis affligitur: imo vero superat in amplius nocendo, et alienis et suis, pars illa, quam dicitis deum. Hyle quippe non eradicare alienum regnum voluit, sed tenere; suos autem quosdam, etsi ab aliis suis quibusdam consumendo interimebat, in alias tamen formas denuo commutabat, ut moriendo et renascendo saltem per intervalla temporum suæ vitæ lætitia fruerentur: Deus autem, qualem omnipotentem optimumque describitis, in æternum et alienos eradicat, et suos damnat: et quod mirabiliore dementia creditur, Hyle animalia sua lædit in pugna sua, Deus membra sua punit in victoria sua. Quid est, vani homines? Nempe recordamini verba Fausti de Deo tanquam de antidoto, et Hyle tanquam veneno: ecce plus nocet vestrum antidotum quam venenum. Numquid Hyle tam horrendo globo in æternum, vel Deum includeret, vel sua viscera affigeret [1]: et quod sceleratius est, calumniatur eisdem reliquiis, ne defecisse videatur, quod eas purgare non potuit. Dicit enim Manichæus in Epistola Fundamenti, ideo dignas illas animas fieri tali supplicio, quod errare se a priore lucida sua natura passæ sunt, et inimicæ lumini sancto exstiterunt: cum eas in illum errorem, quo ita tenebrarentur, ut inimica luci lux fieret, ipse miserit; si invitas, injustus, ut cogeret; si volentes, ingratus, ut damnet [2]. Quæ se futuras inimicas origini suæ, si præscire potuerunt, et ante bellum timore cruciatæ, et in bello inexpiabiliter maculatæ, et post bellum in æternum damnatæ, nunquam beatæ. Si autem præscire non potuerunt, et ante bellum improvidæ, et in bello invalidæ, et post bellum miseræ, nunquam divinæ. Et utique quod ipsæ, hoc Deus, secundum unitatem substantiæ. Putamusne respicitis quam immaniter blasphematis? Et tamen aliquando volentes quasi defendere bonitatem Dei, etiam ipsi Hylæ præstare dicitis aliquid boni, ut inclusa in semetipsa non sæviat [3]. Habebit ergo aliquid boni, cum ei nullum mixtum erit bonum? An forte sicut Deus ante bellum sine commixtione mali habebat necessitatis malum, ita Hyle post bellum sine commixtione boni habebit cessationis bonum? Dicite ergo duo mala, sed unum altero pejus: aut duo non summa bona, sed unum

[1] Editi, *sed tamen ab alia*. Melius Mss., *sed tamen a qua corrumpi poterat*; id est, talis erat ut corrumpi posset.

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *affligeret*.

[2] Er. et Lov., *ut damnaret*. Am. autem et Mss., *ut damnet*.

[3] Am. et Er., *in semetipsam non sæviat*. Forte melius.

altero melius ; ita sane, ut quod est melius, hoc dicatis miserius : nam si illius tanti belli hic erit exitus, ut superata [1] Hyle a propria vastatione et Dei membris affixis in globo, aliquid boni præstetur hostibus, et tantum mali infligatur civibus; cogitate quis vicerit. Sed videlicet venenum est Hyle, quæ formare, firmare, nutrire, vegetare valuit animalia sua : et antidotum Deus, qui damnare potuit, qui sanare non potuit membra sua. Insani, nec illa est Hyle, nec ille Deus. Sic delirant, qui sanam doctrinam non sustinentes, ad fabulas convertuntur (II *Tim.* IV, 3).

[1] Am. et octo Mss., *separata*.

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Cur Legem blasphematis et Prophetas? Minime quidem nos hostes sumus, aut inimici Legis ac Prophetarum, sed nec ullius omnino : adeo ut si modo per ipsos vos liceat, simus parati fateri, falsa illa omnia esse quæ de eis scripta sunt, et quorum causa videntur nobis exosi. Sed enim vos repugnatis, et scriptoribus assentiendo vestris, in crimen forsitan Prophetas innocentes adducitis, infamatis Patriarchas, dedecoratis et Legem, atque quod sit stultius, vultis et scriptores vestros non esse mendaces, et eos tamen religiosos ac sanctos, quorum hi flagitia et turpes conscripserint vitas. Quod quia utrumque pariter constare non potest : oportet enim aut hos fuisse malos, aut illos mendaces et falsos :

CAPUT II. — Age, si libet, assensu communi scriptoribus damnatis, defensionem suscipiamus Legis et Prophetarum. Legem autem nunc dico ego, non circumcisionem, nec sabbata, et sacrificia, cæteraque hujusmodi Judæorum ; sed eam quæ vere sit Lex, id est, *Non occides*, *Non mœchaberis*, *Non pejerabis* (*Exod.* XX, 13, 14, 16), et cætera. Cui quia olim diffamatæ in gentibus, id est, ex quo mundi hujus creatura consistit, Hebræorum scriptores irruentes, tanquam lepram ac scabiem, abominanda hæc sua et turpissima præcepta commiscuerunt, quæ ad peritomen spectant, et sacrificia, age si es certo [1] et tu amicus Legis, damna eos mecum, qui hanc violare ausi sunt hac commixtione inconvenientium eidem præceptorum : quæ præcepta, nisi et vos Legem non esse scietis, nec Legis partem, utique aut eadem servare niteremini professi justitiam, aut vos coram fateremini esse non justos. Nunc vero et de illis quæ scelera prohibent mandatis, sollicita vobis est cura recte volentibus vivere; et de iis quæ pertinent ad Judæos, nulla fit mentio : quod quatenus excusatum vobis erit, nisi eamdem Legem non esse constiterit? Denique si ut incenderis, intolerabile convicium judicans, si quis te negligentem præcepti hujus appellet, quo dictum est, *Non occides*, vel, *Non mœchaberis* ; ita etiam exardesceres, si quis te et incircumcisum vocaret, et negligentem sabbati ; erat intelligi procul dubio quod esset utrumque lex et Dei mandatum [2]. Nunc vero et de illis superioribus laudem quæris et gloriam, si ea conserves; et de his nullam ejusdem boni jacturam metuis, quia contemnas. Quare constat hæc, ut dixi, non esse Legem, sed Legis potius maculas et scabiem : quæ si damnantur a nobis, damnantur ut falsa, non ut legitima. Nec tangit convicium hoc Legem, nec Legis auctorem Deum, sed eos qui hunc et illam nefariis suis religionibus inscripserunt. Ut autem interdum Legis nos reverendum nomen, cum Judaica præcepta persequimur, lacessamus, vestro fit vitio, qui inter Hebraicas institutiones et Legem, nullum vultis esse discrimen : alioquin reddite Legi propriam dignitatem, Israeliticas ab eadem turpitudines tanquam verrucas incidite, deformationis ejus crimen scriptoribus [1] imputate, et statim videbitis nos Judaismi inimicos fuisse, non Legis. Legis nomen est quod vos decipit : quia cui jure debeat adscribi, non nostis.

CAPUT III. — Ad hæc et Prophetas ac Patriarchas vestros cur nos blasphemare existimetis, ego non video. Nam si a nobis scripta hæc dictatave fuissent [2], quæ iidem commisisse leguntur, esset vestra hæc in nos non irrationabilis accusatio : ubi vero aut ab ipsis eadem scripta sunt contra honestatis morem, de vitiis captantibus gloriam, aut ab eorum sociis ac paribus, nostra quæ istic culpa est? Damnamus enim detestati actus iniquos, quos ultro de se, nec interrogati confessi sunt rei : aut si hæc per invidiam scriptorum adversus eos malignitas finxit, puniantur scriptores, damnentur eorum libri, purgetur propheticum nomen indigna fama, gravitati atque censuræ suæ Patriarcharum reddatur auctoritas.

CAPUT IV. — Et sane fieri potuit ut quemadmodum de Deo impudenter iidem tanta finxerunt, nunc eum in tenebris ex æterno versatum dicentes, et postea miratum cum vidisset lucem ; nunc ignarum futuri, ut præceptum illud quod non esset servaturus Adam, ei mandaret; nunc et improvidum, ut eum latentem in angulo paradisi post nuditatem cognitam videre non posset; nunc et invidum ac timentem, ne si gustaret homo suus de ligno vitæ, in æternum viveret; nunc alias et appetentem sanguinis atque adipis ex omni genere sacrificiorum, zelantemque si et aliis eadem offerrentur ut sibi; et nunc irascentem in alienos, nunc et in suos; nunc perimentem millia hominum ob levia quidem aut nulla commissa; nunc etiam comminantem venturum se fore cum gladio, et parciturum nemini, non justo,

[1] Fr. Lugd. et Ven., *pro certo*. M.

[2] Fr. Lugd. et Ven. sic legunt hunc locum : *Denique si sicut incenderis..... ita etiam exardesceres, si quis te et incircumcisum vocaret et negligentem quod sabbati erat ; intelligis procul dubio quod esset utrumque lex et Dei mandatum*. M.

[1] Sola editio Lov., *scriptoribus vestris*.

[2] Sic Mss. Editi, autem, *dictave fuissent*.

non peccatori : fieri, inquam, potuit ut et de Dei hominibus mentirentur, qui de Deo ipso tanta protervitate mentiti sunt. Sed vos consentite nobiscum, ut portent scriptores crimen, si vultis eodem liberari Prophetas.

CAPUT V. — Alioquin neque illa nos de Abraham scripsimus, quod habendæ prolis insana flagrans cupidine, et Deo, qui id jam sibi de Sara conjuge promiserat, minime credens, cum pellice voluptatis sit sub conscientia (quo sit inhonestius) uxoris (*Gen.* xvi, 2-4). Nec quod matrimonii sui infamissimus nundinator, idem avaritiæ ac ventris causa duobus regibus, Abimelech et Pharaoni, diversis temporibus, memoratam Saram conjugem suam sororem mentitus (*Id.* xx, 2, *et* xii, 13), quia erat pulcherrima, in concubitum venditavit. Nec quod Loth ipsius frater de Sodoma liberatus, cum duabus filiabus suis in monte concubuit (*Id.* xix, 33, 35); qui honestius arsisset in Sodoma ictu fulminis, quam in monte flagravit inconcessæ flamma libidinis. Sed nec quod Isaac eadem patri suo gessit ac paria, erga Rebeccam conjugem suam, fingens et ipse eam sororem (*Id.* xxvi, 7), quo per ipsam viveret turpiter. Nec quod Jacob filius ejus inter Rachel et Liam duas germanas sorores, earumque singulas famulas, quatuor uxorum maritus, tanquam hircus erraverit; ut esset quotidie inter quatuor scorta certamen, quænam eum venientem de agro prior ad concubitum raperet, interdumque etiam mercedibus in noctem ab invicem conducerent eum (*Id.* xxix *et* xxx). Item quod Judas filius ejus cum Thamar nuru sua dormierit, post unius et alterius nuptias filii, deceptus, ut aiunt, habitu prostitutionis (*Id.* xxxviii), in quem se transformaverat eadem, quæ socerum suum bene nosset cum hoc genere feminarum[1] semper habuisse commercium. Nec quod David post tot numero uxores, mulierculam quoque Uriæ militis sui mœchatus sit, ipsumque perdiderit in bello (II *Reg.* xi, 4, 15). Nec quod Salomon filius ejus trecentas uxores et septingentas concubinas habuerit, et regum filias sine numero (III *Reg.* xi, 1-3). Nec quod Osee prophetarum primus de fornicaria muliere filios fecerit : cui turpitudini, quo sit deterius, ascribitur et consilium Dei (*Osee* i, 2, 3). Sed nec illud, quod Moyses homicidium fecerit (*Exod.* ii, 12), quod spoliaverit Ægyptum (*Id.* xii, 35, 36), quod bella gesserit, quod crudelia multa et mandarit et fecerit (*Id.* xvii, 9, *etc.*), quod ne ipse quidem uno contentus matrimonio fuerit. Hæc, inquam, et horum similia, quæ in diversis eorum habentur libris, nihil a nobis scriptum, nihil dictatum est : sed aut scriptorum vestrorum ista commenta sunt falsa, aut patrum crimina vera. Vos utrum vultis eligite : nam nos, aut hos, aut illos pariter detestari necesse est, quia tam malus et turpes odimus, quam mendaces.

CAPUT VI. — Augustinus respondit : Nec sacramenta legis intelligitis, nec facta Prophetarum; quia neque sanctitatem, neque justitiam cogitare nostis. Sed de præceptis et sacramentis Veteris Testamenti sæpe ac multa jam diximus, ut intelligeretur aliud ibi fuisse quod per gratiam Novi Testamenti faciendo donaretur implendum, aliud quod per veritatem patefactam removendo demonstraretur impletum : cum Dei et proximi dilectione susciperetur Legis perficienda præceptio, circumcisionis autem atque aliorum illius temporis sacramentorum cessatione ostenderetur Legis persoluta promissio. Præceptum quippe reos faciebat ad desiderandam salutem, promissum autem figuras celebrabat ad exspectandum Salvatorem : ut per adventum Novi Testamenti illos liberaret gratia donata, illas auferret veritas reddita. Ipsa enim Lex quæ per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* i, 17) : gratia scilicet, ut data indulgentia peccatorum, quod præceptum erat ex Dei dono custodiretur; veritas autem, ut ablata observatione umbrarum, quod promissum erat ex Dei fide præsentaretur.

CAPUT VII. — Proinde isti, qui ea quæ non intelligunt reprehendentes, lepram vel scabiem seu verrucas Legis esse dicunt promissivas figuras sacramentorum, similes sunt hominibus, quibus displicent ea quorum non capiunt utilitatem : veluti si surdus videns moveri labia loquentium, tanquam superfluos oris motus deformesque reprehenderet; vel si quisquam cæcus laudata sibi aliqua domo, vellet palpando probare quod dicitur, et parietum lævitatem[2] manu pertractans, in fenestras irrueret, easque velut inconvenientes illi æqualitati redargueret, cavernasque ruinosas putaret.

CAPUT VIII. — Jam vero facta Prophetarum etiam ipsa prophetica et mystica fuisse, quid agam ut intelligant, quorum mentes vanitas occupavit, ita ut putent credi a nobis etiam ipsum Deum aliquando in tenebris esse versatum, quia scriptum est, *Tenebræ erant super abyssum* (*Gen.* i, 2) : tanquam nos abyssum dicamus Deum, ubi tenebræ erant, quia lux ibi non erat, antequam Deus verbo faceret lucem? Sed quia non distinguunt inter lucem quod est ipse Deus, et lucem quam fecit Deus, ideo putant esse consequens, ut in tenebris ipse fuerit, antequam faceret lucem, cum tenebræ essent super abyssum, antequam diceret, *Fiat lux; et facta est lux* (*Ibid.*, 3). Sicut enim in Novo Testamento utrumque de illo dicitur; nam et, *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (I *Joan.* i, 5), ibi legimus; et, *Deus qui dixit de tenebris lumen clarescere, claruit in cordibus nostris* (II *Cor.* iv, 6), itidem ibi legimus : sic et in illis veteribus Libris, et, *Candor est lucis æternæ* (*Sap.* vii, 26), dictum est de Sapientia Dei, quæ utique facta non est, quia per illam facta sunt omnia (*Joan.* i, 3); et de luce quadam, quæ non nisi per illam fieri potest, hoc modo ibi dicitur, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine; Deus meus, illuminabis tenebras meas* (*Psal.* xvii, 29). Sicut et ab initio cum tenebræ essent super abyssum, dixit Deus, *Fiat lux; et facta est lux* : quam non fecisset, nisi lucifica lux, quod est Deus.

CAPUT IX. — Sicut enim Deus sibi sufficit ad

[1] Am. et Er., *cum omni genere feminarum.*

[2] Am. et 1 lures Mss., *lenitatem.*

æternam beatitudinem, et ex hac abundat ad faciendos beatos; ita sibi sufficit ad æternam lucem, et ex hac abundat ad faciendos illuminatos : nullius bonum cupiens, cum ipso fruatur omnis voluntas bona; nullius malum timens, cum ipso deseratur omnis voluntas mala : quia nec auget eum, qui ejus dono beatus est, nec terret eum, qui ejus judicio miser est. Talem Deum, Manichæi, non colitis; longe ab illo facti estis, dum phantasmata vestra sectamini, quæ cor vestrum vanum et vagum, lucem istam cœlestium corporum per carnis oculos hauriens, vobis multiplici fictione dilatavit atque variavit. Lux ista, quamvis et ipsam Deus fecerit, longe incomparabilis est etiam illi luci, quam fecit Deus in mentibus piorum, quas a tenebris lucificat, sicut ab impietate justificat : quanto magis illi inaccessibili, quæ ista omnia facit? Nec omnibus inaccessibilis est : *Beati* enim *mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). *Deus* autem *lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ :* impii vero non videbunt lumen, sicut dicit Isaias (*Isai.* LIX, 9, 10). Talibus ergo est inaccessibilis illa lucifica lux, quæ non solum illam spiritualem lucem in sanctorum mentibus, sed etiam istam corporalem fecit : non ad quam prohibeat accedere malos, sed quam facit oriri super bonos et malos (*Matth.* v, 45).

CAPUT X.— Cum ergo essent tenebræ super abyssum, ille qui erat lux, dixit, *Fiat lux.* Quæ lux lucem fecerit, manifestum est; manifeste enim positum est, *Dixit Deus :* quam tamen lucem fecerit, non ita manifestum est. Utrum enim illam quæ in mentibus Angelorum est, id est, ipsos tunc spiritus rationales Deus fecerit, an corporalem quamdam lucem, remotam etiam ab aspectibus nostris in sublimibus hujus mundi locis, inter studiosos divinarum Scripturarum concorditer disputatur. Quarto enim die fecit ista conspicua cœli luminaria. Quæ rursus utrum simul cum sua luce facta sint, an ex illa quæ jam facta erat, quodam modo accensa sint, similiter quæritur. Quælibet sane lux facta sit, quando, cum essent tenebræ super abyssum, *dixit Deus, Fiat Lux;* creatam tamen lucem a creatrice luce factam esse non dubitat, quisquis sanctas Litteras pie legendo fit dignus qui intelligat.

CAPUT XI. — Nec ideo putandus est Deus, antequam faceret lucem, in tenebris habitasse, quia *Spiritus Dei superferebatur super aquas* (*Gen.* I, 2), cum prædictum fuisset, *Tenebræ erant super abyssum.* Abyssus namque est aquarum inæstimabilis profunditas. Unde potest occurrere carnali prudentiæ, velut in iis tenebris, quæ erant super abyssum, habitaverit Spiritus Dei, de quo dictum est, *Ferebatur super aquas;* non intelligenti quemadmodum lux luceat in tenebris, et tenebræ eam non comprehendant (*Joan.* I, 5), nisi per Dei verbum fiant lux, et dicatur eis, *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). Quod si rationales mentes per voluntatem impiam tenebrosæ lucem sapientiæ Dei nusquam absentem comprehendere non possunt, quod ab ea longe sint affectu, non loco; quid mirum si Spiritus Dei, qui superferebatur super aquas, superferebatur etiam super aquarum tenebras, incomparabili quidem longinquitate, sed substantiæ, non locorum?

CAPUT XII. — Scio quidem istis quam surdis hæc cantem : nec tamen despero quod cantici mei veritas inventura sit aurem suam, quam Dominus aperuerit, a quo sunt vera quæ dicimus. Istos autem, quales divinarum Scripturarum judices patimur, quibus etiam displicet quod Deo placuerint opera sua, quem tanquam insolitam lucem miratum esse reprehendunt, quia scriptum est, *Et vidit Deus lucem quia bona est* (*Gen.* I, 4)? Approbat enim opera sua, quia placent ei quæ fecit, et hoc est videre quia bona sunt. Neque enim aliquid invitus facere cogitur, ut quod ei non placet faciat; aut in aliquid faciendum imprudens labitur, ut factum esse displiceat. Cur autem istis non displiceat, quod Deus noster opus suum vidit, quia bonum est; quandoquidem deus eorum cum membra sua mersit in tenebras, velum contra se posuit? Non enim quod fecit vidit, quia bonum est : sed noluit videre, quia malum est.

CAPUT XIII. — Miratum sane Faustus Deum nostrum dixit, quod scriptum non est : nec omnino est consequens ut cum aliquis vidit quia bonum est, etiam miratus dicatur. Multa enim bona videntes non miramur, tanquam præter opinionem ita sint; sed tantummodo approbamus, quod ita esse debuerint. Verumtamen ostendimus eis, non in Vetere Testamento cui malitiose calumniantur, sed in Novo quod ut imperitos fallant accipiunt, Deum esse miratum. Christum enim fatentur Deum, et hanc in laqueo suo velut escam dulcissimam ponunt, qua Christo deditos capiant. Deus ergo miratus est, cum Christus miratus est : sic enim scriptum est in Evangelio, quod audita fide cujusdam Centurionis *miratus est, et ait discipulis suis, Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel* (*Matth.* VIII, 10). Ecce nos ut potuimus, exposuimus, *Vidit Deus quia bonum est;* et melius fortassis exponunt ista meliores : exponant et isti quare sit miratus Jesus, quod antequam fieret, præsciebat; et antequam audiret, utique noverat. Quanquam enim plurimum intersit, utrum videat aliquis quia bonum est, an etiam miretur : in hoc tamen est nonnulla similitudo, quia etiam Jesus lucem fidei miratus est, quam in corde illius Centurionis ipse fecerat, qui verum est lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9)?

CAPUT XIV. — Quem posset certe aliquis impius paganus ita calumniari et reprehendere in Evangelio, sicut Deum Faustus in vetere Testamento. Diceret enim et ille improvidum Christum, non solum ex hoc quod miratus est Centurionis fidem; verum etiam quod Judam inter discipulos elegit, qui mandata ejus non erat servaturus (*Id.* VI, 71) : sicut reprehendit iste, cur præceptum in paradiso datum fuerit homini non facturo (*Gen.* II, 16, 17, *et* III, 6). Culparet etiam illud, quod scire non potuerit quis eum tetigerit, quando tetigit fimbriam vestimenti ejus, quæ fluxum

sanguinis patiebatur : sicut iste culpavit Deum nescisse ubi lateret Adam. Credo quia dixerit, *Adam, ubi es* (*Gen.* III, 9)? sicut dixit Christus, *Quis me tetigit* (*Luc.* VIII, 44, 45)? Diceret et invidum ac timentem, ne si intrarent quinque aliæ virgines in regnum ejus, viverent in æternum ; contra quas ita clausit, ut nec miserabiliter pulsantibus aperiret (*Matth.* XXV, 11, 12), velut obliviscens quod ipse promiserat, dicens, *Pulsate et aperietur vobis* (*Id.* VII, 7) : sicut iste invidiæ timorisque arguit Deum, quod ad vitam æternam non admiserit peccatorem. Diceret et appetentem, non pecudum, sed hominum sanguinis, quia dixit, *Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam* (*Id.* X, 39) : sicut iste de sacrificiis animalium, quibus figuris promittebatur sacrificium sanguinis, quo redempti sumus, voluit calumniari. Reprehenderet et zelantem, quia cum ementes et vendentes de templo flagellando ejecisset, commemoravit Evangelista de illo esse scriptum, *Zelus domus tuæ comedit me* (*Joan.* II, 15 17) : sicut iste accusavit zelantem Deum, quod aliis sacrificari vetuisset. Diceret irascentem in suos et in alienos : in suos quidem, quia dixit, *Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit digna, plagis vapulabit multis* [1] (*Luc.* XII, 47); in alienos autem, quia dixit, *Si quis vos non receperit, excutite illis pulverem de calceamentis vestris : amen dico vobis, quia tolerabilius erit Sodomæ in die judicii, quam illi civitati* (*Matth.* X, 14, 15) : sicut iste criminatur irascentem Deum, nunc in alienos, nunc in suos, quos utrosque Apostolus commemorat, dicens, *Quicumque enim sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt ; et quicumque in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur* (*Rom.* II, 12). Diceret et trucidantem et effundentem multorum sanguinem ob levia quidem vel nulla commissa. Love quippe aut nullum commissum pagano videretur, vel non habere in convivio nuptiarum vestem nuptialem, propter quod Rex noster in Evangelio jussit hominem ligatis manibus et pedibus projici in tenebras exteriores (*Matth.* XXII, 11 13) ; vel nolle super se Christum regnare, propter quod peccatum ait, *Illos autem qui noluerunt me regnare sibi, adducite, et interficite coram me* (*Luc.* XIX, 27) : sicut iste accusavit Deum in Vetere Testamento, qui ei visus est propter levia vel nulla commissa, hominum millia trucidare. Jam vero illud quod reprehendit Faustus, minantem Deum venturum se esse cum gladio, quo non parceret, nec justo, nec peccatori, quomodo paganus ille reprehenderet, audiens apostolum Paulum dicere de Deo nostro, *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII, 32) : audiens et Petrum, cum de magnis tribulationibus sanctorum et interfectionibus loqueretur, ad tolerandum exhortantem et dicentem, *Tempus est ut judicium incipiat a domo Domini : et si initium a nobis, qualis finis erit eis qui non credunt Domini Evangelio? Et si justus quidem vix salvus erit, peccator et impius ubi parebunt* (1 *Petr.* IV, 17, 18)? Quid enim justius Unico, cui tamen Pater non pepercit? Et quid evidentius, quod nec justis parcat, emendans eos varietate tribulationum, cum de hac re aperte sit dictum, *Et si justus vix salvus erit*? Non solum enim in Vetere Testamento scriptum est, *Quem enim diligit Deus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* III, 12) ; et, *Si bona percepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus* (*Job* II, 10)? sed etiam in Novo, *Ego quem amo, arguo et castigo* (*Apoc.* III, 19); et illud, *Si enim nos ipsos dijudicaremus, a Domino non judicaremur : cum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum mundo damnemur* (1 *Cor.* XI, 31, 32). Sed tamen si paganus in Novo Testamento talia reprehenderet, qualia isti reprehendunt in Vetere, nonne et ipsi ea defendenda susciperent? Quod si facere possent, qua tandem vecordia hic talia reprehendunt, qualia ibi defendunt? Si autem non possent, cur in uno tantum, ac non potius in utroque Testamento, quod non intelligentibus impiis pravum videretur, idem non intelligentibus [1] piis rectum, sed tectum credi oportere concedunt?

CAPUT XV. — An forte, quæ de Novo Testamento similia protulimus, ipsa quoque audent dicere falsa esse atque perversa, privilegio illo suo diabolico, ut quidquid est in Evangelio vel Epistolis canonicis, quo adjuvari hæresim suam putent, id esse a Christo et Apostolis dictum teneant atque suadeant ; quidquid autem ex iisdem codicibus adversus eos sonuerit, immissum ab infalsatoribus, ore impudenti ac sacrilego non dubitent dicere? Cui furori eorum, auctoritatem omnium librorum exstinguere atque abolere conanti, jam supra, quantum suscepti operis ratio sinere videbatur, non pauca respondi.

CAPUT XVI. — Nunc illud admoneo, ut cum insanas et sacrilegas fabulas suas christiani nominis pallio velare contendant, videant tamen, quando ista contra Scripturas christianas disputant, non a nobis contra Paganos tantum, sed etiam contra Manichæos, veritatem codicum divinorum Testamenti utriusque defendi. Et ista quidem, quæ modo Faustus velut indigna Deo de nostris veteribus Litteris in sermone suo posuit, contra Paganum et in evangelico vel apostolico sermone talia reprehendentem ita fortasse defenderem, ut paria de auctoribus eorum, sicut Paulus noster apud Athenienses fecit (*Act.* XVII, 28), commemorarem. Invenirem enim fortasse et in litteris eorum, Deum mundi creatorem ac fabricatorem, et lucis hujus institutorem ; qui tamen antequam eam conderet, non jacebat in tenebris : et ex opere suo perfecto clamm esse gaudio ; quod certe amplius est, quam, *Vidit quia bonum est* : et legis latorem, quam si homo sequeretur [2], suo bono faceret ; si autem sperneret, suo malo. Quem non ideo dicerent ignarum futuri, quia et futuris contemptoribus legem dedit. Jam vero ideo improvidum, quod aliquid interroget, nec hominem diceremt, in quorum libris multa non ob aliud interrogantur, nisi ut suis quisque

[1] Plures Mss., *et facit digna plagis, vapulabit multis.*

[1] Editi, *idem intelligentibus* ; omissa negante particula.

[2] Er., *quem si homo sequeretur.* Melius cæteri libri, *quam* ; scilicet, legem.

responsionibus convincatur ; cum ille qui interrogat, non solum sciat quod sibi vult ab altero responderi, sed etiam illum hoc responsurum. Invidentem autem cuiquam Deum, quod malos beatos fieri non sineret, si vellet dicere ; plenos inveniret suorum libros de hac re ad divinam providentiam pertinente [1].

CAPUT XVII. — De sacrificiis vero nihil aliud mihi paganus objiceret, nisi cur apud eos illa reprehendamus, cum in nostris veteribus Libris talia sibi Deus noster jussisse legeretur offerri. Hic ego de vero sacrificio latius fortasse disserens, demonstrarem id non deberi nisi uni vero Deo, quod ei unus verus Sacerdos obtulit, Mediator Dei et hominum (I *Tim.* II, 5) : cujus sacrificii promissivas figuras in victimis animalium celebrari oportebat, propter commendationem futuræ carnis et sanguinis, per quam unam victimam fieret remissio peccatorum de carne et sanguine contractorum ; quæ regnum Dei non possidebunt, quia eadem substantia corporis in cœlestem commutabitur qualitatem : quod ignis in sacrificio significabat, velut absorbens mortem in victoriam (I *Cor.* XV, 50-54). In eo autem populo hæc rite celebrata sunt, cujus et regnum et sacerdotium prophetia erat venturi Regis et Sacerdotis ad regendos et consecrandos fideles in omnibus gentibus, et introducendos in regnum cœlorum et sacrarium Angelorum ac vitam æternam. Hujus itaque veri sacrificii sicut religiosa prædicamenta Hebræi celebraverunt, ita sacrilega imitamenta Pagani : quoniam *quæ immolant Gentes*, ait Apostolus, *dæmoniis immolant, et non Deo* (I *Cor.* X, 20). Antiqua enim res est prænuntiativa immolatio sanguinis, futuram passionem Mediatoris ab initio generis humani testificans : hanc enim primus Abel obtulisse in sacris Litteris invenitur (*Gen.* IV, 4). Non igitur mirum est, si prævaricatores angeli, quorum duo maxima vitia sunt superbia atque fallacia, per hunc aerem volitantes, quod uni vero Deo deberi noverant, hoc sibi a suis cultoribus exegerunt, a quibus dii putari voluerunt ; dante sibi locum vanitate cordis humani : maxime cum ex desiderio mortuorum constituerentur imagines, unde simulacrorum usus exortus est (*Sap.* XIV, 15) ; et majore adulatione divini honores deferrentur tanquam in cœlum receptis, pro quibus se in terris dæmonia colenda supponerent, et sibi sacrificari a deceptis et perditis flagitarent. Sacrificium ergo non solum cum juste imperat verus Deus, sed etiam cum superbe exigit falsus deus, satis ostendit cui debeatur. Hæc illi pagano si essent difficiliora ad credendum, etiam ipsa prophetia persuaderem, in qua tam longe ante conscripta sunt, quæ nunc impleta monstrarem. Quod si et hanc contemneret, hoc quoque agnoscerem potius, quam mirarer ; quandoquidem non omnes fuisse credituros, in ejusdem prophetiæ veritate recolerem.

CAPUT XVIII. — Si autem zelantem Christum vel Deum ex utroque Testamento mihi objiceret, atque ipsum verbum exagitaret, nihil aliud quam se omnium litterarum vel expertem vel negligentem ostenderet. Cum enim docti eorum discernant inter voluntatem et cupiditatem, gaudium et lætitiam, cautionem et metum, clementiam et misericordiam, prudentiam et astutiam, fiduciam et audaciam ; et multa in hunc modum, ita ut in his binis verbis, ea quæ priora posui, virtutibus ; quæ autem posteriora, vitiis apponant : pleni sunt tamen libri eorum abusione istorum nominum, quæ proprie vitia significant, cum etiam virtutes sic appellantur ; cum vel cupiditas pro voluntate, vel lætitia pro gaudio, vel metus pro cautione, vel misericordia pro clementia, vel astutia pro prudentia, vel audacia pro fiducia ponitur. Et quis omnia commemorare valeat, quæ ad similem licentiam mos locutionis usurpat ? Huc accedit etiam singularum quarumque linguarum sua quædam proprietas. Nam in ecclesiasticis Litteris nusquam misericordiam in vituperatione positam recolo. Cui rei sermonis etiam quotidiani consuetudo concordat. Græci duas res vicinas quidem, sed tamen distinctas, uno nomine appellant, laborem et dolorem (*a*) ; nos eas singulis nominibus enuntiamus : sicut a nobis uno nomine appellatur vita, sive secundum quam dicimus, Vivit, quod animæ non est ; sive secundum quam dicimus, Bonæ vitæ homo est : Græci autem ista duo duobus quoque vocabulis significant (*b*). Unde fieri potest ut excepta verborum abusione, quæ in omnibus linguis late patet, aliqua etiam hebrææ linguæ proprietate zelus in utroque ponatur ; sive cum conjugis adulterio turbatus animus contabescit, quod in Deum cadere non potest ; sive cum servandæ pudicitiæ conjugali custodia diligens adhibetur, quod Deum facere, cum plebem suam tanquam conjugem allegatur, quam per multos falsos deos fornicari non vult, non solum sine dubitatione, verum etiam cum gratiarum actione nobis utile est confiteri. Hoc et de ira Dei dixerim : neque enim perturbatur Deus, cum infert iram ; sed ira pro vindicta ponitur, sive abusione, sive aliqua præcedentis linguæ proprietate.

CAPUT XIX. — De interfectis autem hominum millibus non miraretur, si Dei judicium non negaret : quod neque Pagani negant, qui Dei providentia istam universitatem regi et administrari a summis usque ad ima concedunt. Quod si et hoc neganet, vel suorum auctoritate facilius, vel aliquanto diutius certarum rationum disputatione convinceretur ; vel tanquam nimium durus et stolidus, ipsi, quod esse non crederet, divino judicio relinqueretur. Levia porro vel nulla commissa, propter quæ Deus interfecerit homines, si expresse commemoraret, ostenderemus nec nulla esse, nec levia : velut quod exempli gratia posuimus de veste nuptiali (*Matth.* XXII, 11-13), demonstraremus quantum esset nefas, sacras nuptias adire quærentem ibi gloriam, non sponsi, sed suam ; vel si quid forte aliud illa vestis meliore intellectu significare inveniretur : aut quod ante oculos regis interficiuntur, qui cum sibi regnare noluerunt (*Luc.* XIX, 27),

[1] Am. Fr. et Mss., *pertinentes*.

(*a*) *Ponos*.
(*b*) *Pot*, *ios*.

non longo forte sermone nostro appareret, non quemadmodum nulla culpa est hominis, si nollet sibi regnare quemquam hominem, ita nullam vel parvam esse culpam eum sibi nolle regnare, in cujus solius regno recte, beate, semperque vivitur.

CAPUT XX. — Jam illud ultimum, quod Faustus posuit, insidians veteribus Libris tanquam vituperantibus Deum, quod minetur gladium, quo nemini parcat, nec justo, nec peccatori, cum pagano exponeretur quomodo accipiendum sit, fortassis nec Novo nec Veteri Testamento resisteret, eique placeret similitudo evangelica, quæ istis, qui se christianos haberi volunt, aut non apparet ut cæcis, aut displicet ut perversis. Summus quippe ille vitis agricola (*Joan.* xv, 1) aliter parat falcem sarmentis fructuosis, aliter infructuosis : tamen non parcit, nec probis, nec reprobis; illis purgandis, illis amputandis. Nullus enim hominum est tanta justitia præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem : nisi forte nec Paulum isti apostolum inter justos numerant, qui quamvis humiliter et veraciter sua præterita peccata fateatur, tamen se ex fide Jesu Christi justificatum gratias agit (I *Tim.* i, 13). An vero illi parcebat ille, quem vani non intelligunt dicentem, Non parcam, nec justo, nec peccatori? Audiant ergo ipsum : *Et ne magnitudine*, inquit, *revelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ, qui me colaphizet : propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum a me, et dixit mihi : sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* xii, 7-9). Ecce nec justo parcebat, ut ejus virtutem in infirmitate perficeret, qui ei dederat colaphizantem angelum satanæ : nisi dicitis quod eum diabolus dederit. Diabolus ergo agebat, ne magnitudine revelationum Paulus extolleretur, et ut virtus ejus perficeretur. Quis hoc dixerit? Ab illo igitur traditus erat justus colaphizandus angelo satanæ, qui per eum tradebat et injustos ipsi satanæ : de quibus idem dicit, *Quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare* (I *Tim.* i, 20). Jamne intelligitis quomodo ille desuper non parcat, nec justo, nec peccatori? An quia illic gladius nominatus est, amplius exhorrescitis? Aliud est enim colaphizari, aliud occidi. Quasi vero non diversis mortium generibus prostrata sint martyrum millia, aut hoc revera persecutores in potestate haberent, nisi eis desuper data esset ab illo qui dixit, Non parcam, nec justo, nec peccatori; cum ipse Dominus martyrum, cui *Filio*[1] *proprio non pepercit* (*Rom.* viii, 32), apertissime Pilato dicat, *Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset desuper* (*Joan.* xix, 11). Has pressuras persecutionesque justorum dicit idem Paulus exemplum esse judicii Dei (II *Thess.* i, 5). Quæ sententia latius ab apostolo Petro manifestatur, sicut supra commemoravi, ubi ait, *tempus* esse *ut judicium incipiat a domo Domini. Et si initium*, inquit, *a nobis, qualis finis erit eis qui non credunt Dei Evangelio? Et si justus vix salvus erit, peccator et impius ubi parebunt* (I *Petr.* iv, 17, 18)? Hinc enim intelligitur quomodo non parcatur impiis, tanquam sarmentis præcisis ad combustionem; quando justis non parcitur propter perficiendam purgationem. Nam et ipse Petrus testatur hæc illius voluntate fieri, qui in Libris veteribus ait, Non parcam, nec justo, nec peccatori. Dicit enim et ipse : *Melius est bene facientes, si velit Spiritus Dei, pati, quam male facientes* (*Id.* iii, 17). Cum ergo ex voluntate Spiritus Dei patiuntur bene facientes, non parcitur justis; cum autem male facientes, non parcitur peccatoribus : secundum illius tamen voluntatem fit utrumque, qui ait, Non parcam, nec justo, nec peccatori; illum flagellando ut filium, illum puniendo ut impium.

CAPUT XXI. — Ecce ostendi, quantum potui, nos non colere versatum ex æterno in tenebris Deum; sed eum qui lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ (I *Joan.* i, 5), atque in se ipso habitat lucem inaccessibilem (I *Tim.* vi, 16), cujus lucis æternæ candor est coæterna Sapientia (*Sap.* vii, 23). Nec lucis inopinatæ admiratorem : sed lucis factæ creatorem, ut subsisteret; approbatorem, ut maneret. Nec ignarum futuri : sed mandatorem præcepti, et damnatorem delicti; ut adversus inobedientiam juste prolata vindicta præsentes coerceret, futurosque terreret. Nec improvidum nesciendo quærentem : sed interrogando judicantem. Nec invidum ac timentem : sed ab æterna vita, quæ juste obedienti datur, prævaricatorem justo prohibentem. Nec sanguinis et adipis appetentem : sed carnali populo congruis sacrificiis impositis, per quasdam figuras verum sacrificium promittentem. Nec livida perturbatione, sed tranquilla bonitate zelantem, ne uni Deo debens anima castitatem, per multos falsos corrupta et prostituta turpetur. Nec ira velut humana, turbide sævientem; sed alia divina[1], severe justa retribuentem, quæ non propter ulciscendi libidinem, sed propter judicandi vigorem certo usu locutionis ira nominatur. Nec ob levia vel nulla commissa hominum millia perimentem : sed æquissimo examine per temporales mortalium mortes utilitatem timoris sui populis imponentem. Nec sine ullo delectu cæca confusione justos peccatoresque punientem : sed justis salubrem correptionem propter perfectionem, peccantibus autem debitam severitatem propter æquitatem distribuentem. Unde vos apparet, Manichæi, suspicionibus vestris esse deceptos, cum male intelligendo Scripturas nostras, vel malos intellectores experiendo, falsa de Catholicis creditis; ac sic relicta sana doctrina, conversi ad sacrilegas fabulas, nimiumque perversi et alienati a societate sanctorum, nec ex Novo Testamento corrigi vultis, unde talia proferimus, qualia in Vetere arguitis. Unde fit ut adversus vos, sicut adversus Paganos, utrumque Testamentum defendere compellamur.

CAPUT XXII. — Sed facite aliquem, prorsus carnaliter ita desipientem, ut Deum colat, non qualem

[1] Am., *quia Filio*. Er. et Lov., *qui Filio*. Castigantur ex Mss.

[1] Nonnulli Mss. omittunt, *alia divina*.

colimus, qui unus et verus est; sed qualem nos colere dicitis, qui vestris vel calumniis vel suspicionibus fictus est : nonne etiam iste meliorem colit quam vos? Quæso enim, advertite et qualescumque oculos aperite : neque enim opus est magno acumine ingenii, ut hoc quod dicam, perspici possit; omnes prudentes imprudentesque appello : audite, advertite, judicate. Quanto enim melius deus vester ex æternitate versatus esset in tenebris, quam coæternam sibi et cognatam lucem mersisset in tenebras? Quanto melius exortam sibi novam lucem ad fugandas tenebras miratus laudaret, quam irruentes sibi veteres tenebras nisi sua luce contenebrata, evitare non posset? Infelix, si perturbatus; crudelis, si securus hoc fecit. Melius enim certe a se factam lucem videret, et miraretur bonam [1], quam a se genitam faceret malam : quæ sic ab eo repulit tenebras inimicas, ut ei fieret inimica. Hoc enim culpæ imputabitur damnandis in globo illis reliquiis, quod errare se a priore lucida sua natura passæ sunt, et inimicæ lumini sancto exstiterunt : quod antequam eis accideret, ex æternitate, si nesciebant hoc sibi futurum, æternas ignorantiæ tenebras; si autem sciebant, æternas timoris tenebras patiebantur. Ecce vere pars et substantia dei vestri in suis tenebris ex æternitate versata est : nec postea lucem novam mirata est, sed alias tenebras alienas [2], quas semper timebat, incurrit. Porro ipse Deus, cujus illa pars erat, si eidem parti suæ futurum tantum malum timebat, etiam ipsum occupaverant timoris tenebræ : si autem hoc futurum nesciebat, ignorantiæ tenebris cæcabatur : si autem hoc parti suæ futurum sciebat, et non timebat, pejores sunt tenebræ tantæ crudelitatis, quam vel ignorantiæ vel timoris : neque enim habebat deus vester quod in ipsa carne, quam non a Deo, sed ab Hyle factam dementissime creditis, sic laudat Apostolus, *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (I *Cor.* XII, 26). Sed non accusamus [3] : præsciebat, timebat, dolebat, sed quid faceret non habebat. In his ergo suæ miseriæ tenebris ex æternitate versatus est. nec postea novam lucem, quæ ab illo tenebras, fugaret, miratus est; sed alias tenebras, quas semper timuit, magno malo suæ lucis expertus est. Quanto melius, non dicam præceptum daret sicut Deus, sed præceptum acciperet sicut homo; quod bono suo custodiret, malo suo contemneret, in utroque tamen motu animi libera voluntate uteretur, potius quam contra voluntatem ad contenebrandam lucem suam inevitabili necessitate premeretur? Nam illud multo utique melius esset, ut præceptum daret humanæ naturæ quam peccaturam esse nesciret, quam naturam suam divinam [4] necessitate pressus peccare compelleret. Evigilate, et dicite nobis quomodo vincit [5] tenebras, quem vincit necessitas. Hæc jam erat apud illum hostis major, a qua victus et jussus cum minore pugnavit. Quanto melius nesciret quo ab ejus facie fugisset Adam, quam ipse primo a facie duræ ac diræ necessitatis, et postea a facie diversæ atque adversæ gentis quo fugeret non haberet? Quanto melius naturæ humanæ invideret vitam beatam, quam naturam divinam daret in miseriam : desideraret sanguinem et adipem sacrificiorum potius, quam ipse toties etiam idolis mactaretur, mixtus adipi et sanguini omnium victimarum : perturbaretur zelo, si illa sacrificia et diis aliis offerrentur, potius quam ipse ligatus, non solum in omnibus fructibus [1], verum etiam in omnibus carnibus, per omnes aras, omnibus dæmonibus offerretur? Quanto melius vel humana indignatione commotus ac turbidus peccantibus et suis et alienis irasceretur, quam ipse non solum in omnibus irascentibus, sed etiam in omnibus timentibus turbaretur, in peccantibus omnibus coinquinaretur, in damnatis omnibus puniretur; ubique ligatus ex illa sua parte, quam ad tale dedecus innocentem ipse damnavit, ut per illam vinceret quod timebat; etiam ipse sub tam exitiosa necessitate damnatus, ut ei damnata pars ejus posset ignoscere, si cum jam miser sit, vel humilis esset? Nunc autem quis ferat reprehendi a vobis Deum irascentem suis alienisque peccantibus, cum deus quem fingitis, membra sua, quæ coactus coegit ire in fauces peccati, postea damnet in globo? Quod quidem cum faciet, ut dicitis, iram non habebit. Sed miror si frontem habebit inferendo in eos quasi vindictam, a quibus petere deberet veniam, et dicere : Obsecro, ignoscite, membra mea estis; quando ego in vos istud, nisi victus necessitate, facere possem? Scitis et vos, quod tunc quando vos huc misi, horrendus hostis eruperat : quod autem nunc vos hic illigo, timeo ne rursus erumpat. Jam certe etiam illud fatemini, multo melius esse hominum millia ob nullam vel levem culpam temporali morte interficere, quam membra sua, id est, membra Dei, substantiam Dei, et plane Deum, et in peccati voraginem tradere, et pœnæ sempiternæ colligatione damnare. Si enim esset illis membris peccandi vel non peccandi liberum arbitrium : quanquam de substantia Dei, quæ vere substantia Dei est, ac per hoc omnino incommutabilis, quemadmodum hoc dicatur, non invenitur. Deus enim omnino peccare non potest, sicut negare se ipsum non potest (II *Tim.* II, 13) : homo autem potest peccare, et Deum negare; sed si nolit, non facit : si ergo istis membris dei vestri, velut animæ humanæ ac rationali, esset, ut dixi, peccandi vel non peccandi liberum voluntatis arbitrium, recte fortasse pro gravibus criminibus illo globi supplicio plecterentur : nunc autem libertatem voluntatis illas particulas habuisse, dicere non potestis, quam totus deus ipse non habuit : quia si eas non mitteret in peccatum, totus a tenebrarum gente pervasus peccare cogeretur : quod si cogi non possent, peccavit, cum eas eo misit ubi cogi possent; et ideo magis ipse illo velut parricidali culeo dignus, qui hoc fecit libero imperio, quam

[1] Aliquot Mss., *lucem videns miraretur bonam*. Nonnulli, *lucem videret bonam*; omisso, *et miraretur*.
[2] Sola fere editio Lov., *alienasque*.
[3] Plures Mss., *sed non accusemus*.
[4] Editio Lov., *divina*. Castigatur ex editionibus aliis et Mss.
[5] Aliquot Mss. hoc et proximo loco, *vicit*.

[1] Am. et Er. et plures Mss., *frugibus*.

illæ quæ obtemperando illuc ierunt, ubi recte vivendi arbitrium liberum perdiderunt. Si autem ad peccandum et ipse invasus atque possessus cogi posset, nisi per suæ partis primo flagitium, deinde supplicium, sibi providisset, nullaque fuit in deo vestro, nec in ejus partibus libera voluntas : non se fingat judicem, sed agnoscat reum ; non quia passus est quod nolebat, sed quia se simulat justa retribuere, damnando eos quos novit malum passos esse potius, quam fecisse : quod ad hoc tantum simulat, ne victus inveniatur; quasi aliquid prosit alicui misero, si felix aut fortunatus vocetur. Nempe jam et hoc melius erat, ut deus vester sine ullo æquitatis examine hominibus nec justis nec peccatoribus parceret (quod in reprehensione Dei nostri Faustus nihil intelligens ultimum posuit), quam in membra sua sic sæviret : ut parum sit quod ea inexpiabiliter venenanda [1] hostibus obtulit, nisi etiam falso crimine iniquitatis accuset. Quæ ideo merito dicit pendere tam immane ac sine fine supplicium, quod errare se a priore sua lucida natura passa sunt, et inimica lumini sancto exstiterunt. Unde, nisi quia, ut ipse dicit, ita erant inviscerata primæ aviditati principum tenebrarum, ut originem suam recolere, seque ab hostili natura discernere non valerent? Ergo animæ hujusmodi nihil mali ipsæ fecerunt, sed innocentes tantum malum perpessæ sunt. Quo faciente, nisi illo primitus, qui ut a se in tantum malum procederent, imperavit? Pejorem ergo expertæ sunt patrem, quam hostem. Pater enim eas ad tantum malum misit; hostis autem tanquam bonum appetivit, cupiens perfrui, non nocere : ille sciens nocuit, ille nesciens. Sed deus infirmus atque inops aliter sibi consulere non valebat, prius adversus hostem improbum, et post adversus inclusum. Saltem ergo non accuset eas, quarum obedientia tutus est, quarum morte securus est. Si enim coactus est prœliari, numquid et calumniari? Nam quando se errare a priore sua lucida natura passæ sunt et inimicæ lumini sancto exstiterunt, ad hoc utique ab hoste coactæ sunt, cui si resistere non valuerunt, innocentes damnantur : si autem valuerunt, nec voluerunt, quid adhuc tam fabulose inducitis naturam mali, cum a propria voluntate sit origo peccati? Hoc enim certe sua culpa, non vi aliena fecerunt, quod cum possent malo resistere, noluerunt. Quod enim [2] si facerent, bene facerent; si autem non facerent, graviter immaniterque peccarent : si potuerunt, et non fecerunt, utique noluerunt. Si ergo noluerunt, voluntatis crimen est, non necessitatis. A voluntate igitur initium peccati : unde autem initium peccati, inde initium mali, vel faciendi contra justum præceptum, vel patiendi secundum justum judicium. Proinde nulla causa est cur quærentes unde sit malum, inveniatis in hujus erroris tam magnum malum, ut naturam tot bonis abundantem, naturam mali diceretis; et in natura summi boni ante commixtionem naturæ mali, horrendum necessitatis malum ponerentis. Et hujus enim erroris vestri causa superbia est, quam non habebitis, si nolitis : sed vos dum vultis illud quo irruistis, quoquo modo defendere, aufertis originem peccati a voluntatis arbitrio, et ponitis in vana et falsa fabula naturam mali. Ac per hoc restat ut dicatis etiam illas animas in horribili globo æterna colligatione damnandas, non voluntate, sed necessitate inimicas lumini sancto exstitisse ; talemque deum vestrum judicem constituatis, apud quem nihil prodesse possitis eis, quarum causam demonstrata necessitate defenditis ; et talem regem, a quo fratribus vestris, filiis et membris illius, quorum inimicitias adversus vos et ipsum, non voluntate, sed necessitate exstitisse perhibetis, nec indulgentiam impetrare valeatis. O immanissimam crudelitatem! nisi quod convertitis vos ad ipsius defensionem, ut eum quoque ista quod necessitate faciat excusetis. Si ergo possetis invenire alterum judicem, qui liber vinculo necessitatis moderator existeret æquitatis; istum certe in illo globo non forinsecus figeret, sed cum ipso terribili hoste intus includeret. Cur enim non juste prior sit ad pœnam damnationis, qui prior est ad crimen necessitatis? Quanto ergo melius eligeretis deum in comparatione pejoris, non qualem colimus, sed qualem nos colere vel fingitis vel putatis, qui sine ullo æquitatis examine, sine ulla distinctione damnationis et disciplinæ, non parceret servis suis [1], nec justo nec peccatori, potius quam non parceret membris suis, vel innocentibus, si necessitas crimen non est ; vel illi obtemperando factis nocentibus, si et necessitas crimen est : ut ab illo in æternum damnarentur, cum quo vel simul absolvi, si post victoriam respiraret libertas, vel simul damnari debuerunt, si et post victoriam tantum saltem valeret necessitas, ut aliquid valeret et æquitas. Sicut autem deum, non illum verum et summum quem colimus, sed alium nescio quem falsum confingitis, quem nos colere vel arbitramini vel calumniamini, qui tamen etiam ipse multo est melior deo vestro ; ambo enim non sunt, et a vobis ambo finguntur : sed meliorem fingitis eum, quem tanquam nostrum accusatis, quam eum quem vestrum adoratis.

CAPUT XXIII. — Sic et Patriarchas et Prophetas non tales vituperatis, quales honorantur a nobis ; sed quales Libris nostris non intellectis malevola vanitate finxistis : quos tamen etiam ipsos quales fuisse suspicamini, parum est si dicam vestris Electis omnia Manichæi mandata servantibus, nisi etiam ostendam ipso deo vestro esse meliores : quod non aggrediar demonstrare, nisi prius sanctos patres nostros Patriarchas et Prophetas a criminationibus vestris, adjuvante me Domino, adversum corda carnalia, perspicua ratione [2] defendero. Et vobis quidem, Manichæi, sic respondere sufficeret, ut etiam vitia quæ putatis nostrorum, laudibus vestrorum præponenda doceremus; addentes ad cumulum confusionis vestræ, ut etiam deus vester

[1] Vaticanus codex, *quod ea in expiatione sui venenanda.*
[2] In editione Lov. omissum, *enim*, et prava inducta est vocum interpunctio.

[1] Am. Fr. et Mss., *non parceret in servis suis.*
[2] Sic plures Mss. At editi, *oratione.*

longe pejor inveniretur hominibus, quales nostros patres fuisse jactatis. Sic ergo, ut dixi, vobis respondere sufficeret : sed quoniam nonnulli etiam præter vestra vaniloquia sua sponte commoventur, vitam Prophetarum in Vetere Testamento comparantes vitæ Apostolorum in Novo Testamento, nec valentes discernere consuetudinem temporis illius quo promissio velabatur, a consuetudine temporis istius quo promissio revelatur; eis magis respondere compellor, qui vel temperantiam suam audent præferre Prophetis, vel nequitiæ suæ quærunt patrocinia de Prophetis.

CAPUT XXIV. — Qua in re hoc primum dico, illorum hominum non tantum linguam, verum etiam vitam fuisse propheticam; totumque illud regnum gentis Hebræorum, magnum quemdam, quia et magni cujusdam, fuisse prophetam. Quocirca quod ad eos quidem attinet, qui illic erant eruditi corde in sapientia Dei, non solum in iis quæ dicebant, sed etiam in iis quæ faciebant; quod autem ad cæteros ac simul omnes illius gentis homines, in iis quæ in illis vel de illis divinitus fiebant, prophetia venturi Christi et Ecclesiæ perscrutanda est. Omnia enim illa, sicut dicit Apostolus, *figuræ nostræ fuerunt* (I *Cor.* x, 6).

CAPUT XXV. — Sic autem isti in quibusdam factis, a quorum altitudine longe sunt, reprehendunt tanquam libidinem Prophetarum, sicut nonnulli etiam sacrilegi Paganorum reprehendunt tanquam stultitiam vel potius tanquam dementiam Christi, quia tempore anni non congruo poma quæsivit in arbore (*Matth.* XXI); aut puerilis cujusdam fatuitatis affectum quod inclinato capite digito scribebat in terra, et cum hominibus interrogantibus respondisset, rursus hoc facere cœpit (*Joan.* VIII). Nihil enim sapiunt, nec intelligunt in magnis animis quasdam virtutes vitiis parvorum esse simillimas, nonnulla specie, sed nulla æquitatis comparatione [1]. Similes autem sunt qui in magnis ista reprehendunt, pueris imperitis in schola, qui cum pro magno didicerint, nomini numeri singularis verbum numeri singularis esse reddendum, reprehendunt latinæ linguæ doctissimum auctorem, quia dixit, *Pars in frusta secant* (*Virgil. Æneid. lib.* 1, *vers.* 212). Debuit enim, inquiunt, dicere, Secat. Et quia norunt Religionem dici, culpant eum quia geminata littera dixit, *Relligione patrum* (*Id., lib.* 2, *vers.* 715). Unde non absurde fortasse dicatur, in genere suo, quantum distant schemata et metaplasmi doctorum a solœcismis et barbarismis imperitorum, tantum distare figurata facta Prophetarum a libidinosis peccatis iniquorum : ac per hoc, sicut puer in barbarismo reprehensus, si de Virgilii metaplasmo se vellet defendere, ferulis cæderetur; ita quisquis cum ancilla suæ conjugis voluntatis, Abrahæ factum, quod de Agar prolem genuerit, in exemplum defensionis assumpserit, utinam non plane ferulis, sed vel fustibus coercitus emendetur, ne cum cæteris adulteris æterno supplicio puniatur. Minimæ quidem illæ res, istæ autem magnæ sunt; nec ad hoc inde ducta similitudo est, ut schema sacramento, et solœcismus adulterio coæquetur : verumtamen proportione sui cujusque generis, quod in illis locutionum quibusdam virtutibus seu vitiis peritia vel imperitia, hoc in his morum quamvis longe in diverso genere virtutibus seu vitiis sapientia vel insipientia valet.

CAPUT XXVI. — Quapropter, ne in quæque laudanda vel vituperanda, accusanda vel defendenda, coercenda vel relaxanda, damnanda vel absolvenda, appetenda vel vitanda, temere irruamus, in quibus omnibus peccata seu recte facta versantur, prius quid sit peccatum considerare debemus; tunc deinde inspicere facta Sanctorum, Libris conscripta divinis, ut si qua et ipsorum peccata invenerimus, ob quam utilitatem sint etiam ipsa condita litteris, memoriæque mandata, diligenti quantum possumus ratione videamus. Quæ autem repererimus stultis seu malevolis videri peccata esse quæ non sunt, nec tamen in eis eminent aliqua exempla virtutum, hæc quoque intueamur quam ob causam illis inserta sint Litteris, quas ad utilitatem vitæ præsentis regendæ et futuræ adipiscendæ conditas salubriter credimus. Porro autem quæcumque in factis Sanctorum elucent documenta justitiæ, nullus vel imperitorum dubitat debuisse conscribi. De illis ergo potest esse quæstio, quæ vel inaniter scripta videri possunt, si nec recte facta apparent, nec peccata sunt; vel etiam perniciose, si peccata esse convincuntur, ne valeant ad imitationem, sive in ipsis libris reprehensa non sint, et ideo putari etiam possint non esse peccata; sive illic quoque reprehensa sint, sed sub facili spe veniæ committantur, quia et in sanctis inventa sunt.

CAPUT XXVII. — Ergo peccatum est, factum vel dictum vel concupitum aliquid contra æternam legem. Lex vero æterna est, ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Quisnam igitur sit in homine naturalis ordo, quærendum est. Constat enim homo ex anima et corpore : sed hoc et pecus. Nulli autem dubium est, animam corpori, naturali ordine præponendam. Verum animæ hominis inest ratio, quæ pecori non inest. Proinde, sicut anima corpori, ita ipsius animæ ratio cæteris ejus partibus, quas habent et bestiæ, naturæ lege præponitur : inque ipsa ratione, quæ partim contemplativa est, partim activa, procul dubio contemplatio præcellit. In hac enim et imago Dei est, qua per fidem ad speciem reformamur. Actio itaque rationalis contemplationi rationali debet obedire, sive per fidem imperanti [1], sicuti est quamdiu peregrinamur a Domino (II *Cor.* v, 6); sive per speciem, quod erit cum similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2), effecti etiam in spirituali corpore ex gratia ejus æquales Angelis ejus (*Matth.* XXII, 30), recepta stola prima immortalitatis et incorruptionis, qua induetur hoc mortale et corruptibile nostrum, ut absorbeatur mors in victoriam (I *Cor.* XV, 53, 54) justitia perfecta per gratiam. Quia et sancti ac sublimes Angeli habent contemplationem et actionem suam; id enim sibi age-

[1] Aliquot Mss., *nulla æqualitatis comparatione*. Quidam, *nulla æquitate comparationis*.

[1] Am. Fr. et plerique Mss., *operanti*.

rem ejus esse didicerat, et eam divinitus territus cum honore reddebat. Fratres autem sive sorores generali nomine consanguineos vel consanguineas solere apud veteres appellari, Scriptura testatur. Nam et Tobias dicit Deo, cum oraret antequam misceretur uxori, *Et nunc, Domine, tu scis quoniam non luxuriæ causa accipio sororem meam* (*Tob.* VIII, 9) : cum esset illa non ex concubitu ejusdem patris, nec ex eodem matris utero, sed ex eadem stirpe cognationis exorta (*Id.* VI, 11 *et* VII, 2). Et Loth frater Abrahæ dicitur (*Gen.* XIII, 8), cum patruus ejus esset Abraham (*Id.* XI, 31) : ex qua vocabuli consuetudine etiam fratres Domini vocantur in Evangelio, non utique quos Maria virgo pepererat, sed ex ejus consanguinitate omnes propinqui (*Matth.* XII, 46).

CAPUT XXXVI. — Dicet aliquis : Cur non potius ita de Deo sue præsumpsit Abraham, ut fateri non timeret uxorem ? Neque enim Deus ab illo mortem non poterat repellere quam timebat, eumque cum conjuge sua ab omni pernicie in illa peregrinatione tutari, ut nec uxor ejus, quamvis esset pulcherrima, appeteretur ab aliquo, nec propter illam ipse necaretur. Poterat sane hoc efficere Deus : quis ita sit demens ut hoc neget ? Sed si interrogatus Abraham, illam feminam indicaret uxorem, duas res tuendas committeret Deo, et suam vitam, et conjugis pudicitiam. Pertinet autem ad sanam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non tentare Dominum Deum suum (*Deut.* VI, 16). Neque enim et ipse Salvator non poterat tueri discipulos suos, quibus tamen ait : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X, 23). Cujusrei prior exemplum præbuit. Nam cum potestatem haberet ponendi animam suam, nec eam poneret, nisi cum vellet (*Joan.* X, 18), in Ægyptum tamen infans portantibus parentibus fugit (*Matth.* II, 14) : et ad diem festum non evidenter, sed latenter ascendit, cum alias palam loqueretur Judæis irascentibus et inimicissimo animo audientibus, nec tamen valentibus in eum mittere manus, quia nondum venerat hora ejus (*Joan.* VII, 10, 30) : non cujus horæ necessitate cogeretur mori, sed cujus horæ opportunitate dignaretur occidi. Qui ergo palam docendo, et arguendo et tamen inimicorum rabiem valere in se aliquid non sinendo, Dei demonstrabat potestatem ; idem tamen fugiendo et latendo hominis instruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, ut quod cavere oportet evadat. Neque enim et apostolus Paulus desperaverat adjutorium protectionemque divinam, fidemque perdiderat, quando per murum in sporta submissus est, ut inimicorum manus effugeret (*Act.* IX, 25). Non ergo in Deum non credendo sic fugit : Sed Deum tentando sic fugere noluisset [1], cum sic fugere potuisset. Proinde cum inter quotos propter excellentissimam pulchritudinem Saræ, et ejus pudicitia et mariti vita esset in dubio, nec utrumque tueri posset, Abraham, verumtamen unum horum posset, id est, vitam ; ne Deum suum tentaret, fecit quod potuit : quod autem non potuit : illi commisit. Qui ergo se hominem occultare non valuit, maritum se occultavit, ne occideretur ; uxorem Deo credidit, ne polluteretur.

CAPUT XXXVII. — Quanquam scrupulosius disputari possit, utrum illius mulieris pudicitia violaretur, etiam si quisquam carni ejus commixtus foret, cum id in se fieri pro meriti vita, nec illo nesciente, sed jubente permitteret, nequaquam fidem deserens conjugalem, et potestatem non absconsa maritalem ; sicut ille adulter non fuit, quando uxoris obtemperans potestati, de ancilla prolem generare consensit (*a*) : sed propter vim principiorum, quia [2] non ita duobus viris vivis ad concumbendum femina subditur, sicut duo feminæ uni viro ; multo verius et honestius illud accipimus, quod pater Abraham nec tentavit Deum, quando vitæ suæ quantum potuit homo consuluit, et speravit in Deum cui pudicitiam conjugis commendavit.

CAPUT XXXVIII. — Jam vero in hac re gesta atque in divinis Libris posita fideliterque narrata, quem non delectet etiam factum propheticum perscrutari, et sacramenti ostium pia fide studioque pulsare, ut aperiat Dominus et ostendat quis tunc in illo figurabatur viro, et cujus sit uxor quæ in hac peregrinatione atque inter alienigenas pollui macularique non sinitur, ut sit viro suo sine macula et ruga ? In gloriam [3] quippe Christi recte vivit Ecclesia, ut pulchritudo ejus honori sit viro ejus, sicut Abraham propter Saræ pulchritudinem inter alienigenas honorabatur : eique ipsi, cui dicitur in Canticis canticorum, *O pulchra inter mulieres* (*Cant.* I, 7) ! ipsius pulchritudinis merito reges offerunt munera ; sicut Saræ obtulit rex Abimelech, plus in ea mirans formæ decus, quod amare potuit, et violare non potuit. Est enim et sancta Ecclesia Domino Jesu Christo in occulto uxor. Occulte quippe atque intus in abscondito secreto spirituali anima humana inhæret Verbo Dei, ut sint duo in carne una : quod magnum conjugii sacramentum in Christo et in Ecclesia commendat Apostolus (*Ephes.* V, 31, 32). Proinde regnum terrenum sæculi hujus, cujus figuram gerebant reges qui Saram polluere permissi non sunt, non expertum est nec invenit Ecclesiam conjugem Christi, id est, quam fideliter illi tanquam principio viro suo [3] subdita cohæreret, nisi cum violare tentavit, et divino testimonio per fidem martyrum cessit, correptumque in posterioribus regibus honoravit munere, quam correptioni suæ subdere in prioribus non evaluit. Nam quod tunc in eodem rege prius et posterius figuratum est, hoc in isto regno prioribus et posterioribus regibus adimpletur.

[1] Er. Lugd. Ven., *sed Deum tentaret, si fugere noluisset.* Lov., *sed Deum tentando fugere noluisset.* M.

[2] Am. et Er., *qua.*

[3] Sic potiores Mss. Editi vero, *in gloria.*

[3] Editi vulgo male, *tanquam præcipuo viro suo.* Nonnulli Mss., *tanquam principi ac viro suo.* Melius Mss. alii, *tanquam principio viro suo* : quia paulo ante dixit, *propter vim principiorum* fieri ut *non ita duobus viris viris feminæ subdatur, sicut duæ feminæ uni viro.*

(*a*) Vide librum I de Sermone Domini in monte, cap. 16. nn. 49, 50.

CAPUT XXXIX. — Cum autem dicitur de patre esse sororem Christi Ecclesiam, non de matre, non terrenæ generationis quæ evacuabitur, sed gratiæ cœlestis quæ in æternum manebit, cognatio commendatur. Secundum quam gratiam genus mortale non erimus, accepta potestate ut filii Dei vocemur et simus (1 *Joan.* III, 1). Neque enim hanc gratiam de Synagoga matre Christi secundum carnem, sed de Deo patre percepimus. Hanc vero cognationem terrenam, quæ ad mortem temporaliter generat, vocans in aliam vitam ubi nullus moritur, negare nos Christus docuit, non fateri, cum discipulis ait : *Ne vobis dicatis patrem in terra ; unus est enim Pater vester qui in cœlis est* (*Matth.* XXIII, 9). Cujus rei præbuit exemplum, quando et ipse dixit : *Quæ mihi mater, aut qui fratres? Et extendens manum super discipulos, ait : Ili sunt fratres mei.* Et ne quisquam in hoc vocabulo terrenam cognationem cogitaret, adjunxit, *Et quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, et mater, et soror est* (*Id.* XII, 48-50) : tanquam diceret, De Deo patre hanc cognationem appello, non de Synagoga matre. Ad æternam quippe vitam nunc voco, ubi immortaliter natus sum ; non ad temporalem, unde ut vocarem mortalis effectus sum.

CAPUT XL. — Quod ergo Ecclesia, cujus uxor sit occultatur alienigenis, cujus autem soror non tacetur, hæc interim causa facile occurrit, quia occultum et difficile ad intelligendum est, quomodo anima humana Verbo Dei copuletur, sive misceatur, sive quid melius et aptius dici potest, cum sit illud Deus, ista creatura. Secundum hoc enim sponsus et sponsa, vel vir et uxor, Christus et Ecclesia dicuntur. Qua vero cognatione sint fratres Christus et omnes sancti, gratia divina, non consanguinitate terrena, hoc est, de patre, non de matre, et effabilius dicitur, et capacius auditur. Nam et inter se omnes sancti per eamdem gratiam fratres sunt : sponsus autem cæterorum societati[1] nullus illorum est. Proinde Christum, quamvis excellentissimæ justitiæ atque sapientiæ, tamen hominem multo facilius et proclivius alienigenæ crediderunt, non quidem falso, quod homo esset : sed quomodo etiam Deus esset ignoraverunt. Hinc et Jeremias : *Et homo*, inquit, *est, et quis agnoscet eum* (*Jerem.* XVII, 9)? *Et homo est ;* quia proditur quod frater est. *Et quis agnoscet eum?* quia occultatur quod sponsus est. Hæc de patre Abraham adversum impudentissimam et imperitissimam et calumniosissimam Fausti vocem satis dicta sint.

CAPUT XLI. — Loth autem frater ejus justus et hospitalis in Sodomis, et ab omni Sodomitarum contaminatione purus atque integer, ex illo incendio quod erat similitudo futuri judicii, meruit salvus evadere ; typum gestans corporis Christi, quod in omnibus sanctis et nunc inter iniquos atque impios gemit, quorum factis non consentit, et a quorum commixtione in sæculi fine liberabitur, illis damnatis supplicio ignis æterni. Sicut autem aliud genus hominum in ejus uxore figuratum est, eorum scilicet qui per gratiam Dei vocati, retro respiciunt ; non sicut Paulus, qui ea quæ retro sunt obliviscitur, et in ea quæ ante sunt extenditur (*Philipp.* III, 13). Unde et ipse Dominus, *Nemo*, inquit, *imponens manum super aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cœlorum* (*Luc.* IX, 62). Nec illud exemplum tacuit, quo nos tanquam sale condiret, ut non fatui negligeremus, sed prudentes caveremus hoc malum. Unde et illa, ut hoc admoneret, in statuam salis conversa est. Nam cum præciperet ut se quisque perseverantissima anteriorum intentione ab iis quæ retro sunt eriperet, *Mementote*, inquit, *uxoris Loth* (*Id.* XVII, 32). Sic etiam in ipso Loth, quando cum eo filiæ concubuerunt, non illud quod cum a Sodomis liberatus est, sed aliud aliquid figuratum est. Nam tunc ille ipse Loth futuræ Legis videtur gestasse personam, quam quidam ex illa procreati et sub Lege positi, male intelligendo quodam modo inebriant[1], eaque non legitime utendo infidelitatis opera pariunt. *Bona est* enim *Lex*, ait Apostolus, *si quis ea legitime utatur* (I *Tim.* I, 8).

CAPUT XLII. — Nec ideo tamen hoc factum vel ipsius Loth vel ejus filiarum justificamus, quia significavit aliquid quod futuram quorumdam perversitatem prænuntiaret. Aliud enim illæ ut hoc facerent intenderunt, aliud Deus qui hoc fieri permisit, ut etiam inde aliquid demonstraret, manente recto judicio suo super peccatum hominum tunc præsentium, et vigilante providentia sua pro significatione futurorum. Proinde illud factum cum in sancta Scriptura narratur, prophetia est : cum vero in illorum vita qui hoc commiserunt consideratur, flagitium est.

CAPUT XLIII. — Nec rursus tanta reprehensione atque accusatione res digna est, quantam in eam Faustus inimicus et cæcus evomuit. Consulitur enim æterna lex illa ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans, et non ita de hoc facto judicat, ac si ille in filias nefaria libidine exarserit, ut earum incestato corpore frueretur, aut eas haberet uxores : sed nec de illis feminis, ac si in sui patris carnem exsecrabili amore flagrassent. Ratio quippe justitiæ non tantum quid factum sit, verum etiam quare factum sit intuetur, ut ex causis suis facta pendentia libramento æquitatis examinet. Cum igitur illæ ad conservationem generis prolem quærerent, qui utique[2] in eis humanus erat et naturalis affectus, nec se crederent invenire posse alios viros, velut exusto illa conflagratione orbe terrarum, neque enim discernere poterant quousque ignis ille sævierit, miscere se patri voluerunt. Potius quidem nunquam esse matres, quam sic uti patre debuerunt : verumtamen multum interest, quod ea causa usæ sunt, quam si concupiscentia tam funestæ voluptatis uterentur.

CAPUT XLIV. — Ab illo autem opere ita patrem abhorrere sentiebant, ut id se impleturas esse non

[1] Edit., *cæterorum societate*. Erratum emendamus ex Mss.

[1] Apud Er. Lugd. Ven., *inebriantes*. M.

[2] Lov., *quia utique*.

crederent, nisi ejus ignorantiam procurarent. Namque, ut scriptum est, inebriaverunt eum, et se nescienti miscuerunt (*Gen.* XIX). Quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas. Nam et hanc lex æterna condemnat; quia cibum et potum ad ordinem naturalem non nisi gratia conservandæ salutis admittit. Quamvis ergo inter ebriosum et ebrium plurimum intersit: nam nec ebriosus semper est ebrius, nec quisquis aliquando ebrius, consequenter ebriosus est: tamen in homine justo hujus ipsius, etsi non ebriositatis, at certe ebrietatis causa quærenda est. Quid enim tandem cogebat ut filiabus suis crebra vina miscentibus, aut fortasse nec mixta crebro porrigentibus, consentiret aut crederet[1]? An ad hoc filias nimiam tristitiam fingentes ita voluit consolari, ut illius destitutionis et materni luctus dolor de cogitatione mentis ebriæ fugaretur, etiam ipsas tantumdem bibere existimans, et aliqua fraude agentes ne biberent? Sed etiam talem tristibus suis adhibere consolationem quomodo virum justum decuerit, non videmus. An aliqua Sodomitarum arte pessima etiam paucis poculis patrem sic inebriare potuerunt, ut illud peccatum cum ignorante, vel potius de ignorante committerent? Sed mirum si hoc Scriptura divina tacuisset, vel servum suum Deus sine aliquo voluntatis ejus vitio perpeti sineret.

CAPUT XLV. — Nos tamen Scripturas sanctas, non hominum peccata defendimus. Non sic autem de hujus facti purgatione satagimus, quasi hoc Deus noster aut fieri jusserit, aut factum approbaverit; aut ita justi homines in illis Libris appellentur, ut si voluerint peccare, non possint. Cum ergo in Litteris quas isti reprehendunt, Deus huic facto nullum justitiæ testimonium perhibuerit, qua dementia temeritatis hinc illas Litteras accusare contendunt, cum aliis earum locis apertissime inveniantur divinis præceptis ista prohiberi? Unde in illa re gesta de opere filiarum Loth narrata ista sunt, non laudata. Quædam vero enuntiato judicio Dei, quædam tacito narrari oportuit: ut quando promitur quid inde judicaverit Deus, instruatur nostra imperitia; quando autem tacetur, vel exerceatur peritia, ut quod alibi didicimus recolamus; vel excutiatur pigritia, ut quod nondum novimus inquiramus. Deus ergo, qui novit et de hominum opere malo facere opera bona, gentes quas voluit, ex illo semine propagavit, non Scripturas suas propter hominum peccata damnavit. Prodidit quippe ista, non fecit; et cavenda admonuit, non imitanda proposuit.

CAPUT XLVI. — Mirabili sane impudentia[2] Faustus Isaac quoque filium Abrahæ criminatus est, quod Rebeccam, quæ uxor erat, sororem finxerit (*Id.* XXVI, 7). Genus enim Rebeccæ non tacitum est, et eam per notissimam propinquitatem sororem ejus fuisse manifestum est (*Id.* XXIV). Ut autem taceret uxorem, quid mirum, aut quid parvum, si imitatus est patrem; cum eadem justitia defendatur, qua pater ejus de simili objecto inculpatus inventus est? Quæ igitur pro Abraham, quod ad hanc rem attinet, adversus criminantem Faustum diximus (*Supra*, *capp.* 33 36), eadem etiam pro Isaac filio ejus valent; quæ recensere non est difficile: nisi forte studiosorum aliquis quærat, in cujus figuræ sacramento accipiendum sit, quod rex alienigena Rebeccam viri sui conjugem tunc esse cognovit, quando eum cum illa ludentem vidit; quod non cognovisset, nisi cum conjuge ille sic luderet, quomodo cum ea quæ conjux non esset ludere non deceret. Quod cum sancti conjugati faciunt, non inaniter faciunt, sed prudenter: descendunt enim quodam modo ad feminei sexus infirmitatem, ut aliquid blanda hilaritate vel dicant vel faciant; non enervantes, sed temperantes virilem rigorem[1]: quod tamen ei quæ uxor non est qui dixerit aut fecerit, turpis est. Verum hoc, quod ad mores humanitatis pertinet, dixerim, ne quisquam durus et sine affectu id ipsum pro crimine objiciat sancto viro, quod cum conjuge sua luserit. Tales enim homines inhumani si aliquem gravem virum ludicrum aliquid garrientem pueris etiam parvulis viderint, quo eorum lacteum sensum affabili et nutritoria facilitate permulceat, tanquam delirantem reprehendunt: obliti unde creverint, aut ingrati quod creverint. Quid autem sibi velit in sacramento Christi et Ecclesiæ, quod tantus Patriarcha cum conjuge luserit, conjugiumque illud inde sit cognitum, videt profecto quisquis, ne aliquid errando in Ecclesiam peccet, secretum viri ejus in Scripturis sanctis diligenter intuetur: et invenit eum majestatem suam, qua in forma Dei æqualis est Patri, paulisper abscondisse in forma servi (*Philipp.* II, 6, 7), ut ejus capax esse humana infirmitas posset, eoque modo se conjugi congruenter aptaret. Quid enim absurdum, imo quid non convenienter futurorum prænuntiationi accommodatum, si Propheta Dei carnale aliquid lusit, ut eum caperet affectus uxoris; cum ipsum Verbum Dei caro factum sit, ut habitaret in nobis (*Joan.* I, 14)?

CAPUT XLVII. — Jam vero filio ejus Jacob quod pro ingenti crimine quatuor objiciuntur uxores (*Gen.* XXIX *et* XXX), generali prælocutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat: et nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur: si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur: si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc vero cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia et moribus et legibus hoc non licet? Quæ duo quisquis contempserit, etiamsi tantummodo causa generandi uti possit feminis pluribus, peccat tamen, et ipsam violat humanam societatem, cui necessaria est propagatio filiorum. Sed quia homines, aliter se ha-

[1] Quidam Mss., *cederet.*
[2] Aliquot Mss., *imprudentia.*

[1] Plerique Mss., *vigorem*

bentibus jam moribus et legibus, non possunt delectari uxorum multitudine nisi libidinis magnitudine, ideo errant et putant haberi omnino non potuisse uxores multas, nisi flagrantia concupiscentiæ carnalis et sordidæ voluptatis. Comparantes enim, non alios quorum animi virtutem prorsus nosse non possunt, sed, sicut ait Apostolus, semetipsos sibimetipsis (II *Cor.* x, 12), non intelligunt. Et quia ipsi etiamsi unam habuerint, ad eamdem non solo[1] generandi officio ducti viriliter accedunt, sed sæpe coeundi stimulo victi enerviter pertrahuntur; quasi veraciter sibi videntur conjicere, quam majore hujusmodi morbo per multas alii captiventur, quando se vident in una temperantiam non posse servare.

CAPUT XLVIII. — Verum nos eis qui hanc virtutem non habent, ita de sanctorum virorum moribus judicium committere non debemus, sicut de ciborum suavitate ac salubritate judicare febrientes non sinimus : potiusque illis ex sanorum sensu et præcepto medicantium[2], quam ex eorum ægritudinis affectione alimenta præparamus. Proinde isti si volunt non falsæ atque adumbratæ, sed veræ ac solidæ pudicitiæ capere sanitatem, divinæ Scripturæ tanquam libris medicinalibus credant, non frustra tam magnum honorem sanctitatis tributum quibusdam viris etiam plures uxores habentibus; nisi quia fieri potest ut imperator carnis animus tanta temperantiæ potestate præpolleat, ut genitalis delectationis motum insitum naturæ mortalium ex providentia generandi leges impositas non permittat excedere. Alioquin possunt isti, maledici potius calumniatores, quam veridici judices, etiam sanctos Apostolos accusare, quod non charitate generandi filios vitæ æternæ, sed cupiditate laudis humanæ, populis tam multis Evangelium prædicaverint. Neque enim deerat illis evangelicis patribus per omnes Christi Ecclesias fama præclara tot linguis laudantibus comparata : imo vero tanta aderat, ut major hominibus ab hominibus honor et gloria deferri non debeat. Hanc in Ecclesia gloriam perversa voluntate Simon perditus concupivit, quando ab eis pecunia voluit cæcus emere, quod illi divina gratia eademque gratuita meruerunt (*Act.* VIII, 18-20). Hujus avidus gloriæ fuisse intelligitur, quem se volentem sequi Dominus in Evangelio revocat dicens : ***Vulpes foveas habent, et volucres cœli diversoria; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*** (***Matth.*** VIII, 20). Videbat enim eum dolosa simulatione tenebrosum et ventosa elatione jactatum, non habere fidei locum ubi se inclinantem doctorem humilitatis exciperet; quia in discipulatu Christi non illius gratiam, sed suam gloriam requirebat. Hoc amore gloriæ corrupti erant, quos Paulus apostolus notat, quod per invidiam et contentionem non caste Christum annuntiarent : quibus tamen prædicantibus gaudet Apostolus (*Philipp.* I, 15-18); sciens fieri posse ut dum illi sectantur humanæ gloriæ cupiditatem, tamen his auditis fideles nascerentur; non ex eorum invida cupiditate, qua se volebant vel æquari, vel anteponi apostolicæ gloriæ, sed per Evangelium, quod etiamsi non caste, tamen annuntiabant; ut de malo illorum Deus operaretur bonum : sicut fieri potest ut homo ad concubitum non ingrediatur voluntate generandi, sed luxuriandi libidine rapiatur; et tamen nascatur homo, bonum Dei opus de fecunditate seminum, non de turpitudine vitiorum. Sicut ergo sancti Apostoli auditoribus admirantibus doctrinam suam condelectabantur, non aviditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis; ita sancti Patriarchæ conjugibus excipientibus semen suum miscebantur, non concupiscentia percipiendæ voluptatis, sed providentia propagandæ successionis : ac per hoc nec illos ambitiosos multitudo populorum, nec illos libidinosos multitudo faciebat uxorum. Sed quid de viris loquar, quibus excellentissimum testimonium divina voce perhibetur, cum ipsas feminas satis eluceat nihil aliud in concubitu appetisse quam filios? Quippe ubi se minime parere viderunt, famulas suas dederunt viro suo[3], ut illas matres facerent carne, ipsæ fierent voluntate.

CAPUT XLIX. — Nam et illud, quod mendacissima criminatione Faustus objecit, habuisse inter se velut quatuor scorta certamen, quænam eum ad concubitum raperet, ubi hoc legerit nescio, nisi forte in corde suo tanquam in libro nefariarum fallaciarum, ubi vere ipse scortabatur, sed cum serpente illo de quo Apostolus timebat Ecclesiæ, quam virginem castam cupiebat uni viro exhibere Christo, ne sicut Evam deceperat astutia sua, sic et illorum mentes a Christi castitate avertendo corrumperet (II *Cor.* XI, 2, 3). Ita enim huic serpenti amici sunt isti, ut eum præstitisse potius[4] quam nocuisse contendant. Ipse plane Fausto persuasit, pectori adulterato falsitatis semina infundens, ut has male conceptas calumnias ore immundissimo pareret, et stilo audacissimo etiam memoriæ commendaret. Nulla enim ancillarum virum Jacob ab altera rapuit, nulla de illius concubitu cum altera litigavit. Ideo magis ordo erat, quia libido non erat; et tanto firmius servabantur conjugalis potestatis jura, quanto castius vitabatur carnalis cupiditatis injuria. Quod enim et ab uxore conducitur, ibi vera nostra manifestatur assertio, ibi pro se adversus maledicta Manichæorum ipsa veritas clamat. Quid enim opus erat ut eum altera conduceret, nisi quia ordo alterius erat ut ad eam maritus intraret? Neque enim ad Liam nunquam accessisset[5], nisi eum conduxisset : sed utique justis ad eam vicibus accedebat, de qua tot filios procreaverat, et cui obedierat ut etiam de ancilla procrearet, et de qua postea non conducente procrea-

[1] Sic meliores Mss. At editi, *non soham.*

[2] Editi Am. Fr. et plerique Mss. *et præcepto medicamine* nonnulli, *et præcepto medicamina.*

[3] Vaticanus codex, *apostolicæ gratiæ.* Alii quidam Mss. *apostolicæ doctrinæ.*

[4] Lov., *dederunt viris suis.* Editi autem alii et Mss., *dederunt viro suo.* Itaque quod sequitur, *facerent*, respicit ipsas uxores quæ dederunt.

[5] Hic apud Lov. additur, *homini.*

[6] Am., *Neque enim ad aliam nunquam accessisset.* Er. et Lov., *Neque enim ad aliam unquam accessisset.* Castigantur ex Mss.

vit. Sed tunc Rachel noctem habebat in ordine ut maneret cum viro : tunc penes eam potestas illa erat, de qua per Apostolum vox certe Novi Testamenti non tacuit, dicens, *Similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Ideo jam cum sorore pacta erat, cui facta debitrix eam translegaret ad debitorem suum. Nam hoc nomine id appellat Apostolus : *Uxori*, inquit, *vir debitum reddat* (I *Cor.* VII, 4, 3). Cui ergo vir debitor erat, jam acceperat a sorore quod elegerat voluntate, ut ei daret quod habebat in potestate.

CAPUT L. — Illic vero ille, quem Faustus tanquam impudicum clausis vel potius exstinctis oculis criminatur, si concupiscentiæ non justitiæ servus esset, nonne per totum diem in voluptatem illius noctis æstuaret, qua erat cum pulchriore cubiturus : quam certe amplius diligebat, et pro qua bis septenarium [1] annorum laborem gratuitum penderat? Cum ergo jam die peracto in ejus iret amplexus, quando inde averteretur, si talis esset, qualem Manichæi nihil intelligentes opinantur? Nonne placito contempto mulierum, intraret potius ad speciosam suam, quæ illi noctem ipsam, non solum conjugis more, verum etiam ordinis jure debebat? Uteretur potius ipse potestate maritali, quia et *uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir;* et pro eo tunc servitutis illarum vicissitudo faciebat : conjugali ergo potestate multo vincibilius uteretur, si formæ desiderio vinceretur. Sed eo meliores feminæ invenirentur, si illæ pro filiis concipiendis, ipse autem pro concubitus sui voluptate certaret. Itaque vir temperantissimus, et plane vir, quia tam viriliter feminis utebatur, ut delectationi carnali non subjiceretur, sed dominaretur, magis quid deberet, quam quid ei deberetur attendit; nec ad propriam voluptatem sua potestate abuti voluit, sed illius debiti redditor quam exactor esse maluit. Unde consequens erat ut ei redderet, quam pro se id accipere illa cui debebatur elegit : quo earum placito pactoque comperto, cum repente atque inopinate a pulcherrima conjuge revocaretur, et ad minus decoram vocaretur, non ira exanduit, non tristitia nubilatus est, non enerviter blandus, ut sibi potius Rachel noctem redderet, inter ambas sategit : sed maritus justus et providus pater, cum illas prolis curam gerere videret, et ipse nihil aliud de concubitu quæreret, earum voluntati obtemperandum judicavit, quæ sibi singillatim filios optabant; suæ [2] nihil minui, cui ambæ pariebant. Tanquam diceret : Vobis inter vos, ut vultis, cedite atque concedite quænam vestrum fiat mater : ego quid contendam, quando sive hinc sive inde nascenti non erit alius pater? Hanc profecto modestiam, hanc concupiscentiæ coercitionem, et in commixtione corporum conjugalium solum appetitum posteritatis humanæ, ut erat acutus Faustus, in illis Litteris et intelligeret et laudaret, nisi ejus ingenium detestabili secta depravatum, et quid reprehenderet quæreret, et unam nuptialis conventionis honestatem, qua mares et feminæ liberorum procreandorum causa copulantur, hoc crimen maximum deputaret.

CAPUT LI. — Nunc jam defensis Patriarchæ moribus, refutatoque crimine quod nefarius error objecit, de libero [1] ut possumus, mysteriorum secreta rimemur, pulsemusque fidei pietate, ut nobis aperiatur a Domino, quid rerum figuraverint quatuor istæ uxores Jacob, quarum duæ liberæ, duæ ancillæ fuerunt. Videmus enim Apostolum, in libera et ancilla quas habuit Abraham, duo Testamenta intelligere (*Galat.* IV, 22-24) : sed ibi in una et una facilius apparet quod dicitur; hic autem duæ sunt et duæ. Deinde ibi ancillæ filius exhæredatur, hic vero ancillarum filii simul cum filiis liberarum terram promissionis accipiunt : unde hic procul dubio aliquid aliud significatur.

CAPUT LII. — Quanquam enim duas liberas uxores Jacob ad Novum Testamentum, quo in libertatem vocati sumus, existimem pertinere, non tamen frustra duæ sunt : nisi forte quia (id quod in Scripturis adverti et inveniri potest) duæ vitæ nobis in Christi corpore prædicantur; una temporalis in qua laboramus, alia æterna in qua delectationem Dei contemplabimur. Istam Dominus passione, illam resurrectione declaravit. Admonent nos ad hoc intelligendum illarum etiam nomina feminarum. Dicunt enim quod Lia interpretatur Laborans, Rachel autem Visum principium, sive Verbum ex quo videtur principium. Actio ergo humanæ mortalisque vitæ, in qua vivimus ex fide, multa laboriosa opera facientes, incerti quo exitu proveniant ad utilitatem eorum quibus consulere volumus, ipsa est Lia prior uxor Jacob : ac per hoc et infirmis oculis fuisse commemoratur. Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ (*Sap.* IX, 14). Spes vero æternæ contemplationis Dei, habens certam et delectabilem intelligentiam veritatis, ipsa est Rachel : unde etiam dicitur bona facie, et pulchra specie. Hanc enim amat omnis pius studiosus, et propter hanc servit gratiæ Dei, qua peccata nostra, etsi fuerint sicut phœnicium, tanquam nix dealbantur [2] (*Isai.* I, 18) : Laban quippe interpretatur Dealbatio, cui servivit Jacob propter Rachel (*Gen.* XXIX, 17, 30). Neque enim se quisquam convertit sub gratia remissionis peccatorum servire justitiæ, nisi ut quiete vivat in verbo ex quo videtur principium, quod est Deus : ergo propter Rachel, non propter Liam [3]. Nam quis tandem amaverit in operibus justitiæ laborem actionum atque passionum? Quis eam vitam propter seipsam expetiverit? sicut nec Jacob Liam : sed tamen sibi nocte suppositam in usum generandi amplexus et fecunditatem ejus expertus est. Dominus enim eam, quia per seipsam diligi non poterat, primo ut ad Rachel perveniretur, tolerari fecit, deinde propter filios commendavit. Ita

[1] Sic Am, Er. et plures Mss. At Lov., *bis septenorum.*
[2] Er. Lugd. et Ven. habent, *sibi.* M.

[1] Lov., *de libro.* Verius editi alii et Mss., *de libero*, id est propria sponte.
[2] Lov., *dealbabuntur.*
[3] Hic in excusis additum, *servitur;* quod verbum abest a Mss.

vero unusquisque utilis Dei servus, sub dealbationis peccatorum suorum gratia constitutus, quid aliud in sua conversione [1] meditatus est, quid aliud corde gestavit, quid aliud adamavit, nisi doctrinam sapientiæ? Quam plerique se adepturos et percepturos putant statim ut se in septem præceptis legis exercuerint, quæ sunt de dilectione proximi, ne cuiquam homini noceatur; id est, *Honora patrem et matrem*, *Non mœchaberis*, *Non occides*, *Non furaberis*, *Non falsum testimonium dices*, *Non concupisces uxorem proximi*, *Non concupisces rem proximi* (*Exod.* xx, 12-17) : quibus quantum potuerit observatis, posteaquam homini pro concupita et sperata pulcherrima delectatione doctrinæ, per tentationes varias, quasi per hujus sæculi noctem, tolerantia laboris adhæserit, velut pro Rachel Lia inopinata conjuncta sit; et hanc sustinet ut ad illam perveniat, si perseveranter amat, acceptis aliis septem præceptis : ac si dicatur ei, *Servi alios septem annos pro Rachel*; ut sit [2] pauper spiritu, mitis, lugens, esuriens sitiensque justitiam, misericors, mundicors, pacificus (*Matth.* v, 3-9). Vellet enim homo, si fieri posset, sine ulla tolerantia laboris, quæ in agendo patiendoque amplectenda est, statim ad pulchræ atque perfectæ sapientiæ delicias pervenire : sed hoc non potest in terra morientium. Hoc enim videtur significare, quod dictum est ad Jacob, *Non est moris in loco nostro, ut minor nubat prius quam major* (*Gen.* xxix, 27, 26). Quia non absurde major appellatur, quæ tempore prior est. Prior est autem in recta hominis eruditione labor operandi quæ justa sunt, quam voluptas intelligendi quæ vera sunt.

CAPUT LIII. — Ad hoc valet quod scriptum est, *Concupisti sapientiam, serva mandata, et Dominus præbet illam tibi* (*Eccli.* i, 33). Mandata utique ad justitiam pertinentia : justitiam autem quæ ex fide est, quæ inter tentationum incerta versatur, ut pie credendo quod nondum intelligit, etiam intelligentiæ meritum consequatur. Quantum enim valet, quod modo commemoravi esse scriptum, *Concupisti sapientiam, serva mandata; et Dominus præbet illam tibi;* tantum et illud valere arbitror, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* vii, 9) : ut justitia ad fidem, ad sapientiam vero intelligentia pertinere monstretur. Proinde in his qui flagrant ingenti amore perspicuæ veritatis, non est improbandum studium, sed ad ordinem revocandum, ut a fide incipiat, et bonis moribus nitatur pervenire quo tendit. In eo quippe quod versatur [3], virtus est laboriosa : in eo vero quod appetit, luminosa sapientia. Quid opus est, inquit, credere, quod non mihi ostenditur manifestum? Aliquod verbum prome, quo videam rerum omnium principium. Id enim est in quod maxime ac primitus inardescit, si veri studiosus est animus rationalis : cui respondeatur, Pulchrum est quidem quod desideras et amari dignissimum; sed prius nubit Lia, et postea Rachel. Ardor ergo iste ad id valeat, ut ordo non recusetur, sed potius toleretur; sine quo non potest ad id perveniri, quod tanto ardore diligitur. Cum autem perventum fuerit, simul habebitur in hoc sæculo, non solum speciosa intelligentia, sed etiam laboriosa justitia. Quamlibet enim acute sinceriterque cernatur a mortalibus incommutabile bonum, adhuc corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* ix, 15). Ad unum ergo tendendum, sed propter hoc multa ferenda sunt.

CAPUT LIV. — Itaque duæ sunt uxores Jacob liberæ : ambæ quippe sunt filiæ remissionis peccatorum, hoc est dealbationis, quod est Laban. Verumtamen una amatur, et altera toleratur. Sed quæ toleratur, ipsa prius et uberius fecundatur, ut si non propter se ipsam, certe propter filios diligatur. Labor enim justorum maximum fructum habet in eis quos regno Dei generant, inter multas tentationes et tribulationes prædicando Evangelium; et eos propter quos sunt in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus sæpius (II *Cor.* xi, 23), propter quos habent foris pugnas, intus timores (*Id.* vii, 5), gaudium et coronam suam vocant (*Philipp.* iv, 1). Nascuntur autem eis facilius atque copiosius ex illo sermone fidei, quo prædicant Christum crucifixum (I *Cor.* i, 23), et quidquid humanitatis ejus citius humana cogitatione percipitur, et infirmos etiam Liæ oculos non perturbat. Rachel autem clara aspectu, mente excedit Deo (II *Cor.* v, 13), et videt in principio Verbum Deum apud Deum (*Joan.* i, 1), et vult parere, et non potest; quia generationem ejus quis enarrabit (*Isai.* liii, 8)? Proinde vita quæ studio contemplationis competit, ut ea quæ carni sunt invisibilia, non infirmis oculis mentis, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciat, et sempiternam Dei virtutem ac divinitatem ineffabiliter cernat (*Rom.* i, 20), vacare vult ab omni negotio, et ideo sterilis. Affectando quippe otium, quo studia contemplationis ignescunt, non contemperatur infirmitati hominum, qui in variis pressuris sibi desiderant subveniri. Sed quia et ipsa procreandi charitate inardescit (vult enim docere quod novit, neque cum invidia tabescente iter habere [*Sap.* vi, 25]), videt sororem labore agendi atque patiendi filiis abundantem; et dolet potius currere homines ad eam virtutem, qua eorum infirmitatibus necessitatibusque consulitur, quam ad illam unde divinum et incommutabile aliquid discitur. Hic dolor figuratus videtur in eo quod scriptum est, *Et zelavit Rachel sororem suam* (*Gen.* xxx, 1). Proinde, quia liquidus purusque intellectus de illa substantia quæ corpus non est, ac per hoc ad carnis sensum non pertinet, verbis carne editis exprimi non potest; eligit doctrina sapientiæ per quaslibet corporeas imagines et similitudines utcumque cogitanda insinuare divina, quam ab officio talia docendi cessare : sicut elegit Rachel ex viro suo et ancilla suscipere liberos, quam sine filiis omnino remanere. Bala quippe interpretari dicitur Invecterata :

[1] Am. Er. et plerique Mss., *conversatione*. Corrupte.
[2] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *sis*. M.
[3] Lov., *quo versatur*. Vaticanus unus codex, *quod adversatur*. Alii Mss. cum Am. et Er., *quod versatur*.

hanc habuit ancillam Rachel. De vetere quippe vita carnalibus sensibus dedita corpereæ concitantur [1] imagines, etiam cum aliquid de spirituali et incommutabili substantia divinitatis auditur.

CAPUT LV. — Suscipit et Lia de ancilla sua filios, amore habendæ numerosioris prolis accensa. Invenimus autem Zelpham ejus ancillam interpretari Os hians. Quapropter in prædicationem fidei evangelicæ quorum os hiat et cor non hiat, cum in Scripturis adverterimus, hæc intelligitur ancilla Liæ. Scriptum est enim de quibusdam : *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX, 13). Et talibus Apostolus dicit : *Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non adulterandum, adulteras* (*Rom.* II, 21, 22). Verumtamen ut etiam per hanc conditionalem [2] libera illa uxor Jacob laborans filios hæredes regni suscipiat, ideo Dominus dicit : *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII, 3). Unde in labore vinculorum vita apostolica, *Sive*, inquit, *occasione, sive veritate Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo* (*Philipp.* I, 18) : tanquam et ancilla pariente de prole numerosiore lætata.

CAPUT LVI. — Est vero quidam Liæ fetus ex beneficio Rachel editus, cum virum suum secum debita nocte cubiturum, acceptis a filio Liæ mandragoricis malis, cum sorore cubare permittit [3]. De hoc autem pomi genere opinari quosdam scio, quod acceptum in escam sterilibus feminis fecunditatem parit; ac per hoc putant omni modo institisse Rachel, ut hoc a filio sororis acciperet cupiditate pariendi : quod ego non arbitrarer, nec si tunc concepisset [4]. Nunc vero cum post Liæ duos alios ab illa nocte partus, Dominus eam prole donaverit, nihil est cur de mandragora tale aliquid suspicemur, quale in nulla femina experti sumus. Dicam ergo quid sentiam : dicent hinc forte meliora doctiores. Cum enim hæc mala ipse vidissem, et propter istum ipsum sacræ lectionis locum id mihi obtigisse gratulaverer (rara enim res est), naturam eorum diligenter, quantum potui, perscrutatus sum : non aliqua a communi sensu remotiore scientia, quæ docet virtutes radicum et potestates herbarum; sed quantum mihi et cuilibet homini renuntiabat visus, et olfactus, et gustus. Proinde rem comperi pulchram et suaveolentem, sapore autem insipido : et ideo cur eam mulier tantopere concupiverit, ignorare me fateor, nisi forte propter pomi raritatem, et odoris jucunditatem. Cur vero ipsam rem gestam sancta Scriptura tacere noluerit, quæ non utique talia desideria muliercularum nobis pro magno insinuare curaret, nisi aliquid in eis magnum quærere commoneret, nihil amplius conjicere valeo, quam quod ex illo communi sensu mihi suggeritur, ut illo mandragorico pomo figurari intelligam famam bonam : non eam quæ confertur, cum laudant hominem pauci justi atque sapientes; sed illam popularem, qua etiam major et clarior notitia comparatur : non ipsa per sese expetenda, sed intentioni bonorum, qua generi humano consulunt, pernecessaria. Unde dicit Apostolus, *Oportet etiam testimonium habere bonum ab eis qui foris sunt* (*1Tim.* III, 7) : qui licet parum sapiant, reddunt tamen plerumque labori eorum, per quos sibi consulitur, et splendorem laudis, et odorem bonæ opinionis. Nec ad istam gloriam popularem primi perveniunt eorum qui sunt in Ecclesia, nisi quicumque in actionum periculis et labore versantur. Propterea Liæ filius mala mandragorica invenit, exiens in agrum, id est, honeste ambulans ad eos qui foris sunt : doctrina vero illa sapientiæ, quæ a vulgi strepitu remotissima, in contemplatione veritatis dulci delectatione defigitur, hanc popularem gloriam quantalamcumque non assequeretur, nisi per eos qui in mediis turbis agendo ac suadendo populis præsunt, non ut præsint, sed ut prosint : quia dum isti actuosi et negotiosi homines, per quos multitudinis administratur utilitas, et quorum auctoritas populis chara est, testimonium perhibent etiam vitæ propter studium conquirendæ et contemplandæ veritatis otiosæ, quodam modo mala mandragorica per Liam perveniunt ad Rachel. Ad ipsam vero Liam per filium primogenitum, id est, per honorem fecunditatis ejus, in qua est omnis fructus laboriosæ atque inter incerta tentationum periclitantis actionis : quam plerique bono ingenio præditi studioque flagrantes, quamvis idonei regendis populis esse possint, tamen vitant propter turbulentas occupationes, et in doctrinæ otium toto pectore, tanquam speciosæ [1] Rachel feruntur amplexum.

CAPUT LVII. — Sed quia bonum est ut etiam hæc vita latius innotescens popularem gloriam mereatur, injustum est autem ut eam consequatur, si amatorem suum administrandis ecclesiasticis curis aptum et idoneum in otio detinet, nec gubernationi communis utilitatis impertit; propterea Lia sorori suæ dicit, *Parum est tibi quod virum meum accepisti, insuper et mandragorica filii mei vis accipere?* Per unum virum significans eos omnes qui cum sint agendi virtute habiles, et digni quibus regimen Ecclesiæ committatur ad dispensandum illi fidei sacramentum, accensi [2] studio doctrinæ atque indagandæ et contemplandæ sapientiæ, se ab omnibus actionum molestiis removere, atque in otio discendi ac docendi condere volunt. Ita ergo dictum est, *Parum est tibi quod accepisti virum meum, insuper et mandragorica filii mei vis accipere?* ac si diceretur, Parum est quod homines ad laborem rerum gerendarum necessarios in otio detinet vita studiorum [3], insuper et popularem gloriam requirit?

CAPUT LVIII. Proinde ut eam juste comparet,

[1] Omnes prope Mss. habent, *cogitantur*.
[2] Lov., *conditionem*. At Am. Er. et nostri omnes Mss., *conditionalem* : intellige, ancillam Os hiantem.
[3] Am. Er. et nostri Mss., *cubitare permittit*.
[4] Sola Erasmiana editio, *quod ego quoque arbitrarer, si tunc concepisset*.

[1] Apud Lugd. Ven., *tanquam in speciosæ*. M.
[2] Apud Fr. Lugd. Ven. Lov., *ad dispensandum fidei sacramentum : illi accensi*, etc. M.
[3] Aliquot Vss., *vita studiosorum*.

impertit Rachel virum sorori suæ illa nocte : ut scilicet qui virtute laboriosa regimini populorum accommodati sunt, etiamsi scientiæ vacare delegerant, suscipiant experientiam tentationum curarumque sarcinam pro utilitate communi : ne ipsa doctrina sapientiæ, cui vacare statuerunt, blasphemetur, neque adipiscatur ab imperitioribus populis existimationem bonam, quod illa poma significant, et quod necessarium est ad exhortationem discentium. Sed plane ut hanc curam suscipiant, vi coguntur. Satis et hoc significatum est, quod cum veniret de agro Jacob, occurrit ei Lia, eumque detinens ait : *Ad me intrabis ; conduxi enim te pro mandragoris filii mei* (*Gen.* xxx, 14-16). Tanquam diceret : Doctrinæ quam diligis vis conferri bonam opinionem ? noli defugere officium laborem. Hæc in Ecclesia geri, quisquis adverterit, cernit. Experimur in exemplis, quod intelligamus in libris. Quis non videat hoc geri toto orbe terrarum, venire homines [1] ex operibus sæculi et ire in otium cognoscendæ et contemplandæ veritatis, tanquam in amplexum Rachel; et excipi de transverso ecclesiastica necessitate, atque ordinari in laborem, tanquam Lia dicente, *Ad me intrabis ?* Quibus caste mysterium Dei dispensantibus, ut in nocte hujus sæculi filios generent fidei, laudatur a populis etiam illa vita, cujus amore conversi spem sæculi reliquerunt, et ex cujus professione ad misericordiam regendæ plebis assumpti sunt. Id enim agunt in omnibus laboribus suis, ut illa professio quo se converterant, quia tales rectores populis dedit, latius et clarius glorificetur, tanquam Jacob non recusante noctem Liæ, ut Rachel pomis suaveolentibus et clare nitentibus potiatur : quæ aliquando et ipsa, præstante misericordia Dei, per se ipsam parit, vix tandem quidem; quia perrarum est ut, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* i, 1), et quidquid de hac re pie sapienterque dicitur, sine phantasmate carnalis cogitationis et salubriter vel ex parte capiatur.

CAPUT LIX. — Hæc de tribus patribus, Abraham, Isaac, et Jacob, quorum se Deum appellari voluit Deus, quem catholica Ecclesia colit, adversus Fausti calumnias dicta suffecerint. De quorum trium hominum meritis atque pietate, et longe remota a judicio carnalium altitudine prophetiæ, non est nunc disserendi locus : tantum ab his criminibus, quibus eos maledica et veritatis inimica lingua pulsavit, defendendi fuerunt [2] in hoc præsenti opere nostro ; ne contra Scripturas sanctas et salubres aliquid sibi dicere viderentur, qui eas perversa et adversa mente legerunt, dum petulantibus conviciis insectantur eos, qui illic cum tanto honore prædicantur.

CAPUT LX.—Cæterum Loth frater, id est consanguineus Abrahæ, nequaquam istis comparandus est, de quibus Deus dicit, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* iii, 6) ; nec in eorum numero deputandus, quibus illa Scriptura usque in finem perhibet justitiæ testimonium : quamvis inter Sodomitas pie casteque versatus, hospitalitatis etiam meritis commendatus, ab illius terræ incendio liberatus sit, et ejus posteris terra possessionis [1] propter Abraham, qui patruus ejus fuerat, dono Dei data sit (*Gen.* xix). Hæc nobis merita in illis Libris laudanda proponuntur, non ebrietas, non incestus (*Deut.* iii, 9) : sed cum hominis ejusdem et recte factum et peccatum scriptum invenimus, aliud insinuatur imitandum, aliud præcavendum. Porro si peccatum Loth, cui perhibitum est, antequam peccaret, justitiæ testimonium (*Sap.* x, 6), non modo non decolorat divinitatem Dei vel scripturæ illius veritatem, verum etiam laudandam diligendamque commendat, quod tanquam speculi fidelis nitor, admotarum sibi personarum non solum quæ pulchra atque integra, verum etiam quæ deformia vitiosaque sint, indicat ; quanto magis factum Judæ, quod cum sua nuru concubuit (*Gen.* xxxviii, 13 18), nihil omnino affert, unde auctoritas sancta culpetur : quæ in illis Libris fundata persistens, non tantum paucissimorum Manichæorum calumniosas argutias, verum etiam gentilium tot tantorumque populorum horrendas inimicitias divino jure contemnit, quos pene jam totos a nefaria superstitione simulacrorum, ad unius Dei veri cultum christiano imperio subjugavit, edomito orbe terrarum, non violentia bellici certaminis, sed invictæ potentia veritatis ? Ubi enim Litterarum illarum laudatus est Judas ? Quid de illo boni Scriptura illa testata est, nisi quod in prophetia Christi, qui ex ejus tribu prænuntiabatur in carne venturus, benedictione patris sui præ cæteris commendatus eminuit (*Id.* xlix, 8-12) ?

CAPUT LXI. — Cæterum ad id, quod eum Faustus fornicatum commemoravit, addimus nos aliud, quod fratrem suum Joseph in Ægyptum vendidit (*Id.* xxxvii, 26-28). Numquid cujusquam membra distorta depravant lucem, quæ cuncta demonstrat ? Sic nec cujuspiam malefacta malam Scripturam faciunt, qua prodente legentibus innotescunt. Consulta quippe æterna lex illa, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, non nisi propagationis causa statuit hominis concubitum fieri, et hoc non nisi socialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis : et ideo prostitutio feminarum, non ad substituendam prolem, sed ad satiandam libidinem propositarum, divina atque æterna lege damnatur. Omnem quippe dehonestat emptorem turpitudo venalis : ac per hoc Judas etsi gravius peccasset, si nurum sciens cum ea concumbere voluisset (si enim vir et uxor, sicut Dominus dicit, *non jam duo, sed una caro* est (*Matth.* xix, 6), non aliter nurus est deputanda quam filia) ; tamen eum, quantum in ipso erat, deformiter cum meretrice cubasse non dubium est. At illa quæ socerum fefellit, non carnis ejus concupiscentia, nec meretriciæ mercedis cupiditate peccavit : sed

[1] Sic Mss. Editi vero, *venire omnes*.
[2] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *fuerant*. M.

[1] Lov., *terra promissionis*. Verius editi alii et fere omnes Mss., *terra possessionis*. Forte addendum, *suæ*. De terra quæ posteris Loth, Moabitis scilicet atque Ammonitis in possessionem data est, dicitur in Deuteronomii cap. 2.

ex ipso sanguine prolem requirens, ex quo duobus jam fratribus nupta, tertio quoque denegato habere non potuit [1], patri eorum socero suo fetandum corpus fraude subjecit, pignore mercedis accepto, quod non ad ornamentum, sed ad testimonium reservavit. Melius quidem sine filiis remaneret, quam sine jure matrimonii mater fieret : longe tamen alia intentione peccavit, quod filiis suis patrem providit socerum suum, quam si eum sibi concupisset adulterum. Denique cum jussu ejus produceretur ad mortem, et virgam, monile, atque annulum protulisset, dicens ab eo se gravidatam, cujus pignora illa essent ; ubi ea quæ dederat ille cognovit, istam magis quam se justificatam esse respondit, quod ei filium suum maritum conjungere noluisset ; qua destitutione compulsa, illo modo potius quam nullo modo posteritatem, non aliunde quam ab eadem stirpe conquireret. In qua sententia, non eam justificatam, sed eam magis quam se justificatam dicens, nec ipsam laudavit, sed in sui comparatione præposuit ; desiderium scilicet habendæ prolis, quo ducta illa se socero supposuerat, minus culpans, quam libidinosi concubitus ardorem, quo ipse velut ad meretricem victus intraverat : sicut quibusdam dicitur, *Justificastis Sodomam* (*Ezech.* XVI, 52), id est, tantum peccastis, ut vobis Sodoma comparata justa videatur. Quanquam etiamsi hæc mulier non in pejoris facti comparatione minus culpata, sed omnino a socero laudata intelligatur : quæ tamen consulta illa æterna lege justitiæ, quæ naturalem ordinem perturbari vetat, non utique tantummodo corporum, sed maxime ac primitus animorum, quia in procreandis filiis ordinatam societatem non custodivit, merito culpabilis invenitur : quid mirum, si peccatrix a peccatore laudatur ?

CAPUT LXII. — Quod ita nobis Faustus, vel ipsa Manichæa perversitas arbitratur adversum, quasi nobis in illius Scripturæ veneratione digneque præconio vitia hominum, quæ illa commemorat, necesse sit approbare : quin potius necesse est ut quanto illam religiosius accipimus, tanto fidentius illa culpemus, quæ per ejus veritatem certius culpanda didicimus. Ibi enim fornicatio et omnis illicitus concubitus divino jure damnatur (*Exod.* XX, 14, 17) : ac per hoc, cum talia quorumdam facta commemorat, de quibus eo loco suam taceat sententiam, judicanda nobis permittit, non laudanda præscribit. Quis enim nostrum in ipso Evangelio non detestatur Herodis crudelitatem, cum de Christi nativitate sollicitus tot infantes jussit occidi (*Matth.* II, 16) ? At hoc factum ibi non vituperatur, sed tantum narratur. Sed ne hoc Manichæi vesana impudentia falsum esse contendant, quia et ipsam Christi nativitatem, qua Herodes perturbatus est, negant ; ipsorum Judæorum immanitatem et cæcitatem legant, quemadmodum illic tantummodo narretur, non vituperetur, et tamen ab omnibus detestetur.

CAPUT LXIII. — Sed, inquiunt, iste Judas, qui cum sua nuru concubuit, inter duodecim Patriarchas computatur (*Gen.* XXXV, 22-26). Quid enim, et ille Judas, qui Dominum tradidit, nonne inter duodecim Apostolos numeratus est, et cum eis unus ex eis ad prædicandum Evangelium diabolus missus est (*Matth.* X, 2 5, *et Joan.* VI, 71, 72) ? Sed adhuc respondent et dicunt : Ille post tale facinus laqueo suo peremptus et Apostolorum numero exemptus est (*Matth.* XXVII, 5) ; iste autem post hanc turpitudinem, inter fratres suos ab illo patre, cui tam magnum testimonium Deus perhibet, præcipue benedictus et super omnes laudatus est (*Gen.* XLIX, 8 12). Quinimo hinc expressius appareret, non ad ipsum, sed ad Christum, qui ex ejus tribu prænuntiabatur in carne venturus, illam pertinere prophetiam : et ideo magis flagitium ejus divina Scriptura tacere non debuit, sicut non tacuit, ut in verbis patris ejus, quibus post illud dedecus ita laudatur, quia ipse non agnoscitur, alius requiratur.

CAPUT LXIV. — Quanquam Faustus dente maledico hoc ipsum intelligatur mordere voluisse, quod Christus a nobis ex ejus tribu venisse prædicatur : maxime quia in generationibus patrum ejus, quas Matthæus evangelista commemorat, etiam Zara, quem Thamar illa ex illo conceptu peperit, invenitur (*Matth.* XIII ; *Gen.* XXXVIII, 30). Nam si stirpem Jacob, non Christi generationem vellet reprehendere, habebat magis primitivum Ruben, qui paternum thorum nefaria libidine violavit (*Gen.* XXXV, 22) : qualem fornicationem Apostolus nec in Gentibus dicit audiri (I *Cor.* V, 1). Quod factum etiam ipse pater Jacob, cum eos benediceret, super caput ejus accusando et detestando non tacuit (*Gen.* XLIX, 3, 4). Hoc ergo crimen potius Faustus objiceret, ubi non error ex habitu meretricio, sed omnino voluntaria contaminatio paterni lectuli apparet ; nisi et ipsam Thamar plus odisset, quod ille concubitu nihil aliud quam parere cuperet, quam si sola libidine carnalis voluptatis arsisset ; et Christi progenitores culpando Incarnationi ejus fidem derogari voluisset : ignorans miser verissimum et veracissimum Salvatorem, non solum loquendo, sed etiam nascendo magistrum exstitisse. Fideles enim ejus venturi ex omnibus gentibus etiam exemplo carnis ipsius discere debuerunt, parentum suorum iniquitates sibi obesse non posse. Proinde sponsus ille suis congruens invitatis, qui vocaturus erat ad nuptias bonos et malos (*Matth.* XXII, 10), etiam nasci voluit de bonis et malis : ut prophetiam Paschæ qua præceptus est manducari agnus acceptus ex ovibus et capris (*Exod.* XII, 3-5), tanquam justis et injustis, ad se præfigurandum præcessisse firmaret. Documenta quippe Dei et hominis ubique conservans parentes et bonos et malos propter convenientiam humanitatis non sprevit, partum autem virginis propter miraculum divinitatis elegit.

CAPUT LXV. — Inaniter ergo Faustus, in se ipsum potius dente sacrilego sæviens, sanctam Scripturam, quam totus jam mundus merito veneratur, accusat : quæ, ut supra dixi, tanquam speculi fidelis nitor, nullius accipit adulandam personam, sed et

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *tertio potuit, denegato habere non potuit.*

laudanda et vituperanda hominum facta vel ipsa judicat, vel legentibus judicanda proponit; nec solum homines ipsos vel vituperabiles vel laudabiles intimans, verum etiam quædam in vituperabilibus laudanda, et in laudabilibus vituperanda non tacens. Neque enim quia vituperabilis homo erat Saûl, ideo non est laudabile factum ejus, quod gustatum de anathemate tam diligenter scrutatus, tam severe vindicare conatus est, obediens Deo, qui hoc fieri prohibuerat (I *Reg.* XIV, 24-45); vel quod pythones et ventriloquos de regno suo delevit (*Id.* XXVIII, 3): aut quia laudabilis erat David, ideo peccata ejus, quæ Deus quoque arguit per prophetam (II *Reg.* XII, 1-14), vel approbanda vel imitanda sunt. Sicut nec in Pontio Pilato vituperandum est, quod adversus accusationes Judæorum innocentem Dominum judicavit (*Joan.* XIX, 4, 6): nec in Petro laudandum est, quod eumdem Dominum ter negavit (*Matth.* XXVI, 70-74); vel unde ab ipso satanas appellatus est, quod non sapiendo quæ Dei sunt, eum voluit a passione, hoc est, a nostra salute revocare: paulo ante ergo dictus beatus, paulo post dictus est satanas (*Id.* XVI, 22, 23, 17). Sed quid in illo obtinuerit, apostolatus ejus et martyrii corona testatur.

CAPUT LXVI. — Sic itaque et regis David legimus peccata, sed legimus etiam recte facta. In quo autem prævaluerit, et unde quid vicerit, satis in promptu est, non malevolæ cæcitati, qua in sanctos Libros et viros Faustus irruebat, sed religiosæ prudentiæ, qua et auctoritas divina, et merita humana possunt cerni atque discerni. Nam legant isti et videant, in David plura Deum redarguisse quam Faustum (II *Reg.* XII, *et* XXIV): sed ibi est et pœnitentiæ sacrificium, ibi est illa incomparabilis mansuetudo usque ad immanissimum et atrocissimum inimicum, qui quoties illi est in manus fortissimas datus, toties ab illo est de manibus piissimis dimissus illæsus (I *Reg.* XXIV, *et* XXVI). Ibi memorabilis humilitas sub flagello Dei, et cervix regia dominico jugo ita subdita, ut armatus et comitatus armatis, amara ex inimici ore convicia patientissime sustineret; suumque comitem accensum iracundia, quod talia rex ejus audiret, et jam jamque in conviciatoris caput dextera ultrice pergentem, modestissime refrenaret, regali suæ jussioni divini timoris pondus adjiciens, et dicens meritis suis hoc redditum superno judicio, quo ille injuriosus missus esset, ut in eum talia jacularetur opprobria (II *Reg.* XVI). Ibi in gregem sibi commissum tanta dilectio pastoralis, ut pro eis ipse vellet mori, quando populo numerato peccatum elationis ejus sic punire placuit Deo, ut eumdem numerum minueret morte multorum, cujus multitudine cor regis fuerat superbia pertentatum: in quo occulto judicio Deus, apud quem non est iniquitas (*Rom.* IX, 14), et quos noverat indignos hac vita, subtraxit huic vitæ; et in illo qui de hominum copia se extulerat, tumorem animi humani ejusdem copiæ diminutione sanavit. Ibi tam religiosus Dei timor, sacramentum Christi in sancta unctione servabat, ut cor ejus pia sollicitudine trepidaverit, quando exiguam particulam de veste ipsius Saûlis latenter abscidit, ut haberet unde illi fidem faceret quam nollet eum, cum posset, occidere. Ibi tam prudens in filios et tanta clementia, ut cum innocentem puerum, pro quo ægrotante multis lacrymis et humilitatis sordibus sese abjiciens Dominum fuerat deprecatus, mortuum non luxerit; idem juvenem filium parricidali furore præcipitem, qui et paternum cubile stupris nefariis maculaverat, et contra patrem scelestum bellum gerebat, et vellet conservatum, et fleret occisum: animæ scilicet tantis criminibus involutæ sempiternas prævidens pœnas, quibus evadendis eum per pœnitentiam corrigendum vivere cupiebat humiliatum (II *Reg.* XVIII). Hæc et alia multa laudanda et imitanda in illo sancto reperiuntur viro, si non perversus animus eam Scripturam, quæ de illo loquitur, perscrutetur, maxime si mente subdita et pia et plane fideli sequamur sententiam Dei, qui ejus noverat occulta cordis, ubi in conspectu ejus qui falli non potest, ita placuit, ut etiam filiis suis imitandus ab illo proponeretur.

CAPUT LXVII. — Quid enim aliud quam cordis ejus profunda cernebat Spiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit, *Peccavi;* continuoque ad hoc unum verbum audire meruit quod acceperit veniam? Ad quam rem, nisi ad sempiternam salutem? Neque enim prætermissa est in illo, secundum Dei comminationem, flagelli paterni disciplina, ut et confessus in æternum liberaretur, et afflictus temporaliter probaretur. Haud vero mediocre fidei robur fuit, aut parvum mitis et obedientis animi indicium, cum audisset a Propheta quod sibi Deus ignovisset, et tamen quæ fuerat comminatus consequenter evenissent, non se dicere Prophetæ deceptum esse mendacio, nec murmurare adversus Deum, quasi falsam peccatorum ejus indulgentiam pronuntiaverit. Intelligebat enim vir alte sanctus, et non contra Deum, sed ad Deum levans animam suam, nisi Dominus esset confitenti pœnitentique propitius, quantum pœnarum æternarum ejus essent digna peccata: pro quibus cum temporalibus emendationibus ureretur[1], videbat erga se et manere veniam, et non negligi medicinam. Cur autem Saûl per Samuelem correptus, cum diceret etiam ipse, *Peccavi* (I *Reg.* XV, 24), non meruit audire quod David, quod ei Dominus ignovisset? Num personarum acceptio est apud Deum? Absit (*Galat.* II, 6). Sed in simili voce quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat quod divinus oculus discernebat. Quid talibus docemur exemplis, nisi regnum cœlorum intra nos esse (*Luc.* XVII, 28), et de intimis nostris Deum colere nos debere, ut ex abundantia cordis os loquatur (*Matth.* XII, 34); non autem ut populus eum labiis honoret, cor autem eorum longe sit ab eo (*Id.* XV, 8): neque judicare aliter audeamus de hominibus, quorum interiora videre non possumus, quam Deus qui hoc

[1] Nonnulli codices, *uteretur.* Am., *vereretur.* Er., *verberaretur.*

potest, et falli aut corrumpi non potest; cujus evidentissimam sententiam de David cum divinæ Scripturæ contineat tam sublimis auctoritas, multum ridenda, vel potius dolenda est aliter sentiens humana temeritas? Eis quippe divinis libris de antiquis viris credendum est, qui tam longe futura dixerunt, quæ præsentia nunc videntur.

CAPUT LXVIII. — Quid aliud in Evangelio discimus, cum eadem vox Petri auditur confitentis Christum Filium Dei (*Matth.* xvi, 16), quæ etiam dæmoniorum, paria verba, sed longe impari corde emittentium (*Luc.* viii, 28)? Proinde in simili voce fides Petri laudatur, dæmoniorum immunditia cohibetur: a quo, nisi ab illo qui non aure humana, sed divina mente radices internas vocum illarum nosset inspicere, et sine ulla falsitate discernere? Quam multi enim et alii homines dicunt Christum Filium Dei vivi, nec tamen Petri meritis comparantur: non soluni illi, qui dicturi sunt in illo die, *Domine, Domine*, et audituri, *Discedite a me* (*Matth.* vii, 22, 23); sed etiam illi, qui segregabuntur ad dexteram (*Id.* xxv, 33), in quibus plurimi nec unquam Christum vel semel negaverunt, nec ejus pro nostra salute passionem improbaverunt, nec Gentes judaizare coegerunt (*Galat.* ii, 14); et tamen Petro qui hæc fecit, sedenti in duodecim sedibus, et non solum duodecim tribus, verum et angelos judicanti impares apparebunt? Ita etiam multi nullius appetentes uxorem, nullum maritum appetitæ usque ad mortem persequentes, tamen Davidicum meritum, cum iste illa fecisset, apud Deum habere non possunt. Tantum interest quid cuique in se ipso, quantumque displiceat, ut penitus exstirpetur; et quid pro eo fructiferum et opulentum ingenti feracitate consurgat: quia et agricolæ plus placent agri, qui spinis etiam magnis eradicatis centenum proferunt, quam qui nullas unquam spinas habuerunt et vix ad tricenum perveniunt.

CAPUT LXIX. — Sic et Moysen famulum Dei fidelissimum in tota domo ejus, ministrum legis sanctæ, et mandati sancti, justi, et boni, cui Apostolus attestatur (*Hebr.* iii, 5, *et Rom.* vii, 12); nam ejus hæc verba sunt quæ commemoravi: ministrum etiam sacramentorum, non jam præstantium salutem, sed adhuc promittentium Salvatorem: quod et Salvator ipse confirmat, dicens, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* v, 46): unde suo loco, quantum satis visum est, contra impudentes Manichæorum calumnias disseruimus; hunc ergo Moysen famulum Dei vivi, Dei veri, Dei summi, fabricatoris cœli et terræ, non de alieno, sed de nihilo, non premente necessitate, sed affluente bonitate, non per sui membri pœnam, sed per sui verbi potentiam: hunc, inquam, Moysen, humilem in recusando tam magnum ministerium (*Exod.* iv, 10), subditum in suscipiendo, fidelem in servando, strenuum in exsequendo; in regendo populo vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem, in sustinendo patientem; qui pro eis quibus præfuit, Deo se interposuit consulenti, opposuit irascenti: hunc itaque talem ac tantum virum, absit a nobis ut ex maledico Fausti ore pensemus; sed ex ore plane veridici Dei, qui veraciter hominem, quem fecerat, noverat: quandoquidem etiam peccata hominum, quæ ipse non facit, et in diffitentibus ut judex agnoscit, et in confitentibus ut pater ignoscit. Ex ore omnino ejus Moysen servum ejus et amamus, et admiramur, et quantum possumus imitamur, cum simus longe illius meritis inferiores, etiam nullo Ægyptio vel occiso, vel exspoliato, nullo bello gesto, quorum ille aliud futuri indole defensoris, alia imposito imperio Dei fecit.

CAPUT LXX. — Ut interim omittam, quod cum percussisset Ægyptium (*Exod.* ii, 12), quanquam illi Deus non præceperit [1], in persona tamen prophetica ad hoc divinitus fieri permissum est, ut futurum aliquid præsignaret: unde nunc non ago, sed omnino tanquam nihil significaverint facta illa discutio; consultaque illa æterna lege reperio non debuisse hominem ab illo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamvis injuriosum et improbum, occidi. Verumtamen animæ virtutis capaces ac fertiles præmittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sicut enim et agricolæ quam terram viderint, quamvis inutiles, tamen ingentes herbas pro gignere, frumentis aptam esse pronuntiant; et ubi filicem [2] aspexerint, licet eradicandam sciant, validis vitibus habilem intelligunt; et quem montem oleastris silvescere aspexerint, oleis esse utilem cultura accedente non dubitant: sic ille animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem a cive improbo injuriam perpetientem, non observato ordine potestatis, inultum esse non pertulit, non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat. Ipse denique per angelum suum divinis Moysen vocibus evocavit in monte Sina, per quem liberaretur ex Ægypto populus Israel; eumque miraculo visionis in rubo flammante et non ardente, verbisque dominicis ad frugem obedientiæ præparavit (*Id.* iii, 4): qui etiam Saulum Ecclesiam persequentem, de cœlo vocavit, prostravit, erexit, implevit; tanquam percussit, amputavit, inseruit, fecundavit (*Act.* ix, 4). Illa namque Pauli sævitia, cum secundum æmulationem paternarum traditionum persequebatur Ecclesiam (*Galat.* i, 14), putans officium Deo se facere, tanquam silvestre erat vitium, sed magnæ feracitatis indicium. Hinc erat etiam illud Petri, cum evaginato gladio volens defendere Dominum, aurem persecutoris abscidit: quod factum Dominus satis minaciter cohibuit, dicens, *Reconde gladium; qui enim gladio usus fuerit, gladio cadet* (*Matth.* xxvi, 51, 52). Ille autem utitur gladio, qui nulla superiore ac legitima potestate vel jubente vel concedente, in sanguinem alicujus armatur. Nam utique Dominus

[1] Juxta Er. Lugd. Ven. Lov., *præciperet*. M.
[2] Editio Lov., *felicem* castigatur ex editis aliis et Mss.

jusserat ut ferrum discipuli ejus ferrent, sed non jusserat ut ferirent. Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptium factus est rector illius Synagogæ? Uterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate justitiæ regulam excessit : uterque odio improbitatis alienæ, sed ille fraterno, iste dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccavit. Resecandum hoc vitium vel eradicandum; sed tamen tam magnum cor, tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum.

CAPUT LXXI. — Quid ergo jam de exspoliatis Ægyptiis Faustus objicit, nesciens quid loquatur? Quod faciendo Moyses usque adeo non peccavit, ut non faciendo peccaret. Deus enim jusserat (*Exod.* III, 21, 22; XI, 2, *et* XII, 35, 36), qui utique novit non solum secundum facta, verum etiam secundum cor hominis, quid unusquisque, vel per quem perpeti debeat. Carnalis itaque adhuc ille populus erat, et rerum terrenarum cupiditate occupatus : Ægyptii vero sacrilegi et iniqui; nam et auro illo, hoc est, Dei creatura male utentes ad Creatoris injuriam, suis idolis serviebant, et homines peregrinos labore gratuito injuste ac vehementer afflixerant. Digni ergo erant et isti quibus talia juberentur, et illi qui talia paterentur : et forte secundum suas voluntates et cogitationes Hebræi magis permissi sunt facere ista, quam jussi; sed eis Deus permissionem suam per famulum suum Moysen innotescere voluit, quando mandavit ut dicceret. Fieri autem potest ut sint aliæ causæ occultissimæ, cur hoc illi populo divinitus dictum sit : sed divinis imperiis cedendum obtemperando, non resistendum est disputando. Apostolus dixit : *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit* (*Rom.* XI, 34)? Sive ergo ista sit causa, quam dixi, sive alia quælibet in secreta et abdita dispositione Dei lateat, cur hoc per Moysen illi populo dixerit, ut ab Ægyptiis sibi commodanda peterent quæ auferrent; hoc tamen confirmo, nec frustra nec inique dictum esse, nec licuisse Moysen aliter quam Deus dixerat facere, ut penes Dominum esset consilium jubendi, penes famulum autem obsequium peragendi.

CAPUT LXXII. — Sed Deus, inquit, verus et bonus nullo modo talia jussisse credendus est. Imo vero talia recte non jubet, nisi Deus verus et bonus, qui et solus novit quid cuique jubendum sit, et solus neminem quidquam incongruum perpeti sinit. Cæterum ista imperita et falsa bonitas cordis humani contradicat [1] et Christo, ne Deo bono jubente impii mali aliquid patiantur, cum dicturus est Angelis : *Colligite primum zizania, et alligate fasciculos ad comburendum.* Qui tamen hoc ipsum inopportune [2] facere volentes servos prohibuit, dicens : *Ne forte, cum vultis colligere zizania, eradicetis simul et triticum* (*Matth.* XIII, 30, 29). Ita solus Deus verus et bonus novit quid, quando, quibus, per quos fieri aliquid vel jubeat vel permittat. Poterat etiam ista humana, non bonitas, sed plane vanitas [1] eidem Domino contradicere, cum desiderio noxio dæmones in porcos ire volentes patentesque permisit (*Id.* VIII, 31, 32) : præsertim quia Manichæi non solum porcos, verum etiam minuta et abjecta animalia, hominum animas habere crediderunt. Qua vanitate improbata et abjecta, illud tamen constat, Dominum nostrum Jesum Christum Dei unicum Filium, ac per hoc Deum verum et bonum, mortem pecorum alienorum [3], perniciem qualiumcumque animantium, et grave damnum hominum, desiderio dæmonum concessisse. Quis autem dementissimus dixerit quod eos ab hominibus non potuisset excludere, etiamsi eorum noxiæ voluntati nec porcorum exitium præstare voluisset? Porro si spirituum damnatorum et igni æterno jam destinatorum, quamvis sæva et iniqua cupiditas, a Creatore atque ordinatore omnium naturarum, occulto quidem, sed ubique [4] justo moderamine, in id quo se inclinaverat, relaxata est; quid absurdum est, si Ægyptii ab Hebræis, homines inique dominantes ab hominibus liberis, quorum etiam mercedis pro eorum tam duris et injustis laboribus fuerant debitores, rebus terrenis, quibus etiam ritu sacrilego in injuriam Creatoris utebantur, privari meruerunt? Quod tamen si Moyses sua sponte jussisset, aut hoc Hebræi sua sponte fecissent, profecto pecassent : quanquam illi, non quidem hoc faciendo, quod vel jusserat vel permiserat Deus, sed tamen talia fortasse cupiendo peccaverunt. Quod autem hoc facere divina dispensatione permissi sunt, illius judicio justo bonoque permissi sunt, qui novit et pœnis vel coercere improbos, vel erudire subjectos; et præcepta validiora dare sanioribus, et quosdam medicinales gradus infirmioribus ordinare. Moyses vero nec cupiditatis arguendus est in illis rebus desideratis, nec contumaciæ in divinis imperiis quibuscumque contemptis.

CAPUT LXXIII. — Quædam enim facta, lex illa æterna quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, ita medio quodam loco posuit hominibus, ut in eis usurpandis merito reprehendatur audacia, in exsequendis autem obedientia jure laudetur. Tantum interest in ordine naturali, quid a quo agatur, et sub quo quisque agat. Abraham si filium sponte immolaret, quid, nisi horribilis et insanus? Deo autem jubente, quid, nisi fidelis et devotus apparuit (*Gen.* XXII, 10)? Quod usque adeo ipsa veritas clamat, ut ejus voce deterritus Faustus, cum in ipsum Abraham quid diceret, unguibus et dentibus quærens, usque ad calumniosum mendacium perveniret, hoc tamen reprehendere non auderet : nisi forte non ei venirat in mentem [4] factum ita nobile, ut non lectum, nec quæsitum animo occurreret, ut denique tot linguis cantatum, tot locis pictum, et aures et oculos dissimulantis feriret. Quapropter, si in occidendo filio spontaneus motus exsecrabilis, Deo autem jubente

[1] Sola editio Lov., *contradicit.*
[2] Editi, *importune.* Emendantur ex manuscriptis.

[1] Septem Mss., *improbitas.*
[2] Am. Fr. et aliquot Mss., *morte pecorum alienorum.*
[3] Plures Mss., *sed utique.*
[4] Aliquot Mss., *non ei venerit in mentem.*

obsecundans famulatus, non solum inculpabilis, verum etiam laudabilis invenitur; quid Moysen, Fauste, reprehendis, quod exspoliarit Ægyptios? Si te irritat velut humana facientis improbitas, divina terreat jubentis auctoritas. An talia fieri volentem etiam ipsum Deum vituperare paratus es? *Redi* ergo *retro*, *satanas; neque enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (*Matth.* XVI, 23). Atque utinam hoc sicut Petrus audire dignus fuisses, atque id quod in Deo sensu infirmo reprehendis, postea prædicasses; quemadmodum ille glorioso præconio postea gentibus annuntiabat, quod ei primo, cum Dominus vellet fieri, displicebat.

CAPUT LXXIV.— Quamobrem, si jam tandem intelligit humana duritia atque in rebus rectis voluntas prava atque perversa, plurimum interesse, utrum aliquid humana cupiditate vel temeritate admittatur, an Dei pareatur imperio, qui novit quid, quando, quibus permittat aut jubeat, quid cuique facere patique conveniat; nec bella per Moysen gesta miretur aut horreat, quia et in illis divina secutus imperia, non sæviens, sed obediens fuit: nec Deus, cum jubebat ista, sæviebat: sed digna dignis retribuebat, dignosque terrebat [1]. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut domentur [2] in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur; quæ plerumque ut etiam jure puniantur, adversus violentiam resistentium, sive Deo, sive aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur a bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire justa ordo ipse constringit. Alioquin Joannes, cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes, *Et nos quid faciemus?* responderet eis, Arma abjicite, militiam istam deserite; neminem percutite, vulnerate, prosternite [3]. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis; et non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores: respondit eis, *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum* (*Luc.* III, 14). Sed quia Manichæi Joannem aperte blasphemare consueverunt, ipsum Dominum Jesum Christum audiant hoc stipendium jubentem reddi Cæsari, quod Joannes dicit debere sufficere militi. *Reddite*, inquit, *Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt* (*Matth.* XXII, 21). Et ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessario militi stipendium præbeatur. Merito et illius Centurionis dicentis, *Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic, Vade, et vadit; et alii, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit;* fidem laudavit (*Id.* VIII, 9, 10), non illius militiæ desertionem imperavit. Sed de justis quidem injustisque bellis nunc disputare longum est, et non necessarium.

CAPUT LXXV.— Interest enim quibus causis quibusque auctoribus homines gerenda bella suscipiant: ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes Principem sit; exsequendi autem jussa bellica ministerium milites deboant paci salutique communi. Bellum autem quod gerendum Deo auctore suscipitur, recte suscipi, dubitare fas non est, vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad subjugandam mortalium superbiam: quando ne illud quidem quod humana cupiditate geritur, non solum incorruptibili Deo, sed nec sanctis ejus obesse aliquid potest; quibus potius ad exercendam patientiam, et ad humiliandam animam, ferendamque paternam disciplinam etiam prodesse invenitur. Neque enim habet in eos quisquam ullam potestatem, nisi cui data fuerit desuper. Non est enim potestas nisi a Deo (*Rom.* XIII, 1), sive jubente, sive sinente. Cum ergo vir justus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte poscit illo jubente bellare civicæ pacis ordinem servans; cui quod jubetur [1], vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi: quanto magis in administratione bellorum innocentissime diversatur, qui Deo jubente belligerat, quem male aliquid jubere non posse, nemo qui ei servit ignorat

CAPUT LXXVI.— Si autem propterea putant non potuisse Deum bellum gerendum jubere, quia Dominus postea Jesus Christus, *Ego*, inquit, *dico vobis, non resistere adversus malum; sed si quis te percusserit in maxillam tuam dextram, præbe illi et sinistram* (*Matth.* V, 39); intelligant hanc præparationem non esse in corpore, sed in corde: ibi est enim sanctum cubile virtutis, quæ in illis quoque antiquis justis nostris patribus habitavit: sed eam rerum dispensationem ac distributionem temporum ordo poscebat, ut prius appareret etiam ipsa bona terrena, in quibus et humana regna et ex hostibus victoriæ deputantur, propter quæ maxime civitas impiorum diffusa per mundum supplicare idolis et dæmonibus solet, non nisi ad unius Dei veri potestatem atque arbitrium pertinere. Unde et Vetus Testamentum secretum regni cœlorum tempore opportuno aperiendum promissionibus terrenis operuit, et quodam modo umbrosius opacavit. Ubi autem venit plenitudo temporis, ut Novum Testamentum revelaretur, quod figuris Veteris velabatur, evidenti testificatione jam demonstrandum erat, esse aliam vitam pro qua debet hæc vita contemni, et aliud regnum pro quo oportet omnium terrenorum regnorum adversitatum patientissime sustineri. Proinde per quorum confessiones, passiones, et mortes hoc Deo placuit attestari, martyres appellantur, qui latine testes interpretantur: quorum numerus tantus effloruit, ut si eos Christus, qui de

[1] Quidam Mss., *indignosque terrebat.*

[2] Am. Er. et aliquot Mss., *ut dominentur.*

[3] Lugd. et Ven. verbum, *neminem*, ter repetunt, hoc modo, *neminem percutite, neminem vulnerate, neminem prosternite.* M.

[1] In Mss., *cum id quod jubetur.*

cœlo Saulum vocavit, et ex lupo factum ovem, in medium luporum misit (*Act.* IX), congregatos vellet armare atque adjuvare pugnantes, sicut Hebræos patres adjuvit, quæ gentes resisterent? quæ regna non cederent? Sed ut præclarissimum testimonium veritati perhiberetur, qua jam [1] docendum erat, non propter temporalem in hac vita, sed propter æternam post hanc vitam felicitatem Deo esse serviendum, ea quæ vulgo infelicitas dicitur, pro illa felicitate subeunda fuerat et ferenda. Itaque in plenitudine temporum Filius Dei factus ex muliere, factus sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret (*Galat.* IV, 4, 5), factus ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 3), mittit discipulos velut oves in medium luporum, et monet ne timeant eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; promittit etiam ipsius corporis renovandam integritatem usque ad capilli reparationem (*Matth.* X, 16, 28, 30): Petri gladium revocat in vaginam; aurem inimici præcisam reparat ad pristinam formam: dicit se legionibus Angelorum imperare potuisse ad delendos inimicos, nisi calix bibendus esset, quem paterna voluntas dedisset (*Id.* XXVI, 52, 53; *Luc.* XXII, 51, 42, *et Joan.* XVIII, 11); bibit præcedens, propinat sequentibus: virtutem patientiæ suo revelat [2] præcepto, suo confirmat exemplo. *Propter quod Deus illum suscitavit a mortuis, et donavit ei nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 9-11). Regnaverunt hic ergo Patriarchæ et Prophetæ, ut et ista regna Deum dare et auferre ostenderetur: non hic regnaverunt Apostoli et martyres, ut regnum cœlorum desiderandum potius panderetur. Illi reges bella [3] gesserunt, ut tales quoque victorias appareret Dei voluntate præstari: isti non resistendo interfecti sunt, ut potiorem esse docerent victoriam pro fide veritatis occidi. Quanquam et illic Prophetæ noverant mori pro veritate, sicut ipse Dominus dicit, *A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ* (*Matth.* XXIII, 35): et hic posteaquam cœpit [4] impleri, quod sub figura Salomonis (qui latine interpretatur Pacificus) de Domino Christo (ipse est enim pax nostra (*Ephes.* II, 14) in Psalmo prophetatum est, *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi* (*Psal.* LXXI, 11); christiani quoque imperatores plenam gerentes fiduciam pietatis in Christo, de inimicis sacrilegis, qui spem suam in sacramentis idolorum dæmonumque posuerant, gloriosissimam victoriam perceperunt; cum apertissimis notissimisque documentis, de quibus nonnulli jam scriptum memoriæ commendarunt, illos fallerent vaticinia dæmoniorum, hos firmarent prædicta sanctorum.

CAPUT LXXVII. — Si autem hoc mirum istis vanis videtur, quod aliud tunc Deus præcepit dispensatoribus Veteris Testamenti ubi Novi gratia velabatur, aliud prædicatoribus Novi Testamenti ubi Veteris obscuritas revelatur, attendant ipsum Dominum Christum mutantem quæ dixerat, et aliud dicentem: *Quando misi vos*, inquit, *sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil. Dicit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter et peram; et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.* Isti certe si ista diversa in Testamentis singulis invenirent, Vetere et Novo, etiam ex hoc clamarent, duo sibi Testamenta esse contraria. Quid ergo nunc respondebunt, cum idem ipse dicit, Antea *misi vos sine sacculo et pera et calceamentis*, et nihil *vobis defuit: nunc* autem *qui habet sacculum, tollat, similiter et peram; et qui habet tunicam, vendat et emat gladium?* Jamne intelligunt quemadmodum nulla inconstantia præcipientis, sed ratione dispensantis, pro temporum diversitate, præcepta, vel consilia, vel permissa mutentur? Nam si dicunt certi mysterii gratia hoc de tollendo sacculo et pera et emendo gladio locutum fuisse, cur non admittunt certi mysterii gratia eumdem unum Deum tunc Prophetas gerere bella jussisse, nunc Apostolos prohibuisse? Neque enim in eo quod ex Evangelio commemoravimus, verba tantum Domini fuerunt: sed et obtemperantium quoque discipulorum facta secuta sunt. Nam et tunc sine sacculo et pera ierunt, et nihil eis defuit; sicut ejus interrogatio et eorum responsio declaravit. Et nunc dixerunt ei, cum de gladio emendo jussisset, *Ecce sunt hic duo gladii.* Et ille respondit, *Sufficit.* Hinc et Petrus armatus inventus est, cum aurem persecutoris abscidit: ubi spontanea ejus coerceretur audacia (*Luc.* XXII, 35, 36, 38, 50, 51); quia non ut jussus fuerat ferrum tollere, ita jussus fuerat et ferire. Latebat certe Domini voluntas, cur arma portari præcepisset, quibus eos uti noluisset. Verumtamen ad illum cum ratione præcipere, ad istos autem sine retractatione præcepta facere pertinebat.

CAPUT LXXVIII. — Calumniosa ergo imperitia Moyses reprehenditur quod bella gesserit, qui minus reprehendi debuit, si sua sponte gereret, quam si Deo jubente non gereret: ipsum vero Deum, quod talia jusserit, audere reprehendere, vel Deum justum et bonum talia jubere potuisse non credere, hominis est, ut mitius loquar, cogitare non valentis divinæ providentiæ per cuncta summa atque ima tendenti nec novum esse quod oritur, nec perire quod moritur; sed in suo singula quæque ordine sive naturarum sive meritorum vel cedere, vel succedere, vel manere: hominum autem rectam voluntatem divinæ legi conjungi, inordinatam vero cupiditatem divinæ legis ordine coerceri; ut nec bonus aliud quam præcipitur velit, nec malus amplius quam permittitur possit; ita sane, ut non impune possit quod injuste voluerit. Ac per hoc in omnibus quæ humana infirmitas horret aut timet, sola iniquitas jure damnatur: cætera sunt vel tributa naturarum, vel merita culparum. Fit au-

[1] Nonnulli codices, *quia jam.*
[2] Am. Er. et Cisterciensis codex, *relevat.*
[3] Am. et Er., *Illi regi bella.* Nonnulli Mss., *Illi regum bella.*
[4] Editio Lov., *Quanquam et illi... Et ideo postea quam cœpit.* Castigatur ex Mss.

tem homo iniquus, cum propter se ipsas diligit res propter aliud assumendas, et propter aliud appetit res propter se ipsas diligendas. Sic enim, quantum in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, quem lex æterna conservari jubet. Fit autem homo justus, cum ob aliud non appetit rebus uti, nisi propter quod divinitus institutæ sunt; ipso autem Deo frui propter ipsum, seque et amico in ipso Deo propter eumdem ipsum Deum. Propter Deum enim amat amicum, qui Dei amorem amat in amico. Sive autem iniquitas, sive justitia, nisi esset in voluntate, non esset in potestate. Porro si in potestate non esset, nullum præmium, nulla pœna justa esset: quod nemo sapit, nisi qui desipit. Ignorantia vero et infirmitas, ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit possit, ex occulto pœnarum ordine venit, et illis inscrutabilibus judiciis Dei, apud quem non est iniquitas (*Rom.* IX, 14). Proditum est enim nobis peccatum Adam fideli eloquio Dei; et quia in illo omnes moriuntur, et quia per illum peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors, veraciter scriptum est (*Id.* V, 12-19). Et quia ex hac pœna corpus corrumpitur et aggravat animam, et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15), verissimum nobisque notissimum est: et quia de hac justa pœna non liberat nisi misericors gratia, certum est. Et hinc Apostolus gemebundus exclamat: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 24, 25). Sed quæ sit distributio judicantis et miserentis Dei, cur alius sic, alius autem sic; occultis fit causis, justis tamen. Non tamen ideo nescimus omnia ista judicio aut misericordia Dei fieri, licet in abdito positis mensuris et numeris et ponderibus, quibus omnia disponuntur a Deo creatore omnium quæ naturaliter sunt (*Sap.* XI, 21); nec auctore, sed tamen ordinatore etiam peccatorum; ut ea quæ peccata non essent, nisi contra naturam essent, sic judicentur et ordinentur, ne universitatis naturam turbare vel turpare permittantur, meritorum suorum locis et conditionibus deputata. Quæ cum ita sint, et cum per hoc secretum judiciorum Dei motusque humanarum voluntatum eisdem prosperitatibus alii corrumpantur, alii temperanter utantur; et eisdem adversitatibus alii deficiant, alii proficiant; cumque ipsa humana mortalisque vita tentatio sit super terram (*Job* VII, 1): quis hominum novit cui prosit aut obsit in pace regnare vel servire, vel vacare, vel mori; in bello autem vel imperare, vel pugnare, vel vincere, vel occidi? cum hoc tamen constet, et cui prodest, non nisi per divinum prodesse beneficium; et cui obest, non nisi per divinum obesse judicium.

CAPUT LXXIX. — Quid ergo insilimus in temerarias reprehensiones, atque utinam hominum, et non Dei? Servierint dispensatores Veteris Testamenti, iidemque prænuntiatores Novi Testamenti, peccatores occidendo; servierint dispensatores Novi Testamenti, iidemque expositores Veteris Testamenti, a peccatoribus moriendo: Deo tamen uni utrique servierunt, per diversa et congrua tempora docenti bona temporalia et a se petenda et propter se contemnenda, molestias temporales et a se posse imperari[1] et propter se debere tolerari. Quid ergo crudele Moyses aut mandavit aut fecit, cum commissum sibi populum sancte zelans et uni vero Deo[2] subditum cupiens, posteaquam cognovit ad fabricandum et colendum idolum defluxisse mentemque impudicam prostituisse dæmonibus, in paucos eorum vindicans gladio, quos Deus ipse quem offenderant, alto et secreto judicio feriendos voluisset mox feriri[3], et in præsenti salubriter terruit, et disciplinam in posterum sanxit? Nam cum nulla crudelitate, sed magna dilectione fecisse quod fecit, quis non in verbis ejus agnoscat orantis pro peccato eorum, et dicentis: *Si dimittis illis peccatum, dimitte; sin autem, dele me de libro tuo* (*Exod.* XXXII)? Comparans ergo unusquisque pie prudens illam cædem et hanc precem, videt profecto apertissime, videt quantum malum sit animæ per simulacra dæmonum fornicari, quando sic sævit qui sic amat. Sic plane et Apostolus, non crudeliter, sed amabiliter tradidit hominem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu (I *Cor.* V, 5). Tradidit et alios, ut discerent non blasphemare (I *Tim.* I, 20). Legunt scripturas apocryphas Manichæi, a nescio quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas: quæ suorum scriptorum temporibus in auctoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti et docti homines, qui tunc in hac vita erant et examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent. Ibi tamen legunt apostolum Thomam, cum esset in quodam nuptiarum convivio peregrinus et prorsus incognitus, a quodam ministro palma percussum, imprecatum fuisse homini continuam sævamque vindictam. Nam cum egressus fuisset ad fontem, unde aquam convivantibus ministraret, eum leo irruens interemit, manumque ejus, qua caput Apostoli levi ictu percusserat, a corpore avulsam, secundum verbum ejusdem apostoli id optantis atque imprecantis, canis intulit mensis, in quibus ipse discumbebat Apostolus. Quid hoc videri crudelius potest? Verum quia ibi, nisi tamen fallor, hoc etiam scriptum est, quod ei veniam in sæculo futuro petiverit, facta est compensatio beneficii majoris; ut et Apostolus quam charus Deo esset, per hunc timorem commendaretur ignotis, et illi post hanc vitam quandoque finiendam in æternum consuleretur. Utrum illa vera sit aut conficta narratio, nihil mea nunc interest. Certe enim Manichæi, a quibus illæ scripturæ, quas Canon ecclesiasticus respuit, tanquam veræ atque sinceræ acceptantur, saltem hinc coguntur fateri, virtutem illam patientiæ, quam docet Dominus, dicens, *Si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, præbe*

[1] Editi, *impetrari*. At Mss., *imperari*: excepto uno Corbeiensi, qui habet, *temperari*.
[2] Corbeiensis codex, *et uni viro Deo*.
[3] In Mss. plerisque, *voluisset inferri*; omissa particula, *mox*. In Corbeiensi autem libro, *voluisset auferri*.

illi et sinistram (*Matth.* v, 39), posse esse in præparatione cordis, etiamsi non exhibeatur gestu corporis, et expressione verborum : quandoquidem Apostolus palma percussus, potius Deum rogavit ut injurioso homini in futuro sæculo parceretur, in præsenti autem illa injuria non inulta relinqueretur, quam vel præbuit ferienti alteram partem, aut ut iterum feriret admonuit. Tenebat certe interius dilectionis affectum, et exterius requirebat correctionis exemplum. Sive hoc verum sit, sive confictum, cur nolunt credere tali animo famulum Dei Moysen idoli fabricatores et adoratores gladio prostravisse ; cum et in ejus verbis satis appareat, ita hujusmodi peccato eum veniam deprecatum, ut nisi impetraret, deleri se vellet de libro Dei ? Et quid simile, ignotus homo palma percussus ; et Deus ex Ægypti servitute liberans, per divisum mare trajiciens, fluctibus persequentes inimicos operiens, idolo sibi præjato derelictus atque contemptus ? Si autem pœnas ipsas comparemus, quid simile ferro interimi ; et a feris trucidari atque laniari ? quandoquidem judices publicis legibus servientes, majoris criminis reos bestiis subrigi, quam gladio percuti jubent.

CAPUT LXXX. — Restat in maledicis et sacrilegis reprehensionibus Fausti, quibus nunc respondeo, quod locutus Dominus ad Osee prophetam dixit : *Accipe tibi uxorem fornicariam, et fac filios de fornicaria* (*Osee.* i, 2). In qua Scriptura sic excæcatum est immundum cor eorum, ut nec apertissima verba evangelica intelligant Domini dicentis ad Judæos : *Meretrices et publicani præcedent vos in regno cœlorum* (*Matth.* xxi, 31). Quid enim adversum clementiæ veritatis, quid inimicum fidei christianæ, si meretrix relicta fornicatione, in castum conjugium commutetur ? Et quid tam incongruum et alienum a fide Prophetæ, quam si non crederet omnia peccata impudicæ dimissa esse in melius commutatæ ? Itaque cum meretricem Propheta fecit uxorem, et ad vitam corrigendam mulieri consultum est, et figuræ sacramentum, de quo mox loquemur, expressum. Sed quis non videat in hoc facto quid potius Manichæorum offendat errorem ? Scilicet, quia solent dare operam meretrices ne gravidæ fiant. Proinde istis fornicaria magis permanens placebat ut deum ipsorum non ligaret, quam unius viri facta uxor ut pareret.

CAPUT LXXXI. — De Salomone autem quid dicam, nisi quia gravius ipsius fidelis et sanctæ Scripturæ testimonio redarguitur, quam petulantibus et nugacibus Fausti conviciis ? Illa enim de illo et quid boni prius habuisset, et quid mali faciendo, bonum in quo primum fuerat, reliquisset, veraciter fideliterque locuta est (III *Reg.* iii, xi, *et Eccli.* xlvii) : iste autem oculis clausis, vel potius exstinctis, non quo lumine manifestante ducebatur, ibat ; sed quo malevolentia præcipitante ferebatur, irruebat. Hoc ipso enim magis insinuaverunt sancti Libri religiosis lectoribus et electoribus [1] suis, quam caste habuerint sancti viri plures uxores ; quod Salomon, qui eas non illo modo, sed magis ad libidinem quam ad propaginem habuit, improbatus est et reprehensus his verbis, ut appellaretur amator mulierum ; et inde ad profundum idololatriæ lapsus atque demersus, eadem veritate personam nullius acceptante proderetur.

CAPUT LXXXII. — Nunc ergo jam pertractatis personis omnibus, per quas Faustus putavit scripturas Veteris Testamenti esse culpandas, redditoque suo cuique sermone congruo, quo vel defensi sunt homines Dei adversus hæreticorum carnaliumque calumnias, vel reprehensis hominibus, tamen Scriptura laudabilis venerabilisque monstrata est : videamus deinceps ex ordine, quo eos homines Faustus accusando commemoravit, quid etiam significent ipsa facta hominum, quid prophetiæ gerant, quæ futura prænuntient : quod jam fecimus de Abraham et Isaac et Jacob, quorum se Deus ita dici voluit (*Exod.* iii, 15), tanquam solorum esset Deus, qui Deus est universæ creaturæ : non frustra utique tantum eis tribuens honorem, nisi quia noverat in eis, quod solus etiam perfecte summeque nosse poterat, sinceram præcipuamque charitatem : et quia in eis tribus Patribus quodam modo consummavit magnum ac mirabile sacramentum futuri populi sui, quod per liberas genuerunt, non solum in libertatem, sicut per Saram (*Gen.* xxi, 1, 2) et Rebeccam (*Id.* xxv, 21) et Liam et Rachel (*Id.* xxix *et* xxx) ; verum etiam in servitutem, sicut per eamdem Rebeccam natus est Esau, cui dictum est, *Eris servus fratris tui* (*Id.* xxvii, 40) : et per ancillas non solum in servitutem, sicut per Agar (*Id.* xvi, 15) ; verum etiam in libertatem, sicut per Balam et Zelpham (*Id.* xxx). Ita enim et in populo Dei et per spirituales liberos [1] nascuntur non solum in laudabilem libertatem, quemadmodum illi quibus dicitur, *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* iv, 16) ; verum etiam in damnabilem servitutem, sicut per Philippum Simon (*Act.* viii, 13) : et per carnales servos, nascuntur non solum in damnabilem servitutem, qui eos imitantur ; verum etiam in laudabilem libertatem, quibus dicitur, *Quæ dicunt, facite ; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* xxiii, 3). Hoc magnum sacramentum quisquis in Dei populo prudenter agnoverit, unitatem Spiritus in vinculo pacis usque in finem quibusdam cohærendo, quosdam tolerando custodit. Fecimus hoc et de Loth ; quid ejus laudandum, quid culpandum Scriptura narraverit, quid intelligendum de tota illa re gesta significaverit (*Gen.* xix), demonstrantes.

CAPUT LXXXIII. — Sequitur ut Judæ factum consideremus, quod cum sua nuru concubuit (*Id.* xxxviii), quid significaverit futurorum. Sed prius præloquendum est, ne quemquam parvæ considerationis offendat [2], quod de quibusdam malis operibus hominum in Scripturis sanctis, quædam non mala, sed bona

[1] Quidam Mss., *et dilectoribus.*

[1] Lov., *et per spirituales viros.* Melius editi alii et Mss., *et per spirituales liberos* ; ut sit antithesis ad illud quod postea dicitur, *et per carnales servos.*

[2] Sic Am. Er. et plerique Mss. At Lov., *præter consideratione.*

futura significantur. Servat enim ubique divina providentia virtutem bonitatis suæ, ut quemadmodum ex adulterorum concubitu formatur et nascitur homo, de hominum opere malo bonum opus Dei, sicut in præcedenti sermone jam diximus (*Supra, cap.* 48), de fecunditate seminum, non de turpitudine vitiorum ; ita in Scripturis propheticis, non tantum bona hominum, verum etiam et mala facta narrantibus, quoniam prophetica est ipsa narratio, significetur aliquid de malis operibus hominum etiam futurorum bonorum, non peccantis opere, sed scribentis. Neque enim Judas, cum ad Thamar concupiscentia victus intraret, hanc suæ libidinis intentionem gerebat, ut inde aliquid significaretur, quod ad salutem hominum pertineret : sicut nec Judas ille qui Dominum tradidit, hoc intendit, ut aliquid inde gereretur, quod ad eamdem salutem hominum pertineret. Porro, si de tam malo opere Judæ illius tam bonum opus Dominus fecit, ut ejusdem suæ passionis sanguine nos redimeret ; quid mirum si Propheta ejus, de quo ipse ait, *De me enim ille scripsit* (*Joan.* v, 46), ex malo facto Judæ istius, boni aliquid significavit, ut suo ministerio nos doceret ? Ea quippe hominum facta, sancto Spiritu disponente atque inspirante, collegit Propheta narrator, quorum interpositio non vacaret a præsignatione rerum quas intenderat prophetare : ad significanda autem aliqua bona, nihil interest, facta illa quibus ea significantur, seu bona, seu mala sint. Quid enim mea interest, cum volo aliquid legendo cognoscere, utrum ex minio reperiam scriptos nigros Æthiopes, et ex atramento candidos Gallos ? Verumtamen si, non scripturam, sed picturam talem viderem, sine dubitatione reprehenderem. Ita in factis hominum, quæ ad imitandum vitandumve proponuntur, magni interest bonane an mala sint : quæ autem ad significandum scribuntur, sive dicuntur, nihil refert in moribus facientium, quam laudem reprehensionemve mereantur, si modo habent aliquam rei, de qua agitur, necessariam præfigurandi congruentiam. Sicut enim Caiphæ in Evangelio, quantum ad ejus noxium perniciosumque animum pertinebat, quantum denique ad ipsa verba, si in eis voluntatem dicentis attendas, quibus agebat ut justus injuste necaretur, utique mala erant : tamen magnum bonum illo nesciente significabant, quando ait, *Expedit ut unus moriatur homo, et non tota gens pereat* : dictumque de illo est, *Hoc autem a se non dixit, sed cum esset pontifex, prophetavit quia oportebat Jesum mori pro gente* (*Id.* xi, 50, 51). Ita factum Judæ secundum illius libidinem malum fuit, sed illo nesciente magnum bonum significavit : a se ipso quippe malum fecit, sed non a se ipso bonum significavit. Hoc autem, quod necessario præloquendum putavi, non ad hoc tantummodo Judæ factum, sed etiam ad cætera valeat, si qua occurrerint mala opera hominum, quibus bonum aliquid a narrante prophetatum est.

CAPUT LXXXIV. — In Thamar ergo nuru Judæ intelligitur plebs regni Judæorum, cui de tribu Juda reges tanquam mariti adhibebantur : merito nomen ejus Amaritudo interpretatur ; ipsa enim Domino felis poculum dedit (*Matth.* xxvii, 34). Duo autem genera principum qui non recte operabantur in plebe, unum eorum qui oberant, alterum eorum qui nihil proderant, significantur in duobus filiis Judæ : quorum unus erat malignus vel sævus ante Dominum, alter in terram fundebat, ne semen daret ad fecundandam Thamar. Nec sunt amplius quam duo genera hominum inutilia generi humano : unum nocentium, alterum præstare nolentium et si quid boni habent in hac terrena vita perdentium, tanquam in terram fundentium. Et quoniam in malo prior est qui nocet, quam ille qui non prodest, ideo major dicitur malignus ; ille autem sequens, qui fundebat in terram. Nomen quoque majoris, qui vocabatur Her, interpretatur Pellicius, qualibus tunicis induti sunt primi homines in pœnam damnationis suæ dimissi ex paradiso (*Gen.* iii, 21) ; sequentis nomen qui vocabatur Aynan, interpretatur Mœror eorum : quorum, nisi quibus nihil prodest, cum habeat unde prodesse possit, atque id perdat in terra ? Majus porro malum est ablatæ vitæ, quod significat pellicius, quam non adjutæ, quod significat mœror eorum : Deus tamen ambos occidisse dictus est, ubi figuratur regnum talibus hominibus abstulisse. Tertius vero filius Judæ, quod illi mulieri non jungitur, significat tempus ex quo reges plebi Judæorum cœperunt de tribu Juda non fieri : et ideo erat quidem filius Judæ, sed cum maritum Thamar non accipiebat ; quia erat eadem tribus Juda, sed jam populo inde nemo regnabat. Unde et nomen ejus, id est, Selom, interpretatur Dimissio ejus. Non pertinent sane ad hanc significationem viri sancti et justi, qui licet illo tempore fuerint, ad Novum tamen pertinent Testamentum, cui prophetando scienter utiles fuerunt, qualis David fuit. Eo sane tempore, quo jam Judæa cœperat reges ex tribu Juda non habere, non est computandus Herodes major in regibus ejus, tanquam maritus Thamar : erat enim alienigena, nec ei sacramento illo mysticæ unctionis tanquam conjugali fœdere cohærebat ; sed tanquam extraneus dominabatur, quam potestatem a Romanis et a Cæsare acceperat. Sic et ejus filii tetrarchæ, quorum erat unus Herodes patris nomine appellatus, qui cum Pilato in passione Domini concordavit (*Luc.* xxiii, 12) : isti ergo alienigenæ usque adeo non deputabantur in regno illo mystico Judæorum, ut ipsi Judæi publice clamarent, frendentes adversum Christum, *Nos non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* xix, 15). Neque hoc verum, nisi illa universali dominatione Romanorum : quippe etiam Cæsar rex erat non proprie Judæorum ; sed ut Christum negarent, et huic adularent, ideo se tali voce damnarunt.

CAPUT LXXXV. — Illo ergo tempore, quo jam de tribu Judæ regnum defecerat, veniendum erat Christo vero Salvatori Domino nostro, qui non obesset, multumque prodesset. Sic enim fuerat prophetatum : *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est : et ipse*

exspectatio gentium (*Gen.* XLIX, 10). Jam isto tempore omne quoque magisterium Judæorum, et mystica, unde christi vocabantur, unctio ipsa defecerat secundum prophetiam Danielis. Tunc venit cui repositum erat, exspectatio gentium, et unctus est Sanctus sanctorum (*Dan.* IX, 24-27) oleo exsultationis præ participibus suis (*Psal.* XLIV, 8). Natus est enim Herodis majoris tempore (*Matth.* II, 1), passus est autem minoris Herodis tetrarchæ [1] (*Luc.* XXIII, 7, 46). Hujus itaque venientis ad oves quæ perierant domus Israel (*Matth.* XV, 24), figuram gessit ipse Judas cum iret ad tondendas oves suas in Thamna, quod interpretatur Deficiens. Jam enim defecerat princeps ex Juda, et omne magisterium atque unctio Judæorum, ut veniret cui repositum erat. Venit autem cum suo pastore Odollamite, cui nomen erat Iras; et interpretatur Odollamites, Testimonium in aqua. Cum hoc plane testimonio Dominus venit, habens quidem testimonium majus Joanne (*Joan.* V, 36); sed tamen propter oves infirmas hoc testimonio est usus in aqua. Nam et ipse Iras, quod nomen illius pastoris fuit, interpretatur Fratris mei visio. Vidit omnino fratrem suum Joannes, fratrem secundum semen Abrahæ, secundum cognationem Mariæ matris ejus et Elisabeth matris suæ; eumdemque Dominum et Deum suum, quia, sicut ipse ait, ex plenitudine ejus accepit (*Id.* I, 16). Vidit omnino, et ideo in natis mulierum major illo non exsurrexit (*Matth.* XI, 11) : quia ex omnibus prænuntiantibus Christum, ipse vidit quod multi justi et Prophetæ cupierunt videre, et non viderunt (*Id.* XIII, 17). Salutavit ex utero (*Luc.* I, 44); agnovit perfectius ex columba, et ideo tanquam Odollamites vere testimonium perhibuit in aqua (*Id.* III, 21, 22). Venit autem Dominus ad oves tondendas, hoc est, exonerandas sarcinis laboriosis, ex quibus Ecclesiæ laudatæ in Canticis canticorum dentes essent velut grex detonsarum (*Cant.* IV, 2).

CAPUT LXXXVI. — Jam Thamar habitum mutet; nam et Commutans interpretatur Thamar : sed in ea prorsus nomen amaritudinis maneat; non illius amaritudinis in qua Domino fel ministravit, sed illius in qua Petrus amare flevit (*Matth.* XXVI, 75). Nam et Judas latine Confessio est. Confessioni ergo amaritudo misceatur, ut vera pœnitentia præsignetur. Hac pœnitentia fecundatur Ecclesia in omnibus gentibus constituta. *Oportebat* enim *Christum pati, et resurgere tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV, 46, 47). Nam et ipse habitus meretricius, confessio peccatorum est. Typum quippe jam Ecclesiæ gerit Thamar, ex Gentibus evocatæ, sedens cum hoc habitu ad portam Ænan, vel Ænaim, quod interpretatur Fontes. Cucurrit enim velut cervus ad fontes aquarum, pervenire ad semen Abrahæ : illic a non agnoscente fetatur, quia de illa prædictum est, *Populus quem non cognovi, servivit mihi* (*Psal.* XVII, 45). Accepit in occulto annulum, monile, et virgam : vocatione signatur, justificatione decoratur, glorificatione exaltatur. *Quos* enim *prædestinavit, illos et vocavit : quos autem vocavit, illos et justificavit : et quos justificavit, illos et glorificavit* (*Rom.* VIII, 30). Sed hæc, ut dixi, adhuc in occulto, ubi fit et conceptio sanctæ ubertatis. Mittitur autem promissus hædus tanquam meretrici, hædus exprobratio peccati; per eumdem Odollamitem, tanquam increpantem et dicentem, *Generatio viperarum* (*Matth.* III, 7). Sed non eam invenit peccati exprobratio, quam mutavit confessionis amaritudo. Post vero jam publicatis signis [1], annuli, monilis, et virgæ, vicit temere judicantes Judæos, quorum jam personam Judas ipse gestabat, qui hodieque dicunt non hunc esse populum Christi, nec habere nos semen Abrahæ : sed prolatis certissimis documentis nostræ vocationis, justificationis, glorificationis, sine dubio confundentur, et nos magis quam se justificatos esse fatebuntur. Enucleatius hæc et membratim quodam modo articulatimque scrutarer atque dissererem, quantum intentionem meam Dominus adjuvaret, nisi me ab hac laboriosiore diligentia, finiendi hujus operis, quod plus quam vellem jam prolixum est, cura prohiberet.

CAPUT LXXXVII. — Nunc peccatum David (II *Reg.* XI), quid in prophetia significaverit, quanta possum brevitate perstringam. Nomina quippe ipsa interpretata satis ostendunt quid etiam hoc factum præfiguraverit. David interpretatur Manu fortis, sive Desiderabilis : et quid fortius Leone illo de tribu Juda, qui vicit mundum (*Apoc.* V, 5)? et quid desiderabilius illo, de quo propheta dicit, *Veniet desideratus omnibus gentibus* (*Aggæi* II, 8)? Bersabee interpretatur Puteus satietatis, sive Puteus septimus : quamlibet autem harum nominis hujus interpretationum in id quod dicere intendimus, assumamus, satis congruit. Nam et in Canticis canticorum sponsa illa Ecclesia est, quæ vocatur *puteus aquæ vivæ* (*Cant.* IV, 15) : et huic puteo septenarii numeri nomen in Spiritus sancti significatione conjungitur; propter rationem Pentecostes, quo die de cœlo missus Spiritus sanctus venit (*Act.* II, 1-4). De septimanis enim constare eumdem festum diem, Tobiæ quoque Scriptura testatur (*Tob.* II, *sec.* LXX). Ad quadraginta novem autem, quod est septies septem, unum additur, quo unitas commendatur. In hac ratione vivit apostolica illa sententia : *Sufferentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 2, 3). Dono itaque spirituali, hoc est septenario, facta est Ecclesia puteus satietatis : quia factus est in ea *fons aquæ salientis in vitam æternam*, quam qui habuerit [2], *non sitiet in æternum* (*Joan.* IV, 14, 15). Urias vero qui fuerat maritus ejus, quid aliud quam diabolum nominis sui interpretatione significat? Cujus erant pessimo conjugio deligati omnes quos gratia Dei liberat,

[1] Am. Fr. et plures Mss., *tetrarchin.*

[1] Sic nonnulli Mss. cum Am. et Er. At Lov., *publicis signis.*

[2] Er. et Mss., *quem qui habuerit.* Refertur ad *fontem.*

ut Ecclesia sine macula et ruga Salvatori proprio copuletur (*Ephes.* v, 27). Urias namque interpretatur Lux mea Dei : Chettæus [1] autem, Abscisus, sive quod in veritate non stetit (*Joan.* viii, 44), sed a luce sua superna, quam de Deo habebat, superbiæ merito abscisus est; sive quod cadendo veris viribus perditis, transfigurat se tamen in angelum lucis (II *Cor.* xi, 14), audens adhuc dicere, Lux mea Dei est. Ergo iste quidem David graviter sceleratèque peccavit; quod scelus ejus etiam per prophetam Deus arguit increpando, et ipse abluit pœnitendo : verumtamen ille desiderabilis omnibus gentibus, adamavit Ecclesiam super tectum se lavantem, id est, mundantem se a sordibus sæculi, et domum luteam spirituali contemplatione transcendentem atque calcantem; et inchoata cum illa primæ conventionis notitia, post ab ea penitus separatum diabolum occidit, eamque sibi perpetuo connubio copulavit. Oderimus ergo peccatum, sed prophetiam non exstinguamus : amemus illum David quantum amandus est, qui nos a diabolo per misericordiam liberavit; amemus et istum David, qui tam grave in se vulnus iniquitatis pœnitentiæ humilitate sanavit.

CAPUT LXXXVIII. — Jam de Salomone quid dicam, quem vehementer arguit sancta Scriptura atque condemnat (III *Reg.* xi), nihilque de pœnitentia ejus vel in eum indulgentia Dei omnino commemorat? Nec mihi prorsus occurrit, quid saltem in allegoria boni significet hæc ejus flenda subversio; nisi forte quis dicat mulieres alienigenas, quarum amore exarserat, significare Ecclesias electas de Gentibus. Posset hoc fortasse non absurde intelligi, si illæ propter Salomonem desererent deos suos, et colerent Deum ejus : cum vero ipse propter illas offendit Deum suum, et coluit deos earum, non est quid inde boni conjectare possimus. Nec tamen nihil arbitror significare; sed malum, sicut de uxore filiabusque Loth diximus. Apparet enim in persona hujus Salomonis et mira excellentia, et mira subversio. Quod igitur in illo diversis temporibus exstitit, prius bonum, et posterius malum, hoc in Ecclesia in isto adhuc sæculo simul uno tempore ostenditur. Nam bono illius, bonos Ecclesiæ; malo autem illius, malos Ecclesiæ significatos puto : tanquàm in unitate unius areæ, sicut in illo uno homine, bonos in granis, malos in palea; ut in unitate unius segetis, bonos in tritico, malos in zizaniis (*Matth.* iii, 12, *et* xiii, 30). Si quid hinc sane his quæ de illo scripta sunt diligentius pertractatis, sivi mihi, sive doctioribus atque melioribus, aliud probabilius elucere potuerit, nunc tamen non eam rem ita dimisimus, ut intentionem nostram in alia properantem, tanquam interrupta series contextionis impediat.

CAPUT LXXXIX.— De Osee autem propheta, non a me opus est dici quid illa jussio factumve significet, quod dixit Dominus ad Osee, *Vade, et accipe tibi uxorem fornicationis, et fac filios de fornicatione;* cum satis hoc ipsa Scriptura demonstret unde et quare sit dictum. Sequitur enim : *Quoniam fornicans fornicatur terra a Domino. Et abiit, et accepit Gomer filiam Debelaim; et concepit, et peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum : Voca nomen ejus Jezrahel; quoniam adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Juda, et quiescere faciam et avertam regnum domus Israel. Et erit, in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrahel. Et concepit adhuc, et peperit filiam. Et dixit ei Dominus : Voca nomen ejus, Absque misericordia : quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum; et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo, et non salvabo eos in arcu, et in gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus. Et ablactavit eam quæ erat absque misericordia, et concepit, et peperit filium. Et dixit ei Dominus : Voca nomen ejus, Non populus meus; quia vos non populus meus, et ego non ero vester Deus. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur; et erit in loco, ubi dictum est eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei vivi. Et congregabuntur filii Juda et filii Israel, et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra, quia magnus dies Jezrahel. Dicite fratribus vestris, Populus meus : et sorori vestræ, Misericordiam consecuta* (*Osee* i, 2, ii, 1). Cum ergo jussi et facti hujus figuram ipse Dominus per eamdem Scripturam evidenter aperiat, cumque apostolicæ Litteræ hanc prophetiam completam in Novi Testamenti prædicatione testentur : quis est qui audeat dicere, non propterea jussum et factum, propter quod se jussisse et Prophetam fecisse, ipse in sanctis Litteris qui jussit exponit? Ait enim Apostolus Paulus : *Ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam; quos et vocavit nos, non solum ex Judæis, verum etiam ex Gentibus : sicut et Osee dicit, Vocabo Non plebem meam, plebem meam; et Non dilectam, dilectam : et erit in loco, ubi dictum est eis, Non Populus meus vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi* (*Rom.* ix, 23 26). Hoc ergo de Gentibus prophetatum Paulus ostendit. Unde et Petrus scribens ad Gentes, Propheta quidem ipso non nominato, prophetiam tamen ejus verbis suis inserit, dicens : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quo virtutes ejus annuntietis, qui de tenebris vos vocavit in illud admirabile lumen suum : qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; quorum aliquando non misertus est, nunc autem miseretur* (I *Petr.* ii, 9, 10). Hinc evidenter apparet, quod per Prophetam dictum est, *Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur;* et quod consequenter adjunctum est, *Et erit in loco, ubi dictum est eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei vivi :* non omnino de illo Israel esse dictum, qui est secundum carnem; sed de illo de quo Apostolus Gentibus dicit, *Vos ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes* (*Galat.* iii, 29). Sed quoniam et de illo Judæorum [1] multi crediderunt et crediturі sunt

[1] Lov., *Hethæus.* At Mss., *Chettæus,* uti scriptum est apud LXX, aut, *Cethæus,* ut apud Am. et Er.

[1] Er. et Lov., *de illa Judæa.* At Mss., *de illo Judæorum :*

(nam inde erant et Apostoli, inde tot millia quæ in Jerusalem Apostolis sociata sunt [*Act.* II, 41, *et* IV, 4], inde Ecclesiæ de quibus ad Galatas dicit, *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ quæ sunt in Christo* [*Galat.* I, 22] : unde et lapidem angularem in Psalmis appellatum Dominum [*Psal.* CXVII, 22] sic interpretatur, quod duos parietes in se ipso conjunxerit, circumcisionis videlicet et præputii, *ut duos conderet in se unum novum hominem, faciens pacem, et commutaret utrosque in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso, et veniens evangelizaret pacem iis qui longe et iis qui prope*, id est, Gentibus longe et Judæis prope; *ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum* [*Ephes.* II, 11-22]); merito et iste propheta, filios Juda ponens pro Judæis, et filios Israel pro Gentibus, *Et congregabuntur*, inquit, *filii Juda et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra.* Huic itaque prophetiæ tam manifeste ipso rerum effectu declaratæ, quisquis contradicit, non solum propheticis, verum etiam apostolicis Litteris; nec solum quibuslibet litteris, verum etiam rebus impletis et clarissima luce perfusis, impudentissime contradicit. Aliquid ergo fortassis diligentioris requirebat intentionis Judæ factum, ut hæc fornicaria, quæ significat Ecclesiam de gentilium superstitionum prostitutione collectam, in habitu mulieris illius quæ Thamar appellata est, posset agnosci : hic autem cum ipsa Scriptura se aperiat, cumque Apostolorum consonantibus Litteris illustretur, quid hic ulterius immoramur, ac non jam videmus quod restat de famulo Dei Moyse, quid etiam ipsa significent quæ Faustus objecit?

CAPUT XC.—Quod enim fratrem defendens, occidit Ægyptium, cuivis facillime occurrit, injuriosum nobis in hac peregrinatione diabolum a Domino Christo nobis defensis occidi. Quod vero in arena obruit interemptum (*Exod.* II, 12), manifestum est ejus jam morticinam præsentiam in eis latere, qui non habent stabile fundamentum. Unde Ecclesiam Dominus super petram ædificat; et eos qui audiunt verbum ejus et faciunt, comparat prudenti viro qui ædificat domum suam super petram, ne tentationibus cedat et corruat : illos autem qui audiunt, et non faciunt, comparat stulto ædificanti super arenam, cujus tentata domus, ruina fit magna (*Matth.* VII, 24-27).

CAPUT XCI.—Quod vero exspoliavit Ægyptios jussu Domini Dei sui (*Exod.* III, 22, XI, 2, *et* XII, 35, 36), nihil nisi justissime jubentis, quid præfiguraverit, jam in quibusdam libris, quos de Doctrina Christiana prænotavi, quantum mihi tunc occurrit, me recolo posuisse (*Lib.* 2, *cap.* 40) : quod auro et argento et veste Ægyptiorum significatæ sint quædam doctrinæ, quæ in ipsa consuetudine Gentium non inutili studio discantur. Sed sive hoc significet, sive illud quod ex ipsis Gentibus animæ pretiosæ tanquam vasa aurea et argentea, cum suis utique corporibus, quod vestes significant, adjungunt se populo Dei, ut simul de hoc sæculo tanquam de Ægypto liberentur; sive hoc ergo, sive illud, sive aliquid aliud hinc fuerit figuratum, certum est tamen eis qui has Litteras pie legunt, non frustra neque sine prænuntiatione futurorum esse illa jussa, facta, conscripta.

CAPUT XCII.—Jam porro de bellis quæ per Moysen gesta sunt, nimis longum est omnia pertractare. Satis ergo sit quod de illo bello gesto cum Amalech (*Exod.* XVII, 8-16), jam superius in hoc ipso opere, quo Fausto respondeo, quantum satis pro suscepto negotio videbatur, quid prophetiæ præmitteret, quid mysterii contineret, exposui. Nunc illud videamus, in quo crudelitatis vitium solent objicere Moysi, vel inimici harum Litterarum, vel expertes omnium litterarum : quod quidem Faustus non expresse posuit, cum diceret quod crudelia multa et mandarit et fecerit. Sed quia novi quid maxime et invidiose jactare consueverint[1], ideo ipse hoc commemoravi, superiusque defendi, ne quidquam in eo facto esse criminis, vel ipsi Manichæi qui corrigi vellent, vel quisquam alius imperitorum aut impiorum putaret. Nunc autem quid etiam propheticæ significationis habuerit requirendum est, quod ex eis multos, qui sibi absente ipso idolum fabricaverunt, sine ulla cujusquam necessitudinis distinctione jussit interimi (*Id.* XXXII). Facile est ut intelligatur hominum illorum interemptionem, significare vitiorum talium insecutionem[2], qualibus illi ad eamdem idololatriam defluxerunt. In talia quippe vitia sævire nos jubet Psalmus, cum dicit : *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5). In talia vitia sævire nos jubet Apostolus, cum dicit : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, luxuriam, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus* (*Coloss.* III, 5).

CAPUT XCIII.—Sed quid sibi velit, quod prius fecit, ut ipsum vitulum igne combureret, minutatimque concideret, et in aquam spargeret, et potum populo daret; majorem intentionem perscrutandæ significationis inquirit. Si enim tabulas, quas digito Dei, hoc est operatione Spiritus sancti, scriptas acceperat, ideo fregit, quia indignos eos quibus eas legeret, judicavit : si denique ut ab eis ille vitulus penitus aboleretur, incendit eum, contrivit, in aqua sparsit atque submersit, utquid et potum hoc populo dedit? Quem non excitet factum hoc ad inquirendam et intelligendam propheticam significationem? Occurrat ergo jam intentis mentibus, tanquam diaboli corpus in vitulo, id est, homines in omnibus gentibus, quibus ad hæc sacrilegia caput, hoc est, auctor est diabolus. Aureum propterea, quia videntur idololatriæ ritus velut a sapientibus instituti : de quibus dicit Apostolus, *Quoniam cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, et immuta-*

Id est, de illo Israel secundum carnem, qui est Judæorum.

[1] Sic Mss. Editi vero, *consueverit.*
[2] Mss. omittunt verbum, *insecutionem.*

verunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium (*Rom.* I, 21-23). Ex hac quasi sapientia iste vitulus aureus, qualia solebant Ægyptiorum etiam ipsi primates et tanquam docti homines adorare figmenta. Hoc ergo vitulo significatum est omne corpus, id est, omnis societas Gentilium idololatriæ deditorum. Hanc sacrilegam societatem Dominus Christus illo igne comburit, de quo in Evangelio dicit, *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49): ut quoniam non est qui se abscondat a calore ejus (*Psal.* XVIII, 7), dum in eum credunt Gentes, igne virtutis ejus diabolica in eis forma solvatur. Totum deinde corpus illud comminuitur, id est, ab illa malæ conspirationis conflatione discissum, verbo veritatis humiliatur : et comminutum in aquam mittitur, ut eos Israelitæ, id est, Evangelii prædicatores, ex Baptismo in sua membra, hoc est, in corpus dominicum transferant. Quorum Israelitarum Petro de ipsis Gentibus dictum est, *Macta et manduca* (*Act.* X, 13). Si, *Macta et manduca* ; quare non etiam, Concide et bibe? Ita ille vitulus per ignem zeli et aciem verbi et aquam Baptismi, ab eis potius quos absorbere conabatur, absorptus est.

CAPUT XCIV. — Si ergo hæc quoque loca Scripturarum, de quibus eisdem Scripturis calumniantur hæretici, perscrutata, et quodam modo interrogata, quanto videntur obscuriora, tanto mirabiliores in se mysteriorum thesauros latere respondent ; quanto magis impiorum blasphema ora obmutescere omnino debent; cum oppilantur apertissima veritate, contra quam præfocato spiritu quid mussitent, non inveniunt; et malunt miseri manifestatione ejus suas fauces obturari, quam suavitate pectus impleri? Christum igitur sonant hæc omnia ; caput illud quod jam ascendit in cœlum, et hoc corpus ejus quod usque in finem laborat in terra, scribentium Litteras vere sacras omnis parturivit intentio : nec esse quidquam credendum est Librorum propheticorum contextione narratum, quod non significet aliquid futurorum ; nisi quæ ideo posita sunt, ut ex eis quodam modo religentur ea, quæ illum regem populumque ejus, sive propriis, sive figuratis locutionibus rebusve prænuntient. Sicut enim in citharis et hujuscemodi organis musicis, non quidem omnia quæ tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantum chordæ ; cætera tamen in toto citharæ corpore ideo fabricata sunt, ut esset ubi vincirentur, unde et quo tenderentur illæ, quas ad cantilenæ suavitatem modulaturus et percussurus est artifex : ita in his propheticis narrationibus, quæ de rebus gestis hominum prophetico spiritu deliguntur, aut aliquid jam sonant significatione futurorum ; aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, ut sit unde illa significantia tanquam sonantia connectantur.

CAPUT XCV. — Has autem rerum gestarum allegoricas narrationes, si nolunt hæretici, sicut a nobis exponuntur, accipere, vel etiam nihil eas, nisi quod proprie sonant, significare contendunt; non est luctandum cum hominibus, qui dicunt, Non sapit palato meo, quod sapere dicis tuo : dum tamen ea quæ divinitus præcipiuntur, aut mores pietatemque formare, aut aliquid figurate significare vel credantur vel intelligantur, aut utrumque potius quam neutrum : dum tamen et ipsa, quæ figurate dicta vel facta intelliguntur, ad eosdem mores bonos pietatemque referantur Ac per hoc etiam si Manichæis, vel quibusque aliis, de his figuris rerum gestarum noster displicet intellectus, vel ratio, vel opinio ; illud sufficiat, quod patres nostri, quibus Deus perhibet bonæ vitæ atque in suis præceptis obedientiæ testimonium, ea veritatis regula defenduntur, quæ nisi pravis et distortis cordibus displicere non possit ; et quod ea Scriptura, cui perversitas erroris illius inimica est, in quibuslibet hominum factis, quæ vel laudavit vel redarguit vel tantum narrata nobis judicanda proposuit, ipsa inculpabilis venerabilisque persistit.

CAPUT XCVI. — Quid vero utilius atque salubrius pie legentibus vel audientibus illas sacras Litteras consuli ac prospici potuit, quam ut non solum in eis laudabiles homines ad imitandum, et reprehensibiles ad cavendum proponerentur ; verum etiam quædam bonorum declinationes et lapsus in malum, sive itidem denuo correcti in viam redeant, sive irrevocabiles maneant ; et rursus quædam malorum mutationes et provectus in bonum, sive perseveraturi, sive in pristina iterum relapsuri ; ut neque justi in superbiam securitate extollantur, nec iniqui contra medicinam desperatione obdurentur? At illa quæ neque ad imitandum neque ad cavendum facta hominum pertinent, et tamen in sancta Scriptura reperiuntur ; aut ad illam connexionem posita sunt, quibus occasionibus ad res necessarias veniatur, aut eo ipso quo videntur superflua, satis admonent, in eis quæri oportere mysticæ alicujus significationis oraculum. Neque enim de his libris loquimur, in quibus nulla, vel pauca ac non multa apertissima prophetico spiritu prænuntiata, jam quoque ipsis rebus impletis, auctoritatem divinam fidelissima et præclarissima veritatis luce testantur : ut omnino desipiat, quisquis eos superflue vel quasi fatue locutos aliquid putat, quibus non solum omnia hominum ingeniorumque genera subdita videt, verum etiam hoc ab eis prædictum legit, perfectumque cognoscit.

CAPUT XCVII. — Numquidnam ergo, si quisquam legens factum David, cujus eum Domino arguente ac minante pœnituit, inde sibi ad peccandum fomitem præbeat, illa Scriptura culpanda est ; ac non tanto severius ille damnandus, quanto potius ad se vulnerandum aut occidendum abuti voluit ea re, quæ ad sanandum liberandumque conscripta est? Quia enim homines in peccatum lapsi, vel superbia negligunt pœnitentiæ medicinam, vel recipiendæ salutis veniæque promerendæ diffidentia penitus pereunt, de tanto viro exemplum propositum est, quo sanentur ægroti, non quo hi qui sani sunt saucientur. Neque enim medicinæ vitium est, si vel insani se ipsos, vel maligni alios ferramentis medicinalibus perimant.

CAPUT XCVIII. — Sed tamen hi patres nostri

Patriarchæ atque Prophetæ quibus tam illustre testimonium sanctitatis atque pietatis ea Scriptura perhibet, quam saluti generis humani divinitus dispensatam non negat, nisi quisquis aut eam nescit, aut omnem sensum rationalis considerationis amisit, etiamsi libidinosi et crudeles fuissent, sicut eos Manichæorum error, vel potius furor accusat; nonne etiam sic, non dico Electis eorum, sed ipso etiam deo illorum demonstrarentur esse meliores? Nonne melius est cum pellice volutari virum cum femina, quam esse sincerissimam lucem et miscendo se tenebris inquinari? Ecce homo avaritiæ ac ventris causa uxorem suam sororem mentitus, in aliorum concubitum vendidit: quanto ille pejor et exsecrabilior est, qui naturam suam ad libidinem desiderantium simulando coaptatam, gratis eis polluendam corrumpendamque subjecit? Jam cum filiabus qui etiam sciens concubuerit, nonne minus mali perpetrat, quam qui membra sua omnium talium pejorumque turpitudinum libidinibus miscet? Quid enim tale ab immundis flagitiosisque committitur, ubi non deus vester, Manichæi, turpitudinibus omnibus polluatur? Denique, si vere Jacob, ut ait Faustus, inter quatuor uxores fœda concupiscentia tanquam hircus erraret, nullam propaginis curam gerens, sed lascivæ solius voluptatis; quanto minus miser esset deo vestro, qui non solum in ipso et in ejus quatuor uxoribus omne illud dedecus luxuriæ pateretur, omnibus eorum corporibus motibusque concretus; sed in ipso hirco, quem viro illi sordidus comparavit, omnem illum genitalem motum caloremque perpetitur, et ubique turpi conditione permixtus, in capro inflammatur, in capra seminatur, in hædo generatur? Ac per hoc etsi Judas non tantum fornicator, sed etiam sciens nurus suæ nefarius incestator existeret, in illius quoque incesti libidine deus vester hæreret, sorderet, arderet. David autem iniquitatis pœnituit, quod uxorem adamaverit alienam, virumque ejus mandarit occidi: at vero deum vestrum quando pœnitebit, quod a tartareo genere masculino ac feminino principum tenebrarum adamatus, eorum libidini sua membra concessit; nec maritum, cujus conjugem adamaverat, sed suos filios in membris dæmonum, a quibus dæmonibus ipse fuerat adamatus, occidit? Sed etsi non pœnituisset David, nec justitiæ sanitatem tali medicina recepisset, etiam sic isto deo Manichæorum melior exstitisset. Iste quippe uno ipso facto putemus, et aliis talibus quotquotlibet, quam multa unus homo posset admittere; ille autem in omnibus omnium talibus factis commixtione illa membrorum suorum turpari polluique convincitur. Et Osee propheta accusatur a Fausto: qui si meretricem turpi concupiscentia captivatus adamasset atque duxisset, animas certe amborum, et lascivi amatoris, et obscœnæ meretricis, partes et membra naturamque dei vestri esse prædicatis: illa ergo meretrix; quid enim ambiam verbis, et non plane dicam? illa meretrix esset deus vester. Neque enim potestis dicere quod servata atque incorrupta suæ sanctitate naturæ, illi meretricio corpori non ligatus, sed præsentatus incideret: sed et inquinatissima esse ista membra dei vestri, et ob hoc magna purgatione indigere fatemini. Illa ergo meretrix, de qua hominem Dei audetis arguere, deus vester esset, etiamsi non esset in melius casto conjugio commutata: aut si non vultis, particulam certe dei vestri, licet minimam, non negatis illam animam meretricis. Hoc ergo jam melior deo vestro, quoniam ipsa una meretrix esset, ille autem conditione suæ illius commixtionis universo generi tenebrarum, in omnibus meretricibus prostituitur, in omnibus denique maribus ac feminis late varieque fornicantibus et sese corrumpentibus, volutatur, solvitur, illigatur, rursus in eorum fetibus volutandus, solvendus, ligandus, donec ad ultimum globum pars immundissima dei vestri, tanquam inexpiabilis meretrix perducatur. Hæc scilicet mala, has turpitudines, hæc dedecora a membris suis deus vester amovere non potuit, et hostis inimanis necessitate compulsus ad ista pervenit: neque enim potuit interimere injuriosum atque violentum, suis vel civibus vel partibus salvis. Quanto ergo ille melior, qui occiso Ægyptio fratrem defendit, illæsum, quem mirabili vanitate Faustus arguit, et deum suum mirabiliore cæcitate non respicit? Quanto melius ipse vasa aurea et argentea abstulisset de gente Ægyptiorum, quam ejus membra deprædaretur gens tenebrarum? Et tamen cum bellum tam miserum ipse gessisset, cultores ejus famulo Dei nostri objiciunt quod bella gesserit, in quibus semper cum suis omnibus victor de hostibus triumphavit, qui captivi vel captivæ Moyse belligerante, de populo Israel duci potuerunt: quod et deus vester si potuisset, utique fecisset. Hoc ergo non est malos arguere, sed felicioribus invidere. Quæ autem crudelitas Moysi, quod in populum, qui graviter in Deum peccaverat, gladio vindicavit? Cujus tamen peccati veniam, se pro illis etiam divinæ vindictæ offerens, deprecatus est. Verumtamen si et hoc non misericorditer, sed crudeliter fecisset, etiam sic melior deo vestro esset. Neque enim quemquam suorum innocentium et obedientium, si ad hostis cuneum disrumpendum missus fuisset et captivatus, ullo modo eum postea, si vicisset, ipse damnaret: quod facturus est deus iste de sua parte, quam configet in globo, quia obedivit jubenti, quia in hostiles cuneos pro salute regni ejus proposita sua morte processit. Sed in hac, inquit, serie sæculorum jam malis permixta atque concreta non obtemperavit præceptis. Quæramus, quare. Si propria voluntate, vera culpa et justa pœna: sed jam si voluntas est rea, nulla est ad peccandum natura contraria, et ideo Manichæorum omnis convicta est et eversa fallacia. Si autem ab hoste oppressa quo missa est, si alieno malo superata cui resistere non valuerat, iniqua pœna et magna crudelitas. Sed ad excusandum profertur Dei necessitas. Talem colant deum, qui nolunt colere Deum. Sane quod fatendum est, etiam ipsi cultores ejus, quamvis talem deum colendo sint pessimi, meliores tamen illo sunt, quia saltem sunt: ille autem nihil est, nisi fictio falsitatis et cogitatio vanitatis. Sed jam cætera Fausti arguta deliramenta videamus.

LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Disputanti mihi aliquando, quidam ex numerosa plebe respondens ait : Accipis Jesum de Maria natum? Cui ego : Quemnam, inquam, dicis Jesum? Nam plures in Hebraismo fuerunt Jesus : unus quidem Nave filius, discipulus Moysi (*Exod.* xxxiii, 11, *et Eccli.* xlvi, 1); alter vero filius Josedech sacerdotis magni (*Aggæi* i, 1); item alius qui dictus est filius David (*Rom.* i, 1-3), alius vero Filius Dei (*Marc.* i, 1) : quemnam ergo istorum de Maria natum quæris ex me utrum accipiam? Utique, inquit, Filium Dei. Cui ego : Et quo auctore quove magistro docente istud accipiam? At ille : Matthæo, inquit. Cui rursum ego : Quid enim Matthæus scripsit? Et ille : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*, etc. (*Matth.* i, 1). Tum ego : Putaveram, inquam, quia esses dicturus, Liber generationis Jesu Christi Filii Dei; et me paraveram ad præscribendum : sed quia nunc fideliter capitulum memorasti, admonendus tantum es, ut id quod recitasti, consideres. Neque enim Matthæus hic se Dei Filii generationem scribere fatetur instituisse, sed filii David.

CAPUT II. — Ut ergo huic interim dicenti credam, filius David erit mihi de Maria natus : adhuc de Dei Filio in hoc omni generationis textu nulla fit mentio, usque ad baptismum scilicet, frustraque calumniam vos ingeritis scriptori, tanquam Dei ille Filium in utero mulieris incluserit. At vero hic clamitat, ut videtur, et inscriptione ipsa sua se prorsus ab hoc sacrilegio vindicat, David filium perhibens ex illa stirpe oriundum se scripsisse, non Filium Dei. Nam Jesum quidem eum, qui sit Filius Dei, si scriptoris hujus mentem propositumque consideres, non tam ille de Maria virgine vult nos accipere procreatum, quam factum aliquando per baptismum apud fluenta Jordanis. Illic enim dicit baptizatum a Joanne eum, quem David in exordio filium designavit, factum aliquando esse Filium Dei (*Id.* iii, 16, 17), post annos duntaxat, secundum Lucæ fidem, ferme triginta, ubi et vox tunc audita est, dicens ad eum : *Filius meus es tu; ego hodie genui te* (*Luc.* iii, 23, 22). Vides ergo id quod ante annos triginta, ut huic videtur, de Maria natum est, non esse ipsum Filium Dei, sed id quod de baptismo postea factum est ad Jordanem, id est hominem novum, tanquam in nobis cum credimus ad Deum ex Gentilitatis errore conversi : quod ipsum tamen nescio utrum satis cum ea fide faciat, quam vos catholicam nominatis; sed interim sic Matthæo videtur, si sunt ipsius hæc. Neque enim usquam in parturitionibus Mariæ dictum legitur illud, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; aut, *Hic est Filius meus dilectissimus, in quo bene complacui* : sed in expiatione ejus apud Jordanem. Quod si et tu credas ita ut scriptum est, eris jam quidem Matthæanus; sic enim mihi dicendum est : catholicus vero nequaquam. Nam catholicam fidem novimus; quæ tanto longe an est ab hac professione Matthæi, quanto procul est et a vero. Siquidem symbolum vestrum ita se habeat, ut credatis in Jesum Christum Filium Dei, qui sit natus ex virgine Maria : vestrum est ergo, de Maria accipere Filium Dei; Matthæi, ab Jordane; nostrum, ex Deo : ac per hoc tam vobis Matthæus, si hæc ejus pro certo sunt, contrarius est in professione ista sua, quam nobis; nisi quod paulo prudentior vobis inventus est, ut ortum ex femineo sexu, David filio ascriberet magis, quam Filio Dei. Quapropter de duobus vos unum fateri oportet, aut hunc non esse Matthæum, qui hæc videtur asserere; aut vos non tenere apostolicam fidem.

CAPUT III. — Nos vero quamvis de hac sententia nemo prorsus dejiciat, ex Deo accipiendi Filium Dei, tamen ut multum imprudentiæ concedamus, ut adigamur et falsis credere, ex Jordane nobis erit factus Jesus Dei Filius, quam natus ex utero mulieris. Quanquam nec ipse quidem ille quem Maria peperit, si ullus erat, recte David filius appelletur, nisi eum constet ex patre Joseph seminatum. Quod quia negatis, illud etiam fateamini necesse est, ne ipsum quidem esse David filium. Quoniam quidem generatio ab Abraham usque ad David, et a David Joseph adusque deducitur, per omnes scilicet Hebræorum patres : ex quo quia Jesus conceptus non est, ut legitur, nec filius erit David : longeque demens est, qui quem sine coitu Joseph de Maria natum dicturus erat, hunc in principio posuerit esse filium David. Cum ergo ne ipse quidem, qui sit ex Maria genitus, David recte filius appelletur, quia non sit natus ex Joseph; quanto magis Filius Dei?

CAPUT IV. — Proinde nec virginis ipsius origo ex hac tribu fuisse monstratur, unde constat esse David; dico autem Judam, de quo Judæi reges : sed ex tribu Levi, unde sacerdotes : quod ipsum palam est, quia eadem patrem habuerit sacerdotem quemdam nomine Joachim, cujus tamen in hac generatione nulla usquam habita mentio est. Quomodo ergo ad hanc Davidicæ cognationis prosapiam Maria pertinere dicetur, in qua eam nec patrem habere videas, nec maritum? Ac per hoc nec ille David filius erit, quisquis ex eadem nascitur : nisi ejus hanc genitricem sic admoveas Joseph, ut ejus aut filia probetur aut conjux.

CAPUT V. — Augustinus respondit : Fides catholica eademque apostolica est, Dominum nostrum et Salvatorem Jesum Christum, et Filium Dei esse secundum divinitatem, et filium David secundum carnem : quod ita probamus ex evangelicis et apostolicis Litteris, ut nemo possit contradicere probationibus nostris, nisi qui ipsis Litteris contradicit : non sicut sibi Faustus iste proposuit, nescio quem pauca verba dixisse, et contra ejusdem Fausti versipellis astutias

nulla postea testimonia protulisse. Quod ego cum fecero, nihil ei quod respondeat remanebit, nisi illud quo vim manifestissimæ veritatis in Scripturis sanctis expresse illudere atque evitare conatur, ut falsa illa et divinis codicibus immissa respondeat. Quam dementiam, furiosamque præsumptionem et audaciam, jam superius in hoc opere, quantum sufficere visum est, refutavi : nec eadem repetere oportet, ut modum sermonis etiam cogitemus. Quid igitur opus est dispersa per Scripturas omnes quærere atque colligere testimonia, quibus contra istum probemus, in Libris maximæ divinæque auctoritatis, eumdem dici Filium Dei unigenitum semper Deum apud Deum, qui dicitur etiam filius David propter acceptam formam servi ex virgine Maria conjuge Joseph? Nunc interim, quia de Matthæo voluit disputare, nec a me totus Matthæi liber huic sermoni inseri potest, legat qui voluerit, et videat quemadmodum Matthæus eum, quem parentes ejus enumeraturus dicit filium David, narrando usque ad passionem resurrectionemque perducat; nec alium quam ipsum dicat a virgine Maria de Spiritu sancto conceptum et natum. Cui rei adhibet et testimonium de propheta : *Ecce virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14; *Matth.* I, 23). Eumdemque baptizatum a Joanne, audisse de cœlo, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III, 17) : de quo dictum erat jam ex partu virginis, *Nobiscum Deus.* Nisi forte visum sit Fausto minus esse quod dictus est Deus, quam quod dictus est Filius Dei. Ex hoc enim conjicere conatus est, Matthæo non esse visum quod Filius Dei factus sit nisi ex baptismo, quia ibi facta est vox de cœlo, *Hic est Filius meus :* cum idem evangelista jam superius adhibuerit divinum ex propheta testimonium, ubi ipse partus virginis appellatus est, *Nobiscum Deus.*

CAPUT VI. — Hunc sane miserum delire garrulum debemus intueri atque observare, non prætermittentem, ubi potuerit, lectori vaniloquiorum suorum etiam de Scripturarum testimoniis nebulas offundere falsitatis : sicut de Abraham dixit, quod Deo non credidisset de Sara sibi filium promittenti, quando cum ancilla concubuit; cum Scriptura testetur, nondum illi partum Saræ fuisse promissum (*Gen.* XVI, 4, *et* XVII, 17) : vel quod uxorem suam sororem mentitus sit; cum genus Saræ nusquam in illis Litteris legerit, quibus de hac re fides habenda est (*Id.* XII, 13, *et* XX, 2, 12) : et de filio ejus Isaac, quod etiam ipse Rebeccam falso dixerit sororem suam; cum genus ejus ibi aperte scriptum sit (*Id.* XXVI, 7, *et* XXIV) : et de Jacob, quod quotidie certamen esset inter quatuor ejus uxores, quænam illum de agro venientem prior ad concubitum raperet; quod illic omnino nusquam legisse convincitur. Ecce qualis homo mendaces divinorum Librorum scriptores se odisse gloriatur, qui etiam de evangelico tantæ auctoritatis culmine omnibus noto [1], mentiri sic audet, ut non Matthæum, ne apostolici nominis pondere comprimatur, sed nescio quem alium sub Matthæi nomine velit putari scripsisse de Christo, quod non vult credere, et quod ea luminosa versutia refutare conatur.

CAPUT VII. — Sic ergo de cœlo dictum est super aquam Jordanis, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* quemadmodum dictum est et in monte (*Matth.* XVII, 5). Neque enim quia et ibi de cœlo vox ipsa sonuit, Filius Dei ante non fuit : quandoquidem ex utero virginis ille accepit *formam servi, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* II, 7, 6). Denique idem ipse apostolus Paulus alio loco apertissime dicit, *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege* (*Galat.* IV, 4) : mulierem scilicet more locutionis hebraicæ feminam appellans. Ipse ergo est Filius Dei, qui et Dominus David secundum divinitatem; et idem ipse filius David, ex semine David secundum carnem. Quod si nobis credere non prodesset, non hoc tam attente idem apostolus Timotheo commendaret, dicens, *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis, ex semine David, secundum Evangelium meum* (II *Tim.* II, 8). Contra quod Evangelium quisquis aliud annuntiaverit, ut anathema sit, magna cura fideles admonuit (*Galat.* I, 8, 9).

CAPUT VIII. — Quid ergo jam moveat sancti Evangelii sectatorem, quod sine concubitu Joseph Christus natus ex virgine, filius tamen David appellatur, cum generationum seriem non usque ad Mariam, sed usque ad Joseph Matthæus evangelista perducat? Primo, quia mariti ejus fuerat, propter virilem sexum, potius honoranda persona : neque enim, quia concubitu non permixtus, ideo non maritus, cum ipse Matthæus narret ab angelo Mariam conjugem ipsius appellatam, qui narrat quod non ipsius concubitu, sed de Spiritu sancto conceperat. Quod si non Matthæus apostolus ista vera, sed aliquis alius sub ejus nomine, sicut Manichæi putant, ea falsa conscriberet; itane sibi etiam ipse in rebus apertissimis et tam de proximo contextis contraria loqueretur, ut quem diceret David Filium de Maria virgine sine cujusquam viri concubitu natum, ejusdem parentes gradatim enumerans, usque ad eum sine aliqua ratione perduceret, quem non commixtum Mariæ ipse dixisset? Si enim alius enumeraret progeneratores Christi a David usque ad Joseph, dicens eum filium David, et alius eum sine ullius viri concubitu ex Maria virgine natum diceret, nec eum filium David appellaret; nec sic continuo putare deberemus, eos sibi hæc contraria locutos fuisse, ut vel ambo vel unus eorum falsitatis convinceretur. Cogitare enim deberemus fieri potuisse ut ambo vera dicerent, ut et Joseph maritus Mariæ diceretur, habens eam conjugem continenter, non concubitu, sed affectu; non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum : et ideo non debuisse virum virginis

[1] Am. Er. et plures Mss., *de Evangelio noto.* Et ex iisdem Mss. nonnulli, *de Evangelio, tanto auctoritatis culmine omnibus noto.*

matris Christi separari a serie parentum Christi; et ipsam Mariam aliquam de stirpe David venam sanguinis ducere, ut caro Christi etiam ex virgine procreata sine David semine esse non posset. Cum vero unus idemque narrator utrumque dicat, utrumque commendet, et virum Mariæ Joseph et Christi virginem matrem, et Christum ex semine David et Joseph in serie progeneratorum Christi ex David: quid restat ut credat, qui vult [1] divino Evangelio, quam hæreticorum fabulis credere, nisi et Mariam non fuisse extraneam a cognatione David, et eam Joseph conjugem non frustra appellatam, propter ordinem sexus et animorum confœderationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus; et Joseph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum, ne hoc ipso videretur ab illa femina separatus, cui eum conjungebat mentis affectus; et ne homines fideles Christi, id quod sibi conjuges carne miscentur, tam magnum in conjugio deputarent, ut sine hoc conjuges esse non crederent: sed potius discerent fidelia conjugia, multo familiarius se adhærere membris Christi, quanto potuissent imitari parentes Christi?

CAPUT IX. — Nos ergo credimus etiam Mariam fuisse in cognatione David, quia Scripturis eis credimus, quæ utrumque dicunt, et Christum ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 3, *et* II *Tim.* II, 8), et ejus matrem Mariam, non cum viro concumbendo, sed virginem (*Matth.* I, 18, *et Luc.* I, 27). Quisquis itaque dicit Mariam ad consanguinitatem David non pertinuisse, manifestum est quod istarum Scripturarum tam excellenti auctoritati obluctetur: ipse ergo convincat non eam pertinuisse ad semen David, et hoc ostendat, non ex quibuscumque litteris, sed ecclesiasticis, canonicis, catholicis. Aliæ quippe apud nos non habent ad has res ullum pondus auctoritatis: ipsæ sunt enim quas recipit et tenet Ecclesia toto orbe diffusa, quæ per illas est etiam prophetata; et quemadmodum promissa, sic reddita. Ac per hoc illud quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex tribu Levi sacerdotem quemdam nomine Joachim, quia canonicum non est, non me constringit: sed etiamsi hoc crederem, ipsum potius Joachim dicerem aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse, et aliquo modo ex tribu Juda in tribum Levi fuisse adoptatum, vel ipsum vel ejus aliquem progeneratorem, vel certe in tribu Levi ita natum, ut de stirpe David consanguinitatem aliquam duceret: sicut fieri potuisse idem Faustus fatetur, ut Maria de tribu Levi esset, quam tamen constat traditam viro qui fuerit de stirpe David, id est de tribu Juda; et ita dicit potuisse accipi, Christum filium David, si Maria filia Joseph fuisset [2]. Proinde si filia Joseph nupsisset in tribu Levi, non absurde diceretur etiam filius David, quisquis de illa et in tribu Levi natus fuisset: ita si mater illius Joachim, quem patrem Mariæ Faustus commemorat, de tribu Juda et genere David nupsit in tribu Levi, non immerito et Joachim, et Maria, et filius Mariæ etiam sic ex David semine veraciter perhibentur. Hoc ergo potius, vel tale aliquid crederem, si illius apocryphæ scripturæ, ubi Joachim pater Mariæ legitur, auctoritate detinerer, quam mentiri Evangelium in quo scriptum est, et Jesum Christum Filium Dei Salvatorem nostrum ex semine David secundum carnem, et per virginem Mariam procreatum. Sufficit ergo nobis quod Scripturæ quæ hoc dicunt, et quibus credimus, ab inimicis suis de nulla possunt falsitate convinci.

CAPUT X. — Non mihi ergo vicissim dicat: Etsi ego non ostendo Mariam non fuisse de cognatione David, tu quod inde fuerit ostende. Hoc enim ostendo clarissimo plane atque fortissimo documento, quod Scriptura confirmatissimæ auctoritatis et Christum dicit ex semine David, et ejus matrem sine ullius concubitu virginem Mariam. Quam vero sibi Faustus cujusdam quasi turpitudinis visus est verecundissimus detestator, cum diceret: *Frustra vos calumniam ingeritis scriptori, tanquam Dei ille Filium in utero mulieris incluserit!* Non plane catholica fides, quæ Christum Dei Filium natum secundum carnem credit ex virgine, ullo modo eumdem Dei Filium sic in utero mulieris includit, quasi extra non sit, quasi cœli et terræ administrationem deseruerit, quasi a Patre recesserit: sed vos, Manichæi, corde illo, quo nihil potestis nisi corporalia phantasmata cogitare, ista omnino non capitis, quomodo Dei Verbum, Dei Virtus atque Sapientia, in se manens et apud Patrem, et universam creaturam regens, pertendat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1). In cujus dispositionis admirabili et ineffabili facilitate sibi etiam matrem in terra disposuit, et propter servos suos de corruptionis servitute liberandos in ea formam servi, hoc est, mortale corpus accepit, acceptum monstravit, monstratumque et morte prostratum, resurrectione sursum erexit [1], et tanquam templum solutum iterum ædificavit. Vos tamen qui hæc credere quasi sacrilega formidatis, non membra dei vestri in utero virginis, sed in uteris omnium feminarum carnalium ab elephantis usque ad muscas includitis. An ideo vobis videtur vilior verus Christus, quia sic Verbum dicimus carnem factum in utero virginali, ut nulla sui commutatione in natura propria inviolabiliter permanens, templum sibi hominem coaptarit; et ideo vobis charus est deus vester, quia tot vinculis carnium colligatus et inquinatus in illa parte qua etiam in globo figendus est, sine causa suppetias deprecatur, aut etiam penitus oppressus deprecari non sinitur?

[1] Lov., *qui navult*. Editi autem alii et Mss., *qui vult divino Evangelio, quam*, etc. Sic vero passim Augustinus.

[2] Istud, *si Maria filia Joseph fuisset*, abest ab editis Am. Er. et nonnullis Mss.

[1] Plures Mss., *rursum erexit*.

LIBER VIGESIMUS QUARTUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Quid ita hominem negatis fieri a Deo ? Non quidem nos omnifariam hominem a Deo fieri pernegamus : sed quis, et quando, et quemadmodum fiat, hoc quærimus. Quoniam quidem sunt secundum Apostolum homines duo, quorum alterum quidem interdum exteriorem vocat, plerumque vero terrenum, nonnunquam etiam veterem ; alterum vero interiorem et cœlestem dicit ac novum (*Rom.* VI, VII, ; I *Cor.* XV ; II *Cor.* IV ; *Ephes.* III, IV, *et Coloss.* III). Horum ergo uter fiat a Deo, quærimus. Quoniam quidem et nativitatis nostræ tempora duo sunt ; unum illud, quo nos irretitos carnalibus vinculis, in lucem hanc natura produxit ; alterum vero, cum veritas nos ex errore conversos, ad se regeneravit initiatos ad fidem. Quod tempus secundæ nativitatis in Evangelio Jesu significans, dicit : *Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Quod cum Nicodemus parum intelligens hæsitaret, et qualiter id fieri posset percontaretur : neque enim posse hominem senem in uterum matris introire, et iterum nasci : Jesus ei respondens, *Nisi quis natus fuerit*, inquit, *ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei.* Et sequitur, *Quod nascitur de carne, caro est ; et quod nascitur de spiritu, spiritus est* (*Joan.* III, 3-6). Quapropter si et nativitas non ea sola est qua in corpore gignimur, sed et illa alia qua renascimur spiritu, non minor æque cura est et hoc ipsum quærere, in quanam earum nos faciat Deus. Modus quoque nascendi duplex est, unus ille furoris et intemperantiæ proprius, quo sumus a generatoribus turpiter et per libidinem sati ; alter vero honestatis et sanctimoniæ, quo in Christo Jesu per Spiritum sanctum sub bonorum doctrinis disciplinati sumus [1] ad fidem : unde etiam omnis religio, et maxime christiana, ad sacramentum rudes infantes appellat. Quod et ipsum significans Apostolus ait : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Galat.* IV, 19). Quare jam non quæritur, utrum Deus hominem faciat ; sed quando, et quem, et quemadmodum faciat : nam si cum in utero fingimur, ut fere Gentibus placet et Judæis et ipsis vobis, tunc nos Deus format ad imaginem suam ; et veteres nos facit, et per furorem ac libidinem creat, quod haud scio utrum divinitati ejus conveniat. Si vero cum credimus et ad meliorem vitæ convertimur statum tunc formamur a Deo, ut fere Christo placet et ejus Apostolis et nobis ; profecto et novos nos facit Deus, et honeste facit ac pure : quo quid consentaneum quidve conveniens magis sanctæ ejus est ac venerabili majestati ? Quod si et vos auctoritatem Pauli non spernitis, ex ipso vobis quemnam, et quando, et quemadmodum Deus hominem faciat, ostendemus. Dicit ad Ephesios : *Ut deponatis secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur per desideria* [1] *erroris* : *renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV, 22-24). Vides ergo quando creatur homo ad imaginem Dei, vides hic et hominem ostendi alterum, et nativitatem aliam, et alium nascendi modum. Nam cum, Exuite vos et induite, dicit, tempus utique credulitatis significat : cum vero hominem novum a Deo creari testatur, tum indicat veterem nec ab ipso esse, nec secundum eum formatum. Et cum prosequitur dicens illum quidem fieri in sanctitate et justitia et veritate, tunc designat atque demonstrat alterum illum nativitatis morem, quem dixi longe dissimilem huic, qui corpora nostra furiosis genitorum complexibus seminavit ; quemque etiam ostendit ex Deo non esse, cum illum solum monstravit esse ex Deo. Necnon et ad Colossenses idipsum denuo dicit : *Exspoliate veterem hominem cum actibus suis, et induite novum, qui renovatur in agnitione Dei* [2], *secundum imaginem ejus qui creavit eum in vobis.* Et hinc ergo non solum hominem novum ostendit cum esse quem Deus faciat, sed quando etiam et quibus modis formetur, edocuit, id est, *in agnitione Dei*, quo significatur credulitatis tempus. Et adhuc, *secundum imaginem*, inquit, *ejus qui creavit eum* : ut ex hoc liqueat veterem hominem nec imaginem esse Dei, nec ab ipso formatum. Nam et illud quidem quod sequitur, dicens, *Ubi non est masculus et femina, Judæus et Græcus, Barbarus et Scytha* (*Coloss.* III, 9-11) : magis ac magis ostendit nativitatem hanc, quæ nos mares fecit ac feminas, Græcos et Judæos, Scythas et Barbaros, non eam esse in qua Deus operatur, cum hominem format ; sed illam quæ nos omni exutos nationum varietate sexusque et conditionis unum reddit, ad instar ejus qui unus est, id est, Christus : sicut idem rursus apostolus dicit, *Quotquot in Christo baptizati sunt, Christum induerunt : non est Judæus neque Græcus, non est masculus neque femina, non est servus et liber ; sed omnes in Christo unum sunt* (*Galat.* III, 27, 28). Ergo tunc fit homo a Deo, cum fit unus ex multis, non cum ex uno divisus est in multa. Divisit autem nos primus ortus, id est, corporalis ; secundus adunat, intelligibilis ac divinus : eoque rectissime nos hunc quidem corporis naturæ ascribendum putavimus, illum vero supernæ majestati. Quapropter idem rursum apostolus ad Corinthios dicit, *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui* (I *Cor.* IV, 15) : et ad Galatas de semetipso, *Cum placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ, ut revelaret Filium suum in me, ut eum annuntiarem in Gentes, continuo non acquiexi carni et sanguini* (*Galat.* I, 15, 16). Vides ergo ubique eum in hac altera nativitate nostra, spirituali

[1] Am. et nostri omnes Mss., *discipulati sumus.*

[1] Sic Am. Fr. et Mss. At Lov., *secundum desideria.*

[2] Nonnulli Mss. hic et infra, *in agnitionem Dei.*

duntaxat [1], asseverantem nos a Deo formari; non in priore illa obscœna ac propudiosa, quæ nos nihilo præstantius neque mundius animalibus cæteris in utero materno et concepit et formavit et genuit. Qua de re animadvertere si volueritis, invenietis hac in parte nos non tam professione a vobis distare, quam intellectu. Siquidem vobis placuerit hoc veteri et exteriori homini ac terreno tribuere, ut sit a Deo formatus; nos vero contra cœlesti hoc dederimus, et interiori ac novo homini deferamus: neque id temere aut præsumptive, sed a Chriso discentes, et ejus Apostolis, qui primi eadem in mundo docuisse monstrantur.

CAPUT II. — Augustinus respondit: Paulus quidem apostolus interiorem hominem in spiritu mentis [2], exteriorem vero in corpore atque ista mortali vita vult intelligi: non tamen utrumque horum simul duos homines eum dixisse aliquando in ejus Litteris legitur; sed unum, quem totum Deus fecerit, id est, et id quod interius est, et id quod exterius est: sed cum ad imaginem suam non fecit, nisi secundum id quod interius est, non solum incorporeum, verum etiam rationale, quod pecoribus non inest. Non itaque unum hominem fecit ad imaginem suam, et alterum fecit non ad imaginem suam: sed quia hoc utrumque interius et exterius simul unus homo est, hunc unum hominem ad imaginem suam fecit, non secundum id quod habet corpus corporalemque vitam; sed secundum id quod habet rationalem mentem, qua cognoscat Deum, et omnibus irrationalibus eadem rationis excellentia præponatur. Sed illud interius concedit Faustus a Deo fieri, *Cum « renovatur, » inquit, « in agnitione Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum. »* Hanc Apostolicam plane agnosco sententiam (*Coloss.* III, 10): quare ipse alteram non agnoscit, *Deus posuit membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit* (I *Cor.* XII, 18)? Ecce Deus etiam exterioris hominis effector ab eodem apostolo prædicatur: quare inde eligit quod pro se putat, et tacet aut respuit quod Manichæi fabulas amputat? Item cum de terreno et cœlesti homine dissereret idem Paulus, inter mortalem immortalemque discernens, inter id quod in Adam sumus, et illud quod in Christo erimus, ex ipsa Lege, ex ipso libro et ex ipso loco adhibuit terreni, id est, animalis corporis testimonium, ubi scriptum est quod Deus etiam terrenum hominem fecit. Nam cum ageret quomodo resurgent mortui, et quo corpore venient, cum dedisset similitudinem de seminibus frumentorum, quod nuda grana seminentur, et Deus illis det corpus quomodo voluerit, unicuique seminum proprium corpus: ubi nihilominus Manichæi evertit errorem, qui et grana et herbas et omnes radices ac frutices gentem tenebrarum dicit creare, non Deum; et in eis formis atque generibus rerum Deum potius credit algari, quam horum aliquid operari: cum ergo contra Manichæi sacrilegam vanitatem etiam ista dixisset, venit ad carnium differentias: *Non omnis, inquit, caro eadem caro:* inde ad corporum cœlestium atque terrestrium, inde ad mutationem corporis nostri qua fieri possit spirituale atque cœleste: *Seminatur, inquit, in contumelia, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Atque inde volens ostendere originem corporis animalis: *Si est, inquit, corpus animale, est et spirituale; sicut scriptum est, Factus est primus homo Adam in animam viventem* (I *Cor.* XV, 35-45). Hoc autem in Genesi scriptum est (*Gen.* II, 7), ubi narratur, quomodo Deus hominem fecerit, et corpus quod de terra formaverat animaverit. Veterem autem hominem nihil aliud Apostolus quam vitam veterem dicit, quæ in peccato est, in quo secundum Adam vivitur: de quo dicit, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12). Ergo totus ille homo, id est, et interiore et exteriore sui parte, inveteravit propter peccatum, et pœnæ mortalitatis addictus est: renovatur autem nunc secundum interiorem hominem, ubi secundum sui Creatoris imaginem reformatur, exuens se injustitiam, hoc est, veterem hominem; et induens justitiam, hoc est, novum hominem. Tunc autem cum resurget corpus spirituale, quod seminatur animale, etiam exterior percipiet cœlestis habitudinis dignitatem: ut totum quod creatum est recreetur, et totum quod factum est reficiatur, illo recreante qui creavit, et reficiente qui fecit. Quod breviter explicat, ubi ait: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VIII, 10, 11). Nam quis catholica veritate instructus ignorat, secundum corpus esse alios homines masculos, alios feminas, non secundum spiritum mentis, in quo renovamur secundum imaginem Dei? Verumtamen quia utrumque Deus fecit, rursum idem apostolus testis est, ubi dicit: *Neque mulier sine viro, neque vir sine muliere in Domino: sicut enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem; omnia autem ex Deo* (I *Cor.* XI, 11, 12. Quid ad hæc dicit inepta fallacia hominum alienatorum a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum (*Ephes.* IV, 18), nisi, In apostolicis Litteris quod volumus verum est, quod nolumus falsum est? Sic delirant Manichæi: sed resipiscant [1], et non sint Manichæi. A quibus si quæritur (quoniam [2] interiorem hominem renovari ad imaginem Dei fatentur, et hoc testimonium ultro etiam proferunt: tunc autem dicit Faustus quod Deus faciat hominem, quando interior in Dei agnitione renovatur), utrum eum ipse fecerit qui reficit, ipse condiderit qui renovat; respondebunt, Ipse. Cui responsioni eorum, si adjiciamus, quærentes

[1] Plerique Mss., *spiritualium duntaxat.*
[2] Am. Er. et Mss., *per spiritum mentis.*

[1] In Mss., *Sic delirent Manichæi, et resipiscant.*
[2] sola editio Lov., *quomodo.* Minus bene.

quando cum formaverit quem nunc reformat : quærent ubi se abscondant, ne fabulæ suæ dedecus aperire cogantur. Neque enim dicunt a Deo formatum vel conditum vel institutum, sed de substantia ejus partem prorsus ejus adversus hostes missam : nec peccato inveteratum, sed necessitate captivatum et deformatum ab inimicis, et cætera quæ jam tædet dicere. Ibi enim et primum hominem commemorant, non quem dicit Apostolus de terra terrenum (I *Cor.* xv, 47), sed nescio quem suum proprium ex arca mendaciorum prosilientem : de quo Faustus tacet omnino, cum de homine sibi proposuerit quæstionem ; timens ne aliquo modo eis contra quos disputat, innotescat.

LIBER VIGESIMUS QUINTUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Deus finem habet, aut infinitus est ? Si oratio vestra non fallit, quæ dicit, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob (*Exod.* III, 15), habet finem Deus : nisi forte alter est hic de quo perrogas, et alter quem oratis : alioquin circumcisionis terminus, qui Abraham et Isaac et Jacob a gentium cæterarum societate dissignat (*Gen.* XVII, 9-14), etiam Dei ipsius circa eos terminat potestatem. Cujus autem finita potestas est, et ipse non caret fine. Denique ne antiquorum quidem hac oratione mentionem facitis, qui ante Abraham fuerunt ; Enoch dico, et Noe, et Sem (*Gen.* V), ac reliquos eorum similes, quos fuisse quidem justos in præputio non negatis, sed quia iidem circumcisionis insigni carebant, ne ipsorum quidem vultis esse Deum, sed solius Abrahæ et seminis ejus. Igitur si est unus et infinitus Deus, quid sibi vult hæc invocationis vestræ tam diligens et sollicita cautio, ut non contenti nominasse Deum, adjiciatis et cujus, Abraham scilicet, et Isaac et Jacob : tanquam in turba aliqua deorum erratura aut naufragium passura vestra oratione, nisi ad signum naviget Abrahæ ? Et hunc quidem [1] certa de causa Judæos orare haud absurdum est, utpote circumcisos ; sic enim circumcisionis se invocare designant Deum, propter deos præputii : vos vero cur hoc ipsum faciatis, parum intelligo ; cum minime geratis signum quod habuerit Abraham, cujus vos invocatis Deum. Vere enim, quod intelligi datur, cognitionis mutuæ causa, ne a se scilicet invicem oberrarent, notas sibimet hujusmodi alternis [2] imposuisse videntur Judæi, ac Judæorum Deus : atque ipse quidem eos circumcisionis obscœno charactere signavit, quo ubicumque terrarum fuerint, ubicumque gentium, per circumcisionem tamen, ipsius esse noscantur ; iidem vero suum vicissim Deum parentum suorum cognomine signaverunt, quo ubicumque et ipse fuerit, in magna quamvis deorum frequentia, cum Deus Abraham audierit, et Deus Isaac, et Deus Jacob, protinus se invocari cognoscat. Quod fere in multis fieri solet unum habentibus nomen, ut eorum nemo appellatus respondeat, nisi audito cognomine. Sic namque et pastor atque armentarius pecoribus notas inurunt, ne eorum quisque pro suo usurpet alienum. Quibus quia et vos similiter facitis, Deum Abraham dicentes, et Deum Isaac et Deum Jacob, non solum finem ostenditis habere Deum, sed quod sitis etiam vos ab eodem alieni, signi ejus ac sacramenti expertes, quod est virilium mutilatio, per quam idem suos agnoscit. Quapropter hic si est Deus quem colitis, liquet ex hoc admodum quod habeat finem. Si vero infinitum Deum esse vultis, huic vos ante renuntiare necesse est, et oratione mutata erroris præteriti vestri pœnitudinem gerere. Et hoc quidem dictum ita est, ut de vestro vos vicisse videamur : alioquin summus et verus Deus, utrum sit idem infinitus necne, si quæritur, de hoc vero nos boni et mali contrarietas breviter poterit edocere. Quoniam quidem si non est malum, profecto infinitus est Deus ; habet autem finem, si malum est : constat autem esse malum : non igitur infinitus est Deus : illinc enim esse mala accipiunt, ubi bonorum est finis.

CAPUT II. — Augustinus respondit : Absit ut hoc vos quisquam interroget, qui vos novit, aut de hac omnino re cum talibus disputet. Prius enim estis a figmento carnalium corporaliumque cogitationum pia fide et quantulacumque veritatis ratione mundandi, ut spiritualia quoquo modo et ex quantacumque parte cogitare possitis. Quod quamdiu non potestis (hæresis quippe vestra nihil aliud novit, quam et corpus et animam et Deum per locorum spatia vel finita vel infinita distendere, cum solum corpus talia occupet spatia, vel spatiis talibus occupetur), consultius feceritis, si vos huic quæstioni non commiscueritis [1], ubi nec docere potestis aliquid veri, sicut nec in cæteris ; nec discere estis idonei, quod fortasse potestis in cæteris, si superbi litigiosique non sitis. Cum enim quæri cœperit, quomodo sit Deus finitus, quem nullus locus capit ; quomodo infinitus, quem totum Filius novit : quomodo finitus, immensus ; quomodo infinitus, perfectus : quomodo finitus, nullum habens modum ; quomodo infinitus, modus omnium : omnis cogitatio carnalis evanescit ; et si vult se fieri quod nondum est, prius ex eo quod est erubescit. Quapropter hoc quod nobis [2] proponitis de Deo finito et infinito, melius tacendo finitis, donec a fine Legis, quod est Christus, tam longe aberrare desinatis. De Deo autem Abraham et Isaac et Jacob, cum ipse sit omnis creaturæ verus Deus, cur illo nomine se populo suo insinuare voluerit, jam quantum sat erat diximus. De circumcisione etiam in superioribus hujus operis par-

[1] Sic aliquot Mss. Editi vero, *Et hæc quidem.*
[2] Usuerciensis codex, *alternas.*

[1] Lov. et quidam Mss., *huic quæstioni non commiscueritis.*
[2] Plerique Mss., *vobis*

tibus contra calumnias imperitas sæpe respondimus. Isti autem signum in parte corporis congrua divinitus datum, quo carnis exspoliatio figurata est, si quemadmodum dictum sit, *Omnia munda mundis*, christiana, non hæretica mente cogitarent, nullo modo irriderent. Sed quia verum est et quod sequitur, *Immundis autem et infidelibus nihil est mundum ; sed polluta sunt eorum et mens et conscientia* (*Tit.* I, 15) : rideutes eos, et dicaciter insultantes, leniter admonemus, si secundum ipsos circumcisio turpis est, non eos habere quod ibi rideant, sed quod lugeant; quia deus eorum et illi particulæ quæ præciditur, et illi sanguini qui distillat, illigatus et inquinatus admixtus est.

LIBER VIGESIMUS SEXTUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Jesus si natus non est, quomodo mortuus est? Hoc jam sane conjectura est : conjecturis autem nemo, nisi quem probationes defecerint, utitur. Respondebimus tamen etiam ad hoc, nec aliunde quam de his quæ credere soletis, afferentes exempla : quæ, si vera sunt, confirmabunt et nos ; si falsa, destruent et vos. Dicis ergo : Quomodo mortuus est Jesus, si homo non fuit? Et ego abs te requiro : Elias quomodo mortuus non est, cum fuerit homo? An huic mortali præter conditionem suam licuit jus immortalitatis invadere, Christo non licuit immortali de morte, si necesse fuit, aliquid usurpare? Et si Elias in æternum vivit contra naturam, Jesum ad triduum tantum cur non magis contra naturam mori potuisse concedas : præsertim cum etiam hoc non solum de Elia credatis, sed et de Moyse atque Enoch, quod sint immortales, et ipsi rapti cum corporibus suis in cœlum? Quapropter si hoc argumento recte colligitur Jesum fuisse hominem, quia mortuus est; poterit eodem nihilominus argumento colligi et Eliam non fuisse hominem, quia mortuus non est. Falsum est autem non fuisse Eliam hominem, quamvis immortalis credatur : falsum æque erit Jesum fuisse hominem, quamvis æstimetur mortuus. Et si mihi vera dicenti vis credere, uterque eorum apud Hebræos falsam traxit opinionem, Jesus de morte, et de immortalitate Elias : nam nec hic mortuus est, nec ille non mortuus : sed vos quod vultis, creditis ; quod non, redigitis ad naturam. Quapropter si quid naturæ proprium sit quæritur, illa quidem nec immortalem mori vult, nec non mori mortalem. Si vero potestatem in Deo atque homine ad efficienda quæ velint quærimus, magis puto Jesum mori potuisse, quam non mori Eliam : major enim potestas in Jesu quam in Elia. Et si tu impotentiorem contra naturæ licentiam levas in cœlum, consecrasque perpetuitati, naturæ et conditionis ejus oblitus; ego Jesum, potuisse mori, si voluit, cur non concedam, etiamsi vere mortem illam fuisse, et non mortis figuram consentiam? Ut enim ab initio sumpta hominis similitudine omnes humanæ conditionis simulavit affectus, sic ab re non erat, si in fine quoque consignandæ œconomiæ gratia fuisset visus et mori.

CAPUT II. — Præterea illud quoque commemorandum, quia si quid cuique per naturam liceat quæritur, circa omnia id quæri deberet quæ Jesus gessit, non circa mortem tantummodo ipsius. Nam et cæcum a nativitate lumen videre natura non sinit; quod tamen Jesus potenter operatus videtur erga hujus generis cæcos [1], adeo ut Judæi et ipsi exclamarent, ab initio sæculi nunquam fuisse visum, ut aliquis aperuisset oculos cæci nati (*Joan.* IX) : manum aridam sanasse, vocem ac verbum privatis his per naturam, redonasse, mortuis et in tabem jam resolutis corporibus compage reddita vitalem redintegrasse spiritum, quem non ad stuporem adducat, et cogat quodam modo minime credere cogitantem quid liceat, quidve non liceat per naturam? Quæ tamen omnia nos communiter facta ab eodem credimus Christiani, non considerationem jam naturæ, sed potestatis tantum et virtutis Dei. Legitur id quoque, quod de supercilio montis jactatus aliquando a Judæis, illæsus abierit. Qui ergo de sublimi monte præcipitatus, mortuus non est, quia utique noluit; cur non potuerit etiam mori cum voluit? Et hoc quidem nunc a nobis ita responsum sit, quia vobis placet argumentari, et arma tentatis aliena, dialectice disputare volentes : alioquin nobis nec Jesus mortuus est, nec est immortalis Elias.

CAPUT III. — Augustinus respondit : Quidquid de Enoch et de Elia et de Moyse Scriptura sancta, certis et magnis suæ fidei documentis in summo culmine auctoritatis locata testatur, hoc credimus, non quod Faustus nos credere suspicatur. Quid sit autem secundum naturam, quid contra naturam, homines qui, sicut vos errant, nosse non possunt. Dici autem humano more contra naturam esse, quod est contra naturæ usum mortalibus notum, nec nos negamus : sicut illud est quod Apostolus ait, *Si tu ex naturali incisus oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam* (*Rom.* XI, 24) ; id esse *contra naturam* dixit, quod est contra consuetudinem naturæ, quam notitia humana comprehendit, ut oleaster insertus in olea, non oleastri baccas, sed olivæ pinguedinem ferat. Deus autem creator et conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit : id enim erit cuique rei naturali, quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus, ordo naturæ. Sed nec ipse homo contra naturam quidquam facit, nisi cum peccat, qui tamen supplicio redigitur ad naturam. Ad naturalem quippe justitiæ ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant : quodlibet horum sit, naturalis ordo servatur, si non ab anima, certe a Deo. Vexant enim peccata conscientiam, ipsique animo nocent, cum luce justitiæ peccando privatur, etiamsi

[1] Editio Er. et unus codex Vaticanus, *operatus videtur. Ergo hujus generis cæcos illuminasse*, etc.

non consequantur dolores, qui vel corrigendis ingerantur, vel non correctis ultimi reservantur. Sed contra naturam non incongrue dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id quod novimus in natura. Hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum nobis cursum solitumque naturæ, contra quem Deus cum aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur. Contra illam vero summam naturæ legem, a notitia remotam, sive impiorum, sive adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra se ipsum non facit. Spiritualis autem eademque rationalis creatura, in quo genere et anima humana est, quanto amplius illius incommutabilis legis lucisque fit particeps, tanto magis videt quid fieri possit, quidve non possit: quanto autem remotior inde fuerit, eo magis miratur insolita, quo minus cernit futura.

CAPUT IV. — Ac per hoc quid de Elia factum sit, nescimus: hoc de illo tamen credimus, quod verax Scriptura testatur. Illud sane scimus, hoc de illo factum quod Dei voluntas habet; quod autem Dei voluntas non habet, fieri de quoquam omnino non posse. Proinde, si mihi dicatur posse fieri ut caro, verbi gratia, hujus vel illius hominis in corpus cœleste mutetur: concedo fieri posse, sed utrum futurum sit nescio; et ideo nescio, quia quid habeat de hac re Dei voluntas, me latet: illud me tamen non latet, sine dubio futurum, sic hoc Dei voluntas habet. Porro si audiam quod aliquid futurum erat, sed Deus fecit ne fieret; fidissime respondebo, Illud potius futurum erat quod Deus fecit, non illud, quod si futurum esset, hoc fecisset [1]. Nam Deus quod facturus erat, utique sciebat, et ideo simul sciebat illud futurum non fuisse, quod ne fieret facturus erat: et procul dubio potius verum est quod scit Deus, quam quod opinatur homo. Unde tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita: quoniam non est in Dei voluntate, ut eo sit aliquid falsum, quo verum est. Quapropter omnia quæ vere futura sunt, sine dubio fient; si autem facta non fuerint, futura non erant: ita omnia quæ vere præterita sunt, sine dubio præterierunt.

CAPUT V. — Quisquis itaque dicit, Si omnipotens est Deus, faciat ut quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt hoc se dicere, Si omnipotens est, faciat ut ea quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt falsa sint. Potest enim facere ut aliquid non sit quod erat; tunc enim facit ut non sit, quando id esse invenerit de quo fiat: velut cum aliquem, qui cœpit esse nascendo, facit non esse moriendo; hoc enim factum invenit, de quo fieret. Quis autem dicat, ut id quod jam non est, faciat non esse? Quidquid enim præteritum est, jam non est: quod si et de ipso fieri aliquid potest, adhuc est de quo fiat; et si est, quomodo præteritum est? Non ergo est, quod vere dicimus fuisse: sed ideo verum est illud fuisse, quia in nostra sententia verum est, non in ea re quæ jam non est. Sententia quippe qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud de quo dicimus, jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati. Quod si quæras ubi sit hæc vera sententia: prius invenitur in animo nostro, cum id verum scimus et dicimus. Sed si et de animo nostro ablata fuerit, cum id quod scimus obliti fuerimus, manebit in ipsa veritate [1]. Semper enim verum erit fuisse illud quod erat, et non est; et ibi verum erit jam fuisse quod erat, ubi verum erat antequam fieret futurum esse quod non erat. Huic veritati Deus non potest adversari, in quo est ipsa summa et incommutabilis veritas, quo illustratur ut sit, quidquid in quorumque animis et mentibus veri est. Omnipotentem autem Deum non ita dicimus, ac si eum etiam mori posse credamus; et quia hoc non potest, ideo non sit dicendus omnipotens. Ille plane omnipotens vere solus dicitur qui vere est, et a quo solo est quidquid aliquo modo est vel spirituale vel corporale. Quia universa creatura sua utitur ut ei placet: placet autem illi secundum veram incommutabilemque justitiam, quod ipse sibi est, omnia mutabilia, cum ipse sit incommutabilis, mutans [2] pro meritis sive naturarum sive factorum. Numquid ergo dicturi sumus quod Elias cum esset creatura, mutari non posset vel in deterius vel in melius; aut eo modo non posset, qui esset humano generi insolitus, secundum Dei omnipotentis voluntatem? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Cur ergo quod de illo in Scriptura veracissima positum est, non credamus? nisi putemus hoc solum posse facere Deum, quod videre consuevimus.

CAPUT VI. — Sed si homo fuit, inquit, Elias, et potuit non mori, cur Christus cum homo non fuerit, non potuerit mori? Tale est ac si quisquam diceret: Si potuit natura hominis in aliquid melius commutari, cur Dei natura in deterius non potuerit? Stulte, quia hominis est natura mutabilis, Dei autem incommutabilis. Posset enim et aliquis pariter insanissimus dicere: Si homini potest donare ut regnet in æternum, cur non et sibi facere ut damnetur in æternum? Non hoc, inquit, ego dico, sed triduanam saltem mortem Dei, æternæ vitæ hominis comparo. Plane si sic acciperes triduanam mortem Dei, ut caro in illo moreretur, quam de mortalium genere assumpsit, verum saperes: nam istam triduanam Christi mortem pro æterna vita hominum factam veritas evangelica prædicat. Cum autem velis tridnanam mortem, nulla mortali assumpta creatura, in ipsa divina natura ideo non absurde credi, quia potest humana natura immortalitate donari; profecto sic desipis, quomodo qui nec Deum nosti, nec dona Dei. Deinde quomodo illud, quod supra posui, non dicis ac sentis, Deum sibi fecisse [3] unde damnetur in æternum, quando pars illa dei vestri in globo in perpetuum configetur? An et hoc dicturus es, quia pars lucis lux est, et pars Dei Deus non est? Postremo ut sine ulla ratiocinatione et plana fidei veritate

[1] Er. Lugd. Ven., *hoc non fecisset.* — M.

[1] Plerique Mss. cum Am. et Er., *manebit ipsa veritate.*
[2] Sola editio Er., *mutare.*
[3] Am. Er. et plerique Mss *sibi non fecisse.*

a nobis audiatis, cur Eliam hominem natum, raptum esse divinitus de terra credamus, Christum autem et ex virgine vere natum, et in cruce vere mortuum : hæc ideo credimus, quia et illud de Elia, et hoc de Christo sancta Scriptura testatur (IV *Reg.* II, 11 ; *Matth.* I, 25, *et* XVII, 50), cui nemo pius nisi qui credit, nisi impius nemo non credit [1]. Illud autem de Elia vos negatis, quia omnia simulatis : de Christo autem quod nasci non potuerit et mori potuerit, nec vos dicitis ; sed ejus ex virgine nativitatem nullam, mortem autem in cruce falsam fuisse contenditis, hoc est etiam ipsam nullam, sed ad ludificandos humanos oculos simulatam ; ad nihil aliud, nisi ut ab eis qui ista crediderint, etiam vobis omnia mentientibus ignoscatur.

CAPUT VII. — Quis autem vobis proponat, quod sibi quasi ex persona catholici Faustus proponit, *Jesus si natus non est, quomodo mortuus est ?* nisi qui parum considerat ipsum Adam et natum non esse, et tamen mortuum esse ? Si voluisset ergo Filius Dei inde sibi humanam carnem veramque formare, unde formavit et illi primo homini, quoniam omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I, 3), quis eum non potuisse audeat affirmare ? Si denique de cœlesti vel aerea vel humida creatura corpus assumptum vellet commutare in humanæ carnis verissimam qualitatem, in qua et vivere ut mortalis homo posset, et mori, hoc eum potuisse facere, quis negaret, omnipotentem omnipotentis Filium ? Postremo si voluisset de nullis elementis corporeis, quæ per eum creata sunt, corpus assumere, sed prorsus ex nihilo sibi creare veram carnem, sicut per eum creâta sunt cuncta quæ non erant ; quis nostrum contradicere, quis nostrum fieri non potuisse contenderet ? Non ergo ideo credimus natum ex virgine Maria, quod aliter in vera carne existere atque hominibus apparere non posset : sed quia sic scriptum est in ea Scriptura, cui nisi credidérimus, nec christiani nec salvi esse poterimus. Credimus ergo ex Maria virgine natum Christum, quia sic scriptum est in Evangelio : credimus crucifixum et mortuum, quia sic scriptum est in Evangelio : et vere natum et vere mortuum, quia veritas est Evangelium. Cur autem illa omnia in carne ex utero feminæ assumpta pati voluerit, summa consilii penes illum est : sive quod utrumque sexum, quem creaverat, etiam hoc modo commendandum honorandumque judicavit, assumendo formam viri, et nascendo de femina ; sive aliqua alia causa, quænam illa sit, non temere dixerim. Illud tamen fidenter dicam, nec aliter factum esse, quam evangelica veritas docuit ; nec aliter fieri oportuisse, quam Dei sapientia judicavit. Evangelii fidem omnibus hæreticorum disputationibus anteponimus : consilium autem sapientiæ Dei supra omne consilium creaturæ cujuscumque laudamus.

CAPUT VIII. — Tamen Faustus, ut sibi credamus hortatur dicens, *Et si mihi vera dicenti vis credere, uterque eorum apud Hebræos falsam traxit opinionem, Jesus de morte, et de immortalitate Elias :* cum paulo post dicat, *Ut enim ab initio sumpta hominis similitudine omnes humanæ conditionis simulavit affectus ; sic ab re non erat, si in fine quoque consignandæ œconomiæ gratia fuisset visus et mori.* Homo pessime ac fallacissime, quomodo tibi ego credam, quasi vera dicenti, cum Christum dicas mortem potuisse mentiri ? Ergo ille mentiebatur, quando dicebat, *Oportet Filium hominis occidi, et tertia die resurgere* (*Luc.* XXIV, 7) ; et tu non mentiris, et dicis ut tibi vera dicenti credamus ? Veracior ergo Petrus, quando ei dixit, *Absit, Domine, non fiet istud ;* et unde meruit audire, *Redi retro, satanas* (*Matth.* XVI, 22, 23). Et ille quidem non hoc infructuose audivit, qui eam postea veritatem mortis Christi usque ad suam mortem correctus perfectusque prædicavit. Verum si ille, quia tantum putavit Christum non moriturum, audire meruit, *Satanas ;* tu quid mereris audire, qui non negas mortuum, sed etiam dicis mortem fuisse mentitum ? Sed ideo, inquis, mortem quoque simulasse credendus est, quia omnes humanæ conditionis simulavit affectus. Quis enim tibi hoc contra Evangelium concessurus est, quod omnes humanæ conditionis simulavit affectus ? Prorsus si [1] dixit evangelista, Dormivit Jesus (*Id.* VIII, 24) ; si dixit, Esurivit (*Id.* IV, 2), sitivit (*Joan.* XIX), contristatus est (*Matth.* XXVI, 37), exhilaratus est, et si qua talia ; omnia vera sunt, quæ ita narrata sunt, ut non eum simulasse, sed plane fecisse vel exhibuisse conscripta sint, sane non necessitate conditionis, sed magisterii voluntate, et divina etiam potestate. Nam homo plerumque etsi nolit, irascitur ; etsi nolit, contristatur ; etsi nolit, dormit ; etsi nolit, esurit, ac sitit : ille autem omnia ista [2], quia voluit. Sic etiam nascuntur homines atque patiuntur, non quia volunt, nec quod volunt [3] ; ille autem etiam ista, quia voluit. Tamen vera hæc et de illo fideliter veraciterque conscripta sunt, ut quisquis Evangelio ejus crediderit, veritate instruatur, non mendaciis illudatur.

[1] Lov., *impius nemo, nisi qui non credit.* Falsum et ex Mss. corrigendum hoc modo, *nisi impius nemo non credit.*

[1] Am. Er. et plures Mss. hoc et proximo loco prætereunt particulam, *si.* Paulo post apud Lov. et Mss. legitur, *et si quid aliud.* Apud Am. et Er., *et si qua tali.*

[2] In editis, *fecit, quia voluit.* Abest, *fecit,* a Mss.

[3] Plures Mss., *nec quando volunt.*

LIBER VIGESIMUS SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Si natus non est Jesus, nec passus est : si autem passus est, ergo et natus est. Non vobis expedit, mihi credite, in his rebus consequentiam quærere naturæ ; alioquin infirmabitur omnis vestra fides. Nam et vos Jesum ex virgine natum sine viri coitu creditis, et si ex conse-

quentibus priora probanda sunt, erit hoc falsum. Poterit enim et vobis responderi in hunc modum, quia si natus est ex femina Jesus, ergo et seminatus ex viro est : si vero seminatus ex viro non est, ergo nec natus ex femina est. Potuit autem, ut vos creditis, nasci non satus : quare ergo non potuerit et pati non partus ?

CAPUT II. — AUGUSTINUS respondit : Nemo tibi proponit quod tibi proponis, nisi imperitus quem decipis, non instructus a quo convinceris [1]. Nam Jesus et nasci potuit non satus, et pati non partus : sed unum horum voluit, alterum noluit. Nasci enim non satus voluit, pati autem non partus noluit : quia partus est passus. Dicis mihi : Unde scis? Quia hoc in Evangelio veritatis lego. Si autem tibi dicam, Unde scis ista quæ dicis ? Manichæi mihi opponis auctoritatem, et dicis esse in Evangelio falsitatem. Ego autem Manichæo ista dicenti non crederem, nec si non mihi Christum mentitum esse laudaret. Quod quidem in Christo non invenit, sed quid ipse diligat prodit.

[1] In Mss., *convincaris*.

LIBER VIGESIMUS OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM. — FAUSTUS dixit : Sed non poterat mori, nisi natus esset. Et ego respondeo, Nec nasci poterat, nisi Deus non esset : aut si potuit et Deus esse et nasci, quare non et non nasci potuerit et mori ? Vides ergo utile satis non esse, in his consequentiam quærere, aut argumentis anniti, cum de rebus agitur quæ pertineant ad Jesum. Sed quærendum potius est, quid ipse de se, quidve Apostoli sui de eodem prædicarint. Ipsaque adeo pertractanda genealogia est, et videndum si sibi conveniat ; non ex conjectura passionis, nativitatis ejus exquirere veritatem : quia et pati non natus potuit, et natus minime pati ; præsertim ipsis vobis fatentibus Deo esse impossibile nihil : quod erit et ipsum falsum, si hoc constiterit, non potuisse mori non natum.

CAPUT II. — AUGUSTINUS respondit : Iterum ac sæpe tibi proponis, quod non audis ab eis a quibus confutaris. Nemo tibi dicit, Non poterat mori, nisi natus esset : quia mortuus est Adam, quamvis natus non fuisset. Sed dicitur tibi : Natus est, quia hoc sanctum Evangelium, non nescio quis hæreticus loquitur : mortuus est, quia hoc in sancto Evangelio, non in libro alicujus hæretici legitur. Sed tu qui prohibes argumentari, cum de rebus agitur quæ pertinent ad Jesum, et quærendum censes quid ipse de se, quidve Apostoli sui de eodem prædicarint, cum cœpero Matthæi Evangelium recitare apostoli ejus, ubi narratio nativitatis ejus tota contexitur, continuo dices illam narrationem non esse Matthæi, quam Matthæi esse dicit universa Ecclesia, ab apostolicis sedibus usque ad præsentes episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichæi, ubi Jesus negatur esse natus ex virgine. Sicut ergo ego credo illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore quo Manichæus vivebat in carne, per discipulos ejus certa successione præpositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus atque perductus est ; sic et istum librum credite esse Matthæi, quem ex illo tempore quo Matthæus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit. Et dic mihi, cujus libro potius credere debeamus ; ejusne apostoli, qui Christo cum adhuc in terra esset, adhæserat, an nescio cujus Persæ, qui tanto post natus est? Sed alium forte proferes librum, qui nomen habeat alicujus apostoli, quem a Christo constat electum, et ibi Christum natum ex Maria non esse lecturus es. Cum ergo necesse sit alterum horum librorum esse mendacem, cui nos potius censes fidem accommodare debere ? Eine quem illa Ecclesia ab ipso Christo inchoata et per Apostolos provecta certa successionum serie usque ad hæc tempora, toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum et conservatum agnoscit atque approbat ; an ei quem eadem Ecclesia incognitum reprobat, cum etiam proferatur ab hominibus ita veracibus, ut Christum laudent esse mentitum ?

CAPUT III. — Hic dicturus es, Genealogia ipsa consideretur duorum Evangelii librorum, utrum sibi conveniat. Jam hinc alibi in hoc opere diximus, quod dicendum fuit (*Supra*, *lib.* 3, *cap.* 3). Neque enim vos movet, nisi quemadmodum duos patres potuerit habere Joseph. Quod si cogitantibus non occurrisset unus qui genuit, alius qui adoptavit, nec sic facile debuistis adversus tantam auctoritatem præproperam proferre sententiam : nunc vero si vel admoniti cogitatis quam hoc fieri potuerit, Evangelio simpliciter credite, et vos potius tam male ac perverse argumentari desistite.

CAPUT IV. — Quod autem putat quærendum esse Faustus, quid de se Jesus ipse prædicaverit ; cui non justum videatur? Sed numquid hoc sciri potest, nisi discipulis ejus narrantibus? Quibus si non creditur annuntiantibus quod de virgine natus sit, quomodo eis fides habebitur annuntiantibus quid de se ipse prædicaverit? Si enim prolatæ fuerint aliquæ litteræ, quæ nullo alio narrante ipsius proprie Christi esse dicantur ; unde fieri poterat ut si vere ipsius essent, non legerentur, non acciperentur, non præcipuo culmine auctoritatis eminerent in ejus Ecclesia, quæ ab ipso per Apostolos succedentibus sibimet episcopis, usque ad hæc tempora propagata dilatatur ; multis in ea jam completis, quæ ante prædicta sunt, et usque in finem quæ restant, sine dubio futuris atque venturis ? Quia et illæ litteræ si proferrentur, utique considerandum erat a quibus proferrentur. Si ab ipso, illis primitus sine dubio proferri potuerunt, qui tunc eidem cohærebant, et per illos etiam ad alios pervo-

nire. Quod si factum esset, per illas quas commemoravi præpositorum et populorum [1] successiones confirmatissima auctoritate clarescerent. Quis est ergo tam demens, qui hodie credat esse epistolam Christi quam protulerit Manichæus, et non credat facta vel dicta esse Christi quæ scripsit Matthæus? aut si etiam de Matthæo utrum ipse ista scripserit dubitat, de ipso quoque Matthæo non potius id credat, quod invenit in Ecclesia, quæ ab ipsius Matthæi temporibus usque ad hoc tempus certa successionum serie declaratur; et credat nescio cui ex transverso de Perside post ducentos vel amplius annos venienti, et suadenti ut illi potius quid Christus dixerit feceritque credatur: cum ipse apostolus Paulus post ascensionem Domini de cœlo vocatus (*Act.* IX), si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando et cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet? Sed cum cognovisset eum hoc annuntiantem, quod etiam illi annuntiabant, et in eorum communione atque unitate viventem, accedentibus etiam per eum talibus signis, qualia et illi operabantur; ita, eum Domino commendante, meruit auctoritatem, ut verba illius hodie sic audiantur in Ecclesia, tanquam in illo Christus, sicut ipse verissime dixit, locutus audiatur (II *Cor.* XIII, 3). Et putat Manichæus credi sibi debere ab Ecclesia Christi, loquenti contra Scripturas, tanta et tam ordinata auctoritate firmatas: per quas ei præcipue commendatum est, ut quisquis illi annuntiaverit præterquam quod accepit, anathema sit (*Gal.* I, 8, 9).

[1] Nonnulli Mss., *præpositorum et Apostolorum*.

CAPUT V. — Sed rationem, inquit, profero, qua demonstrem Scripturis illis non esse credendum. Certe non argumentaris? Et tamen in ipsa quoque argumentatione superaris. Ad hoc enim redigitur omnis argumentatio tua, ut ad extremum credat anima, ideo se in hoc mundo esse miseram, quia miseria sua Deo suo subvenit, ne ille regno privaretur: ejusque naturam atque substantiam usque adeo esse mutabilem, corruptibilem, violabilem, coinquinabilem, ut pars ejus quædam nec mundari valeat, et ab ipso, qui eam sciens innocentem de suis visceribus, nihilque apud se peccantem, tantæ contaminationi permiscuit, æterno globi supplicio puniatur. Iste finis est omnium argumentationum fabularumque vestrarum: quarum utinam sit finis, sed in corde et in ore vestro, ut aliquando tam exsecrandas blasphemias credere ac dicere desinatis. Sed ex ipsis, inquit, litteris probo, quam eis non ubique credendum sit, quoniam contraria sibi loquuntur. Cur non ergo dicis potius nusquam eis esse credendum, tanquam inconstantibus seseque impugnantibus testibus? Sed hoc, inquit, eligo, quod consentaneum video veritati. Cui veritati? Fabulæ scilicet tuæ, habenti in capite bellum Dei, in medio contaminationem Dei, in fine damnationem Dei. Et nusquam, inquit, creditur litteris sibimet adversis atque contrariis. Sed ideo tibi hoc videtur, quia non intelligis: nam et quidquid protulisti quod tale videretur, demonstratum est quam non intelligas; et quidquid proferis, demonstrabitur. Nulla ergo causa est quare illis Litteris tanta auctoritate præditis non credamus: et plane ista maxima causa est cur eos qui aliud annuntiant anathemamus.

LIBER VIGESIMUS NONUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit: Ergo magia erat, quod visus ac passus est, si natus non est. Eadem in te vicissim argumentatio retorquetur, ut magia et illud fuerit, quod utero portatus, aut quod editus sit, si seminatus non fuit. Extra legem naturæ esse constat virginem peperisse, multoque magis inventam etiam post partum virginem. Quare ergo et hoc præter naturam non vis ut contigerit, pati eum potuisse volentem, sine sorte nativitatis? Mihi crede; quantum ad rem attinet, utrique in hoc naturæ contraria profitemur: sed hoc interest, quod nos honeste, vos turpiter: nos passionis ejus rationem aliquam reddimus et probabilem; vos nativitatis aut nullam præstatis, aut falsam: denique nos specie tenus passum confitemur, nec vere mortuum; vos pro certo puerperium fuisse creditis, et utero muliebri portatum. Aut si ita non est, fateamini et vos quia hoc etiam imaginarie sit factum, ut videretur natus, et omnis nobis erit profligata contentio. Nam illud quidem, quod sæpe affirmare soletis, necessario eum esse natum, quia alias hominibus videri aut loqui non posset, ridiculum est; cum multoties, ut jam probatum a nostris [1] est, Angeli et visi hominibus et locuti esse monstrentur.

CAPUT II. — Augustinus respondit: Non vobis dicitur magia esse, ut qui natus non fuerit, moriatur; nam hoc in Adam factum esse jam supra commemoravimus: sed et si nunquam factum fuisset, et Dominus Christus ita venire voluisset, ut non ex virgine assumpta, sed tamen in vera carne apparens, nos vera morte redimeret, quis eum non potuisse dicere auderet? Sed illud melius erat quod fecit, ut etiam de virgine nasceretur, et utrumque sexum, pro quo liberando moriturus erat, dignaretur etiam commendare nascendo, masculino suo corpore ex femina procreato: contra vos ipsos maxime facto ipso loquens, vosque subvertens, qui masculum et feminam non Dei, sed diaboli opus esse prædicatis. Sed illud est quod magiæ simile dicimini asserere, quod passionem mortemque ejus specie tenus factam, et fallaciter dicitis adumbratam, ut mori videretur qui non moriebatur. Ex quo fit ut ejus quoque resurrectionem

[1] Editio Er., *a vestris*.

umbraticam, imaginariam, fallacemque dicatis : neque enim ejus qui non vere mortuus est, vera esse resurrectio potest. Ita fit ut et cicatrices discipulis dubitantibus falsas ostenderit; nec Thomas veritate confirmatus, sed fallacia deceptus clamarit, *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* xx, 28) : et tamen persuadere conamini, lingua vos loqui verum, cum Christum dicatis toto corpore fuisse mentitum. Hæc sunt quæ vobis objiciuntur, qui talem Christum vobis finxistis, cujus discipuli veri non sitis, nisi mendaces vos quoque fueritis. Non autem ideo magia videri potest nata ex virgine hominis caro, quia caro Christi sola ita nata est : sicut nec illa magia est, quia sola Christi caro die tertio resurrexit, nunquam ulterius moritura. Alioquin omnia miracula Dei magica erunt, quia singulariter facta sunt : sed vere facta sunt, verumque ostenderunt, non oculos hominum præstigiis fallacibus illuserunt : quæ quidem contra naturam plerumque appellantur, non quod naturæ adversentur, sed quod naturæ modum, qui nobis est usitatus, excedant. Repellat ergo Dominus a parvulorum suorum mentibus, quod quasi admonendo Faustus persuadere conatus est, ut etiam nos imaginariam, non veram nativitatem Christi profiteamur : atque ita inter nos omnis contentio finiatur ; imo vero maneat nobis adversus illos potius pro veritate certamen, quam cum illis in falsitate concordia.

CAPUT III. — Verumtamen quæro ab eis, si nostra contentio terminatur cum hoc dixerimus, cur hoc ipsi non dicunt? Cur ipsi mortem non veram, sed imaginariam Christi affirmant; nativitatem autem non saltem talem, sed prorsus nullam dicere delegerunt? Si auctoritatis evangelicæ pondere erubuerunt [1], et ideo non ausi sunt Christum non saltem imaginarie passum dicere : nativitatem quoque ejus eadem evangelica testatur auctoritas. Etsi enim duo evangelistæ ipsum partum Mariæ narraverunt (*Matth.* i, 25, *et Luc.* ii, 7); nullus tamen Evangelistarum tacuit, quod habuerit matrem Jesus (*Matth.* ii, 11 ; *Marc.* iii, 32; *Luc.* ii, 33, *et Joan.* ii, 1). An ideo piguit etiam hoc prædicare simulatum, quia generationes alias Matthæus, alias Lucas exsequitur, unde videntur non sibi convenire? Sed da hominem qui non intelligat, putabit etiam in multis quæ ad Christi passionem pertinent, Evangelistas sibi non convenire : da vero qui intelligat, et ubique conveniunt. An quia mortem simulare honestum est, nativitatem autem etiam simulare turpe est? Cur ergo nos hortatur hoc confiteri, quo possit nostra contentio profligari? Unde ergo mihi videatur nativitatem Christi, nec saltem sicut mortem simulatam, sed prorsus nullam prædicare voluisse, in consequenti sermone apparebit, ubi alteri respondebimus quæstioni.

CAPUT IV. — Absit autem ut sit in membris sanctorum etiam genitalibus aliqua turpitudo. Dicuntur quidem inhonesta, quia non habent eam speciem decoris, quam membra quæ in promptu locata sunt (*a*). Sed videte quid dicat Apostolus, cum ex ipsa membrorum corporis nostri unitate atque compage charitatem persuadet Ecclesiæ. *Multo magis*, inquit, *quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt; et quæ videntur viliora esse corporis, iis abundantiorem honorem circumponimus : et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent; quæ autem honesta sunt nostra, non opus habent : sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, majorem honorem dans, ut non essent scissuræ in corpore* (I *Cor.* xii, 22-25). Illicitus itaque, et temperantiæ legibus non subjectus membrorum illorum usus est turpis; non ipsa membra, quæ non solum in excellenti integritate cælibes et virgines servant, sed ipsi conjugati sancti patres ac matres, sic eis generationi tantummodo consulentes utebantur, ut ille naturalis motus nullo modo turpis esset, qui non libidini, sed rationi serviret. Quanto magis ergo in sancta virgine Maria, quæ Christi carnem fide concepit, nihil habuerunt turpitudinis membra, quæ nec humano licitoque conceptui, sed divino tantum partui servierunt? Merito plane sic honestata, ut nobis Christum, quem cordibus integris credendo conciperemus, et confitendo quodammodo pareremus, etiam corporaliter servata integritate transfunderet. Nullo modo enim Christus matrem nascendo faceret deteriorem ; ut cui munus fecunditatis attulerat, decus virginitatis auferret. Hæc veraciter, non fallaciter facta sunt : sed nova sunt, sed insolita sunt, sed contra naturæ cursum notissimum sunt, quia magna, quia mira, quia divina ; et eo magis vera, certa, firmata [1].

Et Angeli, inquit, visi et loquti sunt, quamvis nati non fuerint. Quasi nos dicamus Christum, nisi nasceretur ex femina, nec videri, nec loqui potuisse. Potuit, sed noluit : et hoc melius est quod voluit. Hoc autem eum voluisse ideo certum est, quia hoc fecit, qui nihil necessitate, sicut deus vester, faceret, sed omnia voluntate. Hoc vero eum fecisse, ideo non dubitamus, quia non cuiquam hæretico, sed ejus Evangelio credimus.

[1] Sic Am. Er. et plures probæ notæ Mss. Ab his propius recedunt quatuor Vaticani, qui habent, *Si auctoritatis evangelicæ pondera erubuerunt.* In alio Vaticano et in Cisterciensi legitur : *Sed auctoritatis evangelicæ pondere premi erubuerunt.* In editione Lovaniensium : *Si auctoritati evangeticæ respondere erubuerunt.*

[1] Er. Lugd. et Ven., *firma.* M.

(*a*) II Retract., cap. 7, n. 3.

LIBER TRIGESIMUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : De vobis jamdudum Paulus scripsit, *quia discedent quidam a fide, intendentes spiritibus seductoriis, doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentes mendacium, cauteriatam habentes conscientiam suam, prohibentes nubere, abstinentes a cibis quos Deus creavit, ad percipiendum cum gratia-*

rum actione fidelibus (I *Tim.* IV, 1-3). Nunquam plane tibi ego hæc ab Apostolo dicta esse consenserim, nisi antea confitearis ipse, Moysen et Prophetas doctrinas attulisse dæmoniorum, et seductorii spiritus ac maligni fuisse interpretes, qui a porcina et cæteris carnibus, quas immundas vocant, sollicite doceant abstinendum. De his ergo primo deliberandum vobis est, et diu multumque cogitandum, hæc qui debeant accipi[1], in Deone ipsi hæc, an in dæmonio locuti videantur. Hac enim tenus, aut Moyses et Prophetæ nobiscum damnati erunt, aut et nos cum illis absoluti. Neque enim justa hæc nunc vestra sententia est, ut nos quidem, qui solum in plebe sacerdotale hominum genus censeamus a carnibus abstinere debere, dæmoniorum doctrinæ videamur vobis assectatores : vestros vero Prophetas, atque ipsum adeo Moysen, qui primus non antistitibus solum, sed omni confuse hominum generi suilla interdixerit, et leporina, et hericina[2] carne, et sepiis ac lolliginibus, cæterisque generibus piscium carentibus squama (*Levit.* XI), non in spiritu seductorio hoc, nec in doctrina dæmoniorum, sed in Deo potius et in sancto Spiritu locutos esse arbitremini. Igitur ut hoc tibi interim Paulum dixisse concedam, victus tamen abs te non ante fuero, quam tu Moysen damnaveris et Prophetas : ut quod ratione convictus et veritate nunquam fortasse fecisses, id nunc ventris causa facere videaris, blasphemare Moysen.

CAPUT II. — Est vero et aliud de tribus pueris apud vos in Daniele, quo vehementer perinde confundemini, si istud constiterit, a cibis abstinere, dæmoniorum esse religio. Illi enim non tantum ab interdictis Lege, sed etiam a concessis abstinuisse leguntur (*Dan.* I, 12) : quos vehementer mirari soletis, et in martyribus numerare; cum sint et ipsi doctrinam assecuti dæmoniorum, si hoc esse Apostoli testimonium constat. Ad hæc et Daniel ipse tribus hebdomadis dierum jejunasse se perhibet, et carnem non edisse, nec bibisse vinum, dum exoraret pro populo suo (*Id.* X, 2, 3). Quid ergo et hic in doctrina se dæmoniorum magnificat, et de seductorii spiritus commento gloriam captat?

CAPUT III. — De vobis vero quid dicam? id est, de christianioribus apud vos, quorum nonnulli quidem porcina, plerique vero quadrupede omni, alii etiam cuncto animali penitus abstinent, fertque ob hoc in oculis eos omnis Ecclesia, et summa cum veneratione suscipiens, solum non deos existimat. Nec videtis, indociles, quia si hoc verum, et ab Apostolo dictum testimonium est, dæmoniorum et ipsi sunt ludificati doctrinis. Quid vero et de illo dicemus, quod sane frustrari quis audeat aut abnegare, cum constet hoc inter omnes, et æque per orbem terrarum quotannis omni cum studio celebretur in conventu catholico? Dico autem Quadragesimam, quam qui inter vos rite observandam putaverit, abstineat necesse est omnibus his quæ capitulum hoc a Deo ad percipiendum nobis creata dicit, et dæmoniorum insuper doctrinam vocat abstinentiam prædictorum. Quid ergo et vos, charissimi? ritune tunc dæmoniorum vivitis, cum hæc a vobis passionis Christi celebrantur mysteria, et seductorii spiritus fraude capimini, et in hypocrisi loquimini mendacium, et cauteriatam habetis conscientiam vestram? Quod si horum nihil vos; nec nos igitur. Quid ergo sibi vult capitulum hoc, aut a quo scriptum putabimus, et contra quos, quod nec Veteris Testamenti traditiones, nec Novi confirmet scita? Siquidem hoc ab omnibus, ut ex vobis ipsis apparet; illud vero a quibusdam quamvis, abstineri tamen docet : sententia vero hæc vestra cunctam penitus carnalium ciborum abstinentiam, dæmoniorum vult esse doctrinas. Cui si et vos creditis, eadem sæpius dixero, damnate Moysen, renuntiate Prophetis, ferte parem et de vobis ipsis sententiam : quia ut illi semper a quibusdam ciborum, sic vos interdum abstinetis ab omnibus.

CAPUT IV. — Aut si Moyses vobis et Prophetæ, cum escas dijudicant, Dei legem sancire videntur, et non dæmoniorum; si Daniel in Spiritu sancto observavit tres hebdomadas; si Ananias, Azarias, et Misael pueri, divinæ mentis instinctu, oleribus uti maluerunt et leguminibus; si denique in vobis quotquot abstinent, non a dæmoniis impulsi id faciunt; si Quadragesima sine vino et carnibus non superstitiose a vobis, sed divina lege servatur : videte, quæso, videte, ne summæ dementiæ hoc sit a Paulo dictum putare, quod dæmoniorum doctrina sit abstinentia omnis ciborum, et prohibere nubere : quemadmodum nec illud quod dicit etiam virgines dicare Christo, dæmoniorum esse doctrinas; quod vos perinde sine consideratione legentes, ut cætera, ad nos subinde respicitis : nec videtis hinc et virgines vestras dæmoniorum doctrina captas notari, et vos esse antistites dæmoniorum, qui certatim semper ad hanc eas incitetis professionem suasionibus vestris, ut pene jam major in Ecclesiis omnibus virginum apud vos, quam mulierum numerositas habeatur? Quid ergo non et vos jam desistitis a talibus incœptis? Quid in fraudem miseras inducitis filias hominum, si non in eis Christi voluntas impletur, sed dæmoniorum? Et tamen hoc nobis primo respondeatis velim, utrum omnino virgines facere, doctrina sit dæmoniorum, an solum per prohibitionem facere nubendi? Si per prohibitionem, nihil ad nos : nam et ipsi tam stultum judicamus inhibere volentem, quam nefas et impium satis nolentem cogere. Si vero favere huic quoque proposito et non reluctari volenti, id quoque doctrinam putatis esse dæmoniorum, taceo nunc vestrum periculum, ipsi jam timeo Apostolo, ne dæmoniorum doctrinam intulisse tunc Iconium videatur, cum Theclam oppigneratam jam thalamo, in amorem sermone suo perpetuæ virginitatis incendit. Quid vero et de magistro ipso dicemus, ac sanctimonii totius auctore Jesu, et hujus ipsius professionis puellarum cœlibe sponso[1], qui in Evangelio tria genera taxans spadonum, unum

[1] Er. Lugd. Ven., *ecquid debeat accipi.* Lov., *hæc quid debeant accipi.* M.

[2] Lov., *hircina.* Verius editi alii et Mss., *hericina*, aut, *ericina.*

[1] In Mss., *cœlite sponso.*

nativum, alterum factitium, tertium voluntarium, eis tamen palmam attribuit, *qui se ipsos, inquit, spadones fecerunt propter regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 12); significans virgines et pueros qui nubendi ipsa a cordibus suis exsecta cupiditate, spadonum vice in ejus Ecclesia semper, tanquam in domo regia conversentur? Quid ergo, et hoc vobis doctrina videtur esse dæmoniorum, et in seductorio spiritu dictum? Et quis erit alius in Deo loquens, si Paulus et Christus dæmoniorum probantur fuisse sacerdotes? Mitto enim cæteros ejusdem Domini nostri Apostolos, Petrum et Andream, Thomam et illum inexpertem Veneris inter cæteros beatum Joannem, qui per diversa professionem[1] boni istius inter virgines ac pueros divino præconio cecinerunt, formam nobis atque adeo vobis ipsis faciendarum virginum relinquentes. Sed hos quidem, ut dixi, prætereo; quia eos vos exclusistis ex canone, facileque mente sacrilega vestra dæmoniorum his potestis importare doctrinas. Num igitur et de Christo eadem dicere poteritis, aut de apostolo Paulo, quem similiter ubique constat, et verbo semper prætulisse inptis innuptas, et id opere quoque ostendisse erga sanctissimam Theclam? Quod si hæc dæmoniorum doctrina non fuit, quam et Theclæ Paulus, et cæteri cæteris annuntiaverunt Apostoli, cui credi jam poterit hoc ab ipso esse memoratum, tanquam sit dæmoniorum voluntas et doctrina, etiam persuasio sanctimonii? Non ergo est interim quod vos existimetis solis hortamentis virgines facere, et non prohibitione nubendi. Nobis enim quoque hoc ipsum insitum est: et demens profecto ille, non tantum stultus putandus est, qui id existimet lege privata prohiberi posse, quod sit publica concessum: dico autem hoc ipsum nubere. Quapropter et nos hortamur quidem volentes ut permaneant, non tamen cogimus invitas ut accedant. Novimus enim quantum voluntas, quantum et naturæ ipsius vis etiam contra legem publicam valeat, nedum adversus privatam, cui respondere sit liberum, Nolo. Si igitur hoc modo virgines facere sine crimine est, extra culpam sumus et nos: sin quoquo genere virgines facere crimen est, rei estis et vos. Jam qua mente aut consilio hoc adversum nos capitulum proferatis, ego non video.

CAPUT V.—AUGUSTINUS respondit: Audi ergo, quod confiteris te non videre, qua mente aut consilio hoc adversum vos capitulum proferamus: non quod a carnibus abstineatis, nam hoc a quibusdam et primi patres nostri fecerunt, sicut commemoras; non tamen ea damnandi, sed significandi gratia, quod non intelligitis, et unde jam quantum sufficere videbatur, in superioribus partibus operis hujus locutus sum: et Christiani, non hæretici, sed Catholici, edomandi corporis causa, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quod illa esse immunda credant, non solum a carnibus, verum a quibusdam etiam terræ fructibus abstinent; vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus sicut per Quadragesimam fere omnes, quanto magis quisque vel minus seu voluerit, seu potuerit. Vos autem ipsam creaturam negatis bonam, et immundam dicitis, quod carnes diabolus operetur fæculentiore materia mali; ac per hoc eas, tanquam immundiora et truculentiora dei vestri vincula, exhorrentes abjicitis. Auditoribus autem vestris, quos tanquam distinctos a genere sacerdotum dixisti, secundum veniam hæc edenda conceditis: sicut quibusdam concedit Apostolus secundum veniam, non omnem concubitum conjugalem, etiam qui fit sola causa generandi; sed eum qui fit per incontinentiam, sed tamen cum conjuge (I *Cor.* VII, 5, 6). Neque enim conceditur secundum veniam, nisi peccatum. Hoc vos de omni carnium cibo sentitis, hoc et ipsi ab hæresi vestra didicistis, et vestros auditores docetis: sed illis quod sit ignoscendum, propter quod vobis necessaria ministrant, ut dixi, concedatis, non dicentes non esse peccatum, sed peccantibus veniam largientes; vos autem ab omni tali tanquam mala et immunda contagione abstinetis: ac per hoc illud quod sequitur ea verba Apostoli, quibus commemorationem hujus capituli terminasti, ipsum est omnino quod nos facit hoc testimonium vobis objicere; quod et tu, puto, sciebas, ut ea verba primo non ponerres, et nobis in extremo diceres, *Qua mente aut consilio hoc adversum nos capitulum proferatis, ego non video;* cum hoc ipsum nostrum consilium tacere quam commemorare malueris. Cum enim Apostolus dixisset, *Abstinentes a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus;* secutus ait, *Et iis qui cognoverunt veritatem: quoniam omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (I *Tim.* IV, 3-5). Hæc sunt quæ negatis; hoc animo, hac voluntate, hac opinione ab escis hujusmodi temperatis, quod non significatione, sed natura malæ et immundæ sint. Qua in re creatorem earum sine dubio blasphematis: hoc est quod pertinet ad doctrinam dæmoniorum. Nolite ergo mirari hoc de vobis tanto ante a sancto Spiritu prophetatum.

CAPUT VI.— Iterum si ad virginitatem sic adhortaremini, quemadmodum hortatur apostolica doctrina, *Qui dat nuptum, bene facit; et qui non dat nuptum, melius facit* (I *Cor.* VII, 38): ut bonum esse nuptias diceretis, sed meliorem virginitatem, sicut facit Ecclesia, quæ vere Christi est Ecclesia: non vos Spiritus sanctus ita prænuntiaret, dicens, *prohibentes nubere* (I *Tim.* IV, 3). Ille enim prohibet, qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit. Denique vos eum præcipue concubitum detestamini, qui solus honestus et conjugalis est, et quem matrimoniales quoque tabulæ præ se gerunt, Liberorum procreandorum causa: unde vere non tam concumbere, quam nubere prohibetis. Concumbitur enim etiam causa libidinum, nubitur autem nonnisi filiorum. Nec ideo vos dicatis non prohibere, quia multos vestros Auditores in hoc obedire nolentes vel non valentes salva amicitia toleratis. Illud enim habetis in doctrina vestri erroris, hoc in necessitate societatis,

[1] In Mss., *possessionem.*

Hinc est quod paulo ante distuleram dicere, cur vobis mors Christi visa sit vel fallax et simulata prædicanda, et non etiam nativitas. Mortem quippe tanquam separationem animæ, id est, naturæ dei vestri a corpore inimicorum ejus, hoc est a figmento diaboli, prædicatis atque laudatis : ac per hoc rem dignam fuisse credidistis, quam Christus etsi non moriens, tamen mortem simulans commendaret. In nativitate autem quia non solvi, sed ligari potius deum vestrum creditis, hanc nec saltem fallaciter imaginatum Christum credere voluistis : ita ut non sic vobis Maria displiceret, si concubuisset, et non concepisset, quomodo displicet, quia non concubuit, et tamen peperit. Videtis ergo multum interesse inter hortantes ad virginitatem, bono minori bonum amplius præponendo ; et prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui solus proprie nuptialis est, vehementius accusando : multum interesse inter abstinentes a cibis, propter sacramenti significationem [1], vel propter corporis castigationem; et abstinentes a cibis, quos Deus creavit, dicendo quod eos Deus non creavit. Proinde illa doctrina est Prophetarum et Apostolorum, hæc dæmoniorum mendaciloquorum.

[1] Ita Mss. At editi, *propter sacratam significationem.*

LIBER TRIGESIMUS PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.— Faustus dixit : *Omnia munda mundis, immundis autem et coinquinatis nihil mundum ; sed inquinata sunt eorum et mens et conscientia.* Hoc quoque ipsum, utrum vobis expediat a Paulo dictum credere, considerandum est : hactenus enim non tantum dæmoniis exagitatos constitit Moysen et Prophetas, cum tantas de ciborum differentiis tulerint leges ; sed etiam quod immundi ipsi fuerint et coinquinati mente atque conscientia sua, ut congrue in ipsos et illud cadere possit quod sequitur, *Deum se scire profitentur, operibus autem negant* (*Tit.* I, 15, 16). Cui autem hoc magis competit, quam Prophetis atque Moysi, qui longe aliter vixisse probantur, quam Dei cognitoribus congruebat. Ego tamen nunc usque, præter adulteria, et fraudes et homicidia, nihil aliud esse putaveram, unde conscientias pollutas habuisse viderentur Moyses et Prophetæ : nunc autem hoc demonstrante capitulo, scire jam datur etiam hinc eos inquinatæ mentis fuisse, quia aliquid putaverint inquinatum. Quorsum ergo talibus etiam nunc vos visionem divinæ majestatis contingere potuisse arbitramini, cum sit scriptum, nisi eos qui corde puri fuerint, Deum videre non posse (*Matth.* v, 8)? At verò hi etiam si casti ab illicitis facinoribus exstitissent ; sola tamen hæc abstinendi a quibusdam escis superstitio, si mentem contaminat, divinitatis eis potuit negasse conspectum. Evanuit ergo jam, atque exstincta simul est Danielis quoque illa ac trium puerorum gloriatio : qui et ipsi usque ad hanc prædicationem quæ censet nihil immundum, castissimi plane ac bonæ mentis juvenes habiti sunt in Judaismo, quia scilicet paternarum memores traditionum, a Gentium dapibus, et maxime immolatis, omni cum studio se conservaverint illibatos (*Dan.* I, 12). Nunc enim demum apparuit et ipsos contaminatos fuisse mentibus et conscientia, tum maxime, cum os [1] a sanguine et cibis feralibus abstinebant.

CAPUT II. — Sed illos fortasse excuset ignorantia ; necdum enim apparente christiana hac fide quæ doceret omnia esse munda mundis, quædam et ipsi putaverint esse non munda : vos vero, qua nunc excusatione utimini, si Paulo clamante nihil esse non mundum, et doctrinas dæmoniorum appellante ciborum abstinentiam (1 *Tim.* IV, 1, 3), et mente pollutos vocante qui aliquid putaverint inquinatum, non solum abstinetis, ut diximus, sed etiam gloriam captatis exinde, et eo acceptiores vos creditis Christo, quo eritis abstinentiores a cibis ; id est, secundum hanc sententiam, quo mentibus inquinati magis et magis conscientia vestra polluti ? Quid, quod etiam cum tres in mundo religiones sint, quæ mentis purgationem pariter in castimoniis et abstinentia, ritu quamvis diversissimo reponunt, dico autem Judæos, et Christianos, et Gentes, ex quanam istarum religionum sermo hic veniat, non potest inveniri, qui docet nihil esse non sanctum ? certe ex Judaismo minime ; itidem ex Paganismo, quia ipsum quoque discriminat cibos ; nec quidquam interest, nisi quod Hebræus in quibusdam animalibus a Paganis dissentit. Restat christiana fides, cujus si proprium hoc esse putas, nihil existimare pollutum, prius est ut fatearis in vobis esse neminem christianum. Omnes enim apud vos, ut cætera reticeam, morticina tamen et immolata inquinamentum existimant esse non parvum (*Act.* XV, 29) : aut si et a vobis jure Christianitatis hoc agitur, ne hujus quidem ergo religionis sententia est, quæ omnem penitus immundorum abstinentiam tollit. Quorsum ergo a Paulo id dici potuit, quod nulli sit religioni conveniens ? Etenim Apostolus non tam religionem exuit, quam ritum mutavit, cum ex Judæo factus est Christianus. At vero qui hoc capitulum scripsit, videtur ille mihi nulla prorsus religione fuisse subnixus.

CAPUT III. — Quapropter, si quid de cætero in læsionem nostræ fidei de Scripturis quærentes inveneritis, tunc demum id nobis opponere mementote, cum vobis perviderit non esse contrarium : quemadmodum et illud, quod de Petro soletis afferre, tanquam idem viderit aliquando de cœlo demissum vas, in quo essent omnia genera animalium et serpentes ; atque eo attonito et admirante, vox audita sit dicens ad eum, *Petre*, quidquid in vase vides, *macta, et manduca.* Cui idem respondens : *Domine, commune*, inquit, *et immundum non contingam.* Et iterum vox ad

[1] Am. Er. et plures Mss. omittunt, *os.* Alii Mss. ejus loco habent, *omnes.*

cum : *Quod ego sanctificavi, immundum ne vocaveris* (*Act.* x, 11-15). Quod quidem ipsum licet et per allegoriam aliud quiddam, et non indifferentiam videatur significare ciborum; tamen quia vobis et hoc ita intelligere placet, vescamini igitur necesse est passim belluis omnibus, et echidnis[1] et colubris, ac reliquo omni genere serpentino juxta horama Petri. Hactenus enim vere dicto audientes vos esse probabilis voci quam fertur audisse : et tamen hujus quoque memineritis semper, quia Moyses hinc et Prophetæ damnati sunt, qui de iis quæ sanctificaverit Deus juxta vocis hujus sententiam, multa putaverint esse polluta.

CAPUT IV. — Augustinus respondit : Cum ait Apostolus, *Omnia munda mundis* (*Tit.* I, 15), naturas ipsas intelligi voluit, quas Deus creavit, secundum illud quod Moyses in Genesi scripsit, *Et fecit Deus omnia : et ecce bona valde* (*Gen.* I, 31); non significationes, secundum quas Deus per eumdem Moysen ab immundis munda discrevit (*Levit.* XI) : unde quia multa et multis locis jam diximus, nunc breviter admonuisse sufficerit. Proinde illos qui jam tempore revelationis Novi Testamenti, adhuc illas umbras futurorum ita custodiendas putarent, ut sine iis Gentes salutem, quæ in Christo est, percipere non posse contenderent, immundos dicit Apostolus, quod carnaliter saperent; et infideles, quod tempus gratiæ a Legis tempore non discernerent. Quibus ideo dicit nihil esse mundum, quia et iis quæ respuebant, et iis quæ sumebant, non sancte nec juste utebantur : sicut omnes quidem infideles, sed vos præcipue, Manichæi, quibus omnino nihil est mundum. Neque enim cibus ipse quem sumitis, quamvis eum magna diligentia quasi a carnis contagione separetis, mundus est vobis, quem creatum nisi a diabolo non dicitis. In illo etiam deum vestrum ligatum atque pollutum vos edendo purgare perhibetis. Vos saltem vobis mundi videremini, quorum ventribus meretur ille purgari. Sed et vestra corpora naturam et opificium gentis tenebrarum esse contenditis, animas autem vestras ipsis adhuc corporibus inquinatas. Quid ergo vobis est mundum? Non quæ sumitis, non quo mittitis ea quæ sumitis, non vos ipsi qui sumpta purgatis. Videtis ergo propter quos tunc istam sententiam dixit Apostolus : talem tamen dixit, quæ omnes infideles et immundos teneret, sed vos præcipue maximeque convinceret. *Omnia* ergo *munda mundis*, secundum naturam in qua creata sunt : non tamen omnia secundum significationem munda primo populo Judæorum : nec nobis omnia, vel propter salutem corporis, vel propter consuetudinem humanæ societatis, apta sunt; sed cum sua cuique reddantur et naturalem ordinem servant, *omnia munda* sunt *mundis; immundis autem et infidelibus*, quales præcipue vos estis, *nihil est mundum*. Cætera jam verba Apostoli quæ sequuntur, vos ipsi vobis salubriter diceretis, si cauteriatam vestram conscientiam sanari velletis. Sequitur enim : *Sed polluta sunt eorum et mens et conscientia.*

[1] Aliquot Mss., *et echinis.*

LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Si accipis Evangelium, credere omnia debes, quæ in eodem scripta sunt. Quid enim tu, quia Vetus accipis Testamentum, idcircone credis omnia passim quæ in eodem scripta sunt? Nempe solas indidem excerpentes prophetias quæ regem Judæis venturum significabant, quia ipsum putatis esse Jesum; et pauca quædam disciplinæ civilis præcepta communia, ut est, *Non occides*, *Non mœchaberis* (*Exod.* XX, 13, 14); cætera prætermittitis, et arbitramini esse non minus atque eadem quæ Paulus putavit stercora (*Philipp.* III, 8). Quid ergo peregrinum hoc, aut quid mirum est, si et ego de Testamento Novo purissima quæque legens et meæ saluti convenientia, ea prætermitto quæ a vestris majoribus inducta fallaciter, et majestatem ipsius et gratiam decolorant?

CAPUT II. — An si Patris Testamentum habet aliqua in quibus parum debeat audiri (Patris enim esse vultis Judaicam legem, cujus novimus quam multa vobis horrorem, quam multa pudorem faciant, ut quantum ad animum jamdudum ipsi judicaveritis eam non esse sinceram, quamvis partim Pater ipse, ut creditis, digito suo eam vobis, partim Moyses scripserit, fidelis et integer), solius Filii putatis Testamentum non potuisse corrumpi, solum non habere aliquid quod in se debeat improbari? præsertim quod nec ab ipso scriptum constat, nec ab ejus Apostolis, sed longo post tempore, a quibusdam incerti nominis viris, qui ne sibi non haberetur fides, scribentibus quæ nescirent, partim Apostolorum nomina, partim eorum qui Apostolos secuti viderentur, scriptorum suorum frontibus indiderunt, asseverantes secundum eos se scripsisse quæ scripserint. Quo magis mihi videntur injuria gravi affecisse discipulos Christi : quia quæ dissona iidem et repugnantia sibi scriberent, ea referrent ad ipsos, et secundum eos hæc scribere se profiterentur Evangelia, quæ tantis sint referta erroribus, tantis contrarietatibus narrationum simul ac sententiarum, ut nec sibi prorsus, nec inter se ipsa conveniant. Quid ergo aliud est, quam calumniari bonos, et Christi discipulorum concordem cœtum in crimen devocare discordiæ? Quæ quia nos legentes, animadvertimus cordis obtutu sanissimo, acquissimum judicavimus utilibus acceptis ex iisdem, id est, iis quæ et fidem nostram ædificent, et Christi Domini atque ejus Patris omnipotentis Dei propagent gloriam, cætera repudiare, quæ nec ipsorum majestati, nec fidei nostræ conveniant.

CAPUT III. — Proinde nec vos, ut dicere cœperam,

de Testamento Vetere circumcisionem creditis accipiendam carnaliter, quamvis ita sit scriptum (*Gen.* xvii, 9-14); neque sub otio ac vacatione colendum sabbatum, quamvis ita legatur (*Exod.* xxxi, 13); sed nec sacrificiis, ut Moysi videtur, et immolationibus placandum Deum (*Levit.* i): sed hæc quidem ut aliena prorsus et procul a ritu christiano posita, ac nulla ex parte probabilia contempsistis. Quædam vero eorum etiam divisistis in duo, et partim quidem amplectimini, partim vero respuitis: ut Pascha, quod est et ipsum Testamenti Veteris anniversale sacrum, cujus in celebratione cum sit scriptum vobis, non solum agnum mactare edendum sub nocte, sed etiam diebus septem abstinere fermento, et esse contentos azymo cum picridiis (*Exod.* xii); vos Pascha quidem assumitis, prætermittitis vero ritum illum ac morem, quo cautum est idem debere servari. Item septem dierum hebdomadas, id est, Pentecosten, quam perinde Moyses certo quodam sacrificiorum et genere et numero imbuendam censet (*Levit.* xxiii), vos æque colitis; sed damnata parte ejus, id est, litationibus ipsis et sacrificiis, quia hæc cum christiana fide non congruunt. De mandato vero abstinendi a cibis communibus visum vobis est et vehementer creditum, morticina quidem et immolata esse sane immunda (*Act.* xv, 29): de porcina vero idem credere noluistis, nec de lepore aut herinacio, neque de mullis et lolliginibus, cæterisque quæ vobis sapuere generibus piscium; quamvis eadem Moyses omnia immunda esse testetur (*Levit.* xi).

CAPUT IV. — Illa vero jam ne audire quidem vos velle credo ex Testamento Vetere, nedum admittere, id est, soceros dormire cum nuribus, tanquam Judas; patres cum filiabus, tanquam Loth; Prophetas cum fornicatricibus, tanquam Osee: maritos uxorum suarum noctes amatoribus vendere, tanquam Abraham; duabus germanis sororibus unum misceri maritum, tanquam Jacob; rectores populi, et quos maxime entheos credas, millenis et centenis volutari cum scortis, tanquam David et Salomon; aut illud item quod lege uxoria cautum in Deuteronomio est, debere uxorem defuncti fratris, si idem sine filiis obierit, superstiti fratri nubere, et eumdem sobolem ex eadem in locum suscitare fratris: quod facere si noluerit vir, debere mulierculam apud majores natu deponere de hac impietate cognati sui querelam, ut iidem accersitum eum censoria gravitate coerceant; qui si pernegaverit, apud eos non ferat impune, sed excalceatus dextri pedis calceamento, a prædicta muliere cædatur in faciem, et consputus ac maledictus recedat, habiturus hoc opprobrium sempiternum in progenie sua (*Deut.* xxv, 5-10). Hæc igitur atque alia hujusmodi sunt Testamenti Veteris et exempla et jura: quæ si bona sunt, cur non imitamini? si mala, cur non damnatis auctorem, id est, Testamentum ipsum Vetus? Aut si falsa hæc ei, tanquam nos de Novo credimus, etiam vos putatis inserta, pares ergo sumus. Desinite iam proinde id a nobis exigere in Testamento Novo, quod vos non servatis in Vetere.

CAPUT V. — Equidem ego quantum arbitror, quatenus id jam persuasum esse voluistis, ut sit ex Deo etiam Testamentum Vetus, commodius satis atque excusatius vobis est, non servantibus ejus mandata, si fateamini incongruis esse adjectionibus vitiatum, quam si inviolatum idem spernatis et incorruptum. Proinde hanc de vobis ego sententiam habui semper, et habeo, quoties quæritur cur prævaricemini Testamenti Veteris jussa, quod ejus aut ut sapientes contemnitis falsa, aut ut contumaces et indevoti negligitis vera. Interim quia me ad credenda omnia quæ Novi Testamenti monumentis inserta sunt, cogis, si ipsum accipiam; scias et te, quantum ad animum, multa non credere, quæ in Vetere sint Testamento, quamvis ipsum te profitearis accipere. Neque enim et illud in confessis ex eodem habes et credibilibus, esse maledictum omnem qui pependerit in ligno (*Deut.* xxi, 23); quia id utique pertineat et ad Jesum: aut eum quoque in maledictis haberi, qui non suscitaverit semen in Israel; quia id virgines quoque omnes comprehendat, et pueros Dei: aut funditus interiturum eum de genere suo, qui non fuerit carnem præputii circumcisus (*Gen.* xvii, 14); quia hoc quoque ad omnem pertineat christianum: aut lapidibus exstinguendum eum qui solverit sabbatum (*Num.* xv, 35): aut non parcendum ei qui unum quodlibet Testamenti Veteris mandatum ruperit. Quæ omnia si tu credas, firmumque habeas quia sint eadem a Deo mandata, mihi crede, manus prior injecisses in Christum; nec nunc irascereris Judæis, qui hunc animis ac viribus persecuti, Dei sui mandata complerint.

CAPUT VI. — Equidem haud ignoro quin vos hæc non audeatis dicere falsa, sed quia sint eadem pro tempore tunc mandata Judæis usque ad adventum scilicet Jesu: qui quoniam venerit ab eodem prænuntiatus, ut vultis, Vetere Testamento, ipse jam doceat, quid accipiendum nobis ex eodem sit, et quid relinquendum. Sed an prophetæ Jesum præsagiverint [1], postea videbimus: interim ad hæc me nunc respondere oportet, quia si Jesus per Testamentum Vetus annuntiatus, nunc dijudicat et carminat [2], docetque pauca ejus accipienda esse, repudianda vero quamplurima; et nobis Paracletus ex Novo Testamento promissus perinde docet, quid accipere ex eodem debeamus, et quid repudiare; de quo ultro Jesus, cum eum promitteret, dicit in Evangelio, *Ipse vos inducet in omnem veritatem, et ipse vobis annuntiabit omnia, et commemorabit vos* (*Joan.* xvi, 13). Quapropter liceat tantumdem et nobis in Testamento Novo per Paracletum, quantum vobis in Vetere licere ostenditis per Jesum: nisi forte pluris vobis Testamentum videtur Filii ille quam Patris, si modo Patris est, ut cum ex illo reprobentur tam multa, hujus solius nihil non debeat approbari; præsertim quod nec a Christo scriptum constat, ut diximus, nec ab ejus Apostolis.

CAPUT VII. — Quapropter, ut vos ex Vetere Te-

[1] Am. Er. et Mss., *præsagaverint.*
[2] Am., *terminat.* Quidam Mss., *determinat.*

stamento solas admittitis prophetias, et illa quæ superius diximus, civilia atque ad disciplinam vitæ communis pertinentia præcepta; supersedistis vero peritomen, et sacrificia, et sabbatum et observationem ejus, et azyma : quid ab re est, si et nos de Testamento Novo sola accipientes ea quæ in honorem et laudem Filii majestatis vel ab ipso dicta comperimus, vel ab ejus Apostolis, sed jam perfectis ac fidelibus, dissimulavimus cætera, quæ aut simpliciter tunc et ignoranter a rudibus dicta, aut oblique et maligne ab inimicis objecta, aut imprudenter a scriptoribus affirmata sunt, et posteris tradita? dico autem hoc ipsum natum ex femina turpiter, circumcisum Judaice, sacrificasse Gentiliter, baptizatum humiliter, circumductum a diabolo per deserta, et ab eo tentatum quam miserrime. His igitur exceptis, et si quid ei ab scriptoribus ex Testamento Vetere falsa sub testificatione injectum est, credimus cætera, præcipue crucis ejus mysticam fixionem, qua nostræ animæ passionis monstrantur vulnera; tum præcepta salutaria ejus, tum parabolas, cunctumque sermonem deificum, qui maxime duarum præferens naturarum discretionem, ipsius esse non venit in dubium. Nihil ergo est jam cur me omnia credere existimes debere, quæ continent Evangelia; cum tu, ut supra ostensum est, Testamenti Veteris supremum liquorem vix summis, ut aiunt, labris attingas.

CAPUT VIII. — Augustinus respondit : Nos Veteris Testamenti Scripturas omnes, ut dignum est, veras divinasque laudamus : vos Scripturas Novi Testamenti tanquam falsatas corruptasque pulsatis[a]. Nos ea quæ nunc de Libris Testamenti Veteris non observamus, congruenter tamen illo tempore ac jure illi populo fuisse præcepta, nobisque in eis ipsis quæ non observamus, significata quæ intelligamus et spiritualiter teneamus, non solum dicimus, sed in apostolicis quoque Litteris ostendimus et docemus : vos autem omnia quæ in libris Novi Testamenti non accipitis, omnino reprehenditis; nec a Christo, nec ab Apostolis ejus dicta vel conscripta asseveratis. Videtis ergo quantum inter nos et vos, quod ad hanc rem attinet, distet. Cum itaque a vobis quæritur, quare non omnia in libris Novi Testamenti accipitis, sed in eis libris, in quibus approbatis aliqua, multa respuitis, reprehenditis, accusatis, a corruptoribus inserta esse contenditis; nolite in exemplum assumere distinctionem fidei vel observationis nostræ, sed rationem reddite præsumptionis vestræ.

CAPUT IX. — A nobis enim si quæratur, cur non eo ritu colamus Deum, quo coluerunt Hebræi patres tempore Veteris Testamenti : respondemus, aliud nobis Deum præcepisse per patres Novi Testamenti; neque hoc contra Vetus Testamentum, cum et in illo id ante sit prædictum. Sic enim hoc ipsum prænuntiatum est per prophetam : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda Testamentum Novum; non secundum Testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut ejicerem eos de terra Ægypti* (*Jerem.* xxxi, 31, 32). Ecce quia et hoc prophetatum est, non perseveraturum illud Testamentum, sed futurum Novum. Hic si objectum fuerit, non nos pertinere ad domum Israel et domum Juda; ex doctrina apostolica nos defendimus, quia semen Abrahæ Christum esse docet Apostolus, nobisque ad corpus ejus pertinentibus dicit, *Ergo Abrahæ semen estis* (*Galat.* iii, 29). Porro si quæsitum a nobis fuerit, cur illius Testamenti auctoritatem teneamus, cujus ritum non observamus; et ad hoc ex Litteris apostolicis respondemus : ait enim Apostolus, *Nemo ergo vos judicet in cibo et potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quod est umbra futurorum* (*Coloss.* ii, 16, 17). Ita quippe et cur ea legi atque accipi oporteat, ostendit, id est, ne prophetiam exstinguamus, quia in umbra facta sunt futurorum; et curare nos non debere eos qui nos hinc judicare voluerint, quod corporaliter jam non observemus : sicut alibi tale quiddam dixit, *Hæc in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter correptionem nostram, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* x, 11). Cum ergo tale aliquid legitur in instrumento Veteris Testamenti, quale a nobis observari vel jussum non est in Novo Testamento, vel etiam prohibitum, quid significet quærendum est, non reprehendendum; quia eo ipso quo jam non observatur, non damnatum, sed impletum probatur : unde multa, et sæpe jam diximus.

CAPUT X. — Velut hoc ipsum quod modo non intelligens Faustus mandatis Veteris Testamenti pro crimine objecit, quod uxorem fratris ad hoc frater jussus est ducere, ut non sibi, sed illi sobolem suscitaret, ejusque vocaret nomine, quod inde nasceretur[b] (*Deut.* xxv, 5-10); quid aliud in figura præmonstrat, nisi quia unusquisque Evangelii prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri, hoc est Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est; et quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat? Denique hoc implens Apostolus, non jam carnaliter in præmissa significatione, sed spiritualiter in completa veritate, quos in Christo Jesu per Evangelium se genuisse commemorat (I *Cor.* iv, 15), succenset eis, et eos increpans corrigit, volentes esse Pauli : *Numquid Paulus*, inquit, *pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis* (*Ibid.*, ii, 13)? Tanquam diceret, Defuncto fratri vos genui, Christiani vocamini, non Pauliani. At vero qui electus ab Ecclesia ministerium evangelizandi renuerit, ab ipsa Ecclesia merito digneque contemnitur. Hoc est enim quod in ejus faciem jubetur exspuere, non sane sine signo hujus opprobrii, ut calceamento pedis unius exuatur, ne sit in eorum sorte, quibus ipse Apostolus ait, *Et calceati pedes in præparationem Evangelii pacis* (*Ephes.* vi, 15) : et de quibus commemorat propheta, *Quam speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona* (*Isai.* lii, 7)! Qui enim sic evangelicam fidem tenet, ut et sibi prosit, et Ecclesiæ prodesse non renuat, bene intelligitur utroque pede calceatus.

[a] Nonnulli Mss., *culpatis*.

[b] Am. Er. et Mss., *quod indidem nasceretur*.

Qui autem sibi putat, quia credidit, satis esse consultum, curam vero lucrandorum refugit aliorum, discalceati illius non figuratum significabit, sed in se impletum portabit opprobrium.

CAPUT XI. — Quid, quod et Pascha a nobis objicit celebrari, nec quod ita ut Judæi celebramus insultat, cum ovem magis nos habeamus in re præsentis Evangelii, non in umbra futuri, ejusque occisionem cum quotidie, tum maxime anniversaria solemnitate, non venturam præsignemus, sed factam commemoremus? Ideo sane dies Paschæ solemnitatis nostræ ad diem celebrationis umbraticæ Judæorum non occurrit, ut et dominicum diem, quo Christus resurrexit, complecteremur. Azyma vero, qui rectæ fidei Christiani sunt, non in fermento veteris vitæ, hoc est malitiæ, sed in ipsius fidei veritate et sinceritate custodiunt (I *Cor.* v, 8) : non septem diebus, sed omni die; quod significatum est numero dierum septenario, quo quotidie omnis volvitur dies. Quod et si aliquantum laboriosum est in hoc sæculo, quoniam angusta et arcta via est quæ ducit ad vitam (*Matth.* vii, 13); merces tamen certa servatur : nam ipse labor significatus est illis picridiis, quod aliquantum subamara sint.

CAPUT XII. — Pentecosten etiam, id est, a passione et resurrectione Domini quinquagesimum diem celebramus, quo nobis sanctum Spiritum paracletum, quem promiserat, misit (*Act.* ii, 1-4) : quod futurum etiam per Judæorum Pascha significatum est, cum quinquagesimo die post celebrationem ovis occisæ, Moyses digito Dei scriptam legem accepit in monte (*Exod.* xix-xxxi). Legite Evangelium, et advertite ibi Spiritum sanctum appellatum digitum Dei (*Luc.* xi, 20). Ea quippe anniversario in Ecclesia celebrantur, quæ insigniter excellentia certis diebus facta sunt; ut eorum necessariam salubremque memoriam festivitas concelebrata custodiat. Si vultis ergo nosse quare celebramus Pascha : quia tunc pro nobis immolatus est Christus. Si vultis nosse quare non illud ritu Judaico celebremus : quia illa erat venturi veri præfiguratio, hæc completi commemoratio; futurum autem et præteritum nec ipsis verbis nostris eodem modo enuntiatur; unde jam satis in hoc opere locuti sumus.

CAPUT XIII. — Si autem et hoc quæritis, cur ex omnibus cibis, a quibus in umbra futurorum populus est ille prohibitus, nos morticino et immolatitio non vescimur : et hoc audite, et calumniis vanitatis verum aliquando præponite. Cur enim non expediat immolatitio vesci Christiano, Apostolus dicit : *Nolo vos*, inquit, *socios fieri dæmoniorum*. Neque enim ipsam immolationem reprehendit, quam faciebant patres, præfigurantes sanguinem sacrificii, quo nos Christus redemit : *Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis*, inquit, *immolant, et non Deo.* Deinde adjecit quod dixi : *Nolo vos socios fieri dæmoniorum* (I *Cor* x, 20). Nam si natura ipsa immolatitiæ carnis esset immunda, utique et nescientem contaminaret. Neque enim eo minus ipsa esset, quo minus ab sciente acciperetur : sed propter conscientiam, ne dæmonibus communicasse videatur. Morticinum autem puto quod ad escam usus hominum non admisit, eo quod non occisorum, sed mortuorum animalium morbida caro est, nec apta ad salutem corporis, cujus causa sumimus alimentum. Nam quod de effundendo sanguine antiquis in figura præceptum est, id est, ipsi Noe post diluvium (*Gen.* ix, 6), quod jam quid significaret ostendimus, plerique intelligunt (*Act.* xv, 29). Et in Actibus Apostolorum hoc lege[1] præceptum ab Apostolis, ut abstinerent Gentes tantum a fornicatione, et ab immolatis, et a sanguine; id est, ne quidquam ederent carnis, cujus sanguis non esset effusus. Quod alii non sic intelligunt, sed a sanguine præceptum esse abstinendum, ne quis homicidio se contaminet. Hoc nunc discutere longum est, et non necessarium : quia et si hoc tunc Apostoli præceperunt, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur, elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, et nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam Gentes, propter angularem illum lapidem duos in se condentem (*Ephes.* ii, 11-22), aliquid communiter observarent; simul et admonerentur[2], in ipsa arca Noe, quando Deus hoc jussit, Ecclesiam omnium gentium fuisse figuratam, cujus facti prophetia jam Gentibus ad fidem accedentibus incipiebat impleri. Transacto vero illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex circumcisione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant, ac ubi Ecclesia Gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat; quis jam hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a cæteris irridentur : ita omnium animos in hac re tenuit illa sententia veritatis, *Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit* (*Matth.* xv, 11); nullam cibi naturam, quam societas admittit humana, sed quæ iniquitas committit peccata, condemnans.

CAPUT XIV. — Jam vero de antiquorum factis, et quæ stultis atque ineruditis videntur peccata, dum non sunt, et quæ vere peccata sunt, quam ob causam conscripta sint, servata magisque commendata Scripturæ ipsius veneratione, sufficienti jam sermone monstravimus : necnon de maledicto ejus qui pendet in ligno, et ejus qui non suscitaverit semen in Israel, jam primum suo loco respondimus, cum hæc ante dilueremus objecta (*Supra, lib.* 22) : et prorsus omnia, sive de quibus singillatim jam anterioribus hujus operis partibus disseruimus, sive quæ in isto, cui respondemus, sermone suo Faustus similia posuit, una firmissima veritatis ratione defendimus, quam de sanctarum Scripturarum auctoritate percepimus.

[1] In Mss., *legi.*
[2] Am. Er. et plerique Mss., *admonerent.*

Quæcumque scripta sunt in illis libris Veteris Testamenti, omnia verissime atque utilissime pro æterna vita scripta esse laudamus, accipimus, approbamus: sed quæ in his mandata [1] corporali operatione non observamus, et rectissime tunc mandata intelligimus, et umbras futurorum esse didicimus, et nunc jam impleri cognoscimus. Ac per hoc quisquis illa tunc etiam opera, quæ [2] ad significandum agi jubebantur, non observabat, pœnas divinitus constitutas rectissimo judicio persolvebat, sicut nunc si quis sacramenta Novi Testamenti pro temporis ratione distincta fuerit ausus sacrilega temeritate violare. Quemadmodum enim tunc justi viri, qui pro illis sacramentis nec mortem recusaverunt, jure laudantur; ita nunc pro istis martyres sancti. Et sicut æger non debet reprehendere medicinalem doctrinam, si aliud illi hodie præceperit, aliud cras, prohibens etiam quod ante præceperat; sic enim se habet sanandi ejus corporis ratio: ita genus humanum ab Adam usque in finem sæculi, quamdiu corpus quod corrumpitur, aggravat animam (*Sap.* IX, 15), ægrum atque saucium, non debet divinam reprehendere medicinam, si in quibusdam hoc idem, in quibusdam vero aliud prius, aliud posterius, observandum esse præcipit; præsertim quia se aliud præcepturam esse promisit.

CAPUT XV. — Nulla ergo comparatio est, quam Faustus obtendit, ita vobis Paracletum ex Novo Testamento quod credatis elegisse, et quod respuatis demonstravisse, cum ipse Novo Testamento fuerit prophetatus; sicut nobis Christus fecit ex Vetere, quo similiter prophetatus est. Hoc enim aliqua verisimili ratione diceretur, si esset aliquid in Veteris Testamenti libris, quod nos diceremus non recte dictum, non divinitus jussum, non veraciter scriptum. Nihil horum dicimus: sed accipimus omnia, sive quæ observamus, ut recte vivamus; sive quæ non observamus, ut tamen et ipsa tunc in prophetia jussa et observata nunc jam compleri videamus. Deinde Paracletum sicut promissum legimus in iis libris, quorum non omnia vultis accipere; ita et missum legimus in eo libro, quem nominare etiam formidatis. In Actibus quippe Apostolorum, sicut et sæpe et paulo ante commemoravi, apertissime legitur missus die Pentecostes Spiritus sanctus, qui etiam opere manifestavit quis esset. Linguis enim omnibus locuti sunt, qui eum primitus acceperunt (*Act.* II): ut hoc etiam signo promitteret in linguis omnibus, hoc est, in omnibus gentibus futuram Ecclesiam, quæ illum sicut Patrem et Filium verissime prædicaret.

CAPUT XVI. — Vos ergo jam dicite quare non accipiatis omnia ex libris Novi Testamenti; utrum quia non sunt Apostolorum Christi, an quia pravi aliquid docuerunt Apostoli Christi. Respondetis, Quia non sunt Apostolorum Christi. Nam illa vox altera Paganorum est, qui dicunt Apostolos Christi non recta docuisse. Vos ergo quid dicitis, unde ostenditis Scripturas illas non ab Apostolis ministratas? Respondetis, Quia multa sunt in eis et inter se et sibi contraria. Omnino falsissimum est; vos non intelligitis. Nam quidquid tale protulit Faustus, quod vobis ita videretur, ita non esse monstratum est: et quidquid tale a vobis prolatum fuerit, hoc docebimus. Quis autem ferat, lectorem vel auditorem, Scripturam tantæ auctoritatis facilius quam vitium suæ tarditatis, audere culpare? An hoc dicitis vos Paracletum docuisse, Scripturas istas Apostolorum non esse, sed sub eorum nominibus ab aliis esse conscriptas? Hoc saltem docete, istum ipsum Paracletum esse, a quo didicistis hæc Apostolorum non esse. An dicetis, Ipsum Christus promisit, et misit? Respondetur vobis, Omnino istum Christus nec promisit, nec misit; et simul ostenditur, quando miserit quem promisit. Quod ergo eum Christus miserit, hoc probate. Unde asseritis personam vestri auctoris, vel potius deceptoris? Respondetis, ex Evangelio vos probare. Ex quo Evangelio? Quod non totum accipitis, quod falsatum esse vos dicitis. Quis ergo testem suum prius ipse dicat falsitate esse corruptum, et tunc producat ad testimonium? Si enim quod vultis ei credimus, et quod non vultis ei non credimus, jam non illi, sed vobis credimus. Si autem vobis credere vellemus, testem a vobis non exigeremus. Deinde paracletus Spiritus sanctus sic est promissus, ut diceretur, *Ipse vos inducet in omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13): quomodo vos autem ille *inducet in veritatem*, qui vos docet Christum esse fallacem? Huc accedit, qui si omnia quæ de promissione Paracleti in Evangelio leguntur, talia esse demonstraretis, ut non omnino nisi de Manichæo vestro possent intelligi, sicut ostenduntur in Prophetis ea esse dicta de Christo, quæ in alium cadere omnino non possint [1]; tamen cum ea de iis codicibus proferretis, quos dictis infalsatos, hoc ipsum illic falsum et a corruptoribus majoribus vestris immissum esse diceremus, quod illic de Manichæo sic scriptum legeretis, ut de alio intelligere non possemus: quid faceretis, dicite mihi, nisi clamaretis, nullo modo vos potuisse falsare codices, qui jam in manibus essent omnium Christianorum? Quia mox ut facere cœpissetis, vetustiorum exemplarium veritate convinceremini. Qua igitur causa a vobis corrumpi non possent, hac causa a nemine potuerunt. Quisquis enim hoc primitus ausus esset, multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur: maxime, quia non una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur. Nam etiam nunc nonnullæ codicum mendositates, vel de antiquioribus, vel de lingua præcedente emendantur. Ita ergo aut cogimini veraces illos codices confiteri, et continuo evertunt hæresim vestram; aut si fallaces eos dixeritis, eorum auctoritate Paracletum non poteritis asserere, et vos evertitis hæresim vestram.

CAPUT XVII. — Huc accedit, quia ea dicta sunt in promissione Paracleti, ut Manichæum post tam multos annos venientem, ab ista suspicione prorsus excludant. Quia enim post resurrectionem et ascensionem Domini continuo venturus erat Spiritus sanctus,

[1] Editio Lov., *mandata sunt*. Minus recte.
[2] Plures Mss., *etiam opere, quo*.

[1] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *possint*. M.

apertissime dictum est a Joanne : *Spiritus enim nondum erat datus, quia Jesus nondum fuerat clarificatus* (*Joan.* VII, 39). Si hæc itaque causa erat ut non daretur, quia nondum erat clarificatus Jesus, procul dubio clarificato Jesu, jam causa erat ut statim daretur. Nam et Cataphrygæ se promissum Paracletum suscepisse dixerunt, et hinc a fide catholica deviarunt, conantes prohibere quod Paulus concessit, et damnare secundas nuptias quas ille permisit; sub his verbis insidiantes, quia scriptum est de Paracleto, *Ipse vos inducet in omnem veritatem* : quasi videlicet non omnem veritatem Paulus et cæteri Apostoli docuissent, ac locum Cataphrygarum Paracleto reservassent. Ad hoc et illud traxerunt, quod Paulus ait, *Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur* (I *Cor.* XIII, 9, 10) : ut scilicet ex parte sciens et prophetans Apostolus dixerit, *Quod vult faciat; non peccat si nubat* (*Id.* VII, 36); et ideo perfectum Paracleti Phrygiæ hoc evacuaverit. Ad hæc cum eis dictum fuerit, quod sint Ecclesiæ tanto ante promissæ et toto orbe diffusæ auctoritate damnati; respondent, hinc etiam in se illud esse completum, quod de Paracleto dictum est, quod mundus eum accipere non potest. Nonne ista sunt, quæ etiam vos dicere soletis, *Ipse vos inducet in omnem veritatem;* et, *Cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur;* et, *Mundus eum accipere non potest* (*Joan.* XIV, 17), de vestro Manichæo esse prædictum? Et quæ tandem poterit hæresis exoriri sub Paracleti nomine, quæ non hæc omnia verisimiliter sibi audeat coaptare? Numquid enim est hæresis, quæ non veritatem se nominet, et quanto est superbior, tanto magis se etiam perfectam nominet veritatem; ut et in omnem veritatem se polliceatur inducere, et doctrinam Apostolorum suo errori contrariam, quasi per illam venerit quod perfectum est, evacuare conetur? Et quoniam tenet Ecclesia, quod vehementius Apostolus commendavit, *Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 9); cum cœperit aliud annuntians ab universo orbe anathemari, continuo dicat, Hoc est quod scriptum est, *Mundus eum accipere non potest?*

CAPUT XVIII. — Unde ergo probare poteritis quod a vobis exigitur, Paracletum esse illum a quo didicistis quod evangelica scripta non sunt Apostolorum? Quandoquidem etiam nos probamus non esse Paracletum Spiritum sanctum, nisi qui Jesu clarificato mox venit. Ideo enim *nondum erat datus, quia nondum Jesus fuerat clarificatus.* Probamus etiam ipsum inducere in omnem veritatem : quia non intratur in veritatem nisi per charitatem; *charitas* autem *Dei, diffusa est,* ait Apostolus, *in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Docemus etiam non dixisse Paulum, *Cum venerit quod perfectum est,* nisi de perfectione illa quæ in perceptione vitæ æternæ futura est. Hoc enim cum loqueretur, *Videmus enim,* inquit, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 10, 12). Hic certe, nisi aperte insanire voluerit, fatebimini non vos videre Deum facie ad faciem. Non ergo ad vos venit illud quod perfectum est. Hoc enim modo plane quid de hac re senserit, satis Apostolus explicavit : nec futurum est hoc sanctis, nisi cum factum fuerit quod etiam Joannes dicit, *Filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2); tunc introducente in omnem veritatem Spiritu sancto, cujus nunc pignus accepimus. Quod autem dictum est, *Mundus eum accipere non potest,* de iis utique dictum est, qui solent in Scripturis mundi nomine appellari, amatores mundi, vel impii, vel carnales : de qualibus dicit Apostolus, *Animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei* (I *Cor.* II, 14). De hoc enim mundo esse dicuntur, quamdiu non possunt sapere amplius quam sunt ista corporea, quæ in hoc mundo senserunt : sicut nec vos aliud sapitis, qui cum lucem istam solis et lunæ miraremini, talia vobis omnia divina finxistis, auctore illo vaniloquo, quem decepti et deceptores Paracletum dicitis. Proinde nullo modo valentes ostendere quomodo sit ille Paracletus, non est unde doceatis firmissima : liqua auctoritate vos comperisse quemadmodum hæc scripta evangelica, ex quibus non omnia vultis accipere, non sint Apostolorum Christi. Restat ergo ut dicatis, hoc vos ea ratione comperisse, quia talia ibi sunt, quæ Christi gloriam decolorent : scilicet quia natus ex virgine ibi narratur, quia circumcisus, quia pro illo oblatum sacrificium quod tunc offerebatur, quia baptizatus, quia tentatus a diabolo est.

CAPUT XIX. — His autem exceptis, et testimoniis ex Veteri Testamento quæ illis inserta sunt Litteris, cætera vos secundum id quod Faustus loquitur, fatemini accipere, et *præcipue crucis ejus mysticam fixionem, qua passionis animæ vestræ vulnera demonstrantur. Deinde,* inquit, *præcepta salutaria ejus, et parabolas, cunctumque sermonem deificum, qui maxime duarum præferens naturarum discretionem, ipsius esse non venit in dubium.* Videtis ergo id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, et suus cuique animus auctor sit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet; id est, ut non auctoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat : non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur; sed ideo recte scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quo te committis, anima misera, infirma, carnalibus nebulis involuta? quo te committis? Remove ergo auctoritatem, videamus : remove auctoritatem, redde rationem. Eone ratio tua perducitur, ut nisi Dei natura violabilis corruptibilisque credatur, exitum theatricum longa illa fabula vestra reperire non possit? Postremo unde scis octo esse terras et decem cœlos, quod Atlas mundum ferat, splenditenensque suspendat, et innumerabilia talia? unde scis hæc? Plane, inquis, Manichæus me docuit. Sed, infelix, credidisti; neque enim vidisti. Si ergo ad millia fabulosorum phantasmatum, quibus turpiter gravidata

es, te auctoritati ignotissimæ et furiosissimæ subdidisti, ut ideo hæc omnia crederes, quia in illis conscripta sunt libris, quibus miserabili errore credendum esse censuisti, cum tibi nulla demonstrentur; cur non potius evangelicæ auctoritati, tam fundatæ, tam stabilitæ, tanta gloria diffamatæ, atque ab Apostolorum temporibus usque ad nostra tempora per successiones certissimas commendatæ, non te subdis, ut credas, ut videas [1], ut discas etiam omnia illa quæ te offendunt, ex vana et perversa opinione te offendere : potiusque esse verum, naturam incommutabilem Dei aliquid mortalis assumpsisse creaturæ, in qua incommutabiliter permanens, non fallaciter, sed veraciter faceret atque pateretur, quidquid eamdem creaturam facere ac pati, pro generis humani, unde sumpta erat, salute congrueret, quam violabilem et corruptibilem credere Dei naturam, nec inquinatam atque oppressam totam posse liberari atque purgari, sed æterna globi pœna summa Dei necessitate damnari?

CAPUT XX. — Sed, inquis, propterea credidi quæ non mihi ostendit, quia duas naturas, boni scilicet et mali, mihi in hoc ipso mundo evidenter ostendit. At hoc ipsum est, infelix, unde decepta es : quia sicut in illa Scriptura evangelica, ita in hoc mundo nihil mali putare potuisti, nisi quo tuus carnalis sensus offensus est, sicut serpentem, ignem, venenum, et similia ; nec aliquid boni, nisi quod eumdem tuum carnalem sensum aliqua jucunditate permulsit, sicut saporum jucunditas, et odorum suavitas, et lucis hujus aspectus, et si quid aliud vel auribus, vel oculis tuis, vel naribus, vel palato, vel palpatui [2] similiter forte blanditum est. At si universam creaturam ita prius aspiceres, ut auctori Deo tribueres, quasi legens magnum quemdam librum naturæ rerum ; atque ita si quid ibi te offenderet, causam te tanquam hominem latere posse potius crederes, quam in operibus Dei quidquam reprehendere auderes ; nunquam incidisses in sacrilegas nugas et blasphema figmenta, quibus, non intelligens unde sit malum, Deum implere conaris omnibus malis.

CAPUT XXI. — Hic jam si quæratis a nobis, nos unde sciamus Apostolorum esse istas Litteras ; breviter vobis respondemus, inde nos scire, unde et vos scitis illas litteras esse Manichæi, quas miserabiliter huic auctoritati præponitis. Si enim et hinc vobis aliquis moveat quæstionem, et scrupulum contradictionis impingat, dicens libros quos profertis Manichæi, non esse Manichæi ; quid facturi estis? Nonne potius ejus deliramenta ridebitis, qui contra rem tanta connexionis et successionis serie confirmatam, impudentiam hujus vocis emittat? Sicut ergo certum est illos libros esse Manichæi, et omnino ridendus est qui ex transverso veniens tanto post natus, litem vobis hujus contradictionis intenderit ; ita certum est Manichæum vel Manichæos esse ridendos, aut etiam dolendos, qui tam fundatæ auctoritati, a temporibus Apostolorum usque ad hæc tempora certis successionibus custoditæ atque perductæ, audeant tale aliquid dicere.

CAPUT XXII. — Jam ergo auctoritas Manichæi conferenda est auctoritati Apostolorum. Nam Litteras istorum istas esse tam certum est, quam illas illius. Quis autem Manichæum Apostolis comparat, nisi quisquis se a Christo, qui misit Apostolos, separat? Aut duas naturas sibimet et ex propriis principiis adversas, quis unquam sapuit in verbis Christi, nisi qui non sapit verba Christi? Apostoli ergo tanquam discipuli veritatis, nativitatem Christi prædicant passionemque veracem : Manichæus autem jactat se inducere in omnem veritatem, et vult inducere in talem Christum, in quo ipsius passionis prædicat falsitatem. Isti Christum in carne, quam de Abrahæ suscepit semine, circumcisum : ille Deum in ipsa sua natura a tenebrarum gente concisum. Isti pro carne Christi infante [1] sacrificium, quod tunc pie fiebat, oblatum : ille non carnis, sed ipsius divinæ substantiæ membrum, omnibus dæmonibus immolandum, naturæ adversæ gentis illatum. Isti Christum exempli præbendi causa baptizatum in Jordane : ille Deum ipsum per seipsum in tenebrarum contaminatione submersum, nec totum emersurum, sed quod ejus mundari non potuerit æterna damnatione puniendum. Isti carnem Christi a dæmonum duce tentatam ; ille partem Dei a dæmonum gente possessam : et isti quidem illam tentatam, ut doceret resistere tentatori ; ille illam possessam, ut patri non possit restitui, nec victori. Denique Manichæus ex doctrina dæmoniorum aliud annuntiat, ut quasi eminentior sit : Apostoli vero ex doctrina Christi commendant, ut quisquis aliud annuntiaverit, anathema sit (*Galat.* I, 8, 9).

[1] Am. et Mss., *ut vivas.*
[2] Ex Mss. addidimus, *vel palpatui.*

[1] Plures Mss. omittunt, *infante ;* cujus loco editio Er. habet, *litante.*

LIBER TRIGESIMUS TERTIUS.

CAPUT PRIMUM. — Faustus dixit : Scriptum est in Evangelio, *Quia multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum* (*Matth.* VIII, 11). Vos ergo quare non accipitis Patriarchas? Absit nos quidem cuiquam invidere mortalium, quem Deus forte miseratione respiciens sua, de perditione unquam reduxerit ad salutem : sed hoc sane nos ejus esse jam clementiæ ponimus qui misertus sit, non illius meriti cujus fuisse negare non possis improbabilem vitam : ac per hoc et Judæorum patres, Abraham scilicet, et Isaac, et Jacob, si est hoc pro certo de iisdem Christi testimonium quod affertis, quanquam fuerunt ipsi quidem flagitiosissimi, ut fere Moyses indicat eorum pronepos, sive quis alius historiæ hujus conditor est, quæ dicitur Geneseos, qui eorum vitas nobis odio omni fastidioque dignissimas scripsit ; sint tamen et ipsi jam in regno cœlorum, sint in loco quem nec credidernnt

unquam, nec speraverant, ut fere ex eorum liquido libris appareat : dummodo tamen constet, vobis etiam confitentibus, longo intervallo de tetra ac pœnali inferorum custodia, ubi se vitæ merita coercebant, a Christo Domino nostro liberatos, per ejus scilicet mysticam passionem pervenire ad hoc ipsum potuisse, si pervenerunt, quod scriptum [1] de eis est. Neque enim quia et latronem quemdam de cruce liberavit idem noster Dominus, et ipso eodem die secum futurum dixit eum in paradiso Patris sui (*Luc.* XXIII, 43), quisquam inviderit, aut inhumanus adeo esse potest, ut hoc ei displiceat tantæ benignitatis officium. Sed tamen non idcirco dicemus et latronum vitas ac mores nobis probabiles esse debere, quia Jesus latroni indulgentiam dederit; aut quia publicanis et meretricibus ignoverit errata, dixeritque quod etiam præcederent ipsi ad regnum cœlorum eos qui se superbe gesserunt (*Matth.* XXI, 31). In injustitia namque et in adulterio deprehensam mulierem quamdam Judæis accusantibus absolvit ipse, præcipiens ei ut jam peccare desineret (*Joan.* VIII, 3-11). Quapropter si horum tale quid et circa Abraham egit, et Isaac, et Jacob, ipsi gratias : decet eum talia operari circa animas, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45). Sed hoc tamen mihi unum in opinione hac vestra molestum est, cur id de Judæorum tantum patribus sentiatis, ac non de cæteris quoque patriarchis Gentium, quod et ipsi senserint aliquando nostri Liberatoris hanc gratiam : præsertim cum de ipsorum filiis magis christiana constet Ecclesia, quam de semine Abrahæ, Isaac et Jacob. Sed ais utique, illos quidem idola coluisse, hos vero omnipotentem Deum, idcircoque solam ipsorum curam habuisse Jesum. Ita Dei omnipotentis cultura in tartara detrudit, et Filii eget auxilio qui coluit Patrem? Sed videris [2] : consentiamus, inquam, hactenus in cœlum reductos eos, non quia mererentur, sed quia vincat divina clementia vim peccatorum.

CAPUT II. — Veruntamen utrum et hoc a Christo dictum sit, dubios etiam nos et incertos scribentium ipsa varietas facit. Namque cum duo evangelistæ Matthæus et Lucas de centurione quodam pariter narrent, cujus puer tunc infirmaretur, et propter quem visus fuerit hoc ipsum dixisse Jesus, quia scilicet tantam fidem non invenisset in Israel, quantam in illo homine, gentili quamvis et pagano, eo quod dixerit idem non se fuisse tam dignum, ut sub tectum suum intraret Jesus, sed id rogare tantum, ut juberet verbo, et sanaretur puer suus; solus tamen Matthæus hoc adjicit Jesum prosecutum esse, ut diceret, *Amen dico vobis, quia multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum; filios autem regni mittent in tenebras exteriores.* Multos quidem qui venturi forent paganos significans, propter Centurionem, quia esset et ipse gentilis, in quo tamen tanta fuisset fides inventa; filios autem regni appellans Judæos, in quibus nulla esset inventa fides. At vero Lucas, quanquam et ipse ut necessarium hoc et memorabile inter Christi mirabilia gesta inserendum putaverit Evangelio suo, de Abraham tamen illic, et Isaac, et Jacob nullam facit mentionem. Quod si quis dicat idcirco prætermisisse cum, quia dictum id jam satis fuisset a Matthæo; cur ergo gestum ipsum commemorat erga Centurionem et puerum ejus, quod æque longe satis insinuatum jam fuisset nobis Matthæi solertia? Sed falsum est. Namque et de obsecratione ipsa adveniendi Jesum; Matthæus quidem dicit, quod idem per semetipsum Centurio venerit ad eum rogaturus medelam : Lucas autem non, sed quia majores natu ad eum miserit Judæorum, qui ne forte sperneretur ab eodem tanquam gentilis (quoniam quidem [1] Jesum volunt esse plane Judæum), persuadere ingressi sunt ei dicentes, dignum esse cui id præstaret, quoniam quidem diligeret gentem suam, et synagogam ipse ædificasset sibi (*Id.* VII, 5-13, *et Luc.* VII, 2-10) : tanquam et hoc ad Dei Filium pertineret, si ædificationem synagogæ suæ Judæi de Centurione pagano meruerint. Nec tamen omnifariam et Lucas hoc verbum reticuit, puto recogitans ne forte fuisset verum : sed locum tamen mutat applicatque id alteri cuidam causæ longe dissimili, id est, ubi dicit Jesus ad discipulos suos, *Contendite intrare per angustum ostium : multi enim venient quærentes intrare, et non poterunt. Cum autem intraverit*, inquit, *paterfamilias, et clauserit januam, incipietis foris stare et pulsare, dicentes : Domine, aperi nobis. Et respondens dicet : Nescio vos. Tunc incipietis dicere : Manducavimus et bibimus coram te, et in plateis nostris et synagogis docuisti. Et dicet vobis : Nescio unde estis; discedite a me omnes, operarii iniquitatis. Ibi erit fletus et stridor dentium, cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas introeuntes in regnum Dei, vos autem expelli foras : et venient ab oriente et occidente et austro et aquilone, et recumbent in regno Dei* (*Luc.* XIII, 24 29). Hoc vero ipsum quidem, quia multi excludentur a regno Dei, qui scilicet nomen tantummodo Christi portaverint, sed non fecerint opera ejus, nec Matthæus scribere prætermisit (*Matth.* VII, 21); sed de Abraham illic, et Isaac, et Jacob nullam facit omnino mentionem. Item de Centurione et puero ejus etiam Lucas quidem scripsit; sed æque ipse de Abraham illic, et Isaac, et Jacob nihil omnino testatur : ut quia ubinam dictum sit certo constare non possit, nihil prohibeat etiam non credere quia sit dictum.

CAPUT III. — Nec immerito nos ad hujusmodi Scripturas tam inconsonantes et varias, nunquam sane sine judicio ac ratione aures afferimus : sed contemplantes omnia, et cum aliis alia conferentes, perpendimus utrum eorum quidque a Christo dici potuerit necne. Multa enim a majoribus vestris eloquiis Domin

[1] Forte, *si pervenerunt, quo scriptum*, etc.

[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., pro, *rideris*, habent, *Judæris*, omissa interpunctione.

[1] Lov., *quoniam hinc quidam*. Am. et Er., *quoniam hi quidem*. At Mss., *quoniam quidem*; omisso, *hinc*.

nostri inserta verba sunt, quæ nomine signata ipsius cum ejus fide non congruant: præsertim quia, ut jam sæpe probatum a nobis est, nec ab ipso hæc sunt, nec ab ejus Apostolis scripta; sed multo post eorum assumptionem a nescio quibus et ipsis inter se non concordantibus semi-Judæis per famas opinionesque comperta sunt: qui tamen omnia eadem in Apostolorum Domini conferentes nomina, vel eorum qui secuti Apostolos viderentur, errores ac mendacia sua secundum eos se scripsisse mentiti sunt. Sed videris: de hoc interim, ut inquam, capitulo tecum non nimium ego contenderim; cum mihi illud satis ad præsidium sit quod ante posui, et quod nec ipsis vobis negare licet, ante Domini nostri adventum Patriarchas omnes Israel et Prophetas tartareis in tenebris jacuisse pro meritis suis: unde si unquam liberati a Christo ad lumen reducti sunt, quid hoc ad odium attinet vitæ ipsorum? Odimus enim nos et respuimus non quod fuerunt, id est, homines, sed quales fuerunt, id est, malos; nec quod nunc sunt, id est, purgatos, sed quod fuerunt, id est, impuros aliquando. Ac per hoc nobis interim, utcumque vos id esse vultis, nihil obstat capitulum hoc: cum sive est verum, Christi hic miseratio commendetur et bonitas; sive falsum, scriptoribus ejus crimen inhæreat: nos utrovis modo in tuto sumus, ut semper.

CAPUT IV. — Augustinus respondit: Quomodo in tuto, miser? Quomodo in tuto, qui te Patriarchas odisse dicis impuros, et Deum adhuc plangis impurum? Certe illis Patriarchis post adventum Salvatoris præstitam purgationem et datam beatam requiem concessisti; deus autem vester et post adventum Salvatoris adhuc jacet in tenebris, adhuc flagitiis omnibus mergitur, adhuc in impuris omnibus volutatur: ita non solum vita illorum hominum melior erat deo vestro, verum etiam mors ipsa felicior. In quibus autem sedibus erant justi, qui exierant ex hac vita priusquam Christus in carne venisset, et utrum etiam ipsos ad aliquid melius passio Christi transtulerit, qui in eum venturum, passurum, resurrecturum, non tantum crediderant, verum etiam hoc ipsum, sicut oportebat, prophetico spiritu prænuntiaverant, in Scripturis sanctis indagandum est, si quo modo ad liquidum indagari potest; non hinc temeritates opinantium consectandæ quorumlibet hominum, nedum tam exsecrabilis hæresis perversitates [1] nimis longe a veritate aberrantium. Frustra sibi sane per hanc obliquitatem pollicetur Faustus, aliquid post hanc vitam cuiquam posse præstari, quod sibi præstandum in hac vita non comparaverit. Bonum est vobis ut, dum hic vivitis, istum relinquatis errorem, et veritatem catholicæ fidei cognoscatis atque teneatis. Alioquin longe aberit quod sibi pollicetur injustus, cum fieri cœperit quod injusto minatus est Deus.

CAPUT V. — De vita autem Patriarcharum jam, quantum satis arbitratus sum, homini maledico non pauca respondi: quibus non utique in morte correctis, vel post passionem suam justificatis, testimonium Dominus perhibebat, cum Judæos admoneret, ut si Abrahæ filii essent, facta Abrahæ facerent; et quod idem Abraham ejusdem diem videre concupiverit, gavisusque fuerit, cum vidisset (*Joan.* VIII, 39, 56); et quod in ejus sinum, id est, nescio cujus quietæ felicitatis magnum abditumque secretum, abstulerint Angeli pauperem illum ærumnosum a divite superbiente contemptum (*Luc.* XVI, 23). Quid dicam de apostolo Paulo? An forte et ipse post mortem justificatum laudat Abraham, quod priusquam circumcideretur credidit Deo, et deputatum est illi ad justitiam (*Rom.* IV, 3): quod tanti pendit, ut nos non ob aliud dicat filios ejus esse effectos qui ejus carne propagati non sumus, nisi quod ejus fidei vestigia sequamur?

CAPUT VI. — Sed quid vobis faciam, quos contra testimonia Scripturarum ita obsurdefecit iniquitas, ut quidquid adversum vos inde prolatum fuerit, non esse dictum ab Apostolo, sed a nescio quo falsario sub ejus nomine scriptum esse dicere audeatis? Usque adeo a christiana doctrina aperte aliena est quam prædicatis doctrina dæmoniorum, ut eam sub christianæ doctrinæ nomine defendere nulla ex parte possitis, nisi dicatis falsas esse Scripturas Apostolorum. Infelices inimici animæ vestræ, quæ unquam litteræ ullum habebunt pondus auctoritatis, si evangelicæ, si apostolicæ non habebunt? De quo libro certum erit cujus sit, si Litteræ quas Apostolorum dicit et tenet Ecclesia ab ipsis Apostolis propagata et per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint incertum est; et hoc erit certum scripsisse Apostolos, quod huic Ecclesiæ contrarii hæretici proferunt auctorum suorum nominibus appellati, longe post Apostolos existentium? Quasi vero et in litteris sæcularibus non fuerunt certissimi auctores, sub quorum nominibus postea multa prolata sunt, et ideo repudiata, quia vel his quæ ipsorum esse constaret minime congruerunt, vel eo tempore quo illi scripserint, nequaquam innotescere, et per ipsos vel familiarissimos eorum in posteros prodi commendarique meruerunt. Nonne, ut alios omittam, sub Hippocratis medici nobilissimi nomine quidam libri prolati, in auctoritatem a medicis non recepti sunt? Nec eos adjuvit nonnulla similitudo rerum atque verborum; quando comparati eis quos vere Hippocratis esse constaret, impares judicati sunt; et quod ab eo tempore, quo et cætera scripta ejus, non innotuerunt quod vere ejus essent. Hos autem libros, quibus illi qui de transverso proferuntur comparati respuuntur, unde constat esse Hippocratis, unde si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore usque ad hoc tempus et deinceps successionis series commendavit, ut hinc dubitare dementis sit? Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros, unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed

[1] Ita nonnulli Mss. At editi, *perversitate*.

aliquo adjuvandi studio sive discendi. Unde constat quid cujus sit, nisi quia his temporibus quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuavit atque edidit, et inde in alios atque alios continuata notitia latiusque firmata ad posteros, etiam usque ad nostra tempora pervenerunt; ita ut interrogati cujus quisque liber sit, non hæsitemus quid respondere debeamus? Sed quid pergam in longe præterita? Ecce istas litteras quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ hujus nostræ, vel illas quisquam Fausti esse, vel has neget esse meas; unde convincitur, nisi quia illi qui nunc ista noverunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatis posterorum successionibus trajiciunt? Quæ cum ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæmoniorum mendaciloquorum malitiæ atque fallaciæ consentiendo subversus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent, cum eorum cathedras usque ad præsentes episcopos certissima successione servaverint, cum hoc qualiumcumque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta facilitate proveniat?

CAPUT VII.—Sed contraria, inquit, inter se scripta eorum reperiuntur. Maligni malo studio legitis, stulti non intelligitis, cæci non videtis. Quid enim magnum erat ista diligenter inspicere, et eorumdem scriptorum magnam et salubrem invenire congruentiam, si vos contentio non perverteret, et si pietas adjuvaret? Quis enim unquam duos historicos legens de una re scribentes, utrumque vel utrumlibet eorum aut fallere aut falli arbitratus est, si unus eorum dixit quod alius prætermisit; aut si alter aliquid brevius complexus est, eamdem tamen sententiam salvam integramque custodiens, alter autem tanquam membratim cuncta digessit, ut non solum quid factum sit, verum etiam quemadmodum factum sit, intimaret? Sicut Faustus hinc Evangeliorum veritati voluit calumniari, quia Matthæus aliquid dixit, quod Lucas, cum idem narraret, dicere prætermisit: quasi negaverit Lucas dixisse Christum, quod eum scripsit dixisse Matthæus. Hinc omnino nulla unquam quæstio fuit, neque hoc objici, nisi ab omnino imprudentibus et nihil harum rerum considerare volentibus seu valentibus, potest. Illud sane et requiri inter fideles, et objici ab infidelibus solet, sed etiam ipsis vel parum eruditis, vel nimis contentiosis nisi admoniti resipuerint, quod Matthæus dixit, *Accessit ad eum Centurio, rogans eum, et dicens;* Lucas autem quod miserit ad eum seniores Judæorum, hoc ipsum rogantes de puero ejus qui ægrotabat, ut eum sanaret; et cum appropinquaret domui, miserit alios per quos diceret, non esse se dignum in cujus domum intraret Jesus, nec se ipsum dignum ut veniret ad Jesum. Quomodo ergo secundum Matthæum, *accessit ad eum rogans, et dicens, Puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur* (*Matth.* 8, 5-13, *et Luc.* VII, 2-10)? Hoc ergo intelligitur, Matthæum breviter sententiam ipsam veram [1] integramque complexum, dicentem quod centurio accesserit ad Jesum, et non dicentem utrum per se ipsum accesserit, an per alios: et quod ei de puero suo illud dixerit, non exprimentem utrum per se ipsum dixerit, an per alios. Quid enim? nonne talibus locutionibus humana plena est consuetudo, cum dicimus aliquem ad aliquid multum accessisse, etiam quem nondum dicimus pervenisse? Nonne et ipsam perventionem, cui quasi videtur non esse quod addi jam possit, etiam per alios fieri usitatissime loquimur, sæpe dicendo, Egit ille causam suam, pervenit ad judicem; aut, Pervenit ad illum vel illum potentem: cum plerumque id faciat per amicos, non viso eo prorsus ad quem quisque dicitur pervenisse? Unde etiam tales homines, quicumque ad potentium quodam modo inaccessibiles animos, sive per se ipsos, sive per alios ambitionis arte pertingunt, jam etiam vulgo Perventores vocantur. Quid ergo? cum legimus, obliviscimur quemadmodum loqui soleamus? An Scriptura Dei aliter nobiscum fuerat quam nostro more locutura? Et hoc quidem de communi loquendi consuetudine pervicacibus turbulentisque responderim.

CAPUT VIII.—Cæterum qui hæc non litigiose, sed placide ac fideliter quærunt, accedant ad Jesum, non carne, sed corde; non corporis præsentia, sed fidei potentia, sicut ille centurio: tunc melius quid Matthæus dixerit sentient. Talibus enim dicitur in Psalmo: *Accedite ad eum, et illuminamini; et vultus vestri non erubescent* (*Psal.* XXXIII, 6). Unde centurio ille ad Christum magis accesserat, cujus fidem ita laudavit, quam illi ipsi per quos verba sua misit. Huic rei simile est etiam illud quod Dominus ait, *Tetigit me aliquis;* quando mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, tangens fimbriam vestimenti ejus, salva facta est. Hoc enim mirabiliter discipulis suis dicere videbatur, *Quis me tetigit?* et, *Tetigit me aliquis;* cum eum turba comprimeret. Denique hoc ei responderunt: *Turbæ te comprimunt, et dicis, Quis me tetigit* (*Luc.* VIII, 43-46)? Quemadmodum ergo illi premebant, sed illa tetigit; sic illi missi erant ad Christum, sed Centurio magis accessit. Ita Matthæus et morem non usque adeo inusitatæ locutionis servavit, et mystice aliquid intimavit: Lucas autem et hoc ipsum quemadmodum gestum esset ostendit, ut hinc advertere cogeremur, illud Matthæus quemadmodum dixerit. Vellem sane ut aliquis istorum vanorum, qui hujusmodi quæstiunculas quasi magnas calumniose objiciunt Evangelio, narraret aliquid idem ipse bis numero, non falsum nec fallaciter, sed omnino id volens intimare et exponere, et stilo exciperentur verba ejus eique recitarentur; utrum non aliquid plus minusve diceret, aut præpostero ordine, non verborum tantum, sed etiam rerum; aut utrum non aliquid ex sua sententia diceret, tanquam alius dixerit, quod eum dixisse non audierit, sed voluisse atque sensisse plane cognoverit; aut utrum non alicu-

[1] Sola editio Lov., *pleniam.*

jus breviter complecteretur sententiæ veritatem, cujus rei antea quasi expressius articulos explicasset : et si quid est aliud quod fortasse possit certis regulis comprehendi, quomodo fiat ut vel in duorum singulis ejusdem rei narrationibus, vel in duabus unius ex una eademque re, multa diversa inveniantur, nulla tamen adversa; et multa varia, nulla contraria. Sic solvuntur omnia de quibus sibi isti miseri collum ligant, ut spiritum sui erroris intus teneant, et nullum extrinsecus salutis admittant.

CAPUT IX. — Quapropter, post omnes Fausti calumnias refutatas, duntaxat horum ejus capitulorum quibus hoc opere, quantum Dominus adjuvare dignatus est, sufficienter, ut arbitror, prolixeque respondi ; breviter vos admoneo, qui illo tam nefando et exsecrabili errore tenemini, ut si auctoritatem Scripturarum omnibus præferendam sequi vultis, eam sequamini quæ ab ipsius præsentiæ Christi temporibus per dispensationes Apostolorum, et certas [1] ab eorum sedibus successiones episcoporum, usque ad hæc tempora toto orbe terrarum custodita, commendata, clarificata pervenit. Ibi enim videbitis etiam Veteris Testamenti et obscura revelari, et prædicta compleri. Si autem quasi ratione movemini ; primum cogitetis quinam sitis, quam minus idonei ad comprehendendam naturam, non dicam Dei, sed animæ vestræ : comprehendendam sane, quemadmodum velle aut voluisse vos dicitis, certissima ratione, non vanissima credulitate : quod cum minime potueritis (sine dubio enim quamdiu tales estis, nullo modo poteritis), illud saltem quod omni humanæ menti est naturaliter insitum, si modo id perversæ opinionis pravitate non turbetur, Dei naturam atque substantiam incommutabilem omnino, omnino incorruptibilem cogitate, vel credite, et manichæi continuo non eritis, ut aliquando et catholici esse possitis.

[1] Am. Er. et plerique Mss., *et cæteras.*

IN SUBSEQUENTES DISPUTATIONES CONTRA FELICEM,

Vide lib. 2, *cap.* 8, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 633, *verbis*, Contra Manichæum, *usque ad col.* 634, *verbis*, Septimo idus decembris. M.

ADMONITIO.

De iisdem contra Felicem disputationibus Possidius in Augustini Vita, cap. 16, scribit : « Cum quodam etiam « Felice, de numero eorum quos Electos dicunt iidem Manichæi, quique Hipponem venerat eumdem seminaturus errorem, publice in Hipponensi ecclesia notariis excipientibus disputavit beatus Augustinus, populo « astante ; et post secundam vel tertiam collationem ille manichæus frustrata vanitate et errore illius sectæ ad « nostram conversus est fidem atque Ecclesiam, sicut eadem relecta docere poterit scriptura. » Ubi tres Possidius indicat habitas collationes, ea scilicet computata, quam sine notariis pridie Gestorum publicorum habuit cum Felice Augustinus : unde initio libri primi ait, « Hesterno die scis te dixisse quod possis defendere scripturas Manichæi. » In priorem istam collationem respicit et illud quod dicit Felix, lib. 1, cap. 14 : « Si mihi « attuleris scripturas Manichæi, quinque auctores quos tibi dixi. » Intellige, « hesterno die dixi : » nam ipso die Gestorum nihil notatur de quinque illis auctoribus dictum ante a Felice.

Confer epistolam Augustini 79, presbytero cuidam manichæo, quem nos in tomi secundi præfatione Felicem esse conjectabamus, scriptam. Ad hunc ipsum spectare videtur professio a Felice quædam, converso ex Manichæorum hæresi, palam facta de sibi notis Manichæis, quam in Appendice tomi quinti Annalium edidit Baronius, descriptam ex Gervasiani Parisiensis collegii codice, in quo post librum de Hæresibus ad Quodvultdeum hæc leguntur : « Ego Cresconius unus ex Manichæis scripsi, quia si discessero antequam Gesta subscribantur, sic sim habendus ac si Manichæum non anathemaverim. Felix conversus ex Manichæis dixi sub testificatione Dei, me omnia vera confiteri, de quo scio esse Manichæos vel Manichæas in partes Cæsarienses, « Mariam et Lampadiam uxorem Mercurii argentarii, cum quibus etiam Electum Eucharistum pariter oravimus, Cæsariam et Lucillam filiam suam, Candidam quæ commoratur Thipasæ, Victorinam Hispanam, Simplicianum Antonini patrem, Paulum et sororem suam qui sunt Hippone, quas etiam per Mariam et Lampadiam scivi esse Manichæas. Hoc tantum scio : quod si aliud inventum fuerit me scire supra quam dixi, me « reum ego ipse confiteor. »

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE ACTIS CUM FELICE MANICHÆO

Libri Duo [a].

LIBER PRIMUS.

ACTA PRIMÆ DIEI.

CAPUT PRIMUM. — Honorio Augusto sextum consule [1], septimo idus decembris, Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ Hipponeregiensium regionum [2] dixit: Hesterno die scis te dixisse quod possis defendere scripturas Manichæi, et asserere quod veritatem habeant; si hoc placet tibi hodie facere, aut præsumis te posse, dic.

Felix manichæus dixit: Ego me non nego dixisse defendere legem meam, si proferantur auctores legis meæ in medio.

Et cum Augustinus episcopus epistolam Manichæi, quam Fundamenti appellant, protulisset, dixit: Si legero ex hoc codice, quem me vides ferre, epistolam Manichæi quam Fundamenti appellatis, potes agnoscere an ipsa sit?

Fel. dixit: Agnosco.

Aug. dixit: Accipe tu ipse, et lege.

Et cum accepisset codicem Felix, legit: *Manichæus apostolus Jesu Christi providentia Dei Patris. Hæc sunt salubria verba ex perenni ac vivo fonte, quæ qui audierit et iisdem primitus crediderit, deinde quæ insinuata sunt custodierit, nunquam erit morti obnoxius, verum æterna et gloriosa vita fruetur. Nam profecto beatus est judicandus, qui hac divina instructus cognitione fuerit, per quam liberatus in sempiterna vita permanebit.*

Aug. episcopus dixit: Agnovisti certe epistolam Manichæi vestri?

Fel. dixit: Agnovi.

Aug. dixit: Proba nobis ergo quomodo Manichæus iste sit apostolus Jesu Christi. Non enim eum in Evangelio inter Apostolos legimus aliquando: et quis fuerit ordinatus in locum Judæ traditoris, novimus, id est sanctus Matthias (*Act.* I, 26); et quis postea Domini voce de cœlo vocatus sit, hoc est Paulus apostolus [3] (*Id.* IX), omnes recognoscunt. Istum ergo Manichæum proba nobis apostolum esse Christi, quod in capite epistolæ suæ ausus est ponere.

CAPUT II. — Fel. dixit: Et Sanctitas tua mihi probet quod in Evangelio scriptum est, Christo dicente: *Vado ad Patrem; et mittam vobis Spiritum sanctum paracletum, qui vos inducat in omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13). Hoc tu mihi extra scripturam istam proba esse scripturam Spiritus sancti, quod Christus promisit ubi omnis veritas reperiatur: et si invenero veritatem in aliis codicibus qui ad Manichæum non pertinent, et Christus illos tradidit: sic enim dictum est a Christo, quia Spiritus sanctus paracletus ipse in omnem veritatem inducet: secundum Christi sermonem ego scripturas Manichæi recuso.

Aug. dixit: Quoniam ergo tu probare non potuisti, quomodo sit Manichæus apostolus Christi, et exigis ut ego probem quomodo miserit Spiritum sanctum paracletum quem promisit, ut tunc respuas scripturas Manichæi, si inveneris impletam promissionem Christi præter scripturas Manichæi: quamvis prior ad interrogata mea respondere debueris, tamen ecce prior ipse respondeo, et ostendo tibi quando missus sit Spiritus sanctus quem Christus promisit. Et accedit ad Evangelium et ad Actus Apostolorum.

CAPUT III. — Et cum accepisset codicem Evangelii, recitavit: *Dum autem hæc loquuntur, Jesus stetit in medio eorum, et dixit eis: Pax vobis; ego sum, nolite timere.* Et cum legeret, dixit: Hoc post resurrectionem. Et cum dixisset, legit: *Conturbati vero et conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum: palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis, et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.*

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Acta cum Felice emendavimus ad Mss. Victorinum, Floriacensem, Casalensem, ad varias lectiones trium Belgicorum, et ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Editiones Am. et Er., *septies consule*; reluctantibus omnibus Mss. et isthoc loco et in Retractationibus.

[2] Forte, *Hipponensium regiorum.*

[3] Er. Lugd. et Ven., *hic est Paulus apostolus.* M.

(*a*) Scripti anno Christi 404, die 7 et 12 decembris

Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas : et dixit eis, Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertio, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem Vos autem estis testes horum. Et ego mittam promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtutem ex alto (*Luc.* XXIV, 36-49). Et cum reddidisset codicem Evangelii, accepit Actus Apostolorum, et dixit : Audivimus in Evangelio commemorasse Evangelistam sanctum promissionem Christi, quæ est in Evangelio secundum Joannem, quem præsens Felix commemoravit. Ubi enim dixit Dominus, *Mitto vobis Spiritum sanctum paracletum* (*Joan.* XVI, 7), Joannes evangelista scripsit. Hoc autem quod modo legi, Lucas evangelista attestatus est, et consonuit veritati apostoli Joannis. Videamus etiam quomodo perfectum est quod promisit Dominus, et quomodo impletum : ut cum fuerit ex canonicis Libris sanctæ Ecclesiæ expressa impletio promissionis Domini, paracletum Spiritum sanctum alterum non quæramus, ne in seductorum laqueos incurramus.

CAPUT IV. — Et recitavit ex Actibus Apostolorum : *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, in die quo Apostolos elegit per Spiritum sanctum, et præcepit prædicare Evangelium : quibus præbuit se vivum post passionem in multis argumentis dierum, visus eis dies quadraginta, et docens de regno Dei, et quomodo conversatus est cum illis. Et præcepit eis ne discederent ab Jerosolymis, sed sustinerent poliicitationem Patris, quam audistis, inquit, ex ore meo; quonium Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem Spiritu sancto incipietis baptizari, quem et accepturi estis non post multos istos dies, usque ad Pentecosten. Illi ergo convenientes, interrogabant eum dicentes : Domine, si in hoc tempore præsentabis regnum Israel? Ille autem dixit : Nemo potest cognoscere tempus, quod Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientem in vos, et eritis mihi testes apud Jerosolymam, et in tota Judæa et Samaria, et usque in totam terram. Cum hæc diceret, nubes suscepit eum, et sublatus est ab eis. Et quomodo contemplantes erant cum iret in cœlum, ecce duo viri adstabant illis in veste alba, qui dixerunt ad eos : Viri Galilæi, quid statis respicientes in cœlum? Iste Jesus qui assumptus est in cœlum a vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte qui vocatur Elæon, qui est juxta Jerosolymam, sabbati habens iter. Et cum introissent, ascenderunt in superiora, ubi habitabant Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. Et erant perseverantes omnes unanimes in orationibus, cum mulieribus, et Maria quæ fuerat mater Jesu, et fratribus ejus. Et in diebus illis exsurrexit Petrus in medio discentium* [1], *et dixit* (*fuit autem turba in uno, hominum quasi centum viginti*) : *Viri fratres, oportet adimpleri scripturam istam, quam prædixit Spiritus sanctus ore sancti David de Juda, qui fuit deductor illorum qui comprehenderunt Jesum, quoniam annumeratus erat inter nos, qui habuit sortem hujus ministerii. Hic ergo possedit agrum de mercede injustitiæ suæ, et collum sibi alligavit, et dejectus in faciem, disruptus est medius, et effusa sunt omnia viscera ejus. Quod et cognitum factum est omnibus qui inhabitabant Jerosolymam, ita ut vocaretur ager ille ipsorum lingua Aceldemach, id est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat villa ejus deserta, et non sit qui inhabitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alter. Oportet itaque ex his viris qui convenerunt nobiscum in omni tempore quo introivit super nos* [1] *et excessit Dominus Jesus Christus, incipiens a baptismo Joannis usque in illum diem quo assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum esse. Et statuit duos, Joseph qui vocabatur Barsabas, qui et Justus, et Matthiam. Et precatus dixit : Tu, Domine, cordium omnium intellector, ostende ex his duobus quem elegisti ad suscipiendum locum hujus ministerii et annuntiationis, a qua excessit Judas ambulare in locum suum. Et dederunt sortes suas* [2], *et cecidit sors super Matthiam, et simul deputatus est cum undecim Apostolis duodecimus.* Et cum legisset, dixit : Audivimus quis ordinatus est in locum Judæ traditoris, quod paulo ante commemoravi, ne quisquam per fraudem irrepat in Apostolorum numerum, et nomine apostolatus fallat ignaros.

CAPUT V.—Nunc videamus quod promisimus, quomodo impleta sit Christi promissio de Spiritu sancto. Et cum dixisset, legit in loco : *Tempore quo suppletus est dies Pentecostes, fuerunt omnes simul in uno. Et factus est subito sonus de cœlo, quasi ferretur flatus vehemens, et implevit totam illam domum, in qua erant sedentes. Et visæ sunt illis linguæ divisæ quasi ignis, qui et insedit super unumquemque eorum. Et impleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Jerosolymis autem fuerunt habitatores Judæi, homines ex omni natione quæ est sub cœlo. Et cum facta esset vox, collecta est turba et confusa, quoniam audiebat unusquisque suo sermone et suis linguis loquentes eos. Stupebant autem et admirabantur, ad invicem dicentes : Nonne omnes qui loquuntur, natione sunt Galilæi? Et quomodo agnoscimus in illis sermonem in quo nati sumus? Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam* [3], *Pontum et Asiam, Phrygiamque et Pamphyliam, Ægyptum et partes Libyæ quæ est circa Cyrenen, et qui advenerant Romani, Judæique et Proselyti, Cretenses et Arabes, audiebant loquentes illos suis linguis magnalia Dei* (*Act.* II, 11). Et cum recitaret, dixit : Audisti nunc jam Spiritum sanctum, quomodo sit missus? Quod a me

[1] Editi, *in medio fratrum.* At Mss., *discentium.* Græce est, *mathêtôn.*

[1] Editi, *inter nos.* At Mss., *super nos.* Juxta Græcum, *eph'émâs.*

[2] Addidimus, *suas*, ex Mss. In græco est, *autôn.*

[3] Editi ferebant, *Armenium et Cappadociam.* Emendantur ex Mss., qui isthic græco et latino textui Vulgatæ consentiunt.

exegisti probavi; superest ut et tu facias quod promisisti : quoniam invenimus quando misit Spiritum sanctum, quem promisit; respuas illam scripturam, quæ sub nomine Spiritus sancti fraudare voluit vel lectorem vel auditorem.

CAPUT VI. — Fel. dixit : Ego non nego id quod dixi, quia cum probatum mihi fuerit quod Spiritus sanctus docuerit veritatem quam quæro, illam respuo. Hoc enim Sanctitas tua mihi legit, ubi Spiritum sanctum Apostoli acceperunt, et in ipsis Apostolis unum quæro qui me doceat de initio, de medio, et de fine.

Aug. dixit : Si legeris hoc dixisse Dominum, Mitto vobis Spiritum sanctum, qui doceat vos initium, medium et finem; bene me astringis ut ostendam quos docuerit Spiritus sanctus.

Fel. dixit : Quia sanctitas tua hoc dicit, quod Apostoli ipsi acceperunt Spiritum sanctum paracletum; iterum dico, de Apostolis ipsis quem volueris, doceat me quod me Manichæus docuit, aut ipsius doctrinam evacuet de duodecim quem volueris.

Aug. dixit : Absit longe a fide Apostolorum [1], ut doctrinam doceant sacrilegi Manichæi. Sed quoniam dicis unum ipsorum debere evacuare doctrinam Manichæi, modo autem sancti Apostoli non sunt in corpore; ego minimus, non solum omnium Apostolorum, sed omnium episcoporum, (nam ad merita Apostolorum quando aspiro?) quantum mihi Dominus de ipso Spiritu suo largiri dignatus est, evacuo doctrinam Manichæi, cum cœperint legi sequentia illius epistolæ, quam tu ipse Manichæi e se non negas.

Fel. dixit : Dixisti quia Apostoli de corpore recesserunt, scripturæ eorum valent usque nunc : et quia dixit Sanctitas tua, et quia dedisti potestatem dicendi quæ voluerimus sine ulla formidine, dixisti, Evacuo legem Manichæi : et ego dico, *Omnis homo mendax, solus Deus verax* (*Psal.* CXV, 2; *Rom.* III, 4); Scripturæ Dei loquuntur.

CAPUT VII. — Aug. dixit : Tu quidem et homo es, et sicut res ipsa modo indicatura est, mendax. Et quoniam locutus es quæ voluisti, non de Scriptura Dei; oportet et me loqui quod volo. Si enim veritas est Manichæi tui, nec a me destrui poterit : si falsitas est, quid interest a quo destruatur? Tamen quia de Apostolorum scriptura dixisti, quod etsi illi non sint in cor, ore, sunt hic scripturæ eorum : ante assumpti sunt Apostoli, quam error Manichæi natus in mundo fuerat; propterea non inveniuntur scripturæ Apostolorum evidenter contra Manichæum disserentes. Verumtamen quod apostolus Paulus in Spiritu isto sancto paracleto quem acceperat, futurum præviderit de talibus, qualis Manichæus fuit, quales estis et vos, recito ut agnoscas. Et accepta Epistola apostoli Pauli ad Timotheum legit : *Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritibus seductoribus, doctrinis dæmoniorum in hypocrisi mendaciloquorum, cauteriatam habentes conscientiam suam; prohibentes nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem : quia omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. Hæc præcipiens fratribus, bonus eris minister Jesu Christi* (I *Tim.* IV, 1-6). Et cum legeret, dixit : Ego hoc de vobis, et de talibus qui dicunt aliquam creaturam Dei immundam esse, et qui dicunt omnem concubitum et qui fit cum uxore, fornicationem esse; hoc est enim quod ait, *Prohibentes nuptias;* per Spiritum prophetiæ designatum et expressum esse dico. Tu autem si negas omnem concubitum fornicationem esse, aut si dicis omnem cibum humanum licitum et ad edendum concessum hominibus, mundum esse, non es de illis quos prophetavit Apostolus. Si autem inveniris in ils quæ dixi, ecce habes apostolum Paulum destruentem et evacuantem doctrinam Manichæi futuri. Itaque responde ad id quod interrogo : Omnis concubitus fornicatio est, an concubitus cum uxore non est peccatum?

CAPUT VIII. — Fel. dixit : Iterum mihi recitetur quod dixit Apostolus. Et recitatum est : *Spiritus autem manifeste dicit*, et cætera quæ supra sunt. Fel. dixit : Manichæus non a fide recessit, sicut dicit Paulus, sicut cæteri recesserunt a fide quasi in sectam suam : Manichæus autem a nulla secta recessit, ut dicatur quia a fide recessit.

Aug. dixit : Quoniam te video nolle respondere ad quod interrogaris, ne inveniaris vel non tenere Spiritum sanctum, quem jam probavimus missum esse Apostolis, vel non esse in corum numero quos futuros Paulus designavit, ubi et vos ipsos prophetavit; breviter respondeo : Ut secundum tuum intellectum accipiam quod dixisti, Recedent a fide : quia non recedunt a fide, nisi illi qui fuerunt in aliqua fide; Manichæus autem in nulla fide fuit a qua recesserit, sed in qua fuit in ea permansit : hoc te interrogo, utrum Manichæus, vel potius doctrina dæmoniorum mendaciloquorum quæ fuit in Manichæo, nullos Christianos catholicos seduxerit, ut recederent a fide. Si enim multi a vobis, et per vos, et per illam doctrinam seducuntur, ut recedant a fide, et intendant spiritibus seductoribus, qualis in Manichæo fuit; et incipiant dicere omnem concubitum esse fornicationem, unde Apostolus dicit, *Prohibentes nuptias;* et incipiant dicere, carnes quas comedunt homines, non esse Dei creaturam, sed dæmonum facturam, et esse immunditiam, manifestum est de his prædixisse Spiritum sanctum paracletum qui erat in apostolo Paulo, quod recessuri erant a fide, intendentes spiritibus seductoribus, qualis fuit in Manichæo. Jam ergo quia ego respondi, justum est ut tu respondeas ad quod interrogavi, utrum non dicas omnem concubitum esse fornicationem : aut si ad hoc non vis respondere, ad id quod primo interrogavi responde, ut probes Mani-

[1] Vox, *apostolorum*, abest a manuscriptis.

chæum esse apostolum Christi : aut si et hoc non vis, permitte me evacuare doctrinam ipsius, quod promisi cum legeretur epistola ejus, quam dicitis Fundamenti.

CAPUT IX. — Fel. dixit : Ego respondeo ad id quod dicit Sanctitas tua, quia in Paulo venit Spiritus sanctus paracletus.

Aug. dixit : Non in solo.

Fel. dixit : Ego de ipso ago : quia si in ipso [1], et in omnes. Et si in ipso : Paulus enim in altera Epistola dicit : *Ex parte scimus, et ex parte prophetamus : cum venerit autem quod perfectum est, abolebuntur ea quæ ex parte dicta sunt* (1 *Cor.* XIII, 9, 10). Nos audientes Paulum hoc dicere, venit Manichæus cum prædicatione sua, et suscepimus eum secundum quod Christus dixit, *Mitto vobis Spiritum sanctum* (*Joan.* XVI, 7). Et Paulus venit et dixit quia et ipse venturus est, et postea nemo venit ; ideo suscepimus Manichæum. Et quia venit Manichæus, et per suam prædicationem docuit nos initium, medium et finem : docuit nos de fabrica mundi, quare facta est, et unde facta est, et qui fecerunt ; docuit nos quare dies et quare nox ; docuit nos de cursu solis et lunæ : quia hoc in Paulo non audivimus, nec in cæterorum Apostolorum scripturis : hoc credimus, quia ipse est Paracletus. Itaque illud iterum dico, quod superius dixi : si audiero in altera scriptura, ubi Paracletus loquitur, id est, Spiritus sanctus, de quo voluero interrogare, et docueris me ; credo et renuntio.

CAPUT X. — Aug. dixit : Dicis te ideo non credere Spiritum sanctum paracletum in Paulo apostolo fuisse, quia Paulus dicit, *Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus :* et inde putas Apostolum per hæc verba prædixisse velut alium venturum post se, qui prædicaret omnia quæ ipse non potuit, quia ex parte dicebat ; et hunc tu credis esse Manichæum. Primo ergo, ex ipsa lectione Apostoli ostendo unde dicebat hoc Apostolus. Deinde, quia dixisti quod Manichæus vos docuerit initium, medium et finem, et quomodo vel quare factus sit mundus, de cursu solis et lunæ, et de aliis quæ commemorasti ; non legitur in Evangelio Dominum dixisse, Mitto vobis Paracletum qui vos doceat de cursu solis et lunæ. Christianos enim facere volebat, non mathematicos. Sufficit autem ut homines de his rebus, quantum in schola didicerunt, noverint propter humanos usus. Christus autem venturum Paracletum dixit, qui inducat in omnem veritatem : sed non ibi ait, Initium, medium et finem ; non ait, Solis et lunæ cursus. Aut si putas hanc doctrinam ad illam veritatem pertinere, quam per Spiritum sanctum Christus promisit, interrogo te quot sint stellæ. Si accepisti Spiritum illum, de quo dicis, ad quem pertinet docere ista, quæ ego dico ad disciplinam et doctrinam christianam non pertinere ; oportet ut renunties et respondeas mihi. Debitorem enim te fecisti, ut si quid de talibus interrogavero, si non responderis, non in te appareat Spiritus ille, de quo dictum est, *Inducet in omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13) ; si illa est veritas quo ista pertinent. Itaque elige tibi utrum velis et paratus sis mihi de his rebus respondere, tanquam homo qui accepisti Spiritum qui introducit in omnem veritatem, et dicis quia ad ipsam veritatem pertinet scire ista mundana. Itaque ego tibi possum ea dicere quæ pertinent ad doctrinam christianam : tu autem qui putas ad eam pertinere quomodo sit factus mundus, et quæ agantur in mundo, ad omnia mihi necesse est respondeas. Sed plane cum responderis, probaturus es. Sed antequam incipias dicere, si forte habes quod ille confinxerit, quem secutus es, doceam ego prius quod promisi, unde dicebat Apostolus, *Ex parte scimus, et ex parte prophetamus.*

CAPUT XI. — Dicebat enim, sicut lectio ipsa mox indicatura est, quia in ista vita homo cum est, non potest assequi omnia ; sed ex parte assequitur in hac vita : ipse autem Spiritus sanctus, qui ex parte docet in hac vita, post hanc vitam introducet in omnem veritatem. Quod ut apertissime doceatur, audi Apostolum. Et cum diceret, ex Apostolo legit : *Sive autem prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia evacuabitur : ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus ; cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam quasi parvulus, cogitabam quasi parvulus : cum autem factus sum vir, evacuavi ea quæ parvuli erant. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (1 *Cor.* XIII, 8-12). Et cum legeret, dixit : Jam dic mihi tu, si tempora futura Manichæi prædicebat Apostolus, utrum tu videas modo Deum facie ad faciem.

CAPUT XII. — Fel. dixit : Non tantum ego possum contra tuam virtutem, quia mira virtus est gradus episcopalis ; deinde contra leges Imperatorum : et superius petivi compendive [1] ut doceas me quid est veritas ; et si docueris me quid est veritas, patebit quod teneo mendacium esse.

Aug. dixit : Apparuit te probare non potuisse apostolum Christi esse Manichæum : quare autem non potueris, breviter expono. Dixisti inde te probare Manichæum esse apostolum Christi, quia paracletum venturum promisit Christus Spiritum sanctum : et quia non invenires quando venerit quem Christus promisit, hinc te credere ipsum esse Manichæum. At vero ubi probavi per Scripturas sanctas, ecclesiasticas, canonicas, quando venerit apertissime Spiritus sanctus, quem venturum promisit Dominus Christus, convertisti te, ut diceres, debere tibi ostendi quid docuerit, et utrum Manichæi doctrinam evacuaverit. Cum ergo respondissem Manichæum post Apostolos fuisse in carne ; illorum autem doctrinam, antequam Manichæus natus esset, ab ipsis fuisse prædicatam : dixi tamen unum ipsorum Apostolorum Paulum per Spiritum sanctum, qui in omnes Apostolos venerat, prophetasse etiam de ista vestra doctrina, quia futura erat, et eam appellasse doctrinam dæmoniorum mendaciloquorum ; ubi ostendi ea, quæ dixit Paulus fu-

[1] Mss., *quia et in ipso.*

[1] Lugd. et Ven., *contendive.* M.

tura in ipsa doctrina, ad vestram professionem pertinere, id est, prohibitionem nuptiarum; quia omnem concubitum, et cum uxore, fornicationem esse dicitis: et abstinentiam a cibis quos Deus creavit; quia novi vos quosdam cibos dicere immundos, cum ipse sequatur et dicat, *Omnis creatura Dei bona est* (I *Tim.* IV, 1-4). Cum hic a te exigerem ut responderes, dixisti Manichæum vos docere initium, medium et finem, et cursum solis et lunæ, et cætera talia, quæ cum ego ostenderem ad christianam doctrinam non pertinere; respondisti apostolum ipsum Paulum dixisse, quia ex parte scit et ex parte prophetat. Dixi nos non posse scire divina, cum sumus in hac vita; et hic videre per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: et quæsivi a te, si hoc putas dixisse apostolum Paulum, quod venturus esset Manichæus, qui doceret quod non poterat Paulus, pertinere ad te, qui te dicis accepisse ipsum Spiritum, videre modo Deum facie ad faciem. Quod quia non potes, manifestum est apostolum Paulum de illa vita dixisse, de qua dicit et Joannes: *Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 3). Hoc tu cum audisses, dixisti te non valere contra meam virtutem: quæ virtus mea non est, sed si aliqua est, ab illo mihi data est ad redarguendos errores, qui virtus est omnium fidelium suorum, et pleno corde de se præsumentium. Dixisti etiam quod te episcopalis terreat auctoritas: cum videas quanta pace inter nos agamus, quanta tranquillitate disputemus; quemadmodum populus præsens nullam tibi vim faciat, nullum terrorem incutiat, sed tranquillissimus audiat, sicut decet Christianos. Dixisti etiam timere te leges Imperatorum: hoc pro vera fide non timeret, quem Spiritus sanctus impleret: nam et Petrus apostolus in passione Domini timuit, et ter negavit; ubi autem eum paracletus, quem Christus promiserat, Spiritus sanctus implevit, pro fide Domini crucifixus est; et ille qui primo habuit negationem timoris, postea implevit gloriosissimam passionem confessionis. Tu itaque ex hoc ipso quod timere te dixisti leges Imperatorum, quamvis et de cæteris rebus, satis apparet, quod non inveneris Spiritum paracletum veritatis: quia et si non timeres, aliis rebus convincereris.

FEL. dixit: Et Apostoli timuerunt.

AUG. dixit: Timuerunt ut caverent, non ut fidem suam comprehensi edicere dubitarent. Tu autem jam hinc timere debuisti, ut non hic te inveniremus: jam in medio es; quare times, nisi quia quod dicas non habes? Nam et si Imperatores timuisses, ante tacuisses. Nunc vero cum hesterno die libellum Curatori dederis, et publice clamitaveris, cum codicibus tuis te paratum esse incendi, si aliquid mali in ipsis fuerit inventum; unde heri leges flagitabas quasi fortis, hodie veritatem fugis ut timidus.

CAPUT XIII. — FEL. dixit: Non veritatem fugio.

AUG. dixit: Dic ergo, si vides Deum facie ad faciem, secundum pollicitationem tuam; quia dixisti apostolum Paulum de vobis dixisse quia tam plenam veritatem accepturi essetis: ut intelligamus, vel credamus, Apostolum habuisse ex parte, et te totum.

FEL. dixit: Non veritatem fugio, sed veritatem quæro. Quod tu dicis, quia non teneo, probetur mihi per Scripturas deificas: hoc quæro jam.

AUG. dixit: Prius profitere te non potuisse probare Manichæum apostolum Jesu Christi: et quantum potuero, cum omnia exstirpata fuerint contraria de corde tuo per ministerium meum, donante Domino, insero tibi quæ scit [1] scientia veritatis, quæ perducat ad Deum, initians a fide.

FEL. dixit: Quia hoc dicis tu, ut legem meam negem, et accipiam alteram, meliorem duntaxat, quod quæro ego; non hoc respondeo, ut legem meam negem antequam alteram accipiam.

AUG. dixit: Sed prius de vase funditur quod adversum habet, et sic impletur quod bonum est: aut si adhuc dubitas fundere, defende quo plenus es. Ostendam enim tibi, quantum me Dominus adjuvat, quanta immunditia et blasphemiis plena sit doctrina Manichæi, si permittas ut legatur illa epistola, de cujus initio jam tractavimus, et non potuisti probare apostolum Christi esse Manichæum: sed ideo moras innectis, ne cætera legantur, ubi aperte vestra sacrilegia deprehenduntur; aut si permittis, legantur.

FEL. dixit: Permitto; quia dixisti omnia immunda fundi, et sic bona immitti: hoc enim dictum est Sanctitatis tuæ. Ad quod et ego dico: Nullus aquam fundit, nisi alter impleverit.

AUG. dixit: Hoc vides quam inconsiderate dixeris, ut mitius loquar, et non dicam insane. Utique de vase tibi similitudinem posui: in vas plenum nemo potest aliquid mittere, nisi fundatur illud quo plenum erat.

FEL. dixit: Unum dixisti, et ego dixi duo.

AUG. dixit: Si duo vasa dixisti, vis illum parem tuum fundimus et implemus illum (*a*), ut possis tu fundere quod habes?

FEL. dixit: Ambo unam aquam habemus.

AUG. dixit: Cum ergo ambo pleni sitis aqua vestra, quid implebimus, ut doceamus vos, nisi aliquis vestrum fuderit quod habet? Aut si bonum est, et ideo debet teneri ut defendatur et legatur illa epistola, videamus si vel cætera possunt defendi, si in ipso initio defecisti: aut si dicis te in illo non defecisse, proba nobis quomodo Manichæus sit apostolus Christi.

CAPUT XIV. — FEL. dixit: Christus dixit, Spiritum sanctum missurum se, qui in omnem veritatem inducat.

AUG. dixit: Si habes illum, attende ad id quod te jamdudum interrogavi. Dixisti enim ad ipsius doctrinam pertinere, etiam ista mundana cognoscere: die mihi quot sunt stellæ, si introductus es in istam omnem veritatem.

[1] Er. Lugd. et Ven., *infero tibi quæ sit*. Lov., *infero tibi quæ scit*. M.

(*a*) *Illum* forte Felicis *parem* vocat Cresconium, cujus verba retulimus supra, in Admonitione hisce Actis præfixa

Fel. dixit : Et ego dico, quia si Paracletus per Apostolos locutus est, et per Paulum : et ego peto Sanctitatem tuam, ut illa mihi ostendas quæ jam dixi.

Aug. dixit : Confitere te non potuisse ostendere quod ego interrogavi, et ostendam secundum Scripturas quod pertineat ad fidem christianam.

Fel. dixit : Et ego, si mihi attuleris scripturas Manichæi, quinque auctores quos tibi dixi, quidquid me interrogaveris, probo tibi.

Aug. dixit : De ipsis quinque auctoribus est ista epistola, cujus aperuimus principium, et invenimus ibi scriptum, *Manichæus apostolus Jesu Christi :* et video quia ipsum principium non mihi exponis, quia non probas quomodo Manichæus sit apostolus Jesu Christi.

Fel. dixit : Si in ista [1] non probo, in secundo probo.

Aug. dixit : In quo secundo?

Fel. dixit : In Thesauro.

Aug. dixit : Thesaurum istum, quem ideo tali nomine appellatis, ut miseros seducatis, quis scripsit? Manichæus ? Nolo mihi ab illo probes : quia ille Manichæus mentitur, dicendo se esse quod non est [2].

Fel. dixit : Tu proba mihi per alterum.

Aug. dixit : Quid vis tibi probem?

Fel. dixit : Quia mentitur Manichæus.

Aug. dixit : Quia tu non potes probare verum dicere Manichæum, oportet ut ego probem mentitum esse Manichæum?

Fel. dixit : Quare non potui probare? Numquid prolatæ sunt scripturæ quas ego petivi, et non probavi?

Aug. dixit : Sed scripturas Manichæi petis, quibus fidem non habemus : aliunde proba. Ego autem de ipsa scriptura Manichæi tibi probo mentitum esse Manichæum, et blasphemasse Manichæum.

Fel. dixit : Afferantur libri.

Aug. dixit : Præsens est epistola Manichæi, quam dicitis Fundamenti. Initium in ædificio nullum est, nisi fundamentum : si eum ostendero in ipso fundamento ruinam fecisse, cæteram ejus constructionem utquid quærimus?

CAPUT XV. — Fel. dixit : Hoc dicis, in ipsa ostendens ruinam esse [3] : et ego dico, da arbitros quantos et tu habes, et tibi probo quia non mentitur.

Aug dixit : Absit a nobis et a genere humano ut quantos hic vides, tantos videas Manichæos.

Fel. dixit : Da, dixi, quæ a te petivi.

Aug. dixit : Quos vis ergo ut dem tibi?

Fel. dixit : Quos tu volueris.

Aug. dixit : Ego istos do; si habes meliores, pete.

Fel. dixit : Quomodo istos das?

Aug. dixit : Præsentes qui nos audiunt.

Fel. dixit : Isti mihi non favent.

Aug. dixit : Ergo tu tales quæris qui tibi faveant, non qui veritati?

Fel. dixit : Qui me audiant, et non tantum me, sed et ipsam scripturam, ut probetur an verum dicit, an mentitur.

Aug. dixit : Vides ergo quia audiunt. Legamus cætera : quia tu istam epistolam Manichæi esse confessus es.

Fel. dixit : Non nego.

Aug. dixit : Ergo legatur.

CAPUT XVI. — Fel. dixit : Arbitros non habeo. Et adjecit : Legatur caput illius. Et cum legeretur, et ventum esset ad locum ubi scriptum habet eadem epistola, *Pax Dei invisibilis et veritatis notitia sit cum fratribus suis et charissimis, qui mandatis cœlestibus credunt pariter atque deserviunt : sed et dextera luminis tueatur et eripiat vos ab omni incursione maligna, et a laqueo mundi; pietas vero Spiritus sancti intima vestri pectoris adaperiat, ut ipsis oculis videatis vestras animas;* Felix dixit : Da scripturam quæ ista redarguat.

Aug. dixit : Adhuc nihil mali audivimus, nisi quod ausus est Manichæus apostolum Christi se nominare. Nam ea quæ dixit, adhuc ad tectorium fallaciæ pertinent, et ad ovinam pellem, quibus eis prius dicit verba bona, ut possit introducere mala. Sed quid velit per hæc verba introducere, videamus. Si enim aliquid mali introduxerit, et ista verba mala erunt et seductoria : si autem aliquid boni in posterioribus et veri dixerit, necessitate comprehendemus [4]. Permitte ergo legantur sequentia.

Fel. dixit : Si ergo asseris quia in primo bona ponuntur, et postea mala immittuntur, quomodo ego tibi possum credere, cum mihi primo bona dixeris?

Aug. dixit : Ego adhuc ista nec bona dixi, nec mala. Nihil mali adhuc audivimus, dixi : non dixi. Jam aliquid boni audivimus. Malum enim illud solum dixi, quod ausus est dicere se apostolum Christi. Verba vero quæ dixit in consequentibus, tunc erunt mala, si mali aliquid introduxerint; tunc erunt bona, si boni aliquid introduxerint. Permitte ergo ut sequentia legantur : quare times?

Fel. dixit : Non timeo.

Aug. dixit : Permitte ergo ut legantur.

Fel. dixit : Legantur.

CAPUT XVII. — Et cum legeretur, et ventum esset ad locum ubi scriptum habet, *Ita autem fundata sunt ejusdem splendidissima regna supra lucidam et beatam terram, ut a nullo unquam aut moveri aut concuti possint;* Augustinus dixit : Terram istam quam dicit, unde habebat? Fecit eam, an genuit eam, an æqualis et coæterna illi erat? Istam dico terram lucidam et beatam quam dicit.

[1] Lov., *si in isto.* Cæteri libri, *si in ista :* subaudi, *epistola Fundamenti.*

[2] Fr. Lugd. et Ven. sic exhibent hunc locum : Aug. *dixit : Thesaurum istum quem ideo tali nomine appellatis, ut miseros seducatis, quis scripsit?* Fel. *dixit : Manichæus.* Aug. *dixit : Nolo mihi ab illo probes, quia Manichæus mentitur dicendo se esse quod non est.* M.

[3] Sic Mss. At editi, *ostende in ipsa ruinam esse.*

[4] In Mss., *reprehendimur.*

Fel. dixit : Quomodo scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram, et terra erat invisibilis et coinquinabilis et incomposita?* Ego ita intelligo : In principio fecit Deus cœlum et terram, et terra erat : quasi duæ terræ mihi videntur esse, secundum quod Manichæus dicit duo regna.

Aug. dixit : Quia Scripturam commemorasti nostram, quam soletis blasphemare, ad me pertinet exponere illam, et ostendere tibi, sine blasphemia esse illud scriptum, et cum veritate et non secundum Manichæum ; ut deinde tu vel in secundis mihi respondeas quod interrogavi.

Fel. dixit : Respondeo.

Aug. dixit : Quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram ;* breviter complexa est Scriptura quid fecerit Deus. Deinde quia nondum apparebat hæc terra quam fecerat, antequam eam distingueret et ornaret,, qualem terram fecerat Deus, secuta Scriptura exposuit, qualis terra erat de qua dixerat, *In principio fecit Deus cœlum et terram :* tanquam cum audissemus, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, quæreremus, qualem terram, subjecit et ait, *Terra autem*, id est, illa quam fecerat Deus, *invisibilis erat et incomposita* (*Gen.* 1, 1, 2). Non ergo duas terras dixit, sed qualis illa fucrit exposuit. Tu itaque responde nunc mihi quod breviter interrogavi : Terra ista lucida et beata quam dicit Manichæus, supra quam fundata erant regna Dei, ab ipso Deo facta erat, an genita de illo erat, an coæterna illi erat? Unum de tribus, nisi molestum est, sine tergiversatione responde.

Fel. dixit : Ipsa se scriptura interpretatur.

Aug. dixit : Si ergo nosti esse hic aliquem locum, ubi hoc dicat scriptura, quia illam terram vel genuit Deus, vel fecit, vel coæterna illi erat, aperi ad locum quem nosti, et lege mihi.

Fel. dixit : Non est in ista scriptura, sed in altera.

Aug. dixit : Credo ergo, quia si qua est illa scriptura, meministi quid ibi dixerit. Itaque tu mihi responde, qui nosti illam scripturam : et si dixero quia non sic habet, convinces me. Si autem sic cognovero, secundum hoc disputo quod tu ipse responderis. Dic ergo an fecerit terram istam Deus, an genuerit, an coæterna illi fuerit : qui legisti in nescio quo libro, ubi esse hoc scriptum dicis.

Fel. dixit : Quia modo Sanctitas tua interpretata est Scripturam tuam, quomodo voluisti et acceptavi, et tu sic mihi accepta quidquid dixero.

Aug. dixit : Interim quod interrogavi, si nihil me contra moverit accepto : si autem aliquid moverit, motum meum indico tibi, ut ad ipsum respondeas.

Fel. dixit : Ego non respondi ad tua dicta.

Aug. dixit : Quia prius est ut mihi ad id quod interrogavi respondeas, tamen feci etiam ut tibi prior respondeam : forte non te movit, ideo non respondisti, forte et me non movebit, cum responderis. Responde ergo ad quod interrogavi.

CAPUT XVIII. — Fel. dixit : Respondeo. Et adjecit : Dixisti ergo de terra illa in qua Deus habitat, an facta est ab illo, an generavit illam, an coæterna illi est. Et ego dico, quia quomodo Deus æternus est, et factura apud illum nulla est, totum æternum est.

Aug. dixit : Non illam ergo genuit, neque fecit?

Fel. dixit : Non, sed est illi coæterna.

Aug. dixit : Si autem genuisset illam, non illi esset coæterna.

Fel. dixit : Quod nascitur, finem habet : quod innatum, non habet finem.

Aug. dixit : Quibus ergo erat ille pater, aut cujus erat pater, quem modo patrem nominavit? Si enim nihil genuerat, pater esse non poterat.

Fel. dixit : Sed sunt alia quæ generavit.

Aug. dixit : Illa ergo quæ generavit, non sunt illi coæterna, an et ipsa coæterna sunt?

Fel. dixit : Coæterna sunt illi quidquid Deus generavit.

Aug. dixit : Ergo errasti, quod superius dixisti, *Omne quod nascitur, finem habet.*

Fel. dixit : Interim quia secundum generationem carnis locutus sum, erravi.

Aug. dixit : Modestissime confessus errorem, merearis intelligere veritatem.

Fel. dixit : Faciat Deus.

Aug. dixit : Attende ergo jam, ut incipias cognoscere errorem scripturæ hujus. Si quæ genuit Deus, coæterna non sunt illi, melior est terra illa quam non generavit Deus, ubi habitant omnia quæ generavit Deus, quam terram dicis ab eo non generatam.

Fel. dixit : Coæquantur sibi omnia, et quæ generavit, et quæ non generavit, id est, terra illa ubi commorabatur.

Aug. dixit : Quid, ipse qui generavit, æqualis est illis omnibus, aut major est illis?

Fel. dixit : Et qui generavit, et quos generavit, et ubi positi sunt [1], omnia æqualia sunt.

Aug. dixit : Unius ergo substantiæ sunt?

Fel. dixit : Unius.

Aug. dixit : Hoc quod est Deus pater, hoc sunt filii ipsius, hoc et terra illa?

Fel. dixit : Hoc unum sunt omnes.

Aug. dixit : Hujus ergo terræ non est pater, sed inhabitator?

Fel. dixit : Etiam.

Aug. dixit : Sic nec genuit illam, nec fecit illam, quomodo ad eum pertineat nisi sola vicinitate non video, quomodo si habeat aliquis vicinum bonum : et duæ jam erunt res ambæ ingenitæ, terra et pater.

Fel. dixit : Imo tres sunt, pater ingenitus, terra ingenita, et aer ingenitus.

Aug. dixit : Hoc totum una substantia est?

Fel. dixit : Una.

Aug. dixit : Et ita fundata, ut a nullo unquam moveri aut concuti possit?

[1] Apud Fr. Lugd. Ven. Lov., *posita sunt*. M.

Fel. dixit : Motio et concussio habet distantiam.

Aug. dixit : Habeat : sed tamen talia fuerunt, ut a nullo unquam moveri aut concuti possent?

Fel. dixit : Est distantia inter moveri et concuti.

Aug. dixit : Non inde te interrogo.

Fel. dixit : Sed inde me vis tenere.

Aug. dixit : Quomodo vis, accipe Moveri : non poterat moveri?

Fel. dixit : Non dico quia non poterat moveri, sed motio distantia est.

Aug. dixit : Sed ita dixi, Nec moveri, nec concuti. Non dixi, Moveri quidem potest, sed concuti non potest ; aut, Concuti quidem potest, moveri non potest : sed ambas res dixi, non posse nec moveri, nec concuti.

Fel. dixit : De ambabus rebus distantia est inter moveri et concuti.

CAPUT XIX.— Aug. dixit : Legamus ergo sequentia, videamus si Deus iste qui fundata habebat regna super lucidam et beatam terram, quæ a nullo unquam moveri et concuti possunt, neminem timuit, sicut oportebat ut neminem timeret, cujus regna sic fundata erant, ut a nullo aut moveri aut concuti possent. Et legit sequentia : *Juxta unam vero partem ac latus illustris illius ac sanctæ terræ.* Et cum legeret interrogavit : Quod latus? dextrum, an sinistrum?

Fel. dixit : Hanc tibi ego non possum interpretari scripturam, et exponere quod ibi non est : ipsa sibi interpres est ; ego non possum dicere, ne forte incurram in peccatum.

Aug. dixit : Legatur hoc ergo quod sequitur. Et cum legeret, et ventum esset ad locum ubi habet, *Lucis vero beatissimæ Pater, sciens labem magnam ac vastitatem quæ ex tenebris surgeret, adversus sua sancta impendere sæcula, nisi quod eximium ac præclarum et virtute potens numen opponat, quo superet simul ac destruat stirpem tenebrarum, qua exstincta perpetua quies lucis incolis pararetur;* Augustinus dixit : Nunc jam quia cœperunt apertæ blasphemiæ, si defendendas putas, dic quid ista gens tenebrarum, quam videtur Deus timuisse, ne magna labes et vastitas ex tenebris in regna ejus irruerent, nocere poterat Deo ; maxime cujus regna superius dixit ita fundata, ut a nullo unquam moveri aut concuti possent. Quid ergo illi factura erat gens ista? Poterat ei nocere, an non poterat? Responde unum e duobus.

Fel. dixit : Ego respondeo : Si nihil contra Deum est, secundum quod dixit scriptura Manichæi, quia est alterum regnum ; pro qua causa Christus missus est, ut nos liberaret de laqueo mortis hujus? cujus est iste laqueus et mors? Si adversarius nullus contra Deum est, utquid baptizati sumus? Utquid Eucharistia, utquid Christianitas, si contra Deum nihil est?

Aug. dixit : Quia video te nolle respondere ad id quod te interrogo, et te interrogare ut tibi respondeam ; et hoc non recuso : dum tamen memineris quia tibi interroganti ego respondeo, tu autem mihi interroganti respondere noluisti. Sed quia me interrogasti, audi quod interrogasti. Nos quidem dicimus liberatorem Christum venisse, et a peccatis nostris dicimus nos liberari, quia nos non sumus de substantia Dei geniti, sed per ejus Verbum facti a Deo. Multum autem interest inter natum de substantia Dei, et factum a Deo quod non est de substantia Dei. Quidquid ergo fecit Deus, potest esse mutabile ; ipse autem Deus non est mutabilis : quia non possunt æquari opera artifici et conditori. Tu autem qui paulo ante ad interrogationem meam dixisti, quia *et Pater qui generavit ibi lucis filios, et aer, et ipsa terra, et ipsi filii una substantia sunt, et æqualia sunt omnia ;* oportet ut dicas mihi, huic substantiæ utique incorruptibili quomodo poterat nocere gens tenebrarum. Si enim poterat nocere ei, non erat natura incorruptibilis : si autem non poterat, nulla causa erat quare prælium agitaret, et illud numen quod dicit, huc mitteret.

Fel. dixit : Dilationem peto, ut possim respondere.

Aug. dixit : Quando? Cras intermissus sufficit?

CAPUT XX. — Fel. dixit : Intermitte mihi tres dies, id est, hodie, et cras, et perendie, aut usque ad diem qui est post dominicum, id est, pridie idus decembris.

Aug. dixit : Video te dilationem ad respondendum petiisse ; humanum est ut concedatur tibi : sed si respondere non potueris ad præstitutum diem, quid fiet?

Fel. dixit : Ero victus.

Aug. dixit : Quid, si fugeris?

Fel. dixit : Reus ero civitatis hujus, et ubique, et legis meæ.

Aug. dixit : Imo hoc dic : Si fugero, sic habear tanquam si anathemavero Manichæum.

Fel. dixit : Hoc dicere non possum.

Aug. dixit : Ergo aperte nobis dic quia fugere cogitas, et nemo te tenet.

Fel. dixit : Non fugio.

Aug. dixit : Ut video, non vis quasi victus abscedere : sed saltem hoc dic, Si fugero, victus sum.

Fel. dixit : Dixi.

Aug. dixit : Et unde apparebit te fugisse propter Gesta?

Fel. dixit : Jube ut quem elegero, cum ipso sim.

Aug. dixit : Elige tibi aliquem de præsentibus istis fratribus, qui ad cancellum stant.

Fel. dixit : Sim cum illo qui est in medio.

Aug. dixit : Sicut tibi elegisti, usque ad diem cum illo eris.

Fel. dixit : Etiam, et ego hoc consentio.

Bonifacius dixit[1] : Præstabit Christus, ut si cum illo veniam, christianus est.

[1] Er l ugd. Ven. Lov. hæc et superiora sic legunt : Aug. *dixit : Elige tibi aliquem de istis præsentibus fratribus qui ad cancellum stant.* Fel. *dixit : Etiam et ego consentio : sed cum illo qui est in medio.* Aug. *dixit : Sicut tibi elegisti, usque ad diem cum illo eris.* Bonifacius *dixit*, etc. M.

Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ Hipponeregiensis, his in ecclesia coram populo Gestis subscripsi.

Felix christianus, cultor legis Manichæi, his in ecclesia coram populo Gestis subscripsi.

LIBER SECUNDUS.

ACTA SECUNDÆ DIEI.

CAPUT PRIMUM. — Cum ventum esset ad diem præstitutum, id est, ad pridie iduum decembrium, res sic agi cœpit in ecclesia Pacis. AUGUSTINUS episcopus Ecclesiæ catholicæ Hipponeregiensium regionum dixit: Pridem cum sermonem haberemus, dilationem te petiisse meministi, cum ad ea quæ interrogaveram in præsenti respondere non posses. Si ergo tam lato temporis spatio, post diem scilicet quintum aliquid excogitasti, responde. Hoc enim tunc interrogaveram: Si Deo nocere nihil poterat, quare bellum gessit cum gente quam dicitis tenebrarum, in quo bello naturæ dæmonum misceret substantiam suam, quæ hoc est quod ipse, sicut jam interrogatus dixisti? Si autem nocere ei poterat, non incorruptibilem Deum colitis, qualem veritas et apostolica doctrina testatur.

FELIX dixit: Ex quo a Sanctitate tua recessi, ut ad diem constitutum reversus essem, ut responderem tuæ interrogationi, quæcumque velles interrogare, ventum est ad diem: et quia nullam scripturam inter manus habui, quia non mihi sunt redditæ unde me instruere possem; nullus enim ad certamen exit, nisi prius munitus[1] fuerit, et nullus litigator potest sine suis chartis litigare; similiter et ego sine mea scriptura respondere non possum.

AUG. dixit: Istam tergiversationem tanto dierum spatio excogitasti, quæ te in causa perdita et errore sacrilego quid respondeas non habentem adjuvare nihil poterit. Notum est enim omnibus qui aderant, quos etiam nunc adesse video, te dierum tantum dilationem petiisse: debuisse autem petere etiam codices, quando dilationem petiisti, si his te putabas instrui posse ad respondendum; quod non fecisti. Novi te petiisse codices, non quidem ad instructionem inspiciendos, verum hoc longe antequam peteres dilationem: cum vero dilationem petiisti, codicum tibi reddendorum et inspiciendorum, ut esse posses instructior, nullam fecisti mentionem.

FEL. dixit: Modo peto codices, reddantur mihi, et venio ad certamen post biduum; et si victus fuero, quod deliberaveris, subeo.

AUG. dixit: Rudem te in ista scelerata secta non esse puto, quod et fateris. Non te autem habere quod respondeas, etsi tu non fatearis, omnis homo jam videt. Sed quia codices tuos repetis, qui sub sigillo publico custodiuntur, quibus inspectis dicis te instructum venire posse post biduum; illud quod jam constat, objectis quæstionibus te respondere non potuisse recole. Tolle autem codices tuos, et dic quid inde velis tibi proferri, quod modo inspicias et respondeas.

FEL. dixit: Omnes scripturas quæ mihi sublatæ sunt. Ista enim epistola Fundamenti est, quod et Sanctitas tua bene scit, quod et ego dixi, quia ipsa continet initium, medium et finem. Ipsa legatur, et quidquid malum objicitur legi meæ, probetur: et nego illam, si probata fuerint illa crimina quæ objiciuntur legi meæ.

AUG. dixit: Quoniam fateris hanc esse epistolam, ubi doctrinæ vestræ initium, medium et finis continetur, hoc initium quam sit sacrilegum, ubi Deum dicitis pugnasse contra gentem tenebrarum, et miscuisse naturæ dæmonum polluendam et ligandam partem suam, quæ hoc est quod ipse; tam sacrilegum est, ut ferri vix ab audientibus possit: hoc objicitur primo sectæ vestræ, sive initium hoc voces, sive medium, sive finem, non valde id curo; hoc tamen de hac epistola, quam fateris esse Manichæi, lectum esse non negas; hoc vobis objicitur, hoc defende, si potes, ut ad alia veniamus. Unde iterum interrogo: si Deum incorruptibilem colitis, quid ei nocere poterat, nescio quæ gens adversa quam fingitis? Si nihil ei nocere poterat, nulla causa fuit quare partem suam naturæ dæmonum commisceret. Si autem nocere ei poterat, non Deum incorruptibilem colitis.

CAPUT II. — FEL. dixit: Manichæus dicit duas esse naturas, et modo inde culpatur, quia dixit duas esse, bonam et malam. Christus in Evangelio duas dicit esse arbores: *Arbor bona nunquam facit fructum malum, et arbor mala nunquam facit fructum bonum* (*Matth.* VII, 17). Ecce duas naturas. Deinde in Evangelio scriptum est: *Numquid bonum semen seminasti in agro? Unde apparuerunt zizania? Hoc inimicus fecit* (*Id.* XIII, 27, 28). Iste inimicus si non est extraneus a Deo, probetur mihi: si ad Deum pertinet inimicus iste, quale semen seminavit? Item in Evangelio scriptum est, Christo dicente, quia in novissimis temporibus thronum in medio sæculo ponet, et mittet Angelos suos in orientem et occidentem, septentrionem et meridiem, et congregabit omnes gentes ante se, et separabit illos, sicut pastor separat agnos ab hædis. Et ut compendive dicam, agnis dicet: *Ite in regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Hædis dicet, qui in sinistra parte sunt: *Recedite a me, qui operati estis iniquitatem:* nomen enim meum habuistis, sed opera non fecistis; *ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Id.* XXV, 31-41).

[1] Am. et Mss., *militatus.*

Qui sunt qui nomen Christi habent, et mittuntur in ignem æternum cum diabolo et angelis ejus; et ad quam partem pertinent isti, quibus Christus non permiscetur, et nomen ejus portant? Hoc enim Manichæus dicit, quia quos Christus damnat, ipsius non sunt. Nam Paulus apostolus dicit : *Prudentia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest* (*Rom.* VIII, 7). Hoc Manichæus dicit, quia quæ inimica est Deo, ad Deum non pertinet : si autem ad Deum pertinet, ipse sibi inimicum fecit : hoc Manichæus non dicit. Iterum Paulus dicit : *Deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium, ad non contemplandam claritatem Evangelii Christi, qui est imago Dei* (II *Cor.* IV, 4). Ipse Paulus iterum dicit : *Datus est mihi stimulus carnis* [1], *angelus satanæ, qui me colaphizet die ac nocte : propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me; et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate probatur* (*Id.* XII, 7-9). Ecce quid Apostolus dixit, ecce quid Evangelista : cum Manichæus hoc asserat, quia est extraneus a Deo, qui contra Deum bellavit : sive quia Christus crucifixus est, sive quia Apostoli omnes propter Dei mandatum; iste qui eos crucifixit, cui mandatum Dei non placet, hoc mihi dicat Sanctitas tua, si ad Deum pertinet.

CAPUT III. — Aug. dixit : Scripturas sanctas, quas non intelligendo longe a veritate aberratis, commemorare voluisti, velut ex eis patrocinium adhibens vaniloquiis vestris. Inter omnia tamen, quæ partim sicut vere scripta sunt, partim aliter quam scripta sunt commemorasti, nusquam ostendere potuisti quia Deus regnis suis hostilem naturam imminentem repellere volens, ut habeat quietem, partem suam, quæ hoc est quod ipse, naturæ contrariæ dæmonum miscens, colligari ab eis et contaminari fecerit. Hoc autem est quod vobis objicitur, unde quid respondeas non inveniendo, commemorasti divinarum Scripturarum capitula, ubi de peccatoribus dictum est quia non pertinent ad beatam vitam, quam bonis et fidelibus donat Deus : et has velut duas naturas accipi voluisti, secundum deliramenta Manichæi. Veritas autem dicit, omnia ista quæ videmus et quæ non videmus, quæ naturaliter subsistunt, a Deo facta esse : in quibus rationalem creaturam, etiam ipsam factam, sive in Angelis sive in hominibus accepisse liberum arbitrium; quo libero arbitrio si Deo servire vellet, secundum voluntatem ac legem Dei, haberet apud eum æternam felicitatem : si autem legi ejus subdi noluisset, sed potestate sua usa contra ejus fecisset imperium, secundum ejus justitiam pœnæ debitæ subjaceret. Hæc omnipotentia Dei in creandis omnibus [2], hæc justitia in remunerandis peccatoribus. Esse autem liberum arbitrium, atque inde peccare quemque si velit, non peccare si nolit, non solum in divinis Scripturis, quas non intelligitis, sed etiam in verbis ipsius Manichæi vestri probo. Circumclusus enim videt potentiam veritatis, contra quam conatus fuerat aliam naturam quam non fecit Deus, inducere contra Deum, non solida veritate, sed inani phantasmate : tamen ad confitendum verum de libero arbitrio, plus in eo valuit natura humana in qua eum Deus effecit, quam fabula sacrilega quam sibi ipse confinxit.

CAPUT IV. Audi ergo de libero arbitrio, primo ipsum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti : audi dicentem, *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum* (*Matth.* XII, 33). Cum ergo dicit, *Aut* hoc *facite, aut* illud *facite;* potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest : sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, et esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, et esse arbor mala : non quia mala ipsa quæ eliguntur, aliquam habeant in se ipsis substantiam; sed quia Deus, omnia quæ condidit, gradibus suis condidit, generibusque distinxit, cœlestia atque terrena, immortalia atque mortalia, et omnia bona in suo genere condidit : animam habentem liberum arbitrium, sub se ipso et supra cætera collocavit; ut si serviret superiori, dominaretur inferiori; si autem offenderet superiorem, pœnam ex inferiore sentiret. Hoc ergo Dominus dicens, *Aut facite* illud, *aut facite* illud; ostendit esse in potestate quid facerent, ipse securus et certus in se tanquam Deus; et quia si bonum eligerent, præmium ejus acciperent, si malum eligerent, pœnam ejus sentirent : semper autem ille justus est aut remunerator, aut damnator.

CAPUT V. — Audi ergo jam quemadmodum Manichæus ipse tam perversus, tam superbus, ut aliam introducens naturam, se æqualem Deo faceret, Deum ad se ipsum deponeret, confessus sit tamen esse liberum arbitrium : in Thesauro vestro, cui tale nomen ad decipiendos homines indidistis, certe sic loquitur, quod et tu ipse cognoscis. *Illi vero qui negligentia sua a labe prædictorum spirituum purgari se minime permiserint, mandatisque divinis ex integro parum obtemperaverint, legemque sibi a suo liberatore* [1] *datam plenius servare noluerint, neque ut decebat sese gubernaverint*, etc. Vides in his verbis confirmatum esse, etiam a nesciente quid loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim servare legem non vult, in potestate ejus est, si velit. Non enim dixit, Non potuerint; sed, *noluerint*. Hoc certe quod nolunt servare legem, non a gente tenebrarum coguntur : si enim coguntur, non nolunt, sed non possunt; si autem nolunt, non utique coguntur ut non faciant, sed voluntate sua nolunt. Hoc ergo quod in eorum voluntate est ut nolint, peccatum est certe sine aliqua necessitate gentis tenebrarum. Hoc agnosce esse peccatum sine necessitate gentis tenebrarum : et inde vides unde veniant omnes culpæ, unde merita culparum, unde distributiones pœnarum.

CAPUT VI. — Habetis etiam hoc in scripturis

[1] Editi, *carnis meæ*. Abest, *meæ*, a manuscriptis.
[2] Editi, *hominibus*. Melius Mss., *omnibus*.

[1] Sic Mss. At editi, *a Deo liberatore*.

apocryphis, quas canon quidem catholicus non admittit, vobis autem tanto graviores sunt, quanto a catholico canone secludantur. Aliquid etiam inde commemorem, cujus ego auctoritate non teneor, sed tu convinceris. In Actibus scriptis a Leutio [1], quos tanquam Actus Apostolorum scribit, habes ita positum : *Etenim speciosa figmenta, et ostentatio simulata, et coactio visibilium, nec quidem ex propria natura procedunt, sed ex eo homine qui per se ipsum deterior factus est per seductionem.* Vide quemadmodum hic, et *per se ipsum* dicit, et *per seductionem*. Fuit enim seductor hominis diabolus, non natura peccator, sed prior voluntate peccator. Sed quia erat in hominis potestate seductori non consentire, ideo positum est, et *per se ipsum*, et *per seductionem* : ut in eo quod positum est, *per se ipsum*, liberum arbitrium ; in eo vero quod positum est, *per seductionem*, intelligas diabolum, non oppressorem inviti, sed tentatorem volentis.

CAPUT VII. — Proinde quia ego respondi, et quantum potui probavi ea quæ scripta sunt in Libris sanctis de peccatoribus et de justis, non ad diversitatem naturarum, sed ad distinctionem meritorum pertinere, in quibus meritis non necessitatem natura facit ; sed voluntas culpam ; responde tu ad illud quod jam interrogavi : Si Deo nocere nihil poterat, quare partem suam, substantiam suam, hoc quod ipse est, polluendam et ligandam dæmonibus miscuerit, quod in nulla divina Scriptura canonica potueris invenire : si autem nocere ei poterat, non Deum incorruptibilem colitis, de quo Apostolus dicit, *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, incorruptibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum* (*I Tim.* I, 17). Denique idem dicit : *Deus habitat lucem inaccessibilem* (*Ibid.* VI, 16). Numquid ad illam lucem non accedunt sancti, de quibus scriptum est, *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6) ? Numquid ad illam lucem non accedunt de quibus dicitur, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [2] (*Matth.* V, 8) ? Sed quia non ad eam potest accedere, nisi cui Deus ipse donaverit ut accedat, ideo per se ipsam inaccessibilis est. Nemo enim potest ad eam accedere, quem Deus noluerit ut accedat : cui autem donaverit, ipse accedet. Quomodo ergo poterat illa gens tenebrarum accedere ad habitationem Dei, ubi est inaccessibilis lux, quo non accedit nisi cui Deus donaverit ? Aut si donum acceperat a Deo ut accederet, ad expugnandum regnum Dei non daret, et non timeret. Si autem donum tale non dederat ut posset accedere ; securus in suo regno erat, habitans inaccessibilem lucem : quid poterat de tenebrarum gente metuere, ut ei misceret partem suam, substantiam suam, hoc quod ipse est, ligandam, premendam, contaminandam, ubi non solum miserabiliter teneretur, sed etiam turpiter purgaretur ? Ut enim purgetur inde, dicitis quod audire nefas est, sed ad vos confundendos et forte salvandos, tacere non possumus : ut purgetur inde pars Dei, dicitis in nave lucis, quam solem appellatis, facientes injuriam Creatori solis, et ipsi soli quem sic dicitis factum, ubi tanta turpitudo celebretur : dicitis enim illic positum Deum, virtutes suas convertere in masculos, ad irritandum concupiscentias dæmonum feminarum ; et eosdem rursus convertere in feminas, ad irritandum concupiscentias dæmonum masculorum ; ut cum dæmoniis injiciunt libidinem, accensis in formas conflictas a Deo, relaxentur membra eorum, et sic evadat pars Dei quæ ibi fuerit colligata. Hoc tantum opprobrium, hoc tantum sacrilegium credere ausi estis, et prædicare non dubitatis. Hæc sunt media doctrinæ vestræ. Finis vero quis est ? Quis, nisi quia non potuit Deus totum purgare ? Et quia non potuit, facturum inde dicitis velut tectorium genti tenebrarum, ut ibi in æternum damnetur quod purgari non potuit, et nihil sua sponte commisit. Ita fit ut deus vester, non verus, sed fictus, non alicubi constitutus, sed in corde vestro imaginatus, partem suam misceat infeliciter, purget turpiter, damnet crudeliter. Ad hæc ergo responde, et incipe ab illo quod dixi, quare Deus miscuit istam partem suam, cui nihil nocere poterat ; aut si potuit, quomodo sit incorruptibilis.

CAPUT VIII. — FEL. dixit : Crudelem asseritis Manichæum hæc dicentem : de Christo quid dicimus, qui dixit, *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41) ?

AUG. dixit : Peccatoribus hoc dixit.

FEL. dixit : Isti peccatores quare non purgati sunt ?

AUG. dixit : Quia noluerunt.

FEL. dixit : Quia noluerunt, hoc dixisti ?

AUG. dixit : Hoc dixi, quia noluerunt.

FEL. dixit : Quare noluerunt ? Est qui non vult curari ? est qui non vult purgari ? est qui non vult illuminari ? Quis infirmus est qui non vult ad sanitatem venire ? Si crudele est quod Manichæus dixit, quia aliqua pars Dei quæ se purgare non potuit, in globo ligata est : hoc crudele non est, ut Christus qui dixit, Ego propter peccatores veni ; modo ad ignem æternum illos mittat, cujus nomen portaverunt ? Sed mandata, credo, non potuerunt complere. Si hoc crudele est, crudelius est et illud. Si illud crudelius est, quia Deus illos non potuit purgare, et globo ligavit ; et id crudelius videtur esse, quos Christus non potuit purgare, ad ignem æternum mittere : hoc mihi Sanctitas tua exponat de ipsa crudelitate.

AUG. dixit : Si ea quæ jam dixi, vel intellexisses, vel te intelligere fatereris (fortassis enim non habendo quid dicas, finxisti te non intelligere quod apertum est), ista non diceres. Jam enim diximus et probavimus per divinas Scripturas, esse liberum arbitrium : Deum autem esse liberi arbitrii justum judicem, remuneratorem fidelium eique se subjicientium et volentium se sanari, damnatorem autem superborum et impiorum. Quia ergo ad peccatores sanandos venit, sanat utique peccata confessos, sanat pœnitentes : neminem autem pœnitet cum alius peccavit : sed si est pœnitentia justa et verax, unde et ipse Dominus

[1] In Victorinis codicibus scribitur, *Levitio*. Apud Am. et Er. *Lenticio*. Vide infra, librum de Fide contra Manichæos, cap. 5.

[2] Er. Lugd. Ven. Lov., nonnullis hic omissis, hanc lectionem habent, *illuminamini ; et illud, Beati*, etc. M.

dicit, *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam* (*Matth.* IX, 13) ; ipsa pœnitentia indicat non alienæ esse naturæ, sed voluntatis nostræ, si quid forte peccamus. Nam si alio peccante, alium pœnitet, non est ista prudens, sed insana pœnitentia. Secundum vos autem nulla peccata sunt. Gens enim tenebrarum non peccat, quia suam naturam facit : natura lucis non peccat, quia quod facit, facere cogitur. Nullum ergo invenis peccatum quod damnet Deus, nullum invenis peccatum quod pœnitentia possit sanari. Si autem pœnitentia est, et culpa est : si culpa est, et voluntas est : si voluntas est in peccando, natura non est quæ cogat. Sed si quid infirmitatis patiuntur, qui non possunt implere quod volunt; unde Apostolus Paulus dicit, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23) : manifestum est hoc venisse de traduce primi peccati Adam, et de consuetudine mala. Nam hodieque [1] libera voluntate faciunt homines consuetudinem, quam cum fecerint, facile superare non possunt : ipsi ergo sibi de se ipsis fecerunt, quod contraria lex habitet [2] in membris eorum. Sed qui concipiunt timorem Dei, et per liberum arbitrium subdunt se sanandos optimo medico, et sicut bono curatori, ita et misericordi creatori, per humilitatem confessionis et pœnitentiæ sanantur. Superbi vero dicentes se justos, aut dicendo quia non peccant ipsi, sed aliud in illis peccat, et alia natura de illis peccat, per ipsam superbiam suam et insanabiles fiunt, et experiuntur justum judicium Dei, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi* IV, 6). Non est ergo indignum ut Deus dicat, *Ite in ignem æternum*, eis qui ejus misericordiam per liberum arbitrium respuerunt : et dicat, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV, 41, 34), eis qui per liberum arbitrium fidem ejus susceperunt, peccata sua confessi sunt, pœnitentiam egerunt, displicuerunt sibi quales fuerunt, et quales per eum facti sunt illi placuerunt. Tu ergo jam ad hoc quod interrogavi responde : sed impetrem a te, ne moras superfluas faciamus : Si Deo nocere nihil poterat, quare huc nos misit ? Si nocere poterat, non est incorruptibilis Deus.

CAPUT IX. — Fel. dixit : Si Deo nocere nihil poterat, quare huc Filium suum misit ?

Aug. dixit : Vide quemadmodum semper interrogas, et ad interrogata respondere non vis. Audi quod interrogasti, memento tamen te ad ea quæ dico non respondere, me autem respondere. Deo nocere nihil potest : sed Filium suum misit, ut carne indueretur, et hominibus appareret, peccatores sanaret, in ipsa carne pateretur pro nobis, quam sumpsit ex nobis. In sua quippe natura pati nihil poterat ; quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* In hac natura, quia *Deus erat Verbum*, pati nihil ille poterat. Ut autem pati pro nobis posset, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 14). *Verbum caro factum est*, assumendo carnem, non mutatum in carnem : assumpsit enim humanitatem, non amisit divinitatem. Itaque idem Deus et idem homo, in natura Dei æqualis Patri, in natura hominis factus mortalis, in nobis, pro nobis, de nobis, manens quod erat, suscipiens quod non erat, ut liberaret quod fecerat, non quod erat. Non est ergo passio Christi ex indigentia, sed ex misericordia. Præbuit enim exemplum patientiæ nobis de nobis, id est homini de homine, carni de carne : non tamen in illa carne ipse deterior factus ; sed caro in illo melior facta est. Pars vero dei vestri, nulla carne assumpta (non enim erat in gente tenebrarum pro qua pateretur), descendit ut teneretur, ligaretur, pollueretur, et turpius quam ligabatur purgaretur. Jam enim de purgatione ejus dixi. Hæc omnia quanto indigniora sunt, tanto utique faciliora ad intelligendum quoniam in naturam Dei ista non cadunt. Et absit a pio animo atque fideli talia de Deo credere, Deo bono, Deo vero, qualia vos creditis ; non quem invenistis, sed quem finxistis. Responde jam nunc : Si Deo nocere nihil poterat, pura illa substantia ipsius, nulla carne assumpta in se passura, si quid passura erat, non in carne quam susceperat, quare huc missa est secundum vestra vaniloquia ?

CAPUT X. — Fel. dixit : Si nihil poterat noceri Deo a parte adversa, et Christo nihil poterat noceri ab adversa natura ; ad quam venit Christus, ut eam liberaret ? Quia, ut dicis, propter libertatem nostram venit : ergo in captivitate fuimus. Si in captivitate tenebamur, et propterea Christus venit, ut nos liberaret de captivitate, qui nos tenebat extraneus a Deo erat, aut virtus Dei. Si Dei virtus erat qui nos tenebat, utquid Christum mittebat ille qui nos tenebat ? Si in ipsius arbitrio erat quando vellet dimittere, utquid Christus crucifigitur ? Neminem autem latet Christum crucifixum. Quid illum crucifixerunt ? Si Dei virtus est, nihil nobis nocebat. Si Dei virtus erat, non fuimus capti apud illum : sed quasi nos cum nostro principe, quasi filius cum parentibus, non autem Romani cum Barbaris. Non oportebat ergo, quia cum virtute Dei constituti eramus, Deum Filium suum mittere, ut dicatur quia liberator noster venit. Si paret ergo cum virtute Dei nos constitutos esse : Apostolus dixit [1], *Christus nos liberavit de maledicto Legis ; quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Galat.* III, 13 ; *Deut.* XXI, 23). Hoc enim Apostolus dicit. Si iste qui maledicit omnes qui pendent in ligno, Dei virtus est : Christus enim pependit in ligno, et Apostoli ipsius omnes qui addicti sunt pro ipsius præcepto : quis ergo iste est qui maledicit omnem qui pendet in ligno ?

CAPUT XI. — Aug. dixit : Quos Christus redemit a diabolo, per consensionem suam tenebantur a diabolo, et in ejus conditione constituti erant per justum

[1] Fr. Lugd. Ven. Lov., *hodie*. M.
[2] In Mss., *quod contra eos habitet*.

[1] Ven., *ut Apostolus dixit*, addita vocula, *ut*. M.

Dei judicium, cui seducenti consenserant per liberum arbitrium. Sicut autem in hominis potestate fuit diabolo consentire, ut captivaretur ; sic in ipsius diaboli potestate fuit, cum angelus esset, peccare, ut in deterius mutaretur. Peccator ergo angelus per liberum arbitrium, suasit peccatum homini habenti liberum arbitrium ; ut diabolus si noluisset non peccasset, et homo si noluisset non consensisset. Cum autem jam ab illo cui consenserat teneretur, non quia diabolus aliquid potuit, sed quia justum Dei judicium fuit, et ejus legi obtemperare noluit : quia ergo sic invenit Christus peccatores sub peccato, redemit confitentes a superbiente. Quod autem in Lege positum est, *Maledictus omnis qui pendet in ligno ;* unde Apostolus dicit, *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum ; scriptum est enim, Maledictus omnis qui pendet in ligno :* non Legem reprehendit, sed misericordiam commendavit. Quia enim Adam peccaverat, et omnis illa massa et propago peccati maledicta erat ; Dominus autem carnem de ipsa massa suscipere voluit, ut suscipiendo mortalitatem quæ de pœna venerat, solveret mortem, quod de gratia veniebat : ideo dicit Lex, *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Mors enim ipsa pendebat in ligno, quæ mors de maledicto veniebat. Quomodo ergo suscipiendo mortem, interfecit mortem ; sic suscipiendo maledictum, solvit maledictum. Unde et Apostolus dicit, *Scientes quia vetus homo noster simul confixus est cruci cum illo* (*Rom.* VI, 6) : quia de vetere homine nostro, id est, de sorte mortis, quæ veniebat ex merito peccati, suscipere dignatus est carnem mortalem de virgine Maria, in qua nobis et passionis et resurrectionis præberet exemplum ; passionis, ad firmandam pœnitentiam ; resurrectionis, ad excitandam spem : ut duas vitas nobis ostenderet in carne, quam suscepit de vita nostra mortali, unam laboriosam, alteram beatam ; laboriosam, quam tolerare debemus ; beatam, quam sperare debemus. Toleramus autem laboriosam merito peccati nostri : ille autem ostendit eam in carne sua, non merito iniquitatis suæ, sed officio misericordiæ suæ. Nam ut noveris bonam esse Legem, quam tu reprehendere voluisti, ipse apostolus Paulus quodam loco dixit : *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* Adhuc videtur illam reprehendere ; sed audi quod sequitur : *Ubi autem,* inquit, *abundavit delictum, superabundavit et gratia* (*Id.* V, 20). Data est enim lex superbis hominibus, et viribus suis totum tribuentibus, ut cum implere non possent legem datam, prævaricatores invenirentur, et facti rei sub lege, peterent misericordiam a legis Conditore. Proinde paulo post dicit idem apostolus : *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Sed ne dicas quia de alio mandato dicit, ut ostendat quia de illo dicit, de quo paulo ante dixerat, *Lex subintravit ut abundaret delictum ;* statim sibi opposuit quæstionem : *Quod ergo bonum, mihi factum est mors ? Absit : sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem* (*Id.* VII, 12, 13). Erat enim peccatum, sed non apparebat peccatum : data est lex superbo, fecit contra legem, et apparuit peccatum, quod erat, sed non apparebat. Apparens autem peccatum humiliavit superbum, humiliatus superbus factus est pœnitens, de pœnitentia impetrata est misericordia. Audisti ergo quod interrogasti, responde quod interrogo : Nihil nocere poterat gens tenebrarum Deo ; quare huc misit partem suam miscendam et polluendam a natura dæmonum ?

CAPUT XII. — Fel. dixit : Si in arbitrio nostro sumus, nemo neminem cogat : quando voluero, ero christianus. Voluntas nobis subjacet, aut esse christianum, aut non esse.

Aug. dixit : Quia voluntas nobis adjacet, manifestum est, et hoc de divinis Scripturis docui ; quod coactus est etiam invitus dicere, etiam ille qui vos in istum induxit errorem. Quod autem dicis, *Nemo cogatur, quando voluero, ero christianus :* nemo plane te cogit ; quando volueris, esto : quia ex voluntate tua huc venisti, et ex voluntate tua ista disputasti. Et væ voluntati malæ, si mala est ; pax bonæ voluntati, si bona est. Sive autem mala sit, sive bona sit, voluntas est. Bonam voluntatem sequitur corona, malam sequitur pœna. Deus judex voluntatum est, creator autem naturarum. Si ergo putas cogi te ut sis christianus, audi a nobis omnino te non cogi. Cogita potius quæ audis, perpende, in tua voluntate es : examina ut prudens, si tamen in te est ulla prudentia vel humana, utrum ea quæ dicta sunt, veritate fulta sint ; utrum tu ipse in Manichæi vestri defensione defeceris, sicut apparet : et quando volueris, esto quod nondum es, et desine esse quod es.

CAPUT XIII. — Fel. dixit : Ecce jam compendive, ut dixit Sanctitas tua : nec chartas cumulemus [1], si tibi placet, quod petivi pridem ; huc veni ; ostende mihi veritatem, ut illud quod teneo, pareat quia veritas non est, et habes me paratum ad credendum.

Aug. dixit : Jam quidem quod tenes, satis apparet quia veritas non est. Absit enim a cordibus veritatem quærentium vel tenentium, ut credant Deum substantiam suam necessitate coactum mersisse dæmonum naturæ ligandam atque polluendam. Absit a fidelibus credere Deum ad liberandam substantiam suam convertere se in masculos contra feminas, et in feminas contra masculos ad eorum concupiscentiam irritandam. Absit a fidelibus credere Deum substantiam suam, quam ipse dæmonibus mersit, postea in æternum damnare. Hoc ergo quia veritas non est, manifestum est. Sed quia vis tibi pro ista falsitate expulsa atque convicta, patefieri veritatem, si quid de cognoscenda fide catholica adhuc movet, ab initio fidei poteris erudiri. Etenim aptum perceptioni veritatis incommutabilis facit pia fides : a qua fide quisquis incipere noluerit, superbus foris remanebit, et ad id quo tendit, vel quo vult pervenire, perduci non poterit. Sed quia jam illa falsitas manifesta est, anathema fal-

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov., omissa interjunctione, sic eguut, *tua ne chartas cumulemus.* M.

sitatem, ut possis incipere aptus esse ad cognoscendam veritatem.

CAPUT XIV. — Fel. dixit : Cum apparuerit mihi, quia mihi non apparet, quia altera mihi non ostensa est, non possum anathemare.

Aug. dixit : Anathemandus est error qui dicit corruptibilem Deum, an non est anathemandus ?

Fel. dixit : Iterum dic.

Aug. dixit : Anathemandus est error qui dicit corruptibilem Deum, an non est anathemandus ?

Fel. dixit : Quæratur si dicit.

Aug. dixit : Ego hoc interrogavi, Qui dicit corruptibilem Deum, anathemandus est, an non?

Fel. dixit : Qui dicit corruptibilem Deum, anathemandus est ; hoc mihi objicis ?

Aug. dixit : Hoc interrogo.

Fel. dixit : Corruptibilem Deum dicis, non autem quod primo dixisti, quia partem suam dedit adversariis?

Aug. dixit : Interim quod interrogo responde : Qui dicit corruptibilem Deum esse, anathemandus est, an non?

Fel. dixit : Valde.

Aug. dixit : Qui dicit corruptibilem esse naturam et substantiam Dei, anathemandus est, an non ?

Fel. dixit : Non intellexi quod dixisti.

Aug. dixit : Hoc dico quod omnis homo intelligit, qui non se fingit non intelligere : Naturam et substantiam Dei, id est, illud ipsum quidquid est Deus, qui dicit esse corruptibilem, anathemandus est, an non ?

Fel. dixit : Etiam anathemandus est, si probatum fuerit esse verum.

Aug. dixit : Nondum tibi dixi, quia Manichæus dicit corruptibilem naturam Dei ; sed hoc tibi dixi, quia quicumque hoc dicit, anathemandus est.

Fel. dixit : Et ego respondi, Etiam.

CAPUT XV. — Aug. dixit : Pars illa quæ tenebrarum genti mixta est, de Dei natura est, an de aliqua alia natura ?

Fel. dixit : De Dei.

Aug. dixit : Quod de Dei natura est, hoc est quod Deus, an aliud quid quod non est Deus ?

Fel. dixit : Ita est : quod de Deo est, Deus est, secundum quod scriptum est : *Lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5). *Deus enim lumen est, et tenebræ in eo non sunt* (I *Joan.* I, 5).

Aug. dixit : Bene respondisti, quia et quidquid de Dei natura est, Deus est, et Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt, et talis lux luxit in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt. Videamus ergo utrum Manichæus partem Dei non dicat esse comprehensam a tenebris, non etiam teneri ligatam, non etiam maculatam et pollutam, sic ut indigeat misericordia liberatoris et purgatoris. Si autem hæc dicit, secundum te etiam, et secundum veras confessiones tuas, anathemandus est; quia partem Dei et naturam Dei, quod est ipse Deus, dicit comprehensam a tenebris et ligatam et pollutam : quod tu ipse secundum Evangelium loquens non potuisti dicere; sed verum dixisti, quia *lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Manichæus ergo anathemandus, qui dixit, quia lux tenebrata est in tenebris, et tenebræ eam comprehenderunt.

Fel. dixit : Sed et qui polluitur, et qui tenetur, liberatur; et nos si polluti sumus, mundamur.

Aug. dixit : Sed hoc de Dei natura non recte dicitur, sed de illa quæ pollui potest, recte dicitur : quia polluitur et mundatur : de illa vero quæ pollui non potest, vides cum quanto sacrilegio dicatur, Polluitur et mundatur; maxime quia sic dicitis quamdam Dei partem esse pollutam, ut propterea ligetur in æternum globo tenebrarum, quia non potuit mundari. Hoc qui non anathemat, falsum paulo ante respondit, quia omnis qui dicit corruptibilem Deum, anathemandus est.

CAPUT XVI. — Fel. dixit : Hoc quod dixit Sanctitas tua, quia pars quæ se non mundavit ab coinquinatione gentis tenebrarum : et sic dicit Manichæus, quia non sunt missi in regnum Dei. Hoc enim asseris tu, quia damnati sunt : sed Manichæus non hoc dicit, quia damnati sunt [1], sed ad custodiam positi sunt illius gentis tenebrarum.

Aug. dixit : De ista parte tecum ago, quam dicis pollutam purgari : postea si opus fuerit, de illa quæ figitur in globo ejus. Interim quæ purgatur, polluta erat.

Fel. dixit : Quæ polluitur, et mundatur.

Aug. dixit : Qui ergo dicit naturam Dei et substantiam Dei, et id quod Deus est, posse pollui, ligari, inquinari a gente tenebrarum, non est anathemandus ?

Fel. dixit : Christus unde nos mundavit? unde nos liberavit ?

Aug. dixit : Christus non partem Dei, non naturam Dei liberavit ; sed facturam quam fecit, in peccatum cadentem per liberum arbitrium, sua misericordia liberavit. Eam rem mundavit quæ pollui poterat, eam rem liberavit quæ captivari poterat, eam rem sanavit quæ infirmari poterat. Modo autem de Deo, de natura Dei, de substantia Dei, de eo quod Deus est loquimur : poterat pollui, an non poterat ?

CAPUT XVII.— Fel. dixit : Anima nostra ex Deo est, quæ polluta est? Si non est ex Deo, utquid pro illa Christus crucifixus est? Si ergo paret quia Christus propter animam nostram crucifixus est, paret quia ex Deo est, et polluta erat, et ipse eam mundavit.

Aug. dixit : Ego non solum animam, sed et corpus nostrum et omnem creaturam et spiritualem et corporalem ex Deo esse dico : quia hoc habet catholica fides. Sed aliud est quod de se Deus genuit, quod hoc est quod ipse; aliud autem quod fecit Deus. Quod Deus genuit, æquale est Patri : quod Deus fecit, non est æquale conditum conditori. Aliud autem dicimus ex Deo esse, quod melius dicitur de Deo esse, quia

[1] In Mss., *sed Manichæus hoc dicit, quia non damnati sunt.*

hoc est quod ipse, sicut unigenitus Filius, sicut Verbum ejus per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 3) : alia vero sic dicimus ex Deo, quia dixit, et facta sunt; mandavit, et constituta sunt (*Psal.* CXLVIII, 5). Hinc est anima, ex his quæ fecit Deus, non illud quod de se genuit Deus. Ideo Verbum quod de se genuit, pollui non potuit, nec potest, nec poterit. Anima vero quam fecit rectricem corporis, ut serviret superiori, dominaretur inferiori, id est, serviret Deo, dominaretur corpori, contempta Dei lege per peccatum polluta est; Deus autem misericordiam præstans his quæ fecit, misit Filium per quem fecit, et per illum refecit. Quando condendum erat quod non erat, per Verbum conditum est : quando reficiendum erat quod depravatum fuerat, suscepta est inde creatura de virgine Maria, ut per id quod erat homo, demonstraretur homini et quid sustinendum et quid sperandum esset. Itaque natura Verbi, substantia unigeniti Filii Dei nihil passa est vel a persecutoribus Judæis, vel a diabolo angelo malo persequente. Sed quia induit se carne, induit se re mortali, re passibili, re mutabili, in eo quod se induit, passus est quidquid voluit ad exemplum patientiæ, et reformavit hoc ad exemplum justitiæ. Tu modo dic mihi de Dei parte, quod Deus est, utrum pollui possit, an non. Si potest, non est incommutabilis Deus; et qui hoc dicit, anathemandus est : si autem non potest, vides anathemandum esse Manichæum, qui dicit partem Dei, naturam Dei, id quod est Deus, venisse huc puram ad gentem tenebrarum ligatam atque pollutam, ut indigeat solvi ac mundari.

CAPUT XVIII. — FEL. dixit : Hoc tu dixisti de anima, quia ex Deo non est.

AUG. dixit : non dixi; sed dixi quia ex Deo est, tanquam a Deo facta, non tanquam a Deo nata.

FEL. dixit : Dixisti de anima quia non est ex Deo, sed factura Dei, quia sine Deo nihil est : hoc enim dicis tu, et non vis asseverare quia ex Deo est anima.

AUG. dixit : a Deo est, sed facta est a Deo.

FEL. dixit : Aut facta, aut missa, aut data, ex Deo est. Ergo si ex Deo est, et polluta est, et venit Christus eam liberare de pollutione; quid culpas Manichæum?

AUG. dixit : Quia ego dico animam non naturam Dei, sed factam a Deo, per liberum arbitrium peccasse, et peccato esse pollutam, et per Dei misericordiam in pœnitentia liberatam : tu autem ipsam naturam Dei, quod Deus est, Deum de Deo dicis in gente tenebrarum captum atque pollutum : et multum interest inter id quod de se Deus genuit, et quod fecit non de se, sed ex nihilo, id est, cum omnino non esset, a Deo accepit ut esset, id est, ut institueretur.

FEL. dixit : Ergo pars Dei est.

AUG. dixit : Jam tibi dictum est, non est pars Dei : et accipe quomodo intelligas Deum omnipotentem factorem. Omnia quæ fiunt, et quod quisque facit, aut de se est, aut ex aliquo, aut ex nihilo. Homo quia non est omnipotens, de se filium facit : ex aliquo, sicut artifex ex ligno arcam, ex argento vasculum. Potuit enim facere vasculum, sed non potuit facere argentum : potuit facere arcam, sed non potuit facere lignum. Ex nihilo autem, ex eo quod prorsus non est facere ut sit, nullus hominum potest. Deus autem quia omnipotens est, et de se Filium genuit, et ex nihilo mundum fecit, et ex limo hominem formavit : ut per istas tres potentias ostenderet effectionem suam in omnibus valentem. Qui [1] de se quod fecit, nec fecisse dicendus est, sed genuisse. Quod autem ex aliquo, sicut de terra hominem, non sic fecit hominem de terra, ut alius ei fecerit ipsam terram unde faceret hominem, quomodo fecit Deus argentum argentario unde faceret vasculum : sed ipse fecit, et quod non erat ut esset, et quod inde rursus esset, quod jam ipse ex nihilo creaverat ut esset. Sic ergo corpus, sic anima, sic intelligitur universa creatura facta a Deo; non genita de Deo, ut hoc sit quod Deus. Proinde modo forte eliges quid teneas, et quid respuas. Elige quid sit melius. Quoniam videmus multa mutabilia, et ipsa tamen bona, quamvis mutabilia; multa mortalia, et ipsa tamen bona, quamvis mortalia : bonum autem omnino incommutabile ipse Deus est : quid melius sit tibi tenere, elige; Deum mutabilem esse, an quod fecit Deus mutabile esse? Quia necesse est ut unum de duobus dicas. Si nolueris admittere id quod fecit Deus esse mutabile, restat ut dicas ipsum Deum esse mutabilem. Ut autem ab hoc sacrilegio te purges, et ab hac blasphemia, ne dicas substantiam Dei esse mutabilem; quare non concedis Deum qui vere est, et incommutabilis est, quia ipse etiam dixit, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14), fecisse omnia bona, sed non sibi paria? Proinde quia ipse incommutabilis est, non est mirum si quod fecit, quia ei æquale non est, non est incommutabile, sed mutabile. Ideo et per liberum arbitrium peccare et pollui potuit, et per ejus misericordiam liberari.

CAPUT XIX. — FEL. dixit : Dixisti hominem fecisse sibi filium : nihil interest inter patrem et filium. Quia hoc ergo protulit Sanctitas tua, et ego respondeo quia Deus et quæ facit, æqualia sunt sibi.

AUG. dixit : Quod intelligere noluisti, quia homo cum filium facit, non facere proprie dicitur, sed proprie generare dicitur : sic et Deus Filium unicum genuit, dixi tibi, non fecit. Fecit autem illud quod æquale ei non est : quod autem genuit, æquale illi est. Itaque elige tibi, utrum velis dicere mutabilem Dei facturam, an mutabilem Dei naturam.

FEL. dixit : Quomodo Deus immutabilis est, similiter quem genuit, immutabilis est; et quod fecit, si de ipsius natura est, non mutatur (sed de nihilo fecit, quia opus non mutatur [2]).

AUG. dixit : Sed jam tibi dictum est quia quod fecit, non de ipsius natura est; sed ex nihilo fecit, quia omnipotens est. Non erat, et fecit, non de se,

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *quia*. M.
[2] Id parenthesi inclusum abest a nostris Mss.

non de aliqua re quam ipse non fecerat, sed ex nihilo.

Fel. dixit : Ego non hoc dixi : sed dixi, quia Deus immutabilis est, et quod genuit immutabile est, et quod fecit immutabile est. Non dixi, unde illud fecit : non hoc quæsivi, unde fecerit.

Aug. dixit : Sed a me audisti quod non quæsisti, ut jam desineres stulta loqui. Omnipotens Deus et de se potuit generare, et de nihilo facere, et ex eo quod jam fecerat, aliquid formare : de se, Filium æqualem sibi ; de nihilo, mundum et universam creaturam ; ex aliquo, de terra hominem : quia omnipotens est. Quod ergo de se ipso est, pollui nunquam potest, quomodo nec ipse : quod autem ab illo factum est, non de illo, et pollui potest per liberum arbitrium, et mundari per ipsius misericordiam, condemnando quod peccavit, et agnoscendo qui eum creavit. Tu vero qui paulo ante dixisti quia qui Dei partem corruptibilem et contaminabilem dicit, anathemandus est, negare autem non potes Manichæum dixisse quod pars Dei in gente tenebrarum comprehensa atque polluta est, et his eum verbis blasphemasse apparet, ita ut pejus blasphemare forte non posset ; aut anathema illum talia dicentem, aut tu cum illo anathemandus es et abjiciendus.

CAPUT XX. — Fel. dixit : Manichæus dicit quia polluta est pars Dei ; et Christus dicit quia polluta est anima, et venit liberare illam de pollutione.

Aug. dixit : Sed anima non est pars Dei. Nam jam tu confessus es quia Manichæus dixit pollutam partem Dei : nos autem pollutam dicimus animam ex voluntate peccati ; non esse autem animam partem Dei, non de Deo genitam, sed a Deo factam. Sic ergo dicitur anima ex Deo, quomodo dicitur aliquod opus fabri ex artificio ejus, vel ex ipso factum, non tamen de ipso genitum, sicut filius ejus. Tu ergo quia jam confessus es Manichæum dixisse pollui partem Dei, et jamdudum dixisti anathemandum qui dicit corruptibilem vel contaminabile a Deum, vel naturam ejus ; jam anathemasti, quod nos vis fateri. Hoc enim quod dixisti, quia polluitur et quia mundatur, hoc ipsum quod dicis, Mundatur, expressisti quia polluitur ; et non habes unde evadas : et Manichæus [1], et tu dixisti quia polluitur pars Dei. Anathema ergo Manichæum, aut anathemandus es cum Manichæo.

Fel. dixit : Ego non a Manichæo didici quia polluta est pars Dei ; sed a Christo didici quia propter animam venit quæ polluta erat.

Aug. dixit : A Christo non didicisti quia anima pars Dei est.

Fel. dixit : A Christo didici quia anima ex Deo est.

Aug. dixit : Et nos didicimus quia anima ex Deo est, sed non est pars Dei. Sic est enim anima ex Deo, quomodo factura ex artifice ; non de Deo, sicut filius de patre.

[1] Ex Lugd. et Ven., *unde evadat Manichæus*. Lov., *evadas*. Abest, *et Manichæus*. M.

Fel. dixit : De pollutione agimus : si polluta est anima quæ ex Deo est, et potest purgari a Christo, qui pro illa venit ; et illa pars Dei quam Manichæus dicit, pollui potest et mundari per mandatum ipsius Dei.

Aug. dixit : Ecce iterum dicis partem Dei pollutam purgari, et paulo ante dixeras anathemandum esse qui illam dicit corruptibilem : modo dicis quia pollui potuit ; et dicis quia mundari potest, ut confirmes quia pollui potuit. Hoc nos de parte Dei non dicimus : sed de anima dicimus ; quia tanquam opus ejus ex ipso est, non tanquam proles de ipso. Redi ergo ad id quod dicis, et discerne quod dicimus. Anima nec Deus est, nec pars Dei. Tu autem Manichæum dicis dixisse pollui partem Dei, quam dicit purgari, ut confirmet quia polluitur. Restat ergo ut eum anathemes, aut ista sentiens anathemeris.

CAPUT XXI. — Fel. dixit : Pertinet ad Deum anima quæ per peccatum coinquinata est, an non ?

Aug. dixit : Pertinet, sed non est pars ejus.

Fel. dixit : Non hoc interrogavi.

Aug. dixit : Et quid interrogasti ?

Fel. dixit : Pertinet ad Deum, an non pertinet ?

Aug. dixit : Jam dixi, et quia pertinet, et quomodo pertinet.

Fel. dixit : Ego quæro utrum vere est ex Deo.

Aug. dixit : Ex Deo, non de Deo.

Fel. dixit : Si nihil peccatum est, et anima ex Deo est, et polluta est, et venit Christus liberare eam, et eam liberavit a peccato, quid culpamus Manichæum, qui dicit partem Dei pollutam esse, et iterum mundari ?

Aug. dixit : Quia jam confessus es Manichæum dixisse partem Dei esse pollutam, et dicis non esse peccatum talem blasphemiam in Deum effundere : nos autem dicimus quidem peccasse animam per liberum arbitrium, et pœnitendo purgari per misericordiam Creatoris sui ; quia non est ex Deo tanquam pars ejus, vel tanquam proles ejus ; sed ex Deo vel a Deo facta est, tanquam opus ejus : quid intersit inter nostram fidem et vestram perfidiam, omnibus manifestum est. Itaque secundum verba tua superiora, quia concessisti anathemandum eum qui dicit corruptibilem naturam Dei, quod et Manichæum dicere manifestum est, quia noluisti ut esset a te anathematus, eris cum illo anathematus.

CAPUT XXII. — Post hæc cum multis verbis inter se agerent :

Fel. dixit : Dic jam tu, quid vis faciam ?

Aug. dixit : Ut anathemes Manichæum, cujus sunt tantæ istæ blasphemiæ. Sed si ex animo facis, tunc fac ; nemo enim te cogit invitum.

Fel. dixit : Deus videt si ex animo facio ; non enim homo potest videre : sed hoc peto, ut confirmes me.

Aug. dixit : In quo vis ut te confirmem ?

Fel. dixit : Prior tu anathema, ut et ego postea anathemem.

Aug. dixit : Ecce etiam manu mea scribo ; volo enim ut et tu manu tua scribas.

FEL. dixit : Sed sic anathema, ut spiritum ipsum qui in Manichæo fuit, et per eum ista locutus est, anathemes.

Augustinus accepta charta scripsit hæc verba : Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ jam anathemavi Manichæum et doctrinam ejus, et spiritum qui per eum tam exsecrabiles blasphemias locutus est, quia spiritus seductor erat, non veritatis, sed nefandi erroris ; et nunc anathemo supra dictum Manichæum et spiritum erroris ipsius.

Et cum eamdem chartam Felici dedisset, etiam ille manu sua hæc verba scripsit : Ego Felix qui Manichæo credideram, nunc anathemo eum, et doctrinam ipsius, et spiritum seductorem qui in illo fuit, qui dixit Deum partem suam genti tenebrarum miscuisse, et eam tam turpiter liberare, ut virtutes suas transfiguraret in feminas contra masculina, et ipsas iterum in masculos contra feminina dæmonia, ita ut postea reliquias ipsius suæ partis configat in æternum globo tenebrarum. Has omnes et cæteras blasphemias Manichæi anathemo.

Augustinus episcopus, his in ecclesia coram populo Gestis subscripsi.

Felix his Gestis subscripsi.

IN OPUSCULUM SUBSEQUENS,

Vide lib. 2, *cap.* 9, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 634, *a verbis,* **Liber de Natura Boni,** *usque ad verba,* Deus est M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE NATURA BONI CONTRA MANICHÆOS

Liber unus [a].

CAPUT PRIMUM.— *Deus summum bonum et incommutabile, a quo cætera omnia bona spiritualia et corporalia.* Summum bonum quo superius non est, Deus est : ac per hoc incommutabile bonum est ; ideo vere æternum, et vere immortale. Cætera omnia bona non nisi ab illo sunt, sed non de illo. De illo enim quod est, hoc quod ipse est : ab illo autem quæ facta sunt, non sunt quod ipse. Ac per hoc si solus ipse incommutabilis, omnia quæ fecit, quia ex nihilo fecit, mutabilia sunt. Tam enim omnipotens est, ut possit etiam de nihilo, id est, ex eo quod omnino non est, bona facere, et magna et parva, et cœlestia et terrena, et spiritualia et corporalia. Quia vero et justus est, ei quod de se genuit, ea quæ de nihilo fecit, non æquavit. Quia ergo bona omnia, sive magna sive parva, per quoslibet rerum gradus, non possunt esse nisi a Deo ; omnis autem natura in quantum natura est, bonum est ; omnis natura non potest esse nisi a summo et vero Deo : quia omnia etiam non summa bona, sed propinqua summo bono, et rursus omnia etiam novissima bona, quæ longe sunt a summo bono, non possunt esse nisi ab ipso summo bono. Omnis ergo spiritus etiam mutabilis, et omne corpus a Deo : et hæc est omnis facta natura [1]. Omnis quippe natura aut spiritus, aut corpus est. Spiritus incommutabilis Deus est : spiritus mutabilis facta natura est, sed corpore melior : corpus autem spiritus non est, nisi cum ventus, quia nobis invisibilis est, et tamen vis ejus non parva sentitur, alio quodam modo spiritus dicitur.

CAPUT II. — *Quomodo id possit ad corrigendos Manichæos sufficere.* Propter eos autem, qui cum intelligere non possunt omnem naturam, id est, omnem spiritum et omne corpus naturaliter bonum esse, moventur spiritus iniquitate et corporis mortalitate, et ob hoc aliam naturam maligni spiritus et mortalis corporis, quam Deus non fecerit, conantur inducere : sic arbitramur ad eorum intellectum, quod dicimus

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

[a] Liber de Natura Boni recognitus est ad veteres codices quatuor Vaticanos, Gallicanos novem, Victorinum, Sorbonicum, Corbeiensem, Fossatensem, Cisterciensem, Casalensem, Bigotianum, Laudunensem majoris Ecclesiæ, ad unum Augustinensium majoris conventus Parisiensis, ad variantes lectiones ex Belgicis codicibus descriptas per Lovanienses, et ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Er. Lugd. et Ven., *et hoc est omnis.* Lov., *et hæc omnia.* M.

(*a*) Scriptus post annum 401. Collocatur in Retractationibus proxime post libros de Actis cum Felice, qui sub finem anni 401 conscripti sunt.

posse perduci. Fatentur enim omne bonum non esse posse, nisi a summo et vero Deo : quod et verum est, et ad eos corrigendos, si velint advertere, sufficit.

CAPUT III. — *Modus, species et ordo generalia bona in rebus a Deo factis.* Nos enim catholici Christiani Deum colimus, a quo omnia bona sunt, seu magna seu parva ; a quo est omnis modus, seu magnus seu parvus ; a quo omnis species, seu magna seu parva ; a quo omnis ordo, seu magnus seu parvus. Omnia enim quanto magis moderata, speciosa, ordinata sunt, tanto magis utique bona sunt : quanto autem minus moderata, minus speciosa, minus ordinata sunt, minus bona sunt. Hæc itaque tria, modus, species et ordo, ut de innumerabilibus taceam, quæ ad ista tria pertinere monstrantur ; hæc ergo tria, modus, species, ordo, tanquam generalia bona sunt in rebus a Deo factis, sive in spiritu, sive in corpore. Deus itaque supra omnem creaturæ modum est, supra omnem speciem, supra omnem ordinem : nec spatiis locorum supra est, sed ineffabili et singulari potentia, a quo omnis modus, omnis species, omnis ordo. Hæc tria ubi magna sunt, magna bona sunt : ubi parva sunt, parva bona sunt : ubi nulla sunt, nullum bonum est. Et rursus ubi hæc tria magna sunt, magnæ naturæ sunt : ubi parva sunt, parvæ naturæ sunt : ubi nulla sunt, nulla natura est. Omnis ergo natura bona est.

CAPUT IV. — *Malum est corruptio modi, speciei aut ordinis.* Proinde cum quæritur unde sit malum, prius quærendum est quid sit malum : quod nihil aliud est quam corruptio, vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis. Mala itaque natura dicitur, quæ corrupta est : nam incorrupta utique bona est. Sed etiam ipsa corrupta, in quantum natura est, bona est ; in quantum corrupta est, mala est.

CAPUT V. — *Natura excellentioris ordinis etiam corrupta melior interdum inferiore etiam incorrupta.* Fieri autem potest, ut quædam natura quæ modo et specie naturali excellentius ordinata est, etiam corrupta melior sit adhuc quam est incorrupta altera, quæ minore modo et specie naturali inferius ordinata est : sicut in hominum æstimatione, secundum qualitatem quæ aspectibus adjacet, melius est utique corruptum aurum, quam incorruptum argentum ; et melius est corruptum argentum, quam plumbum incorruptum. Sic et in naturis potentioribus atque spiritualibus melior est etiam corruptus per malam voluntatem spiritus rationalis, quam irrationalis incorruptus : et melior est quilibet spiritus etiam corruptus, quam corpus quodlibet incorruptum. Melior est enim natura, quæ cum præsto est corpori, præbet ei vitam, quam illa cui vita præbetur. Quantumlibet autem corruptus sit spiritus vitæ qui factus est, vitam præbere corpori potest : ac per hoc melior illo est, quamvis incorrupto, corruptus.

CAPUT VI. — *Naturam quæ corrumpi non potest, summum bonum ; quæ potest, aliquod bonum esse.* Corruptio autem si omnem modum, omnem speciem, omnem ordinem rebus corruptibilibus auferat, nulla natura remanebit. Ac per hoc omnis natura quæ corrumpi non potest, summum bonum est, sicut Deus est. Omnis autem natura quæ corrumpi potest, etiam ipsa aliquod bonum est : non enim posset ei nocere corruptio, nisi adimendo et minuendo quod bonum est.

CAPUT VII. — *Rationalium spirituum corruptio alia voluntaria, alia pœnalis.* Creaturis autem præstantissimis, hoc est, rationalibus spiritibus, hoc præstitit Deus, ut si nolint, corrumpi non possint ; id est, si obedientiam conservaverint sub Domino Deo suo, ac sic incorruptibili pulchritudini ejus adhæserint : si autem obedientiam conservare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis. Tale quippe bonum est Deus, ut nemini eum deserenti bene sit : et in rebus a Deo factis tam magnum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum quo beata sit nisi Deus. Peccantes igitur in suppliciis ordinantur : quæ ordinatio quia eorum naturæ non competit, ideo pœna est ; sed quia culpæ competit, ideo justitia est.

CAPUT VIII. — *Ex rerum inferiorum corruptione ac interitu pulchritudo universi.* Cætera vero quæ sunt facta de nihilo, quæ utique inferiora sunt quam spiritus rationalis, nec beata possunt esse, nec misera. Sed quia pro modo et specie sua etiam ipsa bona sunt, nec esse quamvis minora et minima bona, nisi a summo bono Deo potuerunt, sic ordinata sunt, ut cedant infirmiora firmioribus, et invalidiora fortioribus, et impotentiora potentioribus, atque ita cœlestibus terrena concordent tanquam præcellentibus subdita. Fit autem decedentibus et succedentibus rebus temporalis quædam in suo genere pulchritudo, ut nec ipsa quæ moriuntur, vel quod erant esse desinunt, turpent aut turbent modum et speciem et ordinem universæ creaturæ : sicut sermo bene compositus utique pulcher est, quamvis in eo syllabæ atque omnes soni tanquam nascendo et moriendo transcurrant.

CAPUT IX. — *Pœna peccanti naturæ, ut recte ordinetur, constituta.* Qualis autem et quanta pœna cuique culpæ debeatur, divini judicii est, non humani : quæ utique et cum conversis remittitur, magna est bonitas apud Deum ; et cum debita redditur, nulla est iniquitas apud Deum : quia melius ordinatur natura, ut juste doleat in supplicio, quam ut impune gaudeat in peccato. Quæ tamen etiam sic habens nonnullum modum et speciem et ordinem, in quacumque extremitate adhuc aliquod bonum est : quæ si omnino detrahantur, ei penitus consumantur, ideo nullum bonum erit, quia nulla natura remanebit.

CAPUT X. — *Naturæ corruptibiles, quia ex nihilo factæ.* Omnes igitur naturæ corruptibiles, nec omnino naturæ essent, nisi a Deo essent ; nec corruptibiles essent, si de illo essent, quia hoc quod ipse est essent. Ideo ergo quocumque modo, quacumque specie, quocumque ordine sunt, quia Deus est a quo factæ sunt : ideo autem non incommutabiles sunt, quia nihil est

unde factæ sunt. Sacrilega enim audacia coarguantur nihil et Deus, si quale est illud quod de Deo natum est, tale velimus esse illud quod ab eo de nihilo factum est.

CAPUT XI. — *Noceri nec Deo potest, nec alii naturæ nisi ipso permittente.* Quapropter nec naturæ Dei noceri omnino potest, nec alicui naturæ sub Deo noceri injuste potest: quia et cum peccando injuste aliqui nocent, voluntas injusta eis imputatur; potestas autem qua nocere permittuntur, non est nisi a Deo, qui et ipsis nescientibus novit quid illi pati deleant, quibus eos nocere permittit.

CAPUT XII. — *Omnia bona nonnisi a Deo.* Hæc omnia tam perspicua, tam certa, si vellent advertere, qui aliam naturam inducunt, quam non fecit Deus; non tantis blasphemiis implerentur, ut et in summo malo tanta bona ponerent, et in Deo tanta mala. Sufficit enim, ut supra dixi, ad eorum correctionem, si velint attendere, quod eos etiam invitos cogit veritas confiteri, omnia prorsus bona non esse nisi a Deo. Non ergo ab alio sunt magna bona, et ab alio parva bona: sed et magna et parva bona non sunt nisi a summo bono, quod Deus est.

CAPUT XIII. — *Bona singula seu parva, seu magna, esse a Deo.* Commemoremus ergo bona quanta potuerimus, quæ dignum est ut Deo auctori tribuamus, et his sublatis videamus utrum aliqua natura remanebit. Omnis vita et magna et parva, omnis potentia et magna et parva, omnis salus et magna et parva, omnis memoria et magna et parva, omnis virtus et magna et parva, omnis intellectus et magnus et parvus, omnis tranquillitas et magna et parva, omnis copia et magna et parva, omnis sensus et magnus et parvus, omne lumen et magnum et parvum, omnis suavitas [1] et magna et parva, omnis mensura et magna et parva, omnis pulchritudo et magna et parva, omnis pax et magna et parva, et si qua similia occurrere poterunt, maximeque illa quæ per omnia reperiuntur, sive spiritualia sive corporalia, omnis modus, omnis species, omnis ordo, et magnus et parvus, a Domino Deo sunt. Quibus bonis omnibus qui male uti voluerit, divino judicio pœnas luet: ubi autem nullum horum omnino fuerit, nulla natura remanebit.

CAPUT XIV. — *Parva bona in majorum comparatione contrariis nominibus appellantur.* Sed in his omnibus quæcumque parva sunt, in majorum comparatione contrariis nominibus appellantur: sicut in hominis forma quia major est pulchritudo, in ejus comparatione simiæ pulchritudo deformitas dicitur: et fallit imprudentes, tanquam illud sit bonum, et hoc malum; nec intendunt in corpore simiæ modum proprium, parilitatem ex utroque latere membrorum, concordiam partium, incolumitatis custodiam, et cætera, quæ persequi longum est.

CAPUT XV. — *In simiæ corpore pulchritudinis bonum inesse, licet minus.* Sed ut quod dicimus intelligatur, et nimium tardis satis fiat, vel etiam pertinaces et apertissimæ veritati repugnantes cogantur quod verum est confiteri, interrogentur utrum corpori simiæ possit nocere corruptio. Quod si potest, ut fœdius fiat; quid minuit, nisi pulchritudinis bonum? Unde tamdiu aliquid remanebit, quamdiu corporis natura subsistit. Proinde si consumpto bono natura consumitur, bona ergo est natura. Sic et tardum dicimus veloci contrarium: sed tamen qui se omnino non movet, nec tardus dici potest. Sic acutæ voci contrariam vocem dicimus gravem, vel canoræ asperam: sed si omnem speciem vocis penitus adimas, silentium est ubi vox nulla est: quod tamen silentium, eo ipso quod vox nulla est, tanquam contrarium voci solet opponi. Sic et lucida et obscura tanquam duo contraria dicuntur: habent tamen et obscura aliquid lucis, quo si penitus careant, ita sunt tenebræ lucis absentia, sicut silentium vocis absentia.

CAPUT XVI. — *Privationes in rebus decenter a Deo ordinatæ.* Quæ tamen etiam privationes rerum sic ordinantur in universitate naturæ, ut sapienter considerantibus non indecenter vices suas habeant. Nam et Deus certa loca et tempora non illuminando, tenebras fecit tam decenter quam dies. Si enim nos continendo vocem, decenter interponimus in loquendo silentium; quanto magis ille quarumdam rerum privationes decenter facit, sicut rerum omnium perfectus artifex? Unde et in hymno trium puerorum, etiam lux et tenebræ laudant Deum (*Dan.* III, 72); id est, ejus laudem in bene considerantium cordibus pariunt.

CAPUT XVII. — *Natura in quantum natura est, nulla mala.* Non ergo mala est, in quantum natura est, ulla natura; sed cuique naturæ non est malum nisi minui bono. Quod si minuendo absumeretur, sicut nullum bonum, ita nulla natura relinqueretur: non solum qualem inducunt Manichæi, ubi tanta bona inveniuntur, ut nimia eorum cæcitas mira sit; sed qualem potest quilibet inducere.

CAPUT XVIII. — *Hylen, quæ rerum informis materies antiquis dicebatur, non esse malum.* Neque enim vel illa materies, quam antiqui hylen dixerunt, malum dicenda est. Non eam dico, quam Manichæus hylen appellat dementissima vanitate, nesciens quid loquatur, formatricem corporum: unde recte illi dictum est, quod alterum deum inducat: nemo enim formare et creare corpora nisi Deus potest; neque enim creantur, nisi cum eis modus et species et ordo subsistit, quæ bona esse, nec esse posse nisi a Deo, puto quod jam etiam ipsi confitentur. Sed hylen dico quamdam penitus informem et sine qualitate materiem, unde istæ quas sentimus qualitates formantur, ut antiqui dixerunt. Hinc enim et silva græce ὕλη dicitur, quod operantibus apta sit, non ut aliquid ipsa faciat, sed unde aliquid fiat. Nec ista ergo hyle malum dicenda est, quæ non per aliquam speciem sentiri, sed per omnimodam speciei privationem cogitari vix potest. Habet enim et ipsa capacitatem formarum: nam si capere impositam ab artifice formam non posset, nec materies utique diceretur. Porro

[1] Ita Mss. At in editis, *amitas*.

si bonum aliquod est forma, unde qui ea prævalent, formosi appellantur, sicut a specie speciosi, procul dubio bonum aliquod est etiam capacitas formæ. Sicut quia bonum est sapientia, nemo dubitat quod bonum sit capacem esse sapientiæ. Et quia omne bonum a Deo; neminem oportet dubitare, etiam istam, si qua est, materiem non esse nisi a Deo.

CAPUT XIX. — *Esse vere, proprium Dei.* Magnifice igitur et divine Deus noster famulo suo dixit, *Ego sum qui sum;* et, *Dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Vere enim ipse est, quia incommutabilis est. Omnis enim mutatio facit non esse quod erat: vere ergo ille est, qui incommutabilis est; cætera quæ ab illo facta sunt, ab illo pro suo modo esse acceperunt. Ei ergo qui summe est, non potest esse contrarium nisi quod non est: ac per hoc sicut ab illo est omne quod bonum est, sic ab illo est omne quod naturaliter est[1]; quoniam omne quod naturaliter est, bonum est. Omnis itaque natura bona est, et omne bonum a Deo est: omnis ergo natura a Deo est.

CAPUT XX. — *Dolor nonnisi in naturis bonis.* Dolor autem, quod præcipue malum nonnulli arbitrantur, sive in animo sive in corpore sit, nec ipse potest esse nisi in naturis bonis. Hoc enim ipsum quod resistit[2] ut doleat, quodam modo recusat non esse quod erat, quia bonum aliquod erat: sed cum ad melius cogitur, utilis dolor est; cum ad deterius, inutilis. In animo ergo dolorem facit voluntas resistens potestati majori: in corpore dolorem facit sensus resistens corpori potentiori. Sunt autem mala sine dolore pejora: pejus est enim gaudere de iniquitate, quam dolere de corruptione: verumtamen etiam tale gaudium non potest esse nisi ex adeptione bonorum inferiorum; sed iniquitas est desertio meliorum. Item in corpore melius est vultus cum dolore, quam putredo sine dolore, quæ specialiter corruptio dicitur: quam non vidit, id est, non passa est mortua caro Domini, sicut in prophetia prædictum erat, *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 10). Nam vulneratum esse confixione clavorum, et percussum de lancea quis negat (*Joan.* XIX, 18, 34)? Sed etiam ipsa quæ proprie ab hominibus corruptio corporis dicitur, id est, ipsa putredo, si adhuc habet aliquid quod ălte consumat, bonum minuendo crescit corruptio. Quod si penitus absumpserit, sicut nullum bonum, ita nulla natura remanebit, quia jam corruptio quod corrumpat non erit; et ideo nec ipsa putredo erit, quia ubi sit omnino non erit.

CAPUT XXI. — *Modica a modo dicta.* Ideo quippe et parva atque exigua jam communi loquendi usu modica dicuntur, quia modus in eis aliquis restitit[3], sine quo non jam modica, sed omnino nulla sunt. Illa autem quæ propter nimium progressum dicuntur immodica, ipsa nimietate culpantur: sed tamen ipsa etiam sub Deo, qui omnia in mensura, et in numero, et pondere disposuit (*Sap.* XI, 21), necesse est ut aliquo modo cohibeantur.

CAPUT XXII. — *Modus an aliqua ratione Deo ipsi conveniat.* Deus autem nec modum habere dicendus est, ne finis ejus dici putetur. Nec ideo tamen immoderatus est, a quo modus omnibus tribuitur rebus, ut aliquo modo esse possint. Nec rursus moderatum oportet dici Deum, tanquam ab aliquo modum acceperit. Si autem dicamus eum summum modum, forte aliquid dicimus; si tamen in eo quod dicimus summum modum, intelligamus summum bonum. Omnis enim modus in quantum modus est, bonus est: unde omnia moderata, modesta, modificata, dici sine laude non possunt; quanquam sub alio intellectu modum pro fine ponamus, et nullum modum dicamus, ubi nullus est finis: quod aliquando cum laude dicitur, sicut dictum est, *Et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 33). Posset enim dici etiam, Non erit modus, ut modus pro fine dictus intelligeretur: nam qui nullo modo regnat, non utique regnat.

CAPUT XXIII. — *Unde interdum dicatur malus modus, mala species, malus ordo.* Malus ergo modus, vel mala species, vel malus ordo, aut ideo dicuntur, quia minora sunt quam esse debuerunt, aut quia non his rebus accommodantur quibus accommodanda sunt; ut ideo dicantur mala, quia sunt aliena et incongrua: tanquam si dicatur aliquis non bono modo egisse, quia minus egit quam debuit, aut quia ita egit sicut in re tali non debuit, vel amplius quam oportebat, vel non convenienter: ut hoc ipsum quod reprehenditur, malo modo actum, non ob aliud juste reprehendatur, nisi quia non est ibi servatus modus. Item species mala vel in comparatione dicitur formosioris atque pulchrioris, quod ista sit minor species, illa major, non mole, sed decore; aut quia non congruit huic rei cui adhibita est, ut aliena et inconveniens videatur: tanquam si nudus homo in foro deambulet, quod non offendit si in balneo videatur. Similiter et ordo tunc malus dicitur, cum minus ipse ordo servatur: unde non ibi ordo, sed potius inordinatio mala est, cum aut minus ordinatum est quam debuit, aut non sicut debuit. Tamen ubi aliquis modus, aliqua species, aliquis ordo est, aliquod bonum et aliqua natura est: ubi autem nullus modus, nulla species, nullus ordo est, nullum bonum, nulla natura est.

CAPUT XXIV. — *Testimoniis Scripturæ probatur Deum esse incommutabilem. Filium Dei esse genitum, non factum.* Hæc quæ nostra fides habet, et utcumque ratio vestigavit, divinarum Scripturarum testimoniis munienda sunt: ut qui ea minore intellectu assequi non possunt, divinæ auctoritati credant, et ob hoc intelligere mereantur. Qui autem intelligunt, sed ecclesiasticis Litteris minus instructi sunt, magis ea nos ex nostro intellectu proferre, quam in illis Libris esse, non arbitrentur. Itaque Deum esse incommutabilem, sic scriptum est in Psalmis: *Mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI, 27). Et in libro Sapientiæ de ipsa Sapientia: *In se ipsa manens innovat omnia* (*Sap.* VII, 27). Unde et apostolus Pau-

[1] Mss. hoc tantum loco, *quod naturale est.*
[2] In Mss., *restitit.*
[3] Sic Mss. Editi autem, *resistit.* Minus bene.

lus : *Invisibili, incorruptibili soli Deo* (1 *Tim.* I, 17). Et apostolus Jacobus : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio* (*Jacobi* I, 17). Item quia id quod de se genuit, hoc est quod ipse est, ita ab ipso Filio breviter dicitur : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Quia autem non est factus Filius, quippe cum per illum facta sint omnia ; sic scriptum est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Id.* I, 1-3) : id est, non est factum sine ipso aliquid.

CAPUT XXV.— *Illud Evangelii*, Sine ipso factum est nihil, *male intellectum a nonnullis.* Neque enim audienda sunt deliramenta hominum, qui *nihil* hoc loco aliquid intelligendum putant, et ad hujusmodi vanitatem propterea putant cogi posse aliquem, quia ipsum *nihil* in fine sententiæ positum est. Ergo, inquiunt, factum est; et ideo quia factum est, ipsum nihil aliquid est. Sensum enim perdiderunt studio contradicendi, nec intelligunt nihil interesse utrum dicatur, *Sine illo factum est nihil;* an, *Sine illo nihil factum est :* quia et si illo ordine diceretur, *Sine illo nihil factum est;* possent nihilominus dicere, ipsum nihil aliquid esse, quia factum est. Quod enim revera est aliquid, quid interest utrum ita dicatur, Sine illo facta est domus; an, Sine illo domus est facta : dum intelligatur aliquid sine illo factum, quod aliquid domus est? Ita quia dictum est, *Sine illo factum est nihil;* quoniam nihil utique non est aliquid, quando vere et proprie dicitur : sive dicatur, *Sine illo factum est nihil;* sive, *Sine illo nihil factum est*, vel, *nihil est factum;* nihil interest. Quis autem velit loqui cum hominibus, qui hoc ipsum quod dixi, Nihil interest, possunt dicere, Ergo interest aliquid, quia ipsum nihil aliquid est? Hi autem qui sanum habent cerebrum, rem manifestissimam vident, hoc idem intelligi cum dixi, Nihil interest, quod intelligeretur si dicerem, Interest nihil. At isti si alicui dicant, Quid fecisti? et ille respondeat, nihil se fecisse : consequens est ut ei calumnientur dicentes, Fecisti ergo aliquid, quia nihil fecisti; ipsum enim nihil aliquid est. Habent autem et ipsum Dominum in fine sententiæ ponentem hoc verbum, ubi ait : *Et in occulto locutus sum nihil* (*Id.* XVIII, 20). Ergo legant, et taceant.

CAPUT XXVI. — *Creaturas ex nihilo factas esse.* Quia ergo Deus omnia quæ non de se genuit, sed per Verbum suum fecit, non de his rebus quæ jam erant, sed de his quæ omnino non erant, hoc est, de nihilo fecit, ita dicit Apostolus : *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint* [1] (*Rom.* IV, 17). Apertius autem in libro Machabæorum scriptum est : *Oro te, fili, respice ad cœlum, et terram, et omnia quæ in eis sunt : vide, et scito quia non erant, ex quibus nos fecit Dominus Deus* (II *Machab.* VII, 28). Et illud quod in Psalmo scriptum est, *Ipse dixit, et facta sunt* (*Psal* CXLVIII, 5) : manifestum est, quod non de se ista genuerit, sed in verbo atque imperio fecerit. Quod autem non de se, utique de nihilo. Non enim erat aliud unde faceret, de quo apertissime Apostolus dicit : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 36).

CAPUT XXVII.—Ex ipso *et* De ipso *non idem significare. Ex ipso* autem non hoc significat, quod *De ipso.* Quod enim de ipso est, potest dici ex ipso : non autem omne quod ex ipso est, recte dicitur de ipso. Ex ipso enim cœlum et terra, quia ipse fecit ea : non autem de ipso, quia non de substantia sua. Sicut aliquis homo si gignat filium, et faciat domum, ex ipso filius, ex ipso domus : sed filius de ipso, domus de terra et ligno. Sed hoc quia homo est, qui non potest aliquid etiam de nihilo facere : Deus autem ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, non opus habebat aliqua materia, quam ipse non fecerat, adjuvari omnipotentiam suam.

CAPUT XXVIII. — *Peccata non ex Deo, sed ex voluntate esse peccantium.* Cum autem audimus, *Omnia ex ipso, et per ipsum, et in ipso;* omnes utique naturas intelligere debemus quæ naturaliter sunt. Neque enim ex ipso sunt peccata, quæ naturam non servant, sed vitiant, quæ peccata ex voluntate esse peccantium multis modis sancta Scriptura testatur, præcipue illo loco quo dicit Apostolus : *Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quoniam tu effugies judicium Dei? An divitias benignitatis et patientiæ ejus et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem cordis tui et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii, Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Id.* II, 3-6).

CAPUT XXIX. — *Peccatis nostris Deum non inquinari.* Nec tamen, cum in Deo sint universa quæ condidit, inquinant eum qui peccant, de cujus sapientia dicitur : *Attingit autem omnia propter suam munditiam* [1], *et nihil inquinatum in eam incurrit* (*Sap.* VII, 24, 25). Oportet enim, ut sicut Deum incorruptibilem et incommutabilem, ita consequenter etiam incoinquinabilem credamus.

CAPUT XXX. — *Bona etiam minima et terrena esse a Deo.* Quia vero et minima bona, hoc est, terrena atque mortalia ipse fecit, illo Apostoli loco sine dubitatione intelligitur, ubi loquens de membris carnis nostræ, *Quia si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra; et si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra;* etiam hoc ibi ait, *Deus posuit membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit:* et, *Deus temperavit corpus, ei cui deerat majorem honorem dans, ut non essent scissuræ in corpore, sed idem ipsum ut pro invicem sollicita sint membra* (I *Cor.* XII, 26, 18, 24, 25). Hoc autem quod sic in modo et specie et ordine membrorum carnis laudat Apostolus, in omnium animalium carne invenis, et maximorum et

[1] Sic Mss. Editi vero, *tanquam ea quæ sunt.*

[1] Editi, *per suam mundtiam.* At Mss. juxta Vulgatam, *propter*, etc.

minimorum; cum omnis caro in bonis terrenis, ac per hoc minimis deputetur.

CAPUT XXXI. — *Punire ac donare peccata pereque ad Deum pertinere.* Item quia cuique culpæ qualis et quanta debeatur pœna, divini judicii est, non humani, sic scriptum est : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33)! Item quia bonitate Dei donantur peccata conversis, hoc ipsum quod Christus missus est, satis ostendit; qui non in sua natura qua Deus est, sed in nostra quam de femina assumpsit, pro nobis mortuus est : quam Dei bonitatem circa nos et dilectionem sic prædicat Apostolus : *Commendat*, inquit, *suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est : multo magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius* (*Id.* V, 8-10). Quia vero etiam cum peccatoribus pœna debita redditur, non est iniquitas apud Deum, sic dicit : *Quid dicemus? Numquid iniquus Deus, qui infert iram* (*Id.* III, 5)? Uno autem loco et bonitatem et severitatem ab illo esse breviter admonuit, dicens : *Vides ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate* (*Id.* XI, 22).

CAPUT XXXII. — *A Deo esse et ipsam nocendi potestatem.* Item quia etiam nocentium potestas non est nisi a Deo, sic scriptum est loquente Sapientia : *Per me reges regnant, et tyranni per me tenent terram* (*Prov.* VIII, 15). Dicit et Apostolus : *Non est enim potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 1). Digne autem fieri, in libro Job scriptum est : *Qui regnare facit*, inquit, *hominem hypocritam, propter perversitatem populi* (*Job* XXXIV, 30). Et de populo Israel dicit Deus : *Dedi eis regem in ira mea* (*Osee* XIII, 11). Injustum enim non est ut improbis accipientibus nocendi potestatem, et bonorum patientia probetur, et malorum iniquitas puniatur. Nam per potestatem diabolo datam, et Job probatus est ut justus appareret (*Job* I *et* II), et Petrus tentatus ne de se præsumeret (*Matth.* XXVI, 31-35, 69-75), et Paulus colaphizatus ne se extolleret (II *Cor.* XII, 7), et Judas damnatus ut se suspenderet (*Matth.* XXVII, 5). Cum ergo per potestatem quam diabolo dedit, omnia juste ipse Deus fecerit; non tamen pro his juste factis, sed pro iniqua nocendi voluntate, quæ ipsius diaboli fuit, ei reddetur in fine supplicium, cum dicetur impiis qui ejus nequitiæ consentire perseveraverint : *Ite in ignem æternum, quem paravit Pater meus diabolo et angelis ejus* (*Id.* XXV, 41).

CAPUT XXXIII. — *Angelos malos non a Deo, sed peccando factos esse malos.* Quia vero et ipsi mali angeli non a Deo mali sunt conditi, sed peccando facti sunt mali, sic Petrus in Epistola sua dicit : *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi detrudens*[1] *tradidit in judicio puniendos servari* (II *Petr.* II, 4). Hinc Petrus ostendit adhuc eis ultimi judicii pœnam deberi, de qua Dominus dicit : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Quamvis jam pœnaliter[1] hunc inferum, hoc est, inferiorem caliginosum aerem tanquam carcerem acceperint : qui tamen quoniam et cœlum dicitur, non illud cœlum in quo sunt sidera, sed hoc inferius cujus caligine nubila conglobantur, et ubi aves volitant; nam et cœlum nubilum dicitur, et volatilia cœli appellantur : secundum hoc Apostolus Paulus eosdem iniquos angelos, contra quos nobis invidos pie vivendo pugnamus, *spiritualia nequitiæ in cœlestibus* nominat (*Ephes.* VI, 12). Quod ne de illis superioribus cœlis intelligatur, aperte alibi dicit : *Secundum principem potestatis aeris hujus, qui nunc operatur in filiis*[2] *diffidentiæ* (*Id.* II, 2).

CAPUT XXXIV. — *Peccatum non est malæ naturæ appetitio, sed melioris desertio.* Item quia peccatum vel iniquitas non est appetitio naturarum malarum, sed desertio meliorum; sic in Scripturis invenitur scriptum, *Omnis creatura Dei bona est* (I *Tim.* IV, 4) : ac per hoc et omne lignum quod in paradiso Deus plantavit, utique bonum est. Non ergo malam naturam homo appetivit, cum arborem vetitam tetigit : sed id quod melius erat deserendo, factum malum ipse commisit. Melior quippe Creator, quam ulla creatura quam condidit : cujus imperium non erat deserendum, ut tangeretur prohibitum, quamvis bonum; quoniam deserto meliore, bonum creaturæ appetebatur, quod contra Creatoris imperium tangebatur. Non itaque Deus arborem malam in paradiso plantaverat; sed ipse erat melior, qui eam tangi prohibebat.

CAPUT XXXV. — *Arbor Adamo vetita, non quia mala, sed quia homini bonum ut subditus sit Deo.* Ad hoc enim et prohibuerat, ut ostenderet animæ rationalis naturam, non in sua potestate, sed Deo subditam esse debere, et ordinem suæ salutis per obedientiam custodiro, per inobedientiam corrumpere. Hinc et arborem quam tangi vetuit, sic appellavit, *dignoscentiæ boni et mali* (*Gen.* II, 9) : quia cum eam contra vetitum tetigisset, experiretur pœnam peccati, et eo modo dignosceret quid interesset inter obedientiæ bonum et inobedientiæ malum.

CAPUT XXXVI. — *Nulla creatura Dei mala, sed ea male uti est malum.* Nam quis ita desipiat, ut Dei creaturam, maxime in paradiso plantatam, vituperandam putet; quandoquidem nec ipsæ spinæ ac tribuli, quos peccatori in labore conterendo[3] secundum Dei judiciariam voluntatem terra peperit, recte vituperentur? Habent enim et tales herbæ modum, et speciem, et ordinem suum, quæ quisquis sobrie consideraverit, laudanda reperiet : sed ei naturæ ista mala sunt, quam peccati merito sic coerceri oportebat. Non est ergo, ut dixi, peccatum malæ naturæ appetitio, sed melioris desertio; et ideo factum ipsum malum est, non illa natura qua male utitur peccans. Malum est enim male uti bono. Unde Apostolus damnatos quos-

[1] In Mss., *trudens*.

[1] Loco, *penaliter*, in Mss. legitur, *pœna*.
[2] Editi, *in filios*. At Mss., *in filiis*. Græce est, *en uiois*.
[3] Editi, *conterendos*. Verius Mss., *conterendo*.

dam divino judicio reprehendit, qui *coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori* (*Rom.* I, 25). Neque enim creaturam reprehendit; quod qui fecerit, Creatori facit injuriam : sed eos qui male usi sunt bono, meliore deserto.

CAPUT XXXVII. — *Malis peccantium Deus bene utitur.* Proinde si custodiant omnes naturæ modum, et speciem, et ordinem proprium, nullum erit malum : si autem his bonis quisque male uti voluerit, nec sic vincit voluntatem Dei, qui etiam injustos juste ordinare novit; ut si ipsi per iniquitatem voluntatis suæ male usi fuerint bonis illius, ille per justitiam potestatis suæ bene utatur malis ipsorum, recte ordinans in pœnis, qui se perverse ordinaverint in peccatis.

CAPUT XXXVIII. — *Ignis æternus malos crucians non malus.* Nam nec ipse ignis æternus, qui cruciaturus est impios, mala natura est, habens modum et speciem et ordinem suum, nulla iniquitate depravatum : sed cruciatus est damnatis malus, quorum peccatis est debitus. Neque enim et lux ista, quia lippos cruciat, mala natura est.

CAPUT XXXIX. —*Æternus ignis dicitur, non sicut Deus, sed quia sine fine.* Æternus autem ignis, non sicut Deus æternus, quod etsi sine fine sit, non est tamen sine initio [1]; Deus autem etiam sine initio est. Deinde quia licet perpetuus [2] peccatorum suppliciis adhibeatur, mutabilis tamen natura est. Illa est autem vera æternitas, quæ vera immortalitas; hoc est, illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet, qui mutari omnino non potest. Aliud est enim non mutari, cum possit mutari; aliud autem prorsus non posse mutari. Sicut ergo dicitur homo bonus, non tamen sicut Deus, de quo dictum est, *Nemo bonus nisi unus Deus* (*Marc.* X, 18); et sicut dicitur anima immortalis, non tamen sicut Deus, de quo dictum est, *Qui solus habet immortalitatem* (*1 Tim.* VI, 16); et sicut dicitur homo sapiens, non tamen sicut Deus, de quo dictum est, *Soli sapienti Deo* (*Rom.* XVI, 27) : sic dicitur ignis æternus, non tamen sicut Deus, cujus solius immortalitas ipsa est vera æternitas.

CAPUT XL. — *Nec Deo noceri potest nec alii, nisi Dei justa ordinatione.* Quæ cum ita sint secundum catholicam fidem et sanam doctrinam, et intelligentibus perspicuam veritatem, nec naturæ Dei nocere potest quisquam, nec natura Dei nocere injuste cuiquam, vel nocere impune patitur quemquam. *Qui enim nocet*, ait Apostolus, *recipiet id quod nocuit; et non est personarum acceptio apud Deum* (*Coloss.* III, 25).

CAPUT XLI. — *Quanta bona Manichæi ponant in natura mali, et quanta mala in natura boni.* Quod Manichæi si vellent sine pernicioso studio defendendi erroris sui, et cum Dei timore cogitare; non scelestissime blasphemarent inducendo duas naturas, unam bonam quam dicunt Deum, alteram malam quam non fecerit Deus : ita errantes, ita delirantes, imo vero ita insanientes, ut non videant, et in eo quod dicunt naturam summi mali, ponere se tanta bona, ubi ponunt vitam, potentiam, salutem, memoriam, intellectum, temperiem, virtutem, copiam, sensum, lumen, suavitatem, mensuras, numeros, pacem, modum, speciem, ordinem; in eo autem quod dicunt summum bonum, tanta mala, mortem, ægritudinem, oblivionem, insipientiam, perturbationem, impotentiam, egestatem, stoliditatem, cæcitatem, dolorem, iniquitatem, dedecus, bellum, immoderationem, deformitatem, perversitatem. Principes enim tenebrarum et vixisse in sua natura dicunt, et in suo regno salvos fuisse, et meminisse, et intellexisse. Sic enim concionatum illi dicunt principem tenebrarum, ut neque ipse talia dicere, neque ab eis quibus dicebat audiri sine memoria et intellectu potuisset : et habuisse temperiem animo et corpori suo congruam, et virtute potentiæ regnasse, et copias elementorum suorum ac fecunditates [1] habuisse, et sensisse se invicem ac sibi vicinum lumen, et oculos habuisse, quibus illud longe conspicerent; qui utique oculi sine aliquo lumine lumen [2] videre non poterant, unde recte etiam lumina nominantur : et suavitate suæ voluptatis esse perfruitos, et dimensis membris atque habitationibus determinatos fuisse. Nisi autem etiam qualiscumque pulchritudo ibi fuisset, nec amarent conjugia sua, nec partium congruentia corpora eorum constarent : quod ubi non fuerit, non possunt ea fieri quæ ibi facta esse delirant. Et nisi pax aliqua ibi esset, principi suo non obedirent. Nisi modus ibi esset, nihil aliud agerent, quam comederent, aut biberent, aut sævirent [3], aut quodlibet aliud sine aliqua societate [4] : quanquam nec ipsi qui hoc agebant, formis suis determinati essent, nisi modus ibi esset : nunc vero talia dicunt eos egisse, ut in omnibus actionibus suis modos sibi congruos habuisse negare non possint. Si autem species ibi non fuisset, nulla ibi qualitas naturalis subsisteret. Si nullus ordo ibi fuisset, non alii dominarentur, alii subderentur, non in suis elementis congruenter viverent, non denique suis locis haberent membra disposita, ut illa omnia quæ vana isti fabulantur, agere possent. Dei autem naturam si non mortuam dicunt, quid secundum eorum vanitatem suscitat Christus? Si non dicunt ægram, quid curat? Si non dicunt oblitam, quid commemorat? Si non dicunt insipientem, quid docet? Si non dicunt perturbatam, quid redintegrat? Si non victa et capta est, quid liberat? Si non eget, cui subvenit? Si non amisit sensum, quid vegetat? Si non est excæcata, quid illuminat? Si non est in dolore, quid recreat? Si non est iniqua, quid per præcepta corrigit? Si non est dedecorata, quid mundat? Si non est in bello, cui promittit pacem? Si non

[1] Fr. Lugd. Ven. Lov. sic habent hunc locum : *Æternus autem ignis, non sicut Deus æternus dicitur proprie, quia proterea ignis æternus est quod sine fine sit, non est tamen sine initio.* M.

[2] Sic Mss. Editi autem, *perpetuis*.

[1] Plures Mss., *fecunditatis*.

[2] Sola editio Lov. hic omittit, *lumen*.

[3] Cisterciensis Ms., *aut sitirent*. Quatuor Vaticani, *aut scirrent*.

[4] In Mss., *sine aliqua satietate*.

est immoderata, cui modum legis imponit? Si non est deformis, quid reformat? Si non est perversa, quid emendat? Omnia enim hæc a Christo, non illi rei præstari dicunt, quæ facta est a Deo, et arbitrio proprio peccando depravata; sed ipsi naturæ; ipsi substantiæ Dei, quæ hoc est quod Deus.

CAPUT XLII.—*Manichæorum de Dei natura blasphemiæ.* Quid istis blasphemiis comparari potest? Nihil omnino, sed [1] si aliarum perversarum sectarum considerentur errores: si autem iste sibi error ex parte altera, de qua nondum diximus, comparetur, adhuc etiam multo pejus et exsecrabilius in Dei naturam blasphemare convincitur. Dicunt enim etiam nonnullas animas, quas volunt esse de substantia Dei et ejusdem omnino naturæ, quæ non sponte peccaverint, sed a gente tenebrarum, quam mali naturam dicunt, ad quam debellandam non ultro, sed patris imperio descenderunt, superatæ et oppressæ sint, affigi in æternum globo horribili tenebrarum. Ita secundum eorum sacrilega vaniloquia, Deus se ipsum in quadam parte a magno malo liberavit, et rursus se ipsum in quadam parte damnavit, quam liberare ab hoste non potuit, et tanquam de ipso hoste devicto insuper triumphavit. O scelestam et incredibilem audaciam, talia de Deo credendi, talia loquendi, talia prædicandi! Quod cum defendere conantur, ut in pejora irruant clausis oculis, dicunt [2] malæ naturæ commixtionem facere ista, ut bona Dei natura tanta mala patiatur: nam ipsam apud se ipsam nihil horum pati potuisse vel posse. Quasi inde laudanda sit natura incorruptibilis, quia ipsa sibi non nocet, et non quia nihil ei noceri ab aliquo potest. Deinde si natura tenebrarum nocuit naturæ Dei, et natura Dei nocuit naturæ tenebrarum; duo ergo mala sunt quæ sibi invicem nocuerunt, et meliore animo fuit gens tenebrarum, quia et si nocuit, nolens nocuit: neque enim nocere, sed frui voluit bono Dei. Deus autem illam exstinguere voluit, sicut Manichæus apertissime in epistola ruinosi sui Fundamenti delirat. Oblitus enim quod paulo ante dixerat, *Ita autem funduta sunt ejusdem splendidissima regna supra lucidam et beatam terram, ut a nullo unquam aut moveri, aut concuti possint;* postea dixit: *Lucis vero beatissimæ Pater, sciens labem magnam ac vastitatem quæ ex tenebris surgeret, adversus sua sancta impendere sæcula, nisi aliquod eximium ac præclarum et virtute potens numen opponat [3], quo superet simul ac destruat stirpem tenebrarum, qua exstincta perpetua quies lucis incolis pararetur.* Ecce timuit labem ac vastitatem impendentem sæculis suis. Certe sic erant fundata super lucidam et beatam terram, ut a nullo unquam moveri aut concuti possent? Ecce a timore nocere voluit vicinæ genti, quam destruere et exstinguere conatus est, ut perpetua quies lucis incolis pararetur. Quare non addidit, Et perpetuum vinculum? An illæ animæ quas in globo tenebrarum in æternum configit, non erant incolæ lucis, de quibus aperte dicit, quod *errare se a priore lucida sua natura passæ sint?* ubi et nolens coactus est dicere, libera eas voluntate peccasse, qui non vult peccatum ponere nisi in necessitate naturæ contrariæ: ubique nesciens quid loquatur, et tanquam ipse jam inclusus sit in tenebrarum globo quem finxit, quærens qua exeat, et non inveniens. Sed dicat quod vult seductis et miseris, a quibus multo amplius quam Christus honoratur, ut hoc pretio tam longas et tam sacrilegas eis fabulas vendat. Dicat quod vult, includat in globo tanquam in carcere gentem tenebrarum, et forinsecus affligat naturam lucis, cui de hoste exstincto quietem perpetuam promittebat: ecce pejor est pœna lucis quam tenebrarum, pejor est pœna divinæ naturæ quam gentis adversæ. Illa quippe etsi in tenebris intus est, ad naturam ejus pertinet in tenebris habitare: animæ autem quæ hoc sunt quod Deus, non poterunt recipi, sicut dicit, in regna illa pacifica, et a vita ac libertate sanctæ lucis alienabuntur, et configentur in prædicto horribili globo: unde *et adhærebunt*, inquit, *iis rebus animæ eædem quas dilexerunt, relictæ in eodem tenebrarum globo, suis meritis id sibi conquirentes.* Certe non est liberum voluntatis arbitrium? Videte quomodo insaniens quid dicat ignorat, et contraria sibi loquendo pejus bellum contra se gerit, quam contra deum ipsius gentis tenebrarum. Deinde si propterea damnantur animæ lucis, quia dilexerunt tenebras; injuste damnatur gens tenebrarum, quæ lucem dilexit. Et gens quidem tenebrarum lucem ab initio dilexit, quam etsi violenter, tamen possidere voluit, non exstinguere: lucis autem natura in bello tenebras exstinguere voluit; eas ergo victa dilexit. Quod vultis eligite: utrum necessitate compulsa ut diligeret tenebras, an voluntate seducta. Si necessitate, quare damnatur? si voluntate, quare Dei natura in tanta iniquitate deprehenditur? Si necessitate Dei natura coacta est diligere tenebras, victa est ergo, non vicit: si voluntate, quid jam miseri dubitant peccandi voluntatem tribuere naturæ quam Deus ex nihilo fecit, ne tribuant eam luci quam genuit?

CAPUT XLIII. — *Mala ante mali commixtionem multa tribui naturæ Dei a Manichæis.* Quid, si etiam ostendimus, ante commixtionem mali, quam fabulose conflictam dementissime crediderunt, in ipsa lucis natura, quam dicunt, magna mala fuisse? quid ad istas blasphemias addi posse videbitur? Illic enim fuit antequam pugnaretur, dura et inevitabilis pugnandi necessitas: ecce jam magnum malum antequam bono misceretur malum: dicant hoc unde, cum adhuc nulla esset facta commixtio. Si autem necessitas non erat, voluntas ergo erat: unde et hoc tam magnum malum, ut Deus ipse naturæ suæ nocere vellet, cui noceri ab hoste non poterat, mittendo eam crudeliter miscendam, turpiter purgandam, inique damnandam? Ecce quantum malum perniciosæ et noxiæ et immanissimæ voluntatis, antequam ullum malum de gente contraria misceretur. An forte nesciebat hoc eventurum membris suis, ut diligerent tenebras et

[1] Vox, *sed*, abest ab Er. Lugd. Ven. Lov. M.
[2] Editi, *ne in pejora irruant, clausis oculis dicunt.* Emendantur ex Mss.
[3] Plerique Mss., *lumen opponat.*

inimicæ existerent sanctæ luci, sicut ipse dicit, hoc est, non tantum Deo suo, sed etiam Patri de quo erant? Unde ergo hoc in Deo tam magnum ignorantiæ malum, antequam ullum de gente contraria misceretur malum? Si autem hoc futurum sciebat, aut sempiterna in illo erat crudelitas, si de suæ naturæ futura contaminatione et damnatione nihil dolebat; aut sempiterna miseria, si dolebat: unde et hoc tantum malum summi boni vestri ante ullam commixtionem summi mali vestri? Ipsa certe particula naturæ ipsius, quæ in illius globi æterno vinculo configitur, si hoc sibi imminere nesciebat, etiam sic erat in natura Dei sempiterna ignorantia; si autem sciebat, sempiterna miseria: unde hoc tantum malum, antequam ullum de gente contraria misceretur malum? An forte magna charitate gaudebat, quia per ejus pœnam perpetua quies cæteris lucis incolis parabatur? Hoc quam nefas sit dicere qui videt, anathemet [1]. Sed si hoc saltem ita faceret, ut ipsa luci inimica non fieret, posset fortasse non tanquam Dei natura, sed tanquam aliquis homo laudari, qui pro patria sua vellet mali aliquid pati, quod quidem malum ad tempus posset esse, non in æternum: nunc vero et illam in globo tenebrarum confixionem dicunt æternam, et non cujusque rei, sed naturæ Dei; et utique iniquissimum et exsecrabile et ineffabiliter sacrilegum gaudium erat, si Dei natura gaudebat se tenebras dilecturam, et luci sanctæ inimicam futuram. Unde hoc tam immane et scelestum malum, antequam ullum ex gente contraria misceretur malum? Quis tam perversam et tam impiam ferat insaniam, summo malo tribuere tanta bona, et summo bono, quod Deus est, tanta mala?

CAPUT XLIV.—*Turpitudines incredibiles a Manichæo excogitatæ in Deo.* Jam vero quod ipsam partem naturæ Dei dicunt ubique permixtam in cœlis, in terris, sub terris, in omnibus corporibus, siccis et humidis, in omnibus carnibus, in omnibus seminibus arborum, herbarum, hominum, animalium: non potentia divinitatis sine ullo nexu incoinquinabiliter, inviolabiliter, incorruptibiliter omnibus rebus administrandis regendisque præsentem, quod nos de Deo dicimus; sed ligatam, oppressam, pollutam, quam solvi, liberari, purgarique dicunt, non solum per discursum solis et lunæ, et virtutes lucis, verum etiam per Electos suos: hoc genus nefandissimi erroris quam sacrilegas et incredibiles turpitudines eis suadeat, etiamsi non persuadeat, horribile est dicere. Dicunt enim virtutes lucis transfigurari in masculos pulchros, et opponi feminis gentis tenebrarum; et easdem rursus virtutes lucis transfigurari in feminas pulchras, et opponi masculis gentis tenebrarum; ut per pulchritudinem suam inflamment spurcissimam libidinem principum tenebrarum, et eo modo vitalis substantia, hoc est, Dei natura, quam dicunt in eorum corporibus ligatam teneri, ex eorum membris per ipsam concupiscentiam relaxatis, soluta fugiat, et suscepta vel purgata liberetur. Hoc infelices legunt, hoc dicunt, hoc audiunt, hoc credunt, hoc in libro septimo Thesauri eorum (sic enim appellant scripturam quamdam Manichæi, ubi istæ blasphemiæ conscriptæ sunt) ita positum est: *Tunc beatus ille Pater, qui lucidas naves habet diversoria et habitacula seu magnitudines, pro insita sibi clementia fert opem, qua exuitur et liberatur ab impiis retinaculis et angustiis atque angoribus suæ vitalis substantiæ* [1]. *Itaque invisibili suo nutu illas suas virtutes, quæ in clarissima hac navi habentur, transfigurat, easque parere facit adversis potestatibus, quæ in singulis cœlorum tractibus ordinatæ sunt. Quæ quoniam ex utroque sexu masculorum ac feminarum consistunt, ideo prædictas virtutes partim specie puerorum investium parere jubet generi adverso feminarum, partim virginum lucidarum forma generi contrario masculorum: sciens eas omnes hostiles potestates, propter ingenitam sibi letalem et spurcissimam concupiscentiam facillime capi, atque iisdem speciebus pulcherrimis quæ apparent mancipari, hocque modo dissolvi. Sciatis autem hunc eumdem nostrum beatum Patrem hoc idem esse, quod etiam suæ virtutes, quas ob necessariam causam transformat in puerorum et virginum intemeratam* [2] *similitudinem. Utitur autem his tanquam propriis armis, atque per eas suam complet voluntatem. Harum vero virtutum divinarum, quæ ad instar conjugii contra inferna genera statuuntur, quæque alacritate ac facilitate id quod cogitaverint, momento eodem efficiunt, plenæ sunt lucidæ naves. Itaque cum ratio poposcerit ut masculis appareant eædem sanctæ virtutes, illico etiam suam effigiem virginum pulcherrimarum habitu demonstrant. Rursus cum ad feminas ventum fuerit, postponentes species virginum, puerorum investium speciem ostendunt. Hoc autem visu decoro illarum ardor et concupiscentia crescit, atque hoc modo vinculum pessimarum cogitationum* [3] *earum solvitur, vivaque anima quæ eorumdem membris tenebatur, hac occasione laxata evadit, et suo purissimo aeri miscetur; ubi penitus ablutæ animæ ascendunt ad lucidas naves, quæ sibi ad vectationem* [4] *atque ad suæ patriæ transfretationem sunt præparatæ. Id vero quod adhuc adversi generis maculas portat, per æstus atque calores particulatim descendit, atque arboribus cæterisque plantationibus ac satis omnibus miscetur, et caloribus diversis inficitur* [5]. *Et quo pacto ex ista magna et clarissima navi figuræ puerorum ac virginum apparent contrariis potestatibus, quæ in cœlis degunt, quæque igneam habent naturam; atque ex isto aspectu decoro, vitæ pars quæ in earumdem membris habetur, laxata deducitur per calores in terram: eodem modo etiam illa altissima virtus, quæ in navi vitalium aquarum habitat, in similitudine puerorum ac virginum sanctarum per*

[1] Am. et Er.: *Hoc quam nefas sit dicere, naturæ Dei sic subveniri, quicumque audit, anathematizaret*, etc. Lov., *Hoc quam nefas sit dicere, naturæ Dei a natura Dei sic subveniri, quicumque audit, anathematizaret*, etc. At melioris notæ Mss., omisso, *naturæ Dei a natura Dei sic subveniri*, habent: *Hoc quam nefas sit dicere qui videt, anathemet. Sed si hoc saltem ita faceret*: supple, *illa particula naturæ Dei*.

[1] Aliquot Mss., *sua vitalis substantia*.
[2] Tres Vaticani Mss., *intemperatam*.
[3] Duo Mss., *passivarum cogitationum*.
[4] In B., *evectationem*. Fr. Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.
[5] Plerique Mss., *et coloribus diversis infigitur*.

suos angelos apparet his potestatibus, quarum natura frigida est atque humida, quæque in cœlis ordinatæ sunt. Et quidem his quæ feminæ sunt, in ipsis forma puerorum apparet : masculis vero, virginum. Hac vero mutatione et diversitate divinarum personarum ac pulcherrimarum, humidæ frigidæque stirpis principes masculi sive feminæ solvuntur, atque id quod in ipsis est vitale fugit : quod vero resederit, laxatum deducitur in terram per frigora[1]*, et cunctis terræ generibus admiscetur.* Quis hoc ferat? quis hoc credat, non dico ita esse, sed vel dici potuisse? Ecce qui docentem timent anathemare Manichæum, et non timent credere hæc facientem et hæc patientem Deum!

CAPUT XLV. — *Turpitudines quædam nefariæ de ipsis Manichæis non immerito creditæ.* Per Electos autem suos purgari dicunt eamdem ipsam commixtam partem ac naturam Dei, manducando scilicet et bibendo, quia eam in alimentis omnibus dicunt ligatam teneri; quæ cum ab Electis velut sanctis in refectionem corporis manducando et bibendo assumuntur, per eorum sanctitatem solvi, signari et liberari. Nec attendunt miseri, quam non incongrue de illis creditum sit, quod frustra negant, nisi eosdem libros anathemaverint, et Manichæi esse destiterint. Si enim, sicut dicunt, in omnibus seminibus est ligata pars Dei, et ab Electis manducando purgatur; quis non digne credat eos facere, quod inter virtutes cœlorum et principes tenebrarum fieri in Thesauro suo legunt; quandoquidem et carnes suas de gente tenebrarum esse dicunt, et in eis ligatam teneri vitalem illam substantiam, partem Dei, credere atque affirmare non dubitant? Quæ utique si solvenda est, et manducando purganda, sicut eos fateri cogit funestus error ipsorum; quis non videat, quis non exhorreat, quanta turpitudo et quam nefaria consequatur?

CAPUT XLVI. — *Epistolæ Fundamenti nefaria doctrina.* Nam et a quibusdam principibus gentis tenebrarum sic dicunt Adam primum hominem creatum, ut lumen ab eis ne fugeret teneretur. In epistola enim quam Fundamenti appellant, quomodo princeps tenebrarum, quem patrem primi hominis inducunt, ad cæteros socios suos tenebrarum principes locutus fuerit et egerit, ita scripsit Manichæus : *Iniquis igitur commentis ad eos qui aderant ait : Quid vobis videtur maximum hoc lumen quod oritur? Intuemini quemadmodum polum movet, concutit plurimas potestates. Quapropter mihi vos potius æquum est*[2]*, id quod in vestris viribus habetis luminis prærogare : sic quippe illius magni qui gloriosus apparuit, imaginem fingam, per quam regnare poterimus, tenebrarum aliquando conversatione liberati. Hæc audientes, ac diu secum deliberantes, justissimum putaverunt id quod postulabantur præbere. Nec enim fidebant se idem lumen jugiter retenturos : unde melius rati sunt principi suo id offerre, nequaquam desperantes eodem se pacto*[3] *regnaturos. Quo igitur modo lumen illud*[1] *quod habebant præbuerint, considerandum est. Nam hoc etiam omnibus divinis scripturis arcanisque cœlestibus aspersum est : sapientibus vero quomodo sit datum scire minime est difficile : nam coram aperteque cognoscitur ab eo qui vere ac fideliter intueri voluerit. Quoniam eorum qui convenerant frequentia promiscua erat, feminarum scilicet ac masculorum, impulit eos ut inter se coirent : in quo coitu alii seminarunt, aliæ gravidæ effectæ sunt. Erant autem partus iis qui genuerant similes, vires plurimas parentum uti primi obtinentes. Hæc sumens eorum princeps uti præcipuum donum gavisus est. Et sicuti etiam nunc fieri videmus, corporum formatricem naturam mali inde vires sumentem figurare : ita etiam ante dictus princeps sodalium prolem accipiens, habentem parentum sensus, prudentiam, lucem simul secum in generatione procreatam, comedit; ac plerisque viribus sumptis ex istiusmodi esca, in qua non modo inerat fortitudo, sed multo magis astutiæ et pravi sensus ex fera genitorum gente*[2]*, propriam ad se conjugem evocavit, ex ea qua ipse erat stirpe manantem; et facto cum ea coitu, seminavit, ut cæteri, abundantiam malorum quæ devoraverat : nonnihil etiam ipse adjiciens ex sua cogitatione ac virtute, ut esset sensus ejus omnium eorum quæ profuderat formator atque descriptor; cujus compar excipiebat hæc, ut semen consuevit culta optime terra percipere. In eadem enim construebantur et contexebantur omnium imagines, cœlestium ac terrenarum virtutum, ut pleni videlicet orbis, id quod formabatur, similitudinem obtineret.*

CAPUT XLVII. — *Turpitudines horribiles cogit perpetrare.* O monstrum scelestum! o exsecranda perditio et labes deceptarum animarum! Omitto quid sit, de natura Dei quod sic ligetur[3], hæc dicere. Hoc saltem attendant miseri decepti et errore mortifero venenati, quia si per coitum masculorum et feminarum ligatur pars Dei, quam se manducando solvere et purgare profitentur, cogit eos hujus tam nefandi erroris necessitas, ut non solum de pane et oleribus et pomis, quæ sola videntur in manifesto accipere, sed inde etiam solvant et purgent partem Dei, unde per concubitum potest, si feminæ utero concepta fuerit, colligari. Hoc se facere quidam confessi esse in publico judicio perhibentur, non tantum in Paphlagonia, sed etiam in Gallia, sicut a quodam Romæ christiano catholico audivi : et cum interrogarentur, cujus auctoritate scripturæ ista facerent, hoc de Thesauro suo prodidisse, quod paulo ante commemoravi. Isti autem cum hoc eis objicitur, solent respondere, nescio quem inimicum suum de numero suo, hoc est, Electorum suorum descivisse, et schisma fecisse, atque hujusmodi spurcissimam hæresim condidisse. Unde manifestum est, quia hoc etiam si isti non faciunt, de ipsorum libris hoc faciunt quicumque faciunt. Abjiciant ergo libros, si crimen exhorrent, quod committere coguntur, si libros tenent; aut si

[1] Aliquot probæ notæ Mss., *præ frigore.*
[2] Er. Lugd. Ven.: *Quapropter mihi vobis opus est. Æquum est id quod.* etc. M.
[3] Vaticanus codex, *facio.*

[1] In Mss., *lumen idem.*
[2] Plures Mss., *mente.*
[3] Am. et Er., *legitur.* Lov., *legetur.* Castigantur ex Mss

non committunt, mundius vivere contra suos libros conantur. Sed quid agunt, cum eis dicitur, Aut purgate lumen, de quibus potueritis seminibus, ut nec illud recusetis, quod vos non facere asseritis; aut Manichæum anathemate, qui cum dicit in omnibus seminibus esse partem Dei, et concumbendo ligari; quidquid autem luminis, hoc est, ejusdem partis Dei ad escas Electorum pervenerit, manducando purgari: quid vobis suadeat videtis, et eum adhuc anathemare dubitatis? Quid agunt, inquam, cum hoc eis dicitur? Ad quas tergiversationes se convertunt, cum aut tam nefaria doctrina sit anathemanda, aut tam nefaria turpitudo facienda, in cujus comparatione jam illa omnia mala quæ intolerabilia paulo ante commemorabam, eos de natura Dei dicere, quod necessitate oppressa sit ut bellum gereret, quod aut sempiterna ignorantia secura erat, aut sempiterno dolore et timore sollicita, quando sibi veniret corruptio commixtionis et vinculum æternæ damnationis, quod denique gesto bello sic fuerit captivata, oppressa, polluta, quod post falsam victoriam sic futura sit in horribili globo in æternum confixa et ab originis suæ felicitate separata, tolerabilia videantur, cum per se ipsa, si considerentur, sustineri non possint?

CAPUT XLVIII.— *Orat Augustinus pro Manichæorum resipiscentia.* O magna patientia tua, Domine misericors et miserator, longanimis et multum misericors, et verax (*Psal.* CII, 8); qui facis oriri solem tuum super bonos et malos, pluis super justos et injustos (*Matth.* V, 45); qui non vis mortem peccatoris, quamtum ut revertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII, 11); qui partibus corripiens, das locum[1] pœnitentiæ, ut relicta malitia credant in te, Domine (*Sap.* XII, 2); qui patientia tua ad pœnitentiam adducis, quamvis multi secundum duritiam cordis sui et cor impœnitens thesaurizent sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii tui, qui reddis unicuique secundum opera sua (*Rom.* II, 4-6); qui in qua die conversus fuerit homo a nequitia sua ad misericordiam et veritatem tuam, omnes iniquitates ejus oblivisceris (*Ezech.* XVIII, 21): præsta nobis, dona nobis, ut per nostrum ministerium, quo exsecrabilem et nimis horribilem hunc errorem redargui voluisti, sicut jam multi liberati sunt, et alii liberentur, et sive per sacramentum sancti Baptismi tui, sive per sacrificium contribulati spiritus et cordis contriti et humiliati (*Psal.* L, 19), in dolore pœnitentiæ, remissionem peccatorum et blasphemiarum suarum, quibus per ignorantiam te offenderunt, accipere mereantur. Tantum enim valet præpollens misericordia et potestas tua et veritas Baptismi tui, clavesque regni cœlorum in sancta Ecclesia tua, ut nec de illis desperandum sit, quamdiu in hac terra per tuam patientiam vivunt, qui etiam scientes quantum malum sit talia de te sentire vel dicere, propter aliquam temporalis et terrenæ commoditatis consuetudinem vel adeptionem in illa maligna professione detinentur, si ad tuam ineffabilem bonitatem saltem increpati tuis correptionibus fugiant, et omnibus carnalis vitæ illecebris cœlestem vitam æternamque præponant[2].

[1] Editi, *partis corripiens, dans locum.* At Mss., *partibus corripiens, das locum*: ut in sacris Bibliis, Sap. cap. 12.
[2] In Mss. additur, *Amen.*

IN SUBSEQUENTES SCRIPTIONES,

Vide lib. 2, *cap.*10, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 634, *a verbis,* Secundinus quidam, *usque ad verba,* Tua in me benevolentia. M.

SECUNDINI MANICHÆI

EPISTOLA AD AUGUSTINUM.

Manichæi doctrinam commendat tueturque cum Catholicæ fidei reprehensione, indigne ferens quod eam scriptis oppugnet Augustinus, quem a Manichæo timore quodam et honoris cupiditate defecisse insimulat, atque ut ad illius sectam tandem redeat, exhortatur.

1. Habeo[1] et ago gratias ineffabili ac sacratissimæ Majestati, ejusque primogenito omnium luminum regi Jesu Christo, habeo gratias et supplex sancto refero Spiritui, quod dederint præbuerintque occasionem, qua ego securus salutarem tuam egregiam Sanctitatem, domine merito laudabilis et unice percolende. Nec mirum: sunt enim ad omnia bona præstanda et ad omnia mala arcenda satis aptissimi, quique tuam benevolentiam suis defendant propugnaculis, eripiantque ab illo malo, non quod nihil est, aut quod factione passioneque mortalium gignitur, sed quod paratum est ut veniat. Væ autem illi qui se eidem præ-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber contra Secundinum in Belgicis codicibus olim frustra quæsitus Lovaniensium cura, nunc a nobis repertus in Gallicano-Ms. optime notæ, qui in abbatia S. Petri in valle Carnotensi asservatur, ejusque ope multis mendis purgatus est.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Apud Er. Lugd. Ven. et Lov. hoc est præambulum Epistolæ Secundini ad Augustinum: *Domino merito honorabili atque laudabili et unice percolendo Augustino, Secundinus. Habeo,* etc. M.

buerit occasionem. Nam dignus es, qui ab iisdem talia munera consequaris, iidemque veritatis tuæ nutritores efficiantur, vere lucerna, quam in cordis tui candelabro dextera posuit veritatis, ne furis adventu thesauri tui dilapidetur patrimonium : jubeantque sine lapsu illam manere domum[1], quam tu non super erroris arenam, sed super scientiæ lapidem collocasti : illumque a nobis repellant atrocem spiritum, qui hominibus timorem immittit et perfidiam ; ut animas avertat ab angusto tramite Salvatoris : cujus omnis impetus per illos principes funditur, contra quos se Apostolus in Ephesiorum Epistola certamen sublisse fatetur. Dicit enim se *non contra carnem et sanguinem habere certamen, sed adversus principes et potestates, adversus spiritualia nequitiæ, quæ sunt in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12). Et revera ; quis enim contra arma habeat, nisi contra armatum, adversus illum qui movetur ? Ut enim hominum corpora arma peccati sunt, ita salutaria præcepta arma justitiæ (*Rom.* VI, 13). Hoc Paulus, hoc ipse testatur Manichæus.

2. Non ergo armorum pugna est, sed spirituum, qui iisdem utuntur[1]. Pugnant autem animarum gratia. Horum in medio posita est anima, cui a principio natura sua dedit victoriam. Hæc si una cum spiritu virtutum fecerit[2], habebit cum eo vitam perpetuam, illudque possidebit regnum, ad quod Dominus noster invitat : si vero ab spiritu vitiorum incipiat trahi, et consentiat, ac post consensum pœnitudinem gerat, habebit harum sordium indulgentiæ fontem. Carnis enim commixtione ducitur, non propria voluntate. At si cum se ipsam cognoverit, consentiat malo, et non se armet contra inimicum, voluntate sua peccavit. Quam si iterum pudeat errasse, paratum inveniet misericordiarum auctorem. Non enim punitur quia peccavit, sed quia de peccato non doluit. At si cum eodem peccato sine venia recedat, tunc excludetur, tunc virgini stultæ comparabitur, tunc hæres erit sinistræ manus, tunc a Domino pelletur ex convivio nuptiarum, nigrarum causa vestium, ubi fletus erit et stridor dentium, ibitque cum diabolo ad ignem originis ipsius ; quem tua mira prudentia aut ex archangelo factum memorat, aut nihil esse fatetur. Cur ergo regnabunt justi ? Cur Apostoli et martyres coronabuntur ? Totum propterea, quia vicerunt nihil ? O quantum frustratur vincentis potentia, cum adversarius nullius virtutis esse prædicatur ! Muta, quæso, sententiam, depone Punicæ gentis perfidiam, et recessionem tuam ad veritatem, quæ per timorem facta est, converte : noli his mendaciis te excusare[3].

3. Legit enim aliquanta exile meum et qualecumque Romani hominis ingenium[4], reverendæ tuæ Dignationis scripta, in quibus sic irasceris veritati, ut philosophiæ Hortensius. Hæc itaque cum suspenso animo agilique oculo iterum iterumque repetissem, summum inveni ubique oratorem et deum pene totius eloquentiæ : nusquam vero comperi christianum : et armatum quidem contra omnia, affirmantem vero nihil : cum te magis scientia peritum debueris ostendere, non sermone. Illud vero tacere non possum tuæ patientissimæ Sanctitati : visus enim mihi es, et pro certo sic est, et nunquam fuisse Manichæum, nec ejus te potuisse arcana incognita secreti cognoscere, atque sub Manichæi nomine persequi te Hannibalem[1] atque Mithridatem. Ego namque fateor non tali diligentia nec tanta industria Anicianæ domus micare marmora, quanta tua scripta perlucent eloquentia. Hanc si voluisses veritati concordare, magnum utique nobis exstitisset ornamentum. Noli, rogo, contra tuam venire naturam, noli esse erroris lancea, qua latus percutitur Salvatoris. Vides enim illum et in omni mundo et in omni anima esse crucifixum, quæ anima nunquam habuit succensendi naturam[2]. Et tu igitur qui ex ipsa es, dimitte, quæso, jam vanas incusationes, superfluas relinque controversias. Tanto tempore cum parente tuo in medio tenebrarum constitutus, nunquam subsannasti : in medium solis ac lunæ inventus es accusator. Quis igitur tibi patronus erit ante justum tribunal Judicis, cum et de sermone et de opere cœperis te teste convinci ? Persa quem incusasti, non aderit. Hoc excepto, quis te flentem consolabitur ? Quis Punicum salvabit ? An emendatum in Evangelio est, quod spatiosa via non deducat in interitum (*Matth.* VII, 13) ? An falsum in Paulo est, quod operum singuli suorum non erunt reddituri rationem (*Rom.* XIV, 12) ? O utinam a Manichæo recedens, Academiam petisses, aut Romanorum bella, qui omnia superarunt, interpretatus fuisses : quam magna ibi, quam egregia comperisses, et non, castus homo utique totius pudicitiæ et paupertatis, isses ad Judæorum gentes barbaras moribus : cum præceptis inseris fabulas[3], et adducis *uxorem fornicariam* ; et, *facies filios fornicariæ* ; et, *fornicando fornicabitur terra a Domino* (*Osee* I, 2) ; et, *Non lavabis manus post coitum conjugis* ; et, *Mitte manus super femur meum* (*Gen.* XXIV, 2, *et* XLVII, 29) ; et, *Mucta et manduca* (*Act.* X, 13) ; et, *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I, 28). An tibi leones in lacu placuerunt (*Dan.* VI, 16), quia caveæ non erant ? An tibi sterilitas Saræ doluit, cujus pudoris distractor maritus sororem fingens exstiterat (*Gen.* XII, 13, *et* XX, 2) ? Sed forte post Daretis et Entelli certamen (*Virgil. Æneid. lib.* 5, *vers.* 362-484), Jacob et ipsius pammachiam exspectare volueras (*Gen.* XXXII, 24, 25) ? An numerum Amorrhæorum (*Josue* X, 5), an pancarpum in arca Noe conspicere disposue-

[1] Ita vetus codex Carnotensis optimæ notæ. Editi autem, *quibus utuntur*.

[2] Editi hic et in subsequente libro, cap. 8, *cum spiritu virtutem fecerit*. Melius Carnotensis Ms., *cum spiritu virtutum fecerit*. Nam spiritum virtutum secundinus opponit spiritui vitiorum.

[3] Vetus codex Carnotensis, *noli his mendaciis excusare* : supple, *recessionem tuam*.

[4] Er. Lugd. Ven. Lov., *et qualecumque est Romani hominis ingenium*. M.

[1] Editi vulgo, *humilem*, habent, loco, *Hannibalem*. Castigantur ex Carnotensi Ms.

[2] Ita Carnotensis codex. At Lov., *nunquam habuit causam succensendi naturam*. Editio Am., *finem succensendi naturam*.

[3] In Ms. Carnotensi, *isses ad Judæorum gentis barbaræ cum moribus tum præceptis fabulas : et adducis uxorem*, etc.

ras (*Gen.* VII)? Novi ego te hæc semper odio habuisse, novi ego te semper magna amavisse, quæ terras deserent, quæ cœlos peterent, quæ corpora mortificarent, quæ animas vivificarent. Quis igitur ille est qui te repente mutavit?

4. Quanquam hæc tuæ Sanctitati dicere nimis absurdum sit. Ipse enim non ignoras quam pessimus sit, quamque malignus, quique etiam tanta calliditate adversus fideles et summos viros militat, ut et Petrum coegerit sub una nocte tertio Dominum negare, et eidem resurgenti Thomam non permiserit credere: quæ tamen vulnera curata sunt indulgentiæ medicina. Illud vero quam audacter molitus sit, ut Domino optimum semen seminanti, ille zizania miscuerit, et tanto pastori Iscariotem rapuerit; et ut ad ultimum crucis supplicium veniretur, in perniciem ipsius Scribas Pharisæosque accenderit, ut Barrabam dimitti clamarent, et Jesum crucifigi. Evasimus igitur, quia spiritualem secuti sumus Salvatorem. Nam illius tantum erupit audacia, ut si noster Dominus carnalis foret, omnis nostra fuisset spes amputata. Et tamen ne ipso quidem crucis opprobrio potuit satiari: quinimo insaniens, hinc coegit spinis coronari, illinc aceto potari; hinc militum lancea percuti, illinc sinistri latronis ore blasphemari (*Matth.* XXVI, XXVII; *Luc.* XXII, XXIII, *et Joan.* XVIII-XX). At postea tantum ejus crevit iniquitas, ut et ipso et Apostolis ejus illuc ascendentibus diversas componeret quæstiones, sub eorum, quod pejus est, nomine superstitiosis omnibus, id est, catholici vocabuli dividens dignitatem. Omitto namque quatenus unumquemque discipulorum adversus magistros armaverit, quatenus Hymenæum [1], quatenus Alexandrum deceperit (I *Tim.* I, 20), quæ apud Antiochiam, quæ apud Smyrnam, quæ apud Iconium commiserit: illa nunc addo quæ præsens actitat multitudo, a qua tantum virtus procul est, quantum populo clausa est. Nec enim virtus est ad quam turba pervenit, et turba quam maxime feminarum. Sed vereor clandestina eorum publicare, ne ab aliis ordita crimina geminentur. Quanquam sapientum est utrumque ferre, utrumque ridere; et ad illud tantum niti, quod beatitudinem conciliat, quod parturit vitam.

5. Et tamen iterum atque iterum supplex deprecor, oro etiam atque etiam obsecro, primum quidem veniam largiri digneris, si quo sermone fuerit tuum titillatum aureum pectus: ardore enim hoc nimio feci, quia nolo te a nostro grege divelli, a quo etiam ego ipse aberrans pene perieram, nisi cito me de iniqua communionis tulissem natura. Deinde, ut concilies te illi, quæ in te nihil deliquit: redeas ad illam, quæ tibi et in dierum culpam [2], non erit succensura. Nec enim septies tantum novit ignoscere: quinimo habet et ligandi et solvendi potestatem. Noli te fingere palpare, qui dudum vidisti: noli velle discere, qui potes docere. Dimitte hominum gloriam, si vis Christo placere. Temporibus nostris renova Paulum, qui cum legis Judaicæ doctor esset, consecutus a Domino apostolatus gratiam, quæ putabat commoda, contempsit ut stercora, ut Christum lucrifaceret (*Philipp.* III, 8). Subveni animæ tuæ tam lucidæ: quia ignoras quali sit fur hora venturus. Noli ornare mortuos: quia vivorum es ornamentum. Noli comes esse lati itineris, quia Amorrhæum exspectat: sed ad arctam festina viam, ut consequaris vitam æternam. Desine, quæso, utero claudere Christum, ne ipse rursum utero concluderis. Desine duas naturas facere unam; quia appropinquat Domini judicium. Væ qui accipient, qui quod dulce est, in amaritudinem transferunt.

6. Sed si dubitas de principio, si ambigis de pugnæ exordio, poterit diurno tractatu pacificoque colloquio reddi ratio. Illud tamen notum facio tuæ sagacissimæ bonitati, quia sunt quædam res quæ exponi sic non possunt ut intelligantur: excedit enim divina ratio mortalium pectora: utputa hoc ipsum, quomodo sint duæ naturæ, aut quare pugnaverit qui nihil poterat pati; necnon etiam de sæculo novo, quod idem memorat, quia præcisis [1] maximæ illius terræ motibus hoc ædificetur. Quis autem admittat inter divina præcidi, scilicet nisi figuram facias interpretantis ad auditorem [2], quia ab hoc verba præciduntur, et in illo componuntur? Et quamvis tractator multa dixerit, quæ teneat apud se auditor, tamen a tractatore non recesserunt: nisi taliter et de illo sentias sæculo, et id (*a*) quod dicitur stultum satis et ineptum. Ita quoque et de pugna, quod nisi primo conjicias, quia Deus totus justitia est, ultimum autem facinus est invadere aliena: ad hoc vero cum venerit contraria natura, ille quidem nihil poterat pati, quia præscius erat, visus fuisset facinori consensisse nisi pugnasset: et ideo magnam opposuit venienti virtutem, uti justitia ipsius nulla pollueretur sacrilegii consensione. Ita enim ab eo justus [3] finitus est, ut nec ipse peccet aliquando, nec aliquando consentiat peccatori. Illud etiam quia Deus in suo regno potens erat in natura, ut omnipotens et judex. Hæc siquidem ita dicta sunt, non ut ille factus est, sed ut assequi ego non valui (*b*): adhuc non satis faciunt perfidiæ, nec cæcis sol exortus est, nec surdis vox audita est, nec dapes mortuis præparatæ. Quod autem loca naturis assignari non possunt, hoc est quod conditio humana inenarrabile vocat atque ineffabile. Salvator autem cui totum facile est, duo hæc dextrum vocat ac lævum, intus ac foris, *Venite* ac *Recedite* (*Matth.* XXV). Tu autem conversum facis (*c*) et pedem ponis, ut est, Orbis, vita, salus, lumen, lex, ordo, potestas: si vocalem dicis et mutam, longam vocas brevem, quæ naturæ hæc non

[1] Carnotensis codex, loco, *Hymenæum*, habet, *Hermogenem*.
[2] Idem codex Carnotensis, *quæ tibi si redieris, culpam non erit succensura*. Forte legendum, *ob culpam*.

[1] Ita Carnotensis Ms. At editi, *præteritis*.
[2] Carnotensis codex, *sed nisi figura facias temperantes ad auditorem*.
[3] Sic Ms. Carnotensis. At editi: *ita enim homo justus*
(*a*) Forte, *est id*, juxta Morel, Element. Critic., pag 308. d.
(*b*) Forte, *ego valui*, deleto, *non*.
(*c*) Morel, Elem., Critic., pag. 167, conjectat sic legendum: *Tu autem cum versum facis*. M.

sonant, duo pro certo significant, et ab invicem separata.

7. Sed tuæ admirandæ sublimique prudentiæ cum talia a me exponuntur, tale est quale si Jordanis Oceano aquam commodet, aut soli lucerna lucem, aut populus episcopo sanctitatem. Quam ob rem ferre oportet quidquid hæc epistola continet. Nam et ego nisi tuam divinam nossem patientiam, quæ facile cuique condonat, nunquam taliter scripsissem : quamvis cernas eximios me sensus summatim tetigisse, plurimumque cavisse, ne tibi multus viderer. Quocirca hæc fidem penes tuam repererint Sanctitatem, qualiterque salvemur; alioquin millia voluminum exinde poteris generare, domine merito laudabilis et unice percolende. Vale.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA SECUNDINUM

MANICHÆUM

Liber unus [a].

Docet Augustinus quare Manichæi sectam reliquerit, eamque ex Secundini ipsius epistola prolatis argumentis refellit.

CAPUT PRIMUM.—Tua in me benevolentia [1] quæ apparet litteris tuis, grata mihi est : sed quam te redamari a me oportet amantem me, tam tristis sum quod tenaciter inhæsisti suspicionibus falsis, partim adversus me, partim adversus ipsam quæ mutari non potest veritatem. Sed quod de animo meo non verum sentis, facile contemno : hoc enim sentis, quod etsi in me non agnosco, fieri tamen potest ut sit in homine. Ergo etiamsi erras in me, non tamen ita erras, ut me de hominum numero eximat tua opinio : quia id de me credis quod fieri potest in animo humano, etiamsi non sit factum in animo meo. Non igitur opus est ut tibi hanc suspicionem magnopere coner auferre. Non enim spes tua pendet ex me, aut bonus esse non poteris nisi ego fuero. Senti de Augustino quidquid libet : sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Quod enim ait Apostolus, *Mihi minimum est, ut a vobis judicer, aut ab humano die* (1 *Cor.* IV, 3). Ego autem vicem tibi non rependam, ut de tua mente aliquid existimare in malam partem audeam, quod intueri non valeo. Nec dico quod me subdole lacerare volueris : sed tantum de te opinor, quantum de te indicas verbis. Quamobrem etsi non bona de me suspicatus sis, quod carnali timore alicujus incommoditatis, quæ de vestra societate mihi accidere poterat, hæresim Manichæorum reliquerim, vel cupiditate honoris quem in Catholica adeptus sum : tamen non de te vicissim male sentiens, credo esse benevolam suspicionem tuam; et hoc non criminandi causa, sed corrigendi studio scripsisse te existimo. Si autem mihi accommodares credendi benevolentiam, quoniam latebras animi mei arguis, quas utique promere ad oculos tuos et demonstrare non possum, facile de ipso mutares sententiam, et nolles amplius temere affirmare quod nescis.

CAPUT II. — Ego enim fateor, timore Manichæos deserui, sed timore illorum verborum quæ per apostolum Paulum prolata sunt : *Spiritus*, inquit, *manifeste dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritibus seductoribus et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi mendaciloquorum, cauteriatam habentes conscientiam suam, prohibentes nubere, abstinentes a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. Omnis enim creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (1 *Tim.* IV, 1-4). Quibus verbis etsi alios fortasse hæreticos, tamen maxime Manichæos breviter aperteque descripsit. Hoc ergo timore, cum in puerili ingenio saperem [1], me ab illa societate divulsi : amore quoque honoris arsisse me fateor, ut inde discederem ; sed illius honoris de quo idem dicit apostolus, *Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum* (*Rom.* II, 10). Quis autem operari bonum conabitur, qui non in voluntate mutabili, sed in natura incommutabili malum esse putaverit? Unde et ipse Dominus, eis qui bona se loqui arbitrabantur cum essent mali : *Aut facite*, inquit, *arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum* (*Matth.* XII, 33). Malis vero jam mutatis in bonum Apostolus ait : *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Sed si non vis mihi de animo meo credere, existima ut libet ; tantum de ipsa veritate

[1] In B., *Benevolentia in me*, etc.; at Er. Lugd. Ven. Lov., *tua in me benevolentia*; cui lectioni adstipulatur editio Benedictina, Retractationum libro 2, cap. 10. M.

[1] In Carnotensi codice, *servus sapirem.* — Morel, Element. Critic., pagg. 188, 189, censet sic legendum : *Cum in puerili ingenio fer vix saperem.* M.

(*a*) In Retractationibus proxime sequitur opus de Natura Boni, quod libris contra Felicem in fine anni 404 conscriptis subnectitur : pertinet itaque hic liber ad annum circiter 405.

cave quid sentias. Tentatio te non apprehendat nisi humana (I *Cor.* x, 13). Humanus enim error est, ut id factum esse in animo meo credas, quod fieri potuit, etiam si non est factum : cum vero sacrilegam, et non solum falsissimam, sed etiam fallacissimam fabulam Persicam, non de quolibet homine, sed de summo Deo, mendaciis contaminatissimis contextam atque conflictam putas esse veritatem ; non est hoc modo prætereundum, neque tanta mors animæ contemnenda. Est enim quod tecum agi possit : quia non sicut de animo meo [1] nihil amplius possum dicere, nisi ut credas mihi, quod si nolueris, non invenio quid faciam : ita etiam cum de ipsa luce animorum, quam rationales mentes quanto puriores, tanto tranquillius intuentur, falsum aliquid existimas, non tibi potest, si patienter audias, demonstrari quam sit remotissimum a veritate quod sentis. Sicut enim sensum oculi tui sentire non possum, nec tu mei, sed tantummodo nobis de hac re credere vel non credere possumus ; illam vero speciem quæ utriusque nostrum oculis visibilis subjacet, invicem nobis valemus ostendere : sic de affectionibus animorum nostrorum quas proprias habemus, credamus nobis, si placet ; si autem non placet, non credamus : rationem autem veritatis, quæ nec mea nec tua est, sed utrique nostrum ad contemplandum proposita, sine pervicaciæ caligine, serenatis mentibus pariter attendamus.

CAPUT III. — Nec alia documenta tibi proferam, quibus Manichæi error apparet, quam ex epistola tua. Scribis *habere te et agere gratias ineffabili ac sacratissimæ Majestati, ejusque primogenito omnium luminum regi, Jesu Christo.* Dic mihi quorum luminum sit rex Jesus Christus? Eorumne quæ fecit, an eorum quæ genuit? Nos enim dicimus Deum Patrem genuisse Filium æqualem sibi, creasse autem per eum, hoc est, condidisse ac fecisse creaturam inferiorem, quæ utique non est quod est ille qui fecit et per quem fecit. Itaque quoniam per eum fecit sæcula, recte ab Apostolo dictus est Rex sæculorum (I *Tim.* I, 17), tanquam superior inferiorum, et regendi potens, regens ea quæ regimine indigeant. Tu autem cum Jesum Christum regem luminum appellas; si genuit ea, cur non sunt æqualia generanti? Si autem dicis æqualia, quomodo rex eorum est, cum regem necesse sit regere, nec ullo pacto fieri possit ut sint ea quæ reguntur ei a quo reguntur æqualia [2]? quod si non genuit, sed fecit hæc lumina, quæro unde fecerit? Si de se ipso propagavit, cur ergo inferiora sunt? cur degeneraverunt [3]? Si autem non de se ipso, dic unde? An forte nec fecit nec genuit lumina quibus regnat? Habent ergo originem propriam atque naturam, sed profecto invalidiorem, ut a potentiore vicino vel patiantur se regi vel cupiant. Nonne cognoscis, si ita est, excepta gente tenebrarum jam duas esse naturas, alteram alterius egere auxilio, sed neutram ex alterius pendere principio? Hanc profecto opinionem tu repudiabis, quoniam Manichæo maxime adversa est, qui non duas naturas, regem luminum et lumina quæ reguntur, sed duas naturas, regnum luminum et regnum tenebrarum persuadere conatur. Refugies igitur ad id, ut genita dicas hæc lumina : ubi cum quæsiero cur infirmiora sint, contendere fortasse tentabis æqualia. Sed cum retulero, Quæ causa est ut regantur? negabis regi. Hinc respondebo, Cur habent regem? Ubi non video quid restet ingenuitati tuæ, nisi ut te pœniteat tale ostium posuisse in epistola tua, per quod tu ipse exire non possis. Sed etiam cum te pœnituerit, et dixeris non ideo Manichæum victum putari oportere, quod tu aliquid in litteris tuis incautius posuisti ; innumerabilibus locis de libris Manichæi recitabo, Regnum lucis ab eo vocari quod regno tenebrarum naturaliter constituit esse contrarium ; nec regnum, sed regna : quandoquidem in ipsa epistola ruinosi Fundamenti cum de Deo Patre loqueretur, *Nullo*, inquit, *in regnis ejus aut indigente, aut infirmo constituto.* Ubi autem regna sunt, quis tam cæcus est qui non intelligat, æquales reges iis quibus regnant omnino esse non posse? Quid igitur tam vicinum, si velis advertere, et tam conveniens honestati pectoris tui, quam ut te non pœniteat illud in epistola posuisse? Est enim verissime Jesus Christus rex luminum, nullo modo sibi æqualium, sed subjectorum, et eorum rector beatorum. Pœniteat autem te potius fuisse Manichæum, cujus omnes deceptorias machinationes veridica frons epistolæ tuæ uno ictu arietante subverterit. Quia enim Christus luminum rex est, nec de se ipso genuit inferiora quibus rex esset ; nec ea vicina sibi quibus regnaret assumpsit, quæ nec genuerit ipse nec fecerit, ne sint duo genera boni, quorum neutrum sit ex altero ; sed nec unum indigens altero, quod a tramite veritatis alienum est : restat ut ea lumina quibus regnat, quæ utique bona sunt, quia inferiora sunt, non genuerit ; quia propria sunt, non usurpaverit ; sed fecerit et condiderit Deus.

CAPUT IV. — Si volueris quærere unde fecerit, et imaginari cœperis adjutorium materiæ quam ipse non fecit, ut ibi non videatur omnipotens facere quod vellet, nisi eum aliqua res, quam non fecerat, adjuvaret, rursus inexplicabiles caligines erroris patieris. Sed dicta prophetica sobrio captu intelligentiæ sublimi atque ineffabili majestati aptissime adjungente, *Ipse dixit* [1], *et facta sunt ; ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5) : ita videbis quomodo dicatur in catholica fide, quod Deus de nihilo fecerit omnia bona valde (*Gen.* I, 31). Si enim de aliquo fecit, utique aut de se ipso, aut non de se ipso : sed si de se ipso ; non ergo fecit, sed genuit : cur igitur inferiora genuit? Nam eorum nisi inferiora essent, rex esse non posset. Si non de se ipso ; non utique de aliquo quod ipse non fecit : alioquin de alieno fecit, et erat jam bonum quod ipse non fecerat, unde sibi regnum statueret. Quod si ita est, incipit non esse bonorum

[1] Editi, *quia sicut de animo meo ;* detracta negante particula, quam ex Carnotensi codice restituimus.
[2] Ita Carnotensis Ms. Editi, *similia.*
[3] Ex Ms. eodem addimus, *cur degeneraverunt?*

[1] Editi, *apertissime adjunguntur : Ipse dixit, inquiunt, et facta sunt.*

operum creator; quia erat bonum quod ipse non creaverat: non enim de malo alieno lumina quibus regnaret efficeret. Relinquitur itaque, ut si de re aliqua fecit, de illa fecerit quam ipse jam fecerat.

CAPUT V. — Ita fit ut primas origines condendarum rerum de nihilo Deum fecisse fateamur: nisi quia forte ineffabilis ac sacratissimæ majestatis primogenitum Jesum Christum esse dixisti, non secundum susceptionem hominis, in qua per adoptionem vocatos, sicut Apostolus dicit, et sicut catholica credit fides, fratres [1] habere dignatus est quibus esset primogenitus (*Rom.* VIII, 29); sed potius secundum ipsam divinitatis excellentiam vis eum primogenitum intelligi, ut illa lumina in quibus regnat fratres ejus sint; non facti a Patre per ipsum, sed geniti a Patre post ipsum; ut sint ipsi postgeniti, ille primogenitus, omnes tamen de propria Patris eademque substantia. Quod si ita credis, primum contradicis Evangelio, ubi etiam unigenitus dictus est: *Et vidimus*, inquit, *gloriam ejus tanquam unigeniti a Patre*: quando [2] nullo modo verum diceretur, si sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas, qua consubstantialis est Patri et est ante omnem creaturam, ex eadem substantia fratres haberet. Itaque cum et unigenitum et primogenitum eum divina testentur eloquia; unigenitum, quia sine fratribus; primogenitum, quia cum fratribus: non invenies quomodo utrumque de illo secundum eamdem naturam divinitatis intelligas. Fides vero catholica quæ inter Creatorem creaturamque distinguit, nullam patitur in his duobus nominibus intelligendi difficultatem, unigenitum eum accipiens secundum id quod scriptum est, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 14, 1): primogenitum autem universæ creaturæ, secundum id quod Apostolus ait, *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Coloss.* I, 18); quos ei Pater ad fraternam societatem, non æqualitate substantiæ, sed adoptione gratiæ generavit. Lege itaque Scripturas, nusquam invenies de Christo dictum, quod adoptione sit Filius Dei. De nobis autem sæpissime legitur: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum; adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri* (*Rom.* VIII, 15, 23); *Ut adoptionem filiorum recipiamus* (*Galat.* IV, 4); *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum* (*Ephes.* I, 5); *Gens sancta, populus in adoptionem* [3] (*1 Petr.* II, 9); *Vocavit vos per Evangelium nostrum in adoptionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi* (*II Thess.* II, 12, 13); et si qua talia recordanti vel legenti occurrerint. Aliud est enim per Patris excellentiam esse unicum Filium Dei, aliud per misericordem gratiam accipere potestatem filios Dei fieri credentes in eum. *Dedit eis*, inquit, *potestatem filios Dei fieri*. Non ergo erant natura, cum potestatem ut fierent acceperunt credendo in ipsum, cui unico *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII, 32); ut apud se unigenitum, ad nos primogenitum faceret. Ex illo igitur quod unigenitus est, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est: ex illo autem quod primogenitus in Ecclesia fratribus factus est, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I. 12, 14). Nos quoque in quantum naturaliter filii iræ fuimus (*Ephes.* II, 3), hoc est vindictæ filii, vinculo mortalitatis obstricti, quamvis illo creante atque instituente, qui procul dubio á summis usque ad ima, omnia in mensura et numero et pondere disponit et format (*Sap.* XI, 21), tamen ex carne et sanguine et ex voluntate carnis nati sumus: in quantum autem accepimus potestatem filii Dei fieri, nec nos ex carne et sanguine, aut ex voluntate viri, aut ex voluntate carnis, sed ex Deo, non quidem coæquante natura, sed adoptante gratia nascimur.

CAPUT VI. — Deinde si jam concederem non esse unicum Patri Jesum Christum, secundum ejusdem substantiæ divinitatem, sed habere fratres post se natos quibus esset primogenitus, quomodo rex eorum esse posset? Quæso te, an auderes dicere eo fortiorem natum esse, quo priorem? Puderet certe ita sentire. Non autem ita sentis: quid igitur sentis? Leni animum tuum, et placabilem te redde considerandæ sine pertinacia veritati. Hæc enim etiam abs te requiram, quomodo intelligas primogenitum Jesum Christum in illa divina atque optima æternaque substantia: utrum tempore primus est genitus, ut posteriores natos [1] in illo regno intelligamus quibus est primogenitus; neque possimus dicere quot horis vel diebus, mensibusque aut annis major sit, qui ortus est prior; sed tamen aliquo intervallo atque spatio temporali has generationes discretas esse cogitemus: an vero non tempore, sed ipsa excellentia sublimioris utique majestatis, qua etiam rex esse fratribus luminibus meruit, primogenitum accipiamus, tanquam in aliquo genitum principatu. Si responderis eum tempore fratribus priorem esse atque majorem, ut jam ex hoc ei regnum in fratres delatum [2] esse contendas, quod eos nascendo præcesserit, et aliquando ipse fuerit cum illi nondum essent; quid dicis, frater? Itane præcipitabis cor tuum in hoc impietatis abruptum, ut existimes in illam divinam summamque naturam mutabilitatem temporis cadere, et credas ibi aliquid existere, quod ante non fuerit? An quia oportebat inde adversus tenebrarum gentem lumina progredi, progressiones ipsas generationes vocas, quas temporaliter factas putas, ut temporaliter pugnaretur? Non ergo poterat unum lumen sufficere, quod totum illud bellicum negotium divina virtute perageret. Aut si multis opus erat,

[1] In editis deerat, *fratres*. Et paulo post loco, *fratres ejus sint*, legebatur, *semper ejus sint*. Itemque infra in editione Lov. ita ferebatur: *Quoniam nullo modo verum diceretur, sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas, qua consubstantialis est Patri et est ante omnem creaturam, nisi ex eadem substantia semper haberet*. Hos aliosque passim locos emendamus ex Carnotensi Ms.

[2] Forte, *quod*.

[3] Sic etiam legit Ambrosius, sermone 6, in Psal. 118. Græce est, *laos eis peripoiêsin*.

[1] In Carnotensi Ms., *ut posteriore tempore natos*.

[2] Editi, *regnum insuper delatum*. Castigantur ex Carnotensi Ms.

hocne in spiritualibus sentiendum est [1], ut angustum arbitremur aditum fuisse, qua simul exire non possent, ut ex eo quod unus e fratribus prior exisset, et primogenitus dici et rex fieri cæteris mereretur? Nolo minutatim singula persequi, ne ingenio tuo valenti ex paucis cuncta conspicere, nimis onerosus sim. Erige igitur aciem mentis, nebulas contentionis absterge. Video profecto neque secundum loca, neque secundum tempora, motus, progressus, exortus, occasus, ullasve conversiones [2] fieri posse, nisi in creatura mutabili : quæ tamen nisi esset ex artifice et conditore Deo, non dixisset Apostolus, *Et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula* (*Rom.* I, 25).

CAPUT VII. — In hac enim sententia maxime duo sunt necessaria, quæ mecum intuearis peto : unum, quia si creatura aliena esset a Deo, non ejus creator Deus ab Apostolo diceretur : alterum, quia si unius ejusdemque substantiæ Creator et creatura esset, non reprehenderentur quia servierunt creaturæ potius quam Creatori ; quoniam cuicumque servissent, ab eadem natura atque substantia non recessissent. Quomodo enim nemo potest servire Filio qui non serviat et Patri, quia utriusque est una substantia : sic nemo potest servire creaturæ nisi serviens Creatori, si esset utriusque una substantia. Unde si jam discernis et sapis, plurimum attenderes esse inter Creatorem et creaturam : atque oportet intelligas prolem Creatoris non esse creaturam : nam si esset, non esset inferior, sed æqualis ejusdemque substantiæ [3] ; ac per hoc quisquis coleret eique serviret, simul etiam Creatori ejus et Patri cultum servitutemque præberet. Cum vero reprehenduntur ab Apostolo, et detestabiles habentur qui coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, satis ostenditur illius et hujus diversas esse substantias. Sicut enim non potest videri, hoc est, intelligi Filius, nisi in ipso intelligatur et Pater ; ipse enim dicit, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9) : sic non potest coli Filius, nisi in eo colatur et Pater. Et ideo si creatura Filius esset, non coleretur sine Creatore, neque damnarentur qui creaturam potius quam Creatorem coluerunt. Perspicis itaque jam, ut arbitror, non tibi congruere ut dicas primogenitum secretissimæ atque ineffabilis majestatis, et omnium luminum regem Jesum Christum, nisi manichæus esse destiteris, ut creaturam a Creatore discernas; ut Jesus Christus et unigenitus sit secundum id quod Verbum Dei est, Deus apud Deum (*Id.* I, 1) pariter incommutabilis et pariter æternus, non rapinam arbitrans esse æqualis Deo (*Philipp.* II, 6) ; et primogenitus omnis creaturæ, secundum id quod in ipso condita sunt omnia, in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia. Agnoscis enim, ut opinor, verba Apostoli ad Colossenses (*Coloss.* I, 15, 16).

CAPUT VIII. — Quapropter cum abs te quæro, unde sit facta universa creatura, quamvis in suo genere bona, Creatore tamen inferior, atque illo incommutabili permanente ipsa mutabilis; non invenies quid respondeas, nisi de nihilo factam esse fatearis. Et ideo potest vergere ad nihilum, quando peccat illa creatura, et portio quæ potest peccare, non ut nihil sit, sed ut minus vigeat, minusque firma sit. Nam minus vigere et minus valere, si omnino perducas ad ultimum, remanet nihil. Diligit ergo sponte vanitatem, cum deserta soliditate veritatis opinabilia sequitur, id est, mutabilia. Cum autem inde meritas pœnas luit, subjicitur non sponte vanitati, sicut subjecta est in homine peccante. Hinc enim ait Apostolus, *Omnis creatura vanitati subjecta est, non sponte* (*Rom.* VIII, 20) : quia et in homine omnis est. Inest quippe homini et invisibile quid secundum animum, et visibile secundum corpus : omnis autem creatura partim est visibilis, partim invisibilis : nec tamen omnis in pecore, cui mens intellectualis non inest. In spem sane subjectam esse dicit, propter misericordiam liberantis per remissionem peccatorum et adoptionem gratiæ. Tu vero si fateri nolueris a Patre per Filium in bonitate Spiritus sancti, quæ Trinitas consubstantialis et æterna et incommutabilis semper manet, de nihilo factam esse creaturam, bonam quidem, sed tamen imparem Creatori atque mutabilem; cogeris utique sacrilegia dicere, ut aliquid Deus de se ipso genuerit quod non sit æquale gignenti, et possit subjici vanitati. Aut si æquale dixeris, erit utrumque mutabile. Quæ major impietas, quam ista credere ac dicere et malle perversa opinione Deum in deterius, quam correcta ratione se ipsum in melius commutare? Si autem timueris dicere mutabilem Deum, quia revera magna est et apertissima impietas; dixeris etiam creaturam esse incommutabilem, ut eam parem facias Creatori, et unius ejusdemque substantiæ : rursus tibi tua epistola respondebit. Unde enim est anima illa, quam ponis in medio spirituum, cui *a principio* dicis *naturam suam dedisse victoriam;* eique legem conditionemque proponis, quia *si una cum spiritu virtutum fecerit, habebit cum eo vitam perpetuam, illudque possidebit regnum ad quod Dominus noster invitat; si vero ab spiritu vitiorum incipiat trahi, ac post consensum pœnitudinem gerat, habebit harum sordium indulgentiæ fontem.* Iis certe verbis ex epistola tua recognitis, simul etiam recognoscis, mutabilem te animæ constituisse naturam. Aliquando enim consentire spiritui vitiorum, ac rursus pœnitudinem gerere, quid est aliud quam nunc in melius, nunc in deterius commutari? Et hoc te manifestissima veritas compulit dicere. Ipsa enim anima tua, si dissimulare velles [1], urgeret te attendere mutabilitatem suam, et toties ex quo natus es, per varias voluntates, doctrinas obliviones, consensionesque

[1] Ita Carnotensis Ms. At editi, *hoc nunc spiritualius sentiendum est.*

[2] Vetus codex Carnotensis, *illasve conversiones.*

[3] Editi, *nec sibi esse inferiorem, sed æqualem ejusdemque substantiæ.* Verior veteris codicis Carnotensis lectio hic per nos restituta.

[1] Sic in veteri codice. At in excusis, *nisi dissimulare velles.* Minus recte.

mutata, testis sibi fieret, ac nulla extrinsecus documenta quæritaret.

CAPUT IX. — Nisi forte hoc te adjuvari putas, ut dicas incommutabilem esse animam, quia subjunxisti dicens : *Non enim propria voluntate peccavit, sed alterius ductu; carnis enim commixtione ducitur, non propria voluntate.* In qua sententia forte hoc vis intelligi, ut scilicet anima in natura propria sit incommutabilis, in alterius vero naturæ commixtione mutabilis : quasi vero quæratur cur ita sit, et non quia ita est. Jam hoc modo etiam Hectoris et Ajacis, imo vero cunctorum hominum atque animantium corpora invulnerabilia dicerentur, si abesset ictus et casus, quibus eis vulnus possit infligi. Sed nimirum propterea solius Achillis corpus, sive poetico figmento, sive aliqua occultiore vi rerum invulnerabile dictum est [1], quod etiam tela cum ingruerent, non penetrabatur : et ex qua parte penetrari potuit, ex hac utique invulnerabile non fuit. Sic anima si esset incommutabilis, ita nullius rei permixtione commutaretur, sicut corpus quod est invulnerabile, nullius rei contactu aut impetu vulneratur. Itaque nos quia Dei Verbum incontaminabile dicimus, etiam carne mortali et vulnerabili assumpta, ut nos et mortem et quælibet incommoda corporis contemnere doceret, natum de virgine credere non timemus : vos autem quia impia perversitate contaminabilem Filium Dei creditis, carni eum permittere formidatis ; cujus tamen substantiam animæ naturam [2] esse perhibentes, ita commixtum carni asseveratis, ut etiam in deterius commutatum non dubitetis opinari. Elige igitur quid velis : utrum Deum commutabilem dicere vel credere, ut de commutabilis Patris substantia commutabilem prolem genitam esse pariter credas ; quæ quanta sit impietas, profecto sentis : an incommutabilem Deum dicere, sed tamen de substantia sua prolem genuisse mutabilem ; quod nihilominus vides quam impie absurdeque dicatur : an vero ita Deum incommutabilem confiteris, ut etiam quod de substantia sua genuit, æqualiter non mutetur, pariterque sit summum ac præstantissimum bonum, ipsumque summe esse ad eumdem modum permansione inviolabili obtineat ; cætera vero inferiora bona, quam creaturam vocamus, non de ipso, nam essent æqualia ; sed tamen quia bona, ipse; quia non æqualia, de nihilo fecerit : quod si credis, impius non eris, et oblivisceris Persas, et noster eris.

CAPUT X. — At enim ait Apostolus, *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates* (*Ephes.* VI, 12), qui [3] ad amorem proprii fastus et honoris voluntate impia declinando, animis piis reditum invideant. Sed hoc interest inter vestram opinionem et nostram fidem, quia vos eosdem principes ex sua propria quadam natura exortos, quam Deus nec genuerit nec fecerit, sed habuerit æterna vicinitate contiguam, adversus Deum belligerasse arbitramini, eique intulisse ante [4] commixtionem boni et mali. Magnum primo necessitatis malum, quod illis substantiam suam affligendam perturbandamque, in errore commutandam atque oblivione sui penitus demergendam commiscere cogeretur, ut liberatore, correctore, emendatore, præceptore indigeret. Quod cernis quam stulte fabuloseque dicatur, quanto scelere impietatis obstringat. Nobis autem per christianam fidem persuasum est, non esse contrarium Deo qui summe est, nisi quod omnino non est : quidquid autem aliquo modo est, ab illo qui summe est habere ut quoquo modo sit, atque in suo genere bonum esse; sed alia magis esse, alia minus : atque ita omnia bona quæ a conditore Deo facta sunt, certis ac distributis gradibus ordinata partim locorum intervallis ac sedibus, sicut omnia corporalia; partim meritis naturalibus, sicut anima præponitur corpori ; partim meritis præmiorum atque pœnarum, sicut anima vel attollitur ad quietem, vel doloribus subditur. Ac per hoc illi principes, contra quos habere nos colluctationem dicit Apostolus, pœnam peccatorum suorum priores patiuntur ut noceant. Nullus enim invidus ut alterum lædat, non sibi prior ipse tormento est. Nocent autem infirmioribus fortiores : nam nullus alterum superat, nisi quo est potentior : sed tamen ipsi infirmiores sunt principes iniqui in præsenti [5], quam si in statu pristino atque justitia permanerent. Interest autem unde sit quisque alio fortior ; utrum corpore, ut equi hominibus ; an animæ natura, ut rationale irrationali ; an affectione animi, ut virtuosus injusto [6]; an ordine potestatis, ut imperator milite aut provinciali. Potestas autem a summa Dei potestate omnino dari creditur ; sæpe etiam deterioribus in meliores, id est, iniquis in eos qui vel jam tenent justitiam, vel ad eam tenendam pervenire nituntur : ad hoc enim datur, ut probati per patientiam manifesti fiant (I *Cor.* XI, 19), vel sibi ad spem, vel aliis ad imitationem. *Scientes*, inquit Apostolus, *quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem* (*Rom.* V, 3, 4). Ex quo genere certaminis est, cum homo fidelis adversus principes et potestates prævaricatorum angelorum, et adversus spiritualia nequitiæ colluctatur ; cum illi accipiunt tentandi potestatem, ille præcepta tolerandi : ex quo fit ut in re inferiore superent, in potentiore superentur : superant plerumque corpus infirmius, et mente firmiore superantur [7]. Contra vim quippe eorum patientia pugnatur, contra insidias prudentia ; ut ad perniciosam consensionem nec cogendo nos flectant, nec fallendo decipiant. Quoniam vero virtus [8] et sapientia Dei est, per quam facta sunt omnia ; pro-

[1] Ita codex Carnotensis. At editi, *occultiori ut in rerum natura invulnerabile dictum est.*

[2] Am. et Carnotensis Mss., *cujus tamen substantia in animæ naturam esse*, etc.

[3] Sic editi. At Mss., *quæ.*

[4] Editi, *intulisse arte.* Carnotensis codex, *intuli se ante*: supple, *bellum.*

[5] Vetus codex Carnotensis omittit, *in præsenti.*

[6] Idem codex Carnotensis, *ut justus injusto.*

[7] Editi Er. et Lov., *superatur plerumque corpus infirmius, et tenente firmiore superatur.* Castigantur ope codicis Carnotensis.

[8] Editi : *Quoniam jure virtus*, etc., paulo post, *propterea nihil fiunt quæ facta sunt, cum superiora*, etc. Emendantur ex eodem Carnotensi codice.

pterea in his quæ facta sunt, cum superiora ad inferiora declinant, ubi est omne peccatum et omne quod dicitur malum, vis imitatur virtutem, et fallacia sapientiam : cum vero ea quæ declinaverant recurrunt, et redeunt, magnanimitas virtutem, doctrina sapientiam imitatur. Ipsum etiam Deum Patrem peccantes imitantur impia superbia, justi pia liberalitate. Spiritum denique sanctum iniquorum cupiditas, rectorum charitas imitatur : utrique tamen ab imitatione Dei, a quo et per quem et in quo naturæ ipsæ factæ sunt, recedere, sed illi vitiosa, illi laudabili. Nec mirum si quando proficientes deficientesque confligunt, imitatio deficientium a proficientium imitatione superatur : illi enim elatione præcipitantur, isti humilitate consurgunt.

Si autem movet cur mente fortiores infirmiores sint corpore; non est mirum, ut peccatorum remissione liberati, mortalitate corporis exerceantur, cujus immortalitate coronabuntur. Non enim facile supplicium devitatur, nisi ille qui eo solvitur [1], meritis vicerit. Unde Apostolus : *Si autem Christus in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum Christum ex mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum ex mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VIII, 10, 11). Animus igitur mortalem propter supplicium peccati carnem gerens, si commutatus in melius, non secundum mortalem carnem vixerit; et ipsam in melius commutat, et immortale corpus habere merebitur : sed hoc in fine, quo novissima inimica destruetur mors, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem : non fabuloso illo globo vestro; sed ea mutatione de qua dicit, *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Cum enim expressisset dicens, *Et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur*; tunc contexendo subjunxit, ostendens qualem diceret immutationem, et ait : *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Quæstionem quippe tractabat de corpore resurgentium, quam sic posuerat : *Sed dicet aliquis, Quomodo resurgent mortui? quo autem corpore venient* (1 *Cor.* XV, 26, 51, 52, 53, 35)? Lege itaque totum ipsum locum pia cura intentus, non pertinaci contentione turbatus, et ingenium tuum Deo adjuvante, nullo explanatore desiderato, nihil aliud quam id quod dico reperies : et tunc ad illud quod tractare instituceramus animum revoca, et vide jam, si potes, non hoc me dicere, quod justi contra nihil pugnant, sed contra eas substantias quæ defecerunt non stando in veritate.

CAPUT XI. — Deficere autem non jam nihil est, sed ad nihilum tendere. Cum enim ea quæ magis sunt, declinant ad ea quæ minus sunt, non illa in quæ declinant, sed illa quæ declinant deficiunt, et minus esse incipiunt quam erant : non quidem ut ea sint ad quæ declinaverunt, sed pro suo genere minus. Non enim cum animus ad corpus declinat, corpus efficitur; sed tamen defectivo appetitu quodam modo corporascit : ita et angelica quædam sublimitas, cum magis delectata est suo dominatu in se ipsa, ad id quod minus est inclinavit affectum, et minus esse cœpit quam erat, et pro suo gradu tetendit ad nihilum. Quanto enim quæque res minus est, tanto vicinior nihilo est. Cum autem isti defectus voluntarie fiunt, recte reprehenduntur, et peccata nominantur. Cum autem sequuntur istas voluntarias defectiones incommoda, molestiæ, dolores, adversitates, quæ omnia contra voluntatem patimur : recte utique peccata vel suppliciis puniuntur, vel exercitationibus diluuntur. Quæ si animo sereno intueri velis, profecto desines accusare naturas, atque ipsas in crimen vocare substantias. Siquid autem de hac re copiosius explicatiusque desideras, lege tres libros nostros qui inscribuntur, De Libero Arbitrio, quos in Campania Nolæ poteris invenire apud Paulinum nobilem Dei famulum.

CAPUT XII. — Nunc vero meminisse debeo, epistolæ me tuæ, quamvis multo longiore, tamen epistolæ respondere. Ideo quippe in aliis non tacui, ne ubique cogar eadem dicere. Sed promiseram ex litteris tuis tibi persuadere, quam falsa credideris, et quam vera sit fidei catholicæ assertio. Certe enim omnis inter nos discretio est, quod vos substantiam quamdam malum esse dicitis : nos vero non substantiam, sed inclinationem ab eo quod magis est, ad id quod minus est, malum esse dicimus. Audi igitur idipsum [1]. Ponis enim in epistola, et dicis de anima, quod carnis permistione ducatur ad peccatum, non propria voluntate : atque ibi statim, credo cum videres, si ita est, subveniendum esse ab omnipotente Deo prorsus omni animæ, nullamque omnino debere damnari, quoniam non voluntate peccaret, quo constituto everteretur sententia quam Manichæus de suppliciis animarum etiam de lucis parte venientium terribiliter personat; vigilantissimè subjecisti dicens, *At si, cum se ipsam cognoverit, consentiat malo, et non se armet contra inimicum, voluntate sua peccavit.* Bene quidem quod aliquando confiteris fieri posse ut sua voluntate anima peccet : sed cui tandem malo si consentiat, voluntate sua peccat? Ei certe quod substantiam dicis esse.

CAPUT XIII. — At ego jam tria quædam video : tu quoque, ut opinor, mecum vides. Anima enim consentiens malo, et ipsum malum cui consentitur duo sunt, tertia est autem ipsa consensio : non enim et hanc esse animam dicis, sed animæ. Horum igitur trium, ecce anima substantia est; malum etiam illud, cui anima consentiendo voluntarie peccat, ex vestra opinatione substantia est : quæro igitur quid sit ipsa consensio, utrum ipsam substantiam, an in substantia esse dicatis. Si enim substantiam esse dixeris, non jam duas substantias, sed tres opinaberis. An propterea duas, quod animæ consensio, qua consentit malo, ejusdem substantiæ est cujus ipsa anima? Jam ergo quæro, malane an bona sit ista consensio. Si bona est, non utique peccat anima, cum consentit

[1] In excusis, *qui eos solvit*; melius in Carnotensi Ms., *qui eo solvitur*. Postea autem legendum videtur, *melius vixerit*.

[1] Carnotensis Ms.: *Audi igitur et ipsum*.

malo. Non solum autem veritas clamat, sed tu quoque scribis, tunc eam voluntate peccare. Mala est igitur ista consensio, ac per hoc etiam animæ substantia; si et animæ substantia est, et utrumque una substantia. Videsne quo coactus es; ut animam et illud malum, non jam unam substantiam bonam, alteram malam, sed duas malas esse perhibeas? Hic fortasse conaberis consensionem culpabilem non animæ tribuere quæ consentit malo, sed ipsi malo cui consentit; ut hoc modo possint esse duæ substantiæ, una bona, altera mala: cum anima de parte boni esse dicitur; consensio vero ejus qua consentit malo, et malum ipsum cui consentit, simul ex alia parte constituitur, et anima malæ substantiæ utrumque deputatur. Quis absurdius deliraverit? Non enim anima consentit, si non est ejus consensio: ipsa autem consentit; ejus est igitur. Porro si ejus est consensio, et mala est ista consensio; ejus est hoc malum. Nam si et hoc malum illius mali est cui anima consentit, non habebat necesse hoc malum priusquam ei consentiret anima. Quale igitur bonum est anima, cujus adventu vel duplicatur illud malum, vel ut mitius dicamus, augetur?

CAPUT XIV. — Deinde si substantia est ista consensio, quam malam esse constat, invenimus esse in animæ potestate ut aliqua substantia mala vel sit vel non sit: quandoquidem ista consensio in animæ potestate est. Nam si non est, non ergo sua voluntate consentit. Tu autem pro hac consensione, voluntate sua peccare dixisti. Habet ergo anima, ut dixi, in potestate, ut quædam mala substantia vel sit vel non sit. Quid est autem aliud substantia quam natura? Erit ergo aliqua natura quæ nec animæ naturalis sit, quoniam si nolit, non erit; nec illi malo cui anima voluntate consentit: non enim potestis dicere naturale malum esse gentis tenebrarum, quod ibi aliena voluntate instituitur, hoc est, animæ voluntate. Cui ergo naturæ deputabitur ista natura, id est, ista consensio, si natura est quæ neque animæ, neque tenebrarum genti naturalis est, nisi ut contra Manichæum disputes, non duas, sed tres esse naturas? Quia et si aliquando fuerunt duæ, nunc tamen jam postaquam exorta est ista consensio, tres utique factæ sunt. Quam sane tertiam, quæ nata est ex anima consentiente, et ex malo cui consentit, quasi utriusque filiam cogeris dicere: sed cum ex duabus naturis nata sit, quarum altera bona est, altera mala, quæro cur non aliquod neutrum natum sit. Sicut enim ex equo et asino quod nascitur, nec equus nec asinus est; ita quod de bona natura et mala natum est, si et ipsa natura est, nec bona nec mala esse debebat. Tu autem consensionem malam esse confiteris: dicis enim tunc animam voluntate sua peccare, dum consentit malo. An forte naturam bonam et naturam malam quasi duos sexus, masculinum et femininum esse arbitraris; ut quemadmodum ex masculo et femina non aliquid neutrum, sed aut masculus aut femina gignitur, sic ex bono et malo non aliquod tertium, quod nec bonum esset nec malum, sed alterum malum esse contendas natum? Quod si ita est, ubi est illa victrix animæ natura? Itane separata[1] est, ut non alterum bonum potius nasceretur? Deinde non vides te sexus diversos jam dicere, non naturas? Nam si inter bonum et malum naturarum esset diversitas, non oriretur ex utroque nisi aliquod tertium, quod nec bonum posset esse nec malum: aut certe sterilis esset ipsa commixtio, nec inde tertia substantia pareretur. Si enim ex illis animalibus quæ supra commemoravi, cum sibi miscentur, nihil aliud quam mulus vel mula gignitur, quod neque hoc, neque illud sit; quanto magis ita fieri oportuit in tam magna et summa diversitate boni et mali? Aut si nulla ex eorum commixtione nova natura existeret, mala non esset, etiamsi bona esse non posset. Restat igitur ut tam incredibilia deliramenta vitare nequeamus, nisi illam consensionem, quam constat malam esse atque culpabilem, fateamur non esse substantiam, sed in aliqua substantia esse dicamus.

CAPUT XV. — Deinde in qua substantia sit, diligentissime requiramus. Quanquam cui non manifestum sit, ut sicut suasio non fit nisi in suadente, ita consensionem non esse nisi in consentiente natura? Anima ergo cum consentit malo, ipsa substantia est[2], consensio vero ejus non est substantia. Jam cernis, ut arbitror, in qua substantia sit; id est, in anima esse istam consensionem profecto vides, quam consensionem peccatum esse, ac per hoc malum esse non dubitas. Ex quo jam intelligis fieri posse ut in bona substantia, sicuti est anima, sit aliquod malum quod non est substantia, sicuti est ista consensio, ex quo malo appelletur etiam anima mala. Peccatrix enim utique mala est: peccat autem, cum consentit malo. Una igitur eademque res, id est, anima, in quantum substantia est, bona est; in quantum autem habet aliquid mali quod non est substantia, id est, consensionem istam, in tantum mala est. Non enim ex profectu, sed ex defectu habet hanc consensionem. Deficit quippe cum consentit malo, minusque jam esse, ac propterea minus valere incipit, quam valebat dum nulli consentiens in virtute consisteret; tanto utique deterior, quanto ab eo quod summe est ad id quod minus est vergit, ut ipsa etiam minus sit. Quanto autem minus est, tanto utique fit propinquior nihilo. Quod enim minus quoque fit, eo tendit ut non sit omnino: quo quamvis non perveniat ut penitus pereundo nihil sit, manifestum est tamen quemlibet defectum exordium esse pereundi. Aperi ergo jam cordis oculos, et intuere, si potes, bonum aliquod esse quamlibet substantiam; et ideo malum esse defectum substantiæ, quia bonum est esse substantiam. Nec tamen omnem defectum esse culpabilem, sed solum voluntarium, quo anima rationalis ad ea quæ infra illam sunt condita conditore suo derelicto declinat, affectum: hoc est enim quod peccatum vocatur. Cæter autem defectus qui non sunt voluntarii, vel pœnales sunt, ut peccata puniantur moderatrice summa atque

[1] Forte, *superata*.

[2] Sic Carnotensis Ms. At editi, *cum consentit, mala ipsa substantia est*.

ordinatrice justitia; vel mensuris rerum infimarum interveniunt, ut præcedentia succedentibus cedant, atque ita omnis temporalis pulchritudo vicibus suis atque suo genere peragatur. Sicut enim sermo peragitur quasi morientibus atque orientibus syllabis, quæ per morarum certa intervalla tenduntur, et spatiis suis impletis ordinata consequentium successione decedunt, donec ad finem suum tota perducatur oratio; nec in ipsis decurrentibus sonis, sed in loquentis moderatione positum est, quantum producatur corripiaturve syllaba, vel qua specie litterarum singulæ suorum locorum momenta custodiant; cum ars ipsa quæ sermonem facit, nec sonis perstrepat, nec pervolvatur [1] varieturque temporibus: sic ortu et occasu, decessu atque successu rerum temporalium, certis ac definitis tractibus, donec recurrat ad terminum præstitutum, temporalis pulchritudo contexitur. Quæ non ideo mala est, quia in spiritualibus creaturis possumus intelligere mirarique meliora: sed habet proprium in suo genere decus, atque insinuat bene viventibus summam Dei sapientiam, in alto secretam, supra omnes temporum metas, fabricatricem ac moderatricem suam.

CAPUT XVI. — Age, nunc attende illud quod dicebas malum, cui anima consentiendo voluntarie peccat, utrum substantia sit aliqua, an vero nec ibi possis accusare substantiam. Quæro enim, quid alliciat animæ consensionem, an irruat illa cassatim, et propterea consentire dicatur, quia ejus aliqua delectatione movetur ad fruendum. Quod si ita est, non est consequens ut propterea malum dicatur, quia non recte diligitur. Si enim ostendero amari aliquid male, ubi non amati, sed amantis culpa teneatur; profecto fateberis cujusque rei speciem non esse continuo vitiosam, quia vitiose in eam consensio cupientis illabitur. Quod quantum me adjuvet, post apparebit. Sed ut ostendam quod pollicitus sum, quid potius eligam, cum me rerum copia circumfluat? quid, inquam, potius eligam, quam id quod nos ut creaturam laudamus cœlestem, vos autem ut portionem ipsius Creatoris adoratis? Quid enim inter cuncta visibilia isto sole præclarius? At si quisquam ejus lucem immoderatius concupiscat, infert suis oculis [2] bella jurgiorum, si aliquam potestatem nactus qua possit implere quod appetit, domos eorum oppositas suis fenestris apertis intuetur, quo minus [3] sol penetralia ejus cœlo apertiore perfundat. Numquid ergo solis est vitium, quia ille lucem istam sic dilexit, ut eam luci justitiæ præponere auderet, et volens lumen oculorum carnalium abundantius excipere in habitaculum corporis, januam cordis et aciem mentis contra lumen claudere æquitatis? Vides ergo amari posse rem bonam, amore non bono. Quapropter, cum tu malum dicas cui consentiendo anima peccat; ego bonum dico in genere suo, sed tale bonum cui animam quo est melior consentire non deceat. Cum enim sit ipsa corpore superior, Deumque habeat se superiorem, quamvis in ordine suo natura corporis bona sit, peccat tamen anima, et peccando fit mala, si consensionem dilectionis quam superiori Deo debet, inferiori corpori adjungat.

CAPUT XVII. — Quod si dicis, non eam vocare te consensionem culpabilem, cum res illa diligitur, quæ non agit ut sibi consentiatur; sed tunc consentire animam, cum illum cui consentit aliquid suadet aut aliquid cogit; et propterea malum esse, quia ut aliquid mali committatur, suadet aut urget: secunda quæstio est, et ordine suo jam jamque etiam ipsa tractanda. Sed meminerimus hic primum peccati, de quo satis, ut arbitror, disputatum est: claruitque fieri posse ut res aliqua in suo genere bona male diligatur, et dilectore culpato [4] ipsa non reprehendatur. Quid enim, si tali jam dilectione peccatrix anima atque vitiosa idem peccatum alteri persuadeat, nonne et illa (*a*) quæ persuadenti consentit, tali vitio depravata, quali vitio depravata illa quam sequitur? Primum ergo peccatum est, quamvis bonam creaturam Creatori in dilectione præponere: secundum autem, alterum quoque ut id faciat vel suadendo vel cogendo tentare. Nemo enim ad pravitatem vult alium perducere, qui non prior ipse depravatus est. Voluntate autem peccant [5], qui alios ad peccatum perducere cupiunt, vel stulta benevolentia, vel malitiosa invidentia. Quis enim filios suos nisi perverse amando monet, ut nullum lucrum turpe existiment, sed undecumque acquirant amplam pecuniam? Utique non odit eos, et tamen perniciose persuadet. Talium quippe dilectione jam ipse corruptus est, cum aurum et argentum malum non sit; quemadmodum et ille sol, de quo superius egimus; sed tamen rei bonæ dilector inordinatus in culpa sit. Invidentia vero, cum alium vult quisque peccare, honorem diligit immoderata superbia, et in eo cupit excellere, atque cæteris anteire; quem quidem videt [6] amplius et verius deferri virtutibus, ne in eo superetur, cupit alios ad iniquitatis voraginem ex æquitatis arce deponi. Hoc modo diabolus suadere aut cogere ad peccata conatur. Sed numquid ipse bonor in culpa est, quia cum diabolus perverse atque impie diligendo impius factus est? Aut ipsa ejusdem diaboli angelica substantia, quam Deus creavit, ideo mala est, quia substantia est? Sed cum ejus deserens dilectionem, et ad suam nimis conversus [4], ei videri cupit æqualis, superbiæ tumore dejectus est. Non ergo in quantum substantia est, sed quoniam substantia facta est, in quantum se ipsum amplius dilexit quam eum a quo factus est, malus est; et ideo malus, quia minus est quam esset, si id quod summe est dilexisset: defectus ergo malus est. Omnis ergo defectus ab eo quod est, tendit ut non sit: sicut

[1] In Carnotensi Ms., *nec provolvatur*.
[2] Forte, *infert vitiis*.
[3] In Ms. Carnotensi, *suis fenestris anima quominus*, etc. Locus perplexus et mendosus.
[4] Sic vetus codex Carnotensis. At editi, *dilectione culpata*.
[5] Forte, *quem quia videt*.
[6] Idem codex Carnotensis, *Volunt autem qui peccant*.
[4] Idem codex, *et ad sua nimis conversus*.
(*a*) Forte, *nonne est illa*, juxta Morel, Elem. Critic., pag 300. M.

omnis proiectus ab eo quod minus est, tendit ut magis sit. Honor quippe summus, qualem pietas religiosorum exhibet, utique Deo debetur. Qui ergo amat honorem, Deum imitatur. Sed humiles animæ in illo se honorari volunt; superbi, præ illo. Ad Deum autem humiles, excelsiores fiunt justis; contra Deum vero excelsi, humiliores fiunt justis : ea scilicet dispensatione præmiorum atque pœnarum, quia illi Deum amaverunt supra se, illi pro Deo amaverunt se.

CAPUT XVIII. — Jam, ut arbitror, facile est tibi intelligere ex ipsius verbis epistolæ tuæ, quibus dixisti, *animam, cum consentit malo, voluntate peccare*, nullum malum esse naturam malam, vel dilectionem naturæ malæ : sed cum omnes naturæ in suo genere bonæ sint, malum esse peccatum quod fit voluntate animæ, cum diligit pro ipso Creatore creaturam; sive suo nutu, cum sit mala; sive alterius persuasu, cum consentit malo. Et nihilominus sic quoque fit mala, consequentibus suppliciis, ut pro meritis omnia disponantur a Creatore summe bono in creatura bona; sed non summe bona, quia non eam genuit de se ipso, sed fecit ex nihilo. Tu autem constituisti duas naturas, quarum unam vis bonam esse, alteram malam; vel potius unam boni, alteram mali : nam mala natura ex bona etiam peccando fit. Fateris tamen eam naturam quam bonam esse dicis, malo consentiendo male facere, hoc est, voluntate peccare. At ego ambas bonas esse assero, sed unam earum male facere suadendo, aliam male facere consentiendo. Sicut autem alterius consensio non est natura, sic nec hujus suasio : sicut et ista si non consentiat, bona permanebit, integritatem naturæ suæ custodiens; sic illa si non suadeat, emendatior erit. Si vero etiam peccatum quod non suadet, nec ipsa committat; pariter erunt integræ, atque in suo genere laudabiles. Et si enim hæ illa peccat quæ et committit et suadet, illa autem semel si tantummodo ad male faciendum consentiat; tamen peccatis fiunt malæ, non natura sunt malæ. Aut si propter suasionem natura ista mala est, sic et illa propter consensionem. Sed si pejus tibi videtur esse suadere quam consentire, sit ista mala, ista pejor : non tamen tanta sit acceptio personarum, et non tam iniqua in judicando gratificatio, ut cum ambæ peccent, quamvis una gravius, altera levius, una dicatur natura mali, altera boni : ac non potius aut ambæ bonæ, sed illa melior quæ peccat minus; aut ambæ malæ, sed illa pejor quæ peccat amplius.

CAPUT XIX. — At enim unde est malum factum quod peccatum vocatur, si nulla est mali natura? Dic mihi unde sit illa consensio mala in ea natura, quam bonam esse concedis et prædicas. Quidquid enim patitur, ut consentiat malo, non utique pateretur, nisi pati posset. Quæro itaque unde habeat ipsum pati posse. Melior enim esset, si non haberet. Non ergo natura summi boni, qua posset esse aliquid melius. Deinde si habet in potestate vel consentire vel non consentire, non ergo victa consentit. Quæro igitur unde habeat istam consensionem malam, nulla contraria cogente natura. Si autem cogitur consentire, ita ut non sit in ejus potestate aliter facere; non ergo, ut dicebas, voluntate peccat, quando non voluntate consentit. Sed ego adhuc quæro, unde in illa sit posse decipi, si decipitur. Antequam enim deciperetur, nisi esset in ea ut hoc pati posset, nunquam utique pateretur. Quanquam nullo modo nisi voluntate consentit : si autem cogitur, cedere potius quam consentire dicenda est. Sed quoquolibet nomine istud appelles, quæro abs te acuto et solerti viro, et a tuo Romano ut gloriaris ingenio, unde habeat ista boni natura pati posse quod patitur, ut consentiat malo. Sicut enim in ligno, antequam frangatur, inest fragilitas, quæ nisi inesset, frangi omnino non posset; nec ideo non est fragile lignum, si nullus fractor accedat : sic quæro in ista natura, unde sit quædam vel fragilitas vel flexibilitas, antequam ad malam consensionem vel vi frangatur, vel suasione flectatur. Aut si mali vicinitate jam fragilitas erat, sicut solent corpora vicinæ paludis exhalatione corrumpi; jam ergo corruptibilis erat, si potuit eam vicinitatis illius contagio pestilentiosa corrumpere. Quæro igitur unde illa corruptibilitas.

Quæso, attende quid loquar, et cede perspicuæ veritati : non enim quæro unde corruptio; respondebis enim, A corruptore; eumdemque corruptorem nescio quem principem gentis tenebrarum esse contendis, ut etiam fabulosis tegminibus involutum evolvere ac tenere vix possit : sed quæro unde corruptibilitas, etiam antequam corruptor accederet; quæ nisi esset, aut nullus existeret, aut nihil noceret cujuslibet corruptoris accessio. Cum ergo tu inveneris unde in bona natura ista corruptibilitas, antequam a natura contraria corrumpatur; aut si non vis eam dicere corrumpi, unde certe ista mutabilitas, antequam ex hostili adversitate mutaretur : non enim non mutatur natura in deterius, quæ fit ex sapiente stulta, et quæ obliviscitur sui; tu enim ista verba apposuisti, dicens, *Si cum se ipsam cognoverit, consentiat malo* : mutatur ergo in deterius cum obliviscitur, sic ut se ipsam [1] rursus commemoratam cognoscat; nullo autem pacto mutari potuisset, nisi antequam mutaretur esset mutabilis : cum ergo tu inveneris unde ista mutabilitas in substantia summi boni, antequam esset ulla boni et mali facta commixtio; profecto desines a me quærere unde sit malum. Quanquam in natura summi boni, si eam recte cogites, nullam prorsus mutabilitatem temporis inveniri, nec a se ipsa, nec alterius cujuslibet accessu possit, sicut in ea natura quam Manichæus fingit, et summe bonam esse arbitratur, vel etiam sibi credentibus persuadet. Quære atque responde, si potes, unde ista mutabilitas, quæ non inventa, sed prodita est, cum mora accederet (*a*)? Mutari enim nec ab hoste posset, si mutari omnino non posset. Cum autem potuit, non se fuisse incommutabilem demonstravit. Hæc ergo mu-

[1] Editio Am. et Ms. Carnotensis. *si ut se ipsam*. Forte legendum, *cum oblivi citur sui, ut se ipsam*.

(*a*) Forte, *quæ non invecta, sed prodita est, cum hostis* (id est, corruptor) *accederet*.

tabilitas cum esse in substantia summi boni, hoc est, in substantia Dei creditur, si contentiosus non es, vides quanta insipientia blasphematur. Cum vero de creatura tale aliquid dicitur, quam Deus nec genuit nec protulit de substantia sua, sed fecit ex nihilo; non de summo bono agitur, sed tamen de tali bono, quod nisi a summo, qui Deus est, non posset institui. Deus quippe summe bonus atque incommutabiliter, omnia non summe nec incommutabiliter bona, sed tamen bona fecit, ab Angelis cœlorum usque ad extremas bestias herbasque terrarum, pro sua cujusque dignitate naturæ omnia locis congruis ordinata. Verum in his rationalis creatura, cum creatori, hoc est, factori et institutori suo Deo dilectionis obedientia cohæret, naturam suam in illius æternitate, veritate, charitate custodit: cum vero eum contumaci inobedientia deserit, per suum liberum arbitrium peccatis se involvit, per illius autem justum judicium supplicio misera afficitur; et hoc est totum malum, partim quod injuste facit, partim quod juste patitur. Hoc tu a me non quæras unde sit, cum tibi jam ipse responderis, qui dixisti, quod *cum se ipsam cognoverit anima, si malo consenserit, voluntate sua peccat.* Ecce unde est malum, a propria scilicet voluntate. Non autem ista natura, sed culpa est; ac per hoc etiam contraria naturæ, cui utique nocet privando eam bono, quo beata esse posset, si peccare noluisset. Hanc tu peccati voluntatem moveri non putas in anima, nisi ex alio malo quod credis esse naturam, quam non fecerit Deus, eamque animam naturam Dei esse contendis: ac per hoc ista mali nescio quæ natura, si hanc in anima peccati (*a*) suadendo facit, in peccatum victus dejicitur Deus.

CAPUT XX. — Ecce quanta impietate, quam nefariis horrendisque blasphemiis te non vis exuere, ponendo in natura quam non fecit Deus, vitam, sensum, sermonem, modum, speciem, ordinem, et alia innumerabilia bona; et ponendo in ipsa Dei natura ante ullam commixtionem mali, ipsam mutabilitatem qua capi poterat, et cui timere cogebatur, *videns magnam labem ac vastitatem adversus sua sancta impendere sæcula, nisi aliquid eximium ac præclarum et virtute potens numen opponeret* (*Ex Manichæi Epistola, quam vocabant Fundamenti*). Et utquid hoc totum, nisi ut illa Dei natura atque substantia sic implicatum teneat hostem subjectum, ut peccans perferat et ligatum, nec totum evadat purgata jam victum, et ut damnata servet inclusum? Præclaram vero excusationem [1] bellicæ necessitatis in Deo vestro invenistis, contra illud quod vobis proponitur, ut respondeatis quid factura erat Deo gens tenebrarum, si cum ea pugnare noluisset: quam si dixeritis aliquid fuisse nociturum, fatebimini corruptibilem et violabilem Deum; si autem dixeritis quod ei nocere non posset, quæretur a vobis, Cur ergo pugnavit? Cur substantiam suam corrumpendam atque violandam et ad peccata omnia cogendam hostibus tradidit? Contra istam ergo complexionem nunquam exire potuistis.

Magnum aliquid vobis et totum invenisse videmini, ut respondeatis dicentes: Magna est iniquitas appetere aliena, cui Deus iniquitati præbuisset assensum, si eam gentem quæ hoc ausa fuerat, expugnare noluisset. Haberet ista responsio qualemcumque justitiæ colorem, si saltem in ipso bello natura Dei vestri se integram impollutamque servasset, et permixta hostilibus membris nihil iniquitatis vel coacta vel seducta fecisset: cum vero tantis facinoribus et flagitiis eam captivam consentire dicatis; cum denique ab illa impietate tam immani, qua etiam lumini sancto, cujus portio est, exstitit inimica, nec totam perhibeatis posse purgari, unde illi merito retribuere creditis horrendi illius globi æterna supplicia; quanto satius erat inimicum hostem in sua iniquitate relinquere inania molientem, quam tradere ei partem Dei, cujus vires hauriret, cujus decorem corruptum suæ iniquitati sociaret, quis non videat? Quis tanta obstinatione cæcetur, ut non sentiat, non attendat, quanto minore iniquitate gens tenebrarum frustra naturam invadere conaretur alienam, quam Deus invadendam et ad iniquitatem cogendam, et ad pœnam ex aliqua etiam parte damnandam traderet suam? Hoccine tandem est iniquitati consentire noluisse, et tam ingentem iniquitatem sine ulla necessitate fecisse? An erat necessitas, quod ipsum Manichæum dicere non puduit, et vos pudet? Ille quippe ait, *vidisse Deum magnam labem ac vastitatem adversus sua sancta impendere sæcula, nisi aliquod eximium et virtute potens numen opponeret.* Vos autem acutius videlicet ratiocinamini, quam si [1] Deum dixeritis ea necessitate pugnasse, ne noceret ei gens tenebrarum, violabilem et corruptibilem dicentes Deum, cui nocere aliquid posset, si pugnare noluisset. Abigite ergo et expellite a cordibus vestris et a fide vestra, etiam ipsam pugnam; totamque illam fabulam, impiarum et immundissimarum blasphemiarum horrore contextam, tandem aliquando anathemate atque damnate. Nam quale est, obsecro te, quod, ut ante dictum est, violabilem illam naturam et corruptibilem Deum dicere non timetis; ut natura Dei vestri, si fortitudinem qua non caperetur non potuit exercere, non potuerit saltem justitiam captiva servare: quod Daniel potuit, qui leones ausus est irridere, qui eorum a quibus captivus ductus fuerat [2], iniquitati etiam pietate sua nullo compulsus terrore consensit, nec in conditione corporalis servitutis æquitatem ac libertatem animi patientis et sapientis amisit (*Dan.* VI *et* XIV). Natura vero Dei captiva ducta est, iniqua facta est; non potest tota purgari, cogitur in fine damnari. Quod malum sibi futurum si sciebat ex æternitate, illi nulla divinitas de se debebatur: si autem vel terris vel regionibus sibimet vicinitate contiguis regni lucis [3] et gentis tenebrarum,

[1] Ita Carnotensis Ms. Editi vero, *exclusionem.*
(*a*) Forte, *peccati voluntatem.*

[1] Am. codex et Carnotensis, *quasi.*
[2] Sic vetus codex Carnotensis. At editi, *qui leges omnes ausus est irridere eorum, a quibus ductus fuerat: iniquitati etiam*, etc.
[3] Editi, *sibimet in civitate contiguis regni locis*, etc. Errata hic multa, quæ ope Carnotensis codicis castigare omnia non licuit.

quæ ab hominibus prudenter intelligentibus ridenda Manichæus narrat, inenarrabilia esse dixisti, et hæc a Christo appellari dexteram et sinistram; novimus sic appellare Christum dexteram et sinistram, ut non corporalia loca, sed beatitudinem miseriamque sui cujusque meriti velit intelligi. Sed carnalis vestra cogitatio, adeo a locis corporalibus non recedit, ut solem istum visibilem, ac per hoc corporeum, qui contineri nisi corporali loco non potest, et Deum et partem Dei esse dicatis. Verum de his vobiscum agere stultum est: quid enim incorporeum intelligere poteritis, qui Deum incorruptibilem nondum creditis?

CAPUT XXI. — Sed videlicet bonus amicus benigne a me objurgas, Manichæos quod reliquerim, et me ad Judæorum Libros contulerim. Ipsi sunt qui vestrum errorem fallaciamque suffocant: in eis quippe prophetatus est Christus, qualem Dei veritas reddidit, non qualem Manichæi vanitas finxit. Sed homo urbanissimus exagitas antiquam Scripturam, eo quod scriptum sit in propheta, *Et fac filios de fornicatione, quoniam fornicabitur terra a Domino* (*Osee* I, 2); cum audias in Evangelio, *Meretrices et publicani præcedent vos in regnum cœlorum* (*Matth.* XXI, 31). Novi unde veniat indignatio tua: non enim tibi tam fornicaria displicet in fornicatione, quam quod in matrimonium commutata est, et conversa ad pudicitiam conjugalem; ubi Deum creditis vestrum in procreando filios arctioribus carnis vinculis colligari: cui putatis parcere meretrices, quia dant operam ne concipiant, ut ab officio pariendi liberæ, libidini serviant. Feminæ quippe conceptus apud vos carcer est et vinculum Dei. Hinc tibi etiam illud displicet, *Erunt duo in carne una;* cum hoc in Christo atque Ecclesia sancta magnum mysterium commendet Apostolus [1] (*Gen.* II, 24, *et Ephes.* V, 31, 32). Hinc displicet, *Crescite, et multiplicamini* (*Gen.* I, 28); ne Dei vestri multiplicentur ergastula. Me autem fateor in Ecclesia catholica didicisse, sicut animam, ita et corpus, quorum alterum præditum, alterum subditum est; ita bonum animæ ac bona corporis, non esse nisi a summo bono, a quo sunt omnia bona, sive magna, sive parva; sive cœlestia, sive terrestria; sive spiritualia, sive corporalia; sive temporalia, sive sempiterna: nec ideo ista reprehendenda, quia illa præferenda.

CAPUT XXII. — Illud vero quod inter culpanda ponis, *Macta, et manduca* (*Act.* X, 13); etiam in Actibus Apostolorum spiritualiter positum est. Verumtamen et corporaliter, non est cibus in vituperatione, sed luxus: præcipue vobis, etiam carnaliter accepta hæc sententia placere debuit, ut mactaretis carnes, ac sic carceribus fractis de misera custodia deus vester aufugeret, et si quæ ejus ibi reliquiæ remansissent, manducando eas in officina aqualiculi purgaretis. Insultas, quod mihi doluerit sterilitas Saræ. Non plane hoc ego dolui, quia et ipsa prophetica fuit. Vestris autem sacrilegis fabulosis congruit, non sterilitatem Saræ, sed fecunditatem dolere; quia omnis feminæ fecunditas, dura est Dei calamitas: unde non mirum est, quia in vobis maxime impletur quod de talibus prædictum est, *Prohibentes nuptias* (I *Tim.* IV, 3). Neque enim tam concubitum, quam nuptias detestamini: quoniam in eis concubitus causa propagandi, non vitium, sed officium est: a quo immunis est continentia virorum feminarumque sanctarum; non quia sicut malum illud devitaverunt, sed quia melius elegerunt. Quanquam patrum et matrum, quales Abraham et Sara exstiterunt, ipsum officium conjugale non ex humana societate, sed ex divina dispensatione pensandum est. Nam quia Christum in carne venire oportebat, ei carni propagandæ famulatum est conjugium Saræ, cui virginitas Mariæ [1].

CAPUT XXIII. — Unde et illud quod imperitia laudabili deridendo commemorasti, *Pone manum sub femore meo*, Abraham servo suo dixit, postulans jurisjurandi fidem. *Pone*, inquit, *manum sub femore meo, et jura per Deum cœli* (*Gen.* XXIV, 2, 3). Servus quidem ille obediendo jurabat: sed Abraham jubendo prophetabat, Deum scilicet cœli in eam carnem esse venturum, quæ fuisset ex illo femore propagata. Vos hoc aspernamini, detestamini, abominamini, casti et mundi homines: qui Filio Dei, quem nullus contactus carnis mutare potuisset, unum virginis uterum formidatis; et Dei vivi [2] naturam mutatam atque pollutam omnium feminarum, non hominum tantum, sed bestiarum quoque uteris implicatis: ac per hoc qui unum Patriarchæ femur horretis, quæ tandem femora, non dico Prophetarum, sed quarumlibet prostitutarum invenitis, ubi non per deum vestrum illic tam turpiter compeditum jurare debeatis [3]? nisi forte non quidem caste tangere humani corporis membrum, sed pudet jurare per Deum tam turpiter vinctum. Tanta illic deformitate captivo nomine pancarpi (*a*), qui in ludicris muneribus edi solet, propter omnium generum quæ inerant bestias, exagitatis aream Noe (*Id.* VII), quæ per omne genus animalium futuram ex omnibus gentibus figurabat Ecclesiam. Ubi te vel non advertentem vel ignorantem gratulor congruum posuisse vocabulum: πάγκαρπος enim omnis est fructus, quod in Ecclesia spiritualiter verum est: et non attendis, Noe cum suis inter illas feras, quo illæsus ingressus est, unde illæsus egressus est, quam felicior fuerit deo vestro, qui ferina rabie gentis tenebrarum dilaniatus et devoratus est. Itaque ille non pancarpus, sed plane compartus [4] factus est, qui omni feritate discerptus est. Luctam Jacob cum angelo irrides (*Id.* XXXII, 24, 25), ubi futura cum carne Christi lucta populi Israel prophetice figurata est. Sed quomodolibet intelligas, quanto melius deus vester cum homine luctaretur, quam victus atque captivus a dæmonum

[1] In Carnotensi Ms., *cum hoc in Christo atque Ecclesia sacramentum, magnum mysterium commendet Apostolus.*

[1] Editi, *cui virginitas Mariæ præfertur.* Superfluo additum, *præfertur*, quod a Carnotensi Ms. abest, quia subauditur ejus loco, *famulata est.*

[2] Forte, *vestri.*

[3] Er. et Lov., *ubi non Deum vestrum illic tam turpiter compeditum vitare debeatis.* Castigantur ex Carnotensi Ms.

[4] In vetere codice Carnotensi, *comparcus.*

(*a*) Morel, Flem. critic., pp. 330, 331, sic restituendum censet hunc locum: *Sed pudet jurare per deum tam turpiter vinctum, tanta illic deformitate captivum. Nomine pancarpi.* M.

gente diriperetur. Falso Abraham, quod pudicitiam conjugis vendiderit criminaris : ubi non est mentitus sororem, sed cautela humana tacuit uxorem (*Gen.* XII *et* XX), Deo suo committens ejus pudicitiam conservandam; qui nisi faceret quod facere posset, non in Deum fidere, sed Deum tentare judicaretur. Nec tamen respicis deum vestrum, qui non uxorem, sed membra sua hostibus polluenda, corrumpenda, turpanda, non vendidit, sed gratis dedit. Ad quem, si posset, certe optaretis, ut tam illibata rediret ab inimicis suis dei vestri præclara natura, quam illibata viro reddita est Sara.

CAPUT XXIV. — Laudas mores et studia quondam mea, et quæris quis me repente mutaverit. Deinde circumloquendo commemoras antiquum hostem omnium fidelium atque sanctorum, et ipsius Domini Jesu Christi, quem vis utique diabolum intelligi. Quid ego tibi de mea mutatione respondeam, quam nisi eo modo in melius fieri crederem, non utique me, vestro errore detestato atque damnato, ad catholicam Ecclesiam fidemque conferrem? Quod utrum recte fecerim, id est, a malo in bonum mutatus sim, tu mihi ipse solvis quæstionem in eodem verbo quod posuisti mutationis meæ. Anima enim mea, si (quemadmodum dicitis) Dei natura esset; sive in melius, sicut confido; sive in deterius, sicut arguis, mutari omnino non posset : nec a se ipsa, nec a cujusquam vel alterius impulsu. Unde cum errorem istum reliqui, et elegi eam fidem, ubi Dei natura prorsus incommutabilis pie creditur, ut sapienter intelligatur; non displicet mutatio mea, nisi quibus displicet incommutabilis Deus. Est autem diabolus sanctorum adversarius, non quod adversus eos ex alterius naturæ contrario principio consurgat inimicus, sed quia eis invidet honorem cœlestem, unde est ipse dejectus. Mutatus enim ipse, alios mutare molitur. Nam sicut a vobis Persicæ illius fabulæ prolixitate describitur, si non mutatus alios mutat, profecto major et victor est : si autem, sicut affirmatis, sanctæ lucis; non inimicus Dei est, sed amicus, et illis melior quos decipit, qui eos lumini sancto inimicos, cui est ipse amicus, efficit [1]? Ideo quippe dicit Manichæus, æterno supplicio animas in illo horribili globo damnandas, quod *errare se a priori lucida sua natura passæ sunt, et inimicæ luminis tunc exstiterunt;* cum ipsam mentem gentis tenebrarum, tenendæ apud se lucis amore flagrantem animalium corpora creare contendat. Ab his ergo vanissimis sacrilegisque figmentis te cura ut eripias, mutandus in melius illius adjutorio, qui nec in melius nec in deterius commutatur.

CAPUT XXV. — *Evasimus*, inquis, *quia spiritualem secuti sumus Salvatorem. Nam illius tantum erupit audacia, ut si noster Dominus carnalis foret, omnis nostra fuisset spes amputata.* Si hoc propterea dicis, quia Christum carnem habuisse non creditis; in Manichæo spem ponere non debetis, quem de masculo et femina procreatum, sicut cæteros homines carnem habuisse conceditis. Cur ergo in illo tantam spem ponitis? Nam in hac ipsa epistola tua, cum me terreres, ipse dixisti : *Quis igitur tibi patronus erit ante justum tribunal Judicis, cum et de sermone et de opere cœperis te teste convinci? Persa quem incusasti, non aderit. Hoc excepto, quis te flentem consolabitur? quis Punicum salvabit?* Consolatorem igitur et salvatorem, Manichæo excepto, nullum esse posse dixisti. Quomodo ergo, cum de Christi passionibus ageres, evasisse vos dixisti, quod spiritualem secuti estis Salvatorem, nè scilicet eum posset in carne constitutum inimicus occidere? Ergo Manichæum vestrum si occidit inimicus, in quo carnem invenit, ut jam vester esse salvator posset; et quomodo dicis, *Hoc excepto, quis te flentem consolabitur? quis Punicum salvabit?* Vides quid sit [1] in hæresi et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi mendaciloquorum (1 *Tim.* IV, 1, 2). Veracem Manichæum de Christo vis esse fallaci; ut si Christus in ostendenda carne, morte, resurrectione, locis denique vulnerum atque clavorum, quæ dubitantibus discipulis demonstravit (*Joan.* XX, 20), totum fallaciter ac mendaciter gessit, tunc Manichæus de Christo verum dixerit : si autem Christus veram carnem, et ideo veram mortem, veram resurrectionem, veras cicatrices ostendit, tunc Manichæus de Christo mentitus sit. Ac per hoc id interest in hac causa inter me atque te, quod tu elegisti veracem credere Manichæum, Christum credendo fallacem; ego autem Manichæum potius, sicut de aliis rebus, ita de Christo, quam Christum de aliqua re (quanto magis de illa, ubi spem credentium maxime posuit, hoc est de sua passione et resurrectione?) mentitum. Nam qui dicit, Quando Christus post illam, quæ mors ejus putata est, apparuit discipulis hæsitantibus, et spiritum se videre putantibus; quando dixit : *Tangite manus meas et pedes; et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39); quando uni eorum minime credenti, *Mitte*, inquit, *digitos in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis* (*Joan.* XX, 27) : totum hoc non veraciter ostendebat, sed mendaciter : qui hoc, inquam, dicit, non prædicator, sed accusator est Christi. Sed, inquis, Christum prædicat Manichæus, ejusque se dicit apostolum. Illinc potius detestandus atque fugiendus est. Nam hæc accusando diceret [2], se saltem jactaret amatorem veritatis arguendo alterius falsitatem : nunc vero nesciens incautusque se prodit, satisque demonstrat diligenter intuentibus, quid agat ipse, quid diligat, laudando ac prædicando mentientem. Fuge itaque, amice, tantam pestem, ne te, quod fieri non potest, fallendo velit fidelem facere Manichæus : qualem vult videri a Christo esse factum illum discipulum cui dixit, *Mitte digitos in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.* Sicut enim sapit dulcissima veritas, quid aliud discipulo Christus dixit, nisi, Tange quod gesto, tange quod gessi, tange veram carnem, tange verorum vestigia vulnerum, tange vera loca clavorum, et credendo veris noli esse incredulus, sed fidelis? Sicut

[1] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *effecit.* M.

[1] Forte, *quod sis.*

[2] Editi : *Nam cum hæc accusando diceret.* Expungenda particula, *cum*, quæ a Ms. Carnotensi abest.

autem desipit Manichæi sacrilega vanitas, quid aliud dixit discipulo Christus, nisi, Tange quod simulo, tange quod fallo; nisi, Tange falsam carnem, tange falsorum fallacia vulnerum loca, et noli esse incredulus meis mendacibus membris, ut credendo falsis possis esse fidelis. Tales fideles habet Manichæus, omnis doctrinæ dæmoniorum mendaciloquorum.

CAPUT XXVI. — Fuge ista, obsecro, non te decipiat species paucitatis, quoniam ipse Dominus dixit angustam viam esse paucorum (*Matth.* VII, 14). Inter paucos vis esse, sed pessimos. Nam verum est quod pauci sunt omni modo innocentes, sed in ipsis nocentibus pauciores sunt homicidæ quam fures, pauciores sunt incestatores quam adulteri : denique etiam ipsæ antiquorum vel fabulæ vel historiæ pauciores habent Medeas et Phædras, quam facinorum aliorum flagitiorumque mulieres; pauciores Ochos et Busirides, quam impietatum aliarum et scelerum viros. Vide ergo, ne forte apud vos nimius horror impietatis faciat meritum paucitatis. Talia quippe ibi leguntur, dicuntur, creduntur, ut in illum errorem magis aliquos quam paucos irruere, vel illic remanere, mirandum sit. Sanctorum autem paucitas, quorum angusta via est, in comparatione ponitur multitudinis peccatorum : quæ quidem paucitas in multo majore numero palearum latet; sed in ipsa area catholicæ Ecclesiæ est nunc congreganda et triturandа, in fine autem ventilanda atque purganda (*Id.* III, 12) : ad quam te oportet conferas, si fideliter fidelis esse desideras, ne fidendo falsis, sicut scriptum est, ventos pascas (*Osee* XII, 1), id est, immundis spiritibus esca fias. Si enim Paulus apostolus, quem commemoras, non sapientum Veteris Testamenti scripturas totamque illam propheticam dispensationem dictorum atque factorum, sed carnalem Judaicæ propaginis excellentiam, et pro Synagogis paternæ gentis errantibus et Christum non agnoscentibus, zelum persequendi Christianos, quo tanquam laudabili accendebatur, et justitiam quæ ex Lege est, qua Judæi, non ibi intellecta Dei gratia, superbe gloriantur, damna et stercora deputavit, ut Christum lucrifaceret (*Philipp.* III, 8, 9) : quanto magis tu scripturas illas nefandarum blasphemiarum plenissimas, ubi natura veritatis, natura summi boni, natura Dei toties mutabilis, toties victa, toties corrupta, et ex parte inexplicabiliter inquinata atque ab ipsa veritate in fine damnanda describitur, non sicut stercora, sed sicut venena debes abjicere, et ad Ecclesiam catholicam, quæ sicut tanto ante prophetata, ita suo tempore revelata est, finita contentione transire?

Quod ideo tibi loquor, quia mens tua nec natura mali est, quæ omnino nulla est; nec natura Dei, aliquin incommutabili frustra loquerer : sed quoniam mutata est deserendo Deum, et ipsa mutatio ejus malum est; mutetur conversa ad incommutabile bonum, in adjutorio ipsius incommutabilis boni; et talis ejus mutatio erit a malo liberatio. Hanc admonitionem si spernis, duas adhuc credens esse naturas, unam mutabilem boni, quæ malo permixta potuit injustitiæ consentire, alteram incommutabilem mali, quæ nec bono mixta potuit consentire justitiæ, proximam illam pudendam fabulam garris exsecrabiles turpesque blasphemias in fornicatione prurientium auriuin seminantem, ut sis in eorum grege, de quibus prædictum est, quod *erit tempus, quando sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum suum avertentes, ad fabulas autem convertentur* (II *Tim.* IV, 3, 4). Si autem hanc admonitionem prudenter accipis, conversus ad incommutabilem Deum, mutatione laudabili fies in eis de quibus dicit Apostolus : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Quod nec Dei naturæ dici posset, quia numquam fuit mala et digna isto nomine tenebrarum; nec naturæ mali, quæ si esset, nunquam posset mutari, nec lux fieri : sed recte ac veraciter hoc dictum est ei naturæ, quæ incommutabilis non est, sed deserto incommutabili lumine, a quo facta est, obtenebratur in se; ad illud autem conversa fit lux, non in se, sed in Domino. Non enim a se ipsa, quoniam non est lumen verum, sed illuminata lucet, ab illo de quo dictum est : *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Hoc crede, hoc intellige, hoc tene, si vis esse bonus participatione incommutabilis boni, quod non potes esse per te : quod nec amittere, si incommutabiliter hoc esses; nec recipere posses, si incommutabiliter hoc non esses.

INDEX

OPUSCULORUM ALIORUM AUGUSTINI,

QUIBUS VEL EX PROFESSO VEL OBITER AGIT CONTRA MANICHÆOS.

IN I TOMO.

De Libero Arbitrio libri III.
De Genesi contra Manichæos libri II.
De Moribus Ecclesiæ Catholicæ, et de Moribus Manichæorum libri II.
De Vera Religione liber I.
Multa contra eosdem in libris Confessionum.

IN II TOMO.

Epistola LXXIX et CCXXVI.

IN IV TOMO.

Enarratio in Psal. CXL.

IN V TOMO.

Sermo I, II. XII. L. CLIII, CLXXXII et CCXXVII.

IN VI TOMO

Liber de Agone Christiano et liber de Continentia.

Præterea vide in hujus VIII tomi Appendice librum de Fide contra Manichæos, et Commonitorium de recipiendis Manichæis qui convertuntur.

IN OPUS SUBSEQUENS,

Vide lib. 2, *cap.* 58, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 654, *verbis,* Interea (*a*) liber, *usque ad verba,* Fratres dilectissimi. M.

(*a*) Proxime ante recensitis libris de Anima et ejus origine, deque Adulterinis Conjugiis, qui libri ad annum 418 pertinent, significat jam Augustinus a se conscriptos per idem fere tempus fuisse subsequentes contra Adversarium Legis et Prophetarum libros. Hujus operis cum laude meminit Cassiodorus in lib. de Institutione divinarum Litterarum, cap. 1. Capita libri Adversarii singula, quæ refellenda hic fuerunt, recensentur ante finem libri 2, in cap. 10.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA ADVERSARIUM

LEGIS ET PROPHETARUM

Libri duo [a].

LIBER PRIMUS.

In quo Veteris Testamenti loca calumniose reprehensa vindicantur.

CAPUT PRIMUM. — 1. Libro, quem misistis, fratres dilectissimi, nescio cujus hæretici, invento, sicut scripsistis, in platea maritima, cum venalis codex ipse ferretur, et concurrentibus turbis periculosa curiositate et delectatione legeretur, ut quanto possem compendio responderem, prius quæsivi cujusnam esset erroris. Non enim soli Manichæi Legem Prophetasque condemnant; sed et Marcionistæ, et alii nonnulli quorum sectæ non ita innotuerunt populis christianis. Iste autem, cujus nomen in eodem libro non comperi, detestatur Deum mundi fabricatorem: cum Manichæi, quamvis librum Geneseos non accipiant, atque blasphement, Deum tamen bonum fabricasse mundum, etsi ex aliena natura atque materia, confiteantur. Sed quanquam non mihi apparuerit, cujus sectæ sit iste blasphemus, defendenda est adversus ejus linguam Scriptura divina, quam maledicis disputationibus insectatur. Et quoniam quoquo modo christianum se videri cupit, unde et ex Evangelio et ex Apostolo ponit aliqua testimonia; etiam Scripturis ad Novum Testamentum pertinentibus refellendus est: ut ostendatur in reprehensione veterum inconsiderantius quam versutius insanire.

CAPUT II. — 2. Ac primum, quod pius poterat religioso, quærit iste impius ore sacrilego, quomodo accipiendum sit quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* 1, 1): quanquam non addiderit, *terram*, de qua post loquitur. Quærit ergo: *Quo principio? ejusne quo idem Deus esse cœpit, an ex eo quo illum esse vacuum tæduit?* Cui respondetur, quia nec Deus esse cœpit, nec eum vacationis suæ tæduit, qui neque aliquando non fuit, nec cessando torpuit, nec operando laboravit: nec sine cœlo sedis indiguit, nec facto cœlo sedem tanquam finitis erroribus peregrinus invenit. Potens est enim beatissime manere in semetipso; templo autem suo quod sunt omnes sancti, et Angeli et homines [1], sic impertiri habitationem suam, ut illi ex ipso habeant tale bonum quo beati esse possint, non ex eis ille talem domum sine qua beatus esse non possit. Aut ergo sic intelligendum est quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, ut principium sit ex quo esse cœperunt; non enim Deo coæterna semper fuerunt, sed facta initium ex quo esse inciperent acceperunt: aut certe quia in principio sibi coæterno fecit Deus cœlum et terram, hoc est, in unigenito Filio. Ipse est enim Sapientia, de qua dicit Apostolus: *Christum Dei Virtutem et Dei Sapientiam* (1 *Cor.* 1, 24). Et Deo qui fecit cœlum et terram, dicitur in Psalmo: *Omnia in Sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24). Aut si de Psalmo iste non vult accipere testimonium, Apostolum audiat de Christo loquentem: *Quia in ipso condita sunt omnia, in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia* (*Coloss.* 1, 16).

3. Deus igitur nec cœpit esse, nec desinet: sed opera ejus quædam incipientia certo fine esse desistunt, sicut tempora et temporalia; quædam incipien-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Opus istud contra Adversarium Legis et Prophetarum recognovimus ad Gallicanos Mss. undecim, Germanensem, Corbeiensem, Remigianum, Michaelinum, Fiscamnensem, Pratellensem, Cisterciensem, Casalensem, Sorbonicum, Colbertinum, Regium, et ad unum Vaticanum; ad editiones etiam Am. Er. et Lov. et ad variantes lectiones codicum Belgicorum apud Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(*a*) Scripti circiter initium anni 420.

[1] Sola fere editio Lov.: *Omnes Angeli sancti, et homines.*

tia permanebunt, sicut ipsa sanctorum hominum, quam percepturi sunt, vita æterna. Quod iste non vidit, qui putavit esse dicendum ac definiendum, nullum esse sine fine principium : nec ipsum potuit attendere numerum, cujus initium est ab uno, et finis in nullo. Nullus quippe numerus quamlibet magnus, vel dicitur, vel si dici jam non potest, cogitatur, cui non addi possit ut major sit. Et puto quod iste, quamlibet hæresim sub nomine Christi teneat contra Christum, vitam sibi promittit in Christo, utique beatam, cujus tunc poterit esse principium, cum vitæ hujus miseræ finis fuerit. Respondeat itaque, beata illa vita, quam non negat habituram vel habere principium, utrum habitura, an non habitura sit finem? Si dixerit habituram, quomodo se audebit dicere christianum? Si dixerit non habituram, ubi est quod ausus est dicere, nullum esse sine fine principium?

CAPUT III. — 4. Quærit etiam : *Si mundus iste bonum aliquid est, cur non olim ex initio ab eo factum est, quod melius fuit?* Quasi se ipso aliquid melius Deus fecerit mundum : aut ideo non debuerit hoc bonum fieri, quia non est æquale facienti. Quod autem quærit, cur non istud olim ex initio factum sit; responsum habeat, Imo vero olim ex initio factum est : ex initio utique suo, non Dei, cui nullum est initium. Si autem hoc initium significari potuit, eo quod dictum est, *In principio fecit Deus :* quid est quod calumniatur velut interrogans, in quo principio fecerit; cum ipse rursus quærat, cur non olim ex initio factum sit? Proinde sua verba illi replicanda sunt. Nam sicut ipse propter id quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, argumentatur et dicit, *In principio igitur quo? ejusne quo idem Deus esse cœpit, an ex eo quo illum esse vacuum tæduit?* ita et nos ad id quod ait, *Cur non istud olim ex initio factum est ab eo?* respondeamus, et dicamus ei, Ex initio igitur quo? ejusne quo idem Deus esse cœpit, an ex eo quo illum esse vacuum tæduit? Hoc quippe illi displicet, quod non olim ex initio Deus fecerit cœlum, cum dicit, *Cur non olim ex initio?* Tanquam ex illo initio facere debuerit, ex quo est ipse qui fecit. Cur non hic timuit, ne dicendo, ex initio ex quo est ipse Deus, eum debuisse facere cœlum, diceretur ei : Habet ergo Deus initium, ac per hoc secundum sententiam tuam habebit et finem; tu enim dixisti, nullum esse initium sine fine? Porro si Deus caret initio, quomodo faceret aliquid ex initio ex quo ipse est[1]? Ac per hoc ex initio fecit illo ex quo fecit, id est, ex quo cœpit esse quod fecit. Aut ergo deus ipsorum nihil boni unquam fecit : aut secundum istum, quodcumque boni fecit, ex illo initio fecit ex quo ipse est; et habenti initium, metuendus est finis : aut sanctæ Scripturæ verbis debet acquiescere, et intelligere Deum, qui ex nullo cœpit esse principio, fecisse cœlum in principio, vel ex quo cœlum esse cœpit, vel in Filio; qui Judæis interrogantibus, quis esset, principium se esse respondit (*Joan.* VIII, 25).

[1] Editi, *ex quo esse non est.* At Mss carent hic negante particula.

5. Nisi forte dicturus est, aliud initium, aliud vero esse principium. Si ergo ita esset scriptum, In initio fecit Deus cœlum et terram; nihil contra hoc iste moveretur, qui dixit, *Cur non olim ex initio factum est?* quandoquidem legeret, In initio fecit Deus; non existimans impium, si credatur Deus habere initium, sed non habere principium. Quod si ita est, emendetur hoc auctore Evangelium, ubi scriptum est : *In principio erat Verbum.* Cur enim non etiam hic iste dicat, In principio igitur quo? ejusne quo idem Verbum esse cœpit? Et quia Deus erat Verbum, potest etiam sic dicere, quemadmodum in hoc libro dixit : Ejusne quo idem Deus esse cœpit? Dicat hic, si placet, etiam illam definitivam suam, ubi audit, *In principio erat Verbum :* dicat etiam hic, si audet, *Nullum est principium sine fine;* ut ab ipsis etiam Manichæis, qui eum fortasse, quia inimicum Legi Prophetisque reperiunt, libentissime legunt, judicetur insanus. Quia vero displicet ei Deus qui fecit mundum, cur non displicet per quem factus est mundus? De Christo enim scriptum est : *In hoc mundo erat, et mundus per eum factus est* (*Joan.* I, 1, 10).

CAPUT IV. — 6. Intelligat utique[1] Deum facere bona posse, bonis autem a se factis egere non posse; unde nec faciendis eguit, qui factis non eget. Sed summe bonus fecit omnia, sibi quidem imparia, sed tamen bona. Bonum quippe etiam non summum, imo vero etiam infimum, nisi a summo bono esse non posset. Nimis autem de Deo male sentit, qui propterea bonum esse aliquid negat, quia æquale Deo non esse cognoscit. Ita enim non erit ille summum, sed infimum bonum, si quidquid eo minus est, jam non est bonum. Porro si in rebus quas condidit, ea quæ sunt prima bona valde sunt imparia Conditori, quia ille fecit, hæc facta sunt; profecto qui talibus non eguit ad augendam beatitudinem suam, multo minus inferioribus atque omnino infimis eguisse credendus est. Quæ tamen fecit tanquam bonorum omnium constitutor. Nam Dominus Jesus[2], per quem factus est mundus, non sola cœlestia, sed etiam terrestria, eorumque terrestrium quæ videntur exigua, Deum creasse et creare sic indicat, cum dicit : *Si ergo fenum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei* (*Matth.* VI, 30)? Unus ergo atque idem Deus est institutor cœli et terræ, stellarum et herbarum, quidquid mensura, forma, ordine suo constat in cœlo et in terra, quidquid vivit in cœlo et in terra, quidquid sentit in cœlo et in terra, quidquid intelligit in cœlo et in terra. Quæ non solum illi a quo sunt condita, sed nec inter se esse oportebat æqualia : et ideo sunt omnia[3]. Nam si essent æqualia, unum genus bonorum esset, non omnia. Nunc vero ideo sunt omnia bona, quia sunt aliis alia meliora, et bonitas inferiorum addit[4] laudibus meliorum : et in rerum bonarum inæqualitate ipsa

[1] Sic Mss. Editi vero, *intelligat itaque.*
[2] In Mss.: *Nam Dominus Deus, per quem.*
[3] Editio Lov. hic addit, *bona.* Superfluo.
[4] Sic potiores Mss. At Lov., *additur*

est jucunda gradatio, ubi minorum comparatio amplioruin est commendatio.

CAPUT V. — 7. Ea vero quæ dicuntur mala, aut vitia sunt rerum bonarum, quæ omnino extra res bonas [1] per se ipsa alicubi esse non possunt; aut supplicia peccatorum, quæ de justitiæ pulchritudine veniunt. Sed ipsa quoque vitia testimonium perhibent bonitati naturarum. Quod enim malum est per vitium, profecto bonum est per naturam. Vitium quippe contra naturam est, quia naturæ nocet : nec noceret, nisi bonum ejus minueret. Non est ergo malum nisi privatio boni. Ac per hoc nusquam est nisi in re aliqua bona : et si non summe bona, quoniam summe bona incorruptibilis et immutabilis perseverat, ut Deus est; non tamen nisi in bona, quoniam non nocet nisi minuendo quod bonum est. Ac per hoc bona sine malis esse possunt, sicut ipse Deus, et quæque superiora cœlestia : mala vero sine bonis esse non possunt. Si enim nihil nocent, mala non sunt : si autem nocent, bonum minuunt : et si amplius nocent, habent adhuc bonum quod minuant : et si totum consumunt, nihil naturæ remanebit cui noceatur; ac per hoc nec malum erit a quo noceatur, quando natura defuerit, cujus bonum nocendo minuatur.

CAPUT VI. — 8. Utrum autem aliqua natura, hoc est, substantia prorsus ad nihilum redigatur, disputatio subtilissima est. Sed fides veracissima [2] Deo cantat : *Mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI, 27, 28). Nec fecit igitur, nec regit mutabilia bona, nisi immutabile bonum, quod est Deus. Porro bona mutabilia propterea bona sunt, quoniam a summo bono facta sunt; propterea mutabilia, quia non de ipso, sed de nihilo facta sunt. Quamobrem et ipsa mortalia, quamvis ex aliqua parte pœnalia sint eis quibus sola immortalitas potest perfectæ beatitudinis implere mensuram; habent tamen proprium decoris locum in pulchritudine temporum : sed major [3] quam humanus est sensus, quo talis pulchritudo sentitur. Fides tamen illa quæ Deo suo dicit, *Omnia in mensura, et numero, et pondere constituisti* (*Sap.* XI, 21), quamvis amore vivendi conditionem mortis exhorreat, Creatorem tamen omnium bonorum etiam de bonis mortalibus laudat. Nam iste ipse qui reprehendit, nec Deum esse credit, cujus terrena opera videt esse mortalia, eumdem sermonem suum, qui usque adeo illi placuit, ut cum litteris memoriæque mandaret, nisi vocibus ad sua quæque verba pertinentibus, et incipientibus tamen et deficientibus, implere non posset : ita pulchritudinem disputationis, qua vult persuadere, quidquid oritur et moritur bonum esse non posse, nisi orientibus et morientibus syllabis non potuit explicare. Quid ergo mirum si in tam magna universitate naturæ est aliquod infimum bonum in ordinibus temporum, quod non permansione rerum, sicut nonnulla sublimia spiritualia, sed pro decore sui generis, imo atque terreno exortu occasuque sit pulchrum?

9. Quæ cum ita sint, non calumnietur dicenti Scripturæ, *Vidit Deus lucem quia bona est* (*Gen.* I, 4). Non solum enim lucem quam vocavit diem, et firmamentum quod vocavit cœlum, et solem et lunam et cætera sidera; verum etiam ligna et herbas, et in aquis ac terris quæcumque mortalia, et creavit Deus summe bonus, et vidit quia bona sunt in genere atque ordine suo. Nec timuit qui Spiritu Dei revelante scripsit hunc librum, futuros impios reprehensores, vaniloquos, et mentis seductores, primitus suæ, deinde aliorum, quos delectat blasphema loquacitas : quia et ipsos in quantum homines sunt, in quantum corpore atque anima rationali constant, in quantum membra corporis eorum suis distinguuntur officiis, et concordissima differentia in unitatem suæ pacis mirabili ordinatione consentiunt, in quantum anima eis naturali excellentia præstat atque imperat, in quantum sensus carnis quinque partitos implet ac vegetat, dissimili potentia, sociali convenientia, in quantum etiam mente atque ratione, quod bestialis anima non valet, potest sapere atque intelligere [4], vidit Deus quia boni sunt; et ideo creavit. Non enim tantum creatos postea vidit; sed et creandos ante prævidit : et quod perversa voluntate et cæco errore maligni sunt, non ideo vidit quod non essent creandi; prævidit enim ubi sint ordinandi : et sic eos ex eadem massa primæ prævaricationis merito damnata fecit vasa iræ, si usque in finem in hac malignitate perdurant, ut prosint vasis misericordiæ (*Rom.* IX, 22, 23), quo per eorum acumina vanitatis diligentius arcana veritatis inquirant. *Magna* quippe *opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX, 2). Quid autem mirum est quia displicet humanæ stultitiæ, quod opera sua placent divinæ sapientiæ? Quid est enim aliud, *Vidit lucem quia bona est*, nisi quia placuit ei [5]?

CAPUT VII. — 10. Sed iste vaniloquus blasphemator, qui scripsit librum sacrilegis conviciis plenum (in quo utinam opus ejus displiceret ei, et non putaret quia bonum est, sed videret quia malum est), videte quid dixerit : *Adeo antea nescivit*, inquit, *lux quid esset, ut modo eam primum videns optimam judicaret.* Ergo et Dominus Jesus quando auditis verbis Centurionis miratus est, et dixit discipulis suis, *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel* (*Matth.* VIII, 10), nescivit antea fides illa quid esset, ut tunc eam primum videns optimam judicaret. An vero [6] alius eam in corde Centurionis operabatur, quam ipse qui mirabatur? Et profecto amplius est unde possint blasphemare insipientes et infideles, quod miratus est Jesus quantamcumque hominis fidem, quam quod vidit Deus lucem quia bona est. Potest enim quisque etiam solita videre quia bona sunt, hoc est, sibi ea placita comprobare : quisquis autem miratur, profecto secundum consuetudinem qua homines loquuntur, in-

[1] Apud Lov., *extra res omnes bonas.* Abest, *omnes*, ab editis aliis et Mss.

[2] Editi, *veracissime.* At Mss., *veracissima.*

[3] Editi, *sed majorem.* Melius vero Mss., *sed major.*

[4] Sic Mss. At editi, *non potest, sapere atque intelligere possunt, vidit Deus*, etc.

[5] Plures Mss., *nisi placuit ei*; omisso, *quia.*

[6] In Mss., *aut vero.*

opinatum atque improvisum sibi esse significat quod miratur. Sed Jesus qui omnia præsciebat, quod mirandum aliis commendabat, mirando laudabat. Quid autem Deus vidit a se factum, quod non in luce, quod ipse est, prius vidit esse faciendum? Et quid tam necessario sancta Scriptura toties repeteret, quam quod vidit Deus bona esse quæ fecit; ut hinc informaretur pietas fidelium, non pro humano sensu, qui sæpe etiam bonis rebus offenditur, quarum causas atque ordinem nescit, de creatura visibili atque invisibili judicare, sed laudanti Deo credere et discere [1]? Tanto enim quisque facilius aliquid proficiendo cognoscit, quanto religiosius, antequam cognosceret, Deo credidit. Vidit ergo Deus lucem quam fecit, quia bona est, quoniam quod faciendum placebat ut fieret, factum placuit ut maneret, quantum cuique rei existendi sive manendi a tanto fabricatore fuerat constituenda mensura. Sed aliud est lux quod est Deus, aliud lux quam fecit Deus. Incomparabiliter autem melior lux ipse qui fecit, nullo modo indigens [2] ea luce quam fecit. Et unde iste calumniatur, cur non ista bona tam olim, quam olim est ipse, fecerit Deus [3]; hinc potius intelligendum est, quod non ea fecerit eorum indigus, sine quibus esse in sua perfecta beatitudine potuit sine initio sempiternus. Ideo quippe istorum faciendorum causa sola Dei bonitas fuit, quia necessitas ejus ulla non fuit. Quidquid itaque iste convicietur Deo, quod velut tunc primum lucem viderit qui fuisset lucis ignarus, quam sit insulsum et vanum videret, si lucis ipse intus aliquid haberet.

CAPUT VIII. — 11. Quin etiam stultitiæ scribentis assignat, quod tenebras dixerit sine initio semper fuisse, lucem vero initium sumpsisse de tenebris: quasi legerit in eo libro, cui calumniatur, tenebras sempiternas; cum scriptum sit, *In principio fecit Deus cœlum et terram: terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum.* Ex illo ergo tenebræ esse cœperunt, ex quo confusa moles cœli esse cœpit ac terræ, antequam facta esset lux, qua illuminaretur quod sine luce fuerat tenebrosum. Quid autem inconveniens, si mundanæ materiæ fuerant tenebrosa primordia, ut accedente luce melius quod factum est redderetur; et tanquam proficientis hominis, quod postea futurum erat, hoc modo significaretur affectio? Quamquam qui munere Dei potuerit perspicacius ista rimari, inveniet fortasse in creatura, quæ ita facta narratur sine intervallis temporalium morarum, distinctum mirabiliter ordinem rerum. Neque enim materies omnino nihil est, de qua in libro Sapientiæ legitur, *Qui fecisti mundum de materia informi* (*Sap.* XI, 18). Non ergo quia informis dicta est, omnino nihil est: nec Deo fuit vel ipsa coæterna, tanquam a nullo facta: nec alius eam fecit, ut haberet Deus de qua faceret mundum. Absit enim ut dicatur omnipotens non potuisse facere, nisi unde faceret, inveniret. Ergo et ipsam Deus fecit. Nec mala est putanda, quia informis: sed bona est intelligenda, quia [4] formabilis, id est, formationis capax. Quoniam si boni aliquid est forma, nonnihil est boni esse capacem boni. Sicut vox confusa est clamor sine verbis, vox vero articulata fit cum formatur in verba: est ergo illa formabilis, ista formata; illa quæ formam capit, ista quæ habet: nam quid horum unde fiat, in promptu est. Neque enim quisquam dixerit de verbis fieri sonum vocis: sed [5] potius de voce fieri verba sonantia quis non intelligat?

CAPUT IX. — 12. Nec putandus est Deus informem prius fecisse materiam, et intervallo aliquo interposito temporis formasse quod informe prius fecerat: sed sicut a loquente fiunt verba sonantia, ubi non prius vox informis post accipit formam, sed formata profertur; ita intelligendus est Deus de materie quidem informi fecisse mundum, sed simul eam concreasse cum mundo. Non tamen inutiliter prius narratur unde aliquid fit, et postea quod inde fit; quia etsi potest utrumque simul fieri, non simul potest utrumque narrari.

CAPUT X. — 13. Sive ergo prius nomine cœli et terræ, vel terræ invisibilis et incompositæ atque abyssi tenebrosæ, materies ipsa informis significata est rerum notarum appellationibus; quia ipsa prorsus ignota est humanis sensibus, et vix utcumque intelligitur, cum res in deterius commutantur; tanquam ei propinquet quidque deformius, nec perveniat tamen ad illam informitatem quantulacumque vel visibilis remanens vel intelligibilis species: sive per cœlum et terram generaliter prius insinuata sit spiritualis corporalisque natura; sive aliquid aliud, quod hic salva fidei regula intelligi potest: Deum tamen verum et summum et bonum fecisse cuncta quæ cernimus, et quæ meliora non cernimus, quamvis modus quo ea fecerit comprehendi humana mente non possit, dubitare fas non est. Sed cum istis indoctis blasphematoribus Litterarum sacrarum non ea rationum subtilitate agendum est, qua ista quærenda sunt et inter pacificos Dei filios disputanda.

CAPUT XI. — 14. Sed si putat iste adversus libros Legis et Prophetarum se nosse, quod dicit se scire, *summum Deum incomparabilem splendorem incomprehensibilis esse lucis*: primo audire ab eo vellem, cujus lucis existimet esse splendorem summum Deum; utrum et ipsa lux Deus sit, et utrum Patrem intelligat lucem, ejusque splendorem unigenitum Filium, quem tamen confessus est summum Deum. Quod si ita sentit, approbo et laudo. Sed quod eum quem credit esse lumen de lumine, vel incomparabilem splendorem incomprehensibilis lucis, non credit esse opificem mundi, improbo et culpo: cum ibi legat, *Mundus per eum factus est*; ubi legit, *Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*

[1] Sic meliores Mss. Editi vero, *credere et cedere*.
[2] In B., *indigeret*. Restituimus, *indigens*, ex auctoritate editionum Er. Lugd. Ven. Lov. M.
[3] Lov., *ipse qui fecerit Deus*. Abest, *qui*, a nostris Mss. et ab Am. Er.
[4] Am. Er. et Mss. omittunt, *quia*.
[5] Hinc removimus glossema, quod a Mss. abest; at vero in excusis ita insertum erat, *sed potius de voce fieri verba sonantia*, etc. *sed potius de voce fieri verba sonantia : vel potius de voce fieri verba sonantia*, etc.

(*Joan.* I, 10, 9). Improbo etiam, si nescit; magisque improbo atque detestor, si scit, et insidiatur ut decipiat nescientes in veteribus prius divinis Litteris scriptum, *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6); et, *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Psal.* XVIII, 9); et, *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem* (*Psal.* XII, 4). Neque enim hoc orabat homo utique mortalis, ne unquam corpore moreretur, aut corporalibus oculis somnus ne veniret optabat: sed eos utique oculos sibi illuminari petebat, de quibus Apostolus dicit, *Illuminatos oculos cordis vestri* (*Ephes.* I, 18).

15. Porro, si huic displicet lucem initium sumpsisse de tenebris, etiam hoc enim verbis garrulæ vanitatis exagitat; eidem apostolo hoc dicat, qui scribens ad fideles ait: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Id.* V, 8). Quis enim hoc fecit, nisi ille, qui, cum tenebræ essent super abyssum, dixit: *Fiat lux; et facta est lux* (*Gen.* I, 3)? Quod apertius alio loco idem apostolus expressit, dicens: *Deus qui dixit de tenebris lumen clarescere, claruit in cordibus nostris* (II *Cor.* IV, 6). Si autem hoc putat Scripturis deesse propheticis, quod Filius sit lumen de lumine, vel splendor lucis [1], legat quod in eisdem Litteris legitur de Sapientia, *Candor est enim lucis æternæ* (*Sap.* VII, 26): aut illud in prophetico Psalmo, *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino, omnis terra: cantate Domino et benedicite nomen ejus, bene nuntiate diem ex die salutare ejus* (*Psal.* XCV, 1, 2). Quis est enim dies ex die, nisi Filius lumen de lumine? Salutare autem Dei esse Christum legat in Evangelio, dicente Simeone sene, quando illum cognovit in manibus matris, carne minimum, spiritu maximum, acceptoque in manus suas ait: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29 *et* 30).

CAPUT XII. — 16. Hic si responderit, aliam esse lucem de qua dictum est, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino;* quia spiritualis lux mentis est ista, non carnis: aliam vero illam de qua scriptum est, *Dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux;* quæ ad oculos pertinet corporales: primo confitebitur a luce summa, quod est ipse Deus, fieri potuisse qualemcumque infimam lucem, bonam tamen. Deinde, unde scit etiam qualis et quanta sit? postremo, utrum spiritualis, an corporalis? Nisi forte fideles homines, qui quamdiu sunt in corpore, peregrinantur a Domino (II *Cor.* V, 6), possunt jam merito ipsius fidei lux vocari, et Angeli non possunt, qui semper vident faciem Patris (*Matth.* XVIII, 10)? Unde ergo scit utrum talis lux primitus facta sit? Unde scit quomodo in illa luce vespere et mane possit intelligi? Quomodo denique senario numero præsentata fuerit operibus Dei, et in ea septima requieverit Deus, unde ad istos dies nobis notissimos, qui solis circuitu revolvuntur, septenarii ipsius numeri quædam forma translata est? Sed et si lux facta est corporalis, unde novit quomodo esse potuerit ante solem et ante firmamentum, quod cœlum postea nuncupatum est, remota ab aspectibus terrenorum in superioribus partibus mundi, ut solus Deus inter illam tenebrasque divideret? Nam inter istas tenebras quæ nobis faciunt notissimam noctem, et lucem quæ nobis facit notissimum diem, luminaria nobis visibilia, ut dividerent, imperavit. Quis autem ferat, quamvis non sit indignandum potius quam ridendum, indicare istum nobis quod diem horæ designent, horas autem sol discernat atque disterminet, et velle ut credamus quod Moyses ista nescierit, et ideo diem antequam sol fieret nominaverit? Sed conveniant homines ad librum istius audiendum, et proponatur eis quid sit credibilius, utrum istum nescire quamdam lucem et quemdam diem, quem sciebat Moyses; an Moysen nescisse istam lucem ac diem, quem non solum iste, verum etiam qui verba ejus non intelligunt, sciunt.

CAPUT XIII. — 17. Quid, quod etiam de aquarum congregatione ingerit nescio quis imperitissimus quæstionem? imo vero non quæstionem, sed reprehensionem, tanquam non recte dictum sit, *Congregentur aquæ in congregationem unam, et appareat arida* (*Gen.* I, 9); eo quod aquis omnia tenebantur: ignorans quemadmodum aqua in aerios vapores tenuata rarescat, et nebulosa caligine multum occupet spatii, exiguum vero si congregata densetur [1], nec jam levis volitet, sed gravis fluitet. Quid ergo mirum, si rara terram texerat, spissata nudavit? Quid, si etiam divino nutu in magnos sinus terræ [2] subsedit, atque ita quidquid naturæ humidæ per totum ejus jacebat, in partes concavas confluens, recessit a cæteris, et quod operiebat aperuit [3], congregata in humiliora succumbentia qua mare interflueret et circumflueret, atque altiora deserens qua orbis emineret? Omitto quod potest hic intelligi significatum esse, quod informis illa materies aquæ vel abyssi vocabulo insinuata sit, et species acceperit duorum istorum gravium elementorum, humoris et humi [4]: et ideo dictum esse, *Congregetur aqua*, quoniam labilis et mobilis ei species data est; *Appareat* autem *arida*, quia immobilis fixa est [5]. Nam illud quod magis Propheta libri hujus auctor intendit, ut ejus narratio rerum factarum esset etiam præfiguratio futurarum, non est contentiosis et infidelibus sensibus ingerendum. Cum ergo tot exitus pie quærentibus pateant, ne temere tanta reprehendatur auctoritas; unde iste, nisi diabolico instinctu, in eis rebus eligit calumniari, quas non est idoneus perscrutari?

CAPUT XIV. — 18. Quod vero in hominis conditorem Deum cæcus et ingratus invehitur, et audet dicere ei qui se finxit, *Quare sic me fecisti?* cum omnino quomodo sit factus ignoret, multum præcipitis mentis audacia est. Sed vasa iræ permittuntur ista garrire, ut tanquam de negligentiæ somno excitentur

[1] Post, *vel splendor lucis*, additum apud Lov., *æternæ*: sed superfluo.

[1] In Mss., *denseatur*.
[2] Sic potiores Mss. At editi, *terra*.
[3] Plures Mss., *apparuit*.
[4] In probæ notæ Mss., *humoris et humidi*.
[5] Editi, *immobilis et fixa est*. Particulam, *et*, auctoritate manuscriptorum expunximus.

vasa misericordiæ (*Rom.* IX, 20 23), et studio respondendi pestilentibus maledictis, adhibeant curam salubribus dictis. Ecce enim in eo quod reprehendit iste hominis Conditorem, quia prohibuerit eum sumere cibum dignoscentiæ boni et mali (*Gen.* II, 17), tanquam eum pecoribus parem esse voluisset nescientibus ista discernere, et hoc ei negasset cui potestatem dedisset in bestias, quo solo homo superat bestias; quam necessarium est vitæ bene agendæ, quod discimus [1] quædam infeliciter disci, et felicius nonnulla nesciri? Morbos enim et dolores quanto felicius nesciremus? Si ergo medicus nos ab aliquo cibo prohiberet, quo accepto ægrotaturos esse præsciret, et ob hoc appellaret eumdem cibum dignoscentiæ sanitatis et imbecillitatis, eo quod per ipsum homo cum ægrotare cœpisset, experiendo dignosceret quid interesset inter contractam malam valetudinem et perditam sanitatem [2]; quod utique melius ignorasset, et in illa quam perdidit sanitate mansisset, credens medico per obedientiam, non morbo per experientiam: numquid talem medicum invidisse nobis ejusmodi scientiam diceremus? Quis dubitet malum esse peccatum? Et tamen cum laude dictum est de Domino Jesu Christo, quia *non noverat peccatum* (II *Cor.* V, 21). Non ergo noverat hoc malum, atque ideo illam unde Adam prohibitus est, boni et mali dignoscentiam non habebat. Hic si quæratur, Quomodo quod non noverat, arguebat? neque enim peccata non arguebat: *Omnia autem quæ arguuntur*, sicut dicit Apostolus, *a lumine manifestantur* (*Ephes.* V, 13): quomodo igitur a quo arguebantur, ignorabantur? Nonne rectissime respondebitur, et noverat, et non noverat? Rectissime omnino: noverat enim per sapientiam, non noverat per experientiam. Huic itaque divinæ sapientiæ credere debuit Adam, ut ab illa mali scientia quæ fit per experientiam, præcepto Dei obediens temperaret. Sic enim malum nescisset, nisi fecisset. Fecit autem sibi, non Deo. Nihil enim facere potuit voluntate inobedientiæ, nisi quod ipse pateretur lege justitiæ. Hæc est namque pœna inobedienti homini reddita in semetipso, ut ei vicissim non obediatur nec a semetipso. De qua re uberius in aliis, et maxime in quarto decimo libro de Civitate Dei disputavimus.

19. Nunc autem breviter respondeam ad id quod ait iste, hominis institutorem a magno bono prohibuisse quem fecerat, dum eum pecori similem sine dignoscentia boni et mali esse voluisset. Hæc enim dignoscentia non est beati hominis sapientia, sed miseri experientia: unde lignum nomen accepit, a cujus cibo est homo prohibitus, ut obedientia commendaretur quæ maxima est virtus, et, ut sic dixerim, omnium origo materque virtutum, in ea natura cui sic datum est arbitrium liberæ voluntatis, ut eam tamen necesse sit vivere sub potestate melioris. Quanquam non defuerint quibus visum est illam dignoscentiam boni et mali magnum aliquod bonum fuisse: cujus capaces nondum fuerunt qui hanc usurpantes contra vetitum, per inobedientiam peccaverunt.

20. Quibus autem videtur sic hominem fieri debuisse, ut peccare nollet; non eis displiceat sic esse factum, ut non posset peccare si nollet. Numquid enim, si melior esset qui non posset peccare, ideo non bene factus est qui posset et non peccare? Aut vero usque adeo desipiendum est, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse, et hoc Deum vidisse non putet; aut putet vidisse, et credat facere noluisse; aut voluisse quidem, sed minime potuisse? Avertat hoc Deus a cordibus piorum. Si ergo ratio recta demonstrat, rationalem creaturam illam esse meliorem, quæ nulla inobedientia deserit Deum, quam istam quæ ita deseruit: sciat quisquis hoc sapit, nec illam deerse cœlestibus rebus quæ nunquam deserit Deum, nec istam ita esse factam ut aliqua necessitate deserere cogeretur Deum; et quia voluntate deseruit, nihil ex hoc diminutum sapientissimis dispositionibus Dei, qui et malis bene et perversis recte utitur, et de humano genere juste meritoque damnato familiam sanctam atque numerosam, non ejus merito, sed gratia sua factam, in æternum regnum se translaturum esse testatur.

21. Quæ cum ita sint, nec Deus occultare debuit lignum, quod propter consecuturam hominis miseriam, si ex illo contra prohibitionem usurpato dignosceret a quo bono decidisset, et in quod malum incidisset, appellavit lignum dignoscentiæ boni et mali. Cur enim occultaret de quo mandatum dabat, et per quod obedientiam commendabat? Nec ignarus fuit hominem peccaturum: sed simul etiam, quid justi et boni fuerat et de peccante facturus, summa utique divinitate præscivit. Nec instituit quod obesset, si homo sibi obesse noluisset: sed potius instituit quod prodesset; quia homo non sine bona mercede obedientiam custodisset, et non sine utili exemplo, ut eam sancti ejus posteri custodirent, pœnas inobedientiæ persolvisset. Nec voluit quod non potuit: hoc enim voluit, ut aut obediens homo esset, aut inobediens impune non esset. Nec infructuose voluit, quod homo non fuerat servaturus, jubere: quia pœna contemptoris docuit alios obedire. Nec in homine pars Dei restitit Deo: quia si hominis anima pars Dei esset, nec a se ipsa, nec ab aliquo decipi, nec ad aliquid male faciendum, sive patiendum, ulla necessitate compelli, nec in melius vel deterius mutari omnino potuisset.

22. Flatus autem ille Dei qui hominem animavit (*Gen.* I, 7), factus est ab ipso, non de ipso [1]. Quia nec hominis flatus, hominis pars est; nec homo eum facit de se ipso, sed ex aerio halitu sumpto et effuso: Deus vero potuit et de nihilo, et vivum rationalemque [2], quod non potest homo. Quamvis nonnulli existiment non tunc animatum primum hominem, quando Deus in ejus faciem sufflavit, et factus est in

[1] Sola editio Lov., *quod dicimus*.

[2] In excusis, *et bonum perditam sanitatem*. Abest, *bonam*, a Mss.

[1] Editio Lov, *non de se ipso*. Minus bene.

[2] Hic Am. Er. et aliquot Mss. addunt, *potuit*. Quidam codices, *reddere*. Lov. cum nonnullis aliis codicibus, *facere*. Omittunt præcipui manuscripti.

animam vivam; sed tunc accepisse Spiritum sanctum. Quodlibet autem horum credibilius ostendatur, unde nunc longum est disputare; animam tamen non esse partem Dei, nec de substantia et natura ejus creatam sive prolatam, sed ex nihilo factam, dubitare fas non est.

CAPUT XV. — 23. Non itaque, sicut ait iste blasphemus, invenitur serpens in loco meliore quam Deus, quia prævaluit decipere hominem quem fecerat Deus (*Gen.* III, 1-6). Nullo enim modo homo deciperetur, si non in se exaltato corde recessisset a Deo. Vera quippe, quoniam divina est, illa sententia : *Ante ruinam exaltatur cor* (*Prov.* XVI, 18). Et ubi contra Deum exaltatur, ibi ab illo deseritur, et in se tenebratur. Quid autem mirum, si dum tenebratur, nescit quid sequatur : quoniam non a se ipso lumen est, sed ab illo qui est lumen, illuminatur? Quod ergo Deus semper invictus sit, etiam homo victus ostendit : quia victus non fuisset, si ab invicto non recessisset. Quomodo est autem victor hominis deceptor, cum a semetipso sit etiam ipse deceptus? Unde et ille qui decepit, et ille quem decepit, ambo decepti sunt, recedendo ab eo qui non potest decipi; et ambo sunt victi, recedendo ab eo qui non potest vinci. A quo utique qui plus recedit, plus vincitur; quia tanto est inferior, quanto deterior. Et ideo necesse est, ut qui malum alteri prius inferendo vincere videtur, amplius ipse bonum amittendo vincatur : nec fieri potest ut ei sit locus melior, cum causa sit pejor. Et quod ad tempus prævaluisse visus est diabolus homine superato, etiam sic in æternum victus est homine reparato. Nec Dei confitentis verba sunt, sed potius exprobrantis : *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis* (*Gen.* III, 22). Sicut et Apostolus ubi dicit, *Donate mihi hanc injuriam* (II *Cor.* XII, 13), utique a contrario vult intelligi, si adsit pronuntiator doctus, non calumniator indoctus.

24. Porro autem, cui displicet peccator prohibitus a ligno vitæ, quid nisi impune vult male vivere? Nec magnum erat Deo, et alio quolibet modo vitam subtrahere homini quem vivere noluisset : sed quoniam rationales animæ de sapientia vivunt, quarum mors est insipientia, hujus rei significandæ gratia lignum vitæ in paradiso fructu suo mori hominem nec corpore sineret. Quod ergo inde separatus traditus est morti, consumendus ætate, quod nequaquam illi accidisset, si semper eodem cibo frueretur, significatum est quod prius ab spirituali vitæ ligno propter peccatum anima ejus exclusa est, et ita [1] quadam sua interiore morte jam mortua. Nam de sapientia scriptum est : *Lignum vitæ est amplectentibus eam* (*Prov.* III, 18). Quod iste non intelligens ait : *Quatenus ergo ante maledictum immortalis homo perpetuo vivere poterat, qui nondum ex ista arbore cibum sumpserat?* Quasi ei aliquis dixerit, aut in illo libro alicubi legerit, quod nondum Adam sumpserat ex cibo arboris vitæ. Quin potius intelligendus est, quoniam inde illi vita in corpore perpetua suppetebat, ne vetustate consumeretur ætatis, ad hoc inde prohibitus, ut ex peccati pœna jam illi esset necessitas mortis.

25. *Quomodo*, inquit, *ex Dei maledicto mori cœperit, cum vita ipsa nunquam ex ipso initium sumpserit?* Quasi optaverit ei Deus mortem, sicut homo homini : ac non Dei verba ad sententiam pertineant punientis, non ad iram maledicentis. Punire autem morte corporali, fuit a vitæ arbore separare, cum jam fuisset spiritualiter mortuus, animo utique separatus ab alimento sapientiæ. Deus itaque quid ei contigisset in animo, significare voluit, separando eum a ligno vitæ, quo significabatur sapientia.

26. *Sed ista*, inquit, *arbor quæ in paradiso vitæ fructus ferebat, cui proderat?* Cui, nisi illis primis hominibus, masculo et feminæ, qui in paradiso fuerant constituti? Deinde istis de paradiso pro merito suæ iniquitatis ejectis mansit ad memoriam significandæ spiritualis arboris vitæ : quod est, ut diximus, ipsa sapientia, beatarum cibus immortalis animarum. Utrum autem illo cibo vescatur nunc aliquis, nisi forte Enoch et Elias, non temere asseverandum puto : ligno tamen illo vitæ, quod est in spirituali paradiso, nisi alerentur animæ beatorum, non pro munere pietatis et fidelissimæ confessionis, latronis animæ credentis in Christum legeremus paradisum eodem die fuisse concessum : *Amen*, inquit, *dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Esse autem ibi cum Christo, hoc est esse cum vitæ ligno. Ipse est quippe Sapientia, de qua, ut superius commemoravi, scriptum est, *Lignum vitæ est amplectentibus eam.*

CAPUT XVI. — 27. Numquidnam et hoc refellendum est, quod velut acute [1], ut sibi videtur, irridet? Primo, Deum non præscisse quod contigit : deinde, implere non voluisse quod magnopere cogitavit : tertio, ad maledictum se convertisse superatum. Unde scit Deum non præscisse quod contigit? An quia contigit? Quinimo si non contigisset, nullo modo id præscisset futurum, quia non erat futurum. Aut si propterea putat non præscisse, quia si præscisset, ne contingeret providisset [2] : potest hoc et de Christo dicere, qui talentum dedit homini nihil acquisituro; quod propterea utique dederat, ut ejus augeretur pecunia, quidquid est quod illa significat. Ergo quia contigit ut ille sua pigritia nihil acquireret, hoc non præscivit ille qui dedit? dicere etiam potest [3], non implesse de hoc lucro Christum quod magnopere cogitavit. Potest et illud tertium, ad maledictum se convertisse superatum, quoniam dixit, *Ligate illi manus et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXV, 15-30) : sicut de Adam dictum est, ut a ligno vitæ separatus morte etiam corporis plecteretur (*Gen.* III, 24, 19). Huic enim homini diserto, deficientis [4] maledictum, videtur potentis imperium.

[1] Am. et plures Mss., *ista.*

[1] In Mss., *quo velut acute.*

[2] Er. et Lov., *prævidisset.* Corrupte.

[3] Ex auctoritate Er. Lugd. Ven. Lov. restituimus vocem, *potest*, quæ omittitur in B., addita tamen hac adnotatione marginali : « subaudi, *potest.* » M.

[4] Er. et Lov., *defluentis.* Postea etiam loco, *potentis*,

Dicat ergo impotentem Christum, quoniam de acquirenda spirituali pecunia non potuit quod cupiebat efficere : dicat æmulum ac malitiosum, quod servo suo inviderit lucem ac salutem, quem projici jussit in tenebras, ubi esset fletus et stridor dentium. Si autem de Christo ista non dicit, ne hoc modo se indicet non esse christianum ; cur audet dicere de hominis conditore et peccati merito damnatore, quod non audet dicere de hominis redemptore, et si ejus præcepta contempserit, pœna æternæ mortis [1] ultore, eodem ipso scilicet? Nam in quem alium nisi in Christum hæc maledicta nesciens iste jaculatur? quandoquidem ille ait, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi ; de me enim ille scripsit* (*Joan.* v, 46). Quid enim Pater sine Filio vel tunc fecit, vel unquam facit? Si ergo salubriter, non solum bonitatem, verum etiam severitatem Dei sancta Scriptura commendat, quoniam et amatur Deus utiliter et timetur ; unde Apostolus eodem loco utrumque commemorat dicens, *Vides ergo bonitatem et severitatem Dei* (*Rom.* xi, 22) : quid est quod iste insanus et præceps, cum christianum esse se jactet, hoc reprehendit in Deo Prophetarum, quod in Deo invenit Apostolorum ; quoniam idem Deus est et illorum, et istorum?

28. Quod autem de illo commemoravi, quem pigrum servum misit in tenebras exteriores severitas [2] Dei, ubi nec futurorum improvidus dicitur [3] quia tali pecuniam suam credidit, nec impotens quia ut bene ageret non ipse rexit [4], ipse correxit, nec æmulus ac malitiosus quod a luce separatum in tenebras misit : hoc de omnibus pœnis hominum, quæ leguntur in propheticis Libris inflictæ fuisse peccantibus, debet fidelis lector advertere. Hoc ergo etiam de diluvio. Neque enim Dominus Jesus non tale aliquid futurum in suo prænuntiavit adventu, quando ait : *Sicut in diebus Noe manducabant, bibebant, novellabant, ædificabant, nubebant, uxores ducebant ; venit diluvium et perdidit omnes : sic erit et adventus Filii hominis* (*Luc.* xvii, 26, 27). Hoc et de obduratione cordis Pharaonis. Neque enim Novi Testamenti litteræ non dicunt de quibusdam : *Tradidit illos Deus in reprobum mentem, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* i, 28). Hoc de spiritu mendaci, quem Deus, qui bene utitur etiam malis, justissimo judicio ad impium regem decipiendum misit, sicut Michæas propheta sibi in visione prophetica demonstratum esse testatur (III *Reg.* xxii, 19-23). Neque enim dubitavit tale aliquid dicere apostolus Paulus, cum se sciret verissime dicere, ubi ait : *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* (II *Thess.* ii, 10, 11). Hoc de facto per Moysen, cui Deus dixit, *Accipe omnes duces populi, et victima illos Domino contra solem* (*Num.* xxv, 4) : hoc est, in manifesto per diem. Vel quod factum idolum Moyses ita vindicavit, ut nec proximo suo quisque parceret, ferro perimens impios (*Exod.* xxxii). Neque enim et Dominus Jesus non dixit : *Eos autem qui noluerunt me regnare sibi, adducite, et interficite coram me* (*Luc.* xix, 27). Ubi profecto, quia mortem significat animarum, magis est utique illa fidelibus horrenda et metuenda quam corporum. Unde idem Dominus dicit : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* x, 28).

29. Hujus generis mortes, per quas animæ mittuntur in gehennam, si quis fideli mente, ut dignum est, cogitaverit, valde viliter [1] æstimabit quamlibet ingentissimam stragem et sanguinis fluvios mortalium corporum, quomodocumque quandocumque morituorum. Quas cædes iste exaggerans, et scholastica vanitate describens, ad blasphemandum Deum, qui talibus mortibus eos quibus hujusmodi terror utilis fuerat, flagellabat, horrorem incutit mortalibus sensibus, et aliquid se agere putat, calces adversus stimulum jaciendo : ut cum de morte carnis accusat Dei providentiam, morte cordis mittatur in gehennam. Quis autem utriuslibet sexus homo non mallet gladio trucidari, etiam illo modo quo trucidavit sacerdos Phinees fornicarios, in ipso complexu nefariæ voluptatis (*Num.* xxv, 8), terribile constituens adversus exsecrandas libidines ultionis exemplum, propter quod Deo maxime placuit : quis, inquam, non mallet tali genere mortis interfici, quis non postremo igne consumi, vel ferinis morsibus per ipsa pudenda laniari, quam mitti in gehennam ignis æterni? Cur igitur Deus Christianorum peccantes talibus mortibus puniat, ut post corporis interitum transitorium [2], sequatur in gehenna sine fine supplicium, nisi quia Testamenti utriusque unus est Deus? Nam possent Judæi dicere adversus hujus impietatem, quantumlibet exaggeret bella, cædes, vulnera, funera, sanguinem, longe incomparabiliter Deo nostro Deum se habere mitiorem, longe scilicet mitius punientem transitoriis mortibus corporum, quam flammis perpetuis gehennarum.

30. At enim propterea videtur huic Deus Legis et Prophetarum, qui unus et verus est Deus, crimine crudelitatis arguendus, quia propter levissimas causas vel etiam erubescendas, pœnam mortis vel corporalis inflixit ; quod David populum numerasset (II *Reg.* xxiv) ; quod infantes, sicut iste dicit, filii Heli sacerdotis, de ollis vel cacabis Deo præparatis aliquid degustassent. Qua in re non disputo quantum et quam perniciosum elationis vitium tam sancto viro, ut vellet Dei populum numerare, subrepserit, eorumque mortibus non æternis, sed jam jamque humana conditione venturis, et celeriter transituris,

quod in potioribus Mss. invenimus, habent cum Am. et nonnullis manuscriptis, *impotentis imperium*.

[1] Lovanienses nonnullorum manuscriptorum auctoritate hic addiderunt, *plectetur* ; quod merito abest ab editis aliis et Mss.

[2] Hic rursum addito verbo, *est*, apud Lov. et Er. corrumpitur sensus hoc modo : *quem pigrum servum misit in tenebras exteriores, severitas est Dei.* Item infra in sola editione Lov., *quia quum ut bene ageret.*

[3] Alias, *nec futurorum Deus nescius dicitur.*

[4] Apud Am. et Er. *cum eum erat, ipse rexit* ; sed tamen exstat ita Mss.

[1] Editi, *vili.* At Mss., *viliter.*

[2] Mss., *post corporis mortem transitorium.*

fuerit flagellatus, quorum fuerat multitudine inflatus. Nec dico filios Heli non fuisse infantes [1], ut iste loquitur, nesciens quid loquatur; sed ejus ætatis, qua posset et deberent, pro sacrilego ausu quo se Domino Deo in sacrificiis præferebant, digna coercitione cohiberi : quod neglectum Deus, non sibi consulens, sed populo cui religio pietasque profuisset [2], bello etiam vindicavit : ubi Dei timorem potuerunt augere victuri, per eorum mortes, qui fuerant, etsi senescerent, post non longa temporum spatia morituri. Mortibus quippe corporum legimus alios etiam mortuos, propter non sua, sed aliena peccata (I *Reg.* IV) : ubi magis est in dolore cordis plaga viventium, quam in resolutione carnis pœna morientium; ubi animæ de corporibus exeuntes, habent causas suas vel bonas vel malas, non propterea gravatæ, quia exutæ : animarum vero morte alius pro alio plectitur nemo. Sed hoc dico, quantum existimet iste fuisse peccatum, quod in convivio nuptiali inventus est homo vestem non habens nuptialem : puto si humana consideratione ista metiamur, huic aliquantulum sufficere debuit erubescere; et ut plurimum invitantis indignatio protenderetur, vestem mutare compelli : et tamen dictum est, *Ligate illi manus et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 11-13). Sed dicet, Non levem culpam significat, vestem non habuisse nuptialem, quoniam ista parva magnarum signa sunt rerum. Sic ergo et sacrificia visibilia, cum sint in terrenis rebus exigua, magnarum et divinarum signa sunt rerum : in quibus filii sacerdotis se ipsi Deo, cujus honor in sacrificiis attenditur, præferebant. Non autem ille conviva se prætulit sponso; sed tantum non congruit, quia nuptialem tunicam non habebat. Verumtamen inter ipsas pœnas, quibus utrumque vindicatum est, ille quid distet advertit, quamque incomparabiliter ista illam vincat intelligit, qui corporalibus et temporalibus spiritualia et sempiterna præponit.

31. Verum quid opus est de mysticis significationibus sacrificiorum vestisque nuptialis inconvenientem carnalibus sensibus velle inculcare sermonem? Ecce quod est manifestius proferamus : Evangelium Legi veteri comparans Dominus, et non illud malum quod homines ante didicerant, sed quod ipse docebat, perfectius esse contestans : *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis : Quicumque iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit, Racha, reus erit concilio; qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Id.* V, 21, 22). Quid tam parvum in peccatis, quam fratri dicere, Fatue? Quid tam magnum in suppliciis, quam gehenna ignis? Si in Lege vel Prophetis iste invenisset aliquem, quoniam dixisset fratri suo, Fatue, lapidari jussum fuisse divinitus, quantæ Deum crudelitatis argueret? Quis non autem, non dico lapidari, sed per singulos artus, imo per singula corporis frusta, paulatim atque minutatim, vivens et sentiens dilaniari consumique maluisset [1], quam gehennæ ignibus mancipari? Absit tamen ut crudeliorem quisquam dicat Evangelii Deum quam Legis Deum, intelligens utriusque esse unum et eumdem Deum, in Lege terrentem carnalibus, in Evangelio spiritualibus pœnis; et ibi et hic fidelem, nusquam crudelem.

32. Quid illud? nonne si a Christo linguam reperiret alienam in eumque blasphemam, et qualis est hujus, impia garrulitate damnabilem, acerbius et amarius exagitaretur, quam quod iste de obsonio sacrificii prægustato, corporalem temporalemque pœnam pro sacrilegio sic indignatur ingestam; ubi venturum se Dominus, et ad sinistram positis gentibus (*a*) minatur esse dicturum, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus?* Hujus tanti supplicii quæris causam? *Esurivi*, inquit, *et non dedistis mihi manducare* (*Id.* XXV, 41, 42). Ecce pro esca temporali, non ablata, sed non data, æternum et horrendum supplicium comminatur. Et recte, si consulas veritatem. Perparvum est enim quod in eleemosynis datur; sed cum pie datur, æternum inde meritum comparatur. Et ideo potius quia parvum est quod datur, magna impietate non datur. Unde non mirum est quod tantæ sterilitati velut infructuosarum arborum, ignis æterni supplicium præparatur. Si autem consulas hominem, ut de suo respondeat tibi, omnis homo mendax (*Psal.* CXV, 11), contemnit culpam, exaggerat pœnam : illam quippe non videt mente carnali, hanc exhorret carne mortali. Talis est iste in omnium hominum, qui puniuntur vel corripiuntur in Vetere Testamento, longe mitioribus quam leguntur in Evangelio, corporalibus pœnis. Quod enim diluvium comparari æternis ignibus potest? quæ cædes, quæ vulnera, quæ corporum mortes cruciatibus sempiternis? Viginti quatuor millia cadentium, tanto buccarum strepitu inflat insanus, quasi non innumerabilia millia quotidie moriantur toto orbe terrarum? Sed transitoria ista corporis mors est : quis vero æstimare possit, quot millia stabunt ad sinistram ex omnibus gentibus, quæ sempiternis damnanda sunt ignibus?

33. Eat iste et clamet ore aperto et oculis clausis, quasi confessus sit Deus suam crudelitatem, quia dicit per prophetam : *Exacuam sicut fulgur gladium meum, inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus manducabit carnes de sanguine vulneratorum* (*Deut.* XXXII, 41, 42). De quibus verbis sic iste accusat Deum, velut semper humanum sanguinem esurientem, quasi dixerit, Inebriabo me sanguine; aut, Manducabo carnes de sanguine vulneratorum. Sed quantumlibet hanc utilem Dei comminationem tanquam facinoris avidam, et, ut dicit, *in sola crudelitate malis tantummodo gloriantem*, vanus et vesanus exhorreat; quid aut quantum valet, verbis comparata dicentis, *Discedite a me, maledicti, in ignem æter-*

[1] Editi, *filios Heli fuisse infantes*; detracto, *non*, quod hic revocamus ex Mss.

[2] Tract. in Mss., *cui religiosa pactis profuisset*.

[1] Fr. Lugd. et Ven., *Quis autem... non meruisset*. M.

(*a*) Vox, *gentibus*, redundare videtur.

num, qui paratus est diabolo et angelis ejus? Ibi non sanguine inebriabuntur sagittæ; sed non satiabuntur membris omnibus flammæ: nec carnes gladius manducabit, sensum doloris citius auferens mortuis, quam inferens vulneratis; sed nemo cruciatibus saltem moriendo subtrahitur, ne in moriente simul etiam ipsa pœna moriatur. Cur non hic dicit: *Colendumne istum an potius exsecrandum fugiendumque esse dicemus?* An timet de Christo ista dicere, ne ipsius ignis æterni supplicium non evadat, quo ille impios præparat mittere; et ignorat miser hæc dicendo de Deo Prophetarum, de ipso se dicere, cujus tam tremendam severitatem in Evangelio formidat offendere?

CAPUT XVII. — 34. Reprehendit etiam, quod pœnas impiorum significatas per uvam fellis et botrum amaritudinis, et furorem draconum atque aspidum, collectas dicit esse Deus apud se, et signatas in thesauris suis, reddendas in tempore, cum lapsus fuerit pes eorum (*Deut.* XXXII, 32-35): ignorans thesauros hic appellatas occultas dispositiones Dei, qui disponit reddere unicuique secundum opera ejus. Unde Apostolus dicit: *Tu autem secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II, 5, 6). Apud quem enim sibi thesaurizat iram cor impœnitens, nisi apud eum qui vivos est judicaturus et mortuos? Neque enim nesciunt etiam illi veteres Libri thesaurum desiderabilem, de quo ibi scriptum est quod requiescat in ore sapientis (*Prov.* XXI, 20, *sec.* LXX). Et in Proverbiis legitur, quia *Deus thesaurizat diligentibus se salutem* (*Id.* VIII, 21); et Isaias propheta dicit, *In thesauris*[1] *salus nostra: ibi sapientia et disciplina et pietas ad Dominum. Hi sunt thesauri justitiæ* (*Isai.* XXXIII, 6). Sed vaniloqui et mentis seductores adversantes Litteris sacris, quas intelligere nolunt, eligunt ex eis aspera quæ ibi leguntur ad commendandam severitatem Dei; et de Litteris evangelicis atque apostolicis lenia quæ ibi leguntur ad commendandam bonitatem Dei: et apud homines imperitos hinc ingerunt horrorem, inde quærunt favorem: quasi difficile sit ut quisquam similiter blasphemus atque impius eo modo adversetur Novo Testamento, quo iste Veteri, carpens de Vetere quibus ibi commendatur Dei bonitas, et e contrario de Novo quibus ibi commendatur Dei severitas; et clamet invidiosus atque venenosus: Ecce qui Deus colendus est, *misericors et miserator, longanimis et multæ misericordiæ;* qui *non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur;* qui *non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis;* sed *quantum distat oriens ab occidente, longe fecit a nobis peccata nostra;* qui *sicut miseratur pater filios, sic miseratur timentes se* (*Psal.* CII, 8-13); qui dicit, *Nolo mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII, 23, *et* XXXIII, 11). Non ille qui propter lucrorum avaritiam, etiam eum servum qui non perdidit talentum quod acceperat, tantum quia non amplius acquisivit, ligatis manibus et pedibus projici jussit in tenebras exteriores, ubi esset ei fletus et stridor dentium (*Matth.* XXV, 14-30): et qui hominem non habentem vestem nuptialem de convivio suo tollit, et similiter alligatum simili supplicio punit (*Id.* XXII, 11-13): et qui venientibus ad se, et pulsantibus, et dicentibus, *Domine, aperi nobis;* respondet, *Non vos novi;* tantum quia oleum secum, quod infunderent suis lampadibus, non tulerunt (*Id.* XXV, 1-2): et qui propter unum contumeliosum verbum mittit in gehennam (*Id.* V, 22): et qui pro temporali cibo non accepto, igne damnat æterno (XXV, 41, 42). Hæc atque hujusmodi si quis vesana mente sacrilegus, inde lenia, hinc aspera colligat; ac sic homines utrarumque Litterarum imperitos a Christo tanquam sævo et crudeli conetur avertere, et ad Deum Prophetarum misericordem mitemque convertere; nonne et huic ipsi qui hoc facit Veteri Testamento, quod ab homine similiter sacrilego posset fieri Novo, impurus atque impius apparebit? Qui autem recte colit Deum, et profecto utriusque Testamenti invenit unum Deum, et ejusdem unius Dei in utroque diligit bonitatem, in utroque metuit severitatem: in illo intelligens promissum Christum, in isto accipiens redditum Christum.

35. Nonne prius in illis veteribus Libris lectum est, non reddendum malum pro malo, ubi præcipitur ut si jumentum inimici sui errare quisque invenerit, revocet domino ejus; et si cecidisse in via, non pertranseat, sed levet cum illo (*Exod.* XXIII, 4, 5)? Nonne ibi prius scriptum est, quod Apostolus ponit: *Si esurit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi* (*Prov.* XXV, 21; *Rom.* XII, 20)? Nonne ibi prius homo Dei Deo suo, quod ei utique scit placere, dicit: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Psal.* VII, 4, 5)? Nonne ibi prius Jeremias propheta describit sancti patientiam, præbentis percutienti se maxillam (*Thren.* III, 30)? Nonne ibi prius per alium prophetam præcipitur, ut malitiam unusquisque fratris sui non reminiscatur (*Levit.* XIX, 18)? Quid est ergo quod iste blasphemus hæc tanquam contraria Veteri Testamento de Novo colligit, aut utrasque Litteras nesciens, aut ut decipiat imperitos, se scire dissimulans? A quo tamen si quæratur, utrum non reddat malum pro malo, qui pro cibo non accepto in ignem mittit æternum; profecto turbabitur, et admonebitur incomparabiliter esse melius oculum pro oculo, dentem pro dente homini auferre (*Exod.* XXI, 24), ubi mensura vindictæ modum non transit injuriæ, quam propter non exhibitam humanitatem, tantam rependere severitatem, ubi transitoria est culpa, et finem non habet pœna: atque ita discet, si pervicax non est, in utroque Dei unius Testamento et amandam bonitatem et timendam severitatem. Quamvis enim in Vetere Testamento propter temporalium bonorum promissionem malorumque comminationem, servus

[1] Edidi, *in thesauris est.* Mss. vero carent verbo, *est;* quod nec apud LXX reperitur. In iisdem Mss. omittitur, *et pietas;* cui tamen in græco, respondet, *kaὶ eusébeia.*

pariat temporalis Jerusalem ; in Novo autem, ubi fides impetrat charitatem, qua lex possit impleri non magis timore pœnæ quam dilectione justitiæ [1], liberos pariat æterna Jerusalem (*Galat.* IV, 22-31) : tamen et illis temporibus fuerunt justi spirituales, quos non occidebat littera jubens, sed vivificabat spiritus juvans (II *Cor.* III, 6). Unde et fides venturi Christi habitabat utique in Prophetis, venturum prænuntiantibus Christum ; et nunc sunt plurimi carnales, qui vel hæreses faciunt non intelligendo Scripturas, vel in ipsa Catholica aut adhuc parvuli lacte nutriuntur, aut tanquam palea perseverans futuris ignibus præparantur. Sicut autem Deus unus et verus creator bonorum est et temporalium et æternorum, ita idem ipse auctor est amborum Testamentorum ; quia et Novum in Vetere est figuratum, et Vetus in Novo est revelatum.

36. Ignoscendi autem misericors mansuetudo, propter quam dictum est, non solum septies, verum etiam septuagies septies fratri remittenda esse peccata, non ad hoc valet ut sit iniquitas impunita, aut torpens et dormiens disciplina, quod potius obsit quam diligens vigilansque vindicta. Claves quippe regni cœlorum sic dedit Christus Ecclesiæ, ut non solum diceret, *Quæ solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis ;* ubi apertissime bonum, non malum pro malo reddit Ecclesia : verum et adjungeret, *Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata et in cœlo ;* quia bona est et vindicandi justitia. Illud enim quod ait, *Si nec Ecclesiam audieril, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus ;* gravius est quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subrigeretur [2]. Nam ibi quoque subjunxit, *Amen dico vobis, quæ ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis* (*Matth.* XVIII, 17 22) : ut intelligeretur, quam gravius sit punitus, qui velut relictus est impunitus. Hic dicat iste, si placet, Siccine mandata Salvatoris accepimus jubentis, *Nemini reddideritis malum pro malo ; sed si quis vos percusserit in unam maxillam, præbete et alteram ;* et, *Dimittite injurias fratribus vestris* (*Id.* V, 39 44, *et* XVIII, 35) ? Ecce ab hominibus non reddentibus malum pro malo, alligatur homo amarius et infelicius Ecclesiæ clavibus, quam quibuslibet gravissimis et durissimis ferreis vel adamantinis nexibus. Absit, inquit, ut hoc dicam, quoniam christianus sum. Hoc si vere esset, nec illa dixisset. Quoniam Deus Prophetarum quorum scripta blasphemat, ipse est Deus Apostolorum quorum scripta blasphemare formidat.

CAPUT XVIII. — 37. *Sed David*, inquit, *Deum rogavit, et non est exauditus, nisi oblato sacrificio, ut hominibus qui non peccaverant, parceretur* (II *Reg.* XXIV) : *et ideo non est credendus Deus verus, qui sacrificiis delectatur.* Jam de pœna occisorum hominum, quibus quandoque morituris mors illa non obfuit, et eorum tamen mortibus cor regis sese extollentis merito vapulavit, superius respondimus. De sacrificio autem valde iste nihil sapit : et ideo fallitur, quia jam sacrificia talia non offert Dei populus Deo, posteaquam venit unicum sacrificium, cujus umbræ fuerunt illa omnia, non hoc improbantia, sed hoc significantia. Sicut enim res una multis locutionibus et multis linguis significari potest ; sic unum verum et singulare sacrificium multis est antea sacrificiorum significatum figuris. De quibus singulis hic disputare quam sit longum, videtis. Unum tamen sciant insipientes, tardi ad intelligendum, et præcipites ad reprehendendum, quod dæmon sibi sacrificium non exigeret, nisi Deo vero deberi sciret. Falsus enim Deus sic se vult honorari ab eis quos decipit, quomodo verus Deus ab eis quibus consulit : et maxime sacrificium est quod præcipue debetur Deo. Nam obsequia cætera quæ divinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbiæ fastu homines arrogare. Rarissimi autem commemorantur, qui sibi ut sacrificaretur, cum regia potestate possent, ausi fuerint imperare. Quicumque tamen ausi sunt, per hoc se deos haberi voluerunt. Sacrificiis autem Deum non egere, quis nescit ? Sed nec laudibus nostris eget. Verum sicut nobis, non illi, utile est laudare Deum ; sic nobis, non illi, utile est offerre sacrificium Deo. Quoniam singulari et solo vero [3] sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est : ideo primis temporibus ad hoc sacrificium talibus significationibus prophetandum, immaculatorum animalium sacrificia Deus sibi jussit offerri ; ut quemadmodum illa immaculata erant a corporum vitiis, ita speraretur immolandus esse pro nobis, qui solus immaculatus fuerat a peccatis. Quæ tempora per prophetam sic prænuntiantur : *Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram, a solis ortu usque ad occasum ; ex Sion species decoris ejus.* Et paulo post in eodem psalmo : *Audi, populus meus, et loquar tibi ; Israel, et testificabor tibi : quoniam Deus Deus tuus ego sum. Non super sacrificia tua arguam te ; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes bestiæ silvæ, pecora in montibus et boves. Cognovi omnia volatilia cœli, et species agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Et iterum in fine psalmi ejusdem : *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me, et ibi via qua ostendam illi salutare Dei* (*Psal.* XLIX). Jam de hoc salutari Dei, quod ipse sit Christus, supra commemoravi atque monstravi (*Supra*, n. 15). Quod est autem sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum ? Et unde majores agendæ sunt Deo gratiæ, quam pro ipsius gratia per Jesum Christum Dominum nostrum ? Quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cujus umbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum. Isti autem vaniloqui reprehensores Veteris Testamenti, etiam si cætera quæ commemoravi de hoc psalmo minus intelligunt, sufficiat eis quantum ad præsentem quæstionem attinet, quia Deus Prophetarum, qui Deus est etiam Apostolorum, non manducat taurorum carnes, nec sanguinem potat hir-

[1] Plerique Mss., *delectatione justitiæ.*
[2] In quibusdam Mss., *subjiceretur.*
[3] Mss., *vere.*

corum. Talem quippe eum noverant sancti, qui pleni ejus Spiritu ista dicebant. Unde illud quod David obtulit, ut populo parceretur, umbra erat futuri, qua significatum est, quod per unum sacrificium [1], cujus illa figura erat [2], saluti populi spiritualiter parcitur. Ipse est enim Christus Jesus, *qui traditus est*, sicut Apostolus dicit, *propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV, 25) : propter quod etiam dicit, *Pascha nostrum immolatus est Christus* (1 *Cor.* V, 7).

CAPUT XIX. — 38. Unde autem iste probare conatus est, evidenter servisse dæmoniis, qui sacrificiis ea promeruit, volens hoc intelligi de sancto David, ibi evidentius quanta fraude imperitorum animis insidietur ostendit. Adhibuit enim Apostolum testem, eo quod dixerit, *Videte Israel carnaliter : nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quod idolum sit aliquid? Sed qui sacrificant, dæmonibus sacrificant.* Quod non ita scriptum est : sed ita, *Videte Israel secundum carnem : nonne qui de sacrificiis manducant, socii sunt altaris? Quid ergo? dico quia idolis immolatum est aliquid, aut idolum est aliquid? Sed quia quæ immolant* [3], *dæmoniis, et non Deo, immolant. Nolo vos socios dæmoniorum fieri.* Potuit autem accidere, ut secundum interpretationum varietatem non in rebus, sed in verbis, quod ego dixi, *secundum carnem;* alii codices habeant, *carnaliter :* et quod ego dixi, *qui de sacrificiis manducant;* aliqui habeant, *edunt hostias;* quod ipse posuit : et quod ego, *socii sunt altaris;* habeant aliqui, *participes sunt altaris :* et quod ego posui, *Quid ergo? dico quia idolis immolatum est aliquid?* minus ille posuerit, aut minus codex ejus habuerit; et ideo tantummodo posuit, *quia idolum est aliquid.* Quod vero sequitur multum ad rem pertinet, quia id aliter posuit. Ait enim Apostolus : *Sed quia quæ immolant, dæmoniis, et non Deo, immolant.* Iste autem dixit, *Sed qui sacrificant, dæmonibus sacrificant :* quasi omnes qui sacrificant, non sacrificent nisi dæmonibus. Non enim ait Apostolus, Qui sacrificant; sed, *quæ sacrificant;* vel, sicut a me positum est, *immolant :* illi scilicet qui idola colunt; *quæ sacrificant, dæmoniis, et non Deo, sacrificant*, sive, *immolant.* Et ideo subjunxit, *Nolo vos socios dæmoniorum fieri :* eos quippe ab idololatria prohibebat. Propter quod eis ostendere voluit, ita illos fieri socios dæmoniorum, si idolothyta sacrificia manducaverint, quomodo Israel carnalis socius erat altaris in templo, qui de sacrificiis manducabat. Ideo quippe addidit, *carnaliter*, vel, *secundum carnem;* quia est Israel spiritualiter, vel secundum spiritum, qui veteres umbras jam non sequitur, sed eam consequentem quæ illis umbris præcedentibus significata est veritatem. Hinc enim cœpit, ut hoc diceret : *Propter quod, dilectissimi mihi, fugite ab idolorum cultura.* Deinde secutus ostendit, ad quod sacrificium jam debeant pertinere, dicens : *Quasi prudentibus dico, judicate vos quod dico. Calix benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communicatio est corporis Domini? Quia unus panis et unum corpus multi sumus; omnes enim de uno pane participamus* (1 *Cor.* X, 14-20). Et propter hoc subjunxit, *Videte Israel secundum carnem : nonne qui de sacrificiis manducant, socii sunt altaris?* Ut intelligerent ita se jam socios esse corporis Christi, quemadmodum illi socii sunt altaris. Et quia ut hoc diceret, ab idololatria prohibebat; unde locus iste sermonis ejus, sicut commemoravi, sumpsit exordium : ne putarent ideo non esse curandum, si de sacrificiis ederent idolorum, quia idolum nihil est, existimantes sibi hæc velut superflua non nocere, confirmavit quidem et ipse nihil esse idolum : nec ideo se ista prohibere, quia idolis immolantur quæ non habent sensum; sed quia *quæ immolant*, inquit, id est, idolorum cultores, *dæmoniis, et non Deo, immolant. Nolo vos socios dæmoniorum fieri.* Istum sensum veritas ipsa declarat : quia in templo cui serviebat carnaliter Israel, non utique idolum colebatur. Nam si sacrificia quæ in illo templo secundum veterem Legem offerebantur Deo, tanquam idolorum sacrificia damnarentur, vel tanquam dæmoniis immolata, nullo modo ipse Dominus Christus leproso quem mundaverat, diceret : *Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis* (*Matth.* VIII, 4). Nondum enim dederat pro sacrificiis illis omnibus sui corporis sacrificium, nondum suscitaverat sui corporis templum. Nec de illo templo ejiciens eos qui boves et columbas vendebant, diceret [4] : *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Id.* XXI, 13).

CAPUT XX. — 39. Sane de apocryphis iste posuit testimonia, quæ sub nominibus apostolorum Andreæ Joannisque conscripta sunt. Quæ si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus per episcoporum successiones certissimas, usque ad nostra et deinceps tempora perseverat, et immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo *Deus deorum locutus vocavit terram, a solis ortu usque ad occasum.* Hæc quippe Ecclesia est Israel secundum spiritum; a quo distinguitur ille Israel secundum carnem, qui serviebat in umbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium quod nunc offert Israel secundum spiritum, cui dictum atque prædictum est, *Audi, populus meus, et loquar tibi; Israel, et testificabor tibi* (*Psal.* XLIX, 2, 7) : et cætera, quæ jam supra commemoravi. De hujus enim domo non accipit vitulos, neque de gregibus ejus hircos. Iste immolat Deo sacrificium laudis, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedec. Quod in eo psalmo positum est, quem Dominus Jesus in Evangelio de se conscriptum esse testatur, quærens a Judæis respondentibus Christum filium esse David, quod solum de illo carnaliter noverant, quomodo eum David in Spiritu dixerit Dominum. Tunc enim hujus psalmi commemoravit exordium : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis,*

[1] Nostri omnes Mss., *per verum sacrificium.*
[2] Ita in Mss. At in editis, *illa figura erant.*
[3] Editi hoc tantum loco addunt, *gentes;* quod verbum hic et infra semper omittunt Mss.
[4] Plerique Mss., *dixerat.*

donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ibi quippe et hoc dictum est : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec* (*Matth.* XXII, 42-45; *Psal.* CIX, 1, 4). Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchisedec, quando benedixit Abraham (*Gen.* XIV, 18, 19) : et si jam sunt participes ejus, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem juratio incredulorum est increpatio. Et quod Deum non pœnitebit, significatio est quia hoc sacerdotium non mutabit. Mutavit quippe sacerdotium secundum ordinem Aaron. Unde alius propheta dicit ad eum qui carnaliter est Israel : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et hostiam non accipiam de manibus vestris.* Ecce quod est secundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit, et dicit : *Quia ab ortu solis usque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et hostia pura ; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens* (*Malach.* I, 10, 11). Ecce quod est secundum ordinem Melchisedec. Incensum enim quod est græce θυμίαμα, sicut exponit Joannes in Apocalypsi, orationes sunt sanctorum (*Apoc.* V, 8). Deus quippe ille, sicut canitur in Psalmo, qui *vocavit terram, a solis ortu usque ad occasum ;* cui terræ, id est, cui populo diffuso a solis ortu usque ad occasum, diceret, *Non accipiam de domo tua vitulos ; immola Deo sacrificium laudis* (*Psal.* XLIX, 2, 9, 14) : ipse per hunc prophetam quod certissime futurum erat jam velut factum prædicans ait, *Ab ortu solis usque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et hostia pura ; quia magnum est nomen meum in gentibus.*

40. Non enim sicut hominem pœnitet Deum ; sed sicut Deum : quemadmodum non sicut homo irascitur, nec sicut homo misereatur, nec sicut homo zelat ; sed omnia sicut Deus. Pœnitentia Dei non est post errorem : ira Dei non habet perturbati animi ardorem : misericordia Dei non habet compatientis miserum cor, unde in latina lingua nomen accepit : zelus Dei non habet mentis livorem. Sed pœnitentia Dei dicitur, rerum in ejus potestate constitutarum hominibus inopinata mutatio : ira Dei est vindicta peccati : misericordia Dei est bonitas opitulandi[1] : zelus Dei est providentia, qua non sinit eos quos subditos habet, impune amare quod prohibet. Unde iste qui tam loquaciter exagitavit Dei pœnitentiam, discat primo, vix inveniri aliquid quod digne de Deo dici possit ; sed plurima et pene omnia nos de illo dicere loquendi necessitate, quæ magis homines ex hominibus metiuntur, sicut autem intelligenda de illo sunt vix a paucis et spiritualibus intelliguntur. Propter quod providentissime Scriptura divina de illo ineffabili loquens ad quædam etiam verba descendit, quæ jam hominibus et ipsis carnalibus, cum de Deo sermo est, videntur absurda et indigna : ut cum timentur ista sic accipi, quomodo in hominibus solet, et discutiuntur quemadmodum de Deo bene accipi possint, ibi discatur etiam illa quæ humanis sensibus in eisdem Scripturis Deo digna videbantur, non secundum hominum mores intelligi vel credi oportere. Cito enim videtur pœnitentia, sicut ab hominibus agitur, non cadere in Deum : sed non cito videtur etiam misericordia, sicut homines miserentur, non cadere in Deum. Ex illo ergo quod requirendum fatetur, discit homo et hoc requirere, quod jam sufficere arbitrabatur. Sic ergo quando eum pœnitet, non mutatur, et mutat ; sicut quando irascitur, non movetur, et vindicat ; et quando misereatur, non dolet, et liberat ; et quando zelat, non cruciatur, et cruciat.

41. Numquid autem in libris Testamenti novi desunt hæc verba, quæ si accipiantur sicut in hominibus intelligi solent, nullo modo congruunt divinitati, et gravem pariunt offensionem ? Cum enim de Christo verissime dicat evangelista, quod *non opus habebat ut ei quisquam testimonium perhiberet de homine ; ipse enim sciebat quid esset in homine* (*Joan.* II, 25) ; cur ipse quibusdam dicit, *Nescio vos* (*Matth.* XXV, 12) ? Ipsos denique sanctos suos cum præscierit et elegerit ante mundi constitutionem : quid est quod dicit Apostolus, *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo* (*Galat.* IV, 9) ; quasi nunc eos cognoverit, quos antea nesciebat ? Quod vero ait, *Spiritum nolite exstinguere* (*1 Thess.* V, 19), tanquam exstingui Spiritus possit, quis ferat[1], nisi qui ea prudenter intelligit ? Nonne in Evangelio scriptum est : *Qui credit in Filium, habet vitam æternam ; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (*Joan.* III, 36) ? Calumnietur ergo et huic verbo iste blasphemus, et dicat : Qualis est qui irascitur, cum scriptum sit, *Iracundia viri, justitiam Dei non operatur* (*Jacobi* I, 20) ? Calumnietur isto modo et Apostolo dicenti, *Numquid iniquus Deus qui infert iram* (*Rom.* III, 5) ? Jam porro si quisquam diceret, Confundetur Christus, et hoc eo tempore quo judicaturus est vivos et mortuos ; quis cum christianus patienter audiret ? Tamen in Evangelio, *Qui me*, inquit, *confusus fuerit, et verba mea, in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum cum venerit in gloria*[2] *Patris sui cum Angelis sanctis* (*Marc.* VIII, 38). Cur autem orantes dicimus, *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI, 9), si semper est sanctum ; nisi quia verum est et quod scriptum est de quibusdam, quia *polluerunt nomen Domini Dei sui* (*Ezech.* XLIII, 8) ? Et cur dictum est Domino, *Memento mei cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42), si nihil obliviscitur ; nisi quia non insipienter, sed intelligenter ei dicitur, *Oblivisceris inopiam nostram et tribulationem nostram* (*Psal.* XLIII, 24) ? Ergo et scienter nescit ; et quod semper scivit, aliquando cognoscit ; et cum exstinguitur a negantibus, inexstinguibilis permanet ; et tranquille irascitur ; et confundi

[1] Sic jn Mss. At in editis, *bonitas opitulantis.*

[1] Veteres codices, *quis erunt.* Forte pro, *quis servat.*

[2] In B., *in gloriam.* Melius cum Fr. et Vulgata, *in gloria* ; cui lectioni græcum adstipulatur, *en tê doxê.* M.

non potest, etiam quando confunditur; et nomen ejus pollui non potest, etiam quando polluitur; et oblivisci non potest, etiam quando obliviscitur; et meminit, etiam quando admonetur. Sic est ineffabilis. Hæc enim de illo dicuntur, de quo nihil ab homine vel hominis satis digne et satis competenter dicitur. Quæ cum ita sint, quis religiosus non istum exsufflet ut pulverem, quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4); qui tumens et elatus atque irruens in oculos infirmorum, eosque perturbans, videtur sibi aliquid dicere, arguendo verba in Vetere Testamento quæ non intelligit, nec intuendo quæ in Novo intelligit?

42. Hoc autem de pœnitentia Dei, unde factum est ut loqueremur, cum commemoraremus prophetiam de Christo, ubi dictum est, *Juravit Dominus et non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec*, ad commendandum sacrificium salutare, in quo pro nobis sacer sanguis effusus est, cujus umbræ fuerant sacrificia, quæ de pecoribus immaculatis jussa sunt immolari : hoc ergo de pœnitentia Dei, ne sic eam putaret accipiendam, ut ex eo quod non intelligit, in blasphemiarum latratus rabidus insaniret; habebat unde commoneretur in proximo. Ipse quippe commemoravit Deum dixisse : *Pœnitet me unxisse Saül in regem* [1]. Hoc autem scriptum est Samueli sancto dictum fuisse, per quem Deus arguit Saülem, quod homini quem Deus occidi jusserat, pepercisset, exhibens velut misericordiam contempta obedientia : quasi vero melius nosset quid de homine fieri debuerit, quam ille qui hominem fecit. Ubi quod saluberrimum est discimus, ut semper divinum præceptum, humanum in nobis vincat affectum. Idem tamen Samuel cui dixerat Deus, *Pœnitet me unxisse Saül in regem;* dicit evidenter, Deum non pœnitere. Nam ita scriptum est : *Et factum est verbum Domini ad Samuel, dicens, Pœnitet me quod constituerim Saül in regem, quoniam aversus est a me, et verba mea non custodivit :* Et paulo post Saüli dixit ipse Samuel : *Disrupit Dominus regnum Israel de manu tua hodie, et dabit illud proximo tuo bono super te, et dividetur Israel in duo : et non convertetur, neque pœnitebit eum; quoniam non est sicut homo, ut pœniteat eum* (I *Reg.* XV, 11, 28, 29). Ecce qui noverat [2] intelligere Deum sine miseria [3] miserantem, sine ira irascentem, sine zelo zelantem, sine oblivione obliviscentem, sine ignorantia nescientem, sine pœnitentia pœnitentem : non iste qui secundum verbum Dei non loquendo, et Litteras ejus non considerando, et voces earum non advertendo, factus est mutus latrator, cæcus lector, surdus auditor.

43. *Obliviosus*, inquit, *Deus et emortua memoria arcum posuit in nubibus, qui iris dicitur, unde commoneatur non amplius humanum genus delere diluvio* (*Gen.* IX, 12-17), *quid agat omnino nesciens, cui merito opus sit assiduo monitore.* Iste vero non memoria, sed anima mortua quid loquatur nesciens, si in rebus apertioribus calumniatur, quanto magis caligat [1] in nubibus, et delirare compellitur? Cui tamen ut cito respondeam, ita dico Deum admoneri se voluisse, quamvis non sit oblitus, sicut Christus doceri se voluit ubi Lazarus positus fuerit, quamvis non esset ignarus. Nolo enim dicere, quos arcus ille significet [2], resplendens e nubibus fulgore, et radiis luminis quo roscida illustratur obscuritas, grata quodam modo confessione respondens; et quomodo Deus non perdat orbem diluvio spirituali, dum est eorum memor, quorum illuminatæ nubes figuram gerunt : horum enim nomina scripta sunt in cœlis, ut memor sit eorum Pater qui est in cœlis; quoniam non de suo lucere se sciunt, sed de sole justitiæ, sicut illæ nubes de sole visibili. Sed ex illo quod commemoravi, urgendus est, quomodo accipiat Dominum dicentem de Lazaro, *Ubi posuistis eum* (*Joan.* XI, 34); et locus ei, tanquam ignoret, ostenditur. Nisi enim aliquid eum ista, qua nesciens videbatur, inquisitione significasse fateamur, quomodo prædicamus Christum non solum scisse præsentia, verum etiam futura præscisse? Maxime quia iste in eam se præcipitavit mirabili cæcitate sententiam, ut diceret, *Nemo nisi ignarus interrogat?* Ubi cogitare non potuit, quoties Christus interrogaverit. Annon interrogat qui dicit : *Quid vobis videtur de Christo? cujus est filius* (*Matth.* XXII, 42)? Quid hoc testimonio manifestius? Quod si nimium durus est, numquid etiam ibi negabit interrogasse Christum, ubi se ipse interrogare testatur, dicens : *Interrogabo vos et ego unum sermonem; quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc facio : Baptisma Joannis unde erat? e cœlo, an ex hominibus* (*Id.* XXI, 24, 25)? Ubi nunc se abscondet loquacissimus contra Deum, et desperatissimus disputator? Ubi est quod ait, *Nemo nisi ignarus interrogat?* Ecce Christus ignarus non est, et tamen interrogat. His nempe oculis reprehendit Prophetarum Deum, quibus non videt Christum. Sed in talibus interrogationibus apertissime doctor est Christus. In his autem quando ait, *Ubi posuistis eum?* et, *Quis me tetigit* (*Luc.* VIII, 45)? et si quid dixisse hujusmodi legitur, videtur doceri vello quod nescit, et tamen scit. Sic ergo et in illis Libris Deus tanquam oblitus admonetur, sed tamen absit ut quidquam unquam obliviscatur.

44. Quid illud ipsum quod dixit Dominus discipulis suis, *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Id.* X, 20), nonne videtur tanquam ex illo arcu qui refulget ex nubibus, velut quibusdam in cœlo Deus litteris admoneri? Nisi hæc pie accipiantur, donec fides impetret ut intelligantur, nonne ut fabulosa ridentur? Quibus ridentibus, nisi insipientibus, et eo ipso quo sapientes sibi videntur, magis magisque dementibus? Quis enim cogitat quomodo ad memoriam Dei scribantur in cœlis sequentes Dominum, derelinquentes autem Dominum scribantur in terra, de quibus propheta Jeremias dicit : *Universi q i derelinquunt te, confundantur; recedentes* [3], *super terram scriban-*

[1] Mss., *in regnum*.
[2] In Mss., *noverat*.
[3] Ita Mss. Editi vero, *sine misericordia*.

[1] Mss., *caliginatur*. Am., *caligatur*.
[2] Sic Mss. Editi autem, *quid arcus ille significet*.
[3] Editi addunt, *a te;* quod a Mss. abest et a LXX.

tur (*Jerem.* XVII, 13)? Quos bene intelligitur significasse Jesus, quando Judæi victi atque confusi, cum audissent, *Qui sine peccato est, prior in illam lapidem jaciat*, unus post alterum recesserunt. Tunc autem ille ostendens de quo numero essent, digito scribebat in terra (*Joan.* VIII, 7-9).

CAPUT XXI. — 45. *Si putamus*, inquit, *merito conversationis suæ homines diluvii excepisse sententiam, et Noe justum ad reparationem creaturæ melioris esse servatum; cur exinde pejores oriuntur, et in eosdem actus vitæ sordentis, humani generis etiam nunc nativitas revolvitur?* Ita hoc dicit, tanquam vixerit cum eis qui diluvio perierunt, et inde noverit quod nunc pejores oriuntur. Sed sive in pejore, sive in eodem, sive in meliore actu post diluvium genus versetur humanum, puto Deo dimittendum esse judicium [1], qui novit retribuere unicuique secundum merita ejus : non huic cani rabido adversus Dominum suum latranti, vel asino stulto adversus stimulum calcitranti. Apostolus clamat, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (*Rom.* XI, 33, 34)? et iste illi cui nullus est consiliarius, audet esse adversarius. Quid autem interest, morituris cunctis, quantum ad mortem attinet corporis, utrum singillatim, an simul omnes pariterque moriantur; nisi quod cum singuli moriuntur, et omnes mortem et omnes de mortuis patiuntur dolorem; cum autem simul universos rapit unus interitus, saltem nemini relinquitur luctus? Verum etiam altius in illo diluvio consilium Dei fuit, quam cor infidelium vel novit vel capit. Sed nolo me, apostolum Petrum potius audiat iste dicentem : *In diebus Noe cum fabricaretur arca, octo animæ salvæ factæ per aquam : quod et vos*, inquit, *simili forma Baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium; sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi* (I *Petr.* III, 20, 21). Ecce habet expositum diluvii sacramentum. Ubi propterea est additum, *per resurrectionem Jesu Christi*, ut diem intelligeremus octavum, quod significavit in arca numerus hominum : octavo enim die, hoc est, post septimum sabbati Dominus resurrexit. Sic ergo illa quæ gesta commemorantur, si quis intelligit, etiam prophetiæ fuerunt. Sed iste præter arcam, id est, præter Ecclesiam constitutus, submersus est diluvio, non ablutus.

CAPUT XXII. — 46. De testimonio quoque Isaiæ prophetæ calumniatur atque blasphemat, eo quod dixerit, *Filios genui et exaltavi, ipsi autem me spreverunt;* et eosdem paulo post appellaverit semen pessimum (*Isai.* I, 2-4), tanquam se ostendens genitorem malorum, cujus filii sunt semen pessimum : nesciens ob hoc eos dici semen pessimum, quoniam gratiæ Dei qua ejus filii facti fuerant, peccando degeneres exstiterunt, eorum filii facti quorum imitatores esse voluerunt. Unde illis alio loco dicitur, *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Ezech.* XVI, 3) : quarum gentium sunt impietatem malitiamque sectati, ex quibus tamen carnis originem non ducebant. Sed solvat iste quæstionem evangelicam, ubi Dominus dicit : *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se* (*Luc.* XI, 13)? Dicat quemadmodum sit bonus Deus malorum pater : utrumque enim Veritas dixit. Annon erant mali quibus ait, *Si ergo vos cum sitis mali?* Annon habebant Deum bonum patrem quibus ait, *Quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* Porro si mali appellati sunt propter peccata, sine quibus non est in hac infirmitate mortalium quorumlibet etiam vita justorum; quanto convenientius semen pessimum diceretur, quod nasceretur impia voluntate, et moribus exsecrabilibus pullularet?

47. *Sed hunc*, inquit, *Deum Dominus Christus appellavit arborem malam facientem fructus malos.* Imo vero hujus talia sentientis tanquam malæ arboris, iste ipse sermo blasphemus, fructus est malus. Nam hominem malum dixisse Dominum arborem malam, cujus fructus mali essent opera mala; et hominem bonum arborem bonam, cujus fructus boni essent opera bona (*Matth.* VII, 15-20); id est, ipsas hominum voluntates, vel malam mali hominis, vel bonam boni hominis diversas esse arbores diversos fructus ferentes, satis evidenter ipse testatur, dicens : *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, et malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Quomodo autem diceret, *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, fructum ejus malum* (*Id.* XII, 35, 33); nisi homo posset nunc in hoc, nunc in illud mutata voluntate converti?

CAPUT XXIII. — 48. *Sed ipse Deus*, inquit, *per eumdem prophetam fatetur, et dicit, Ego sum Deus faciens bona et creans mala* (*Isai.* XLV, 7). Ita plane : ipse est enim Deus, de quo dicit Apostolus, *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei* (*Rom.* XI, 22). Hæc autem severitas ejus damnabilibus mala est, quia malum illis damnationis importat. Nam quia justa est, alio modo reperitur bona : omne enim justum bonum. Quam vero eleganter sibi videtur iste verba discutere atque discernere, nesciens quid loquatur? Quandoquidem hoc ipsum quod ita posuit hoc testimonium, ut non diceretur, Faciens bona et mala; aut, creans bona et mala; aut, creans bona et faciens mala; sed, *faciens bona et creans mala*: vult vertere in crimen; et conatur ostendere, quod fit, forinsecus fieri; quod autem creatur, apud ipsum esse creatorem, atque inde procedere : ut videlicet Deus Prophetarum tanquam extranei a se boni factor aliquando fuisse videatur, creator autem mali tanquam natura malus de se ipso proferens quod creavit. Quæ verba si ex consuetudine consideremus locutionis humanæ, et fieri et creari, non solum filii quos de semetipso quisque generat, verum etiam magistratus dicuntur atque urbes, et quæcumque alia quæ non exeunt de gignente, sed forinsecus fiunt. Si au-

[1] Editi, *Dei dimittendum esse judicio. Concinnius Mss.*, *Ego . . . . . judicium.*

tem quomodo Scripturæ sanctæ, quibus iste insidiatur, loqui soleant, perscrutemur, aut hoc est facere quod creare, a quo tamen distinguitur genere; et variandi verbi causa, non ad aliquam rerum differentiam dici potuit, *faciens bona et creans mala;* cum dici etiam posset, creans bona et faciens mala; aut si ullam voluisset propheticus Spiritus hic esse distantiam, multo accommodatius sic acciperentur hæc verba, ut intelligeremus id fieri, quod si non fieret, omnino non esset; creari autem, ex eo quod erat condi aliquid vel constitui, sicut diximus creari magistratus atque urbes: nam et illi ex iis qui jam homines erant constituuntur in honoribus, cum magistratus creantur; et ligna et lapides quibus construuntur urbes, utique jam erant, sed nondum in illam rerum faciem, quam videmus in urbibus, quodam ordine et compositione venerant; quod cum fit, creari urbes dicuntur. Quod enim Græci appellant κτίζειν, hoc nostri aliquando creare, aliquando constituere, aliquando condere interpretantur, quod sæpissime idem significat in illis Litteris quod est facere. Nam et *fecit Deus hominem ad imaginem Dei*, et *Deus creavit hominem inexterminabilem* (*Sap.* II, 23), legimus: et si aliquando cum aliqua differentia dicitur, hoc rectius potest interesse quod dixi, ut facere sit quod omnino non erat; creare autem, ex eo quod jam erat ordinando aliquid constituere. Ideoque hoc loco dictus est Deus *creans mala*, quoniam peccantibus ea convertit in malum dispositione severitatis suæ, quæ bonitatis ejus largitate bona facta sunt. Unde dicit apostolus Paulus: *Christi bonus odor sumus in omni loco* [1], *et in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt: quibusdam quidem odor vitæ in vitam, quibusdam vero odor mortis in mortem.* Sed cum continuo sequatur, et dicat, *Et ad hæc quis idoneus* (II *Cor.* II, 15, 16)? nonne importuni quodam modo sumus ingerere ista carnalibus non studiosis, sed contentiosis, nullo modo idoneis ea capere, quæ utinam saltem desinerent carpere?

49. Quantus quippe conflictus adversus Arianos fuerat excitatus, ne unigenitum Filium dicerent esse creaturam, idem putantes creatum esse quod genitum, iste fortassis ignorat. Sed ut ejus regula fallax atque distorta, ex eodem prophetico et evangelico testimonio, quod ipse posuit, percussa frangatur; sic Deus loquitur per prophetam: *Ego creans lucem et faciens tenebras, faciens pacem et creans mala* (*Isai.* XLV, 7). Quod ipse nec totum, nec sicut illic legitur, posuit. Atque illud quidem facile dissimulandum est, quod pro pace posuit *bona;* quoniam pax bona est. Sed illud prætereundum non est, quia hujus sententiæ partem superiorem dolo potuit præterire, ne diceret, *creans lucem:* quia cum sit lux etiam conflente ipso utique bona, ab eo creatam noluit confiteri, quem non vult creare nisi mala. Magis ergo indifferenter id positum debemus accipere, creare et facere: distinctionis tamen, quam sibi iste fecit, regula fracta est; quoniam Deus Prophetarum, quem de verbo quod non intelligit culpat, ibi legitur creator bonorum, quod negat. Itemque ex Evangelio. Nempe nobis tanquam plurimum suis partibus faveret, opposuit quod Dominus ait, *Arbor bona bonos fructus facit, et arbor mala malos fructus facit* (*Matth.* VII, 17). Cur ergo non secundum istum, Creat, dixit; non, *facit;* si vera est ejus differentia, qua faciendi a creante distinguit dicens, quod fit, alienum esse a faciente, quoniam de foris accedit [1]; quod autem nascitur, proprium ejus esse qui generat? Hinc enim existimat Deum generatorem malorum, quia dictum est, *creans mala;* putans quod et Ariani putaverunt, in Scripturis illis nihil interesse, utrum generari dicatur aliquid, an creari: sed certe in eo quod Dominus arborem bonam fructus bonos, malam malos non dixit creare, sed facere, videat iste suam regulam fractam, et comprimat linguam. Quid enim stultius, quam dicere, Deum Prophetarum esse arborem malam, et id velle intelligi in eo quod Dominus ait, *Arbor mala fructus malos facit:* et rursus dicere, *Non fecit mala, sed creat; quia si faceret, aliena ab illo essent, eique forinsecus accederent; cum vero creat, ipse illa de seipso tanquam radicitus generat?* Non ergo de isto Deo Dominus ait, *Arbor mala malos fructus facit:* quoniam creat mala iste, non facit. Ecce qui audet accusare Prophetas, qui ex Evangelio a se productis testibus refragatur.

CAPUT XXIV.— 50. Item verba quædam ex libro Deuteronomio, velut impura exhorrescens, impurus exagitat: quasi Deus verecundari debuerit, pudenda impiis irrogare vel prænuntiare tormenta, nec eo comminari modo, ut diceret, *Quæ mollis in vobis et tenera nimis fuerit, cujus experimentum non accepit pes ejus ambulare super terram præ teneritudine et mollitie, et zelabit oculo suo virum suum, et filium suum, et filiam suam, et secundas suas, et quod exierit per femora ejus comedet* (*Deut.* XXVIII, 56, 57). Imo vero quanto est horribilius, tanto est terribilius. Neque enim a Propheta monendo dictum est, sed minando: non ut hæc homines facerent; sed ne illa facerent quæ sensus perversus exercet, et ad hæc pervenirent quæ sensus humanus exhorret. Quis autem digne eloqui possit, quam sit mentis exsecrabilior fœditas, pœnas exhorrere meritorum, et merita non cavere pœnarum? Dicat plane Spiritus sanctus inquinatus et inquinabilis, quod audire anima recusat immunda, et esse non recusat immunda. Immunditiam quippe aversatur carnis offensis sensibus carnis, et immunditiam diligit suam exstinctis sensibus cordis. Dicat hæc Spiritus Dei, et per horrorem talia mala patiendi, incutiat timorem malefaciendi.

51. Idem namque Spiritus etiam per Apostolum loquens, sensus impios non est verecundatus offendere, dum pios vellet instruere: ubi commemorata impietate quorumdam, qua coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, subjunxit, atque ait, *Propter*

[1] Lov., *sumus Deo in omni loco.* Abest, *Deo*, ab editis aliis et Mss.

[1] In Mss., *de foris accidit:* et infra, *forinsecus accideret.*

hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam : similiter autem et masculi, relinquentes naturalem usum feminæ, exarserunt in appetitum suum in invicem, masculi in masculos deformitatem operantes, et mercedem mutuam quam oportuit erroris sui, in semetipsis recipientes. Si quisquam inimicus Apostoli vellet ex his verbis talia dicere, qualia dicit ex Librorum veterum quibusdam locis iste blasphemus, nonne haberet amplam materiam in qua loquaciter insaniret; et quanto sibi viderentur disertiora dicta [1], tanto detestabiliora maledicta jactaret; maxime quia dictum est, *Mercedem mutuam quam oportuit erroris sui, in semetipsis recipientes?* Oportuisse quippe non est veritus dicere Apostolus, ut qui *creaturæ potius quam Creatori servierunt, erroris sui mercedem*, non inviti hæc turpia patiendo, sed libenter faciendo, reciperent : judicio scilicet, non alicujus hominis immundissimi, quem talia delectarent, sed justissimi Dei, qui *tradidit eos in passiones ignominiæ;* ut crimina criminibus vindicentur, et supplicia peccantium non sint tormenta, sed incrementa vitiorum. Sapiens autem cum hæc audit, ipsam magis in hac vita iram Dei timet, qua homo non patitur quod acriter dolet, sed facit quod turpiter libet; et ejus cui talia judicia displicent, verba insana contemnit, quia in ipso [2] pœnam Pharaonis, hoc est, indurati cordis agnoscit. Si enim quosdam qui *non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 25-28); quid mirum, si et istum qui divina blasphemat eloquia, tradidit Deus in reprobam mentem, ut dicat quæ non conveniunt? Sic enim *oportet hæreses esse, ut probati*, inquit Apostolus, *manifesti fiant in vobis* (I *Cor.* XI, 19). Sic vasa iræ locis congruis et temporibus ordinantur, ut etiam de ipsis notas faciat Deus divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ de massa ejusdem damnationis fiunt in honorem, gratia illius, non meritis suis (*Rom.* IX, 22, 23). Ille quippe donat prodesse nobis, non solum quod docet veritas, verum etiam quod obstrepit vanitas; ut cum respondetur inquietissimæ vanitati, auscultetur sincerissimæ veritati.

52. De turpi maledicto arguit vanitas [3] : sed turpe non esse, quibusdam rebus turpibus nominatis cavendam ostendere turpitudinem, misericors indicat veritas, et vecors vincitur vanitas. Nam de turpi maledicto potest a verbosis impiis reprehendi et apostolus Paulus, ubi ait, *Utinam et abscindantur qui vos conturbant* (*Galat.* V, 12)! quod etsi bene intelligentibus benedictio magis apparet, ut fiant spadones propter regnum cœlorum; potest tamen garrula cæcitas etiam in Apostolo hoc reprehendere, contendens quod non debuerit rem honestam turpi verbo enuntiare. Possunt et ipsum Dominum, qui ejusdem continentiæ donum commendans ait, *Sunt qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 12). Legunt quippe isti litteriones : sic enim potius quam litterati appellandi sunt qui legendo litteratos, nihil sapere didicerunt : legunt ergo apud Ciceronem tale aliquid, unde sibi videantur docte Christi verba culpare, perditi potius quam periti. Ille namque cum doceret, in translatione verborum obscœnitatem esse vitandam, *Nolo*, inquit, *dici, morte Africani castratam esse rempublicam* (*Cic., de Oratore, lib.* 3). Sed si hoc verbum ipse quod vitari volebat, ut vitandum ostenderet, non vitavit, et quod dici noluit, coactus est dicere; quanto magis res quæ verbo eodem recte significatur, ut ab audiente possit intelligi, suo verbo enuntiatur? Atque ut ad illud redeamus, quod iste in Deuteronomio reprehendit : si Cicero vir eloquentissimus et verborum vigilantissimus appensor et mensor, quod dici noluit, dixit, ne diceretur; quanto melius Deus magis morum quam verborum pulchritudinem quærens atque munditiam, turpe aliquid non turpiter, sed minaciter dixit, ut hoc horreretur, ne illud committeretur [1], propter quod ad illa quæ audire horroris est, veniretur? Et tamen cum legitur, aures infidelitas claudit, avertit faciem, exasperat vultum, linguam vibrat, blasphemias jaculatur. Videte si non sunt isti ex isto genere hominum, qui loquente Christo de Sacramento corporis et sanguinis sui dixerunt : *Durus est hic sermo; quis potest eum audire?* Nisi quod excusabiliores sunt, qui verba divina quæ non intelligebant, non in maledictione, sed in benedictione horribilia non ferebant. Mirum enim non est, si maledictum quando auditur, horretur; nec exigendum est ut verbis non horrendis dicatur, quod ad hoc dicitur, ut ab exhorrente timeatur : Dominus autem talia dicebat, quæ amari præciperet, non timeri; et tamen quæ infidelitas sufferat, *Caro mea vere cibus est, et sanguis meus vere potus est;* et, *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 61, 56, 54)? Si ergo Dei Sapientia, verbis sacramento congruis pascens animam credentem, non curavit insipientiam nauseantem; quanto magis eadem ipsa Sapientia, ubi locus et tempus timoris fuerat, non amoris, salubrem volens importare terrorem, non curavit insipientis errorem, quamvis ejus prævideret horrorem? Quis autem istorum spiritualem novit horrere animæ fœditatem, cum velut sua quadam fame atque egestate, compellitur comedere, quæ de suis carnalibus cogitationibus, tanquam de femoribus exeunt? Nam illius maledicti, quod iste velut turpe reprehendit, rarus effectus est [2]; vix enim aliquando tam magnum est flagellum famis, ut ad nefanda illa compellat : ista vero fame, qua miserorum animæ inopes veritatis ea pro veritate comedunt, quæ carnalibus sensibus pariunt, usquequaque plena sunt omnia, tanto infelicius, quanto nocet amplius, et horretur minus.

53. Sed puto me uni libro illius quem misistis, nostro non uno, ne nimium prolixus sit, respondere debere : proinde hic faciamus hujus finem, ut ex his quæ discutienda restant, alius inchoetur. Nescio quo enim modo ita libri termino reficitur lectoris intentio, sicut labor viatoris hospitio.

[1] Sic Mss. Editi vero, *videretur disertiora dicere.*
[2] Editi, *quia ex ipso.*
[3] Nonnulli Mss., *Deum arguit vanitas.*

[1] Am. et Mss., *ne aliud committeretur.*
[2] Fr. Lugd. et Ven., *par effectus est.* M.

LIBER SECUNDUS.

In quo Novi Testamenti loca, quæ Legis et Prophetarum Adversarius velut eis contraria collegit, discutiuntur.

CAPUT PRIMUM. — 1. Jam nunc ea discutienda sunt, quæ iste de Novi Testamenti libris suffragari sibi arbitratur adversus propheticas Litteras, tanquam eas Apostoli Christi sua sententia condemnaverint. Quod ergo profanas et aniles fabulas et genealogias infinitas appellasse Apostolum existimat divina eloquia Legis et Prophetarum, quia dixit, *Profanas et aniles fabulas devita* (I *Tim.* IV, 7); et alio loco, *Ne intendas fabulis Judaicis et genealogiis infinitis, quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem* (*Id.* I, 4): quis ita nisi hæreticus multum cæcus erraret? Cur enim hoc Apostolus ipse non fecit, si has esse aniles fabulas judicavit? Cur dicit ad Galatas, *Dicite mihi, sub Lege volentes esse, Legem non legistis? Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera : quæ sunt in allegoria; hæc enim sunt duo Testamenta* (*Galat.* IV, 21-24) : et ad Corinthios, *Nolo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes per Moysen baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eumdem cibum spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt : bibebant enim de spirituali sequente petra*[1]*; petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 1-4)?

2. Nescit autem habere præter Scripturas legitimas et propheticas Judæos quasdam traditiones suas, quas non scriptas habent, sed memoriter tenent, et alter in alterum loquendo transfundit, quas deuterosin vocant : ubi etiam dicere audent et credere, Deum primo homini duas creasse mulieres; ex quibus texunt genealogias, vere, sicut ait Apostolus, infinitas, parientes infructuosissimas quæstiones. Sed si huic talia nunquam evenit audire, numquid et contra Evangelium sic obsurdescere debuit, ut non adverteret verba Domini Christi, quibus arguit Judæos, quod de parentibus non honorandis impietatem docerent filios suos? Ibi quippe et Dei præceptum quod in Lege conscriptum est, attestando commemoravit. Nec ob aliud eos arguit, nisi quod rejicerent mandatum Dei, ut statuerent traditiones suas. Cum enim interrogassent Pharisæi et Scribæ, *Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem*, ille respondens dixit eis : *Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. In vanum autem me colunt docentes doctrinas et præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum; et alia similia his facitis multa.* Et dicebat illis : *Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. Moyses enim dixit, Honora patrem tuum et matrem tuam; et, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri aut matri, Corban* (*quod est donum*) *quodcumque ex me, tibi profuerit : et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per*[1] *traditionem vestram, quam tradidistis; et similia hujusmodi multa facitis* (*Marc.* VII, 1-13). Ubi evidenter Christus ostendit et illam Dei esse Legem quam profanus iste blasphemat, et Judæos habere suas traditiones a Libris propheticis et legitimis alienas, quas appellasse Apostolum profanas fabulas, et aniles, et genealogias interminatas, non hæreticus, sed catholicus lector intelligit. Porro si velim testimonia cuncta colligere, quibus ostendam quemadmodum et ipse Dominus et Apostoli ejus Lege usi fuerint et Prophetis, quas iste aniles fabulas putat, quando sufficio? aut cui non sufficiant ista quæ diximus?

CAPUT II. — 3. Nec iste adversus lucem vocemque dominicam vel apostolicam tam cæcus et surdus est, ut ignoret quemadmodum a Christo et Apostolis, in libris ad Novum Testamentum pertinentibus, confirmetur Legis ac Prophetarum et commendetur auctoritas. Proinde excogitasse se existimat, quo pacto subterfugiat moles testimoniorum in evangelicis et apostolicis Literis de Libris veteribus positorum, quibus ejus, velit nolit, cervicata lingua conteritur. Ait quippe Apostolum pro qualitatibus ingeniorum in quinque personis locutum : *Insinuans enim rudi adhuc populo, inquit, quæ Dei sunt, non debuit a perfectioribus incipere, et consuetudinem ab eis vetustatis excludens a difficilioribus inchoare, ne novos adhuc ad fidem perfecta doctrina turbaret.* Deinde volens quasi probare quod dixit, eumdem apostolum dicentem commemorat : *Cum liber sim ex omnibus, omnibus me subjeci*[2]*, ut plures lucrifacerem : et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifaciam; et iis qui sub Lege sunt, tanquam qui sub Lege essem, cum ipse non sim sub Lege, ut eos qui sub Lege sunt, lucrifaciam; et iis qui sine Lege sunt, tanquam sine Lege essem, cum sine Lege Dei non sim, sed sim in Lege Christi, ut lucrifaciam eos qui sine Lege sunt : factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam; omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam* (I *Cor.* IX, 19-22). Has quatuor personas vult intelligi, in quibus Apostolum locutum putat; unam Judæorum, alteram eorum qui sub Lege sunt, tertiam eorum qui sine lege sunt, quartam infirmorum. Quinta debetur, quoniam quinque promiserat : hanc ut adderet, *Alio loco*, inquit, *superius jam dixit*, « *Sapientiam loquimur inter perfectos* » (*Id.* II, 6); ut perfecto-

[1] Lov., *bibebant autem de spirituali sequente eos petra.* At Mss. omisso, *eos*, habent, *bibebant enim* : juxta græcum.

[1] Editi, *propter.* At Mss., *per.*

[2] In editis, *me servum subjeci.* Abest, *servum*, a Mss.

rum videatur quinta persona. Hoc totum propterea molitus est, ut si quando aliquid de apostolica proferretur Epistola, ubi attestantur Evangelio Lex et Prophetæ, hoc dicat Apostolum, non sapientibus et perfectis, sed Judæis locutum fuisse quasi Judæum, vel eis qui sub Lege essent, tanquam esset et ipse sub Lege : ac per hoc subdole atque mendaciter simulantem se apud imperfectos ædificare, quod apud perfectos, non mentiendo, sed vera dicendo destrueret. Hanc videlicet ei erroris machinationem, nescio quis Fabricius fabricavit, quem velut magistrum veritatis Romæ se invenisse gloriatur. Quis non hoc monstrum, non dico sensus christianus, sed qualiscumque humanus exhorreat ?

4. Primo enim considerandum est quam se fraudulentissimum et mendacissimum profiteatur, qui mentientem putat et laudat Apostolum : et quod ille dixit, non fallentis astu, sed compatientis affectu, quia diversis animarum morbis tam misericordi corde subvenit, quam sibi subveniri voluisset, si errore vel infirmitate simili laboraret, hic in fallaciam detestabilem vertit. Deinde quæro, ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Colossenses, Philippenses, Thessalonicenses, quomodo loquebatur Apostolus ? In qua illarum quinque personarum eos esse deputabat ? Procul dubio quoniam in præputio Gentes erant, non in circumcisione Israelitæ. Ad hos quippe sibi distributum ministerium fuisse testatur, ubi dicit quod ei et Barnabæ dexteras societatis dederint Petrus et Jacobus et Joannes, ut ipse quidem cum Barnaba ad Gentes, illi autem ad circumcisionem irent (*Galat.* II, 9). Et alio loco apertissime dicit, *Quamdiu ego sum Gentium apostolus :* et multis aliis locis proprio quodam munere doctorem Gentium se esse testatur. Cum ergo essent sine Lege tot gentes quibus Evangelium prædicabat, quid opus erat ut eis Legem et Prophetas de Christo introduceret testes, eisque importaret ignaris vinculum, sicut ista pestis arbitratur, erroris, a quo eos fuisse liberos magis debuit gratulari ? Quid opus erat ut ad Romanos sic fuisset exorsus : *Paulus servus Christi Jesu, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 1-3) ? Quare non sibi potius personam imponit illorum ? Quare se facit tanquam sub Lege, eis qui fuerant sine Lege ? Utquid eis dicit : *Vobis enim dico Gentibus, quamdiu quidem ego sum Gentium apostolus, ministerium meum glorificabo* [1], *si quo modo ad æmulationem provocem carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis. Si enim rejectio illorum reconciliatio est mundi, quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis ? Si autem delibatio sancta est, et conspersio ; et si radix sancta est, et rami.* De Israelitis quippe ista dicit, de quibus ante jam dixerat : *Quid ergo amplius est Judæo, aut quæ utilitas circumcisionis ? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt ? numquid incredulitas illorum, fidem Dei evacuabit* [1] (*Rom.* II, 1-3) ? Deinde hic quod commemorare cœperam, sequitur, et dicit : *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum esses oleaster, insertus es in illis, et socius radicis factus es et pinguedinis oleæ, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo, Fracti sunt rami ut ego inserar. Bene, incredulitate* [2] *fracti sunt : tu autem fide stas ; noli altum sapere, sed time. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet* [3]. *Vides ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem ; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate : alioquin et tu excideris, et illi si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos. Nam, si tu ex naturali incisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam ; quanto magis illi qui secundum naturam sunt, inserentur suæ olivæ ? Nolo enim vos ignorare, fratres, sacramentum hoc, ut non sitis vobis sapientes, quia cæcitas ex parte in Israel facta est, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* [4], *sicut scriptum est : Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem ab Jacob ; et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum* (*Isa.* XI, 13-27). Nimis longum est cuncta percurrere, vel sicut per Scripturas apostolicas ubique sparsa sunt, ea in unam faciem congregare. Quid opus erat hæc dicere Gentibus ? Cur non potius sine Lege factus est eis, quemadmodum erant illi sine Lege ? Cur non potius deos eorum laudavit, eorumque sacrificia prædicavit, si et ista Scriptura quam populus Israel accepit, et illa sacra Gentium, sicut iste dicit, ad dæmonia pertinebant ? Quid, quod Deum Israel audet infelix dicere, non solum dæmonem, verum etiam cæteris dæmonibus pejorem [5] ? Cur ergo Apostolus, qui omnibus omnia, non misericordia compatiente, sicut veritas ostendit, sed astutia fallente, sicut iste desipit, factus erat, non potius illorum dæmonum quos colebant Romani, quos dæmones putat iste mitiores, servum se esse confinxit, ut fieret tanquam illi, ac sic eos lucrifaceret ?

5. Nonne item dicit ad Ephesios : *Propter quod memores estis, quia vos quando Gentes eratis in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta ; qui eratis illo in tempore sine Christo, alienati a societate Israel, et peregrini testamentorum et promissionis, spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo : nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitiam in carne sua, Legem mandatorum in decretis evacuans* [6], *ut duos conderet in se in unum novum homi-*

[1] In Mss., *glorifico*. In græco, *doxazô*.

[1] Ita Mss. At editi, *evacuavit*.

[2] Editi, *in incredulitate*. Parvula, *in*, abest a Mss. et a græco textu Apostoli.

[3] Sic Mss. At editi, *ne forte nec tibi parcat*.

[4] Plures Mss., *fiet*. Quidam alli, *fiat*.

[5] Antiquiores codices, *crudeliorem*.

[6] Editi, *Legem mandatorum decretis evacuans* : cuncta

nem, faciens pacem, ut conmutaret utrosque in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso : et veniens evangelizavit pacem vobis qui eratis longe, et pacem his qui prope; quia per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. Igitur jam non estis peregrini et inquilini : sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide existente Christo Jesu (*Ephes.* II, 11-20)? Dicat iste blasphemus, quomodo prope dicit inventos Israelitas, qui pejori, quemadmodum blasphemat, dæmoni serviebant, et longe erant Gentes, quæ mitioribus dæmonibus subditæ fuerant? Quomodo dicit alienatos fuisse a societate Israel et peregrinos testamentorum et promissionis, quando erant spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo, si Israel non Dei [1] populus erat? Contra istam tubam clarissimam et excellentissimam veritatis perstrepitat [2] atque insultat insanus, dicens in personis quinque locutum Apostolum, ut alias [3] ex aliis falleret, fingendo se esse quod non erat : cum videat eum Gentibus quæ longe fuerant a Deo Israelitarum, eumdem Deum, eamdem Legem, eosdem Prophetas, Testamenta eadem prædicare. Quis de angulari lapide prior locutus est? Nonne propheta Spiritu Dei plenus, quem pestis ista [4] blasphemat? Ait enim : *Ecce pono in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum; et qui crediderit in eum, non erubescet* (*Isai.* XXVIII, 16). Quod testimonium commemoravit et apostolus Petrus (*Act.* IV, 11, *et* I *Petr.* II, 6-8). Nonne prius in Psalmo pertinente ad Litteras sacras populi prioris dictum est : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22)? Illis enim Litteris eruditus Paulus apostolus posuit, quod paulo ante commemoravi, *ipso summo angulari lapide existente Christo Jesu*. Unde ipse Dominus Judæos, in quibus cæcitas ex parte facta est, convicit, confusosque reddidit, dicens : *Numquid legistis in Scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* (*Matth.* XXI, 42)? Hæc ergo omnia mendaciter Christus ex Lege ac Prophetis, mendaciter Apostoli proferebant, sicut iste blasphemat, quia videlicet infirmi nondum poterant solidam capere veritatem? Itane cæcus ignorat quod aliud sit nutrire parvulos, aliud decipere credulos; aliud alere ut crescant, aliud agere ne vivant? Talia quippe iste dicit ac sentit de Deo Legis et Prophetarum, ac de ipsis omnino Litteris, ut secundum ejus sententiam quam de illis habet, quando Apostoli prædicabant credentibus Legis et Prophetarum Deum, et confirmabant auctoritatem talium Scripturarum, non lac potandum videantur dedisse parvulis, sed venenum. Quod de illis quisquis credit, desipit, vanescit, insanit.

6. Ergone, ait aliquis, frustra dixit Apostolus, *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus; sed quasi carnalibus : quasi parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis* (I *Cor.* III, 1-2); et, *Sapientiam loquimur inter perfectos;* et, *Animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei* (*Id.* II, 6, 14)? Absit ut putemus eum inaniter nec veraciter ista dixisse. Numquid tamen ideo credendus est quemquam sibi credentium fallere voluisse? Dedit igitur parvulis parva, non falsa; lactea, non noxia; nutritoria, non perempturia. Porro autem, si non est verum quod ait, Filium Dei secundum carnem factum esse ex semine David; si non est verum quod naturales rami propter incredulitatem fracti sunt, ut in radice sancta Israelitarum ex Gentibus veniens fidelis insereretur oleaster, et fieret particeps pinguedinis oleæ; si non sunt eloquia Dei, sed nescio cujus, ut iste blasphemat, pessimi dæmonis, de quibus dicit, *Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei* (*Rom.* III, 2) : profecto qui hæc parvulis dabat, qui hæc tanquam vera prædicabat, qui credi volebat, delebat miseros, non alebat. Quod a fide atque doctrina veracium Christi Apostolorum quoniam esse scimus alienum, restat ut ipsum tanquam pestem atque hostem fidei christianæ vehementissime detestemur, qui tanta excæcatur et præcipitatur amentia, ut non videat ipsum saltem Timotheum, cui putat auctoritate apostolica fuisse præceptum, ut tanquam fabulas aniles veterem Legem Prophetasque devitet, ab eodem apostolo non fuisse fallendum, et in illa quinta perfectorum persona fuisse deputandum, ut ei non mendaciter loqueretur, dicens : *Memor esto Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum* (II *Tim.* II, 8). Si enim Christus ex semine David fabulis aniilibus prædicatur, quomodo eas jubetur iste devitare, quibus jubetur memoriter credere? Si autem Christus ex semine David veraciter prædicatur; ibi est radix in qua oleaster inseritur [1], nec aniles sunt fabulæ, nisi præter eas Scripturas deliramenta Judæorum, ad eam quam vocant deuterosin pertinentia : non illa eloquia Dei quæ credita sunt circumcisioni, ubi etiam carnales Judæi Christum ex semine David venturum esse didicerant, sicut interroganti Domino respondebant (*Matth.* XXII, 42), quamvis eum Dominum ipsius David, non secundum carnem, sed secundum divinitatem intelligere non valerent; utrumque tamen est in illis eloquiis, et quod credebant, et quod non intelligebant, et, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11), propter Christum ex semine David; et, *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam* (*Psal.* CIX, 1), propter Christum, Dominum etiam ipsius David.

7. Itane vero fallaciter dicebat Apostolus : *Veritatem dico in Christo, non mentior, contestante mihi con-*

particula, *in*, quam hic Mss. omnes græco textui consentientes repræsentant.

[1] Hic editi addunt, *et Christi;* quod a præcipuis Mss. abest.

[2] Sic plerique Mss. At Am., *et excelsissimam veritatem perstrepit.* Er. et Lov., *et excellentissimam veritatem perstrepit.*

[3] Editi, *ut alios.* At Mss., *ut alias*, scilicet, *personas.*

[4] In Mss., *pestis iste.*

[1] Ita Mss. At editi, *ubi est radix in qua oleaster inseritur? nec aniles sunt*, etc.

scientia mea in Spiritu sancto, quia tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo : optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis cognatis secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio, et gloria, et testamenta, et Legis constitutio, et obsequium, et promissiones ; quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen (*Rom.* IX, 1-5)? Veritatem se dicere clamat Apostolus in capite hujusce sententiæ, et hoc in Christo qui est ipsa veritas, contestante sibi conscientia sua in Spiritu sancto, eamque sententiam per *Amen* concludit in fine : et dicit iste, Non sunt vera quæ hic Apostolus loquitur, fallit infirmos, quia non possunt capere veritatem ; parvulos vanitatibus lactat, et esurientibus filiis diabolicorum mendaciorum virus infundit ut nutriat. O portentum non solum a Christianorum auribus, verum etiam a finibus christiani orbis arcendum! Hæccine adoptio, hæc gloria, hæc testamenta, hæc Legis constitutio, hoc obsequium, hæ promissiones, hi patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, fabulæ sunt aniles? Quod jubetur præcipue tenere, qui jubetur devitare fabulas aniles, fabulæ sunt aniles?

8. Sed quid mirum si tanta impietate delirat, qui Legis vult esse destructor ; si quosdam idem apostolus dicit volentes esse Legis, non destructores, sed doctores, non intelligere neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant? Verum nos illud quod secutus adjunxit, adversus utrosque teneamus. Continuo quippe ne quis existimaret ideo illos non intelligere quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, quoniam legis malæ volunt esse doctores : *Scimus autem*, inquit, *quia bona Lex est, si quis ea legitime utatur* (I *Tim.* I, 7, 8). Hæc sententia et illos refutat qui Lege utuntur male, et eos qui illam opinantur malam. Porro si bona est, qua dementia negatur Deus bonus, qui dedit Legem bonam? Quæ potest videri sufficere damnatio his hominibus, qui Legem quam sic Apostolus laudat, anilium fabularum nomine accusant? et hoc se existimant facere ejusdem Epistolæ testimonio, ubi eam sic Apostolus laudat : volentes esse Legis, non doctores, sed blasphematores, non intelligendo quæ loquantur, neque de quibus affirment?

CAPUT III. — 9. *Sed fieri non potuit*, inquit, *ut a Judæorum Prophetis Salvatoris nostri annuntiaretur adventus.* Cur fieri non potuit, cum dicat Apostolus, *Quia credita sunt illis eloquia Dei* (*Rom.* III, 2)? *Sed ante Salvatoris adventum*, inquit, *Spiritus sanctus ac divinus non erat super terram.* Hoc vanitas, non veritas loquitur. Nam quo nisi Spiritu sancto Prophetas suos Dominus implevit, de quibus in Epistolæ exordio dictum est ad Romanos, quod et supra commemoravi : *Paulus servus Christi Jesu, vocatus apostolus, segregatus in Evangelio Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Id.* I, 1-3). Et hoc quidem testimonium etiam iste posuit, prohibens eum ad quem scribit aliis Prophetis credere de Christo, præter illos quos Prophetas ejus ad Romanos dicit Apostolus : quos credo non arbitratur Prophetas fuisse Judæorum. Sed cujuslibet eos fuisse gentis opinetur, cur ibi non advertit, *Quod ante promiserat per Prophetas suos?* Per quoslibet enim Prophetas suos si ante promisit Evangelium de Filio suo, quid est quod iste dicit sanctum ac divinum Spiritum super terram non fuisse ante Salvatoris adventum? Et tamen isti unde potuerunt esse prophetæ, annuntiantes Christum ex semine David secundum carnem, nisi cujus gentis erat ipse David, de cujus semine Christus a Prophetis Dei promissus est esse venturus?

10. *Sed Lex*, inquit, *per Moysen data est ; veritas autem a Christo Jesu est.* Non ita scriptum est : sed ita, *Lex per Moysen data est ; gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17). Lex igitur data est per Moysen : facta est autem gratia per Jesum Christum, cum per ejus Spiritum charitate diffusa in cordibus nostris (*Rom.* V, 5), fit ut quod Lex præcipit, impleatur. Quod enim per litteram jubetur, non littera, sed Spiritu impletur. Unde illud quod scriptum est, *Non concupisces* (*Exod.* XX, 17) ; per Moysen Lex est, quia jubetur : sed per Christum fit gratia, quando quod jubetur, impletur : veritas autem facta est per Christum, propter illa quæ in prophetia Legis sunt promissa, quia in Christo eminent reddita.

11. Apostolus vero quod ait ad Romanos, *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent quem non audierunt?* de Gentibus dixit, non de Judæis, sicut hic somniat. Eos enim volebat refellere Doctor Gentium, qui putabant genti tantummodo Judæorum, non etiam incircumcisis Gentibus Evangelium prædicandum. Quod volens ostendere, non ad Judæos tantum, sed ad omnes gentes pertinere, prius posuit testimonium de propheta, *Erit omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit :* ac deinde cum dixisset, *Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent quem non audierunt?* continuo subjunxit, *Quomodo autem audient sine prædicante? aut quomodo prædicabunt, nisi mittantur* (*Rom.* X, 12 15)? Ita refutans eos qui negabant ad incircumcisas gentes prædicatores Christi esse mittendos.

12. Illud quoque sicut imperitissimus non intelligit, quod scriptum est : *Primum Apostolos, deinde Prophetas* (I *Cor.* XII, 28). Putat enim ante Apostolos non fuisse Prophetas, nesciens eos Prophetas illic commemoratos esse ab Apostolo, qui post Christi adventum fuerunt [1]. Quos qui vult nosse, Actus Apostolorum legat, et illud quod ait ad Corinthios, *Prophetæ autem duo aut tres loquantur* (*Id.* XIV, 29). Si autem non fuerunt Prophetæ ante Apostolos, qui erant illi per quos Deus *ante* promisit *Evangelium de*

[1] Mss., *qui post Christi adventum venerunt.*

Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 2, 3)? Quis erat qui dixit : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22)? Quis erat qui dixit : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui : dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 7, 8)? Quomodo Deus, cujus thronus est in sæculum sæculi, ungitur a Deo, nisi Christus Jesus, qui ex ipsa unctione Christi nomen accepit? Chrisma quippe unctio est, Christus unctus est. Quis erat qui dixit, quod ipse Christus de se testatur esse prædictum : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis?* Et hoc David in Spiritu dixisse confirmat (*Psal.* CIX, 1 ; *Marc.* XII, 36), quem Spiritum negat iste fuisse super terram ante Domini adventum. Quid est quod ait Apostolus : *Dicit autem Isaias, Erit radix Jesse, et qui exsurget regnare in gentibus, in eum gentes sperabunt* (*Rom.* XV, 12)? Quis erat Spiritus qui per eumdem Isaiam tanto ante prædixit : *Iste peccata nostra portat, et pro nobis dolet ; et nos putavimus eum esse in dolore, et in plaga, et in afflictione. Ipse vulneratus est propter peccata nostra, et infirmatus est propter iniquitates nostras : disciplina pacis nostræ super eum ; et livore ejus sanati sumus : omnes quasi oves erravimus, homo in via sua erravit ; et Dominus tradidit eum propter iniquitates nostras. Et ipse propter afflictionem non aperuit os : sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est : generationem illius quis enarrabit? quia tolletur de terra vita ejus. Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem* (*Isai.* LIII, 4-8) : et cætera quæ contexere longum est. Ubi etiam de Ecclesia tanto ante prædictum est, quod ab Apostolo legimus commemoratum, et nunc jam videmus impletum : *Lætare, sterilis quæ non paris ; erumpe et exclama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum. Dixit enim Dominus, Dilata locum tabernaculi tui, et aulæorum tuorum : fige, ne parcas, protende funiculos, et clavos tuos conforta ; adhuc in dextris et sinistris dilata : et semen tuum possidebit gentes, et civitates desertas habitari facies*[1]. *Noli timere, quia confusa es ; neque reverearis, quia exprobratum tibi est. Confusionem enim æternam oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ memor non eris. Quia Dominus qui fecit te, Dominus sabaoth nomen ei ; et qui eruit te Deus Israel, Deus omnis terræ vocabitur* (*Id.* LIV, 1-5 ; *Galat.* IV, 27). Quis est qui dixit : *Videbam in visu noctis, et ecce cum nubibus cœli ut filius hominis erat veniens, et usque ad vetustum dierum pervenit, et in conspectu ejus prælatus est : et ipsi datus est principatus, et honor, et regnum ; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient : potestas ejus potestas perpetua, quæ non transibit, et regnum ejus non corrumpetur* (*Dan.* VII, 13, 14)? Hæc et alia multa atque manifesta de Christo et Ecclesia unde prædicta sunt, quæ sic videmus impleta, et consonantibus evangelicis atque apostolicis Litteris etiam speramus implenda, si Spiritus Dei ante adventum Christi non fuit super terram ; vel si a Prophetis Israel non est Christi prænuntiatus adventus, sicut hic desipit, qui Christum negando ante promissum, non habet unde asserat missum? Et merito, quia ipse quem prædicat, nec missus est, nec promissus : verus quippe non est, sed fictus.

[1] Veteres quidam codices, *facias*.

CAPUT IV. — 13. Jam illud non miror, quod homo ineruditus de Prophetis Judæorum existimat dictum, quod ait Apostolus, *Dixit quidam ex ipsis proprius eorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri ; testimonium hoc verum est* (*Tit.* I, 12, 13) : ignorans dictum esse de quodam Epimenide, qui Cretensis fuit, in cujus libris hoc invenitur ; qui homo inter Prophetas Dei non invenitur, nec ad illa eloquia Dei pertinet, quæ Judæis dicit credita, qui non mentitur. Ideo non commemoravit Apostolus nomen ejus, sicut solet commemorare Prophetas Dei aliquando dicens, *Sicut et David dicit* (*Rom.* IV, 6) ; *Isaias autem audet et dicit* (*Id.* X, 20), *Sicut et Osee dicit* (*Id.* IX, 25) : vel tacitis eorum nominibus, cum dicit, *Sicut scriptum est* (*Id.* I, 17) ; et ea Scriptura intelligitur, in qua est auctoritas Dei : aut evidenter Deum dicere asserit, cum aliquod adhibet testimonium de Lege vel Prophetis Dei, quale est illud, *Bovi trituranti os non infrenabis. Numquid de bobus*, inquit, *cura est Deo? An propter nos Scriptura dicit* (1 *Cor.* IX, 9, 10)? ostendens utique in eadem Scriptura Deum loqui. Vel illud : *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ dicens, In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Galat.* III, 8). Ipsam Scripturam pro Deo posuit, quia Dei est. Vel illud de Abraham, *In promissione*, inquit, *Dei non hæsitavit incredulitate, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, et plenissime credens quia quæ promisit, potens est et facere* (*Rom.* IV, 20, 21). Contra quam divinam et apostolicam vocem, canis iste rabiosus oblatrans, ausus est dicere, Abraham Deo suo promittenti prolem non credidisse, ignorans illud quod ait, *Si mihi centum annos habenti nascetur filius* (*Gen.* XVII, 17), admirantis esse gaudium, non diffidentiam dubitantis. Vel illud : *Non potest excidere verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel, ii sunt Israel ; neque quia sunt*[1] *semen Abraham, omnes filii ; sed in Isaac vocabitur tibi semen : hoc est, non ii qui filii carnis, hi filii Dei ; sed filii promissionis deputantur in semen* (*Rom.* IX, 6-8). Vel illud de Elia : *Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal* (*Id.* XI, 4). His atque hujusmodi attestationibus Dei boni et veri esse Scripturas illas, quas iste blasphemat, apostolica commendat auctoritas. Ubi autem etiam aliquid de auctoribus Gentium dicit Apostolus, non eos appellat Prophetas Dei, nec illarum scripturarum Deum dicit auctorem quamvis ibi aliqua vera repe-

[1] Ita Mss. secundum græcum. At editi, *neque qui sunt*.

riat, sicut de isto Cretensi ait, *Dixit quidam ex ipsis proprius eorum propheta, Cretenses semper mendaces* (*Tit.* I, 12): non ergo Judæorum proprius, sed Cretensium; quod utique ad hoc dictum est, ne Dei propheta putaretur. Et in Actibus Apostolorum cum loqueretur Athenicasibus, ait de Deo: *In illo enim vivimus, et movemur, et sumus: sicut et quidam secundum vos dixerunt* (*Act.* XVII, 28).

14. *Sed Apostolis*, inquit, *Dominus noster interrogantibus de Judæorum Prophetis quid sentiri deberet, qui de adventu ejus aliquid cecinisse in præteritum putabantur, commotus talia eos etiam nunc sentire, respondit: Vimisistis vivum qui ante vos est, et de mortuis fabulamini.* Quid mirum (quandoquidem hoc testimonium de scripturis nescio quibus apocryphis protulit), si de Prophetis Dei talia confinxerunt hæretici, qui easdem litteras non accipiunt? Nam in Evangelio Dominus, quod non est apocryphum, sed in luce veritatis [1] omnibus notum, etiam post resurrectionem discipulis in itinere comitatus, incipiens a Moyse, per omnes Prophetas, hæc de se, quæ facta fuerant, prædicta monstravit (*Luc.* XXIV, 27).

15. *De ipso*, inquit, *iterum arguit, ubi dicit: « Multi mihi dicent in illa die: Domine, in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc dicam illis: Recedite a me, quoniam nunquam vos scivi, quia operati estis iniquitatem »* (*Matth.* VII, 22, 23). Absit ut ista de Prophetis sanctis, in quibus erat Moyses et cæteri, Dominus dixerit: sed dictum est de iis qui post ejus Evangelium prædicatum, in ejus nomine sibi loqui videntur, nescientes quid loquantur; in quibus et iste sibi locum perituros invenit.

16. Illud quoque ait dixisse Dominum: *Ego sum janua ovium: omnes alii quotquot ante me venerunt, fures sunt et latrones.* Non autem ita scriptum est: sed ita, *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones* (*Joan.* X, 8). Venisse quippe hoc loco intelligi voluit eos qui missi non fuissent: quos arguit etiam Jeremias, dicens, *Hæc dicit Dominus de Prophetis qui prophetant in nomine meo, et ego non misi eos* (*Jerem.* XIV, 15). Illi autem quos insanus iste blasphemat, a Domino missi sunt, non sponte venerunt. Quos et Dominus per parabolam quidem, sed apertissima significatione declarat, ubi dicit: *Aliam parabolam audite. Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter. Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus. Et apprehensum ejecerunt eum foras extra vineam, et occiderunt. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructus temporibus suis. Dicit illis Jesus: Nunquam legistis in Scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXI, 33-43.). Quid hoc apertius? quid clarius? quid evidentius? Sed iste de illorum numero est, qui servos patrisfamilias hujus lapidaverunt. Hoc enim facit, non ictibus saxeis, sed maledictionibus duris. Nam et primitus in gente Judæorum vineam Dei esse plantatam, missosque Prophetas ante ipsum esse Salvatoris adventum, parabola ista testatur. Et cum dicit, *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*; quod regnum dicit, nisi quod sperabant, non quod acceperant, id est, vitæ æternæ? Unde alibi dicit, *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere; ipsæ testimonium perhibent de me:* (*Joan.* V, 39): et alibi, *Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ: ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis* (*Luc.* XI, 52). Istisne molibus testimoniorum non atteritur impudens vanitas? Quis hunc audit, nisi qui Scripturas sanctas non audit, aut tam male audit quam in eas iste cæcus incurrit?

CAPUT V. — 17. *Sed ait de eis Dominus*, inquit, *« Parentes vestri manna manducaverunt, et mortui sunt »* (*Joan.* VI, 49): *docens neminem ipsorum ad Dominum pertinuisse, quibus mors dominata est.* Neminem plane, sed parentum illorum quibus talia loquebatur: parentes quippe infidelium, quos nisi infideles voletat intelligi? Unde alio loco dicit, *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum. Itaque estis testimonio vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt.* Filios utique dixit imitatione sceleris, non propagine generis. Non enim quod ex illis secundum carnem nati erant, hoc eis esse poterat crimini; sed quod eis se similes infideli crudelitate monstrabant. Ideoque connectit, ac dicit: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ* [2]? *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex illis flagellabitis in Synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem: ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam* (*Matth.* XXIII, 29-36). Nempe constat, nempe manifestum est, imitando esse istos filios malorum, a quibus Prophetæ sancti et justi, ab ipso Abel quem frater occidit, usque ad

[1] Plures Mss, *sed duce veritatis.*

[2] In Mss., *fugietis judicium gehennæ.*

Zachariam quem isti occiderunt, persecutiones impiissimas et sceleratissimas pertulerunt. Nam quomodo super istos veniet [1] illorum sanguis, qui longe ante vixerunt quam isti vel nascerentur, nisi quia unum genus, una conspersio, una massa est impiorum, imitatione sibimet connexorum? Simul etiam declaratur, in eodem populo fuisse justos atque Prophetas Dei, quorum isti, quibus hæc loquitur Dominus, ædificabant sepulcra, ornabantque monumenta. Pejor ergo iste et immanior qui eos defunctos lingua maledica lacerat, quibus honorem etiam impii deferebant; et in animam suam crudeliter sæviens eos blasphemat, cum velit videri christianus, quos Prophetas et justos asserit Christus.

18. Jam vero quod adjungere voluit sanctos Patriarchas, Abraham, Isaac, et Jacob, his de quibus Dominus ait, *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt*, quia et isti patres mortui sunt; utrum fraudulentus, an cæcus sit potius judicandus, incertum est. Sed quodlibet eorum eligat, detestandus est. Hinc enim hoc ostendere voluit, quia Dominus commemoratis eisdem patribus, ait, *Non est Deus mortuorum, sed vivorum:* cum potius eos vivere dixerit. Adhibito quippe testimonio de Lege, ubi scriptum est, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*; adjunxit, *Non est Deus mortuorum, sed vivorum.* Et adjecit, *Omnes enim illi vivunt* (*Matth.* XXII, 32, *et Luc.* XX, 37, 38): vita utique vera, qua justi vivunt, etiam quando corpore moriuntur. Sed quando hæc diceret iste, si viveret?

19. In hanc sententiam vult accipi et quod ait Dominus ad Judæos: *Neque me nostis, neque Patrem meum; sed nec verbum Dei habetis in vobis manens* (*Joan.* VIII, 19). Quod utique contrarium non est ei quod dixit: *Tulistis clavem scientiæ; ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis* (*Luc.* XI, 52). In semetipsis enim verbum Dei non habebant, sed habebant in Litteris quas legebant. Nam si haberent in semetipsis, et ipsi intrarent, et alios intrare permitterent. Non intrare autem est non intelligere. Ecce quare nec ipsum noverant, nec ejus Patrem; quia non intelligebant quod legebant: non quia Deum et Christum non prædicaverant, quos legebant. Hoc est ergo intrare, non esse contentum superficie litteræ, sed ad interiora intelligentiæ pervenire.

20. Argumentatur etiam de Joanne Baptista, quia Dominus ait, *In natis mulierum non exsurrexit major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo* (*Matth.* XI, 11): ita velut ratiocinando, tanquam Joannes non pertineat ad regnum cœlorum, et ob hoc multo minus cæteri Prophetæ illius populi, quibus major est Joannes. Hæc autem verba Domini duobus modis possunt rectissime intelligi. Aut enim regnum cœlorum appellavit eo loco Dominus quod nondum accepimus, et in quo nondum sumus; unde et in fine dicturus est, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Id.* XXV, 34): et quia ibi sunt sancti Angeli [2], quilibet in eis minor, major est utique quolibet sancto et justo, portante corpus quod corrumpitur et aggravat animam (*Sap.* IX, 15). Aut si regnum cœlorum in ea sententia illic intelligi voluit, qua et in hoc tempore significatur Ecclesia, cujus filii sunt omnes ab institutione generis humani usque nunc, quotquot justi et sancti esse potuerunt; profecto se ipsum Dominus significavit, quia nascendi tempore minor erat Joanne, major autem divinitatis æternitate et dominica potestate. Proinde secundum priorem expositionem ita distinguitur: *In natis mulierum nemo exsurrexit major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cœlorum*, ac deinde subinfertur, *major illo est.* Secundum hanc autem posteriorem ita: *In natis mulierum nemo exsurrexit major Joanne Baptista: qui autem minor est*, ac deinde subinfertur, *in regno cœlorum major illo est.* Sed uterque intellectus quam congruit veritati, tam refellendæ hujus sufficit vanitati. Sive enim quilibet Angelus cæteris minor, Joanne sit major, sive hic Dominus intelligatur, Joanne præcursore suo ætate minor, majestate major, nihil inde Prophetis cæteris derogatur. Potuerunt enim esse Joanni aliqui æquales, aliqui eo minores; nullus autem major, propter sententiam Domini: omnes tamen sancti, et justi, et boni.

CAPUT VI. — 21. *Sed Moyses*, inquit, *omnem spem futuræ resurrectionis in hominibus exstinxit, qui mortalem esse animam pronuntiavit, qui eam esse sanguinem dixit.* Deinde ratiocinando magnis viribus conatur ostendere, non esse animam sanguinem, et laborat in re manifesta, non intelligens Legem [1]. Sic enim dictum est, *Anima omnis carnis sanguis est* (*Levit.* XVII, 14); quomodo dictum est, *Petra erat Christus* (*I Cor.* X, 4): non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur [2]. Non autem frustra Lex animam voluit significare per sanguinem, rem scilicet invisibilem per rem visibilem; nisi quia sanguis per venas omnes ab ipso corde diffusus, in nostro corpore plus cæteris humoribus principatur; ita ut ubicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, sed ipse procedat: itaque anima, quia omnibus quibus constamus invisibiliter prævalet, illo melius significatur, quod omnibus quibus constamus visibilibus prævalet.

22. Illud autem quod Apostolus ait (nam et hoc testimonium iste posuit), *Caro et sanguis regnum Dei non possidebit* [3]; non facit de anima, sed de resurrectione corporis quæstionem. Verum et ista duobus modis solvitur. Aut enim carnis et sanguinis nomine corruptionem carnis et sanguinis nuncupavit, quæ in resurrectione non erit: aut carnem et sanguinem, homines ad omnes illecebras sæcularium voluptatum carni et sanguini deditos, qui regnum Dei non possidebunt. Totus autem iste locus apostolici sermonis, ubi scriptum est, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebit*, si consideretur diligentius, magis persuadebit corruptionem carnis sicut nunc est, his cum vocabulis appellare voluisse, atque ad exponendum quid di-

[1] Pr. Lugd. Ven. Lov, *venit*. M.
[2] Aliquot Mss.: *et qui ibi sunt Angeli.*

[1] Antiquiores codices, *ne intelligamus legem.*
[2] Mss., *Sed quia hunc significabat.*
[3] sola editio Lov., *non possidebunt.*

ceret adjunxisse, *Neque corruptio incorruptionem possidebit.* Quia cum facta fuerit quæ in resurrectione speratur illa mutatio, non utique remanebit ulla corruptio. Quamvis ergo et post resurrectionem Dominus dixerit discipulis suis, *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39) : tamen secundum substantiam caro erit, non secundum corruptionem, quæ nunc carni hoc nomen imponit. Unde ait propheta, *Omnis caro fenum.* Numquid enim et Domini quam levavit in cœlum? Quo ergo modo appellavit Propheta carnem, ubi ait, *Omnis caro fenum* ; dicturus utique, *Fenum aruit* (*Isai.* XL, 6, 7) : eo modo et Apostolus ait, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebit ;* quia non ibi erit corruptio, qua nunc sicut fenum natura carnis arescit. Non enim alia sententia est, *Neque corruptio incorruptionem possidebit :* sed hæc repetitio, sententiæ superioris est expositio : ut quod ibi dictum est, *caro et sanguis ;* hic intelligamus corruptionem, non substantiam carnis : et quod ibi dictum est, *regnum Dei ;* hic intelligamus incorruptionem. Atque ita nihil aliud dictum patemus, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebit ;* quam si diceretur, *Corruptio incorruptionem non possidebit :* id est, corruptio carnis et sanguinis in illius regni incorruptione non erit, propter immutationem scilicet, de qua mox locutus adjunxit, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem* (I *Cor.* XV, 50, 53). Ita corruptio quæ carnis et sanguinis nomine significata est, in regni illius incorruptione non erit : quia caro quæ nunc corruptibilis est, tunc mutata incorruptibilis erit.

23. Moyses autem homo Dei si animam credidisset esse mortalem, quod utique credidisset si eam sanguinem, non significationis, sed proprietatis causa esse dixisset, non alio loco diceret : *Omnis qui tetigerit mortuum ab omni anima hominis, et mortuus fuerit, et non fuerit purificatus, tabernaculum Domini polluit : exteretur*[1] *anima illa ex Israel ; quoniam aqua aspersionis non est circumspersa super eum, immundus est, adhuc immunditia ejus in ipso est* (*Num.* XIX, 13). *Adhuc* utique dixit, etiam post mortem, quia non est purificatus : ubi præfiguratum lavacrum regenerationis intelligit, quod nunc accipiunt qui baptizantur in Christo, quisquis audit fideliter, *Si credideretis Moysi, credideretis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46).

CAPUT VII. — 24 Quid autem mirum, si iste infelix a luce veritatis aversus, et ob hoc luci veritatis adversus, ea quæ non intelligit in Novo Testamento, objicit Veteri Testamento? Sicut etiam illud de apostolo Paulo, ubi ait ad Corinthios : *Quod si ministratio mortis, in litteris formata lapideis, facta est in gloria*[2]*, ita ut non possent filii Israel intendere in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ destruitur ; quare non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis ministratio justitiæ abundabit in gloria. Etenim non glorificatum est in hac parte id quod declaratum est propter excellentem claritatem. Nam si id quod destruitur, in gloria est ; multo magis illud quod manet, in gloria est.* Hoc modo iste posuit verba apostolica, nec a meliore interpretatione plurimum distat. Quia ergo dicta est *ministratio mortis in litteris formata lapideis*, hinc existimat quod morti ministraverit Moyses, id est, mortis auctori, maligno scilicet spiritui, quem mundi hujus iste opinatur auctorem : ignorans ministrationem mortis dictam Legem, secundum illud quod alibi dicit, *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.* III, 6-11). Lex enim quamvis justa et sancta et bona, prævaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia non adjuvit ad justitiam Legis implendam. Oportebat enim ut Testamento Vetere Lex imponeretur superbis, et de suæ voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret justitiam, sed juberet; ac sic morte prævaricationis impliciti, ad gratiam confugerent, non jubentem tantummodo, sed juvantem, quæ Novo Testamento est revelata. Hinc putant isti divinorum eloquiorum blasphematores, malam fuisse Legem quæ data est per Moysen, quia dicta est *ministratio mortis in litteris figurata lapideis :* non intuentes propter eos esse dictum, qui suo libero arbitrio Legem sufficere arbitrabantur, et spiritu gratiæ non adjuti, rei prævaricationis sub ejusdem Legis littera tenebantur. Unde alibi dicit, *Lex iram operatur : ubi enim lex non est, nec prævaricatio* (*Rom.* IV, 15) : hinc ostendens unde dixerit, *Lex iram operatur.* Neque enim ejus prævaricatio mala esset, nisi Lex ipsa bona esset.

25. Multum est et nimis longum colligere, quæ in hanc sententiam beatus dicit Apostolus, Legem distinguens a gratia; eo quod sub illa elidantur elati, sub ista erigantur elisi ; et quod illa in tantum bona sit ut bona jubeat, hæc tantum[1] ut bona conferat. Illa justitiæ facit auditorem, ista factorem. Et ideo sub illa peccator, insuper etiam prævaricator amissa excusatione ignorantiæ convictus jacet : sub ista vero et parcente et opitulante, nec qui[2] mala est operatus exstinguitur, et ut bona operetur accenditur. Quid ergo est mirum, si illa dicta est *ministratio mortis*, ubi littera occidit, malum prohibendo quod fit, et bonum imperando quod non fit; ista vero dicta est *ministratio spiritus*, utique vivificantis, ut a prævaricationis morte surgamus, et justitiam non rei legamus in tabulis, sed liberi in cordibus et in moribus habeamus? Hoc est Testamentum Novum distans a Vetere ; quia ibi vetus homo formidinis coaretatur angustiis, hic novus homo spatiatur latitudine charitatis.

26. Quod autem dictum est de ministro Veteris Testamenti Moyse, quod *non poterant intendere filii Israel in faciem* ejus, *propter gloriam vultus ejus*, signum erat quia in Lege Christum intellecturi non erant. Et ideo velamen inter faciem Moysi et ipsos positum erat, *ut non intenderent*, sicut scriptum est, *filii Israel usque*

[1] Editi, *exsecretur.* At Mss., *exteretur :* excepto uno codice Sorbonico qui habet, *exterminabitur.* Apud LXX græce est, *ekthrèthetai.*

[2] Ita Mss. Editi vero, *in gloriam.*

[1] Editi, *hæc in tantum.* At plerique ac meliores Mss., *hæc tantum :* absque particula, *in.*

[2] Editi, *nec quia.* Potiores Mss., *nec qui.*

in finem (*a*) (II *Cor.* III, 13). Finis autem Legis quis est? Ad hoc non ego, sed Apostolus ipse respondeat: *Finis enim Legis*, inquit, *Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Finis perficiens, non interficiens. Finis quippe dicitur propter quem fiunt omnia quæcumque aliquo fiunt officio. Nam inter officium et finem hoc distat, quod officium est in eis quæ facere debemus, finis propter quem facimus. Quia itaque illa omnia propter Christum fiebant, quem filii Israel in eis quæ fiebant non intelligebant; hoc significabat velamen, quod eos usque in finem non sinebat intendere, id est, usque ad faciem Moysi, quæ significabat Christum. Sed ideo dictum est quod evacuetur hæc gloria, quia omnes umbræ significantes evacuantur, cum res quæ significatur advenerit. Quemadmodum enim scientia quæ nunc est, *evacuabitur*, sicut idem dicit apostolus, cum venerit illa quam dicit, *facie ad faciem* [1] (I *Cor.* XIII, 10, 12): sic et ista quæ in umbris [2] tradita erant Judæis in Vetere Testamento, necesse fuit evacuari revelatione Testamenti Novi.

27. Nec sane omnes in illo populo non intelligebant Christum per illas umbras Testamenti Veteris figuratum: neque enim hæc ipse Moyses et cæteri Prophetæ non intelligebant, qui eum posteris prænuntiabant. Nam in ipsa Epistola ad Corinthios, ubi hæc dicuntur, quæ iste non intelligens posuit tanquam adversa et inimica Veteri Testamento, cur dicit, *Habentes autem eumdem spiritum fidei, secundum quod scriptum est, Credidi, propter quod et locutus sum: et nos credimus, propter quod et loquimur* (II *Cor.* IV, 13)? Ubi enim scriptum est, *Credidi, propter quod et locutus sum* (*Psal.* CXV, 10)? Utique in Psalmis, ad illa Dei eloquia pertinentibus, quæ credita sunt Judæis. *Eumdem*, inquit, *spiritum fidei habentes*: quid est, *eumdem*, nisi quem habebant etiam illi per quos hæc ministrata sunt? Cur etiam in eadem Epistola de Lege testimonium posuit, cum præmisisset, *Ut vestra abundantia sit ad illorum inopiam, et illorum abundantia fiat in vestram inopiam, ut fiat æqualitas*; subjungens et dicens, *sicut scriptum est, Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non defuit illi* (II *Cor.* VIII, 14, 15)? Cur eis importat Legis auctoritatem, quam dicit fuisse ministrationem mortis, si eo modo intellexit, quomodo ista pestis intelligit?

28. Atque ut omnes auferantur ambages, quonam modo et Lex ministratio mortis recte dicta sit, et tamen sancta et justa et bona sit, illud recolamus quod in Epistola positum est ad Romanos. Cum enim dixisset, *Ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ*; quæ sententia simillima est illi quam iste non intelligens posuit: continuo prospexit istos futuros verbosos atque blasphemos, qui putaturi essent ex hoc Legem fuisse reprehensam; moxque subjunxit: *Quid ergo dicemus* [3]? *Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per Legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine Lege enim peccatum mortuum est. Ego autem vivebam aliquando sine Lege: adveniente autem mandato, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem. Peccatum enim occasione accepta per mandatum fefellit me, et per illud occidit. Itaque Lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit: sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem* (*Rom.* VII, 6-13). Ecce quid est *ministratio mortis*; ecce quid est, *Littera occidit* (II *Cor.* III, 6): ecce quemadmodum *Lex non est peccatum*; et, *mandatum erat in vitam*; et, *lex sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum*: et tamen quia de ipso bono interficitur inobediens anima, ubi Dei non adjuvat gratia, ministratio mortis facta est Lex in Veteri Testamento propter occidentem litteram; et ministratio vitæ facta est gratia in novo Testamento propter vivificantem spiritum. Quod est autem, *ministratio mortis et ministratio damnationis*; hoc est, *Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*; hoc est, *Adveniente mandato peccatum revixit*; hoc est, *Inventum est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem*; hoc est, *Occasione accepta peccatum per mandatum fefellit me, et per illud occidit*; hoc est, *Lex subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* V, 20); hoc est, *Lex iram operatur* (*Id.* IV, 15); hoc est, *Virtus peccati Lex* (I *Cor.* XV, 56). Prohibitio enim peccati quod est Lex, auget profecto desiderium peccandi: quod non exstinguitur, nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi *fides per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6). Hoc autem non præstat littera jubens, sed spiritus juvans: non Lex ergo, sed gratia; non Vetus Testamentum *in servitutem generans, quod est Agar*, sed Novum in quo non sunt *ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit* (*Id.* IV, 24, 31). Et tamen Lex sancta est, et mandatum sanctum et justum et bonum. Per hoc mandatum sanctum et justum et bonum, in his qui non habent spiritum Christi operatur peccatum omnem concupiscentiam. Qualem se fuisse in Vetere Testamento etiam ipse Apostolus ostendens, *Occasione*, inquit, *accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*. Per quod mandatum, nisi quod ait, *Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces*? Numquid malum est non concupiscere? Imo maxime bonum [1]. Bona est ergo Lex quæ hoc dicit: sed ubi non adest vivificans spiritus, hæc ipsa Lex quæ bonum dicit [2], occidit: quia peccati virtus est, cum per illam operatur omnem concupiscentiam, inflammando prohibitione [3]; quod non exstinguitur per jubentem litteram timore pœnæ, sed

[1] Aliquot Mss., *faciem ad faciem*: juxta græcum, *prosôpon prôs prosôpon*.
[2] Plures Mss., *in verbis*.
[3] In Mss., *dicimus*.
(*a*) Græce, *eis to telos*.

[1] Meliores Mss., *maximum bonum*.
[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *quam bonam dicit*.
[3] Editi, *inflammando prohibitionem*. Castigantur ex Mss.

per juvantem spiritum dilectione justitiæ. Ideo ait, *Peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Non enim ait, Per malum; sed, *per bonum.* Illic evigilent, si possunt, qui Legem Dei atque ejus ministrum Moysen cæco et furioso corde reprehendunt. Ideo quippe est ministratio mortis, quia peccatum per bonum operatum est mortem: ideo est ministratio damnationis, quia peccatum per bonum operatum est damnationem.

29. Non autem omnes qui Christiani appellantur, ad Christum transeunt: sed quibus aufertur velamen, quod in lectione Veteris Testamenti manet. Qui enim sunt in Vetere Testamento, impediente velamine nec Vetus intelligunt, nec Novum: qui autem transeunt ad Christum, remoto velamine per Novum, intelligunt et Vetus et Novum (II *Cor.* III, 14-16). Utinam et isti cæci oppugnatores Legis et Prophetarum, sic transeant ad Christum, ut non sint in eis in quibus obvelatum est et ipsum Evangelium. In his enim qui pereunt, esse obvelatum ait Apostolus, *In quibus Deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei* (*Id.* IV, 4). Ubi miser iste Deum sæculi hujus vult intelligi malum: tanquam illi servierit Moyses in Vetere Testamento, quasi hoc Apostolus dixerit. Ubi si necesse esset intelligi Deum sæculi hujus, deum impiorum, hoc est, diabolum; *quoniam omnes dii gentium dæmonia*, et utique multo maxime princeps dæmoniorum: non mirum esset, quandoquidem quorumdam deus etiam venter est dictus: ait enim Apostolus, *quorum deus venter est* (*Philipp.* III, 19); nec ideo deus venter est. Ita si potest dici deus hujus sæculi diabolus, non ideo diabolus deus est; quia nec dæmonia sunt dii, quamvis dii gentium sint dæmonia (*Psal.* XCV, 5). Potest quippe sæculum in malo intelligi: unde dicit apostolus Petrus, *Eripite vos de præsenti sæculo maligno* (II *Petr.* I, 4). Sed cum alter pateat intellectus, quid necesse est hic diabolum putare significatum, ac non potius Deum verum, justum et bonum, qui excæcaverit mentes infidelium sæculi hujus: ut non hic distinguatur, *in quibus Deus sæculi hujus*, ac deinde subinferatur, *excæcavit mentes infidelium*; sed ita potius, *in quibus Deus*, ac deinde subinferatur, *sæculi hujus excæcavit mentes infidelium*, hoc est infidelium sæculi hujus mentes excæcavit.

CAPUT VIII. — 30. Sed istis non placet ut Deus bonus mentes excæcet aliquorum. Non enim attendunt Salvatoris verba dicentis: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Ille igitur qui secundum apostolicam sententiam, *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat*, procul dubio quem vult illuminat, et quem vult excæcat. Sed non est iniquitas apud Deum (*Rom.* IX, 18, 14), cui dicit Ecclesia: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1). Illuminat ergo misericordia, excæcat judicio, utique æquissimo, etsi occultissimo. *Inscrutabilia* enim *sunt judicia ejus* (*Rom.* XI, 33). Cui tamen dicitur: *Sedisti super thronum, qui judicas æquitatem* (*Psal.* IX, 5).

31. Huic Deo servivit Moyses, cæteriqne Prophetæ, quos justos sine dubio Dominus ipse testatur. Horum quippe Judæi sepulcra construebant, et monumenta ornabant, quibus dicit: *Ædificatis sepulcra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum* (*Matth.* XXIII, 29). Sed illi omnes, etsi pro temporis dispensatione Veteris Testamenti ministrabant figuris [1], ad Novum tamen Testamentum, quamvis nondum revelatum, per gratiam Dei pertinebant, ad quod pertinebat Abraham. Hinc quippe isti, si remoto velamine legerent, intelligerent ita non esse inimicum Evangelium Legi quæ data est per Moysen, sicut inter se non sunt inimici Abraham et ipse Moyses: quos utique et isti eumdem coluisse confitentur Deum, quamvis eum sic blasphement, ut eum Deum negent. Et tamen Apostolus promissiones, quæ factæ sunt Abrahæ, quia Novum Testamentum significabant, sic opponit Legi per Moysen datæ, ut hæc duo inter se inimica videantur. Quid enim aliud ad Romanos dicit? *Non enim per Legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei. Si enim qui per Legem, hæredes sunt; exinanita est fides, et evacuata est promissio. Lex enim iram operatur. Ubi enim Lex non est, nec prævaricatio* (*Rom.* IV, 13-15). Attendant quemadmodum sic disputat, veluti contra Legem, ut ex [2] priore illa quæ facta est ad Abraham promissione convincat, quod non sint hæredes ex Lege quicumque sint hæredes Dei, sed ex promissione. Itemque ad Galatas: *Fratres*, inquit, *secundum hominem dico; tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit, Et seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est Lex, non infirmat ad evacuandam promissionem. Si enim ex Lege hæreditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus. Quid ergo Lex? Transgressionis gratia proposita est* [3], *donec veniret semen cui promissum est* (*Galat.* III, 15-19). Nescio utrum isti qui Legem non intelligentes criminantur, inveniant aliquid ex Evangelio vel ex apostolicis Litteris, quod ita videatur eidem Legi adversum esse atque contrarium, quemadmodum hoc videtur, quod ex promissionibus quæ Abrahæ factæ sunt opponit Apostolus. Si ergo legem oderunt, Abraham diligant.

CAPUT IX. — 32. Sed nec hoc volunt. Nam et ipsi patres gentium, ad quem promissiones factas nunc in omnibus gentibus videmus impleri, crimen fornicationis objiciunt. Iste quippe procul dubio cui respondemus, ex illis se esse manifestat, de quibus prædictum est Apostolo dicente: *Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis temporibus recedent quidam a*

[1] Am. Er. et plures Mss., *ministrabant figuras.*
[2] Sic præcipui Mss. At editi, *ut eum.*
[3] Plures Mss., *posita est.* Nonnulli autem infra ubi eodem repetito loco legitur etiam apud Lov., *posita est*, habent, *proposita est.*

fide, attendentes spiritibus seductoribus et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi mendaciloquorum, cauteriatam habentes conscientiam suam, prohibentes nubere (1 *Tim.* IV, 1-3). Non enim reperitur Abraham aliquo se contaminasse adulterio : quoniam non lubrico libidinis amavit ancillam ; sed ab uxore accepit, quando uxor ejus fecit de jure suo quod voluit, volens habere filios de marito suo, quamvis ex utero alieno (*Gen.* XVI, 2-4) : ubi nulla omnino lasciviendi, sed sola cogitata est causa generandi. Iste autem Abrahæ, etiam usque ad decrepitam senectutem, fornicationis objicit crimen, profecto quia et post mortem Saræ alteram duxit (*Id.* XXV, 1). Ubi etsi nullum intelligeretur rei abditæ sacramentum, propter hoc solum id facere debuit Abraham, ne putarent hæretici adversus Apostolum, quibus etiam Tertullianus astipulator assistit, post uxoris mortem, crimen esse ducere uxorem. Sed sicut sibi iste videtur invenire in apostolicis Litteris, quæ dicat contra Legem per Moysen datam, vel contra Testamentum Vetus ; inveniat et aliquid adversum Abraham, quod ex evangelicis [1] Litteris sonare videatur : omnino non inveniet. Ubicumque ille nominatur in libris Testamenti Novi, cum honore debito nominatur : ita ut Judæis diceret ipse Dominus, *Si filii Abrahæ estis, facta Abrahæ facite* (*Joan.* VIII, 39). Ac per hoc iste qui blasphemat Abraham, Christum profecto blasphemat, qui tale testimonium perhibet Abrahæ.

33. Sed dicat, si potest, quam personam illarum quinque gerebat Apostolus (*a*), cum sic prædicaret Abraham ? Si enim eis qui sine Lege fuerant, factus erat quasi esset et ipse sine Lege, illi Abraham non noverant. Ergo aliquem principem, sive Romanorum, sive Græcorum, sive aliquem philosophorum debuit invenire quem talibus prædicaret ; ut eis, sicut huic placet, talem se quales ipsi erant fingendo, congrueret : non Abraham nescio quem alienigenam patrem gentis Hebrææ, longe ab eorum moribus, longe ab eorum ritibus, longe ab eorum cognationibus alienum. Si autem Judæis tanquam Judæus factus erat, aut eis qui sub Lege erant tanquam esset et ipse sub Lege, utquid dicebat non esse hæredes ex Lege ? utquid dicebat, *Lex iram operatur ?* utquid dicebat, *Lex prævaricationis gratia posita est ?* quod æquo animo ferre non possent qui gloriabantur in Lege. Quod si ut infirmus loquebatur infirmis, et sic eos, ut fallacibus placet, fallendo lactabat, cur eos ab umbris veteribus, in quibus infirmi quiescebant, sic proturbabat [2], ut diceret : *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Galat.* V, 2) ? Si autem in illa persona quinta perfectis sapientiam loquebatur, quales solos iste dignos putat quos non fallat Apostolus ; quare a contrario vult esse ipse perfectus, ut blasphemet Abraham, quem sic perfectis laudat Apostolus [3], maxime in illis duobus filiis ejus, uno de ancilla, alio de libera ? Si displicet illi cum Ismaele Testamentum Vetus, cum Isaac placeat Testamentum Novum.

34. An et contra Apostolum propositurus est cathedram pestilentiæ, et disputaturus de qualitate figurarum, atque dicturus non eum debuisse figuras rerum honestarum de rebus turpibus ducere ? Res enim turpis huic videtur, etiam cum ipsa Sara concubitus conjugalis, quam liberam matrem nostram æternam Jerusalem significare testatur Doctor Gentium (*Galat.* IV, 22-26), quamvis narium rugas et frontis obducat, et crispato vultu hanc parabolam exhorreat doctor pestilentium : et multo amplius et aspernabilius, quando audit eumdem Gentium doctorem, quod scriptum est de masculo et femina, *Erunt duo in carne una ;* addere et dicere, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes* V, 31, 32). Itane vero ubi essent cognoscenda tantæ rei sacramenta, id est, sacra signa, et in re pudenda, atque in eis verbis quibus verecundia debetur, cognosci non debuisse nec dici, homo iste sciebat, et beatus Apostolus nesciebat ? Eat plane iste retro cum suis similibus sociis, qui dixerunt, *Durus est hic sermo ; quis eum potest audire* (*Joan.* VI, 61) ? Nos autem audiamus, et intelligamus duo Testamenta in duobus filiis Abrahæ, duabusque mulieribus ejus commixtione fetatis : sicut duos in carne una, Christum et Ecclesiam, istis nolentibus, sine ulla obscœnitate cognoscimus : sicut mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum (1 *Tim.* II, 5), carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus ; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quam perimere, et humanum sanguinem potare quam fundere : atque in omnibus sanctis Scripturis, secundum sanæ fidei regulam figurate dictum vel factum si quid exponitur, de quibuslibet rebus et verbis quæ sacris paginis continentur, expositio illa ducatur, non aspernanter, sed sapienter audiamus ; et relinquamus istum inania garrientem, et nesciendo quid loquatur, quadam, si dici potest, imperita peritia de figurarum qualitate tractantem. Qui cum dicit rebus congruis non contrariis aliquid esse significandum, potest vanus dicere, semper Deum lucido auro, nunquam nigro atramento scribi oportere : quoniam *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (1 *Joan.* I, 5). Homo est enim, qui putat Apostolum [4], ut congrueret infirmis et imperfectis, multa falsa et improbanda dixisse, quia testimoniis quæ de Lege ac Prophetis ponit, quam venerabiliter Scripturas illas accipiat per Epistolas ejus apparet. Nec cogitat tam perverso sensu posse defendi etiam illa quæ in veteribus Dei Libris immundus atque impius quasi pius et mundus horre-

[1] Editi hic addunt, *et apostolicis ;* quod a plerisque Mss. abest.

[2] Editi, *perturbabat.* At Mss., *proturbabat ;* si Vaticanum codicem excipias, in quo legitur, *avocabat.*

[3] Ita vetus codex Germanensis. Remigianus vero, Corbeiensis, et Colbertinus, *quare contrarius vult esse ipse perfectis, ut blasphemet Abraham, quem sic perfectus laudat Apostolus ?* Editi, *quare a contrario vult esse ipse perfectus, ut blasphemet Abraham, quem sic perfectum laudat Apostolus ?*

[4] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov. : *Non est enim quod putet Apostolum.*

(*a*) Supra, cap. 2.

scit. Nam si ei quispiam dicat similis ejus, Ea quæ te offendunt in Lege ac Prophetis falsa sunt, sed propter infirmos et imperfectos sic ea Spiritus sanctus poni voluit : quid pari suo vano contra hoc respondeat non habebit. Convincitur enim regula falsa, sed sua ; nec sapientis ac docti, sed stulti, sicut ipse est, atque inerudili manu, suo tamen gladio jugulatur.

CAPUT X. — 35. Post hæc sane sacrilegi et vani hominis sacrilega vaniloquia, quibus me respondisse sufficienter existimo : hoc est, de initio Geneseos ; de lucis fabrica ; de die vel sole ; de causa constituendi hominem ; de peccato Adæ ; de fabrica hominis ; de persuasu serpentis ; de maledicto in homine, et de vitæ arbore ; de pœnitentia Dei ; de diluvio ; de arcu in nubibus ; de induratione cordis Pharaonis ; de spiritu mendacii secundum Michæam prophetam ; de testimonio Isaiæ prophetæ, propter quod ait : *Filios genui et exaltavi :* quibus rursum dicit, *Filii scelesti, semen pessimum :* et quod item apud eum scriptum esse dixit, *Ego sum Deus faciens bona et creans mala :* de perditione populi, mandato Moysi [1] ; de maledicto quod turpe existimat ; de Dei, quam putat, confessa crudelitate ; de studio quod putat malitiæ, juxta David regem ; de eo quod scriptum est, *Pœnitet me quod constituerim Saül in regem* : de spiritu Moysi, cujus Scripturas putat dixisse Apostolum fabulas aniles ; de qualitate figurarum ; de Abraham ; de filiis Heli sacerdotis ; de sacrificiis, quæ putat non nisi dæmonibus exhiberi ; de Prophetis Dei, quos putat ante adventum Domini non fuisse ; de eo quod in Lege positum est, sanguinem esse animam ; de Deo cui Moyses servivit, quem putat Deum verum non fuisse ; de varietate personarum, in quibus putat Apostolum locutum esse fallaciter. Quæ omnia non hoc ordine persecutus sum, qui est in libro ejus ; sed sicut nostræ disputationis sibimet connexa series postulavit.

CAPUT XI. — 36. Post hæc ergo omnia titulum posuit, ita se habentem : *Discretio spirituum malignitatis et bonitatis* [2]. Et cœpit contrariis inter se brevibus crebrisque sententiis laudare Christum, et accusare Legis Deum, hoc modo, velut eum ad quem scribebat exhortans : *Quare igitur, frater,* inquit, *recedentes ab iniquitate præteriti erroris, intendamus Christum verum ac summum Deum, non hujus sæculi principem et mundi factorem, in quo nos peregrinari sæpissime declaratum est. Intendamus, inquam, illum pium ac miteni, qui nos suæ cognationis ostendens, mundi lumen vocavit : non illum qui secundum scripturas Judaicas terrenum nobis initium assignans, in terra nobis finem indixit. Intendamus illum qui nos fratres appellans, vigilare ac divina sapere persuasit : non illum qui nec dignoscentiæ quidem sensum habere permisit.* Atque hoc modo cætera multa contexuit.

37. Cui loco libri ejus ita respondendum putavi, ut etiam ego vos exhortarer : Intendamus Christum verum et summum Deum, veri et summi Dei unicum Filium, non hujus sæculi malignum principem, sed tamen mundi, hoc est, cœli terræque factorem, qui nos tanquam peregrinos vitam temperalem in hac agere mortalitate præcepit. Intendamus, inquam, illum misericordem ac mitem, qui nos fratres suos fecit gratia, non natura. Ipse est enim, non alius, sicut hic putat, qui secundum Scripturas terrenum nobis corpus, animam vero flatu dedit, utrumque faciens, non eorum aliquid gignens. Qui nos vigilare ac divina sapere jussit et fecit. Ipse est enim, non alius, sicut hic putat, qui dignoscentiam boni ac mali ne peccando experiremur, admonuit. Qui nos ad immortalitatem vocans, cœlestia nobis regna promisit. Ipse est enim, non alius, sicut hic putat, qui nos post peccatum reos, ab æternæ vitæ felicitate secrevit, et terreno labore punivit. Qui nos, non sicut iste dicit, nihil ignorare, sed utilia scire præcepit : nec sicut iste sentit atque a veritate dissentit, scientiam damnavit in nobis, quæ fit sapiendo justitiam, sed quæ fit experiendo peccatum. Qui nos quod errore moriebamur miseratus est. Ipse est enim, non alius, sicut hic putat, qui nos morti, non ex quo sapere cœpimus, quod iste ait, sed ex quo deliquimus, destinavit. Qui nos proprias facultates hortatur spernere, imo vero loco tutiore recondere (*Matth.* VI, 19, 20) : cum ipse sit, non alius, ut hic putat, qui se non tantum cœlestium, verum etiam terrenorum Dominum ostendens, ea quæ impii possidebant, exspoliatione plectendi [1], suos, quibus hoc pro tempore congruebat, auferre atque habere, sive jussit, sive permisit. Qui donat delicta conversis : cum ipse sit, non alius, ut hic putat, qui in tertiam et quartam progeniem retribuit digna perversis. Qui non omnium, sicut iste ait, sed eorum quos ante præscivit et prædestinavit, delicta dimittit. Ipse est autem, non alius, sicut hic putat, qui delicta quorumdam, ad pœnalem animi dolorem terroremque majorem, etiam illorum qui ea non admiserant, non spiritualibus, sed corporalibus mortibus vindicavit, ut conditio mortalium qua fuerant post paululum morituri, etiam isto modo serviret Dei providentiæ, et in usum cederet disciplinæ. Qui nos non in totum irasci prohibuit, quandoquidem et ipse iratus est ubi oportuit : sed irasci et non peccare præcepit. Ipse est autem, non alius, non qui vindicandi causas, sicut iste affirmat, inquirit ; sed vindicandas causas [2], quando ipse novit, advertit. Qui nos, ne quando juraremus, monuit : ut quoniam falli possumus, longe simus a perjurio non jurando. Ipse est autem, non alius, ut hic putat, qui suæ sententiæ veritatem ad incredulos increpandos, ubi opus esse judicavit, etiam jurando firmavit. Sicut autem homo jurans adhibet testem Deum, ita se ipsum Deus. Qui nos in fide verbi veri stare jussit. Ipse est enim, non alius, sicut hic putat, non qui voluntatem suam, sicut iste blasphemat, sed qui res quas voluit, non mutata voluntate mutavit. Qui nos viam veritatis docuit. Ipse est enim et Deus Pro-

[1] Am. et Mss., *mandata Moysi.* Non minus bene, ut patet ex libro I, cap. 16, n. 28.

[2] Aliquot Mss., *maligni et bonitatis.* Forte pro, *maligna et bona.*

[1] Vaticanus codex, *plectendo.*

[2] Plures Mss., *judicandas causas.*

phetarum, qui nunquam, sicut iste calumniatur, falsis promissionibus suos decipit. Qui nos irreprehensibiles esse mandavit. Ipse est enim et Deus Prophetarum, qui nunquam, sicut iste criminatur, se ipse reprehendit, nec eum sicut hominem quidquam pœnituit : sed rerum futurarum mutationem, quas se mutaturum sine ulla sui mutatione ab æternitate præscivit, velut humana hominibus locutione prædixit. Qui nobis iram Dei metuendam et in Evangelio commendavit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui non sui animi perturbationem, sed justam severamque vindictam, iræ vel indignationis nomine nuncupavit. Qui alterum ab altero non utcumque lædi, sed injuria lædi noluit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui sive per homines, sive per Angelos sanctos, etiam temporalibus corporum mortibus, quos voluit, utiliter aut multavit, aut terruit. Qui docuit ad concupiscendum non videndam esse mulierem (*Matth.* v, 28). Ipse est enim qui et in Lege dixit, *Non concupisces* (*Exod.* xx, 17) : nec, sicut iste criminatur, indixit septenas singulis nuptias, sed propagandi causa connubia casta permisit. Patres autem filiarum maritos non solum ipse non fecit; verum etiam ne fieret, sicut alia incesta, prohibuit. Qui nos secundum interiorem renovationem in spiritu mentis, nec masculos in se, nec feminas esse docuit; et sicut Angelos in æternum secum futuros esse promisit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui masculum et feminam propagandi generis causa nuptiali castitate conjunxit; et secundas nuptias, quæ in Novo quoque Testamento permittuntur, licitas esse monstravit. Uxores autem fratrum, sed sine filiis defunctorum, ad excitandam defuncti [1] posteritatem, non libidinis, sed pietatis affectu, in matrimonium sibi copulare præcepit : patres vero filiarum conjugiis misceri omnino prohibuit. Qui nos super omne genus serpentum calcare spiritualiter jussit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui populo infideli ad significanda peccata, quorum veneno invisibiliter moriebantur, visibiles serpentes quibus admonerentur, immisit; et plaga emendatoria mortes animarum, mortibus corporum figuravit. Qui dixit, *Date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* xi, 41). Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui talia etiam Prophetarum voce mandavit. Nec sibi voluit primogenitos hominum filios immolari, sed consecrari : significans primogenitum a mortuis, in quo oportebat omnes a morte perpetua liberari. Qui corruptibilibus cibis incorruptibiles anteposuit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui sacrificia quibus non indiguit, ad significandum verum sacrificium, in umbris futurorum præcedere voluit; et disciplinæ severitate mortibus corporum, longe mitioribus quam sunt æterna supplicia gehennarum, perpetrata sacrilegia vindicavit. Qui terrenas divitias, non sicut iste dicit, damnari jussit, sed spirituales cœlestesque præposuit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui facit et divites benignissime largiendo, et pauperes justissime vel non dando, vel auferendo. Qui nos pro inimicis orare jussit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui filios parentum manibus immolari sibi, ut iste criminatur, non solum nunquam voluit, verum etiam ne id fieret, in Lege constituit. Qui sine acceptione personarum benefaciendum omnibus intimavit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui quando sine discretione ætatis aut sexus occidi homines jussit, unde scit iste vel quisquam quid eis post mortem bonæ compensationis attribuit, quorum mortibus viventes aut emendavit aut terruit? Qui nos æquo animo injurias sustinere et donare præcepit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui oculum pro oculo, dentem pro dente, modum posuit pœnæ, ne quisquam sibi amplius putaret deberi vindictæ, quam pertulisset injuriæ. Et hoc ideo, quia de sapientia Dei dictum est, quod Legem et misericordiam in lingua portet. Nec per misericordiam debita debitoribus nostris scienter dimitteremus, nisi per Legem ipsa debita discerneremus [1]. Qui in tanta potestate se humilians ad convertendos [2] nos factus homo, cum hominibus est locutus. Ipse est enim et Deus Prophetarum, qui cum primis patribus est locutus : ideo præter se dicens non esse alium Deum, quia etiam summa Trinitas, manente personarum discretione [3] unus est Deus. Qui Apostolis suis ut gratis darent quæ gratis acceperant, jussit : ad sustentationem tamen suam nec aliam tunicam secum ferre ideo constituit, quia secutus adjunxit, *Dignus est enim operarius mercede sua* (*Matth.* x, 8 10); ut qui Evangelium annuntiabant, ex Evangelio viverent (I *Cor.* ix, 14) : Deo tamen munera offerenda esse monstravit, qui nullius indiget, et munera sumendo plus confert. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui et munera suos accipere vetat, quibus exsecrantur oculi judicantium; et munera ipse, quamvis non egeat, accipit, ut pietate faciat opulentas animas offerentium. Qui sabbatis hominem curavit, ostendens jam esse tempus, ut secundum prophetiam Cantici canticorum aspiraret dies, et removerentur umbræ (*Cant.* ii, 17). Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui hominem ligna sabbatis colligentem, quia nondum duorum [4] Testamentorum tempora distinguebat, sed Legem Dei contumaci et impia mente contemperat, lapidandum esse mandavit; ejusque corporali morte (quam post paululum omni homini quis dubitet adfuturam?) sanxit timore obedientiam cæteris profuturam. Qui propter salvandos homines se venisse dixit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui justo judicio quos vult obdurat : sicut in Evangelio [5], *Venit in judicium*, non solum *ut qui non vident, videant;* sed etiam *ut qui vident, cæci fiant* (*Joan.* ix, 39). Qui mandata vitæ perpetuæ nobis dedit. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui mandata sancta et justa et bona, superbis tamen, non de ipsius gratia, sed de sua virtute fidentibus, non quibus viverent, sed quibus morerentur,

[1] Forte, *defuncti*.

[1] Plures Mss., *disceremus*.
[2] In paucioribus Mss., *confortandos*.
[3] In iisdem Mss., *personarum proprietate*.
[4] Aliquot priscæ notæ Mss., *non quia duorum*.
[5] Sic Mss. At editi, *qui, sicut in Evangelio ait, venit in mundum, non solum*, etc.

ut convincerentur dedit. Sicut Apostoli, dicente uno ipsorum, *bonus odor Christi* erant, et *in his qui salvi fiebant, et in his qui peribant; aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (II *Cor.* II, 15, 16). Qui vitiatorum salus apparuit, dans incessum claudis, linguam mutis, auditum surdis, lumen cæcis. Ipse est enim et Prophetarum Deus, qui eadem vitia non solum misericordissime sanat, verum etiam justissime importat. Neque enim debet eum quisquam non minus impia vanitate Christo putare contrarium, et istum bonum dicere, Christum autem malum; eo quod iste in virga Aaron aridum lignum, et nulla radice subnixum, florem ferre fecit et fructum; Christus autem arborem maledicto arefecit, quia nihil in ea pomorum, quorum nondum erat tempus, invenit.

CAPUT XII. — 38. Dicens autem alium esse pacis et charitatis patrem, alium belli et furoris auctorem; illum volens intelligi Christum, hunc autem Legis et Prophetarum Deum: potest vanus dicere ipsum Christum sibi esse contrarium, aut duos fuisse, non unum, inter se scilicet repugnantes; alium qui dixit, *Pacem do vobis* (*Joan.* XIV, 27); et alium qui dixit, *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* X, 34): maxime quia displicet ei res aliquas bonas malarum hominibus figurari. Quod vero alium dicit esse incestus et adulteriorum conscium, alium vero pudicæ castitatis et sanctimoniæ dominum: illum diabolum intelligat; Prophetarum autem Deum noverit non minus castitatis et sanctimoniæ dominum esse quam Christum: quia Deus Apostolorum idem ipse et Prophetarum, priorum illis tempore, sed fide sociorum; ipse est Deus in utroque Testamento justi actus et piarum orationum, ipse est in utroque auctor religiosorum sacrificiorum.

39. Videte sane unde probare voluerit humanorum corporum vitia, non ad Deum auctorem, sed potius ad diabolum pertinere: quia Dominus ait in Evangelio, de muliere quam sanam fecit, quod eam satanas alligaverat decem et octo annos; propter quod erat incurva, nec se erigere poterat (*Luc.* XIII, 11-16): quasi satanas, cum habeat semper cupiditatem nocendi, nocere cuiquam possit, nisi ab Omnipotente acceperit potestatem. Nam quid aliud, non solum in libro Job, quem profecto iste non accipit, sed magis in ipso Evangelio declaratum est, ubi spiritus immundi nec in porcos irent, nisi hoc illis benignus ipse Salvator petentibus, quos certe in abyssum posset relegare, concederet (*Matth.* VIII, 31, 32): rem necessariam docere nos volens, ut scilicet noverimus multo minus eos posse sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus qualibuscumque potuerunt? Hanc autem potestatem Deus bonus occulta nobis justitia dare potest, injuste non potest.

40. Deinde quod de Antichristi adventu et elatione impia dixit Apostolus, vult iste ad hoc trahere, ut ipsum intelligamus Prophetarum Deum: unde potius convincitur illud Dei esse templum, ubi hominem peccati, filium interitus, extollentem se super omnem Deum, et super omne quod colitur, Apostolus sessurum esse dixit (II *Thess.* II, 3, 4). Deus enim verus est, in cujus templo falsus ille sessurus est: ad quem pertinet etiam iste, qui sub nomine Christi, quod est nomen Dei, hoc est, christianum se videri volens, superextollitur contra Christum; seque ostendit antichristum, non unum illum majorem cæteris, sed ex his aliquem de quibus dicit Joannes evangelista, *Nunc antichristi multi facti sunt* (I *Joan.* II, 18). Eos enim dicebat hæreticos, qui temporibus Apostolorum esse jam cœperant. Illi autem cœperunt esse post ascensionem duntaxat in cœlum Domini Jesu Christi, ab illo Simone mago, quem legimus in Actibus Apostolorum baptizatum (*Act.* VIII, 13). Post hunc autem fuerunt nonnulli discipuli ejus, in eadem impietate posteriores prioribus succedentes: quorum in successione quartus exstitit Basilides [1], qui primus apertius ausus est dicere, Deum quem gens Judæa coluit, non fuisse verum deum. Post istos fuit quidam etiam Carpocrates, qui negavit istum visibilem mundum a summo Deo creatum, sed a quibusdam virtutibus dæmoniorum [2]: negans etiam Legem quæ per Moysen data est, Deum dedisse. Cerdon postea surrexit, qui primus invenitur dixisse duos deos, unum bonum, et alterum malum, longe antequam hæresis Manichæorum emersisset, quorum in hoc furioso deliramento error est notior. Hujus Cerdonis Marcion discipulus fuit. Apelles quoque talia docuit. Fuerunt etiam a quodam Patricio nonnulli Patriciani, vel sunt [3], similiter adversantes divinis veteribus Libris. Illi omnes apertissime contra Deum sentiunt Legis et Prophetarum, hoc est, Deum verum, a quo factus est mundus. De aliqua istorum hæresi est iste: nam non eum puto esse Manichæum.

41. Sed cujuslibet sit hæretici erroris, vel ipse, vel Fabricius nescio quis, cujus se gloriatur esse discipulum, quantum ad hunc librum attinet quem misistis, satis ei puto esse responsum. Ea quippe furoris ejus dejecta sunt robora, ex quibus omnes, quas in eo volumine scripsit, blasphemiæ pullularunt, impiissimis in Deum maledictis atque conviciis varia loquacitate frondentes. Quarum omnes singillatim ramos ferire, nimis longum fuit: sed radices ipsæ fuerant amputandæ. Si autem recenseatis quæ contra Faustum manichæum scripsimus, et contra Adimantum, qui Manichæi sectator cum illo viveret fuisse jactatur, multa reperietis quæ adversus istum pariter valeant. Et fortasse si illa legerentur, vel non omnino, vel non multum necessarium fuisset hæc scribere.

42. Sane post finem libri, in quo fine paucitatem hominum in suo errore commendat, quia videlicet paucorum est sapientia: quod omnibus hæreticis adversariis Ecclesiæ catholicæ, quæ per omnes terras copiosa fertilitate diffunditur, in sua cuique propria vanitate commune est; omnes enim de paucitate gloriantur, et ut seducere possint multitudinem quæ-

[1] Vetus Ms. Remigianus, *Cassilides*.
[2] In Mss., *virtutibus deorum*.
[3] Lov., *qui sunt*. Editi alii, *vel sunt*. Iis consentiunt Mss. in quibus loco, *Patriciani*, legitur, *Patricini*.

runt [1]: post hunc ergo finem libri, rursus alterius apparet exordium, ejusdem forsitan hominis auctoris, ejusdem tamen, quod non dubitatur, erroris. Disputare autem cœperat, quod caro alium haberet fabricatorem, non Deum: unde cum perpauca dixisset, in ipso exordio cœpta finita sunt. Sed utrum ipse auctor an scriptor codicis non potuerit implere quod cœperat, nescio. De hac tamen dementia hominum non considerantium quid loquantur, adversus Manichæos multa jam scripsimus. Et in hujus ipsius operis initio idonea, quantum existimo, jacta sunt fundamenta, quibus prudens et pius lector intelligat, non ideo subtrahendam carnem operibus Dei, quod spiritus natura sit potior; nec ideo mala esse ista temporalia, quia merito eis præponuntur æterna; nec ideo bona terrestria detestanda, quia sunt cœlestia meliora: cum Deus creaverit omnia bona, magnus in magnis, sed non parvus in parvis. Jam illud aliud quod in eodem codice scribi cœperat, Adimanti opus est, illius discipuli Manichæi, qui prænomine Addas [2] dictus est: ubi de utroque Testamento velut inter se contraria testimonia proferuntur versipelli dolositate, velut inde ostendatur utrumque ab uno Deo esse non posse, sed alterum ab altero. Contra hoc autem malignum machinamentum jam olim scripsimus, ut paulo ante commemoravi, et ipsum opusculum nostrum habere vos credo. Quamvis quædam sint perpauca in fine ipsius operis Adimanti, quibus non respondi: nescio quibus enim, ut fieri solet, incurrentibus, quæ magis videbantur urgere, illa interrupta sic remanserunt. Sed, ut dixi, in fine perpauca sunt, quæ si Dominus voluerit, quantocius explicare curabo.

[1] ua in Mss. At in editis, *et seducere si possint multitudinem quærunt.*

[2] Sic antiquiores Mss. At editi, *qui proprio nomine Addas.*

IN SUBSEQUENTES SCRIPTIONES,

Vide lib. 2, *cap.* 44, Retractationum, *tom* 1, *col.* 648, *verbis,* Inter hæc (*a*) Orosii, *usque ad col.* 649, *verbis,* Fili Orosi. M.

(*a*) Hæc illa in Retractationibus proxime ante notata, sive tempora, sive opuscula, inter quæ se Orosii Consultationi de Priscillianistis et Origenistis respondisse testatur Augustinus, incidunt in Christi annum circiter 415.

CONSULTATIO *SIVE* COMMONITORIUM

OROSII AD AUGUSTINUM

DE ERRORE PRISCILLIANISTARUM ET ORIGENISTARUM.

Beatissimo patri Augustino episcopo, Orosius.

1. Jam quidem suggesseram Sanctitati tuæ, sed Commonitorium suggestæ rei tunc offerre meditabar, cum te expeditum animo ab aliis dictandi necessitatibus esse sensissem. Sed quoniam domini mei, filii tui, Eutropius et Paulus episcopi, eadem qua et ego puer [1] vester, salutis omnium utilitate permoti, commonitorium jam dederunt de aliquantis hæresibus, nec tamen omnes significarunt; necesse fuit me festinato edere et coacervare in unum omnes perditionum arbores cum radicibus et ramis suis, et offerre ignienti spiritui tuo, ut tu viso agmine perspectaque nequitia, permetiaris quam possis dispositionem adhibere virtutis [2]. Tu tantum, beatissime pater, malignas aliorum plantationes vel insertiones erue atque succide, et veram sparge sementem, nobis de tuis fontibus rigaturis. Ego testem Deum spondeo, et incrementum operis tui spero, quia terra illa quæ nunc ingratos fructus insincere culta exhibet, si eam de manna illo recondito tu apud me mandando [3] et replendo visitaveris, usque in centesimum fructum profusa aliquando liberius ubertate proficiet. Per te Dominus Deus noster, per te, inquam, beate pater, quos castigavit in gladio, emendet in verbo. Ad te per Deum missus sum; de te per eum spero, dum considero qualiter actum est, quod huc venirem. Agnosco cur venerim: sine voluntate, sine necessitate, sine consensu de patria egressus sum, occulta quadam vi actus, donec in istius terræ littus allatus sum. Hic demum in eum resipui intellectum quod ad te venire mandabar. Impudentem non judices, si accipis confitentem. Fac me ad dilectam dominam meam [1] idoneum negotiatorem inventa margarita (*Matth.* XIII, 46), non fugitivum servum eversa substantia reverti. Dilacerati gravius a doctoribus pravis, quam a cruentissimis hostibus sumus. Nos confitemur offensam, tu pervides plagam: quod solum superest, adjuvante Domino largire medicinam. Breviter ergo et quid ante male plantatum convaluit, et quid postea pejus insertum prævaluit, ostendam.

2. Priscillianus, primum in eo Manichæis miserior,

[1] Forte, *presbyter.*

[2] Vaticani codices, *qua possis dispositione studium adhibere virtutis.*

[3] Editi, *in sincera cultura exhibet, ei eamdem anno illo recondito apud te mandando.* Castigantur subsidio Ms. Sigiraunensis, seu S. Cigiranni.

[1] Editi, *dilectum dominum meum.* At Mss., *dilectam dominam meam*: patriam scilicet, ad quam reverti cupit.

quod ex Veteri quoque Testamento hæresim confirmavit, docens animam quæ a Deo nata sit, de quodam promptuario procedere, profiteri ante Deum se pugnaturam, instrui adhortatu [1] angelorum : dehinc descendentem per quosdam circulos a principatibus malignis capi, et secundum voluntatem victoris principis in corpora diversa contrudi, eisque adscribi chirographum. Unde et Mathesim prævalere firmabat, asserens quod hoc chirographum solverit Christus, et affixerit cruci per passionem suam : sicut ipse Priscillianus in quadam epistola sua dicit : « Hæc prima sapientia est, in animarum typis divinarum virtutum intelligere naturas, et corporis dispositionem. In qua obligatum cœlum videtur et terra, omnesque principatus sæculi videntur adstricti sanctorum dispositiones superare. Nam primum Dei circulum et mittendarum in carne animarum divinum chirographum, Angelorum et Dei et omnium animarum consensibus fabricatum Patriarchæ tenent, qui [2] contra formalis militiæ opus possident : » et reliqua. Tradidit autem nomina Patriarcharum membra esse animæ, eo quod esset Ruben in capite, Juda in pectore, Levi in corde, Benjamin in femoribus : et similia. Contra autem in membris corporis, cœli signa esse disposita, id est, arietem in capite, taurum in cervice, geminos in brachiis, cancrum in pectore, etc. Volens subintelligi tenebras æternas, et ex his principem mundi processisse. Et hoc ipsum confirmans ex libro quodam, qui inscribitur Memoria Apostolorum, ubi Salvator interrogari a discipulis videtur secreto, et ostendere quia de parabola evangelica quæ habet, *Exiit seminans seminare semen suum* (*Matth.* XIII, 3), non fuerit seminator bonus : asserens, quia si bonus fuisset, non fuisset negligens, non vel secus viam, vel in petrosis, vel in incultis jaceret semen ; volens intelligi hunc esse seminantem, qui animas captas spargeret in corpora diversa quæ vellet. Quo etiam in libro de principe humidorum et de principe ignis plurima dicta sunt, volens intelligi, arte, non potentia Dei, omnia bona agi in hoc mundo. Dicit enim esse virginem quamdam lucem, quam Deus, volens dare pluviam hominibus, principi humidorum ostendat : qui dum eam apprehendere cupit, commotus consudet, et pluviam faciat, et destitutus ab ea, mugitu suo tonitrua concitet. Trinitatem autem solo verbo loquebatur : nam unionem absque ulla existentia aut proprietate asserens, sublato et, Patrem [3], Filium, et Spiritum sanctum, hunc esse unum Christum dicebat.

3. Tunc duo cives mei, Avitus, et alius Avitus, cum jam tam turpem confusionem per se ipsam veritas sola nudaret, peregrina petierunt. Nam unus Jerosolymam, alius Romam profectus est. Reversi, unus retulit Origenem, alius Victorinum : ex his duobus, alter alteri cessit ; Priscillianum tamen ambo damnarunt. Victorinum parum novimus ; quia adhuc pene ante editiones suas, Victorini sectator cessit Origeni. Cœperunt ergo ex Origene magnifica plura proponi, quæ ex modica occasione veritas ipsa præcederet. Didicimus enim de Trinitate doctrinam satis sanam, omnia quæ facta essent, a Deo facta esse, et omnia bona valde, et facta de nihilo : tunc deinde Scripturarum solutiones satis sobrias [1]. Omnia hæc statim a sapientibus fideli pristinorum expurgatione suscepta sunt. Remansit sola offensa de nihilo. Credere enim persuasum erat esse animam : non tamen persuaderi poterat factam esse de nihilo ; argumentantes, quia voluntas de nihilo esse non possit. Hoc pene usque ad nunc manet [2]. Isti vero Aviti duo, et cum his sanctus Basilius Græcus qui hæc beatissime docebant [3], quædam ex libris ipsius Origenis non recta, ut nuper intelligo [4], tradiderunt. Primum omnium antequam facta apparerent, semper in Dei sapientia facta mansisse dicentes, hoc verbo : Deus enim quæcumque fecit faciendo non cœpit. Deinde dixerunt Angelorum, Principatuum, Potestatum, animarum ac dæmonum, unum principium, et unam esse substantiam : et vel archangelo, vel animæ, vel dæmoni locum pro meritorum qualitate datum esse, utentes hoc verbo : Majorem locum minor culpa promeruit. Mundum novissime ideo esse factum, ut in eo animæ purgarentur, quæ ante peccaverunt. Ignem sane æternum, quo peccatores puniantur, neque esse ignem verum, neque æternum, prædicaverunt, dicentes, dictum esse ignem, propriæ conscientiæ punitionem : æternum autem juxta etymologiam græcam, non esse perpetuum, etiam latino testimonio adjecto ; quia dictum sit, *in æternum*, et, *in sæculum sæculi* (*Psal.* IX, 6, *etc.*) postposuerit æterno : ac sic omnes peccatorum animas post purgationem conscientiæ in unitatem corporis Christi esse redituras. Voluerunt etiam de diabolo asserere, sed non prævaluerunt : eo quod cum substantia in eo bona facta perire non possit, exusta in totum malitia, diaboli aliquando salvandam esse substantiam. De corpore vero Domini sic tradiderunt : quia cum usque ad nos veniens Filius Dei post tot millia annorum, otiosus eo usque non fuerit, sed prædicans remissionem angelis, potestatibus, atque universis superioribus, cum qualitatem formæ eorum quos visitaret assumeret, usque ad palpabilitatem carnis assumptionis specie transivisse : hoc passione [5] et resurrectione determinans, rursus donec usque ad Patrem veniret ascendendo tenuasse : ita neque depositum unquam [6] fuisse corpus, nec in corpore ullo regnantem circumscribi Deum. Creaturam quoque subjectam corruptioni, non volentem, intelligendam [7] esse dicebant, solem et lunam et stellas ; et hæc non elementarios esse fulgores, sed rationales potestates : præbere autem servitium corruptioni, propter eum

[1] Ita Vaticani Mss. At editi, *adoratu*.
[2] Sola editio Lov., *quæ*.
[3] In Vaticanis Mss., *sublato et Patre, Filium*, etc.

[1] In iisdem codicibus, *solutione satis sobria, omnia hæc*, etc.
[2] Vaticani codices, *usque adhuc manet*.
[3] Sigirammensis Ms., *hæc beatissima edocebant*.
[4] Sic Mss. At editi, *ut nunc pertinelligunt*.
[5] Am. et Er., *specie crassius se hac passione*, etc.
[6] Vaticani Mss. cum Am. et Er., *usquam*.
[7] Am. et Er., *intellectum*.

qui subjecit in spe (*Rom.* VIII, 20).

4. Hoc, sicut retinere potui, breviter expositum est, ut perspectis omnibus morbis medicinam adhibere festines. Est veritas Christi in me, quia propter venerabilem reverentiam Sanctitatis tuæ esse impudens non auderem, nisi evidenti judicio et ordinatione Dei ad illius tanti et talis populi, cui sicut peccanti plaga imposita est, sic post plagam cura debetur, remedia proferenda te electum, me missum esse cognoscerem. Memor mei, beatissime pater, multorumque qui mecum velut ros eloquium tuum ut super eos descendat, exspectant, esse dignare.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

AD OROSIUM

CONTRA

PRISCILLIANISTAS ET ORIGENISTAS

Liber unus (a).

CAPUT PRIMUM. — 1. Respondere tibi quærenti, dilectissime fili Orosi, nec ad omnia debeo, quæ in tuo Commonitorio posuisti, nec omnino non debeo, ne studium tuum, quod mihi gratissimum est, contempsisse videar, et ob hoc intemperanter offendam. Nam in quibusdam opusculis nostris, quæ vel legisti, vel legere poteris, multa dicta sunt, quæ valeant adversus hæresim Priscillianistarum: quamvis non mihi eos proposuerim refellendos; sed cum aliud agerem, etiam hoc me egisse nunc intelligo, quando ex te audio quid illi sentiant. Quod enim est adversus Manichæos multis a me locis de anima disputatum, quæ licet secundum quemdam modum suum sit immortalis, tamen in deterius deficiendo et in melius proficiendo mutabilis esse convincitur, et per hoc non esse de Dei substantia dilucidissime ostenditur, simul quoque Priscilliani dogma subvertit. Hoc enim uno firmissime constituto, quod et verissimum est, et in seipso unusquisque admonitus facillime agnoscit, neque illi, neque isti inveniunt unde suas fabulas texant. Quid autem opus est ire per amputandos ramos loquacissimi erroris, cujus radicem effodere atque exstirpare compendium est; cum præsertim et ipse gratuleris, jam illa fabulosissima deliramenta apud vos esse convicta?

CAPUT II. — 2. Sed de anima quæstionem adhuc usque versari, utrum eam Deus (quoniam particulam vel defluxionem ejus non esse jam constat) ex nihilo creasse dicendus sit, eo quod durum et impium videatur voluntatem Dei dicere nihil esse, quo volente creata est: hoc quidem jam non pertinet ad redarguendam Priscilliani sacrilegam vanitatem. Sive enim ex nihilo facta sit anima, sive hoc propterea dicendum non sit, quia Dei voluntate facta est, quæ voluntas utique non est nihil: tamen quia facta, et Dei natura non est [1], profecto hæresis illa refellitur, quæ animam primitus naturam Dei esse contendit, ut habeat unde concinnet [2] ibi quidquid aliud falsitatis adjungit. Verum quia et istam quæstionem spernere et indiscussam relinquere non oportet; quærendum est ab istis, qui propterea nolunt animam ex nihilo factam credere, ne voluntatem Dei qua facta est nihil esse asserant, quærendum est ergo ab eis, utrum nullam creaturam ex nihilo factam esse fateantur. Si enim id putant, verendum est ne aliam quamdam naturam conentur inducere, quæ neque Deus sit, nec tamen nihil sit, quam velut materiam sibi subjectam nisi Deus haberet, unde faceret quidquid fecit invenire non posset. Nam dum quæritur unde creaturam suam Deus fecerit, quædam materies quæritur: sicuti est fabro lignum, vel quodlibet corpus, quod nisi habuerit, ea facere quæ ab ejus arte expetuntur, omnino non poterit. Cum ergo respondetur, Ex nihilo; quid respondetur, nisi nullam ei subjectam fuisse materiam, quam ipse non fecerat, ut haberet unde faceret, si quid vellet, et quam nisi haberet, facere non valeret? Materies quippe mundi, quæ in rebus mutabilibus utcumque dignoscitur, ab ipso constituta est, a quo constitutus est mundus. Quapropter etsi fecit aliquid Deus aut facit ex alia quacumque re; non tamen ex ea re fecit aut facit,

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas, ex Vaticanis duobus Mss. ex quinque Gallicanis, Colbertino, Sorbonico, Sigiramnensi, Victorinis duobus, et ex antiquioribus editionibus correctus est.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Scriptus anno Christi 415.

[1] Mss., *quia facta est, Dei natura non est.*

[2] In Victorinis aliisque nonnullis codicibus *connecti.*

quam ipse non fecerit. Quamobrem sequestrata paululum animæ natura, si fatentur Deum aliquid fecisse de nihilo, attendant et videant, quidquid illud est, cum voluntate fecisse; non enim aliquid fecisset invitus : nec tamen ideo eamdem voluntatem nihil esse, quia voluntate ab illo aliquid ex nihilo factum est. Cur ergo de anima timent dicere, quod de aliis quibuslibet rebus non dubitant dicere? Aut si animam tantummodo voluntate Dei perhibent factam, cætera cum non voluntate fecisse contendunt; quid absurdius, quid insanius dici potest? Quod si omnia quæ fecit, voluntate utique fecit; nec tamen, cum hoc dicimus, eamdem voluntatem nihil esse dicimus : hoc et de anima accipiant.

CAPUT III. — 3. Cum enim dicitur, Deus ex nihilo fecit; nihil aliud dicitur, nisi, Non erat unde faceret, et tamen quia voluit fecit. Usque adeo igitur in eo quod ex nihilo fecit, voluntas non nihil dicitur, ut ipsa præcipue commendetur. Nam cui dicitur, *Subest enim tibi cum voles posse* (*Sap.* XII, 18) : sive adsit unde fiat, sive non adsit; sat est voluntas, ubi summa est potestas. Quomodo ergo in eo quod de nihilo creatur, voluntas creantis nihil esse perhibetur; cum propterea de nihilo creari aliquid possit, quia voluntas creantis etiam sine materia sibi sufficit? Quod si forte, non solum animam, sed nullam omnino creaturam volunt fateri ex nihilo factam, ideo quoniam quidquid Deus fecit, voluntate fecit, quæ voluntas utique non est nihil; respiciant unde secundum corpus factus sit homo. Certe enim, sicut Scriptura testatur, cum de limo vel de pulvere terræ Deus fecit (*Gen.* II, 7), et procul dubio voluntate fecit : nec tamen voluntas Dei pulvis aut limus est. Sicut ergo in eo quod ex limo factum est, quamvis voluntate sit factum, non est voluntas limus; ita in eo quod ex nihilo factum est [1], quamvis voluntate sit factum, non est voluntas nihil.

CAPUT IV. — 4. Jam vero quod dolendum addidisti, ex Priscilliani hæresi ad errorem Origenis apud vos homines fuisse delapsos, nec ab illa peste potuisse sanari, nisi et ipsa medicina morbidum aliquid intulisset; non est quidem dolor iste culpandus : veritas enim debuit, non falsitas pellere falsitatem; nam hoc, mutare est malum, non evitare. Verumtamen quia de ipso Deo creaturarum omnium conditore, hoc est, de ipsa coæterna et incommutabili Trinitate, ab eis qui ad vos libros Origenis attulerunt, id traditum esse commemoras quod veritas habet; contra quam veritatem Priscillianus Sabellianum antiquum dogma restituit, ubi ipse Pater qui Filius, qui et Spiritus sanctus perhibetur, hoc iste pejor, quod etiam de anima ita sentit, ut non eam propriam velit habere naturam, sed de ipso Deo tanquam particulam defluere, et tam deformiter inquinari atque in deterius commutari cum Manichæis audeat affirmare : non parum boni ex libris illis provincia vestra percepit, in ea re maxime in qua capitaliter erratur; de Creatore quippe, non de creatura, tam falsa et tam nefaria sentiuntur. Sive ergo in hanc fidem qui devia-

[1] sic Mss. [*ex nihilo factum, quamvis.*]

verant restituti sunt, sive qui eam nondum noverant, illarum disputationum lectione didicerunt, hoc se gaudeant didicisse quod sanum est. Quod autem et in eis erroris est, quanquam te cognovisse jam videam; tamen quemadmodum contra talia disseratur, ibi melius discere poteris, ubi error ipse et olim exortus est, et non olim proditus.

CAPUT V. — 5. Quantum possum tamen etiam ego commoneo, ut de diaboli angelorumque ejus correctione et in pristinum statum reparatione sapere nihil audeas : non quia diabolo et dæmonibus invidemus, et eo modo quasi vicem malevolentiæ rependimus, cum illi non ob aliud nisi invidentiæ stimulis agitati, nostra itinera quibus in Deum tendimus perturbare conentur; sed quia ultimæ sententiæ summi et veracissimi Judicis, ex nostra præsumptione addere nihil debemus. Ipse enim se similibus eorum dicturum esse prædixit : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Nec movere debet, ut hoc loco æternum pro diuturno accipiamus, quod alibi scriptum est, *In æternum et in sæculum sæculi* (*Psal.* IX, 6). Latinus quippe interpres noluit dicere, In æternum et in æternum æterni. Sed quoniam id quod αἰών græce dicitur, et sæculum et æternum interpretari potest, commodius alii interpretes transtulerunt, *In sæculum et in sæculum sæculi.* Sed non hoc dictum est ubi dictum est, *Ite in ignem æternum.* Non enim dictum est αἰώνα, sed αἰώνιον : quod si a sæculo declinatum esset, sæculare latine diceretur, non æternum, quod nemo interpres unqua mausus est dicere. Quapropter licet latine sæculum cum aliquo fine intelligatur, æternum vero nisi id quod sine fine est, non soleat appellari; αἰών autem græce aliquando æternum, aliquando sæculum significare intelligatur : tamen quod ex hoc nomine derivatur et appellatur αἰώνιον, nec ipsi Græci, quantum existimo, solent intelligere, nisi id quod non habet finem. Nos autem sive αἰῶνα sive αἰώνιον non solemus dicere nisi æternum; sed αἰῶνα dicimus et sæculum, αἰώνιον autem non nisi æternum. Quamvis quidam interdum etiam æternale audeant dicere, ne latinæ linguæ deesse videatur ab eodem nomine derivatio.

6. Et fortasse quidem secundum morem Scripturarum inveniant isti aliquid etiam αἰώνιον dictum, quod sine fine non sit, sicut Deus in libris Veteris Testamenti assidue dicit; *Hoc vobis erit legitimum æternum* (*Exod.* XXVIII, 43; *Levit.* XVI, 34, *etc.*) ; quod græcus habet αἰώνιον : cum de talibus sacramentis eo modo sæpe præciperet, quæ finem fuerant habitura; quanquam si diligentius dicta intelligantur, ea fortasse quæ illis sacramentis significabantur, finem non erant habitura. Ita enim, ne longius abeam, dicimus æternum Deum, non utique istas duas brevissimas syllabas, sed quod eis significatur. Et dixit Apostolus æterna tempora priora et antiqua (II *Tim.* I, 9), quod in græco legitur πρὸ χρόνων αἰωνίων. Ad Titum enim scribens ait : *Spem vitæ æternæ quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna* (*Tit.* I, 2). Cum autem retrorsum tempora a constitutione mundi habere videantur initium,

quomodo sunt æterna, nisi quia æterna dixit quæ ante se non habent ullum tempus?

CAPUT VI. — 7. Sed quisquis prudenter advertit quod dictum est, *Ite in ignem æternum*, illud esse dictum quod non habet finem, a contrario probat eo ipso loco evangelico de vita æterna quam justi acceperi sunt : non enim et ipsa habet finem. Ita enim conclusit : *Ibunt illi in ambustionem æternam ; justi autem, in vitam æternam* (*Matth.* xxv, 41, 46). In utroque græcus αἰώνιον habet. Si misericordia nos provocat credere, non futurum impiorum sine fine supplicium ; quid de præmio justorum crediturі sumus, cum in utraque parte, eodem loco, eadem sententia, eodem verbo pronuntietur a terultas? An iterum etiam justos ex illa sanctificatione et vita æterna in peccatorum immunditiam atque in mortem relapsuros esse dicemus? Absit hoc a christianæ fidei sanitate. Utrumque igitur sine fine dictum est æternum, hoc est, αἰώνιον : ne cum diaboli pœnas dolemus, de regno Christi dubitemus. Postremo si æternum et æternale, hoc est, αἰὼν et αἰώνιον, sub utroque intellectu in Scripturis poni solet, aliquando sine fine, aliquando cum fine ; quid de illis prophetæ verbis responsuri sumus, ubi scriptum est, *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isai.* lxvi, 24)? Qualiscumque pœna significata sit nomine vermis atque ignis ; certe si non morietur nec exstinguetur, sine fine prædicta est : nec aliud agebat Propheta, cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine prædiceret.

CAPUT VII. — 8. De regno etiam Christi, non secundum id quod in principio Verbum Deus apud Deum (*Joan.* i, 1) ; nam illinc nemo unquam dubitavit, quod sit rex omnium sæculorum : sed secundum hominis susceptionem et mediatoris sacramentum et ex virgine incarnationem, apertissime dictum est quod finem non sit habiturum, ubi angelus loquens ad Mariam matrem futuram virginemque mansuram, ait inter cætera : *Hic erit Magnus, et filius Altissimi vocabitur ; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* i, 32, 33). Secundum quid *regni ejus non erit finis*, nisi secundum id quod *regnabit in domo Jacob*? Nam hoc quod ait, *in æternum* ; propter ipsam ambiguitatem exposuit addendo, *regni ejus non erit finis* : ne quisquam æternum hic sic acciperet, quemadmodum sæculum finem quandolibet habiturum. Numquid autem regnum in domo Jacob et in sede David intelligi potest, nisi in Ecclesia et in eo populo qui est regnum ejus? de quo etiam dicit Apostolus, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri* (I *Cor.* xv, 24), id est, cum perduxerit sanctos suos ad contemplationem Patris, utique et ad suam, secundum id quod Deus est æqualis Patri. Non enim sic tradit, ut ipse amittat : quia et *Pater dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* v, 26), nec utique amisit ipse. Ac per hoc si regni ejus non erit finis, profecto sancti ejus qui sunt regnum ejus, cum illo sine fine regnabunt. Quod autem illo loco dicit Apostolus, *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri* ; ibi finem, non consumentem, sed perficientem significat : sicut dictum est, *Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4) ; quo lex perficiatur, non quo abolcatur. Quod et illic significat, ubi ait : *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* v, 17).

CAPUT VIII. — 9. Quod autem dicunt de rationalibus creaturis, id est, sanctis Angelis et immundis dæmonibus, et ipsis animabus hominum, quod majorem locum minor culpa promeruerit, qua impudentia conentur Ecclesiæ Christi persuadere, non video. Melius itaque credimus, Deum non peccatis rationalium spirituum adductum esse ad fabricam mundi, ne illa sequantur [1] absurda, quod duos soles, vel tres, vel quatuor, vel quotquotlibet habere nobis esset necesse [2], si plurimum spirituum per liberum arbitrium tanta culpa præcederet, quanta illos in similibus corporum cœlestium globis oporteret includi : sed factum esse mundum Dei bonitate, magnum, bonum, a summo et non facto bono ; in quo fierent omnia bona valde secundum naturam, et aliis alia meliora, a summis creaturis usque ad infima distinctis gradibus ordinata, ut eo modo essent omnia, dum non essent sola potiora, et haberent ejus numeri terminum, quem constituendum apud se vidit omnium naturarum creaturarum conditor Deus, qui ea non facta didicit, sed noverat esse facienda. Unde illud quod aiunt, in ejus sapientia jam fuisse facta omnia, antequam in istas formas et modos proprios proferrentur, atque in suis ordinibus apparerent, non sobrie dicitur. Facta enim quando essent, antequam facta essent? Sed in Dei sapientia omnium faciendarum rerum rationes esse potuerunt, non tamen factæ. Omnia enim per ipsam facta sunt, non et ipsa facta est : quia et ipsa est Verbum de quo dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* i, 3). Noverat ergo Deus omnia quæ fecit antequam faceret. Non enim possumus eum dicere ignorata fecisse, et ea non nisi facta didicisse ; nescisse quid faceret, sed scisse quod fecit. Hoc enim si de aliquo artifice homine diceremus, insipientissime saperemus. Noverat ergo ea facienda, non facta : noverat ut faceret, non quia fecerat. Proinde quamvis jam nota essent, quia nisi a sciente non fierent ; non tamen facta esse cœperunt quæ ut fierent sciebantur, nisi post fierent, quæ ut recte fierent sciebantur antequam fierent [3].

10. Cum autem veritas, quæ neque opinatur incognita, nec aliquem fallit, purgationem nostram, imo vero et perfectionem etiam post resurrectionem corporum spiritualium usque ad Angelorum æqualitatem promittat futuram (*Luc.* xx, 36) ; quomodo dicuntur ipsi sancti Angeli, quibus purgatissimi æquales erimus, adhuc a peccatis suis esse purgandi? Et cum cœlum novum et terram novam polliceatur Deus

[1] Magna hic in Amerbachii et Erasmi editionibus lacuna est, detractis sequentibus plus sexaginta versibus, quos tamen nostri omnes Mss. habent.

[2] Ita Vaticani Mss. At Lov., *quod duo soles, vel tres, vel quatuor, vel quotlibet vobis esset necesse.*

[3] Ex Sigiramnensi Ms. sic redintegratus est locus [*quæ ut fierent sciebantur antequam fierent.*]

habitaculum sanctorum atque ab omni labe hujus sæculi purgatorum (*Isai.* LXVI, 22), qua tandem affirmatur audacia, non futurum fuisse mundum, id est, cœlum et terram, nisi propter necessitatem purgandorum spirituum rationalium, qui vel in cœlo vel in terra non essent nisi pro meritis peccatorum? Quid ergo purgatis opus est cœlo novo et terra nova, si purgati ad hoc restituuntur, ut sint quemadmodum fuerunt ante cœlum et terram sine cœlo et terra? Quod si omnino verum esset, nos usque [1] ad illud quod promittit Scriptura spem nostram tendere deberemus. Et si inde essemus in aliquid melius transferendi, multo rationabilius hoc tunc jam ibi positi disceremus, quam nunc non solum temere crederemus, verum etiam impudenter docere conaremur. Quid est autem absurdius, quam dicere, Cœlum et terra non essent, nisi necessaria esset mundi structura purgandis; cum alterum cœlum et alteram terram promittat Scriptura purgatis?

11. Porro de sole et luna cæterisque sideribus, quod cœlestia sint corpora videmus; quod animata sint non videmus. De divinis hoc Libris legatur, et credimus. Nam testimonium ex Apostoli Epistola quod ab eis dici solere posuisti, etiam de solis hominibus intelligi potest; quoniam in unoquoque homine est omnis creatura, non universaliter sicut est cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, sed generatim quodam modo: quia et rationalis in illo est, quam vel probantur habere Angeli, vel creduntur; et, ut ita dicam, sensualis, qua et bestiæ non carent: utuntur enim et sensibus et sensualibus motibus ad appetenda utilia et vitanda contraria: et vitalis privata sensu, qualis adverti in arboribus potest; nam et in nobis sine sensu nostro fiunt corporis incrementa, et capilli nec cum præciduntur sentiunt, et tamen crescunt. Jam vero ipsa corporalis creatura evidentius apparet in nobis, quæ licet ex terra facta atque formata sit, insunt tamen illi ex omnibus hujus corporei mundi elementis quædam particulæ ad temperiem valetudinis. Nam et calore membra vegetantur, qui est ab igne, cujus etiam lux per oculos emicat; et aere venarum discursus, quas arterias vocant, atque spiramenta pulmonis implentur; et humor nisi esset, nulla sputamenta confluerent, vitamque absumeret siccitas. Nam et ipse sanguis humido lapsu alias venas replens, quasi rivis et fluminibus per cuncta diffunditur. Ita nullum est creaturæ genus, quod non in homine possit agnosci: ac sic omnis creatura in eo congemiscit et dolet, revelationem filiorum Dei exspectans (*Rom.* VIII, 22, 23); quæ per corporis etiam resurrectionem, etsi non in omnibus hominibus, omnis tamen a corruptionis servitute liberabitur, quia et in singulis omnis est. Et si quo alio modo melius potest idem locus apostolicarum Litterarum intelligi: non tamen ex eisdem verbis consequens est ut solem et lunam et sidera congemiscere credamus, donec in sæculi fine a corruptionis servitute liberentur.

CAPUT IX. — 12. Sane quoniam dixi, De divinis Libris legatur, et credimus; ne te forsitan fallat quod de libro sancti Job proferre assolent qui hæc asserunt, ubi scriptum est: *Quomodo erit homo justus coram Domino, vel quomodo se mundabit natus ex muliere? si lunæ præcipit, et non lucet, nec stellæ sunt mundæ ante eum; quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis* (*Job* XXV, 4-6)? Hinc enim volunt intelligi, et rationalem spiritum habere stellas, et mundas non esse a peccato: sed ideo in cœlis esse, quia majorem vel meliorem locum minor culpa promeruit. Non pro auctoritate divina istam sententiam recipiendam esse existimo: non enim eam ipse Job enuntiavit, cui singulare quodam modo testimonium divinitus perhibetur, quod *non peccaverit labiis suis ante Dominum* (*Id.* I, 22); sed unus ex ejus amicis, qui dicti sunt *consolatores malorum omnes* (*Id.* XVI, 2), et divina sententia reprobati sunt. Sicut autem in Evangelio, quamvis verum sit omnino quod dicta sint, non tamen omnia quæ dicta sunt vera esse creduntur; quoniam multa a Judæis falsa et impia dicta esse verax Evangelii Scriptura testatur: sic in hoc libro, ubi multæ personæ locutæ esse narrantur, non solum quid dicatur, sed a quo etiam dicatur considerandum est; ne passim quæ in sancto libro quolibet scripta sunt recipientes, cogamur fateri, quod absit, vera et justa fuisse, quæ marito sancto mulier insipiens suggerebat, ut aliquid adversus Deum loquens ab illa intolerabili pœna moriendo liberaretur (*Id.* II, 9). Quod non ideo dixerim, quia illi amici a Domino reprobati, et ab ipso sancto Dei servo merito culpati, nihil veri loqui potuerunt: sed quia non omnia quæ locuti sunt, vera putanda sunt. Quamvis enim adversum Job nihil verum dixerunt [1], potest tamen etiam ex eorum verbis aliquam sanam sententiam in testimonium veritatis assumere, qui novit sapienter dicta discernere: sed quando inquirentes, probari nobis aliquid volumus testimonio sanctorum eloquiorum, non nobis dicatur credendum esse etiam quod in Evangelio scriptum est, si forte evangelista eum hoc dixisse commemorat, cui fides habenda non est. Nam dictum est illic a Judæis Domino Christo, *Nonne verum dicimus, quia Samaritanus es et dæmonium habes* (*Joan.* VIII, 48)? Quam vocem tanto amplius detestamur, quanto nobis Christus est charior: emissam tamen esse a Judæis dubitare non possumus, qui evangelicam narrationem verissimam credimus. Ita nec Evangelistæ derogamus fidem scribenti, et Judæi vocem blasphemantis exsecramur. Nec solum impiis et nefandis hominibus, sed nec ipsis in fide parvulis atque adhuc rudibus et indoctis, qui forte ibi loquentes commemorantur, tanquam canonicæ auctoritati accommodamus fidem. Neque enim, quia ille cujus cæci nati oculos Dominus aperuerat, ait, *Scimus quia peccatores Deus non exaudit* (*Id.* IX, 31), ideo istam

[1] Editio Lov., *non usque*. Emendatur ex manuscriptis.

[1] Mss.: *Quamvis ergo adversum Job nihil verum dixerint.*

sententiam pro evangelica auctoritate sic debemus accipere, ut ipsis in Evangelio verbis Domini resistamus, qui cum qui dixit, *Domine, propitius esto mihi peccatori*, magis justificatum descendisse de templo, quam Pharisæum justitias suas commemorantem atque jactantem, divina voce firmavit (*Luc.* XVIII, 10-14). Nec succenseat iste recens illuminatus in carne, quod eum diximus in suæ fidei tyrocinio, quando adhuc quis esset qui eum sanaverat nesciebat, minus circumspectam protulisse sententiam, *quia peccatores Deus non exaudit*: cum ipsi Apostoli, præ cæteris electi et Domini lateribus cohærentes [1] ejusque ore pendentes, multa reperiantur improbanda dixisse, quæ commemorare prolixum est, ita ut beatus Petrus de quibusdam verbis suis, non solum reprehendi, sed etiam satanas appellari meruerit (*Matth.* XVI, 23).

CAPUT X.— 13. Quanquam in comparatione justitiæ Dei, si nec sancti in cœlis Angeli justi esse dicantur, non mihi videtur importuna sententia: non quia ut hoc essent, a justitia lapsi sunt; sed quia facti sunt, et Deus non sunt, tantumque spiritualis luminis habere non possunt, quantum habet ille a quo facti sunt. Ibi enim summa justitia, ubi summa sapientia: et hoc Deus est, de quo dictum est, *Soli sapienti Deo* (*Rom.* XVI, 27). Sed alia quæstio est, quantum justitiæ ipsius capiant Angeli, quantumque non capiant. Cujus enim participatione justi sunt, ejus comparatione nec justi sunt.

CAPUT XI.— 14. Sed alia est, ut dixi, ista quæstio; alia de sideribus et sole et luna, utrum vel rationales habeant spiritus in his conspicuis corporibus lucidisque: quæ corpora esse qui dubitat, quid sit omnino corpus ignorat. Neque ista multum ad nos pertinent, ut ea summo studio indagare curemus, quæ remota sunt a sensibus nostris et ab intellectu infirmitatis humanæ, nec in ipsis Scripturis ita posita, ut nobis eorum sit mandata cognitio. Imo vero ne præcipiti suspicione in fabulas sacrilegas irruamus, clamat Scriptura divina, *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ tibi præcepit Dominus, illa cogita semper* (*Eccli.* III, 22): ut magis in istis temeraria præsumptio, quam cauta ignoratio culpanda videatur. Certe ait Apostolus, *Sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates* (*Coloss* I, 16). Et esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in cœlestibus apparatibus, firmissime credo, et differre inter se aliquid indubitata fide teneo: sed, quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, et quid inter se differant nescio. Nec ea sane ignorantia periclitari me puto, sicut inobedientia, si Domini præcepta neglexero; et ideo puto Spiritu Dei per auctores nostros, scriptores sanctorum eloquiorum, non plene exposita, sed raptim tacta atque perstricta; ut si cui forte tali quales nos sumus, per altiorem revelationem aliquid hujusmodi fuerit demonstratum, non se inferiores fuisse credat eos, per quos nobis canonicarum Scripturarum sancta præconia ministrata sunt. Quantum enim quisque sciendo profecerit, tanto se infra illas Litteras inveniet, quas Deus tanquam firmamentum supra omnia humana corda constituit. Non itaque opus est *plus sapere, sed sapere ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei* (*Rom.* XII, 3). Docebunt te ista fortasse doctiores, si ad illos afferas tantam discendi scientiam, quantam sciendi habes curam; ne incognita pro cognitis opineris; ne non credenda credas, vel credenda non credas. Imo docebit ille unus Magister et verus, sive per illos, sive quibus modis voluerit, qui te pro sua Ecclesia laborantem intus inspicit, ubi et hoc in te contulit: ipse reserabit latius veritatem, qui pulsantem pervidet, quam donare dignatus est, charitatem (*a*).

[1] Sic cum Mss. [*cum ipsi Apostoli Domini, præ cæteris electi et lateribus cohærentes.*]

(*a*) Hic desinit Tractatus in melioribus Mss. Reliqui triginta circiter versus qui superadduntur in excusis, translati huc fuerant ex fine epistolæ Augustini ad Hieronymum, olim ordine 28, nunc 166.

AUGUSTINI SCRIPTIONES ALIÆ ADVERSUS PRISCILLIANISTAS HÆ SUNT:

IN TOMO II,

Epistola CCXXXVII, ad Ceretium episcopum.

IN TOMO VI,

Contra Mendacium liber ad Consentium.

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM,

Vide lib. 2, *cap.* 52, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 650, *verbis*, Inter hæc (*a*), *usque ad col.* 651, *verbis*, Hac disputatione respondeo. M.

(*a*) Ipsum tempus indicat Gestorum cum Emerito donatista apud Cæsaream, de quibus in proxime antecedente Retractationum capite: quæ Gesta consignantur Honorio XII et Theodosio VIII Coss. Itaque subsequens liber pertinet ad annum Christi 418. In antiquis codicibus titulum habet: « Liber Aurelii Augustini Respondentis contra perfidiam Arianorum. » In Retractationum exemplaribus: « Contra sermonem Arianorum. »

Sermo Arianorum,

Ubi numeri propterea sunt locis singulis annotati, ut cum responsio legi cœperit, qui voluerit attendat, utrum cuique loco apte diligenterque responsum sit; quia eosdem numeros habet etiam ipsa responsio, per quos cui loco respondeatur agi arcat.

1. Dominus noster Jesus Christus, Deus unigenitus, primogenitus totius creationis.

2. Voluntate Dei et Patris sui ante omnia sæcula constitutus.

3. Voluntate et præcepto ipsius, cœlestia et terrestria, visibilia et invisibilia, corpora et spiritus ex nullis exstantibus, ut essent, sua virtute fecit.

4. Et antequam faceret universa, omnium futurorum Deus et Dominus, rex et creator erat constitutus, et omnium futurorum in natura habens præscientiam, et in faciendo in omnibus exspectans Patris jussionem; ipse voluntate et præcepto Patris descendit de cœlo, et venit in hunc mundum, sicut ipse ait: *Nec enim a me ipso veni, sed ille me misit* (*Joan.* VIII, 42).

5. Et quia de omnibus spiritualibus et rationalibus gradibus, propter qualitatem [1] et fragilitatem corporis, paulo minus ab Angelis inferior minoratus homo videbatur (*Psal.* VIII, 6): ne se vilem speraret, et de salute sua [2] desperaret, Dominus Jesus honorans facturam suam, dignatus est humanam carnem suscipere; et ostendit [3] quia non est homo vilis, sed pretiosus, sicut scriptum est: *Magnus homo et pretiosus vir* (*Prov.* XX, 6, *sec.* LXX). Et ideo solum hominem Patri suo hæredem, sibi enim cohæredem, facere dignatus est; ut quod minus acceperat in natura, plus haberet in honore.

6. *Cum*, inquit, *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere* (*Galat.* IV, 4). Ipse qui voluntate Patris carnem susccpit, ipse et voluntate et præcepto ipsius in corpore conversatus est, sicut ipse ait: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* VI, 38). Ipse et voluntate Patris triginta annorum baptizatus, voce et testimonio Patris manifestatus (*Luc.* III, 21-23), voluntate et præcepto Patris Evangelium regni cœlorum prædicabat, sicut ipse ait: *Et aliis civitatibus oportet me Evangelium prædicare; in hoc enim missus sum* (*Id* IV, 43); et, *Ipse mihi mandatum dedit quid dicam, aut quid loquar* (*Joan.* XII, 49). Et sic voluntate et præcepto Patris ad passionem et mortem properavit, sicut ipse ait: *Pater, transeat calix iste a me; non tamen quod ego volo, sed quod tu vis* (*Matth.* XXVI, 39). Et Apostolo asserente et dicente: *Obediens*, inquit, *factus Patri usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 8).

7. Is et in cruce pendens, voluntate et præcepto Patris carnem humanam, quam de sancta virgine Maria suscepit, in manus hominum dereliquit, et divinitatem suam in manus Patris commendavit, dicens: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII, 46). Quia Maria morituram corpus peperit, Deus autem immortalis immortalem Filium genuit. Ergo mors Christi non diminutio est divinitatis, sed depositio corporis. Sicuti enim generatio ejus ex virgine non fuit corruptio dealitatis ipsius, sed susceptio corporis; ita et in morte ejus non fuit passio et defectio dealitatis ipsius, sed separatio carnis ejus. Sicuti enim qui indumentum conscindit, induto facit injuriam; ita et qui carnem ejus crucifixerunt, divinitati ipsius contumeliam intulerunt.

8. Is qui voluntate et præcepto Patris totam dispensationem adimplevit, voluntate et præcepto Patris corpus suum a mortuis suscitavit; et cum ipse corpore, ut pastor cum ove, et sacerdos cum oblatione, et rex cum purpura, et Deus cum templo a Patre assumptus est in gloriam.

9 Is qui voluntate Patris descendit et ascendit, voluntate et præcepto Patris sedet [1] ad dexteram ejus, audiens Patrem sibi dicentem: *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1). Is qui voluntate et præcepto Patris sedet ad dexteram ejus, is voluntate et præcepto Patris in consummatione sæculi venturus est, Apostolo vociferante et dicente: *Et ipse*, inquit, *Dominus in jussu, in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo* (*I Thess.* IV, 15). Is qui voluntate et præcepto Patris veniet [2], voluntate et præcepto Patris judicaturus est totum mundum in æquitate, et redditurus singulis secundum fidem et opera sua; sicut ipse ait, *Pater judicat neminem, sed omne judicium Filio dedit*: item, *Sicuti audio, judico, et judicium meum verum est; quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* V, 22, 30). Unde et in judicando Patris præsentiam præponit, et suam divinam dignitatem et potestatem secundam postponit, dicens: *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV, 34). Ergo justus judex est Filius: judicantis vero honor et auctoritas, Patris imperiales leges; sicuti et Spiritus sancti officiosa advocatio et consolatio, Unigeniti Dei justi judicis est dignitas.

10. Ergo Filius a Patre est genitus: Spiritus sanctus per Filium est factus.

11. Filius Patrem prædicat: Spiritus sanctus Filium annuntiat.

12. Primum et præcipuum opus est Filii, genitoris gloriam revelare: primum et præcipuum est opus Spiritus sancti, in animas hominum Christi dignitatem manifestare.

13. Filius testis est Patris: Spiritus testis est Filii.

14. Filius mittitur a Patre: Spiritus mittitur a Filio.

15. Filius minister est Patris: Spiritus sanctus minister est Filii.

16. Filius jubetur a Patre: Spiritus sanctus jubetur a Filio.

17. Filius subditus est Patri: Spiritus sanctus subditus est Filio.

18. Filius, quæ jubet Pater, hæc operatur: Spiritus sanctus, quæ mandat Filius, hæc loquitur.

19. Filius adorat et honorat Patrem: Spiritus sanctus adorat et honorat Filium: ipso Filio dicente, *Pater, ego te honorificavi super terram, opus quod dedisti mihi consummavi* (*Joan.* XVII, 4): et de Spiritu sancto ait, *Ille me honorificabit, quia de meo accipiet, et*

[1] Ita Mss. Editi vero, *infirmitatem*.
[2] In Mss., *et de salute sua*.
[3] Er. Lugd. Ven. Lov., *ostenderet*. M.

[1] Mss. hic et infra habent, *sedit*.
[2] Sic Mss. At editi, *venit*.

annuntiabit vobis (*Joan.* XVI, 14).

20. Filius a se non potest facere quidquam (*Id.* V, 19), sed in omnibus Patris exspectat nutum. Spiritus a se non loquitur, sed in omnibus Christi exspectat præceptum : *Non*, inquit, *a se loquetur; sed quæcumque audierit loquetur, et ventura annuntiabit vobis* (*Id.* XVI, 13).

21. Filius pro nobis interpellat Patrem : Spiritus pro nobis postulat Filium.

22. Totius bonitatis et sapientiæ et virtutis Patris viva et vera, propria et condigna imago est Filius : totius sapientiæ et virtutis Filii manifestatio est Spiritus.

23. Non est pars nec portio Patris Filius, sed proprius et dilectissimus, perfectus et plenus unigenitus Filius. Non est pars nec portio Filii Spiritus, sed primum et præcipuum opus unigeniti Dei præ cæteris universis.

24. Pater major est Filio suo : Filius incomparabiliter major et melior est Spiritu.

25. Pater Deus et Dominus est Filio suo : Filius Deus et Dominus est Spiritui.

26. Pater immobiliter et impassibiliter volens Filium genuit : Filius sine labore et fatigatione sola virtute sua Spiritum fecit.

27. Filius ut sacerdos adorat Deum suum, et ab omnibus adoratur ut Deus et creator omnium : Pater vero solus nullum adorat, quia nec majorem, nec æqualem habet quem adoret : nulli gratias agit, quia nullius beneficium consecutus est; omnibus ut essent ob bonitatem suam donavit, ipse quod est a nemine accepit. Ergo hæc trium substantiarum, Patris, et Filii, et Spiritus sancti distinctio, et trium rerum, Dei ingeniti, et Dei unigeniti, et Spiritus advocati differentia : et Pater Deus et Dominus est Filio suo, et omnium quæ per virtutem Filii voluntate ipsius facta sunt : Filius minister et summus sacerdos est Patris sui; omnium vero operum suorum Dominus et Deus est, Patre volente.

28. Et sicuti nemo potest sine Filio ad Patrem transire, ita et nemo potest sine Spiritu sancto Filium in veritate adorare : ergo in Spiritu sancto adoratur Filius.

29. Per Filium glorificatur Pater.

30 Spiritus sancti opus et diligentia est sanctificare, et sanctos custodire; et non solum rationabilia, ut quidam putant, sed et irrationabilia plura sanctificare : et eos qui ceciderunt propter suam negligentiam, ad pristinum statum reparare; ignorantes docere, obliviscentes admonere, peccantes arguere, pigros hortari, de salute sua cogitare et sollicite agere, errantes ad viam veritatis deducere, infirmos curare, et fragilitatem corporis per alacritatem animæ continere, et ad amorem pietatis et castitatis confirmare, et omnes illuminare; super omnia fidem et charitatem præbere singulis, pro studio quoque et diligentia, pro sinceritate et simplicitate mentis, pro mensura fidei et merito conversationis gratiam ad utilitatem dividere, et unusquisque in quo opere et proposito fuerit habilis, in ipso ordinare.

31. Alium esse a Filio, et natura et ordine, gradu affectu, dignitate et potestate, virtute et operatione : sicut et Filius natura et ordine, gradu et affectu, divina dignitate et potestate, unigenitus Deus alius est ab ingenito Deo.

32. Impossibile ergo est unum eumdemque esse Patrem et Filium, generantem et nascentem, cui testimonium perhibetur et eum qui testimonium perhibet, majorem et eum qui majorem constituit, eum qui ad dexteram sedet et stat et eum qui sedis dedit honorem, eum qui missus est et eum qui misit; nec discipulum et doctorem, ut ipse docuit dicens, *Sicut docuit me Pater, sic loquor* (*Joan.* VIII, 28) : similem et imitatorem, et eum cujus est similis et imitator [1]; eum qui orat, et qui exaudit; eum qui gratias agit, et qui benedicit [2], eum qui suscepit mandatum, et eum qui dedit mandatum, et ministrum præcipienti, supplicem eminenti, subditum superiori, primogenitum sempiterno, unigenitum ingenito, sacerdotem Deo unum atque eumdem esse.

33. Sed et Deus sine principio præscius erat se unigeniti Dei pueri sui patrem futurum : Deum autem se futurum nunquam præscivit, quia ingenitus est, et nunquam cœpit nec præscire, nec scire. Quid est autem præscientia, nisi futurorum scientia? Pater autem generando Filium, ab ipso Filio est nuncupatus; et ipso revelante, ab omnibus Christianis Deus et Pater unigeniti Dei est cognitus, et magno major et bono melior est manifestatus.

34. Et quia Homousiani dicunt Salvatorem nostrum humilitatis gratia hæc omnia de Patris præscientia, et de sua subjectione esse locutum, nos vero Christiani credimus Patre imperante et Filio obtemperante hæc omnia esse eum locutum; dicimus et probamus quod hæretici ex suis dictis arguuntur et reprehenduntur. Si enim se humiliavit, ipsa humilitas ejus obedientiam ostendit : ipsa vero obedientia alium supra eminentem, alium subsistentem et subjectum declarat, sicuti ait Apostolus, *Humiliavit se, obediens factus Patri usque ad mortem* (*Philipp.* II, 8). Et ipsa humilitas ejus, veritas est, non falsitas. Quis enim vel quando sapiens contentus est se humiliare, nisi habeat majorem et meliorem cui festinet per humilitatem placere? *Et ego*, inquit, *quæ placita sunt ei facio semper* (*Joan.* VIII, 29). Semel enim ante omnia sæcula voluntate Dei natus, ad voluntatem ipsius omnia operatur. Si autem se humiliavit, et mentitus est, quod absit; et si veritas mentitur, quod impossibile est, ubi quis quærat veritatem? Sed veritas nec mentitur, nec variatur, qui ob hoc venit ut veritatem doceret; qui non est ignorantiæ doctor, sed veritatis magister, ut ipse dixit : *Nolite vobis vocare magistros super terram, unus est enim magister vester Christus* (*Matth.* XXIII, 10). Si autem dixerint quia propter incarnationem suam humilians se super terram, propter homines hæc loquebatur,

[1] Er. Lugd. Ven., *et quem imitatur*. M.

[2] Er. Lugd. Ven. Lov. sic exhibent hunc locum : *Et eum qui orat et qui exaudit; et eum qui gratias agit, et qui benedicit*. M.

ostendamus illis majora et firmiora esse illa testimonia, quæ de subjectione Filii in Scripturis sunt posita, de iis quæ in Evangelio aguntur. Si enim propter homines super terram se humiliabat, et non ut obediens et subjectus filius cum incomparabili dilectione et gratiarum actione Patri suo obsequebatur; quia quantum sublimis est in potestate, tantum humilis est in obsequio : antequam carnem susciperet, quare jussus obaudivit, et modo sedens ad dexteram Dei interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34), et in corpore constitutus super terram in cœlo se Patrem rogaturum promittebat, dicens, *Et ego rogabo Patrem meum, et alium advocatum dabit vobis* (*Joan.* XIV, 16)? Ut si adhuc in his omnibus propter duritiam et cæcitatem cordis sui credere noluerint, sed ausi fuerint dicere quod hæc omnia humilitatis causa fiunt, post consummationem sæculi, nisi se natura et voluntate sciret subjectum et obedientem, utquid se humiliaret, ubi propter homines humilitas necessaria non est? Quod autem et post consummationem sæculi, quando illi omnia fuerint subjecta (I *Cor.* XV, 28) : quia modo natura quidem omnia sunt subjecta, ut creatura Creatori; voluntate autem, propter liberum arbitrium, non omnia illi subjecta videmus : tunc vero in die judicii, quando in nomine Jesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris [1] (*Philipp.* II, 10, 11), omnia sine fine, et voluntate et natura illi erunt subjecta : et ipse post omnium sibi subjectionem in ea subjectione et charitate manens, in qua semper, et ipse ut Filius subjectus erit ei qui illi subdidit omnia : nullus audiens christianus ignorat, quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi (*Rom.* X, 17) : ut sit Deus omnia in omnibus, semper monarchiam et potestatem habens omnium, cui gloria et honor, laus et gratiarum actio, per unigenitum ejus Filium Dominum [2] et Salvatorem nostrum, in Spiritu sancto, nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Mss., *ad gloriam Dei Patris.*
[2] Mss. *Deum.*

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA

SERMONEM ARIANORUM

LIBER UNUS [a].

CAPUT PRIMUM.— 1. Eorum præcedenti disputationi hac disputatione respondeo, qui cum Dominum nostrum Jesum Christum fatentur quidem Deum, sed Deum verum et cum Patre unum Deum nolunt fateri, duos nobis inducunt deos diversæ disparisque naturæ; unum verum, alterum non verum : contra illud quod scriptum est, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4). Hoc enim si de Patre dictum volunt intelligi, sequitur ut Christus non sit Dominus Deus noster. Si autem de Filio, Pater non erit Dominus Deus noster. Si vero de ambobus, profecto Pater et Filius unus est Dominus Deus noster. Ac per hoc illud quod in Evangelio scriptum est, *Ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3); hoc eum dixisse accipiendum est, Ut te et quem misisti Jesum Christum cognoscant unum verum Deum. Quia et de Christo dictum est a Joanne apostolo, *Ipse est verus Deus et vita æterna* (I *Joan.* V, 20).

2. Item cum dicunt Christum *voluntate Dei et Patris sui ante omnia sæcula constitutum*, coguntur confiteri Filium Patri esse coæternum. Si enim aliquando Pater sine Filio fuit, erat ante Filium aliquod tempus, quo Pater sine illo solus fuit. Et quomodo erat ante omnia sæcula Filius, ante quem fuit tempus quo sine illo erat Pater? Porro, si ante omnia tempora Filius erat (non enim aliter intelligendum est, *In principio erat Verbum*; et, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1, 3); quia et tempus sine aliquibus creaturæ motibus non potest esse, et ideo per illum facta confitemur et tempora, per quem facta sunt omnia), procul dubio coæternus est Patri Filius. Sed *voluntate Patris* dicunt *constitutum*, nolentes dicere Deum de Deo æqualem, genitum atque coæternum. Nusquam autem legunt *voluntate Patris Filium ante omnia sæcula constitutum*. Sed hoc propterea dicunt, ut prior illo videatur voluntas Patris, qua eum constitutum volunt. Et argumentatio eorum talis esse solet : interrogant enim utrum Pater Filium volens an nolens genuerit; ut si responsum fuerit quod volens genuerit, dicant, Prior est ergo voluntas Patris. Quod autem nolens genuerit, quis potest dicere? Sed ut noverint quam

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Vidimus hujus opusculi Gallicanos manuscriptos codices octo, Sorbonicum, Germanensem, Corbeiensem, Pratellensem, Michaelinum, Sagiensem, Remensis Ecclesiæ unum, et domini de Maran Tholosatis unum, præter quatuor Vaticanos. consuluimus etiam varias lectiones Belgicorum trium, et editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *tom.* 1, *memoratas.* M.

(a) scriptus anno Christi 418.

inania loquantur, etiam ipsi interrogandi sunt, utrum Deus Pater volens an nolens sit Deus. Non enim audebunt eum dicere, nolle se esse Deum. Si ergo responderint quod volens sit Deus, eo modo illis inferenda est vanitas sua, qua dici potest prior illo esse voluntas ejus : quo quid dicitur stultius?

CAPUT II. — 3. Deinde dicunt eum *voluntate et præcepto Patris, cœlestia et terrestria, visibilia et invisibilia, corpora et spiritus, ex nullis exstantibus, ut essent, sua virtute fecisse.* Ubi ab eis quærimus, utrum et ipse a Patre ex nullis exstantibus factus sit, hoc est, ex nihilo. Quod si dicere non audebunt; ergo Deus est de Deo, non ex nihilo factus a Deo. Quæ res indicat unam et eamdem Patris Filiique naturam. Neque enim homo, pecus, avis, piscis, possunt ejusdem naturæ gignere filios, et Deus non potuit. Si autem tanto impietatis abrupto audebunt ire præcipites, ut dicant et unigenitum Filium a Patre ex nihilo constitutum; quærant per quem factus sit a Patre ex nihilo Filius. Non enim per seipsum fieri potuit, tanquam jam esset antequam fieret, ut esset ipse per quem fieret idem ipse. Et quid opus erat eum fieri qui jam erat? aut quomodo fiebat ut esset, qui jam erat antequam fieret? Porro, si per quem alium a Patre factus est, quis est ipse alius, cum omnia per ipsum facta sint? Si autem a Patre per neminem factus est; quomodo per neminem aliquid a Patre factum est, cum per Filium, hoc est, per ejus Verbum facta sint omnia?

CAPUT III. — 4. *Et antequam faceret*, inquiunt, *universa, omnium futurorum Deus et Dominus, rex et creator erat constitutus, et omnium futurorum in natura habens præscientiam, et in faciendo in omnibus exspectans Patris jussionem; ipse voluntate Patris descendit de cœlo, et venit in hunc mundum sicut ipse ait : « Nec enim a me ipso veni, sed ille me misit »* (*Joan.* VIII, 42). Vellem isti ut dicerent, utrum duos constituant creatores. Quod si non audent : unus est enim; quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (*Rom.* XI, 36); unus quippe Deus est ipsa Trinitas, et sic unus Deus, quomodo unus creator : quid est quod dicunt, jubente Patre creasse omnia Filium, tanquam Pater non creaverit, sed a Filio creari jusserit? Cogitent qui carnaliter sapiunt, quibus aliis verbis jusserit Pater unico Verbo. Formant enim sibi in phantasmate cordis sui quasi duos aliquos, etsi juxta invicem, in suis tamen locis constitutos, unum jubentem, alterum obtemperantem. Nec intelligunt ipsam jussionem Patris ut fierent omnia, non esse nisi Verbum Patris per quod facta sunt omnia.

Quod autem miserit Pater Filium, negari non potest. Sed considerent, si possunt, quomodo eum miserit, cum quo ipse venit. An ille mentitus est qui ait: *Non sum solus, quoniam Pater mecum est* (*Joan.* XVI, 32). Sed quomodo libet missum intelligant, numquid ideo diversa natura est, quia Pater mittit et mittitur Filius? Nisi forte potest homo pater mittere hominem filium unius ejusdemque substantiæ, et non potest Deus : cum homo missus ab homine mittente separetur, quod Deus non potest. Sed ignis mittit splendorem suum, nec potest splendor missus separari ab igne mittente : quamvis et ista quia creatura est visibilis, non omni ex parte huic rei sit comparabilis. Cum enim splendorem mittit ignis, longius pervenit splendor, quo ignis non pervenit. Unde splendor ab igne qui est in lucerna missus, si loqui posset, non utique posset verum dicere in pariete, quo sine lucernæ igne pervenit, Ignis qui me misit mecum est : potuit autem missus a Patre Filius dicere, *Pater mecum est.* Cum igitur hæc a Patre missio Filii prorsus ineffabilis sit, nec capi ullius cogitatione possit, quomodo hinc ostendant Filium alterius atque inferioris essentiæ, non inveniunt; quandoquidem nec homo missus ab homine, diversam naturam mittentis et missi esse demonstrat.

CAPUT IV. — Hic autem etiam hoc potest intelligi, ut eo ipso a Patre Filius missus esse dicatur, quod Filius hominibus apparuit in carne, non Pater. Quis enim mittitur illo ubi est? Ubi autem non est Sapientia Dei, quod est Christus, de qua legitur : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1)? Cum ergo ubique sit etiam Filius, quo mittendus fuerat ubi non erat, nisi apparendo sicut non apparebat? Quanquam et Spiritum sanctum missum legamus, qui certe in unitatem personæ suæ naturam non assumpsit humanam. Nec a solo Filio missus est, sicut scriptum est, *Cum ego iero, mittam illum ad vos* (*Joan.* XVI, 7) ; sed a Patre quoque, sicut scriptum est, *Quem mittet Pater in nomine meo* (*Id.* XIV, 26). Ubi ostenditur quod nec Pater sine Filio, nec Filius sine Patre misit Spiritum sanctum, sed eum pariter ambo miserunt. Inseparabilia quippe sunt opera Trinitatis. Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem a quo genitus sit, vel a quo procedat. Et ideo non propter naturæ diversitatem, quæ in Trinitate nulla est, sed propter ipsam auctoritatem solus Pater non dicitur missus. Non enim splendor aut fervor ignem; sed ignis mittit, sive splendorem, sive fervorem. Quamvis hæc longe sint dissimilia; nec inveniatur aliquid vel in spiritualibus vel in corporalibus creaturis, quod ei Trinitati, quæ Deus est, merito conferatur.

CAPUT V. — 5. Dicunt etiam : *Et quia de omnibus spiritualibus et rationalibus gradibus, propter qualitatem et fragilitatem corporis paulo minus ab Angelis inferior minoratus homo videbatur* (*Psal.* VIII, 6); *ne se vilem speraret, et de salute sua desperaret, Dominus Jesus honorans facturam suam, dignatus est humanam carnem suscipere, et ostendere quia non est homo vilis, sed pretiosus, sicut scriptum est : « Magnus homo et pretiosus vir »* (*Prov.* XX, 6, *sec.* LXX). *Et ideo solum hominem Patri suo hæredem, sibi enim cohæredem facere dignatus est; ut quod minus acceperat in natura, plus haberet in honore.* Hæc dicentes, hoc volunt intelligi, quod humanam carnem sine humana anima Christus assumpserit. Quæ propria hæresis Apollinaristarum est : sed etiam istos, id est, Arianos, in eorum disputationibus, non solum Trinitatis diversas esse naturas, sed etiam hoc sentire deprehendi-

mus, quod animam non habeat Christus humanam Verum id in hujus disputationis consequentibus evidentius apparebit. Nunc ad hæc eorum verba quæ proposuimus hoc respondemus, ut recolant in Epistola quæ ad Hebræos est, de Christo esse intellectum quod scriptum est, *Minorasti eum paulo minus ab Angelis* (*Hebr.* II, 7) : et videant non ad diversitatem et inæqualitatem naturæ Patris et Filii valere quod dixit, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); sed ad illud potius quod in forma servi propter infirmitatem, in qua pati et mori potuit, minor etiam Angelis factus est.

CAPUT VI. — 6. Item dicunt : « *Cum,* » *inquit,* « *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere* » (*Galat.* IV, 4). *Ipse qui voluntate Patris carnem suscepit, ipse et voluntate et præcepto ipsius in corpore conversatus est, sicut ipse ait :* « *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* » (*Joan.* VI, 38). *Ipse et voluntate Patris triginta annorum baptizatus, voce et testimonio Patris manifestatus* (*Luc.* III, 21-23), *voluntate et præcepto Patris Evangelium regni cœlorum prædicabat, sicut ipse ait,* « *Et aliis civitatibus oportet me Evangelium prædicare ; in hoc enim missus sum* » (*Id.* IV, 43); *et,* « *Ipse mihi mandatum dedit quid dicam, aut quid loquar* » (*Joan.* XII, 49). *Et sic voluntate et præcepto Patris ad passionem et mortem properavit, sicut ipse ait :* « *Pater, transeat a me calix iste ; non tamen quod ego volo, sed quod tu vis* » (*Matth.* XXVI, 39, 59). *Et Apostolo asserente et dicente :* « *Obediens,* » *inquit,* « *factus Patri usque ad mortem, mortem autem crucis* » (*Philipp.* II, 8). His testimoniis sanctarum Scripturarum quid persuadere conantur, nisi propterea Patris et Filii diversas esse naturas, quia obediens Patri ostenditur Filius? Quod tamen de hominibus non utique dicerent : neque enim si homo filius homini patri suo sit obediens, ideo amborum diversa natura est.

CAPUT VII. — Quanquam et hoc ipsum quod dicit Jesus, *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* VI, 38) ; ad illud referatur quod homo primus Adam (de quo dicit Apostolus, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors ; et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* [*Rom.* V, 12]), faciendo voluntatem suam, non ejus a quo factus est, universum genus humanum propagine vitiata culpæ et pœnæ fecit obnoxium. Unde a contrario, per quem liberandi fueramus, non fecit voluntatem suam, sed ejus a quo missus est. Ita quippe hoc loco dicitur voluntas sua, ut intelligatur esse propria contra voluntatem Dei. Neque enim cum obedimus Deo, eaque obedientia dicimur ejus facere voluntatem, nolentes id facimus, sed volentes, ac per hoc si volentes id facimus, quomodo voluntatem nostram non facimus, nisi quia illa dicitur voluntas, nostra, quando Scriptura ita loquitur, quæ intelligitur esse propria contra voluntatem Dei? Hanc habeat Adam, ut in illo moreremur : hanc non habuit Christus, ut in illo viveremus. De natura quippe humana hoc recte dici potest, in qua exstitit per inobedientiam voluntas propria, quæ Dei voluntati esset adversa. Cæterum quod attinet ad divinitatem Filii, una eademque voluntas est Patris et Filii : nec potest ullo modo esse diversa, ubi est natura Trinitatis immutabilis universa. Ut autem Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5) non faceret propriam, quæ Deo adversa est, voluntatem, non erat tantum homo, sed Deus et homo : per quam mirabilem singularemque gratiam humana in illo sine peccato ullo posset esse natura. Propter hoc ergo ait, *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit :* ut ea causa esset tantæ obedientiæ, quæ omnino sine ullo peccato esset hominis quem gerebat, quia de cœlo descenderat ; hoc est, non tantum homo, verum etiam Deus erat. Unam quippe ostendit esse personam in utraque natura, hoc est, Dei et hominis, ne si duas faciat, quaternitas incipiat esse, non trinitas. Quoniam itaque gemina quidem substantia, sed una persona est, propterea quod dictum est, *Descendi de cœlo*, refertur ad Dei excellentiam ; quod vero adjunctum est, *non ut faciam voluntatem meam*, propter Adam qui fecit suam, refertur ad hominis obedientiam : utrumque autem Christus, id est, Deus et homo ; tamen obedientia in illo quæ contraria est inobedientiæ primi hominis, secundum id quod homo est commendatur. Unde ait Apostolus : *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi ; ita et per obedientiam unius hominis justi constituentur multi* (*Rom.* V, 19).

CAPUT VIII. — Nec quia dixit, *hominis*, separavit Deum, qui hominem assumpsit ; quia, sicut dixi, et valde commendandum est, una persona est. Ipse namque unus Christus et Dei Filius semper natura, et hominis Filius qui ex tempore assumptus est gratia : nec sic assumptus est ut prius creatus post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. Ac per hoc propter istam unitatem personæ in utraque natura intelligendam et Filius hominis dicitur descendisse de cœlis, quamvis sit ex ea quæ in terra fuerat Virgine assumptus ; et Filius Dei dicitur crucifixus et sepultus, quamvis hæc non in divinitate ipsa qua est Unigenitus Patri coæternus, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Nam Filium hominis descendisse de cœlo, ipsum dixisse sic legimus : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13). Unigenitum vero Filium Dei crucifixum et sepultum, omnes etiam in Symbolo confitemur. Unde est et illud Apostoli : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* II, 8). Hanc unitatem personæ Christi Jesu Domini nostri, sic ex natura utraque constantem, divina scilicet atque humana, ut quælibet earum vocabulum etiam alteri impertiat, et divina humanæ, et humana divinæ, beatus ostendit Apostolus, ubi nos cum ad humilitatem misericordem per Christi exhortaretur exemplum : *Hoc sentite*, inquit, *in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo ; sed se ipsum exinanii*

vit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo : humiliavit se ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II, 5 8). Cum ergo Christi nomen ex eo illi sit quod scriptum est in prophetia, *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8); unde ad id quod homo factus est pertinet id quod *formam servi accipiens habitu est inventus ut homo*, qui utique habitus cœpit ex tempore : de ipso tamen eodemque Christo dictum est, *Cum in forma Dei esset ;* cum profecto in forma Dei antequam ab illo forma servi esset accepta, nondum erat Filius hominis, sed Filius Dei, cui Patris æqualitas rapina non erat, sed natura. Non enim erat usurpando elatus, sed hoc erat natus, et ideo veritas. Nondum ergo erat Christus, quod esse cœpit cum *semetipsum exinanivit*, non formam Dei amittens, sed *formam servi accipiens*. Verum si quæramus, Quis est ille *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo?* Respondetur nobis voce apostolica, *Christus Jesus*. Ergo et illa divinitas hujus humanitatis nomen accepit. Item si quæramus, quisnam sit *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ;* rectissime respondetur, Ille *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*. Ergo et ista humanitas illius divinitatis nomen accepit. Apparet tamen idem ipse Christus, geminæ gigas substantiæ, secundum quid obediens, secundum quid æqualis Deo ; secundum quid Filius hominis, secundum quid Filius Dei : secundum quid dicat, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28) ; secundum quid, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30) : secundum quid, non facit [1] voluntatem suam, sed ejus a quo missus est (*Id.* VI, 38) ; secundum quid, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Id.* V, 21).

CAPUT IX.—7. Item sequuntur et dicunt : *Is et in cruce pendens, voluntate et præcepto Patris, carnem humanam quam de sancta virgine Maria suscepit, in manus hominum deseliquit, et divinitatem suam in manus Patris commendavit, dicens : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XIII, 46). *Quia Maria moriturum corpus peperit, Deus autem immortalis immortalem Filium genuit. Ergo mors Christi non diminutio est divinitatis, sed depositio corporis. Sicuti enim generatio ejus ex virgine non fuit corruptio dealitatis* [2], *sed susceptio corporis ; ita et in morte ipsius non fuit passio et defectio dealitatis ipsius, sed separatio carnis ipsius. Sicuti enim qui indumentum conscindit, induto facit injuriam ; ita et qui carnem ipsius crucifixerunt, divinitati ipsius contumeliam intulerunt.* Ecce in quibus verbis suis omnino manifestant negare se, quod ad unitatem personæ Christi etiam humana anima pertineat; sed in Christo carnem et divinitatem tantummodo confiteri. Quandoquidem cum penderet in ligno, illud ubi ait, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, divinitatem ipsam voluit eum intelligi commendasse Patri, non humanum spiritum, quod est anima. Merito in ista ipsa disputatione superius, ubi voluerunt intelligi Christum Patris voluntatem fecisse, non suam, hinc eum minoris atque diversæ putantes esse naturæ, illud commemorarunt quod ait, *Pater, transeat a me calix iste ; non tamen quod ego volo, sed quod tu vis :* illud autem noluerunt quod ait, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 39, 38). Audiant ergo ista commemorantibus nobis : *Tristis est anima mea usque ad mortem ; Potestatem habeo ponendi animam meam* (*Joan.* X, 18) ; *Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Id.* XV, 13) : et quod de illo intellexerunt Apostoli prophetatum, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno* (*Psal.* XV, 10 ; *Act.* II, 31, *et* XIII, 35). Et his atque hujusmodi sanctarum Scripturarum testimoniis non resistant, fateanturque Christum, non tantum carnem, sed animam quoque humanam Verbo unigenito coaptasse ; ut esset una persona, quod Christus est, Verbum et homo : sed ipse homo, anima et caro ; ac per hoc Christus Verbum anima et caro. Et ideo sic intelligendus geminæ substantiæ, divinæ scilicet et humanæ, ut ipsa humana ex anima constet et carne. Aut si eo moventur quod scriptum est, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14) ; nec illic anima nominata est : intelligant carnem pro homine positam, a parte totum significante locutionis modo ; sicuti est, *Ad te omnis caro veniet* (*Psal.* LXIV, 3) : item, *Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro* (*Rom.* III, 20). Quod apertius alio loco dixit, *Ex Lege nemo justificabitur* (*Galat.* III, 11) : itemque alio, *Non justificatur homo ex operibus Legis* (*Id.* II, 16). Ita ergo dixit, *Omnis caro ;* ac si diceret, Omnis homo. Sic itaque dictum est, *Verbum caro factum est ;* ac si diceretur, Verbum homo factum est. Verumtamen isti cum ejus solam humanam carnem velint intelligi hominem Christum ; non enim negabunt hominem, de quo apertissime dicitur, *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (*I Tim.* II, 5) : miror quod nolint consentire, propter hanc humanam quomodocumque naturam dici potuisse, *Pater major me est ;* non propter illam de qua dictum est, *Ego et Pater unum sumus*. Quis enim ferat, si quantuscumque homo dicat, Ego et Deus unum sumus ? Et quis non accipiat, si homo dicat, Deus major me est ? Quale illud est quod ait beatus Joannes : *Major est Deus corde nostro* (*I Joan.* III, 20).

CAPUT X. — 8. Item dicunt : *Is qui voluntate et præcepto Patris totam dispensationem adimplevit, voluntate et præcepto Patris corpus suum a mortuis suscitavit ; et cum ipso corpore, ut pastor cum ove, et sacerdos cum oblatione, et rex cum purpura, et Deus cum templo a Patre assumptus est in gloriam.* Quærendum est ab eis qui ista dicunt, qualem ovem pastor reportaverit Patri. Si enim caro sine anima est quam reportavit, quid est ovis ista nisi terra sine sensu, quæ nec agere gratias potest ? Quia sine anima caro quid potest ?

CAPUT XI. — 9. Item sequuntur et dicunt : *Is qui voluntate Patris descendit et ascendit, voluntate et vo-*

[1] Juxta Fr. Lugd. Ven. Lov., *facit*. M.

[2] Editi hoc et proximo loco, necnon supra in Sermone Arianorum, ferebant, *dcitatis*, ubi veteres Mss. constanter habent, *dealitatis*.

cepto Patris sedit ad dexteram ejus, audiens Patrem sibi dicentem : « Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum » (*Psal.* CIX, 1). *Is qui voluntate et præcepto Patris sedit ad dexteram ejus, is voluntate et præcepto Patris in consummatione sæculi venturus est, Apostolo vociferante et dicente : « Et ipse », inquit, « Dominus in jussu, in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo »* (I *Thess.* IV, 15). *Is qui voluntate et præcepto Patris veniet, voluntate et præcepto Patris judicaturus est totum mundum in æquitate, et redditurus singulis secundum fidem et opera sua; sicut ipse ait, « Pater judicat neminem, sed omne judicium Filio dedit » : item, « Sicuti audio, judico, et judicium meum verum est; quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit »* (*Joan.* V, 22, 30). *Unde et in judicando Patris præsentiam præponit, et suam divinam dignitatem et potestatem secundam postponit, dicens : « Venite, benedicti Patris mei »* (*Matth.* XXV, 34). *Ergo justus judex est Filius : judicantis vero honor et auctoritas, Patris imperiales leges; sicut et Spiritus sancti officiosa advocatio et consolatio, Unigeniti Dei justi judicis est dignitas.* Jam quæ superius respondimus, etiam adversus ista similiter valent. Quod enim voluntati et præcepto Patris obediens est Filius, nec in hominibus demonstrat diversam imparemque naturam, patris præcipientis, et filii obedientis. Huc accedit quod Christus non tantum Deus est, qua natura æqualis est Patri; sed etiam homo, qua natura major est Pater, cujus etiam non solum Pater, verum et Dominus est. Nam inde est et illud propheticum : *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu* (*Psal.* II, 7). Ibi est quippe inferior substantia qua Pater major sit, et servi forma cui Dominus sit. Hæc autem forma humanitatis ejus, quam manente forma divinitatis accepit, ut in similitudinem hominum fieret et habitu inveniretur ut homo (*Philipp.* II, 6, 7), in judicio quoque apparebit, quo vivos et mortuos judicabit. Ideo dictum est de Patre, quod *non judicabit quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22). Formam namque in Christo Filii hominis tunc ab eo judicandi videbunt impii, de quibus dictum est, *Videbunt in quem confixerunt* (*Zach.* XII, 10; *Joan.* XIX, 37). Dei vero formam in eodem ipso Christo, qua æqualis est Patri, utique non videbunt. Unde prophetia præcessit, *Tollatur impius, ut non videat claritatem Domini* (*Isai.* XXVI, 10). Quia et ad hoc pertinet, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Denique hoc apertissime testatur, ubi dicit, *Potestatem dedit ei judicium facere, quoniam Filius hominis est* (*Joan.* V, 27). Non ergo quoniam Filius Dei est; nam secundum hoc cœterna illi cum Patre et una eademque potestas est : sed quoniam Filius hominis est, quod esse cœpit ex tempore, ut potestas ei daretur in tempore. Quod non ita dicitur, tanquam eam sibi et ipse non dederit, id est, naturæ in se humanæ non dederit potestatem illa quæ in eo natura divina est : absit hoc credere. Quomodo enim aliquid faceret Pater, nisi per unigenitum Filium ? Nec sine Spiritu sancto, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Ac per hoc quod potestatem Filio dedit quoniam Filius hominis est, per eumdem ipsum ipsi dedit quoniam Filius Dei est. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Sed honorifice et competenter tribuit Patri quod etiam ipse facit ut Deus; quia de Patre est Deus. Ipse namque Deus est de Deo : Pater autem Deus, sed non de Deo.

CAPUT XII. — *Audivit*, inquiunt, *a Patre, « Sede ad dexteram meam, » et ideo sedit ad dexteram Patris :* tanquam paterna jussione, non etiam sua id fecerit potestate. Hoc quidem nisi spiritualiter acceptum fuerit, Filio Pater ad sinistram erit. Quid est autem Patris dextera, nisi æterna illa ineffabilisque felicitas, quo pervenit Filius hominis etiam carnis immortalitate percepta ? Nam si ita ut manum Dei Patris, non secundum lineamenta corporis quæ in Deo non sunt, sed secundum effectivam virtutem sapienter et fideliter cogitemus, quid intelligemus, nisi ipsum Unigenitum per quem facta sunt omnia ? De quo etiam propheta dixit : *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1)? Quomodo autem Filius audit Patrem ? quomodo dicuntur a Patre multa verba unico Verbo ? quomodo transeunter loquitur ei quem stabiliter loquitur ? quomodo aliquid temporaliter ei dicit in quo sibi coæterno jam erant omnia quæ congruis quibusque temporibus dicit ? Quis hæc audeat quærere ? quis valeat invenire ? Et tamen, *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam* (*Psal.* CIX, 1): et quia dictum est, ideo factum est. Hoc ergo jam erat in Verbo quod *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14). Et quia in Verbo ante carnem jam erat veraciter, ideo in carne completum est efficaciter : quia in Verbo jam erat sine tempore, ideo in carne completum est suo tempore. In qua carne ascendit in cœlum, qui de cœlo non recessit etiam cum inde descendit; et in qua sedet ad dexteram Patris brachium Patris; et in qua descensurus est ad judicium *in jussu, in voce archangeli, et in tuba Dei* (I *Thess.* IV, 15).

CAPUT XIII. — Ubi illi minorem volunt videri Filii potestatem, quia *in jussu* dictus est descensurus. Sed quærendum est ab eis, jussu cujus. Si Patris, interrogandi sunt iterum, quibus temporalibus verbis jubeat Pater æterno suo Verbo ut descendat de cœlo. Siquidem ipsa Dei jussio quæ fiet in tempore suo, jam erat ante omnia tempora in ipso Dei Verbo. Quod si Filius Dei per hoc quod filius hominis est, descendit de cœlo; ergo per hoc quod Verbum est, per ipsum jubetur ut descendat de cœlo. Nam si non per ipsum Pater jubet, non ergo Pater per suum Verbum jubet : aut aliud erit Verbum per quod jubeatur unico Verbo. Et miror si jam illud unicum erit, si et aliud erit. Factæ sunt quidem Patris ad Filium quædam etiam temporaliter voces, sicut de nube sonuit, *Tu es Filius meus dilectus* (*Matth.* III, 17) : non tamen ut Filius unigenitus per illas aliquid disceret; sed hi potius quos ita oportebat audire. Ac per hoc etiam ille transeuntium verborum sonus non sine Filio factus est Filio : alioquin non omnia per ipsum facta sunt. Sed numquid, cum jubebitur ut descendat de cœlo, talibus sonis et vocibus opus erit, quibus Filius paternam noverit voluntatem? Absit hoc cre-

dere. Quidquid ergo illud erit quod fieri oportebit ad Filium, non faciet Pater nisi per eumdem Filium. Ad ipsum scilicet, quia Filius hominis est et factus est inter omnia. Per ipsum autem, quia Filius Dei est et per illum fiunt a Patre omnia. Si autem quod dictum est, *In jussu, in voce archangeli;* ipsius archangeli jussum volunt intelligi, sicut verba ipsa videntur sonare : quid eis restat, nisi ut Angelis etiam minorem dicant unigenitum Filium, quorum jussis obedire perhibetur, si jubente minor est cui jubetur? Quamvis quod dictum est, *In jussu, in voce archangeli*, possit etiam sic intelligi, ut ipsa vox archangeli jussu Dei fieri accipiatur, id est, ut angelus qui tuba Dei esse intelligendus est, a Domino Deo jubeatur emittere vocem suam, quod inferiori creaturæ necessarium erit audire, cum Filius Dei descendet de cœlo. Ipsa est enim tuba de qua dicit alio loco : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti* (I *Cor.* xv, 52).

CAPUT XIV. — Dixit ergo Filius, *Sicut audio, judico* (*Joan.* v, 30) : sive ex humana subjectione, quia et Filius hominis est; sive secundum illam incommutabilem simplicemque naturam, quæ sic est Filii, ut tamen ei de Patre sit : in qua natura non est aliud audire, aliud videre, aliud esse; sed quod est esse, hoc audire, hoc videre. Unde ab illo ei est audire et videre, a quo illi est ipsum esse. Nam et illud quod alibi ait, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, multo est ad intelligendum difficilius quam hoc quod isti posuerunt, ubi dixit, *Sicut audio, judico.* Si enim *non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem;* quomodo poterit judicare, si Patrem non viderit judicantem? Sed *Pater non judicat quemquam; omne* quippe *judicium dedit Filio.* Judicat ergo Filius, accepto a Patre, non aliquo, sed omni judicio; quamvis Patrem non videat judicantem, quia ille neminem judicat. Quomodo igitur *non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, cum judicet, nec Patrem videat judicantem? Non enim ait, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi* quod audierit Patrem jubentem; sed, *quod viderit Patrem facientem.* In ista intendant, ista cogitent, ista considerent; et eorum quodam modo, quantum fieri potest, excarnetur intentio, qui carnalibus cogitationibus moliuntur unam Trinitatis eamdemque naturam et substantiarum separare distantia [1], et potestatum gradibus ordinare. Ideo enim dictum est, quod non faciat aliquid Filius a se, quia non est a se : et ideo quidquid facit, Patrem videt facientem; quia videt ex ipso faciendi se habere potentiam, ex quo se videt existendi habere naturam. Et quod ait, se non posse, non deficientis est, sed in eo quod de Patre natus est permanentis : tamque laudabile est omnipotentem non posse mutari, quam laudabile est quod omnipotens non potest mori. Posset enim Filius facere quod non vidisset Patrem facientem, si posset facere quod per illum non facit Pater : hoc est, si posset peccare, neque naturæ immutabiliter bonæ, quæ a Patre genita est, convenire. Hoc autem quia non potest, non deficienter non potest, sed potenter.

CAPUT XV. — Eadem namque sunt opera Patris et Filii, non quod Filius sit idem ipse qui Pater est; sed quia nullum opus est Filii, quod non per eum Pater facit; nec ullum Patris, quod non per Filium simul facientem facit. *Quæcumque enim Pater facit, hæc eadem Filius similiter facit* (*Joan.* v, 19, 22). Evangelica est et ista sententia, Filii ipsius consequenter ore prolata. Non sunt ergo alia Filii, et alia Patris opera, sed *hæc eadem :* nec dissimiliter fiunt a Filio, sed *similiter.* Cum autem non alia similia, sed hæc eadem fiant a Filio quæ fiunt a Patre; quid est, *similiter*, nisi non dissimili facilitate [1], non dissimili potestate? Si enim *hæc eadem* quidem ambo faciunt, sed alter altero facilius et potentius, non utique *similiter* ea facit Filius. Cum vero et *hæc eadem* et *similiter*, profecto nec alia sunt Filii quam Patris opera, nec operantium est diversa potentia. Nec utique sine Spiritu sancto : neque enim a faciendis amborum operibus ullo modo amborum separabitur Spiritus. Miro itaque eodemque utique divino modo ab omnibus fiunt opera omnium, ab omnibus etiam singulorum. Nam omnium opera sunt cœlum et terra omnisque creatura. De Filio quippe dictum est : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Id.* i, 3). Quis autem ab Spiritu sancto audeat alienare opera quarumlibet creaturarum, quem cernit operari dona sanctorum, de quibus scriptum est : *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult* (I *Cor.* xii, 11)? Postremo, cum sit Christus Dominus omnium (*Id.* viii, 6) et super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* ix, 5); quid ex omnibus negari potest etiam Spiritus sancti opus, qui est ipsum Christum in utero virginis operatus? Cum enim angelo futurum partum sibi nuntianti virgo dixisset, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco;* responsum accepit, *Spiritus sanctus superveniet in te* (*Luc.* i, 34, 35). Singulorum autem opera dicuntur, quæ ad unamquamque eorum manifestantur pertinere personam. Sicut natus ex virgine non nisi Filius (*Matth.* i, 20-25) : et vox de nube, *Tu es Filius meus dilectus*, ad solius personam pertinet Patris : et speciè corporali, sicut columba, solus apparuit Spiritus sanctus (*Id.* iii, 16, 17). Tamen et illam carnem solius Filii, et illam vocem solius Patris, et illam speciem solius Spiritus sancti, universa Trinitas operata est : non quod invalidus sit unusquisque eorum, sine aliis quod operatur implere; sed non potest operatio esse divisa, ubi non solum æqualis est, verum etiam indiscreta natura : ita ut cum tres sint, et eorum singulus quisque Deus sit, tres tamen dii non sint. Nam et Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est; nec Filius idem qui Pater est, nec idem Spiritus sanctus qui aut Pater aut Filius; sed Pater semper Pater, et Filius semper Filius, et amborum Spiritus numquam cuiquam eorum aut Pater

[1] Sic Mss. Editi vero, *unam Trinitatem eamdemque naturam et substantiam separare distantia.*

[1] Editi, *facultate.* Mss. autem, *facilitate.*

aut Filius, sed semper utriusque Spiritus : universa tamen Trinitas unus est Deus. Quis itaque neget, non Patrem, non Spiritum sanctum, sed Filium ambulasse super aquas (*Matth.* XIV, 25)? Solius enim Filii[1] caro est, cujus carnis illi pedes aquis impositi et per aquas ducti sunt. Absit autem ut hoc sine Patre fecisse credatur; cum de suis operibus universaliter dicat, *Pater autem in me manens facit opera sua* (*Joan.* XIV, 10) : aut sine Spiritu sancto; cum similiter opus sit Filii, quod ejiciebat dæmonia. Illius quippe carnis ad solum Filium pertinentis lingua erat, qua imperabatur dæmonibus ut exirent : et tamen dicit, *In Spiritu sancto ejicio dæmonia* (*Matth.* XII, 28). Item quis nisi solus Filius resurrexit? Quia solus mori potuit, qui carnem habuit : et tamen ab hoc opere, quo solus Filius resurrexit, non erat Pater alienus, de quo scriptum est, *Qui suscitavit a mortuis Jesum* (*Galat.* I, 1). An forte se ipse non suscitavit? Et ubi est quod ait, *Solvite templum hoc, et triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19); et quod potestatem se habere dicit ponendi et iterum sumendi animam suam (*Id.* X, 18)? Quis autem ita desipiat, ut putet Spiritum sanctum resurrectionem hominis Christi non cooperatum, cum ipsum hominem Christum fuerit operatus?

CAPUT XVI. — Est in homine simile quiddam, quamvis nequaquam illius Trinitatis, quæ Deus est, excellentiæ comparandum : ille enim Deus est, ista creatura : habet tamen aliquid et ista, ubi qualicumque modo id quod de illa ineffabili Dei natura dicitur, possit intelligi. Neque enim frustra non est dictum, *Faciamus hominem* ad imaginem tuam, tanquam Pater Filio loqueretur; aut, ad imaginem meam : sed dictum est, *ad imaginem nostram* (*Gen.* I, 26). Quod ex persona ipsius Trinitatis rectissime accipitur. Tria itaque ista in hominis anima cogitemus, memoriam, intelligentiam, voluntatem : ab his tribus fit omne quod facimus. Et cum tria ista bene recteque sese habent, bonum et rectum est omne quod facimus; si nec memoriam decipiat oblivio, nec error intelligentiam, nec iniquitas voluntatem. Ad Dei quippe imaginem sic reformamur. Omne igitur opus nostrum ab his tribus fit : nihil enim agimus, quod non hæc tria simul agant. Deinde cum de singulis loquimur, etiam quod ad singula pertinet ab omnibus agitur. Neque enim sermonem quem de sola memoria facimus, memoria sola facit : sed intelligentia voluntasque cooperantur eum, quamvis ad solam memoriam pertinentem. Hoc et de duobus cæteris videre facillimum est. Nam quidquid de se ipsa intelligentia loquitur, sine memoria et voluntate non loquitur : et quidquid de se ipsa voluntas dicit aut scribit, sine intelligentia memoriaque non facit. Quatenus sint autem ista similia, et rursus quantum dissimilia illi incommutabili Trinitati, quæ Deus est, longum est enucleatissime disputare. Sed ideo tantum hoc commemorandum putavi, ut etiam de ipsa creatura aliquid adhiberem : unde isti, si possunt, intelligant quam non sit absurdum quod de Patre et Filio et Spiritu sancto dicimus, inseparabilia fieri ab omnibus opera, non solum ad omnes, verum etiam ad singulos pertinentia.

CAPUT XVII. — Sicut audit ergo Filius, judicat : sive quia et filius hominis est; sive quia non de se ipso est, sed Verbum Patris est. Quod enim nobis est, cum audimus, verbum accipere; hoc illi est a Patre Verbum esse. Quoniam sic dici potest Pater dedisse Filio Verbum, hoc est, ut Verbum sit; quemadmodum dicitur dedisse Filio vitam, hoc est, ut vita sit. Ipse namque ait : *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* V, 26). Non utique ut aliud sit ipse, aliud vita quæ in ipso est, sed ut eadem vita sit idem ipse. Sicut nec Pater aliud est quam vita quæ in ipso est : sed cum Filius Patri non dedit, quia Patrem non genuit : dedit autem Pater Filio vitam, gignendo eum vitam, sicut est etiam ipse vita. Non autem sic genuit Verbum tanquam et ipse sit Verbum. Vitam quippe cum dicimus, potest esse de nullo alio, sicut est Patris vita, vel, quod expressius dicitur, Pater vita, cui de alio non est ut sit : cum vero dicitur Verbum, nullo modo potest nisi alicujus intelligi, et illius utique de quo est. Non itaque sicut est Filius Deus de Deo, lumen de lumine, vita de vita; ita dici potest Verbum esse de verbo : quoniam solus est Verbum; et sicut Patri proprium est generare Verbum, ita Filio proprium est esse Verbum. Et ideo sicut audit judicat; quia sicut genitum est Verbum, ut idem Verbum sit veritas, ita secundum veritatem judicat.

CAPUT XVIII. — *Et judicium ejus utique justum est; quia non quærit voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui eum misit* (*Ibid.*, 30). Hoc enim dicens, ad illum hominem voluit referre intentionem nostram, qui voluntatem suam quærendo, non ejus a quo factus est, non habuit justum judicium de seipso, sed justum judicium habitum est de ipso. Ipse quippe faciens voluntatem suam, non Dei, moriturum se esse non credidit : sed hoc judicium ejus non justum fuit. Denique fecit, et mortuus est; quia judicium Dei justum est. Quod judicium facit Dei Filius non quærendo voluntatem suam, cum sit etiam hominis filius : non quia ipsius in judicando nulla voluntas est; quis enim hoc insipientissimus dixerit? sed quia non ita est voluntas ejus propria, ut sit a voluntate Patris aliena. Hæc isti si cogitarent, non carnalibus cogitationibus sic Trinitatis potestates vel officia gradibus imparibus ordinarent, ut tanquam tres homines inæqualis ac dissimilis dignitatis facerent, tanquam imperatorem Patrem, judicem Filium, advocatum Spiritum sanctum. Secundum quas enim judicat Filius, velut imperiales leges, Patris esse asserunt : in quibus honorem et auctoritatem Filii constituunt judicantis; officiosam vero advocationem et consolationem Spiritus sancti ad dignitatem judicis, hoc est, Dei unigeniti pertinere : tanquam judicis sit dignitas, quod habeat advocatum; sicut imperatoris est dignitas, quod secundum suas imperiales leges judicaturum judicem mittit. Qua sua cogitatione carnali, tamen naturæ di-

[1] Vox, *Filii*, abest a mss.

versitatem, de qua inter nos et ipsos maxima quæstio est, in his tribus personis demonstrare non possunt. Cum enim ad humanos mores ista referunt, et ab humani generis consuetudine quam cogitando possunt capere non recedunt (animalis enim homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei [I *Cor.* II, 14]) ; quid aliud nos admonent, nisi quia et imperator, et judex, et advocatus, homines sunt? Proinde judex imperatore [1] etiamsi potestate minor est, non minus homo est. Nec minus quam judex homo est advocatus, etiamsi officio videtur judici esse subjectus. Patris ergo et Filii et Spiritus sancti, etiamsi disparem cogitant potestatem, naturam saltem confiteantur æqualem. Quid quod eos deteriore etiam quam humana est, conditione confingunt? Fieri enim potest in rebus humanis, ut qui judex fuerit, etiam imperator fiat : hoc isti in illa Trinitate nec imperatoris unico Filio præstare dignantur. Quod si forte ex humani juris vel consuetudinis formula, majestatis crimen etiam in filio nimium reformidant, advocato certe puto quod concedere debeant ut ad judiciariam potestatem aliquando perveniat. Nec hoc quidem volunt. Deterior ergo est, quod absit, in illa Trinitate, quam in generis humani mortalitate conditio.

CAPUT XIX. — Porro Scriptura sancta, quæ istos divinos actus non differentia potestatum, sed operum ineffabilitate metitur, advocatum nostrum etiam ipsum judicem novit, dicente apostolo Joanne : *Si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem, Jesum Christum justum* (I *Joan.* II, 1). Quod etiam ipse significat ubi dicit, *Rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis* (*Joan.* XIV, 16). Neque enim esset Spiritus sanctus advocatus alius, nisi hoc esset et Filius. Qui tamen ut inseparabilia sua et Patris opera demonstraret, ait, *Cum ipse iero, mittam eum ad vos* (*Id.* XVI, 7) : quamvis alio loco dicat, *Quem mittet Pater in nomine meo* (*Id.* XIV, 26). Ubi ostenditur quod et Pater et Filius miserint Spiritum sanctum. Sicut ostenditur per prophetam quod et Pater et Spiritus sanctus miserint Filium. Nam quis nisi Filius per Isaiam adventum suum prænuntians dicit : *Audite me, Jacob, et Israel, quem ego vocabo : ego sum primus, et ego in æternum ; et manus mea fundavit terram, dextera mea solidavit cœlos; vocabo illos, et astabunt simul, convenient etiam universi, et audient ; quis illis nuntiavit hæc? Diligens autem te, feci voluntatem tuam super Babylonem, ut tollatur semen Chaldæorum. Ego locutus sum, ego vocavi, adduxi illum, et prosperam viam ejus feci. Convenite ad me, et audite ista ; nec enim ab initio in obscuro locutus sum : cum fiebant ibi eram, et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus* (*Isai.* XLVIII, 12-16)? Quid evidentius? Ecce ipse se dicit missum ab Spiritu sancto, qui fundavit terram, et solidavit cœlum. Ubi agnoscitur Unigenitus per quem facta sunt omnia. Consolatorem vero, quod officium tanquam personæ infimæ in illa Trinitate isti Spiritui sancto deputant, Deum dicit Apostolus, sicut in Epistola ejus legimus ad Corinthios : *Is qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in præsentia Titi* (II *Cor.* VII, 6). Sanctorum ergo Deus est consolator. Ipsi quippe sunt humiles : unde tres illi viri in camino dicunt, *Benedicite, sancti et humiles corde, Dominum* (*Dan.* III, 87). Deus est itaque Spiritus sanctus qui consolatur humiles. Proinde isti, aut quod nolunt, fateantur Deum esse Spiritum sanctum : aut si hoc de Patre, vel de Filio dictum ab Apostolo volunt accipi, desinant consolationis tanquam munere proprio separare a Patre et a Filio personam Spiritus sancti.

CAPUT XX. — Jam illud, quod ideo Spiritum sanctum Filio minorem conantur ostendere, quod iste sit illius tanquam judicis advocatus, etiam homines sanctos eidem mira cæcitate præponunt, de quibus ait idem Dominus : *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Ibi respondeant, quid erit Spiritus sanctus : cum Filio judex, an apud judices etiam homines advocatus? Absit autem ista a fideli corde vecordia, ut sit judicibus minor advocatus Spiritus sanctus; cum illi utique, ut judices sint, repleantur Spiritu sancto, secundum quem viventes fiunt spirituales. *Spiritualis* enim *omnia judicat* (I *Cor.* II, 15). Quomodo ergo minor est judice qui judices facit, cum facit ut judicis illius sint membra et suum templum, dicente Apostolo, *Corpora vestra membra sunt Christi :* eodemque itidem dicente, *Corpora vestra templum est Spiritus sancti qui in vobis est* [1] (*Id.* VI, 15, 19)? Et tamen si apertissime legerent in sanctis Scripturis Salomonem regem lignis et lapidibus jussu Dei templum struxisse Spiritui sancto, Deum esse Spiritum sanctum dubitare non possent, cui tanta religionis servitus, quæ latria dicitur, legitime exhiberetur in populo Dei, ut illi etiam templum fabricaretur ; cum Dominus dicat, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13) : quod in græco est, λατρεύσεις. Et eum negare audent Deum, qui non ligna et lapides, sed membra Christi habet templum ! Sic enim Spiritum sanctum subjiciunt potestati Christi, cum ejus templum membra sint Christi : quemadmodum ipsum Filium imperialibus legibus Dei, cum ipse sit Verbum Dei, nec ullo modo imperatoris verbum legibus subjaceat, sed leges faciat (*a*).

CAPUT XXI. — 10. Isti sane, quorum disputationem accepi, cui respondeo, non audent idem dicere factum esse quod genitum ; et duo ista discernunt, ita ut a Patre Filium genitum dicant, factum vero a Filio Spiritum sanctum. Quod in Scripturis sanctis nusquam legunt, cum Filius ipse dicat, quod Spiritus sanctus a Patre procedat.

11. *Filius*, inquiunt, *Patrem prædicat : Spiritus sanctus Filium annuntiat.* Quasi non annuntiaverit Filius Spiritum sanctum esse venturum, aut et Pater non prædicaverit Filium, dicendo : *Hic est Filius meus dilectus in quo bene complacui ; ipsum audite* (*Matth.* XVII, 5).

12. Ac per hoc non solum *Patris gloriam Filius*,

[1] Mss., *ad imperatorem.*

[1] Am. Fr. et Mss., *templum in vobis est Spiritus sancti*, omisso, *qui in vobis est.*

(*a*) Confer Collationem cum Maximino, Aug. 2, 14.

verum etiam Filii gloriam *revelat* Pater : nec solum *Filii Spiritus sanctus*, sed etiam Filius *manifestat* Spiritus sancti *dignitatem*.

13. Et ideo sicut *Filius, Patri*, ita et Pater Filio : et sicut *Spiritus sanctus Filio*, ita et Filius Spiritui sancto *perhibet testimonium*.

14. A Patre autem et *Filio missus est Spiritus sanctus* : et *a Patre* et Spiritu *missus est Filius*.

CAPUT XXII. — 15. *Filius*, inquiunt, *minister est Patris : Spiritus sanctus minister est Filii*. Nec attendunt quod isto modo meliores faciunt Spiritu sancto Apostolos sanctos ; qui cum se Dei ministros esse dicunt, non eos utique isti etiam Dei Patris ministros negabunt. Ejus quippe ministri facti sunt, in cujus nomine etiam baptizarunt, id est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ac per hoc secundum istorum vaniloquia, meliores erunt Trinitatis ministri ; si propterea minor est Spiritus sanctus, quia solius minister est Filii.

16. *Filius*, inquiunt, *jubetur a Patre : Spiritus sanctus jubetur a Filio*. Nusquam hoc in Scripturis sanctis legunt : quamvis obedientem Filium legamus secundum formam servi, qua major est Pater ; non secundum formam Dei, in qua unum sunt ipse et Pater.

17. Legitur itaque in Scripturis sanctis *Filius subditus Patri*. Ibi est enim forma servi, in qua et parentibus hominibus subditus erat ; sicut Evangelium loquitur : *Et descendit cum illis, et venit Nazareth ; et erat subditus illis* (*Luc.* II, 51). Non autem alicubi sancta Scriptura dicit *Spiritum sanctum subditum Filio*.

18. Proinde et *quæ jubet Pater, operatur Filius* propter formam servi : et quæ Pater operatur, operatur et Filius propter formam Dei. Non enim ait, Quæcumque Pater jubet, hæc Filius facit : sed ait, *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius facit similiter* (*Joan.* V, 19). Porro si Spiritum sanctum ideo hæc loqui dicunt quæ mandat Filius, quia scriptum est, *De meo accipiet et annuntiabit vobis* (*Id.* XVI, 14) : cur non et Filius ea loquitur quæ mandat Spiritus sanctus, cum dicat Apostolus, *Quæ Dei sunt nemo scit, nisi Spiritus Dei* (I *Cor.* II, 11) ; et cum ipse Jesus de se ipso impletum esse confirmet, quod scriptum est, *Spiritus Domini super me ; propter quod unxit me evangelizare pauperibus* (*Luc.* IV, 18, 21) ? Si enim propter hoc unctus est evangelizare pauperibus, quia Spiritus Domini super eum erat ; quid evangelizabat pauperibus, nisi quod Spiritus Domini habebat, quo repletus erat ? Nam et hoc de illo scriptum est, quod repletus sit Spiritu sancto (*Id.* IV, 1).

CAPUT XXIII. — 19. *Filius*, inquiunt, *adorat et honorat Patrem : Spiritus sanctus adorat et honorat Filium*. Hic non opus est scrupulose velle discernere, inter honorare et adorare quid distet : propter formam enim servi dicuntur ista de Filio. Dicant, si possunt, ubi legerint adorari Filium a Spiritu sancto. Quod enim subjiciunt unde hoc probare conentur, quia videlicet scriptum est, *Pater, ego te honorificavi super terram, opus quod dedisti mihi consummavi* ; et de Spiritu sancto, *Ille me honorificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* ; ad rem de qua agitur non pertinet. Honorat enim omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat. Nam et fratres secundum Apostolum invicem se honore præveniunt (*Rom.* XII, 10), nec tamen invicem adorant. Alioquin, si honorificare, hoc est adorare ; dicant, si placet, quoc Filium adoret et Pater, et hoc jubente Filio, qui e dicit, *Honorifica me* (*Joan.* XVII, 4, 5). Quod autem dixit de Spiritu sancto, *De meo accipiet*, solvit ipse quæstionem : ne putaretur quasi per quosdam gradus sic esse de illo Spiritus sanctus, quomodo est ipse de Patre ; cum ambo de Patre, ille nascatur, ille procedat ; quæ duo in illius naturæ sublimitate discernere omnino difficile est : ergo ne hoc putaretur, ut dixi, continuo subjecit, *Omnia quæ habet Pater mea sunt, propterea dixi, De meo accipiet* (*Id.* XVI, 14, 15). Ita sine dubio intelligi volens quod de Patre accipiat. Sed ideo de ipsius, quia omnia quæ habet Pater, ipsius sunt. Hæc autem non est diversitatis naturæ, sed unius principii commendatio.

20. Secundum hoc, ita *Spiritus sanctus non a se ipso loquitur*, quia non est a se ipso qui de Patre procedit : sicut nec *Filius potest a se facere quidquam*, quia nec ipse a se ipso est, sicut jam superius exposui : non quod *in omnibus nutum Patris exspectet* ; non enim ait, *Nisi* quod viderit Patrem innuentem ; sed, *quod viderit Patrem facientem* (*Id.* V, 19), secundum ea quæ jam disputavimus. Quod autem *in omnibus Spiritus sanctus Christi præceptum exspectet*, ut dicunt, legant si possunt. Quod enim dictum est, *Non a se loquetur* : non est dictum, Quæcumque a me audierit ; sed, *quæcunque audierit loquetur* (*Id.* XVI, 13). Cur autem dictum sit, paulo ante jam claruit ex ipsius quam commemoravi Domini expositione, ubi ait, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt ; propterea dixi, De meo accipiet*. Unde autem accipiet, inde est procul dubio quod loquetur ; quia inde audit, unde procedit. Scit enim Dei Verbum, procedendo inde unde nascitur Verbum, ita ut sit communiter Spiritus et Patris et Verbi.

CAPUT XXIV. — Nec moveat quod futuri temporis verbum est, *accipiet* ; quasi nondum haberet. Indifferenter quippe dicuntur temporis verba, quamvis sine tempore manere intelligatur æternitas. Nam et accepit, quia de Patre processit ; et accipit, quia de Patre procedit ; et accipiet, quia de Patre procedere nunquam desinet : sicut Deus et est, et fuit, et erit ; et tamen initium vel finem temporis, nec habuit, nec habet, nec habebit.

CAPUT XXV. — 21. *Filius*, inquiunt, *pro nobis interpellat Patrem ; et Spiritus pro nobis postulat Filium*. Sicut legunt, quod Filius interpellat Patrem, secundum ea quæ superius nos etiam commemorantes disseruimus : ita inveniant unde proferant, quod Spiritus postulet Filium. Quod enim dicit Apostolus, *Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus : qui autem scrutatur corda, scit quid Spiritus sapiat, quia secundum*

Deum interpellat pro sanctis (*Rom.* VIII, 26, 27); quomodolibet isti accipiant (multum enim ad eos est hoc sic accipere, quemadmodum accipiendum est), non est dictum, Interpellat Christum, aut, interpellat Filium : *interpellat* autem *Spiritus sanctus* dictum est, quia interpellare nos facit. Sicut Deus dicit, *Nunc cognovi* (*Gen.* XXII, 12); quasi ante nesciebat : quod quid est aliud, nisi, Feci ut cognoscas? Inde est et illud Apostoli, *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo* (*Galat.* IV, 9) : ne sibi tribuerent quod cognoverant Deum. Sic ergo ait, *cogniti a Deo*, ut intelligerent quod illos gratia sua Deus fecerit cognitores suos. Secundum istum locutionis modum dictum est, *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei* (*Ephes.* IV, 30) : hoc est, nolite nos contristare qui secundum Spiritum Dei contristamur ex vobis. Charitate quippe contristabantur, quam diffundebat Spiritus sanctus in cordibus eorum (*Rom.* V, 5), et per hoc eos de malis fratrum tristes ipse faciebat. Deniqueidem apostolus, *Accepistis*, inquit, *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (*Id.* VIII, 15) : et alibi eumdem sensum commemorans, *Misit*, inquit, *Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater* (*Galat.* IV, 6). Quomodo ibi, *in quo clamamus*, quomodo hic, *clamantem*, nisi quia *clamantem* hic ait, clamare facientem? Ut autem secundum ipsorum sensum sic accipiamus *clamantem*, tanquam non clamare nos faciat, sed ipse clamet; ecce dicendo, *Abba, Pater*, non interpellat Filium, sed Patrem Non enim audebunt dicere filium Christi esse Spiritum sanctum : nam utique, ne hoc dicerent, non genitum a Filio, sed factum dicere maluerunt. Non ergo scimus per nos ipsos quid oremus, sicut oportet, sed ipse Spiritus interpellat, id est, interpellare nos facit quæ sunt secundum Deum : quod nisi faciat, non oramus, nisi secundum istum mundum, ad explendam concupiscentiam carnis, et concupiscentiam oculorum, et ambitionem sæculi, quæ non sunt a Patre, sed ex mundo sunt (I *Joan.* II, 16). Quamvis nonnulli id quod dictum est, *Ipse Spiritus interpellat gemitibus;* de spiritu hominis intelligendum arbitrentur.

CAPUT XXVI. — 22. Totius bonitatis et sapientiæ et virtutis Patris, vivam et veram, propriam et condignam imaginem dicunt Filium. At apostolus Paulus, non virtutis Dei et sapientiæ imaginem; sed Deum ipsum esse dicit, *Dei virtutem et Dei Sapientiam* (I *Cor.* I, 24). Eo ipso igitur quod imago Patris est Filius, Virtus ejus et Sapientia est. Imago autem plena atque perfecta, id est, non ab illo ex nihilo facta, sed de illo genita, nihil minus habet quam ille cujus imago est : Patris quippe imago summa, id est, ita similis ut in ea dissimile aliquid non sit, Filius est unigenitus. Non sunt tamen ausi dicere imaginem Filii Spiritum sanctum, sed manifestationem. Propter hoc, nec genitum, sed factum ab illo esse dixerunt. Quod de Scripturis sanctis omnino non legunt [1].

CAPUT XXVII. — 23. Quis autem catholicus dixerit, partem Patris esse Filium, aut, partem Filii Spiritum sanctum? Quod ita negandum putaverunt, tanquam inter nos et ipsos ulla inde sit quæstio. Ejusdem naturæ dicimus esse Trinitatem, non aliquam ibi personam partem cujuspiam nuncupamus. Sed quod ita negant partem Patris esse Filium, ut tamen dicant proprium et dilectissimum, perfectum et plenum unigenitum Filium : quærendum est ab eis, quos filios suos facit Deus voluntarie, gignens eos verbo veritatis, cum ad eam perfectionem pervenerint, ut perfectiores esse non possint, utrum sint etiam ipsi proprii et dilectissimi, perfecti et pleni filii Dei. Quod si erunt, nec unigenitus ille erit, quia æquales multos habebit; sed tantummodo primogenitus. Si autem non erunt, quomodo accipienda est illius plenitudo atque perfectio, nisi ut sit prorsus gignenti æqualis, et in nullo omnino dissimilis; atque ut id brevius planiusque [1] dicamus, sint isti filii gratia, ille natura : quia in istis est participatio divinitatis, in illo plenitudo? Quamvis et ille quod suscepit hominem, et *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), non sit natura, sed gratia : Verbi tamen, quod Patri æquale est, permanente natura. Deinde respondeant, quia non filium, sed primum et præcipuum opus Filii præ cæteris universis dicunt esse Spiritum sanctum, utrum illi filii meliores futuri sint Spiritu sancto, quos *voluntarie genuit Pater verbo veritatis* (*Jacobi* I, 18)? Quomodo enim non coguntur hoc dicere, cum procul dubio melius sit filios esse Patris, quam opus Filii? Hæc cogitent, et emendent vanas impiasque blasphemias, atque fateantur in illa Trinitate nullam personam, præter quod Filius manens Deus, homo factus est, omnino esse creaturam, aut aliquid a Deo factum : sed totum quidquid illud est, summum, verum, immutabilem Deum.

24. Absit enim ut, quemadmodum sapiunt, Pater major sit Filio suo, secundum id quod unigenitum Verbum ejus est : sed secundum id quod *Verbum caro factum est.* Sed quid mirum, quando in eadem carne factus est etiam Angelis minor? Absit ut, quemadmodum blasphemant, incomparabiliter major et melior sit Filius Spiritu sancto : et quod insanissimum est credere, templum minoris sint membra majoris.

CAPUT XXVIII. — 25. Pater quidem, *Deus et Dominus est Filio suo :* quia inest in eo forma servilis, quæ prophetabatur, cum diceretur, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu* (*Psal.* II, 7). Cui etiam in eadem prophetia dicit idem Filius, *De ventre matris meæ Deus meus es tu* (*Psal.* XXI, 11). De ventre quippe matris ejus, ubi hominem assumpsit, Deus ejus est. Qui propter quod eum non solum ante ventrem matris, sed ante omnia sæcula coæternum genuit, Pater ejus est. Ubi autem vel in somnis audierunt Scripturam sanctam dixisse Filium Deum et Dominum esse Spiritus sancti?

26. *Pater*, inquiunt, *immobiliter et impassibiliter volens Filium genuit : Filius sine labore et fatigatione sola virtute sua Spiritum fecit.* O præcipuam laudem Filii et Spiritus sancti! Quasi nos Pater mobiliter et

[1] Sic Mss. Editi vero *non intelligunt.*

[1] Germanensis codex, *plenisque.*

passibiliter invitus genuerit, qui nos voluntarie genuit verbo veritatis : aut Filius cum labore et fatigatione cœlum et terram creaverit ? Æquentur ergo ista opera secundum istos, vel Filio vel Spiritui sancto : aut si nullo modo æquantur, quid profuit hoc dicere, unde nulla fit quæstio ; quod scilicet sine ullo labore et fatigatione vel gignat Pater, vel faciat Filius ? Videant sane quomodo dicant, quod sola virtute sua Filius fecerit Spiritum sanctum. Isto enim modo coguntur fateri, aliquid fecisse Filium quod non viderit Patrem facientem. An placet eis dicere, quod etiam Pater fecerit Spiritum sanctum ? Non ergo eum sola virtute sua fecerit Filius [1]. An alterum fecit prior Pater, ut posset Filius facere quem fecit, qui non potest facere nisi quod viderit Patrem facientem ? Et quid est, quod non alia similia, sed *quæcumque Pater facit, hæc eadem Filius facit similiter* ? Si hæc cogitare conentur, procul dubio turbabuntur eis omnia, quæ sibi carnali cogitatione componunt.

CAPUT XXIX. — 27. Verum est autem quod *Pater omnibus quæ sunt, dedit ut essent ; et ipse quod est, a nemine accepit :* sed æqualitatem suam nulli dedit, nisi Filio qui natus est de illo, et Spiritui sancto qui procedit de illo. Quæ cum ita sint, non est ista, quam volunt isti, differentia Trinitatis ; quia indifferens in Trinitate natura, indifferens in Trinitate potentia est : *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*, quod ipse ait (*Joan.* v, 19, 23) ; et qui volunt pie vivere, Dominum Deum suum adorent, et illi soli serviant, quod et antiquis patribus Dei lege præceptum est, nec ullo modo aliter fieri potest, ut soli Domino Deo nostro ea quæ Deo debetur servitute serviamus. Ipsa est enim quæ græce appellatur λατρεία. Quod verbum ibi positum est, cum diceretur, *Illi soli servies* (*Deut.* VI, 13). Nullo modo, inquam, hoc fieri potest, nisi ipse Dominus Deus noster universa sit Trinitas. Alioquin istam servitutem, quæ latria dicitur, quam non debent servi eis quos secundum carnem dominos habent, sed omnes homines soli Domino Deo suo : hanc ergo servitutem non exhibebimus Filio, si de Patre dictum est, *Et illi soli servies ;* aut non exhibebimus Patri, si de Filio dictum est, *Et illi soli servies.* Jam vero si aliquibus terræ molibus Spiritui sancto templum fabricaremus, quis dubitaret ei nos latria, id est, ista de qua nunc loquor servitute servire ? Quomodo ergo non ei servitutem, quæ latria dicitur, exhibemus, cui templum non facimus, sed nos ipsi sumus ? Aut quomodo non et ipse Deus noster est, de quo dicit Apostolus, *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ?* Et paulo post : *Glorificate ergo Deum in corpore vestro* (I Cor. VI, 19, 20). Corpora autem nostra, templum in nobis dicit esse Spiritus sancti. Cum igitur et Patri et Filio et Spiritui sancto ista, quæ latria vocatur, servitute serviamus, audiamusque legem Dei præcipientem, ut nulli alteri, sed soli Domino Deo nostro hanc exhibeamus ; procul dubio unus et solus Dominus Deus noster est ipsa Trinitas, cui uni et soli talem servitutem pietatis jure debemus.

CAPUT XXX. — 28. *Sicuti nemo potest*, inquiunt, *sine Filio ad Patrem transire ; ita et nemo potest sine Spiritu sancto Filium in veritate adorare :* quasi et ad Filium sine Patre quisquam possit venire, cum ipse dicat, *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum* (*Joan.* VI, 44) ; aut ad Spiritum sanctum sine Patre et Filio pervenire possemus, qui cum nobis sua conferunt gratia. Quid est enim aliud ad eos venire, nisi eos habitantes in nobis habere ? Hoc enim modo et ipsi ad nos veniunt, cum Deus ubique sit, et nullo corporali contineatur loco. Ipse Salvator dicit de se et de Patre, *Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus* (*Id.* XIV, 23) : et de Spiritu sancto dicit, *Nisi ego abiero, advocatus non veniet ad vos* (*Id.* XVI, 7). Quid est ergo quod dicunt, *Sicuti nemo potest sine Filio ad Patrem transire, ita et nemo potest sine Spiritu sancto Filium in veritate adorare ;* et deinde subjungunt, *Ergo in Spiritu sancto adoratur Filius ?* Numquidnam hæc indicant differentiam naturarum, de qua inter nos et illos vertitur quæstio ? Nam si nemo potest sine Spiritu sancto Filium in veritate adorare, et in Spiritu sancto adoratur Filius, profecto veritas est etiam Spiritus sanctus : quia cum in illo adoratur Filius, sicut ab eis dictum est, in veritate adoratur. At ipse Filius ait : *Ego sum veritas* (*Id.* XIV, 6). Ergo et in se ipso adoratur, cum in veritate adoratur. Ac per hoc et in se et in Spiritu sancto adoratur Filius. Quis autem ita sit impius, ut inde separet Patrem ? Quomodo enim non et in illo adoramus [1], in quo vivimus, movemur et sumus (*Act.* XVII, 28) ? Proinde adorari Filium in Spiritu sancto, etiam nos dicimus : adorari autem Filium ab Spiritu sancto, legant si possunt.

CAPUT XXXI. — 29. Nam *per Filium glorificari Patrem*, quis negat ? Sed et Filium glorificari per Patrem, negare quis audeat : cui dicit ipse Filius, *Glorifica me ;* cui etiam dicit, *Ego te glorificavi* (*Joan.* XII, 28, *et* XVII, 5, 4) ? Glorificare autem, et honorificare, et clarificare, tria quidem verba, sed res una est, quod græce dicitur δοξάζειν : interpretum autem varietate, aliter atque aliter positum est in latino.

CAPUT XXXII. — 30. *Spiritus sancti opus et diligentia est*, inquiunt, *sanctificare, et sanctos custodire ; et non solum rationabilia, ut quidam putant, sed et irrationabilia plura sanctificare : et eos qui ceciderunt propter suam negligentiam, ad pristinum statum revocare ; ignorantes docere, obliviscentes admonere, peccantes arguere, pigros hortari de salute sua cogitare et sollicite agere, errantes ad viam veritatis deducere, infirmos curare, et fragilitatem corporis per alacritatem animæ continere, et ad amorem pietatis et castitatis confirmare, et omnes illuminare ; super omnia fidem et charitatem præbere singulis, pro studio quoque et diligentia, pro simplicitate et sinceritate mentis, pro mensura fidei et*

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *fecit Filius.* M.

[1] Sic Am. Er. et meliores nostri Mss. At Lov. cum aliquot Mss., *et illum adoramus.* Minus bene.

merito conversationis, gratiam[1] *ad utilitatem dividere et unusquisque in quo opere et proposito fuerit habilis, in ipso ordinare.* Facit hæc quidem Spiritus sanctus : sed absit ut sine Filio faciat. Quis enim sic deviet a via veritatis, ut neget a Christo custodiri sanctos, lapsos autem in statum pristinum reparari, ignorantes doceri, obliviscentes admoneri, peccantes argui, pigros hortari, errantes ad viam veritatis adduci, infirmos sanari, cæcos illuminari, et cætera quæ isti Spiritui sancto, tanquam solus ea faciat, tribuenda putaverunt? Ut enim de cæteris, ne longum sit, taceam; quomodo negabunt a Christo doceri sanctos, quibus idem dicit, *Nolite vocari ab hominibus rabbi; unus est enim magister vester Christus* (*Matth.* XXIII, 8)? quomodo negabunt a Christo illuminari cæcos, de quo scriptum legunt, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem* (*Joan.* I, 9)? Spiritus ergo sanctus, sicut sine Christo non docet aut illuminat quemquam, ita sine Christo non sanctificat quidquam. Illud autem quod per prophetam Deus dicit, *Ut sciant quia ego sum qui sanctifico eos* (*Exod.* XXXI, 13) ; eligant a quo dictum velint credere. Si a Patre, cur ab eo separant opera Spiritus sancti[2], cum sanctificari sanctos ab Spiritu sancto tanquam proprie ac separabiliter putant? Si a Filio, saltem ab ipso non separent opera sanctificatoris Spiritus sancti. Si ab Spiritu sancto, Deus est etiam Spiritus sanctus, quod illi nolunt, qui per Prophetam dixit, *Ut sciant quia ego sum qui sanctifico eos.* Si autem, quod melius intelligitur, vox illa ipsius Trinitatis est per Prophetam, nullo dubitante, unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia ; ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen (*Rom.* XI, 36).

CAPUT XXXIII. — 31. Cum itaque fateamur fieri ab Spiritu sancto, quæ ab illo fieri commemoraverunt, non est ex eo consequens quod adjungunt : *Alium esse a Filio Spiritum sanctum natura et ordine, gradu et affectu, dignitate et potestate, virtute et operatione.* Quandoquidem nec hominum diversa natura est, quorum separabilia opera esse possunt, quod Trinitatis esse non possunt. Ordo autem, gradus, affectus, qui invenitur in creaturæ disparilitate et infirmitate, nullus est in illa coæterna et æquali et impassibili Trinitate. Dignitas vero, potestas, virtus, quomodo non æqualis est omnibus, qui et eadem et similiter operantur? Quod enim dicunt eos operatione diversos, hoc omnino falsum esse convicimus.

CAPUT XXXIV. — 32. Quod autem in isto sermone subnectunt, *Impossibile esse ut unus idemque sit Pater et Filius, generans et nascens; cui testimonium perhibetur, et qui testimonium perhibet; major, et is qui majorem confitetur; is qui ad dexteram sedet aut stat, et is qui sedis dat honorem; qui missus est, et is qui misit; nec discipulus et doctor, ut ipse docuit dicens,* « *Sicuti docuit me Pater, sic loquor* » (*Joan.* VIII, 28) : *similis et imitator, et is cujus est similis et quem imitatur; is qui orat, et is qui exaudit; is qui gratias agit, et is qui benedixit; is qui suscipit mandatum, et is qui dedit mandatum; minister, et præcipiens; supplex, et eminens; subditus, et superior; unigenitus, et ingenitus; sacerdos, et Deus :* ex parte aliqua verissime dicunt, sed ea contra Sabellianos, non contra Catholicos dicant. Illi enim unam et eumdem dicunt Filium esse qui Pater est : nos autem Patrem gignentem et Filium genitum duas dicimus esse personas, sed non duas diversasque naturas. Non ergo unus et idem est Pater et Filius, sed unum sunt Pater et Filius. Quod vero major est Pater, non pertinet ad naturam gignentis et geniti, sed hominis et Dei : secundum quam formam suscepti hominis, et ad dexteram Patris sedet vel stat, et orat, et gratias agit, et sacerdos est, et minister est, et supplex est, et subditus est : secundum autem formam Dei, in qua æqualis est Patri, unigenitus est et gignenti coæternus. Et licet sit *primogenitus omnis creaturæ, quia in illo condita sunt omnia*, priusque ille est genitus quam hæc condita; tamen sempiternus est sicut Pater, nec cœpit ex tempore. Nam et Patrem rectissime dicimus priorem esse quam universa quæ condidit, quamvis genitus non sit. Nihil enim tam primum, quam id ante quod nihil est. Sed sicuti nihil est ante Patrem; ita nihil est ante unigenitum Filium, Patri utique coæternum. Neque enim quia ille genuit, ille genitus est, ideo est Pater tempore anterior. Nam si inter Patrem gignentem et genitum Filium aliquod tempus est, profecto tempus est ante Filium, et non est jam Filius *primogenitus omnis creaturæ*, quia et tempus utique creatura est : nec *omnia per ipsum*, si tempus ante ipsum; sed *omnia per ipsum* (*Coloss.* I, 15, 16), nullum ergo tempus ante ipsum. Ac per hoc, quemadmodum ignis et splendor qui ex igne gignitur et circumquaque diffunditur, simul esse incipiunt, nec genitus a gignente præceditur : sic Deus Pater et Deus de Deo Filius esse simul incipiunt, quia pariter sine ullo initio temporis sunt, nec genitus a gignente præceditur. Et sicut ignis gignens et splendor genitus coævi sunt; ita Deus Pater gignens et Deus Filius genitus coæterni sunt. Sed quia iste est de illo, non ille de isto, ideo et mandatum accipit a Patre, cum mandatum ipse sit Patris ; et docet eum Pater, cum ipse sit paterna doctrina. Sic enim accipit a Patre vitam, cum sicut Pater ipse sit vita : ita est et Patri similis, ut in nullo sit omnino dissimilis. Testimonium vero cum invicem sibi perhibeant Pater et Filius, quomodo isti alterum eorum faciant testimonium perhibentem, et alterum cui testimonium perhibeatur, ignoro. Nonne Pater dicit, *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III, 17)? Nonne Filius dicit, *Testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater* (*Joan.* VIII, 18)? Cur ergo eos ita distinguunt, ut Patrem dicant cui testimonium perhibetur, et Filium qui perhibet? Cur usque ad ista sunt vani, usque ad ista surdi, usque ad ista cæci? De Patre autem mittente et misso Filio, jam in superioribus hujus disputationis partibus satis abundeque tractatum est.

CAPUT XXXV. — 33. Nunquam sane, ut impse-

[1] Editi addunt, *donationis* ; quod abest a Mss.
[2] Hic Lov., *sanctificationis Spiritus sancti.*

sas ista delirat, *Pater præscius erat se unigeniti Dei Patrem futurum* : quia nunquam non Pater erat, habens Filium coæternum, et generans sine tempore per quem condidit tempora. Et sicut Deum se non præscivit futurum quod semper erat ; sic nec Patrem, quia cum Filio semper erat : *nec magno Filio major, nec bono melior* ; quia non Patri tantum, sed universæ Trinitati dictum est, *Tu es Deus solus magnus* (*Psal.* LXXXV, 10). Nec de Patre tantum, sed de universa Trinitate recte intelligitur dixisse idem Filius, *Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Marc.* X, 18) ; quando eum appellavit magistrum bonum, qui eum nondum intelligebat Deum: tanquam diceret, Si vocas bonum, intellige Deum ; nemo enim bonus, nisi unus Deus. Trinitas ergo unus Deus solus magnus et bonus, cui uni et soli, sicut præcipit lex ejus, illa quæ latria dicitur servitute servimus.

CAPUT XXXVI. — 34. Absit autem ut dicamus, humilitatis, non veritatis gratia Filium aliquando sic loqui, ut se Patri subjiciat eumque majorem esse testetur. Novimus quippe in Filio formam servi, non fictam simulatamque, sed veram : propter quem scilicet humanum habitum, et propter quod ipse de Patre, non Pater de illo Deus est, dicit illa omnia, de quibus isti occasionem accipiunt, diversas Patris et Filii credere ac prædicare naturas. Et cum se tanta ista voragine impietatis immergant, nos tanquam opprobrio novi nominis Homousianos vocant. Ita enim sese habet catholicæ veritatis antiquitas, ut ei omnes hæretici diversa nomina imponant, cum ipsi sua singula, sicut ab omnibus appellantur, obtineant. Ariani quippe et Eunomiani, non alii hæretici, nos vocitant Homousianos, quia contra eorum errorem, græco vocabulo ὁμοούσιον defendimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, id est, unius ejusdemque substantiæ, vel, ut expressius dicatur, essentiæ, quæ οὐσία græce appellatur : quod planius dicitur, unius ejusdemque naturæ. Et tamen si quis istorum qui nos Homousianos vocant, filium suum non cujus ipse esset, sed diversæ diceret esse naturæ, exhæredari se ab eo mallet filius quam hoc putari. Quanta itaque impietate isti cæcantur, qui cum confiteantur unigenitum Dei Filium, nolunt ejusdem naturæ cujus Pater est confiteri, sed diversæ atque imparis et multis modis rebusque dissimilis, tanquam non de Deo natus, sed ab illo de nihilo sit creatus ; ac per hoc et ipse creatura sit, gratia filius, non natura ? Ecce qui nos quasi macula novi [1] nominis vocant Homousianos, nec se ipsos, cum ista sentiunt, intuentur insanos.

CAPUT XXXVII. — Quod autem ante omnia sæcula natum fatentur Filium, quomodo non sibi ipsi contrarii sunt, eum natum dicere ante omnia sæcula, cujus nativitati anteponunt aliquid temporis ; quasi non aut sæcula aut sæculorum partes quæcumque sint tempora ?

Quod vero dicit Apostolus, etiam in futuro sæculo Patri Filium subjectum futurum, ubi ait, *Tunc et ipse subjectus erit ei qui illi subjecit omnia* (I *Cor.* XV, 28) ; quid mirum, quandoquidem illa in Filio forma humana mansura est, qua semper major est Pater ? Quamvis non defuerint, qui illam tunc Filii subjectionem, ipsius humanæ formæ in divinam substantiam commutationem intelligendam putaverint, tanquam hoc cuique rei subjiciatur, quod in eam vertitur et mutatur. Sed nos quid hinc sentiamus ostendimus, magis ideo dixisse Apostolum etiam tunc Patri Filium subjectum futurum, ne quis in eo putaret spiritum et corpus humanum aliqua conversione periturum : *ut sit Deus omnia*, non tantum in illius forma hominis, sed, *in omnibus*, id est, ut ad habendam vitam, et satiandum in bonis desiderium nostrum, natura divina sufficiat. Tunc enim Deus omnia erit in omnibus, cum præter ipsum nihil omnino habere velle cœperimus. Omnia quippe ipse nobis erit, quando ipso sufficiente nihil deerit.

CAPUT XXXVIII. — Jussum vero *obaudisse Filium antequam acciperet carnem*, unde isti existiment nescio. An accipere carnem jussus est, ut hoc videatur fecisse jussus, quod fecit missus ? Iterum ergo ad illa redeant, quæ superius disputata sunt, et quærant atque inveniant, si possunt, Pater unico Verbo quo alio jusserit verbo ; et utrum dignum fuerit ut temporali jubentis verbo Verbum subderetur æternum : atque hinc intelligant quia non eum Patris jussio, tanquam suæ non fuerit potestatis, *sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*. Quod autem *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (*Philipp.* II, 7, 8), jam utique acceperat carnem.

CAPUT XXXIX. — Arbitror me ad omnia respondisse quæ continet Arianorum sermo, qui nobis ut ei responderemus, a quibusdam fratribus missus est. Qui ut posset inspici ab iis qui hæc legunt, et utrum ad omnia responsum fuerit explorare desiderant, huic eum nostræ disputationi præscribendum putavimus ; ut prius legatur ipse, ac deinde nostra responsio. Quoniam non ubique textum verborum ejus interposuimus ; ne nimis longum faceremus hoc opus nostrum, quod tandem isto fine concludimus.

[1] Abest, *novi*, a Mss.

ADMONITIO

IN COLLATIONEM ET LIBROS DUOS CONTRA MAXIMINUM.

Hæc opuscula in Retractationibus Augustini frustra quæras, cum sint posterius contecta, anno Christi videlicet aut 427, aut 428. Nam Segisvultum comitem, a quo se missum Hipponem Maximinus in Collationis subsequentis exordio profitetur, venisse in Africam contra Bonifacium Ilierio et Ardubere Coss., hoc est anno

Christi 427, scribit Prosper in Chronico. Huc spectat Sermonis 140 (qui olim inter Sirmondianos 16) titulus in hunc modum : *Contra quoddam dictum Maximini Arianorum episcopi, qui cum Segisvulto comite constitutus in Africa blasphemabat.* Quo in Sermone id ab Augustino reprehenditur, quod Maximinus, dominicam sententiam Joannis, cap. 10, ỳ. 30, *Ego et Pater unum sumus*, de voluntatum concordia maligne interpretans, respondebat ipsos etiam Apostolos unum esse cum Patre et Filio, quia voluntati Patris et Filii obsequuntur. Sic ille blasphemat in hac Collatione, disputatione sua postrema, n. 22.

De eadem Collatione Possidius in Augustini Vita, cap. 17 : *Cum ipsorum quoque Arianorum episcopo quodam Maximino cum Gothis ad Africam veniente, apud Hipponem quam plurimis volentibus atque petentibus, et præclaris interpositis viris contulit; et quid singulæ asseruerint partes, scriptum est. Quæ si studiosi diligenter legere curaverint, procul dubio indagabunt, vel quid callida et irrationabilis hæresis ad seducendum et decipiendum profiteatur, vel quid Ecclesia catholica de divina teneat et prædicet Trinitate. Sed quoniam ille hæreticus de Hippone rediens ad Carthaginem, de sua multa in collatione loquacitate victorem se de ipsa Collatione recessisse jactavit, et mentitus est; quæ utique non facile a divinæ legis ignaris examinari et dijudicari possent : a venerabili viro Augustino sequentis temporis stilo, et illius totius Collationis de singulis objectis et responsis facta est recapitulatio, et quam nihil ille objectis referre potuerit, nihilominus demonstratum est, additis supplementis, quæ in tempore Collationis angusto cuncta inferri et scribi minime potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis, ut suo novissima prosecutione multo longissima totum quod remanserat diei spatium occuparet.* Et in Indiculo, cap. 8, recensetur, *Collatio cum Maximino Arianorum episcopo :* et continuo, *Ad quem supra libri duo.* Ubi Possidius a Collatione sejungit libros, qui in ante editis sic eidem cohærebant Collationi, ut hæc primus liber, alii duo libri secundus ac tertius inscripti legerentur : quo errore carebant veteres codices, tum nostri, tum illi quos vidit Beda seu Florus; Collationem quippe aperte distinguit a libris contra Maximinum, ad Rom. cap. 8. Posteriorem librum cum Augustini laude citat etiam Agatho papa in synodo 6, act. 4.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

COLLATIO CUM MAXIMINO

Arianorum Episcopo (a).

1. Cum Augustinus et Maximinus Hippone-regio unum in locum convenissent, præsentibus multis, tam clericis quam laicis, MAXIMINUS dixit : Ego non ob istam causam in hanc civitatem adveni, ut altercationem proponam cum Religione tua, sed missus a comite Segisvulto [1] contemplatione pacis adveni. Revera enim Eraclio presbytero amicali pactione mecum tractanti, responsum dedi ut valui, ita tamen ab ipso provocatus; quique in tantum exarsit, ut etiam adventum tuum contra me provocaret. Et quia dignata est Religio tua sibi facere injuriam [2], si interrogas, in quibus valeo responsum dabo. Si aliquid rationabile dixeris, necesse est ut sequar. Si quid enim de divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut audiamus : eas vero voces quæ extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur : præterea cum ipse Dominus moneat nos et dicat, *Sine causa colunt me, docentes mandata et præcepta hominum* (*Matth.* xv, 9).

2. AUGUSTINUS dixit : Si ad ista omnia respondere voluero, id etiam ego agere videbor, ne veniatur ad causam. Proinde ut cito agamus quod instat, dic mihi fidem tuam de Patre et Filio et Spiritu sancto.

MAX. respondit : Si fidem meam postulas, ego illam teneo fidem quæ Arimini [1] a trecentis et triginta episcopis, non solum exposita, sed etiam subscriptionibus firmata est.

3. AUG. dixit : Jam dixi, et hoc ipsum repeto, quia respondere noluisti : Dic fidem tuam de Patre et Filio et Spiritu sancto.

MAX. respondit : Cum enim non defecerim a responsione, cur accusor a tua Religione, quasi responsum non dederim?

4. AUG. dixit : Propterea dixi te respondere no-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Collationem cum Maximino et libros contra ipsum duos castigavimus juvantibus Mss. duobus Vaticanis et undecim Gallicanis, Sorbonico, Fossatensi, Arnulphensi, Michaelino, Cisterciensi, Remigiano, Corbeiensi, Laudunensi majoris Ecclesiæ, Parisiensi S. Martini de Campis, altero Parisiensi collegii Bernardinorum, et Tholosano domini de Naran.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] In ante editis, *Comite regis multa.* In Mss. quibusdam, *Comite Fegisvulto.* In aliis verius, *Comite Segisvulto.*

[2] Sic Mss. Editi vero, *mihi facere injuriam.*

[1] Mss., *Arimino.*

(a) Habita anno Christi 427 aut 428. Alias, Contra Maximinum Arianorum episcopum liber primus.

luisse, quia dum ego quærerem ut diceres mihi fidem tuam de Patre et Filio et Spiritu sancto, quod et nunc posco, tu mihi non dixisti fidem tuam, sed nominasti Ariminense concilium. Fidem tuam volo nosse, quid credas, quid sentias de Patre et Filio et Spiritu sancto. Si dignaris, ore tuo audiam. Noli me mittere ad ea scripta, quæ modo aut præ manu non sunt, aut eorum auctoritate non teneor. Dic quid credas de Patre et Filio et Spiritu sancto.

MAX. respondit : Non ad excusandum me Ariminensis concilii decretum interesse volui, sed ut ostendam auctoritatem Patrum, qui secundum divinas Scripturas fidem nobis tradiderunt illam quam a divinis Scripturis didicerunt. Sin vero placet; quia *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 10) : instructi etenim sumus et parati ad respondendum omni exposcenti de nobis rationem de fide et spe quæ in nobis est (I *Petr.* III, 15) : et præterea cum Dominus ipse Jesus dicat, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis ; et qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* x, 32, 33) : istud periculum timens, quamvis leges imperiales non ignoro, tamen præcepto Salvatoris edoctus, qui monuit nos et dixit, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Ibid.*, 28) ; respondeo evidenter : Credo quod unus est Deus Pater, qui a nullo vitam accepit ; et quia unus est Filius, qui quod est et quod vivit, a Patre accepit ut esset ; et quia unus est Spiritus sanctus paracletus, qui est illuminator et sanctificator animarum nostrarum. Et hoc de divinis Scripturis assero. Si jubes, prosequor testimonia : si in aliquo reprehenderit Religio tua, dabo responsum in his in quibus reprehendi videor.

5. AUG. dixit : Movet me, quod ita posuisti proprie illuminatorem nostrum Spiritum sanctum ; quasi Christus non sit illuminator noster. Illinc primo abs te volo audire quid sentias.

MAX. respondit : Nos enim unum auctorem Deum Patrem cognoscimus, a quo illuminatio omnis per gradus descendit. Nam denique et apostolus Paulus profert de se testimonium in Actibus Apostolorum, dicens. *Sic enim mandavit nobis Deus ;* et inter cætera, *Posui te in lumen gentium* (*Act.* XIII, 47). Si Apostolus in lumine gentium positus est ut doctor, quanto magis Spiritus sanctus, qui illuminator est Apostoli ; in quo et Apostolus locutus est, secundum ipsius Apostoli dicta, quia *nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3) ? Utique illuminator est Spiritus sanctus, qui illuminavit Apostolum. Sed Spiritus sanctus a Christo accepit, secundum ipsius Christi testimonium, sicut ait in Evangelio Christus : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo : cum autem venerit ille Spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a se, sed quæcumque audierit loquetur, et ventura annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 12 14). Ergo Spiritus sanctus accepit a Christo, secundum testimonium Christi. Sine dubio autem Christus ipse confitetur quod, *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui me misit Patris* (*Joan.* VII, 16) ; et, *Quod vidi et audivi apud Patrem meum, loquor* (*Id.* VIII, 38). Sive ergo Christus docens nos illuminat, Pater illuminat qui eum destinavit ; sive Spiritus sanctus illuminat, illuminatio ad auctorem recurrit, qui est fons bonitatis : a quo consecutus, sive beatus Apostolus, sive etiam omnes sancti, illuminant quidem credentes, sed hæc illuminatio ad unum auctorem recurrit. Et ea de causa dicebat propheta : *Dominus illuminatio mea, et salus mea ; quem timebo* (*Psal.* XXVI, 1) ?

6. AUG. dixit : Ego non nego illuminare Spiritum sanctum ; sed utrum et Christus illuminet per se ipsum, et Pater illuminet per se ipsum, an non illuminent isti nisi per Spiritum sanctum : hoc requisivi breviter, hoc requiro.

MAX. respondit : Credo non latere Religionem tuam, beatum dixisse apostolum Paulum, *Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, per Jesum Christum Salvatorem nostrum* (*Tit.* III, 4-6). Secundum hanc regulam dico Spiritum sanctum et profiteor illuminatorem per Filium : et ante dictum est, *Quem effudit in nos abunde, per Jesum Christum Salvatorem nostrum.* Jam dedi responsum : quoniam sive Paulus illuminat, ad auctorem Deum Patrem recurrit hæc illuminatio ; sive Spiritus sanctus illuminat, ad auctorem recurrit illuminatio : sive Christus illuminat, ad auctorem recurrit illuminatio. Et hoc magisterio Christi edoctus, prosequor, sicut ait ipse Christus : *Oves meæ vocem meam audiunt, et sequuntur me ; et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, et nemo potest rapere illud de manu Patris mei.* Et iterum sic ait : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 27-30). Ergo ad defendendas oves, ad illuminandas, Pater et Filius unum sunt, concordes atque unanimes secundum hanc rationem quam audisti, Quoniam nemo potest rapere de manu mea oves quas mihi dedit Pater : simili modo nec de manu Patris.

7. AUG. dixit : Res loqueris necessarias quidem, sed non ad causam. Ad interrogationem meam non respondisti, et tamen multa dixisti. Si velis, relicta quæstione quæ inter nos vertitur, reddere totum Evangelium, qui dies sufficiunt, quantum temporis spatium necessarium est ? Breviter mihi dic, quoniam interrogavi te, utrum illuminet per se ipsum Christus, an non illuminet nisi per Spiritum sanctum. Non solum ad hoc respondere noluisti, sed si me non fallit quod audivi, magis Spiritum sanctum per Christum illuminare dixisti.

MAX. respondit : Non decet in religione, præterea cum de Deo loquamur, calumniam inferre. Ego et responsum dedi, et si non sufficiunt quæ diximus, addimus testimonia, quia per Jesum Christum Spiritus

sanctus effusus est in omnes credentes. Sic enim legimus beatum Petrum dixisse: *Hunc Jesum suscitavit Deus, cujus nos omnes testes sumus. Dextera itaque Dei exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hoc donum quod nunc vos et videtis et auditis* (*Act.* II, 32, 33). Dixi enim quod omnia quæcumque suggerit nobis Spiritus sanctus, a Christo consecutus sit. Recurre ad testimonia ante lata, et invenies ita.

8. Aug. dixit : Cum vis conari probare quod ipse non nego, in rebus superfluis necessarium tempus absumis. Ego non nego per Christum diffusum fuisse super credentes Spiritum sanctum. Sine causa hoc per tantas moras testimoniis probare voluisti, quod ipse confiteor. Ego hoc dixi, hoc quæsivi, hoc iterum dico: utrum Christus per Spiritum sanctum illuminet, an Spiritus sabetus per Christum illuminet; quia dixisti superius per Christum illuminare Spiritum sanctum. Si autem non recolis, recitentur verba tua in Gestis, ut appareat ea nos jussisse recitari, et probabo te dixisse quod quæro.

Max. respondit : Probatio erat necessaria, si non ipse temetipsum placasses. Jam enim prosecutus es in testimoniis quæ protuli, vel in ratione quam dedi, quod et ipse sic habeas. Cum finita sit ergo ista quæstio, propone aliam ad quam tibi respondeam. Nam professus es jam in quæstione ista satisfactum tibi fuisse.

9. Aug. dixit: Dixisti Spiritum sanctum per Christum illuminare, an non dixisti? Rogo te ut unum de duobus breviter mihi respondere digneris. Dixisti, an non dixisti?

Max. respondit: Ego Spiritum sanctum professus sum secundum Salvatoris magisterium, quia sive illuminat, a Christo accepit; sive docet, a Christo accepit; omnia quæcumque gerit Spiritus sanctus, ab unigenito Deo consecutus est: et si parva sunt testimonia, addo.

10. Aug. dixit: Ne dicat nos calumniari, legantur verba ipsius paulo superius.

Antonius notarius ad locum recitavit: Dico Spiritum sanctum et profiteor illuminatorem per Filium, ut ante dictum est, *quem effudit abunde in nos, per Jesum Christum Salvatorem nostrum.* Cumque recitatum est:

Max. respondit: Ut videtur, ipse potius dilationi studes, ut non ad principalem causam recurramus, sed per totum diem vis argumentis nos in una detinere quæstione. Nos enim recitamus, quod per Filium Spiritus sanctus sit effusus, et non tantum beatum Paulum testem produximus, verum etiam et Petrum priorem Apostolorum. Habet enim prosecutio nostra, quod Spiritus sanctus a Christo accepit, secundum præcedens testimonium: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Idem itidem compulsus iterum dico, quia sive illuminat Spiritus sanctus, sive docet, sive instruit, omnia a Christo consecutus est; quia per Christum *facta sunt omnia, et sine illo factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Christus dicit quia a genitore suo omnia hæc consecutus est, et vivit propter Patrem, et omnis lingua confitetur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philipp.* II, 11). Et quia [1] *omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris, vir; caput autem Christi, Deus* (I *Cor.* XI, 3). Et quia Filio Spiritus sanctus est subjectus: et quia Filius Patri est subjectus, ut charissimus, ut obediens, ut bonus a bono genitus. Nec enim Pater contrarium sibi genuit: sed talem genuit, qui etiam clamat et dicit, *Ego quæ placita sunt Patri, facio semper* (*Joan.* VIII, 29).

11. Aug. dixit: Si et Christus illuminat per Spiritum sanctum, et Spiritus sanctus illuminat per Christum, par potestas est. Lege autem tu mihi subjectum Christo Spiritum sanctum, quod paulo ante dixisti. Quod autem dicis Dominum dixisse de Spiritu sancto, *De meo accipiet;* ideo dictum est, quia de Patre accepit, et omnia quæ sunt Patris, sine dubio et Filii sunt. Nam ipse cum hoc dixisset, adjecit, *Ideo dixi, De meo accipiet; quia omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Id.* XVI, 14, 15). Dic ergo quod interrogavi, et testimoniis proba, *subjectum* Christo Spiritum sanctum: cum potius legamus ipsum dicentem, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me evangelizare pauperibus* [2] (*Luc.* IV, 18). Si super se ipse dixit Spiritum sanctum, quomodo tu dicis Spiritum sanctum Christo esse subjectum? Dixit autem Christus, super se Spiritum sanctum: non quia super Verbum Dei est, quod est Deus; sed quia super hominem, quod Verbum caro factum est. Ubi enim scriptum est, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14); nihil aliud est quam, Verbum homo factum est. Quia, *Videbit omnis caro salutare Dei* (*Isai.* XL, 5); nihil est aliud quam, Omnis homo. Et, *In lege non justificabitur omnis caro* (*Rom.* III, 20); nihil est aliud quam, Omnis homo. Propter quod ergo *Verbum caro factum est*, et ille *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 7), ex ipsa forma servi dixit, *Spiritus Domini super me.* Nam par potestas est, una substantia est, eadem divinitas. Ideo quamvis Trinitatem colamus, quia Pater non est Filius, nec Filius est Pater, nec Spiritus sanctus aut Pater aut Filius: tamen unum Deum colimus, quia ipsa Trinitatis [3] ineffabilis et excelsa conjunctio unum Deum esse docuit, unum Dominum. Ideoque dictum est: *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4). Quid nobis vultis facere duos deos et duos dominos? Dicitis Dominum Patrem et Deum Patrem, dicitis Dominum Christum et Deum Christum: interrogo, utrum ambo simul unus sit. Respondetis, Duo dii. Superest ut eis et templa et idola faciatis.

Max. respondit: Religionis auctores numquam in calumniam vertuntur. Interrogasti testimonia, ut ea quæ professus sum testimoniis docerem: et ipse pares atque æquales profiteris tres, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Et præterea cum tres æquales professus

[1] Mss.: *Quid est et quia*, etc.

[2] In editis additur, *misit me.* Abest a Mss. hoc loco: abest ab ipsis quoque editis in superiore libro, contra Sermonem Arianorum, cap. 23.

[3] Aliquot Mss., *Trinitas.*

sis iterum conversus protulisti quidem testimonium divinarum Scripturarum, non ad æqualitatem pertinens, sed ad singularitatem omnipotentis Dei, quod unus sit omnium auctor. Ergo quia et a tale præcedis, et auctoritate major es, profer, instrue prius testimoniis, quod tres sint æquales, tres omnipotentes, tres innati, tres invisibiles, tres incapabiles: et tunc demum necesse est testimoniis ut acquiescamus. Si quo minus reddere rationem de divinis Scripturis non valueris, necesse me est, ut ad omnia quæ in præcedenti dixi: sive enim Patrem solum qui quod vivit a nemine accipiens, sive Filium [1], quod sum professus, quia quod vivit a Patre accepit, sive de Spiritu sancto quæ dixi: etiam quanta desideras testimonia proferam.

12. Aug. dixit: Ego quod quæsivi ut dicere dignareris, non dixisti, quo testimonio probares subjectum Christo Spiritum sanctum: respondeo tamen ad ea quæ proposuisti. Sic non dicimus tres omnipotentes, quomodo non dicimus tres deos. Si enim de singulis interrogemur, utrum Deus sit Pater; respondemus, Deus: utrum Deus sit Filius; respondemus, Deus: utrum Deus sit Spiritus sanctus; respondemus, Deus. Cum autem de omnibus interrogati fuerimus, utrum tres sint; referimus nos ad divinam Scripturam dicentem, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* Et in [2] hac divina præscriptione condiscimus, eamdem ipsam Trinitatem unum esse Deum. Sic et de singulis si quæratur, utrum Pater omnipotens sit; respondemus, Omnipotens: si Filius; hoc idem respondemus: si Spiritus sanctus; nec ipsum negamus omnipotentem. Nec tamen dicimus tres omnipotentes, quomodo non dicimus tres deos: sed sicut simul illi tres unus Deus, sic simul illi tres unus omnipotens est, et invisibilis unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus est. Sine causa ergo putas nos numero coarctari, cum divinitatis potentia etiam rationem numeri excedat. Si enim animæ multorum hominum accepto Spiritu sancto et quodam modo conflatæ igne charitatis unam animam fecerunt, de qua dicit apostolus, *Erat enim eis anima et cor unum* (*Act.* IV, 32): tot corda, tot millia cordium, unum cor fecit charitas Spiritus sancti; tot millia animarum unam animam dixit Spiritus sanctus, quam ipse unam animam fecit: quanto magis nos unum Deum dicimus, semper sibi invicem et inseparabiliter et ineffabili charitate cohærentes Patrem et Filium et Spiritum sanctum?

Max. respondit: Ac per hoc pares atque æquales dixisti, quod quidem testimoniis docere non valuisti, et ob istam rem ad aliam causam divertisti. Nos enim non diffidimus, sed certa cognoscentes fide, quod erat cor et anima una omnium credentium. Nec enim hoc præjudicat religioni nostræ, sed magis concordat. Sine dubio enim si omnium credentium erat cor et anima una, quare autem non Pater et Filius et Spiritus sanctus in consensu, in convenientia, in charitate, in unanimitate, unum esse dicantur? Quid enim fecit Filius, quod non placuit Patri? Quid præcepit Pater, in quibus non obtemperavit Filius? Quando enim Spiritus sanctus contraria Christo aut Patri tradidit mandata? Et constat secundum Salvatoris sententiam, quod ait, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); esse illos in concordia et in consensu unum. Sicut autem ipse professus es, Pater Pater est, qui nunquam fuit Filius; Filius Filius est, qui semper Filius manet; et Spiritus sanctus Spiritus sanctus est, quod est et quod leginus, profitemur de Spiritu sancto, in hunc Spiritum sanctum, qui tantus ac talis est, ut etiam Angeli ipsi concupiscant in eum prospicere (1 *Petr.* I, 12). Tantus est iste Spiritus sanctus, ut sufficiat ubique omnium postulationes suscipere, et advocatione fungi [1]. Et in hoc testem profero beatum Paulum, qui ait, *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). Quod lego credo, quia *gemitibus inenarrabilibus postulat Spiritus sanctus.* Et ideo isto eruditus magisterio in tantum dico subjectum esse Spiritum sanctum, ut gemitibus postulet pro nobis. Unum autem profiteor Deum, non ut tres unus sit; sed unus Deus est, incomparabilis, immensus, infinitus, innatus, invisibilis, quem et Filius ipse et oravit et orat, apud quem et Spiritus sanctus advocatione fungitur. Nam quia orat Filius Patrem; quamvis enim soleatis omnia illa testimonia quæ in sancto legimus Evangelio, corpori applicare; attamen nostrum est perscrutatis divinis Scripturis ostendere, quia et nunc sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis. Ea enim de causa dixi, et oravit et orat; quia nunc utique interpellat pro nobis, sicut ait Apostolus: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat? Quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est, imo magis qui et resurrexit, qui et est in dextera Dei, qui et interpellat pro nobis* (*Ibid.*, 33, 34)? Æque cum discipulis positus Christus, sic se rogaturum promisit, dicens: *Si diligitis me, mandata mea servate; et ego rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis, quem hic mundus accipere non potest, quoniam non videt eum, nec novit eum: vos autem vidistis eum, et cognoscitis* [2] *eum, quia apud vos manet, et in vobis est* (*Joan.* XIV, 15-17). Si sufficiunt hæc, bene est: si quominus [3], addam quanta jubes testimonia.

13. Aug. dixit: Ea quæ nos confitemur, nobis probare non debes. Hoc enim faciendo, nihil aliud, sicut superius dixi, quam necessarium tempus absumis. Scimus Filium Dei Filium esse Dei: scimus a se ipso non esse, sed genitum esse a Patre. Patrem vero ipsum ingenitum esse, a nullo esse, a nullo vitam accepisse: Filium vero a Patre accepisse vitam, sed non ita tanquam fuerit aliquando sine vita, ut acciperet vitam. Dedit enim ei vitam, gignendo vitam:

[1] In Mss., *sive Filius.*
[2] Veteres libri, *et ex.*

[1] In Mss., *et advocationem fungere.* Itemque infra, *et Spiritus sanctus advocationem fungi.*
[2] Sola editio Lov., *cognoscetis.*
[3] Am. Er. et Mss.: *Si sufficiunt? si quo non*; omissis, *hæc, bene est.*

gignendo cum vitam, dedit ei vitam. Æqualitatem autem ostendit dicendo : *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* v, 26). Vitam in semetipso habet Pater; æqualem vitæ Patris vitam in se habet Filius : sed tamen Filius a se ipso vitam non accepit, quia non a se ipso natus est, a Patre natus est. Gignendo dedit, non quia jam erat Filius sine vita, et dedit ei vitam, quomodo nos peccatores facti sumus sine vita, et per indulgentiam et gratiam accepimus vitam : illo vitam accepit a Patre, quia vita natus est a Patre. Ac per hoc tu non potuisti dicere subjectum esse Filio Spiritum sanctum, nisi quia gemitibus interpellat pro nobis. Videtur enim tibi illa perfectio sanctitatis in gemitibus semper esse, nec respirare a gemendo. O æterna miseria! Intellige locutionem, et blasphemiam devitabis. Sic enim dictum est, *Gemitibus interpellat*; ut intelligeremus, Gemitibus interpellare nos facit. Adest enim nobis; et infundendo charitatem nobis, facit nos interpellare gemitibus. Denique alio loco cum dicit Apostolus, *Clamantem, Abba, Pater* (*Galat.* iv, 6); alio loco dicit, *In quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* viii, 15) : exposuit quid sit, *Clamantem, Abba, Pater;* dicendo, *In quo clamamus.* Ac per hoc quid est, *Clamantem*, nisi, clamare facientem? Do exemplum locutionis hujus. Nonne Deus est omnium præscius futurorum? Quis hoc negabit insanus? Tamen ait Apostolus, *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo* (*Galat.* iv, 9). Si nunc eos cognovit Deus, non eos noverat, non elegerat, non prædestinaverat ante mundi constitutionem. Sed sic dixit, *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo;* ut intelligerent Deum fecisse in eis cognitionem suam. *Cognoscentes Deum.* Quid est, *Cognoscentes Deum?* Nolite vobis arrogare, nolite superbire : *Cogniti estis a Deo.* Quid est, *cogniti estis a Deo?* Cognitores suos Deus vos fecit : Deus vobis dedit ut cognoscatis. Quomodo est et illud Domini : *Nunc cognovi*, dicit Abrahæ Dominus, *Nunc cognovi quoniam timeas Dominum* (*Gen.* xxii, 12). Quando attulit filium suum ad holocaustum Abraham, dicit ei Deus, *Nunc cognovi.* Ipsa est tota Dei præscientia? tunc cognovit, quando dixit, *Nunc cognovi?* Sed quid est, *Nunc cognovi?* Id est, Nunc cognoscere te feci. Si ergo has locutiones sicut Libris divinis eruditus agnosceres, de gemitibus illis quibus dictum est gemitibus interpellare Spiritum sanctum, non eum faceres miserum. Quid enim est aliud, semper gemens, quam semper miser? Ideo nos gemimus, quia miseri sumus. Et gratias Spiritui sancto, quia charitate æterni sæculi facit nos gemere, propter quod dictus est gemens. Facit nos clamare propter quod dictus est clamans. Facit nos cognoscere Deum, propter quod dictum est, *Imo cogniti a Deo.* Facit Abraham Deus cognoscentem, propter quod ei dixit, *Nunc cognovi.*

MAX. respondit : In quibus nos reprehendis, in ipsis ipse detegeris. Certum est enim, et divina nos monet Scriptura, quod ex multiloquio non effugies peccatum; parcens autem labiis, sapiens eris (*Prov.* x, 19). Quamvis etiam etsi per totum diem quisque de divinis Scripturis proferat testimonia, non in verbositate illi imputabitur revera [1] : quod si aut litteraria arte usus, aut expressione [2] spiritus qui quisque concinnet verba quæ non continent sanctæ Scripturæ; et otiosa sunt et superflua. Sufficit mihi, qui ad istam regulam te adduxi, ut profitearis quod Pater Pater est, quia innatus est, quia a nemine accepit vitam; et quia Filius a Patre consecutus est vitam; et quia Spiritus sanctus Spiritus sanctus est. Dicendo autem unum Deum, bene quidem faceres, si confitendo unum Deum, non Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum diceres Deum, contra tuam sententiam veniens. A nobis unus colitur Deus, innatus, infectus, invisibilis, qui ad humana contagia et ad humanam carnem non descendit. Est autem et Filius secundum Apostolum, non pusillus, sed magnus Deus : sicut ait beatus Paulus, *Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* (*Tit.* ii, 13). Iste enim magnus Deus Christus dicit, quod *ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* xx, 17). De sua enim subjectione unum statuit Deum. Iste est ergo unus Deus, ut jam recitavimus testimoniis, quem Christus et Spiritus sanctus adorant, et omnis creatura veneratur et colit : hac ratione unum profitemur. Non tamen quod copulatio vel permistio Filii cum Patre, aut vel certe Spiritus sancti cum Filio vel cum Patre, faciat unum Deum. Sed quia ille solus unus perfectus est Deus, qui, ut ipse prosecutus es, vitam a nemine accepit, qui Filio dedit suo exemplo habere vitam in semetipso : copulatos quidem dicimus in charitate et in concordia. Jam ut superius reddidimus rationem, alterum esse Patrem, et non ipsum Filium, ipse nos instruit Salvator, dicendo : *Si ego testimonium dico de me, testimonium meum non est verum; alius est qui testificatur de me.* Et ne præsumptorio spiritu quidam putarent, quod aut de Joanne Baptista dixerit alium, aut forte de Petro apostolo vel Paulo; ipse prosecutus est : *Vos misistis ad Joannem, et testimonium reddidit veritati. Ego autem testimonium ab homine non accipio : sed hæc dico, ut vos salvemini. Ille*, inquit, *lucerna fuit ardens et lucens; vos autem voluistis ad horam exsultare in lumine ejus. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testificantur de me, quia Pater me misit. Et qui misit me Pater, ipse testificatur de me* (*Id.* v, 31 37). Quis tam stultus est, ut non intelligat quoniam alius de alio testimonium perhibuit, Pater de Filio, qui utique et dicebat : *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui; ipsum audite* (*Matth.* xvii, 5)? Dilectum lego, et credo quod Pater est qui diligit, et Filius qui diligitur. Unigenitum audio Christum, et non dubito quia unus ab uno est genitus. Primogenitum Paulus clamat, dicens : *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus uni-*

[1] Nonnulli Mss., *res vera.*
[2] Lov., *expositione.*

versæ creaturæ. Et profiteor secundum sententiam divinarum Scripturarum, quod est Filius primogenitus, et non ingenitus : et quia *in illo creata sunt omnia quæ sunt in cœlis, et quæ sunt in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum facta sunt, et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (*Coloss.* I, 15-17) : et iste Filius Dei, Deus unigenitus, cum sit ante omnes. Ipse enim dicit : *Quod vidi apud Patrem meum, loquor* (*Joan.* VIII, 38). Iste Filius etiam, quod vos carni ascribitis, in sancto ait Evangelio : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quoniam vado ad Patrem; quoniam Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Ista enim legentes credimus, et profitemur secundum Apostolum, quod ei omnia subjecta sint ut magno Deo (I *Cor.* XV, 25). Iste enim magnus Deus, quem talem genuit Pater, ut ipse prosecutus es, utique majorem Patrem confessus est, ut statuat illum unum Deum, in cujus et sinu describitur a Joanne evangelista. Audi utique [1] ipsum clamantem et dicentem de invisibilitate omnipotentis Dei, quod *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse narravit* (*Joan.* I, 18). Hinc instructus Paulus clamat, et dicit : *Beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium; qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem; quem vidit hominum nemo, neque videre potest; cui honor et potestas in sæcula. Amen* (I *Tim.* VI, 15, 16). De hoc iterum dicit : *Soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui gloria in sæcula. Amen* (*Rom.* XVI, 27). Et ideo unus Deus a nobis pronuntiatur, quia unus est super omnia Deus innatus, infectus, ut prosecuti sumus. Filium autem natum si Paulo non credis dicenti, primogenitum universæ creaturæ : vel ipsi Filio crede dicenti ad Pilatum, cum ei diceret, *Ergo tu rex es?* Ait Christus, *Ego in hoc natus sum* (*Joan.* XVIII, 37). Natum lego, profiteor quod lego : primogenitum lego, non discredo [2] : unigenitum lego, etiamsi ad equuleum suspendar, aliter non sum dicturus : quod docent nos sanctæ Scripturæ, profiteor. Tu enim qui dicis quod unus sit Pater et Filius, dic Patrem unigenitum, dic primogenitum : dic quæ sunt Patris in Filio, dic Filium unigenitum, dic innatum, dic quia nemo eum vidit unquam, neque videre potest. Prosequere de Spiritu sancto talia qualia de Patre legimus, ut æqualem ostendas Spiritum sanctum Patri. Dic, rogo, habe me discipulum. Prosequere de Filio, quod Filius sit innatus, quod sit sine origine. Si æqualis, utique talis : si talis, utique innatus : si innatus, utique nec vidit eum quisquam hominum. Da testimonia, et instrue, et doce, et habebis me discipulum.

14. Aug. dixit : A vobis unum Deum coli dixisti, sicut te loquente advertere potui : consequens est ut aut non colatis Christum, aut non unum Deum colatis, sed duos. Dixisti etiam de Patre, quod ad humana contagia et ad humanam carnem non descenderit. Si forte nescis, contagia ubi dicuntur, aliquam contaminationem significant : voluisti ergo Christum intelligi venisse ad humana contagia : ergo humana carne inquinatum professus es Christum. Ego autem dico, imo catholica fides, quam cum Ecclesia Christi teneo, Dominum nostrum Jesum Christum sic factum esse Verbum carnem, ut nulla de humano genere et de humana carne contagia pateretur. Venit enim mundare, non coinquinari. Suscepit ergo animam humanam, et carnem humanam sine ulla peste contagii : et utramque, id est et animam humanam et carnem humanam, in se ipso salvare dignatus est. Sed quia de ejus invisibilitate veritati, quantum video, non vis acquiescere, rogo ut cogites secundum carnem et secundum hominem fuisse visibilem Christum. Nam secundum id quod Verbum est Deus apud Deum, et ipse invisibilis est. Sapientia Dei est Christus : humana sapientia invisibilis est; et Dei sapientia visibilis erit? Quantum ergo attinet ad illam naturam in qua æqualis est Patri, pariter est Deus, pariter omnipotens, pariter invisibilis, pariter immortalis. Dixisti etiam, quantum adverti, sic accipiendum esse quod ait Apostolus, *Qui solus habet immortalitatem* (I *Tim.* VI, 16); ut in hac sententia solus Pater accipi debeat. Ergo Verbum Dei mortale vis esse? Sapientia Dei non est immortalis secundum te. Non intelligis quia non potuisset ullo modo mori Filius, nisi carnem mortalem suscepisset a nobis? Denique caro in illo mortua est, non ipse mortuus est quantum ad Deum pertinet, quantum ad divinitatem attinet, qua æqualis est Patri. Sic enim hominibus ait, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant* (*Luc.* XII, 4) : quia anima mori non potest; Verbum Dei mori potest? Sapientia Dei mori potest? Unigenitus ille non assumpta carne mori potuit? Assumpta autem carne qua factus est homo, sicut æqualem se novit quando dicit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); sic se novit minorem, quia *Verbum caro Factum est, et habitavit in nobis* (*Id.* I, 14). *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Natura enim erat, non rapina : non enim usurpavit hoc, sed natus est hoc. Verumtamen *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* : agnovisti æqualem, jam incipe agnoscere minorem : *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philipp.* II, 6, 7). Ecce qua forma major est Pater : discerne dispensationem suscepti hominis a manente immortaliter divinitate, et non erras in verbis, quæ multum amas dicere, et ea non dignaris sapere. Profiteor autem, sicut dicis Patrem innatum, Filium natum. Sed non ideo sunt diversæ naturæ atque substantiæ, quia ille non natus est, ille natus est. Etenim si natus est, Filius est : si Filius est, verus Filius est, quia unigenitus est. Nam et nos dicti sumus filii : sed numquid unigeniti sumus tot filii? Aliter ille Filius unigenitus : ille natura Filius, nos gratia filii : ille unigenitus de Patre natus, hoc est quod Pater secundum naturam, secundum substantiam. Qui autem dicit eum propterea quia natus est, ideo alterius

[1] In Mss.: *audiri utique*.
[2] Sic Am. Er. et Mss. At Lov. habet, *discrepo*.

esse naturæ, negat verum filium. Habemus autem Scripturam : *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo; ipse est Deus verus et vita æterna* (I *Joan.* v, 20). Quare *verus Deus?* Quia verus Dei Filius. Si enim animalibus dedit ut non generent nisi quod sunt; homo hominem generat, canis canem, et Deus Deum non generat? Si ergo ejusdem substantiæ est, quare dicis minorem? An forte, quia homo pater quando generat filium, etsi homo hominem generat, tamen major minorem generat? Exspectemus ergo ut crescat Christus, quomodo crescunt homines quos generant homines. Si autem Christus ex quo natus est, quod non est a tempore, sed ab æternitate, quod est hoc est, et tamen minor est; melior est humana conditio : quia homo vel crescere potest, et aliquando venire habet ad ætatem patris sui, ad robur patris sui; ille, nunquam : quomodo verus filius (*a*)? Usque adeo autem Filium agnoscimus Deum magnum, ut Patri dicamus æqualem. Itaque sine causa nobis, quod valde profitemur, testimoniis et multiloquio probare voluisti. Dicit autem, *Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* xx, 17); attendens formam hominis in qua erat. Cæterum quantum attinet ad illud quod dixit Joannes, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Id.* i, 1); non est Pater Dei Deus, sed Deus est Christi, quia Christus factus est homo. Unde et ipse dicit in Psalmis, cur illi sit Pater Deus : *De ventre matris meæ Deus meus es tu* (*Psal.* xxi. 11). Quando dicit de ventre matris sibi illum esse Deum, ostendit propter hoc esse Deum Patrem Filio, quia homo est Filius, secundum quod Pater major est Filio. Unde dicit, *Deum meum et Deum vestrum.* Inde est et illa subjectio quam non debemus mirari secundum hominem redditam Patri, quando, sicut scriptum est, etiam parentibus subditus erat (*Luc.* ii, 51): et de illo scriptum est, *Minorasti eum paulo minus ab Angelis* (*Psal.* viii, 6). Vellem autem hoc etiam aliquibus Scripturarum testimoniis doceres nos, ubi legatur adorari Patrem a Spiritu sancto. A Filio autem accipio, etiamsi non proferas testimonia, quoniam homo adorat Deum [1] : admittitur facile, secundum hominem dictum, quamvis nec hoc legas. Tamen specialiter de te exigo, ut adoratum Patrem a Spiritu sancto legas nobis, aut commemores testimonium divinum : fortassis enim sit, sed me fugiat : ut si inveneris, respondeam quomodo id accipi debeat, sicut de gemitibus Scripturarum solemni locutione respondi. Quod autem dicis, quod per illam copulationem ineffabilem non sit unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus; vis nosse quantum valeat ista copulatio? Non ex locutionibus nostris, sed ex divinis eloquiis certe manifestum est, aliud esse spiritum hominis, aliud esse spiritum Dominum; unde dicitur, *Dominus spiritus est* [2] (II *Cor.* iii, 17), id est, quia corpus non est : et tamen ait Apostolus, *Qui adhæret meretrici, unum corpus est; qui autem adhæret Domino unus spiritus est* (I *Cor.* vi, 16, 17). Si ergo ista adhæsio diversarum naturarum spiritus (quia aliud est hominis, aliud Dei) fecit unum spiritum; non vis ut tantum adhæreat Patri Filius, ut sit unus Deus? Hoc accipe etiam de Spiritu sancto, qui Deus est. Cæterum si Deus Spiritus sanctus non esset, templum utique nos ipsos non haberet. Scriptum est quippe in Apostolo, *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* iii, 16)? Et iterum, *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (*Id.* vi, 19)? Nonne si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathemaremur a veritate Christi et ab Ecclesia Dei; quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo? Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicumque creaturæ, quomodo non est Deus verus cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus? Quomodo autem dixerit Christus, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* v, 26), superius respondi. Concordia autem et charitate, quia dicis [1] factum fuisse ut unum sint Pater et Filius; quando mihi protuleris dictum esse quod unum sint quæ sunt diversæ substantiæ, tunc cogitabo quid debeam respondere. Legimus enim, *Qui plantat et qui rigat unum sunt* (I *Cor.* iii, 8) : sed ambo homines erant, ejusdem substantiæ fuerant, non diversæ. Item leginus ipso Christo dicente, *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus* (*Joan.* xvii, 11). Non dixit, Ut ipsi et nos unum : sed, *Ut ipsi sint unum*, in natura sua et in substantia sua, concordi æqualitate quodam modo uniti atque conflati; sicut Pater et Filius et Spiritus sanctus unum, propter individuam eamdemque naturam. Aliud est enim, unum sunt [2]; aliud, unus est. Quando dicitur, Unum sunt; etsi non dicatur quid unum, intelligitur una substantia. Quando dicitur, Unus est, de duabus diversisque substantiis, necesse est ut quæratur quid unus. Verbi gratia, diversa substantia est anima et corpus, tamen unus homo : diversa substantia est spiritus hominis et spiritus Dei, tamen cum *Domino adhæret, unus spiritus est* (I *Cor.* vi, 17) : addidit, *spiritus;* non dixit, Unum sunt. Ubi autem dicitur, Unum sunt, una substantia significatur, quod vos non vultis, et audetis dicere verum Christum Dei Filium vos confiteri. Non autem ideo major est Pater, quia testimonium dicit de Filio. Nam et Prophetæ perhibuerunt Filio testimonium. Alius est quidem qui perhibet testimonium, alius cui perhibetur : quia Pater Pater est, Filius Filius est. Non quia unum non sunt, aut unus Deus non sunt, quando cohærentes atque conjuncti sunt, quod semper sunt. Sic autem dicis hinc inter Patrem et Filium esse diversitatem, quia Pater diligit et Filius diligitur; quasi negare possitis quod Filius diligat Patrem. Si ambo se invicem diligunt; cur negatis eos unius esse naturæ? Quod dixi de Patre unde dictus sit major, quia

[1] Sic Mss. At editi, *quoniam hic adorat Deum.*

[2] Editi, *Spiritum Dei : unde dicitur, Deus Spiritus est.* At Mss. *Spiritum Dominum;* ac subinde, *unde dicitur* (scilicet II Cor. cap. 3.) *Dominus Spiritus est.*

(*a*) Serm. 139, n. 3, tom. 5.

[1] Sola editio Lov., *qua dicit.*

[2] Hic Mss. addunt, *et aliud unum sumus.*

propter formam servi dictum est; hoc dico et de invisibilitate, quoniam visibilis Filius propter eamdem formam servi dictus est. Cæterum, quantum attinet ad ipsam divinam substantiam, vel Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti omnino est invisibilis. Nam quando se patribus divinitas ostendebat, per subjectam creaturam se invisibilem demonstrabat. Nam per ipsam suam naturam usque adeo invisibilis est, ut ipse Moyses ei cum quo facie ad faciem loquebatur, diceret : *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifeste* (*Exod.* xxxiii, 11, 13). Volebat enim eum videre, sicut videtur Deus oculis cordis. *Beati* enim *mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Sic volebat videre Moyses cum cui dicebat, *Ostende mihi temetipsum manifeste* : sicut et invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, conspiciuntur. Sic enim ait Apostolus : *Invisibilia enim ejus, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas* (*Rom.* i, 20). Ecce intelligendo conspiciuntur invisibilia Dei, et tamen invisibilia dicuntur. Et omnia per ipsum facta sunt Christum (*Joan.* i, 3), et visibilia et invisibilia, et ipse a nobis credi visibilis potest? Hinc etiam dicis de Patre tantum intelligi debere quod ait Apostolus, *Soli sapienti Deo* (*Rom.* xvi, 27). Ergo solus est Pater Deus sapiens, et non est sapiens ipsa Dei Sapientia, quod est Christus; de quo ait Apostolus : *Christum Dei Virtutem et Dei Sapientiam* (I *Cor.* i, 24)! Superest ut dicatis (quid enim non audetis?) insipientem esse Sapientiam Dei. Sic autem dicis Patrem infectum, quasi Filius factus sit, per quem facta sunt omnia. Scito factum esse Filium, sed in forma servi. Nam in forma Dei usque adeo non est factus, ut per illum facta sint omnia. Si enim ipse factus est, non per illum sunt omnia facta, sed cætera. Non itaque dico Filium ingenitum; sed Patrem genitorem, Filium genitum. Hoc tamen genuit Pater quod est : alioquin non est verus Filius, si quod est Pater, non est Filius; sicut de partubus animalium supra diximus; quia veri filii hoc sunt per substantiam quod parentes. Quid est autem quod poscis, ut ostendam tibi æqualem Patri Spiritum sanctum esse, quasi tu ostenderis Patrem majorem esse Spiritu sancto; sicut potuisti ostendere de Filio, propter formam servi? Scimus enim dictum esse Patrem Filio majorem esse, quia in forma servi erat Filius; et adhuc in forma est humana Filius, quam levavit in cœlum : propterea dictum est de illo quod et nunc *interpellat pro nobis* (*Rom.* viii, 34). Et sempiterna erit in regno hæc eadem forma immortalis : propter quod dictum est, *Tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia* (I *Cor.* xv, 28). Nam de Spiritu sancto qui nullam suscepit creaturam ad unitatem personæ suæ, quamvis se per subjectam creaturam visibiliter et ipse, sive per columbæ speciem, sive per linguas igneas sit demonstrare dignatus (*Matth.* iii, 16, *et Act.* ii, 3), nunquam dictus est eo major Pater; nunquam dictus est Spiritus sanctus adorasse Patrem, nunquam dictus est minor Patre. Sed dicis de Filio, *Si æqualis esset, utique talis:* id est, ut quia non est ingenitus, non videatur talis. Posses dicere non esse hominem quem genuit Adam, quia ipse Adam non est genitus, sed factus a Deo. Si autem potuit Adam esse [1], et non esse genitus, et tamen hoc generare quod erat ipse, non vis ut potuerit Deus Deum æqualem sibi? Puto me tibi ad omnia respondisse. Sed si non vis esse discipulus, noli esse multiloquus.

1. Max. dixit : Loqueris quasi auxilio principum munitus, nihil secundum timorem Dei. Longas horas sustinui, exposuisti ut tibi visum est. Respondemus Deo auxiliante ad omnia. Nec enim nudo sermone, sed testimoniis divinarum Scripturarum muniti. Tantum sicut nos patientes fuimus exponente tua Religione, et ipse cum tuis patientiam accommoda, ut ad singulos tuos sermones demus responsum, sicut et ipse ad nostros respondisti quod tibi placuit.

2. Nos Christum colimus ut Deum omnis creatura. Nam qui adoratur et colitur, non tantum ab hominum natura, verum etiam et ab omnibus Virtutibus cœlestibus, audi clamantem beatum Paulum : *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se parem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo : humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus eum superexaltavit, et donavit ei nomen quod est super omne nomen.* Illud utique quod tu in tuis prosecutionibus, sciens quod professioni tuæ erat contrarium, subducendum putasti, sciens quia lectio te argueret. Nam quod omne genu flectatur Christo, utique sic prosequitur ipse Paulus, cum dixisset, *Donavit illi nomen quod est super omne nomen :* sequitur, *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* ii, 5-11). Dicendo enim, *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum;* universa conclusit. Nihil est in cœlo quod non genu flectat Christo : nihil remansit in terra quod non genu flectat Christo : nihil in inferis quod non genu flectat Christo. Et hoc Pater ei donavit. Possunt enim probare qui legunt, si ex mea auctoritate vel ex multiloquio, ut accusas, hanc prosecutionem feci, aut certe de auctoritate divinarum Scripturarum respondeo.

3. Dicis Spiritum sanctum quod æqualis sit Filio. Da testimonia, ubi adoratur Spiritus sanctus, ubi ei cœlestia et terrestria et inferna genu flectant. Nos enim, quod adorandus sit Deus Pater, beato Paulo apostolo clamante didicimus : *Propterea flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur* (*Ephes.* iii, 14, 15). Auctoritate sanctarum Scripturarum adoramus Patrem : æque ab ipsis divinis Scripturis instructi, colimus et adoramus Deum Christum. Si

[1] Abest, *esse*, ab Er. M.

alicubi adorandus sit Spiritus sanctus : si Pater ei sic perhibuit testimonium, si Filius, si ipse de se ista amplexus est, lege præter quam dixímus ex divinis Scripturis.

4. Quod Christus est in dextera Dei, quod interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34), sic etiam in alio loco ipse prosequitur Paulus dicens : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Coloss.* III, 1). Sic ad Hebræos ipse scribens ait : *Purificatione peccatorum facta, consedit ad dexteram magnitudinis in excelsis* (*Hebr.* I, 3). Sic utique et Spiritus sanctus jam ante per prophetam præcinuerat, dicens : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis.* Sic et ipse Filius in Evangelio professus est (*Psal.* CIX, 1; *Matth.* XXII, 44). Præterea ad illum principem qui eum adjurans dicebat : *Dic nobis si tu es Christus Filius Dei benedicti :* ait ipse, *Ego sum ;* vel certe, *Tu dicis :* et, *Amodo videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei* (*Marc* XIV, 61, 62, *et Matth.* XXVI, 63, 64).

5. Nos enim Spiritum sanctum competenter honoramus ut doctorem, ut ducatorem [1], ut illuminatorem, ut sanctificatorem : Christum colimus ut creatorem : Patrem cum sincera devotione adoramus ut auctorem, quem et unum auctorem ubique omnibus pronuntiamus. Istæ enim calumniæ de philosophicæ artis instructione veniunt. Non puto te minus legisse [2] quod ait Apostolus : *Quoniam Christus utique cum non esset peccator, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (II *Cor.* V, 21). Nec hoc sane ad te forte pervenit, quod dixerit Scriptura [3], *Maledictus omnis qui pendet in ligno :* quod interpretans beatus apostolus Paulus dicit, *Factus pro nobis maledictum, ut benedictio in gentibus adimpleretur* (*Deut.* XXI, 23; *Galat.* III, 13). Nec hoc sane pervenit ad te, quod ait ipse Paulus : *Primus homo Adam de terra terrenus, secundus homo Dominus de cœlo cœlestis advenit* (I *Cor.* XV, 47). Ergo et Christus suscepit hominem, ut ipse exposuisti. Et ea de causa diximus quod ad terrena contagia descendit. Non enim ignoramus illum [4] secundum quod legimus, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius : qui cum malediceretur, non remaledicebat; cum pateretur, non comminabatur : commendabat autem se judicanti juste* [5] (I *Petr.* II, 22, 23), Nec hoc ignoramus quod ait Baptista Joannes : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* I, 29). Constat, ut et ipse prosecutus es. Nec enim ad omnia obstinati esse debemus, ut non quæ bene dicis laudemus. Valde enim justa est prosecutio tua, quia ob hoc venit Christus, ut nos potius a peccatis et ab iniquitatibus mundaret ; non tamen ut ipse contaminaretur, sicut et ipse prosecutus es. Certum est enim, quod secundum divinitatis suæ substantiam illam beatam, quam habuit ante mundi constitutionem, ante sæcula, ante tempora, ante dies, ante menses, ante annos, antequam quidquam esset [1], ante aliquam excogitationem, in illa beata natura Deus natus a Patre est [2].

6. In Deo enim comparatione digna uti decet. Hoc sane mihi displicet, et valde animo dolui in tua prosecutione : ut enim diceres quod homo hominem generat, et canis canem ; tam fœda comparatio in illam tantam immensitatem produci non debuit.

7. Quis autem ignorat quod Deus Deum genuit, quod Dominus Dominum genuit, quod Rex Regem genuit, quod Creator Creatorem genuit, quod bonus bonum genuit, quod sapiens sapientem genuit, quod clemens clementem genuit, potens potentem ? Nihil subtraxit Pater in generando Filium. Nec enim invidus, sed ut fons bonitatis tantum bonum genuit : cujus bonitatis testis est omnis creatura, secundum tuam ipsius prosecutionem, quam valde laudo, ubi de divinis Scripturis protulisti, dicendo : *Invisibilia enim ejus, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur ; sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas* (*Rom.* I, 20).

8. Adhuc autem adjicio, non contraria his quæ bene sunt dicta dicens, sed consensum accommodans : quoniam ex magnitudine pulchritudinis condigne Creator eorum cognoscitur atque colitur. Ut puto dedimus ad ista responsum ; quoniam hoc et beatus Paulus iterum prosequitur : *Quoniam chirographum quod erat contrarium nobis, ipsum tulit Christus de medio, affigens illud cruci ; et exuens se carnem, potestates et principatus transduxit fiducialiter, triumphans eos in semetipso* (*Coloss.* II, 14, 15). Attamen et sicut homo qui exercitationem liberalium litterarum vel rhetoricæ artis non feci, si quod vitium fecissem in sermone, ad sensum respicere debuisses, et non vitium sermonis intendens, in crimen nos inducere. Absit, absit : Unigenitus Deus, Deus est universæ creaturæ, mundus, incoinquinatus, sanctus, securus, nullam in se habens immunditiam. Nam *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* (*Joan.* V, 23). Quod enim *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, evangelista testatur : *Et vidimus*, ait, *gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Id.* I, 14). De hoc ipso et ante jam Vetus Testamentum præcinuerat [3], dicens, *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ opertorium suum* (*Gen.* XLIX, 11). Quod lego, credo : quoniam *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Iterum lego beatum Paulum dixisse : *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, conforme fieri imagini corporis gloriæ suæ* (*Philipp.* III, 21. Credo enim quod Christus Deus a Patre genitus, ante omnia sæcula, ipse sibi secundum Salomonem perfectam [4] ædificasset domum, secundum

[1] Sola editio Lov., *ductorem.*
[2] Er. Lugd. et Ven.: *Non puto te legisse.* Lov.: *Nam puto te legisse.* M.
[3] Er. Lugd. et Ven. Lov., *dixerat Scriptura.* M.
[4] Sic Mss. Editi vero, *illud.*
[5] Am. et Lov., *se judicanti injuste.* At Er. et potiores Mss. *juste.*

[1] In Mss., *ante ut quidquid esset.*
[2] Plerique Mss., *tantus a Patre est.* Corbeiensis correctus, *tantum.*
[3] Veteres codices hic et supra, col. 725, n. 4, *præcanuerat.*
[4] Am. Er. et Mss., *prophetam.*

quod legimus, *Sapientia ipsa sibi ædificavit domum* (*Prov.* IX, 1) : quam domum vice templi accepit.

9. Nam et ipse dedisti rationem, secundum quid sit visibilis, secundum quid invisibilis : ut puto non recens hæc auditio pervenit ad aures tuæ Religionis. Nam et in prosecutione quam prosecutus es, comparationem accipiens animæ, ostendisti piam et justam rationem esse ut credamus et cognoscamus, quia si anima humana in corpore posita, oculis corporalibus videri non potest; quanto magis Creator animæ corporalibus oculis videri non potest? Nam si Angeli secundum naturæ suæ substantiam invisibiles habentur; quanto magis Creator Angelorum, qui tanta ac talia fecit, Angelos, Archangelos, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, Cherubim, Seraphim? Ad quorum [1] multitudinem, ut legimus in Evangelio, omne genus humanum ad unam comparavit ovem, dicens : *Relictis nonaginta novem in montibus, venit quærere unam errantem.* Nam denique, *Sic erit gaudium*, ait, *in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam in nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV, 4, 7). Nam qui non indigent pœnitentia qui sunt, nisi utique illæ cœlestes virtutes, quibus nihil est cum humana natura commune? Consideranda est virtus Unigeniti Dei, et in ipso admiranda est magnitudo omnipotentiæ [2] Dei Patris, qui tantum ac talem genuit Filium, tam potentem, tam sapientem, sic plenum, qui tantas ac tales cœlestes virtutes fecit. Et ne verbosi inveniamur, sicuti jam et denotare nos dignatus es : quod quidem atque utinam contingat, ut et nos possimus dicere [3], *Nos stulti propter Christum*; et, *Tanquam purgamenta mundi hujus facti sumus* (I *Cor.* IV, 10, 13), et si quid aliud tua Religio de nobis voluerit judicare. Scimus illum qui dixit : *Quoniam propter te improperium sustinui tota die* (*Psal.* LXVIII, 8). Ad quod exemplum nos provocans Paulus, dicebat : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* IV, 16). Nam et Petrus ait : *Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21). Secundum divinitatis suæ substantiam, non solum ab hominibus non videtur Filius, sed etiam nec a cœlestibus virtutibus. Potest enim archangelus angelum [4] videre, angelus animas nostras spirituales et videre et penetrare : hoc est utique, majorem inferiores et videre et penetrare. Et secundum Salvatoris sententiam, ut dicebat tunc ad illum qui se divitem jactabat, *Stulte hac nocte exposulatur anima tua a te* [5] (*Luc.* XII, 20); est officium angeli, ut animam restituat ante conspectum Domini. Non tamen anima potest angelum videre, aut exhibere. Isto enim ordine ascende superius; et invenies quemadmodum est unus invisibilis Deus Pater, qui superiorem non habet a quo circumaspiciatur : qui quantus est, infinitus est; qui nec finiri verbis, nec mente concipi potest; de cujus magnitudine, non solum humana lingua, sed etiam et omnes cœlestes virtutes pariter coadunatæ dicunt ut valent, non tamen explicant ut est. Plenus est ab omni quod dicitur. Hunc enim solus Filius condigne honorat et laudat, quanto plus a suo genitore ante omnem excogitationem est consecutus. Nam quia et honorat et collaudat et glorificat suum genitorem, quamvis quatuor Evangelia testantur, attamen in compendium referens, eis quæ carni soletis applicare postpositis, jam nunc proferam testimonia, ubi in cœlis suum Patrem adorat. Dicit enim sic Paulus ad Hebræos : *Non enim in manufactis templis intravit Christus exemplarium veritatis; sed in ipso cœlo modo apparet personæ Dei pro nobis* (*Hebr.* IX, 24)? Hoc utique post Christi regressum in cœlis. Posteaquam enim de cœlo locutus est, dicens, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Posteaquam Spiritus sanctus ait, *Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ministerii quo vocavi eos* (*Id.* XIII, 2) : vocatus Paulus dicit, *Non in manufactis templis intravit Jesus exemplarium veritatis, sed in ipso cœlo modo apparet personæ Dei pro nobis.* Et quia suggessit Religio tua, ut ad hoc demus responsum, si Filius videat Patrem; legimus in Evangelio : *Non quia vidit Patrem quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem* (*Joan.* VI, 46). Vidit ergo Patrem, sed vidit incapabilem. Pater autem sic videt Filium, ut tenens in sinu suo et habens, secundum antelatum testimonium, quod *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse narravit* (*Id.* I, 18). Videt enim Pater Filium ut Filium : Filius videt Patrem ut Patrem immensum. Humanam sapientiam invisibilem pronuntiat tua Religiositas : ut puto sufficit Isaiæ dictum dicentis, *Numquid modicum est vobis certamen præstare hominibus? Et quomodo Domino præstabitis certamen* (*Isai.* VII, 13)? Certum est autem quia non est modicum hominibus certamen præstare, cum quando quamvis sit ille quisque sapiens, habeat sapientiorem qui eum videat. Deinde hujus enim sapientia non in opere ejus perspicitur? non in discipulis probatur? Non ergo invisibilis est humana sapientia, quæ comprehendi potest, quæ videtur, quæ et reprehenditur. De cætero autem decet et ordinis est, dignis te uti comparationibus; quia de Deo loqueris, de illa immensitate; cui etsi comparatio detur, quantum fieri potest secundum excogitatum humanum, aut certe secundum auctoritatem divinarum Scripturarum, non per omnia comparatio ulla digna invenitur ad illum, qui est incomparabilis.

10. Ego Patrem solum secundum antelata testimonia, non cum altero et tertio dico quod unus est, sed quod solus unus est Deus. Si vero solus unus non est, pars est. Nec enim ex partibus compositum unum di-

[1] Editi iidem Am. Er. et Mss., *quarum*.
[2] Quidam Mss. omittunt, *omnipotentiæ*. Alii cum Am. et Er. ejus loco habent, *omnipotentis*.
[3] In B., *possumus dicere*. Er. Lugd. Ven. Lov., *possimus dicere*. M.
[4] In Mss., *archangelum*.
[5] Am. Er. et Mss, omittunt, *a te*.

eo Deum : sed ille quod est, virtus est ingenita simplex : Filius ante omnia sæcula et ipse virtus est genitus[1]. De hac sane virtute Filii beatus Apostolus dicebat : *Congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu* (I *Cor.* v, 4). Dico enim et profiteor quod nos sancta docent Evangelia. Et quia Spiritus sanctus et ipse sit virtus in sua proprietate : de quo Dominus testimonium perhibet, dicendo, *Vos autem sedete* (ad suos discipulos) *in civitate Jerusalem, quoadusque induamini virtute ab alto* (*Luc.* XXIV, 49).

11. Si ob hoc invisibilis Filius a te pronuntiatur, eo quod oculis humanis contemplari non possit ; cur non et cœlestes virtutes pariter invisibiles pronuntias, quando nec ipsæ obtutibus humanis videri possint ? Ego quidem testimonium protuli sine aliqua interpretatione verborum meorum, dicens : *Beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium* (I *Tim.* VI, 15). Si Scripturam recitavi, reprehendi non debui : sin vero perscrutaris sensum Scripturæ, reddo rationem.

12. Ait enim Apostolus, *Beatus et solus potens, Rex regum*. Solum dicit potentem Patrem, non quia Filius non sit potens. Audi igitur testimonium de Filio, ipsum Spiritum sanctum clamantem et dicentem, *Tollite portas, principes vestri*[2] ; *et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ*. Et sequitur : *Quis est iste rex gloriæ* ? Et responsum intellige : *Dominus fortis et potens* (*Psal.* XXIII, 7, 8). Quomodo non potens, cujus potentiam omnis prædicat creatura ?

13. Quomodo non sapiens, de quo Spiritus sanctus collaudans ejus sapientiam clamat et dicit : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24). Nam cum omnia per Christum sint facta, sine dubio illum Spiritus sanctus laudans dicebat, *Omnia in sapientia fecisti*. Et cum ita habeatur, requirendum est ergo quomodo beatus Paulus dicit, *Beatus et solus potens* ? Ut puto, ideo solum potentem dicit, quia solus est incomparabilis in sua potentia. De cujus incomparabilitate propheta admirans dicebat : *Deus, quis similis erit tibi* (*Psal.* LXXXII, 2) ? Vis nosse quod solus est potens ? Intuere Filium, admirans potentiam Filii. In ipso enim adverte, quia solus est potens, qui tam potentem genuit. Pater enim in illa immensa potentia potentem creatorem[3] genuit. Filius in sua illa a Patre accepta potentia, ut ipse ait, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Matth.* XI, 27), non creatorem creavit, sed creaturam constituit. Istam enim potentiam admirans Dei Patris, dicebat Paulus, *Beatus et solus potens*. Nam si et homo potens et verus, secundum quod de Job legimus, *Erat homo ille verus et justus Dei cultor* ; adhuc et regionem illius describens dicit, quod esset *potens et magnus inter omnes ex parte Orientis* (*Job* I, 1, 3) : quomodo ergo solus potens Pater ? Sed solum dicit ob hoc, quia nullus ei comparatur, quia solus est tantæ magnitudinis, tantæ potestatis, tantæ potentiæ. Pari modo et sapientem solum Patrem prædicat beatus Paulus apostolus dicens sic, *Soli sapienti Deo* (*Rom.* XVI, 27). Sed requirenda est ratio, quemadmodum solus sapiens : non quod Christus non sit sapiens. Jam protulisti Christum *Dei Virtutem et Dei Sapientiam* (I *Cor.* I, 24) : dedimus et nos testimonia, quod omnia in sapientia condidit. Sed vere solus sapiens Pater. Credimus Scripturis, et veneramur ipsas Scripturas divinas : et neque apicem unum præterire optamus, timentes periculum quod in ipsis divinis Scripturis est positum : *Væ detrahentibus aut addentibus* (*Deut.* IV, 2) ! Vis scire quanta est sapientia Patris ? Intuere Filium, et videbis sapientiam Patris. Et ea de causa ipse Christus dicebat, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9) : hoc est, in me ejus videt sapientiam, ejus laudat virtutem ; illum glorificat, qui me tantum ac talem genuit ante omnia sæcula, unus unum, solus solum. Non quærens materiam unde faceret, non in auxilio aliquem accipiens, sed ut novit ipse sua virtute et sapientia genuit Filium. Non, ut calumniam facientes dicitis, quoniam sicuti alia creatura ex nihilo facta est, ita et profitemur quod ex nihilo quasi unus de creaturis sit factus. Quod quidem audi auctoritatem synodicæ lectionis, quia in Arimino patres nostri inter cætera et hoc dixerunt : *Si quis ex nihilo Filium dicit, et non ex Deo Patre, anathema sit*. Si vis, sane testimonia profero. Ait enim sic beatus apostolus Joannes : *Qui diligit genitorem, diligit et eum qui ex eo natus est* (I *Joan.* V, 1).

14. Miror namque, charissime. Cum enim et Spiritum sanctum de substantia Patris esse dicatis, si Filius ex substantia Dei Patris est, de subst ntia Patris et Spiritus sanctus, cur unus Filius est, et alius non est filius ? Quid vobis deliquit, cum ex eadem sit substantia, cum æqualis sit Filio, ut dicis ; quare enim non et ipse hæres omnium constitutus ; quare non et ipse filius ? quare non et ipse eo vocabulo vocatur quo et Christus, *Primogenitus omnis creaturæ* (*Coloss* I, 15) ? Aut si æqualis, jam non unus unigenitus, habens et alterum secum genitum, et præterea ex eadem substantia Patris, unde et Filium dicitis esse. Quod quidem et doloris est audire. Non enim ad animæ ingenuitatem comparatis illam tantam magnificentiam, sed ad fragilitatem corporis. De corpore utique nascitur caro, corporalis filius : non tamen anima de anima nascitur. Si ergo nostra anima incorruptibiliter generat et impassibiliter, nullam sentiens diminutionem, non inquinationem aliquam ; sed legitime secundum jura divina generat filium, sapientia consensum[1] accommodans corpori ipsa integra manet : quanto magis omnipotens Deus ? jam et paulo ante dixi, ad quem omnis comparatio humana sileat, tamen ut vâlemus dicere conamur, quanto magis Deus Pater incorruptibilis incorruptibiliter genuit Filium ? Genuit autem : cautionem meam tene, utique habens testimonia sanctarum Scripturarum : *Ge-*

[1] Alias, *genita*.
[2] Editi *vestrus*. At Mss., *vestri*. Et sic Augustinus, Enarr. in eumdem psalmum 23.
[3] sola editio Lov. omittit, *creatorem*.

[1] Am., *filium sapientiam*. — Lov., *et sapientia*. Vide librum secundum contra Maximinum, cap. 14. Er., *generatum filium, sapientium consensu*. Lugd. Ven., *generat filium sapientiam consensu*. Alias, *et sapientiam consensum*. M.

nerationem ejus quis enarrabit (*Isai.* LIII, 8) ? Genuit ut voluit, ut potens [1], nihil subtrahens, nulla invidia intercipiente potentem genuit. Dixi, religiosis non decet calumniam facere : ego Verbum Dei, Verbum Dei profiteor, non mortale, non corruptibile. Siquidem corpus quod suscepit pro salute nostra, clamat de illo Scriptura, *Requiescet caro mea in spe ;* hoc est, resurrectionis spe : *quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 9). Si enim illud quod sanctum vocatum est Filius Dei, corruptionem non vidit, quia tertio utique die resurrexit a mortuis ; quanto magis divinitas, quæ suscepit corpus incorruptibilis manet ? Cur dicis quod non intelligis ? Si non tibi ad omnia responsum dedero, merito sine intellectu esse judicabor : si quominus tamen non est religionis injuriis appetere. Ego enim non solum Filii Dei sapientiam immortalem esse assero, sed etiam comprobabo quod et sanctorum Dei sapientia immortalis sit. Nam si et ipsi, hoc est, eorum corpora ad immortalitatem revocantur ; quanto magis eorum viva illa sapientia, quæ usque ad consummationem sæculi in omnibus credentibus floret, utique immortalis manet ? Licet in prolixitate sermonis prætermiserim de immortalitate omnipotentis Dei, de eo quod dixit beatus apostolus Paulus, *Qui solus habet immortalitatem* (I *Tim.* VI, 16) : attamen replicabo textum ; subsequar autem et interpretationem Deo favente et donante gratiam. Sic enim solus immortalitatem habere describitur, sicut et solus potens, sicuti et solus sapiens. Quis autem spiritualium hominum ignorat, quia anima humana immortalis est ? Præterea cum Salvatoris sit sententia, dicentis, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28), ut immortalem. Cum ergo anima sit immortalis, multo magis omnes cœlestes virtutes immortales esse conspicimus. Nam cum dicat Salvator, *Qui verbum meum custodit, mortem non videbit in æternum* (*Joan.* VIII, 51). Et si qui verbum Christi custodit, *mortem non videbit in æternum ;* quanto magis ille secundum divinitatis suæ potentiam immortalis est, cujus tantam vim habet verbum ? In eo autem quod dicit, *Qui solus habet immortalitatem* ; jam reddidimus rationem. Habet quidem Filius immortalitatem, sed accipiens a Patre. Habent et omnes virtutes cœlestes immortalitatem, sed accipientes per Filium, quia omnia per illum sunt. Pater autem vere solus habet immortalitatem, qui ipsam immortalitatem aliunde non est consecutus, qui genitorem non habet, qui originem non habet. Filius autem, ut ipse prosecutus es, quod ex Patre sit genitus. Sæpius æqualem Filium asseris Patri : cum ipse unigenitus Deus semper et in omnibus auctorem suum prædicet Patrem, a quo, ut paulo ante dixi, et vitam se consecutum hoc modo professus est, dicens, *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Id.* V, 26). Intuere igitur, quoniam et immortalitatem et incorruptibilitatem et inaccessibilitatem utique a Patre cum vita accepit. Pater autem habet in se vitam, non ab aliquo accipiens : et ideo vere *beatus et solus potens.* Quis semetipsum *exinanivit* (*Philipp.* II, 7) ? Pater aut Filius ? Quis cui per obedientiam festinavit placere, quam qui dicebat : *Ego quæ placita sunt ei facio semper* (*Joan.* VIII, 29) ? Quis est iste qui ad monumentum Lazari veniens dicebat : *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me ; et ego sciebam quia semper me audis, sed propter eos qui circumstant, dixi, ut credant quia tu me misisti* (*Id.* XI, 41, 42) ? Quis utique iste est, qui cum cæci nati oculos figuraret, dicentibus discipulis, *Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur ?* respondit, *Neque hic peccavit, neque parentes ejus ; sed ut manifestentur opera Dei in illo : me oportet operari opera ejus qui me misit* (*Id.* IX, 2 4) ? Iste est utique Filius charissimus Patri, qui et accipiens panes, non prius fregit, sed prius in cœlum respexit, et gratias egit suo genitori, et sic fregit et distribuit. Sic utique et in ipsa passione, imo magis proximus passioni, ut refert evangelista (*Matth.* XXVI, 26) : Etenim *Dominus Jesus in ea nocte qua tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit* (I *Cor.* XI, 23, 24). Hic est Filius, ut jam non obtundam eloquentia sermonis vel copia testimoniorum proferens plurima [1], sed per compendium finiam, qui usque ad passeris mortem sine permissione Patris nihil fieri, hoc modo prædicavit, dicens : *Nonne duo passeres asse veneunt ; et unus ex illis non cadet in terram sine voluntate Patris* (*Matth.* X, 29)? Hic sane et de sua potestate, quam accepit a Patre, dicebat : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc enim præceptum accepi a Patre meo* (*Joan.* X, 18). Si ita referunt Evangelia, teneatur. quod legimus : si quominus aliud aliquid forte, aut ut obliviosus minus dixi, reprehendar. Nec enim talis sum, ut emendationem non accipiam. Præterea cum episcopum præcipiat beatus apostolus Paulus docibilem esse (I *Tim.* III, 2) ; ille est autem docibilis, qui quotidie et discit et proficit docendo meliora : non respuimus, si quid melius dictum fuerit ; ad omnia sumus parati, quamvis injuriis afficiamur. Verumtamen ut non obstrepatur veritati, non nostram querimur injuriam, sed Dei gloriam prædicamus.

15. Certum est quod ait Apostolus, *Qui cum in forma Dei esset.* Quis enim negat Filium esse in forma Dei ? Quod enim sit Deus, quod sit Dominus, quod sit Rex, jam puto latius exposuimus. Et quia *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* hoc nos beatus apostolus Paulus instruit, quod ille non rapuit, nec nos dicimus ; sed quia *exinanivit semetipsum, factus obediens* Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 6-8), totis viribus prædicamus. Nos dicti sumus filii gratia, non natura hoc nati : ideo unigeni-

[1] Plures Mss., *voluit ut potens :* geminato scilicet verbo, *voluit.*

[1] Sic aliquot Mss. Alii vero quidam, *ut sancti non obtundam.... proferens plurima.* Editiones Am. et Er., *ut sanctum non obtundam eloquentia.... proferens plurima.* Lov., *ut jam non ob tantam eloquentiam sermonis, vel copiam testimoniorum proferam plurima.*

tus est Filius, quia quod est secundum divinitatis suæ naturam, hoc est natus Filius. Cui forte si ipse fratrem applicas, quia Spiritum sanctum parem atque æqualem asseris Filio; æque et de substantia Patris eum esse profiteris : si ita est, ergo jam non est unigenitus Filius, cum et aliter sit ex eadem substantia. Nos in Patrem Deum innatum, naturam non accepimus [1] : credimus quod ait Christus, *Spiritus est Deus* (*Joan.* IV, 24). Filius natus est, ut diximus : nos et verum Filium profitemur, et similem Patri non denegamus : præterea de divinis Scripturis instructi. Nam quia diversas accusamur dicere naturas, hoc scito, quod nos dicimus, quod Pater spiritus spiritum genuit [2] ante omnia sæcula, Deus Deum genuit : et cætera quæ jam superius dicta sunt. Verus innatus Pater verum genuit Filium. Sed cum dicit Dominus in Evangelio, *Ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (*Id.* XVII, 3); sic solum verum dicit Patrem, quomodo et solum bonum, et solum potentem, quomodo et solum sapientem. Ut puto nec ipse diabolus ausus est dicere quod Pater non perfectum genuit ante omnia Filium [3]. Non enim proficientem genuit. Homo enim, cujus et accepisti comparationem, si poterat perfectum mox generare filium, non parvulum generaret, qui coagmentatis annis tandem aliquando compleat sui genitoris voluntatem. Pater autem qui vere beatus est et solus potens, talem genuit Filium qualis et nunc est, qualis et permanet sine fine, non proficientem, sed perfectum : quique et perfectionem a suo genitore accepit, a quo et vitam consecutus est. Salvatoris est sententia, *In ore duorum aut trium testium constabit omne verbum* (*Matth.* XVIII, 16). Protulisti apostolicum testimonium, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est :* quod tuo arbitrio interpretatus es; æque et nos, ut sensimus, respondimus. In auditorum sane erit arbitrio, quid eligant alterum de duobus : aut certe secundum sequentiam lectionis Filium obedientem Patri approbent, qui *se exinanivit, formam accipiens servi ;* cui et Pater *donavit*, ut diximus, *nomen quod est super omne nomen :* an tuam quisque intelligat interpretationem.

16. *Ascendo ad Deum meum et ad Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17), Dominum propter formam servi dixisse, quam suscepit, asseris, ut puto, ut dicis : si ipse humilians se in corpore dum esset humano, quamvis devicta morte triumphato diabolo post resurrectionem suam, isto utitur sermone [4], dicens, *Ascendo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum :* ubi jam humilitas carnis necessaria non erat, ut dicis, propter Judæos : sed integra regula fidei tradebatur. Sicuti et in alio loco post resurrectionem suam, assumptis discipulis suis in montem Oliveti, dicebat : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra : euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII, 18-20). Et si Filius humilitatis gratia et non veritatis hoc dixit, cur ausus fuit Apostolus eadem repetere et dicere, *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ* (*Ephes.* I, 17)? Aut certe, *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi scit, qui est benedictus in sæcula* (II *Cor.* XI, 31)? Necnon, *Ut unanimes in uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi* (*Rom.* XV, 6)? adhuc autem aggregat et dicit, *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi* (II *Cor.* I, 3)? Cur sane et ante incarnationem Christi etiam Spiritus sanctus ad Filium dicebat. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus* (*Psal.* XLIV, 8)? Quam unctionem, quamvis argumentari volueris, probare non poteris in corpore factam : siquidem baptizatum legimus (*Matth.* III, 16), unctum autem non legimus in corpore. Sed ex ipsa lectione, cum dicat, *Propterea oleo lætitiæ unxit te præ consortibus tuis, Deus, Deus tuus :* utique ostenditur quoniam lætitiæ oleum pro vocabulo olei illam lætitiam designat, de qua dicebat per Salomonem, *Ego eram ad quem adgaudebat quotidie ; lætabar autem ante faciem ejus in omni tempore, cum lætaretur orbe perfecto, et lætaretur in filiis hominum* (*Prov.* VIII, 30, 31). In eo autem quod dicit, *Ego eram ad quem adgaudebat quotidie :* utique legitur in libro Geneseos, quoniam ad omnia opera Filii Pater, sicut legimus, *Et vidit Deus, et ecce omnia bona valde* (*Gen.* I, 31); laudans Filii sui opus, gaudebat et lætabatur in Filio : æque et Filius perfecta voluntate Patris lætabatur in conspectu sui genitoris. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* (II *Tim.* III, 16). Ob quam rem *non transibit iota unum vel unus apex* (*Matth.* V, 18). Dominus dixit, *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* (*Id.* XXIV, 35).

17. Constat quod in principio erat Filius, et apud Patrem erat, et Deus erat : et hic erat in principio apud Deum, ut primogenitus omnis creaturæ : et omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (Id. I, 1-3) : quod in Spiritus sancti persona suscipi non potest. Nec enim talia invenies referri ex divinis Scripturis, ut cum æqualem asseras Filio. Siquidem et Filius in principio erat : Pater vero ante principium et sine principio est, ut ingenitus et innatus. Erat autem in principio ut primogenitus omnis creaturæ (*Coloss.* I, 15). Ante omnem creaturam erat, antequam quidquid esset, et apud Deum erat, et Deus erat, et hic erat in principio apud Deum.

18. Quid, si audieris Patrem dicentem, *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3)? Ex ventre matris, quod nec Judæi diffidunt, natum profiteris secundum carnem. Et cur ista testimonia in medium non proferantur, quæ illam nativitatem demonstrant in principio, sicut et præcedens nos instruit testimonium? Si propter corpus in quo exinanivit semetipsum, *qui cum dives esset, propter nos pauper factus est*, ut ait Apostolus (II *Cor.* VIII, 9), debitorem se sentit suo genitori; multo

[1] Apud Lugd. Ven. Lov., *accipimus*. M.
[2] Apud Lov., *Spiritum filium genuit*.
[3] In eadem editione Lov., *ante omnia sæcula filium*.
[4] In Mss., *istos utitur sermones*. Sic in iisdem codicibus supra, col. 736, n. 6, et col. 728, n. 9, circa finem, *uti* cum accusativo jungit Maximinus.

magis qui illum tantum ac talem genuit, ei debitam venerationem et debitum obsequium, ut charissimus Filius necesse est ut semper offerat suo genitori. Optime prosecutus es dicens, quoniam et parentibus propter formam servi esset subjectus (*Luc.* II, 51). Si enim parentibus subjectus invenitur quos ipse creavit, quia omnia per ipsum sunt facta; nec enim post tempora, sed ante tempora novimus Filium genitum a Patre : si parentibus subditus, ut divinarum Scripturarum auctoritas hæc clarius prædicat; quanto magis utique illi suo genitori est subditus, qui tantum ac talem genuit, secundum quod ait apostolus Paulus, *Cum omnia fuerint Filio subjecta, tunc et ipse Filius subjectus erit illi qui sibi subjecit omnia* (I *Cor.* XV, 28)? Hoc vis ut et a nobis dicatur, quod corpori, imo magis dispensationi, quam pro nostra salute suscepit, omnia subjecta profiteamur : revera et corpus Patri subjectum, non Filium ipsum unigenitum Deum. Nos enim scimus et credimus quod *Pater judicat neminem, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant et Patrem* (*Joan.* V, 22, 23). Hoc enim profitemur, quia et in resurrectione, cum omnia fuerint Filio subjecta, cum omnes eum honorant, et venerantur, et adorant, nec tunc sane Filius extollit se : sed etiam cum omnibus sibi subjectis subditus Patri hoc modo invenitur, ut dicat, *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34).

19. Jam dictum est quod et ipse pro tuo arbitrio secundum sensum tuum visus es alienare. Stat tamen apostolicum dictum, quia *sicut oportet, orare nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et quia argumento visus es obstrepere dicens, Ergo tam miserabilis est Spiritus sanctus, ut gemat? Nos enim non miserabilem Spiritum sanctum dicimus, siquidem ex ipsa lectione gloria Spiritus sancti ostenditur, quia non pro se gemit : sed audi lectionem [1], quia *pro sanctis* (*Rom.* VIII, 26, 27). Siquidem nec Filius pro se, sed pro nobis utique postulat et interpellat, sicut jam protuli in præcedenti. *Qui in modico fidelis est, et in majus fidelis invenitur* (*Luc.* XVI, 10).

20. Nec enim aliter asseri potest quod Pater et Filius unum sint, nisi hoc sane modo quo tu ipse et nos probare possumus his ipsis exemplis quibus usus es. Nam si, ut dicis, et Apostolus confirmat, *Qui adjungit se Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17); est utique unus spiritus in consensu implens voluntatem Dei, secundum Salvatoris magisterium : qui etiam hoc modo nos orare docuit, ut inter cætera precum nostrarum et hoc dicamus, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 10). Terra utique nos sumus. Sicut ergo in cœlestibus Dei fit voluntas, ut et in nobis hoc modo compleatur qui hoc oramus, et hoc factis adimpleamus; ut unus spiritus efficiamur cum Deo, quando hoc volumus quod Deus vult. Nam et ipse Filius passioni proximus, hoc ad suum genitorem utique clamabat dicens : *Abba, Pater, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (*Marc.* XIV, 36). Dicendo autem, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis;* ostendit vere suam voluntatem subjectam suo genitori, propter cujus voluntatem faciendam de cœlo descendit, ut ait : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI, 38). Consonans ergo et conveniens est Filii voluntas ad voluntatem Patris. In quantum major est Filius ut Deus ab omni creatura, in tantum magis consonans voluntati Patris invenitur, et magis adhæret suo genitori. Dico enim, adhæret suo genitori ut charissimus filius, in amore, et dilectione, et unanimitate, et consensu, et convenientia. Omnia quæ proferuntur a sanctis Scripturis, plena veneratione suscipere debemus. Nec enim in nostrum magisterium devenit divina Scriptura, ut a nobis emendationem accipiat. Atque utinam et digni inveniamur Scripturarum discipuli approbari!

21. Suscipio quæ protulisti, *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16)? Nec enim Deus inhabitat in homine, quem non ante Spiritus sanctus sanctificaverit atque purgaverit. Denique et ad Mariam illam beatam virginem dicebatur, *Spiritus sanctus superveniet in te :* utique ad sanctificandum et ad purgandum. Deinde sequitur, *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Altissimi autem virtus quod Christus sit, jam et ipse protulisti. Veritas non ex argumento colligitur, sed certis testimoniis comprobatur. Ob quam causam testimonia proferre debetis, quia Spiritus sanctus Deus est, quia Dominus est, quia Rex est, quia Creator est, quia factor est, quia consedet Patri et Filio, quia adoratur, si non a cœlestibus, vel certe a terrestribus, ut dicam, forte enim ostensurus es, quia vel ab infernis adoratur. Hæc enim dicimus, non derogantes Spiritui sancto. Est enim Spiritus sanctus, ut jam superius prosecuti sumus, sine quo *nemo potest dicere, Dominum Jesum* (I *Cor.* XII, 3). Iste est Spiritus sanctus *in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15). Iste est Spiritus sanctus tantus ac talis, *in quem etiam et Angeli prospicere concupiscunt* (I *Petr.* I, 12). Talis est, tam potens, ut ubique in omni creatura, sive in oriente, sive in occidente, quam etiam in septentrione et meridiano, quisquis eum adorat, non possit dicere, *Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* Talis est hujus natura, qui ubique præsens sit omnibus invocantibus Deum in veritate (*Psal.* CXLIV, 18). Tantus ac talis est, ut ubi quisque fuerit baptizatus, in eodem momento, etsi in oriente baptizetur, etsi in occidente, et ubi et ubi, adsit Spiritus sanctus. Intuere quanta est potentia Spiritus sancti. Si enim quis derogat Spiritui sancto, derogat utique unigenito Deo, per quem *omnia facta sunt, et sine* quo *factum est nihil* (*Joan.* I, 3) : sicut et *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui eum misit* (*Id.* V, 23).

22. Dicis quod non dixerit Salvator noster Christus, Ut ipsi et nos unum; sed, *Ut ipsi sint unum* in na-

[1] Sic plerique Mss. Alii vero, *sed aut dilectione.* Editi, *sed pro dilectione.*

tura sua et substantia sua, concordi æqualitate [1] quodam modo uniti atque conflati : et Pater et Filius et Spiritus sanctus, unum propter individuam eamdemque naturam. Recito lectionem, quam legentes possunt probare quid Christus dixerit. Sic enim ait in Evangelio, Patrem suum orans pro discipulis : *Pater, fac illos unum, sicut et nos unum sumus : sicut ego in te et tu in me, ut et illi in nobis unum sint ; ut cognoscat hic mundus quoniam tu me misisti, et dilexisti illos sicut me dilexisti* (*Joan.* XVII, 21-23). Quod lego, credo : dilectionis fecit mentionem, et non substantiæ. Certum est autem ipsum Salvatorem dixisse, *Qui audit mandata mea, et custodit ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam illum ; et veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Id.* XIV, 21, 23). Si enim tanta illa sublimitas atque majestas Patris, necnon etiam Filii, intra unam ædiculam mentis nostræ recipitur ; quanto magis utique Filius certum est et sine dubio quod erit in Patre ? Ita tamen ut Filius, ut alius a Patre : qui quidem, ut ipse exposuisti [a], unum sunt, Pater et Filius ; non tamen unus : unum ad concordiam pertinet, unus ad numerum singularitatis. Nam et Pauli beati testimonium protulisti, quod libenti animo suscepimus : siquidem firmum genus est veritatis, quod ab ipsis etiam contradicentibus promitur. Recitasti enim Paulum dixisse, *Ego plantavi, Apollo rigavit ; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat Deus. Qui plantat autem et qui rigat unum sunt ; unusquisque autem suam mercedem accipiet secundum suum laborem* (I *Cor.* III, 6-8). Adverte igitur, quia licet unum sint concordia, attamen *unusquisque suam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Intuere ergo et illud quod Dominus ait, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30) : quod certa fide a nobis creditur et suscipitur. Qui dicit, *Ego* ; Filius est : qui dicit, *et Pater* ; alterum Patrem ostendit. *Unum* ait ; non, unus. Sæpius dictum est quia unum ad concordiam pertinet. Quomodo non unum Pater et Filius, cum quando clamat Filius, *Ego quæ placita sunt Patri facio semper* (*Id.* VIII, 29) ? Tunc demum non esset unum cum Patre, si contraria Patri faceret aliquando. Sic autem et Apostoli unum sunt cum Patre et Filio, in eo quod in omnibus ad voluntatem Dei Patris respicientes, ad imitationem Filii subditi sui Deo Patri et ipsi inveniuntur (*a*). Et non tantum pro Apostolis legimus Salvatorem orasse, ut unum sint, sed etiam pro credituris per verbum illorum, dicens : *Non solum pro his rogo ; sed et pro credituris per verbum illorum in me : ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et illi in nobis unum sint ; ut cognoscat hic mundus quia tu me misisti, et dilexisti illos sicut me dilexisti.* Dilectionis fecit, ut diximus, mentionem, et non divinitatis. Quis autem ignorat quod Paulus, Paulus est ; et Apollo, Apollo est : cum quando dicat ipse Paulus, *Plus omnibus illis laboravi ; non ego autem, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10) ? Nam qui plus laborat, plus consequitur. Verumtamen unum sunt, in consensu, in convenientia, in dilectione ; quando id faciunt quod Deus vult.

23. Dicis quod unus est Deus. Astrue, si Pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus, an solus Pater unus Deus dicendus est, cujus Filius Christus noster est Deus. Judaico more hortaris nos profiteri unum Deum ? An de subjectione Filii potius, secundum quod habet fides christiana, ostenditur unus esse Deus, cujus filius noster est Deus, ut diximus ? Nam quia Pater et Filius non est unus, vel Paulo crede dicenti, quod per singulas fere Epistolas pronuntiat, dicens : *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo* (*Rom.* I, 7 ; I *Cor.* I, 3 ; II *Cor.* I, 2 ; *Galat.* I, 3, *et Ephes.* I, 2). Adhuc autem : *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos in ipso* [1] (I *Cor.* VIII, 6). Iste est qui a nobis Christianis unus Deus prædicatur, quem Filius unum pronuntiat bonum, dicens : *Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Marc.* X, 18). Non quod Christus non sit bonus : ipse enim ait, *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* X, 11). Non quod Spiritus sanctus non sit bonus : audi prophetam clamantem, *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam* (*Psal.* CXLII, 10). Audi autem adhuc Salvatoris testimonium dicentis, *Bonus homo de thesauro cordis sui profert bona* (*Luc.* VI, 45). Necnon etiam et omnis creatura Dei bona valde. Si creatura bona, si homo bonus, si Spiritus sanctus bonus, si Christus bonus, quemadmodum unus bonus requirendum est. Quia utique sic ait Salvator, *Nemo bonus, nisi unus Deus :* eo quod ipse est fons bonitatis, qui quod est bonus, a nemine accepit. Nam et Christus quod est bonus, a suo genitore est ut sit bonus ; et omnis creatura Dei bona, per Christum accepit ut esset bona. Sed sive Filius, sive qui per illum sunt facti, de illo uno fonte bonitatis unusquisque secundum mensuram fidei suæ assumpserunt ut essent boni. Pater autem unus, quod est bonus, a nemine accepit. Et ideo ait Christus, *Nemo est bonus, nisi unus.* Sic ergo unus est Deus, quia unus est incomparabilis, quia unus est immensus, ut jam summus prosecuti.

24. Non denegamus quod Filius diligat Patrem, cum quando et scriptum legimus : *Ut sciat hic mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio* (*Joan.* XIV, 31). Constat Filium et diligi et diligere, et mandatum Patris, ut ipse asserit, implere. Et ideo unum sunt, secundum quod ait, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30). Nam in eo quod dicit, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Id.* XIV, 9) ; certa fide credendum est quia qui videt Filium, per Filium videt et intelligit Patrem.

25. Propter formam servi, majorem Patrem profes-

[1] Alquot Mss., *concordia, æqualitate.* Quidam, *concordiæ æqualitate.*

[2] Er. Lugd. et Lov., *quod quidem exposuisti.* Ven., *quod quid est exposuisti.* M.

(a) Vide Augustini serm. 140, n. 4, tom. 5.

[1] Editi, *per ipsum.* At Mss., *in ipso :* et sic locum a Maximino minus recte prolatum notat Augustinus in libro 2, cap. 23, n. 3.

sus es : quod mihi nimium stultum esse videtur. Scimus enim, quod et ipse protulisti, in forma servi etiam eum Angelis minorem factum. Nec enim satis in gloriam Dei profusus es [1], qui ad formam servi majorem Patrem profiteris. Ad formam servi et Angeli majores sunt. Nec enim ad hoc venit Christus, ut nos instrueret quod ad formam servi major est Pater : sed ideo Veritas ad nos venit, ut utique doceret nos, atque instrueret, quod Pater Filio major est, et hoc Filio qui magnus est Deus. Nos enim sic glorificamus Patrem, ut magno Deo majorem illum profiteamur, ut alto sublimiorem annuntiemus. An vero iste est debitus honor Dei, ut forma servili major sit Pater, tu videris.

26. Dicis quod se divinitas patribus ostendit : et paulo ante prosecutus es, quod utique divinitas sit invisibilis. Ostendit se sane, non Pater, qui invisibilis est : ne si dicamus Patrem visum fuisse, Apostolum reddamus mendacem, qui ait, *Quem vidit hominum nemo, neque videre potest* (I *Tim.* VI, 16). Et non solum invenimur Novo resistere Testamento, verum etiam et Veteri pari modo contrarii invenimur. Denique sic ait Moyses : *Non potest quisque Deum videre et vivere* (*Exod.* XXXIII, 20). Ipse sane Moyses descripsit in libro Geneseos, quod ab illo primo homine Adam usque ad ipsam incarnationem semper Filius visus est. Nam si testimonia quæris, utique habes positum Patrem ad Filium dicentem : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Sequitur ; *Et fecit Deus hominem* (*Gen.* I, 26, 27). Quis utique *Deus*, nisi Filius? Hoc utique et tu in tuis tractatibus exposuisti. Iste ergo Filius qui est propheta sui genitoris, qui et dicebat, *Non est bonum solum esse hominem; faciamus ei adjutorium secundum se* (*Id.* II, 18) : iste Filius Adæ est visus, secundum quod legimus Adam dicentem, *Vocem tuam audivi ambulantis in paradiso, et abscondi me, quia nudus eram.* Habes utique quod Deus dixit ei, *Et quis tibi indicavit quia nudus eras, nisi de ligno de quo præceperam tibi ne manducares, ex eo manducasti* (*Id.* III, 10, 11)? Hic Deus et Abrahæ visus est (*Id.* XVIII, 1) : et quia Filius visus est Abrahæ, si vis credere, utique ipse unigenitus Deus in sancto affirmavit Evangelio, dicens sic : *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56). Hic etiam Filius a Jacob visus est, qui in figura qua erat venturus, id est, hominis, ante præmeditatus colluctasse cum Jacob invenitur. Unde et Jacob dicebat : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Et loci ipsius vocabulum nuncupatum est, *Visio Dei.* Hoc ipsum affirmans utique Deus, qui in præmeditatione colluctabatur cum Jacob, quod in passione Christi impletum videmus. Ait enim ad ipsum Jacob, *Jam non vocabitur nomen tuum Jacob, sed Israel erit nomen tuum* (*Gen.* XXXII, 23-30), hoc est, Homo videns Deum. Hunc et in Novo Testamento visum probamus. De hoc Apostoli dicebant : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre* (*Joan.* I, 14). Cæterum si, ut ipse conaris, Pater visus esse asseratur, mendaces sunt apud vos [1] omnes Scripturæ. Nam denique invisibilem Patrem Paulus prædicat (I *Tim.* VI, 16), et Dominus in Evangelio affirmat (*Joan.* I, 18). Sæpius nos accusas, quod audenter atque præsumenter ea quæ non sunt dicenda a nobis dicantur, quod quidem in arbitrio erit legentium probare. Nec enim sic loquimur, ut alicujus laudem consequamur [2]; sed studio colligendæ fraternitatis, quæ nobiscum est [3] : aut ob quam forte et ipse provocare nos dignatus es, ut responsum demus, ut in nobis illi denotati sic tuæ consentiant, ut dixerim, professioni, necesse fuit me propter timorem Dei dare tibi responsum. Siquidem non tantum verbis me nudare conatus es a discipulatu eorum ; verum etiam et tractatum tuum dedisti, ad quod necesse est me respondere ea quæ de invisibilitate omnipotentis Dei prosecutus sum. Etiam et ipse, licet alio proposito [4], attamen tuis verbis affirmasti, quod Spiritus sanctus in specie columbæ sit visus, necnon in specie ignis (*Matth.* III, 16, *et Act.* II, 3) : Filius sane, in forma hominis : Pater autem, neque in specie columbæ, nec in forma hominis ; nec aliquando vertit se in formas, sed nec aliquando vertetur : de quo scriptum est, *Ego sum qui sum, et non sum mutatus* (*Exod.* III, 14, *et Malach.* III, 6). Filius sane in forma Dei constitutus jam, ut ipse protulisti, formam servi accepit, quod non Pater : Spiritus æque sanctus susceptit speciem columbæ, quam non suscepit Pater. Scito ergo, quia unus est invisibilis, unus etiam incapabilis atque immensus. Oro et opto discipulus esse divinarum Scripturarum : nam et superius credo retinere Religionem tuam, quod sic dedi responsum, quia si protuleris quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unam habeant virtutem, unam substantiam, unam deitatem, unam majestatem, unam gloriam ; si affirmaveris de divinis Scripturis, si alicubi scriptam lectionem protuleris, nos divinarum Scripturarum optamus inveniri discipuli.

Maximinus episcopus subscripsi [5].

Et post collationem præsentium Augustinus ista dictavit : Auxilio principum munitam me loqui dixisti, non secundum timorem Dei : sed hominibus, quibus donat Deus intellectum, satis apparet quis loquatur secundum timorem Dei ; utrum qui obedienter audit Dominum dicentem, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4) ; quod nos et obtemperanter audimus, et fideliter prædicamus : an ille qui hoc sic audire non vult, ut duos dominos duos deos esse contendat ; atque ita introducendo duos deos et duos dominos, ostendat se non timere unum Dominum Deum dicentem, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* Scis autem sermonem tuum prolixissimum occupasse nobis tempora quibus responsum dare possemus, et tantum diei remansisse, quantum omnino non sufficeret, ut ea quæ dixisti,

[1] Apud Er. Lugd. Ven., *provectus es.* M.

[1] Editi, *apud nos.*
[2] Mss., *ut a tuis laudem consequamur.*
[3] Am. et Er., *quæ vobiscum est.*
[4] Apud Lov. hic additum erat, *occupatus.*
[5] Sola editio Lov., *subscripsit.*

saltem nobis relegerentur. Noveris tamen omnia quæ protulisti, ut probares Deum esse Filium Dei, et magnum Deum, et natum esse ex Patre, et alium esse ipsum et alium esse Patrem, quoniam non est Pater ipse qui Filius, ad ingentes moras pertinuisse, quibus necessarium tempus absumeres : quasi nobis aba te probandum esset, quod et nos esse verum fatemur. Non enim dicimus ipsum esse Patrem qui est Filius, aut ipsum esse Patrem vel Filium qui est in ipsa Trinitate Spiritus sanctus. Prorsus alius est ille, alius ille, et alius ille : sed simul omnes unus est Dominus Deus. Si enim dixerimus duos esse dominos deos ; unum magnum, alterum majorem ; unum bonum, alterum meliorem ; unum sapientem, alterum sapientiorem ; unum clementem, alterum clementiorem ; unum potentem, alterum potentiorem ; unum invisibilem, alterum invisibiliorem ; unum verum, alterum veriorem ; et si quid aliud isto modo te sentire monstrasti, ut duos dominos deos nos habere suaderes : si hoc ergo dixerimus, arguet nos ipse Deus, dicens, quod jam commemoravi, *Audi, Israel ; Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* Tanquam dicat nobis : *Filii hominum, usquequo graves corde? utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* (*Psal.* IV, 3)? Utquid vobis facitis duos dominos deos? quare me clamantem, *Audi, Israel*, non vultis audire, *Dominus Deus tuus, Dominus unus est ;* sed contra me clamatis, Domini dii nostri domini duo sunt ? Numquid hoc faceretis, si Israel esse velletis? Cum hoc ergo nomen interpretetur, Homo videns Deum ; rogo te, da veniam, si tu non vis, ego volo esse Israel. Volo quippe in eorum consortio computari, quibus donatur videre Deum. Et gratias illi agimus, quia facit nos videre *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, sicut Apostolus dicit (I *Cor.* XIII, 12). Videmus itaque donante ipso, etsi adhuc per speculum in ænigmate, tamen videmus, quomodo inter se non sint duo ista contraria, ut et alius Pater sit, alius Filius, alius Spiritus sanctus, et tamen hi tres simul unus sit Dominus Deus. Egi, sicut potui, ut hoc etiam tu videres : sed resistere maluisti, quia Israel esse noluisti. Sed si hoc videre adhuc forsitan non potes, crede et videbis. Intelligendo enim videntur ista non oculis carnis intuendo. Et scis utique dixisse prophetam, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9). Cum ergo audis, *Dominus Deus tuus, Dominus unus est ;* noli duos dominos deos facere, Patrem et Filium. Et cum audis, *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti quem habetis a Deo ;* et eodem loco [1] : *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi* (I *Cor.* VI, 19, 15) : cum ergo hæc audis, noli negare Deum esse Spiritum sanctum, ne templum creaturæ facias membra Creatoris. Prius crede istos tres, et in suis singulis personis tres esse, et tamen simul non tres dominos deos, sed unum Dominum Deum esse : et dabit credenti et oranti ipse Dominus intellectum, ut id quod credis, etiam videre, id est, intelligere merearis. Nam considera diligenter omnia, quæ prolixa disputatione dixisti, et videbis ex hoc errore descendere, quo facitis duos dominos deos, contra clarissimam vocem Domini Dei dicentis, *Dominus Deus tuus, Dominus unus est :* et negatis Deum Spiritum sanctum, cujus sanctum negare non potestis templum. Hæc interim post Collationem nostram, qua præsentes alternatim locuti sumus, te admonuisse sufficerit : si autem Dominus voluerit, quoniam longum est, et tu remeare festinas, prosecutiones nostras ante oculos eorum qui legere voluerint, quanta potero perspicuitate constituam, et te veris quidem testimoniis divinis, falsa tamen vestra dogmata probare voluisse, velis nolis, ostendam.

Et alia manu : Augustinus episcopus subscripsi.

Item alia manu, Maximinus : Cum explicueris hunc libellum, et ad me transmiseris, si non ad omnia responsum dedero, tunc ero culpabilis.

Explicuere Gesta. Contuli [2].

[1] In Mss., *et alio loco.*

[2] Lov., *Antonius vera Gesta contuli.* Am. et Er. post, *responsum dedero*, habent sic, *culpa explicuberis. Antonius Gesta contuli.* At veteres codices, *tunc ero culpabilis. Explicuere Gesta. Contuli.* Antiquissimus Corbeiensis, *Explic. vere Gesta contuli.* Et Mss. omnes carent nomine, *Augustinus.*

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA

MAXIMINUM HÆRETICUM

Arianorum Episcopum

LIBRI DUO [a].

LIBER PRIMUS [b].

Ostendit Augustinus, ea quæ in Collatione ipse dixit, Maximinum non potuisse refellere.

Disputationi Maximini Arianorum episcopi, cujus prolixitate spatium diei, quo præsentes conferebamus, absumpsit, responsionem debitam reddens, ad ipsum loqui utique debeo : sive adhuc existimet contradicendum esse cum legerit, sive Domino in ejus corde mirabiliter operante manifestatæ [1] consentiat veritati. Quid tibi visum est, homo ariane, tam multa dicere, et pro causa quæ inter nos agitur nihil dicere, quasi hoc sit respondere posse, quod est tacere non posse? Prius itaque ostendam refellere te non potuisse quæ dixi : deinde, quantum necessarium videbitur, ego refellam quæ ipse dixisti.

CAPUT PRIMUM. — *De duobus diis.* De duobus diis quæ ipse dixisti, ego certe respondens verbis tuis, ubi aisti a vobis unum Deum coli : *Consequens est*, inquam, *ut aut non colatis Christum, aut non unum Deum colatis, sed duos.* Ad hoc tu respondere conatus, multum quidem locutus es, asserens quod et Christum Deum colatis : sed duos deos a vobis coli quamvis non negaveris, tamen non ausus es confiteri. Sensisti enim, duos esse deos colendos, christianas aures ferre non posse. O quam de proximo te corrigeres, si timeres credere quod dicere timuisti! Cum enim clamet [2] Apostolus, *Corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 10); si ad justitiam putas pertinere quod credis, cur hoc ad salutem etiam ore non confiteris? Si autem duos deos colendos ad salutem non pertinet confiteri, sine dubio nec ad justitiam pertinet credere. Qui ergo non vis tali confessione reum teneri os tuum, quare non mundas a tali credulitate cor tuum? Tene cum Catholica fidem rectam, non te pudeat emendare perversam. Tene cum Catholica, Patrem quidem non esse qui Filius est, et Filium non esse qui Pater est; et Deum esse Patrem, Deum esse Filium : verumtamen ambos simul non duos deos esse, sed unum. Isto modo solo fiet ut et Patrem colas et Filium, nec tamen duos deos esse colendos dicas, sed unum, ne reatu impietatis tua conscientia compungatur, quando sonuerint in auribus tuis dicta divina, quia *Nullus Deus, nisi unus* (I *Cor.* VIII, 4); et, *Audi Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est :* et quando audis, *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies* (*Deut.* VI, 4, 13); securus possis, non soli Patri, sed etiam Filio ea quæ uni Deo debetur servitute servire. Memento ergo te non respondisse ad illud quod objeceram, non a vobis coli unum Deum, sed duos.

CAPUT II. — *De humanis contagiis.* Secundo loco egi tecum de verbis tuis, ubi dixeras, *Deum Patrem ad humana non descendisse contagia;* quasi Christus illa in carne perpessus sit : et admonui, quomodo contagium intelligi soleat, non utique nisi in aliquo vitio, a quibus omnibus immunem novimus Christum. Nec ad hoc quidquam respondere potuisti. Testimonia quippe divina, quæ abs te commemorata sunt, nihil te adjuvare potuerunt : non enim eis probare potuisti humano Christum attaminatum esse contagio. Quod enim Apostolum dixisse commemoras, *Quoniam Christus cum peccator non esset, peccatum pro nobis fecit :* lege diligentius, et ne forte mendosum incurreris codicem, aut latinus interpres erraverit, græcum inspice; et invenies non Christum pro nobis fecisse peccatum, sed a Patre Deo ipsum Christum factum esse peccatum, id est, sacrificium pro peccato. Ait enim Apostolus : *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* [1] *: eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (II *Cor.* v, 20, 21). Non ergo fecit ipse peccatum, sed cum Deus pro nobis peccatum fecit, hoc est, ut dixi, sacrificium pro peccato. Si enim recolas vel relegas, invenies in libris Veteris Testamenti peccata appellari sacrificia pro peccatis. Similitudo etiam carnis peccati, in qua venit ad nos, dicta est et ipsa peccatum : *Misit*, inquit, *Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne* (*Rom.* VIII, 3) : hoc est, de similitudine carnis peccati, quæ ipsius erat, damnavit

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov., *manifestæ.* M.
[2] Er. Lugd. Ven. Lov. *clamat.* M.
(*a*) Scripti circiter annum 428.
(*b*) Alias, secundus.

[1] Am. Fr. et Mss., *reconciliari Deo.*

peccatum in carne peccati, quæ nostra est. Propter hoc etiam de illo dicitur : *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo* (*Rom.* VI, 10). Peccato enim mortuus est semel, quia similitudini [1] carnis peccati mortuus est, quando moriendo exutus est carne : ut per hoc mysterium significaret, eos qui in morte ipsius baptizantur, mori peccato, ut vivant Deo. Sic etiam per crucem *factus* est *pro nobis maledictum* (*Galat.* III, 13). Pendens quippe in ligno, mortem quæ de maledicto Dei venerat, suspendit in ligno, atque ita *vetus homo noster simul confixus est cruci* (*Rom.* VI, 6) : ut non mendaciter dictum intelligatur in Lege, *Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI, 23). Quid est, *maledictus*, nisi, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19) ? Et quid est, *omnis* ; nisi quia et ipse Christus, qui cum esset vita, mortuus est tamen vera morte, non ficta ? Si intelligas ista mysteria, simul intelliges non esse contagia. Sed quid ad nos, si more tuo loquens, contactum forte mortalium voluisti appellare contagium ; cum tamen nobiscum sentias, Dominum Jesum, nec in spiritu, nec in carne ullum habuisse peccatum ?

CAPUT III. — *De invisibili Deo.* Tertio loco de invisibili Deo cum agerem, admonui ut crederes invisibilem, non solum Patrem, sed etiam Filium secundum divinitatem, non secundum carnem, in qua eum visibilem mortalibus apparuisse quis negat ? unde et alio loco postea disputavi. Tu autem cedens manifestissimæ veritati, consensisti esse invisibilem Filium : ac per hoc destruxisti quod dixeras, *unum invisibilem Patrem*. Sed rursus tua consensione conturbatus, quia invisibilem etiam Filium esse consenseras, ausus es dicere, minora videri a majoribus, majora vero a minoribus non posse videri ; dicens Angelos videri ab Archangelis, animas ab Angelis, Angelos vero ab animabus non videri : unde etiam Christum secundum divinitatis suæ substantiam, non solum ab hominibus, sed nec a Virtutibus cœlestibus videri asserens, ideo Patrem solum invisibilem esse dixisti, quia superiorem non habet a quo circuminspiciatur. Dic nobis, rogo te, quando tibi indicaverunt Archangeli, quod ipsi videant Angelos, non autem videantur ab Angelis ? Quibus narrantibus Angelis cognovisti, quod ipsi videant animas, animæ illos non videant ? A quo hæc audisti ? unde didicisti ? ubi legisti ? Nonne melius divinis Libris animum intenderes, ubi legimus et ab hominibus Angelos visos, quando voluerunt, et quomodo voluerunt videri, jubente vel sinente omnium Creatore ? Verumtamen qui dixeras, ideo *solum* dicendum *invisibilem Patrem, quia non habet superiorem a quo circuminspiciatur* ; confessus es postea, Filio esse visibilem, contra te ipsum proferens evangelicum testimonium, ubi dicit ipse Filius, *Non quia Patrem vidit quisquam, sed qui est a Deo, hic vidit Patrem* (*Joan.* VI, 46). Ubi te quidem veritas apertissime vicit : sed tu nolens ab errore liberari, noluisti salubriter vinci. Cum enim contra te commemorasses evangelicum testimonium, quo claruit a Filio videri Patrem, dicente ipso Filio, *Sed qui est a Deo, hic vidit Patrem* ; mox addidisti de tuo, *Sed vidit incapabilem*. Interim quod dixeras perdidisti, solum esse invisibilem Patrem, quia non habet superiorem : quandoquidem veritate victus, eum videri ab inferiore confessus es. Vos enim dicitis inferiorem Filium a quo tamen Patrem videri, teste Filio cogente [1], dixisti. De incapabili postea videbimus, ut etiam te illic veritas vincat. Non enim de capabili et incapabili, sed de visibili et invisibili inter nos quæstio versabatur : in qua quæstione si tibi ipsi tu ipse visibilis es, victum te esse vides.

CAPUT IV. — *De immortali Deo.* Quarto loco egi tecum de immortali Deo etiam Filio. Quoniam tu illud quod ait Apostolus, *Qui solus habet immortalitatem* (1 *Tim.* VI, 16) ; sic intelligi voluisti, tanquam de solo Patre sit dictum : cum ille hoc non de Patre dixerit, sed de Deo, quod est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ostendi ergo et Filium habere immortalitatem secundum substantiam divinitatis suæ. Nam secundum carnem quis negat eum fuisse mortalem ? Tu autem cum mihi respondere ad hunc locum velles, perspicua veritate conclusus, etiam Deum Filium immortalitatem habere confessus es. Victus es igitur in eo quod dicebas de Patre tantum dixisse Apostolum, quod solus habeat immortalitatem. Neque enim propterea vinculis veritatis elaberis, quoniam dicis, *Habet quidem Filius immortalitatem, sed accipiens a Patre*. Non quæritur unde habeat, sed utrum habeat. Tu enim de Patre solo vis intelligi quod scriptum est, *Solus habet immortalitatem*. Prorsus a nullo acceptam Pater habet immortalitatem, et a Patre acceptam Filius habet immortalitatem : tamen et Pater et Filius habet immortalitatem. Alioquin si eam non habet Filius ; Pater eam non dedit Filio, aut acceptam perdidit Filius. Dedit autem Pater Filio, nec perdidit Filius : nec Pater dando perdidit quod generando dedit. Habet ergo immortalitatem et Pater et Filius, non Pater solus. Cogeris itaque confiteri non de solo Patre dictum esse, *Qui solus habet immortalitatem* : quia jam coactus es confiteri quod et Filius habeat immortalitatem. Habet autem hanc *solus*, sed Deus : quod non solus est Pater ; quia hoc est et Filius, et uterque adjuncto Spiritu sancto unus est Deus. Sed quare solus Deus dictus sit habere immortalitatem, cum et anima pro suo modo sit immortalis, et alia spiritualis cœlestisque creatura, postea videbimus : nunc autem sufficit nobis, quod ad ea quæ dixi, nihil respondere potuisti, et non solum Patrem ; sed quamvis ab ipso, habere tamen, immortalitatem etiam Filium coactus es confiteri.

CAPUT V. — *Unde major sit Pater.* Quinto loco ostendi, unde major sit Pater Filio : quia non Deo major est, unde illi coæternus est Filius ; sed homine major est, quod ex tempore factus est Filius. Hoc commemoravi apostolicum testimonium : *Quia cum in*

[1] Sola editio Lov., *quia in similitudine*. Quidam Vss., *quia similitudine*

[1] Hic apud Lov. additur, *veritate*.

forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Natura quippe illi fuerat Dei æqualitas, non rapina. Ad quod tu respondens dixisti : *Quis enim negat Filium esse in forma Dei? Quod enim sit Deus, quod sit Dominus, quod sit Rex, jam puto latius exposuimus. Et « quia non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, » hoc nos beatus apostolus Paulus instruit, quod ille non rapuit, nec nos dicimus.* Hæc verba tua non solum nihil habent adversus nos ; sed magis apparent esse pro nobis. Si enim confiteris Dei formam, cur non aperte Dei Filium Deo confiteris æqualem? Præsertim, quia de verbis Apostoli, ubi ait, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo ;* non potuisti pro tuis partibus invenire quod diceres Et quia hoc dixisse Apostolum non potuisti negare, ideo dixisti, *quod ille non rapuit, nec nos dicimus :* tanquam hoc sit *non rapuit*, quod est non habuit, id est, æqualitatem Dei : atque ita dictum sit, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo ;* ac si diceretur, Non arbitratus est esse rapiendam æqualitatem Dei, eo quod ab illo fuerit aliena. Raptor enim rei alienæ usurpator est : tanquam hoc Filius, cum posset, rapere noluisset. Quod vides quanta insipientia sentiatur. Ergo intellige Apostolum ideo dixisse, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo ;* quia non alienum arbitratus est esse quod natus est : sed tamen quamvis æqualitatem Dei non fuerit arbitratus alienam, sed suam, *semetipsum exinanivit*, non quærens quæ sua sunt, sed quæ nostra sunt. Quod ut noveris ita esse, attende unde ad hoc Apostolus venerit. Cum enim Christianis humilitatem præciperet charitatis : *Alter alterum*, inquit, *existimantes superiorem sibi, non quæ sua sunt unusquisque intendentes, sed et quæ aliorum* [1]. Deinde ut exemplo Christi hortaretur non sua quærere vel intendere, sed et quæ aliorum sunt : *Singuli quique*, inquit, *hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset*, quæ illi erat sua, *non rapinam arbitratus est*, hoc est, non alienum arbitratus est, *esse æqualis Deo* ; sed tamen quærens nostra, non sua, *semetipsum exinanivit*, non formam Dei amittens, sed *formam servi accipiens.* Non enim est mutabilis illa natura ut se exinaniret perdendo quod erat, sed accipiendo quod non erat : nec consumendo quæ sua sunt, sed assumendo quæ nostra sunt ; ac deinde in forma servi obediendo sicut homo *usque ad mortem crucis. Propter quod et Deus eum exaltavit, et donavit ei nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II, 6-9) : et cætera. Homini ergo donavit ista, non Deo. Neque enim cum in forma Dei esset non excelsus erat, aut non ei genua flectebant cœlestia, terrena et inferna. Sed cum dicitur, *Propter quod eum exaltavit ;* satis apparet propter quid exaltaverit, id est, propter obedientiam *usque ad mortem crucis.* In qua ergo forma crucifixus est, ipsa exaltata est, ipsi donatum est *nomen quod est super omne nomen ;* ut cum ipsa forma servi nominetur Filius unigenitus Dei [2]. Non itaque facias imparem Deo formam Dei : quod nec in ipsis hominibus dici potest. Na cum dictum fuerit, Iste homo in forma est illius h minis, nemo intelligit nisi æquales [1]. An forte n vis sic accipere quod dictum est, *Cum in forma D esset*, ut in forma Dei Patris intelligas Filium, u nihil aliud quam æqualitas apparet amborum ; sed, *forma Dei*, putas intelligendum in forma sua, quia ipse utique Deus est? Non multum curo si etiam s intelligas. Ubi enim plenitudinem formæ ætatis in crementa non faciunt, sed Deo gignente perfect natus est Filius ; procul dubio si forma Filii form Patris non est æqualis, non verus est Filius. Scriptu est autem : *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christ* (I *Joan.* v, 20). Forma igitur veri Filii, formæ D Patris esse non potest inæqualis. Proinde nec hu loco prosecutionis meæ, ubi de verbis Apostoli æqua lem Patri Filium comprobavi, respondere aliquid pr vestra intentione potuisti.

CAPUT VI. — *De veris filiis animalium.* Sexto loc ut ejusdem naturæ cujus et Pater est, ostenderen Filium, etiam mortalium fetus animalium immanitat vestri erroris objeci, increpans cor vestrum, qui ejus dem naturæ cujus est Pater, negatis esse Deum Fi lium, quamvis verum esse Filium non negetis ; cum Deus ipse dederit animalibus hoc generare quod ipsa sunt : ubi non solum hominis hominem, verum etiam canis canem filium nominavi ; non ad similitudinem Dei, sed ad confusionem detrahentium Filio Dei : qui cum videant corruptibiles mortalesque naturas, habere tamen naturæ de suis parentibus unitatem, Filio Dei vero nolunt concedere communionem naturæ unius habere de Patre ; cum sit inseparabilis a Patre, et incorruptibilis æternusque cum Patre. Unde etiam dixi, quod melior sit secundum vos humana conditio, ubi conceditur crescere, ut ad robur parentum vel crescendo possint filii pervenire : Filius autem Dei, sicut dicitis et docetis, minor Patre genitus sic remansit, atque ut ad Patris formam non posset pervenire, nec crevit. Hic tu, ut appareret quam magna veritatis mole premereris, omnino ad rem non respondisti : sed tanquam deficienti flatu [2] anhelares, reprehendendum me putasti, dicens quod tam fœda comparatio, de filio scilicet hominis sive canis, in illam tantam immensitatem produci non debuit. Hoc respondere est, an potius inopiam responsionis ostendere? Quasi ego propterea terrenarum naturarum ista exempla produxerim, ut incorruptioni corruptionem, immortalitati mortalitatem, invisibilibus visibilia, æternis temporalia coæquarem : ac non potius ut vos in magnis et summis rebus errantes, de rebus parvulis infimisque convincerem, qui non videtis bonum quod Creator summe bonus dedit etiam extremis vilibusque creaturis, ut cum longe aliud sint quam est ipse, hoc tamen generent quod sunt ipsæ. Nec attenditis quid mali dicatis, ut cum homines et canes, et cætera hujusmodi habeant filios veros, quos illis gignentibus creat veritas, non sit verus Dei Filius ipsa veritas. Aut si sa-

[1] Lov., *sed ea quæ aliorum.* At Mss., *sed et quæ aliorum :* juxta græcum, *ἀλλὰ καὶ.*

[2] Hic editi addunt, *intelligatur.* Male, et reluctantibus Mss.

[1] Am. Er. et Mss., *nisi æquatis.*

[2] Mss., *defici nte. flatus.*

cta Scriptura cogente permittitis ut verus Filius sit, rogamus permittite ut degener non sit. Et degener quomodo? Audiant catholici, unde erubescant hæretici. Filius viri fortis si non habeat fortitudinem, degener dicitur : tamen homo est, quod et pater est; atque in dissimili vita, non est tamen aliena substantia. Vos unigenitum Dei Filium ita degenerem vultis, ut ipsam Patris ei substantiam denegetis : minorem natum, minorem remansisse jactatis; non ullam datis ætatem qua possit augeri, non datis eamdem formam qua possit æquari. Cujus naturæ tanta subtrahitis, miror verum Filium qua fronte dicatis : nisi quia infelicissimo errore non vos putatis ad unius Patris gloriam, nisi per unici Filii contumeliam pervenire (*a*).

CAPUT VII. — *De magnitudine Filii.* Septimo loco dixi : *Usque adeo autem Filium agnoscimus magnum Deum, ut Patri dicamus æqualem. Itaque sine causa*, inquam, *nobis quod valde profitemur, testimoniis, et multiloquio probare voluisti.* Et his verbis meis addidi disputationem, in qua rationem reddidi, quare Filius cum sit Patri æqualis, dicat eum tamen Deum suum, ubi ait : *Ascendo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* xx, 17). Quoniam tu commemoraveras hoc evangelicum testimonium, quo te probare existimasti quod Patri Filius non esset æqualis. Ego itaque tibi ad ista respondens, dixi Patrem propterea etiam Deum esse unigeniti Filii, quoniam factus est homo et natus ex femina : et hoc esse quod dicit in Psalmo, ubi quod futurum fuerat prænuntiavit, *De ventre matris meæ Deus meus es tu* (*Psal.* xxi, 11) ; ut ostenderet Patrem hinc esse Deum suum, quia homo factus est. Homo enim de ventre matris est natus, et secundum hominem de virgine natus est Deus : ut non solum Pater illi esset qui eum de se ipso genuit, verum etiam Deus ejus esset quem de ventre matris hominem creavit. Ad hæc tu cum respondere voluisses, multa dixisti, et multa testimonia quæ te nihil adjuvant, protulisti. Quomodo tamen dictum sit, *De ventre matris meæ Deus meus es tu;* quamvis eadem Scripturæ sanctæ verba memorasses, nullo modo invenire potuisti. Cur autem in eo loco posueris psalmi alterius testimonium, ubi scriptum est, *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* cix, 3) ; omnino non video. Non enim Filii persona est dicentis, Ex utero tuo, aut, De ventre tuo, Deus meus es tu. Illa ineffabilis generatio etiam si ex utero Patris accipitur, hoc significatum est, quia de se ipso, hoc est, de substantia sua Deus Deum genuit, sicut ex utero matris quando natus est, homo hominem genuit : ut intelligeremus in utraque generatione non diversas ejus qui est natus, et eorum de quibus est natus, esse substantias. Diversa quidem substantia est, Deus Pater, et homo mater : non tamen diversa substantia est, Deus Pater, et Deus Filius ; sicut non est diversa substantia, homo mater, et homo filius. Sed audi quid dicat in prophetia iste Filius : *De ventre*, inquit, *matris meæ Deus meus es tu.* Noli multis verbis ad rem non necessariis conari operire res claras. Qui est Pater Filio ex utero suo, de ventre matris Deus ejus est, non de suo. Ad hoc ergo prorsus nihil respondere potuisti.

(*a*) Vide serm. 139, nn. 4 et 5, tom. 5

CAPUT VIII. — *De subjectione Filii* Octavo loco de subjectione qua subjectus est Patri Filius, respondi tibi : quoniam dixeras, *De sua subjectione unum statuit Deum.* Respondi ergo etiam hoc secundum hominem recte accipi, quod Filius subditus est Patri. Neque hoc esse mirandum, cum legatur utique secundum ipsam servi formam etiam parentibus subditus (*Luc.* II, 51) : et de illo sit scriptum, *Minorasti eum paulo minus ab Angelis* (*Psal.* VIII, 6). Ad quod tu quasi respondens dixisti me optime prosecutum, quoniam et parentibus propter formam servi esset subjectus. Deinde volens velut pro te esse ostendere, quod contra te esse cernebas; ac sic incautis minusque attentis hominibus, quicumque essent ista lecturi, tanquam respondentem te facere, ubi quod diceres non habebas; adjungis et dicis : *Si enim parentibus subjectus invenitur quos ipse creavit, quia omnia per ipsum facta sunt : nec enim post tempora, sed ante tempora novimus Filium genitum a Patre : si ergo parentibus*, inquis, *subditus erat, ut divinarum Scripturarum auctoritas luce clarius prædicat : quanto magis utique illi suo genitori est subditus, qui tantum ac talem eum genuit; secundum quod ait Paulus, Cum omnia fuerint Filio subjecta, tunc et ipse Filius subjectus erit illi qui sibi subjecit omnia* (I *Cor.* XV, 28)? Hæc verba tua posset a me putari dicta esse, et omnino mea esse, nisi te audientibus cum dicerentur, et postea hæc cuncta legentibus, evidenter appareret te illa dixisse. Quis enim crederet, consentire posse vos nobis, secundum formam servi, ac per hoc non secundum formam Dei Christum esse subjectum?

CAPUT IX. — *Utrum adoret Patrem Spiritus sanctus.* Nono loco abs te quæsivimus, ut per Scripturas divinas ostenderes, si valeres, utrum adoret Patrem Spiritus sanctus. Hoc enim dixeras : sed sicut ipsa tua prosecutio, cui respondi, satis indicat, non probaveras. Ad hanc ergo inquisitionem meam vide quid posteriore prosecutione responderis. Cum enim dixisses quantum voluisti de judicio Filii, quod et nos fidelissime credimus; et de subjectione, quam secundum formam servi Filium Patri reddere non negamus; ubi venisti ut probares a sancto Spiritu adorari Patrem, redisti ad illos gemitus, de quibus tibi jam ante responderam, secundum morem sanctarum Scripturarum, qua locutione sit dictum, *Et ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26) : nos credamus Spiritum sanctum nunquam esse sine gemitibus posse, quoniam nullus dies, nulla hora, nullum momentum temporis invenitur, quo non a sanctis orationes Deo ubicumque fundantur, ab aliis hic, ab aliis alibi. Cum tamen ab orationibus sanctorum nullum sit tempus immune, quandoquidem diebus et noctibus, cum alii cibo ac potu reficiuntur, alii quodlibet aliud agunt, alii dormiunt, non utique desunt quos desiderium sanctum orare compellat; ita fit ut

Spiritus sanctus, qui ubique omnibus adest, aliquantulum cessare a gemitibus non sinatur, quod est extremæ miseriæ, cum pro quibuscumque orantibus cogitur gemere : nisi gemitibus inenarrabilibus interpellare sic intelligatur, ut dixi, id est, quia gemitibus sanctorum desideriorum interpellare sanctos facit, quibus affectum pium gratiæ spiritualis infundit. Sed cum similes locutionum modos, quando per efficientem significatur id quod efficitur; sicut frigus pigrum dicimus, quia pigros facit; et diem tristem vel lætum, quia tristes vel lætos facit; etiam de Scripturis sanctis commemoraverim, ubi Deus dicit ad Abraham, *Nunc cognovi* (*Gen.* XXII, 12); quod nihil est aliud quam, Nunc ut cognosceres feci : non enim tunc Deus dicendus est cognovisse, quod antequam fieret nunquam potuit ignorare : quos locutionis modos de divinis eloquiis a me prolatos, quomodo aliter interpretareris non invenisti; nullo modo utique ad istos gemitus redire debuisti. Nemo enim sic de Spiritu sancto sapit, nisi qui secundum carnem, non secundum spiritum sapit. Quamvis et si tibi concederetur, quomodo tu sentis, sic Spiritum sanctum interpellare pro sanctis; aliud est interpellare vel orare, aliud adorare. Omnis qui orat, rogat : non omnis qui adorat, rogat; nec omnis qui rogat, adorat. Recole consuetudinem regum, qui plerumque adorantur, et non rogantur; aliquando rogantur, et non adorantur. Ac per hoc a Spiritu sancto adorari Patrem nullo modo demonstrare potuisti.

CAPUT X. — *Quomodo sit unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus.* Decimo loco egi tecum ut intelligeres, quomodo per ineffabilem copulationem sit unus Deus ipsa Trinitas, quam dicimus unius esse substantiæ : quandoquidem etiam diversas substantias invenimus, hoc est, spiritum hominis et Spiritum Domini, per copulationem qua homo adhæret Domino, unum spiritum dictum, ubi ait Apostolus, *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* (1 *Cor.* VI, 17). Ad quod tu respondens, vel potius non tacens, conatus es ostendere quomodo Pater et Filius unum sint, non unitate naturæ, sed voluntatis. Hoc quidem dicere soletis : sed tunc soletis, cum vobis objicitur quod ait Dominus, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Ego autem hoc loco non hoc volui probare, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unum sint, quod quidem propter unitatem substantiæ fidelissime certe credimus; sed quod eadem Trinitas unus est Deus. Aliud est quippe, unum sunt; aliud, unus est Deus. Discerne, Est, et Sunt. Nec ait Apostolus, Qui adhærent Domino, unum sunt; quoniam diversa substantia est : sed ait : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Si autem vos, cum de duobus dicitur, Unus est, et dicitur quid unus, sicut dicit Apostolus, *unus spiritus est;* hoc idem putatis esse, quod est cum de duobus dicitur, Unum sunt, nec dicitur quid unum; sicut ait Salvator, *Ego et Pater unum sumus* : cur non dicitis, Pater et Filius unus est Deus? Quare quando auditis, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4); de Patre tantum vultis intelligi? Nempe Pater Dominus Deus est, et Filius Dominus Deus est : cur non apud vos uterque unus Dominus Deus est, sicut apud beatum Apostolum, spiritus hominis et Spiritus Domini [1] *unus spiritus est?* Quid autem prodest causæ vestræ, quia per consensionem voluntatis hoc dicitis fieri? Quod quidem fit, sed ubi est diversa natura, sicut diversa natura est hominis et Domini : et tamen *qui adhæret Domino*, per consensionem utique voluntatis, *unus spiritus est.* Si ergo non vultis per unitatem substantiæ; certe per consensionem voluntatis dicite, tamen aliquando dicite, quoquo modo dicite, Pater et Filius unus Deus est. Sed non dicitis, ne quod nunquam voluistis, cogamini confiteri de utroque dictum esse, non de Patre solo, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* : quoniam sanctum Spiritum non vultis Deum, non vultis Dominum confiteri. Dicite, inquam, ratione qua vultis, Pater et Filius unus Dominus Deus est : ut Patri et Filio servientes, non duobus diis et duobus dominis contra præceptum Dei, sed Domino uni serviatis [2]. Sed nunc de hac re satis dictum sit. Puto, cum ista legeris, nihil te respondere potuisse ad id quod de Apostolo commemoravi, *qui adhæret Domino, unus spiritus est* : si contentionem deposueris, non negabis.

CAPUT XI. — *De templo Spiritus sancti.* Undecimo loco, Deum esse Spiritum sanctum, de templo ejus quod nos ipsi sumus, teste Apostolo, ostendi, ubi ait, *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (1 *Cor.* III, 16)? et iterum, *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (*Id.* VI, 19)? Tu autem ad ista respondisti nihil. Aisti enim : *Suscipio quæ protulisti :* « *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* » *Neque enim Deus*, inquis, *inhabitat in homine, quem non ante Spiritus sanctificaverit atque purgaverit.* Atque isto modo intelligi voluisti, non Spiritum sanctum esse dictum Deum, nec templum Spiritus sancti nos [3] esse, sed Dei : et hoc esse dictum, *Templum Dei estis.* Sed ideo additum, *Spiritus Dei habitat in vobis :* quia purgat Spiritus sanctus templum Dei, non suum; ut cum ipse purgaverit, tunc illic inhabitet Deus. Quem sensum tuum quanta sequatur absurditas, nolo nunc dicere. Illud enim nunc ostendere debeo, quomodo multa dicendo, nihil quod ad rem pertinet, dixeris. Dimisisti enim causam, et perrexisti in laudem Spiritus sancti, eamque copiose contra te ipsum exsecutus es. Contra te ipsum ideo dixi, quoniam non vis eum dicere Deum, cujus tantam divinitatem per laudem coactus es confiteri; ut cum sit unus, ubique sit præsens, et nemini sanctificando desit, ubicumque quisque christianus esse et Deum orare voluerit, simul se omnibus exhibendo, sive in oriente, sive in occidente baptizentur in Christo : hoc et nos dicimus. Sed quem dicimus talem ac tantum, absit a nobis ut eum negemus Deum : quod etiam per suum templum, quod nos ipsi sumus, ci-

[1] Quidam Mss., *Dominus.*
[2] Am. Fr. et Mss., *et Domini unus serviens.*
[3] Abest, *nos*, a Mss.

tissime et facile ostenditur. Neque enim nisi Deus noster esset, templum nos ipsos habere potuisset : quod tu ut occultares, et in sermone tuo mentes hominum a luce veritatis averteres, de templo Dei quodcumque dixisti, quem noluisti intelligi Spiritum sanctum ; de templo autem Spiritus sancti, quod apertissime demonstratum est, omnino tacuisti. Cum enim tibi duo testimonia Pauli apostoli proposuerim ; unum ubi ait, *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* alterum ubi ait, *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis Spiritus sancti est?* quare tam fraudulenter egisti, ut unum horum commemorares, quod dictum est, *Templum Dei estis* ; et alterum taceres, quod dictum est, *Corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti?* Cur hoc fecisti, rogo te ; nisi quia nullo pacto posses argumentari quomodo Deus noster non esset, qui templum nos ipsos haberet : quem sine dubio Deum cognosceremus, si ei templum de lignis et lapidibus per divinam Scripturam facere juberemur?

CAPUT XII. — *De eo quod Pater et Filius unum sint.* Duodecimo loco admonui te, ut proferres, si posses, qua divina auctoritate sit dictum, quod unum sint, ubi substantiæ sunt diversæ. Tu autem respondere ad hoc volens, nihil tale proferre potuisti ; sed magnis coarctatus angustiis affirmare ausus es, quod Apostoli unum sint cum Patre et Filio. Quod Christus omnino non dixit : sic enim abs te dictum est, tanquam Pater et Filius et Apostoli unum sint. Christus autem non ait, Ut ipsi et nos unum simus ; sed ait, *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Nam, ut verba ipsa evangelica ponam : *Pater sancte*, inquit, *serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos unum.* Numquid dixit, Ut nobiscum sint unum ; aut, Ipsi et nos simus unum ? Item post aliquantum : *Non*, inquit, *pro eis rogo tantum ; sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint.* Neque hic dixit, Ut nobiscum unum sint. Deinde sequitur : *Sicut tu, Pater, in me et ego in te, et ipsi in nobis unum sint.* Et hic non dixit, Unum simus ; aut, Unum nobiscum sint : sed, *Unum sint in nobis ;* ut qui natura unum sunt, quia homines sunt, etiam in Patre et Filio sint unum ; non cum ipsis unum, id est, non ut ipsi et isti sint unum. Adhuc adjungit, et dicit : *Ut mundus credat quia tu me misisti, et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi illis, ut sint unum, sicut nos unum sumus : ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum* (*Joan.* xvii, 11-23). Cum ergo toties dixerit, *Ut sint unum ;* non tamen alicubi dixit, Ut ipsi et nos simus unum, hoc est, ut nobiscum sint unum : sed aut, *in nobis* dixit ; aut, *sicut nos ;* id est, ipsi secundum naturam suam, nos secundum nostram. Volebat enim eos qui natura unum erant, in hoc ipso quod unum erant, esse perfectos. Non enim quia dicit, *Estote ergo et vos perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* v, 48) ; vult illos Deo naturæ unitate conjungere, tanquam illorum et illius una eademque natura sit : sed perfectos vult esse in natura sua, sicut est Deus perfectus in sua, quamvis diversa, non una ; quod nisi in ipso simus, omnino esse non possumus. Non sicut in illo sunt omnes, quia ipse continet omnia quæ creavit ; propter quod dictus est *non longe positus ab unoquoque nostrum*, quia *in illo vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* xvii, 27, 28) : sed sicut in illo sunt tales qualibus dictum est, *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). Unde et illud est, *Cui vult nubat, tantum in Domino* (*I Cor.* vii, 39). Non igitur proferre potuisti ubi dictum sit, Unum sunt, quorum est non una, sed diversa substantia : et tamen [1] in obscuro loco nobis subrepere voluisti, ut diceres Apostolos unum esse cum Patre et Filio, tanquam unum essent Apostoli et Pater et Filius ; cum Apostolorum substantiam manifestum sit a Patre et Filio esse diversam. Sed quoniam, Ut ipsi et nos unum simus, aut, Nobiscum sint unum, nusquam Christum dixisse manifestum est ; te quoque nobis respondere non potuisse, et fraudem facere voluisse manifestum sit.

CAPUT XIII. — *De testimonio quod Pater perhibuit Filio.* Tertio decimo loco te commonui, non ideo Patrem Filio esse majorem, quia testimonium perhibuit Pater Filio. Nam et Prophetas ei testimonium perhibuisse memoravi, quos majores illo esse non potes dicere. Dixeras enim quod Pater Filio perhibuerit testimonium ; quod sic accepi, tanquam hinc ipse probare volueris, illo cui testimonium perhibuit, eum esse majorem : sed quoniam posteriore prosecutione hinc omnino tacuisti, taciturnitatem tuam in locum consensionis accepi ; etsi fieri potest ut ideo commemoraveris Patrem Filio perhibuisse testimonium, ut hinc illum esse alium, istum autem alium, non ut illum isto probares esse majorem. Alium vero esse Patrem, alium esse Filium, quoniam non est Pater ipse qui Filius, et vobis et nobis contra Sabellianos est dogma commune. Illi enim dicunt, non alium, sed eumdem Filium esse qui est Pater : nos autem alium quidem esse Patrem, et alium Filium ; sed tamen quod Pater est, hoc esse dicimus Filium.

CAPUT XIV. — *De dilectione Patris et Filii.* Quarto decimo loco ad illud quod dixeras, *Dilectum lego, et credo quod Pater est qui diligit, et Filius qui diligitur ;* respondens dixi : *Sic autem dicis hinc inter Patrem et Filium esse diversitatem, quia Pater diligit, et Filius diligitur ; quasi negare possis quod et Filius diligat Patrem.* Deinde addidi : *Si ambo se invicem diligunt, cur negatis eos unius esse naturæ?* Quod utique ideo dixi, ne hinc unam naturam negaretis amborum, quia illum diligere, hunc diligi ipse dixisti. Ad hoc tu respondens consensisti quidem, quod et Filius diligat Patrem, sed unius esse naturæ consentire noluisti : tanquam Filius ita diligat Patrem, sicut creatura Creatorem, non sicut unigenitus genitorem, quem diversitate substantiæ vultis esse degenerem.

CAPUT XV. — *De invisibilitate Trinitatis.* Quinto decimo loco dixi pariter esse invisibilem Trinitatem,

[1] Am. Fr. et Mss., *tanquam.*

retur columba vel flamma ad substantiam pertinere Spiritus sancti, vel quod se in hæc visibilia tantæ majestatis natura converterit, aut in unitatem personæ suæ ista susceperit, nunquam postea sic apparuisse legitur Spiritus sanctus. Christus autem, qui humanam non ad horam sumpsit effigiem, in qua hominibus appareret, ac deinde illa species præteriret; sed in unitatem personæ suæ, manente invisibili Dei forma[1], accepit visibilem hominis formam; non solum natus est in ea de homine matre, verum etiam crevit in ea, et manducavit, et bibit, et dormivit in ea, et occisus est in ea, et resurrexit in ea, et ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Patris in ea, ad judicandos vivos et mortuos est venturus in ea, et in regno suo, ei qui illi subjecit omnia, erit subjectus in ea. Hæc tu in mea responsione breviter dicta, quæ nunc aliquanto latius, ut vel sic intelligeres, explicavi, attendere et considerare noluisti, irruens in tantam blasphemiam, ut naturam divinam Dei et Spiritus sancti convertibilem, proh nefas! et mutabilem diceres. Tua namque ista sunt verba: *Ea*, inquis, *quæ de invisibilitate omnipotentis*[2] *Dei prosecutus sum, etiam et ipse, licet alio proposito, attamen tuis verbis affirmasti, quod Spiritus sanctus in specie columbæ sit visus, necnon et in specie ignis: Filius sane, in forma hominis: Pater autem, neque in specie columbæ, nec in forma hominis; nec aliquando vertit se in formas, sed nec aliquando vertetur: de quo scriptum est,* « *Ego sum qui sum, et* « *non sum mutatus.* » Deinde adjungis, et dicis: *Filius sane in forma Dei constitutus jam, ut ipse protulisti, formam servi accepit, quod non Pater: Spiritus æque sanctus suscepit speciem columbæ, quam non suscepit Pater. Scito ergo*, inquis, *quia unus est invisibilis, unus etiam incapabilis atque immensus.* Hæc numquid diceres, si secundum spiritum, non secundum carnem, posses cogitare quid diceres? Homo es enim, qui legis in Scripturis sanctis, *Ego sum qui sum, et non sum mutatus* (*Exod.* III, 14, *et Malach.* III, 6). Et cum verba ista sint, non Patris solius, sed ipsius Trinitatis, quæ unus est Deus; tu ea Patri tantummodo tribuens, Filium mutabilem credis! Unigenitum per quem facta sunt omnia mutabilem credis: eum de quo dicit Evangelium, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*; et, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1, 3), mutabilem credis! Quid jam dicam de Spiritu sancto, quando illum quem verum Filium Dei et verum confiteris Deum, mutabilem credis? Quod utique non crederes, si formam servi a forma Dei esse susceptam, non formam Dei in formam servi esse mutatam, tanquam catholicus crederes; et visibili homine assumpto, permansisse invisibilem Deum, non carnaliter, sed spiritualiter cogitares; nec contendendo diffideres, sed intelligendo conspiceres: et Spiritum sanctum invisibili sua manente natura, nullo modo in ignis aut columbæ speciem mutata atque conversa, per subjectam creaturam apparuisse, sicut voluit visibiliter (*Act.* II, 3, *et Matth.* III, 16), tu posses considerare fideliter. Memento tamen, nec majorem Patrem Spiritu sancto, nec adoratum Patrem ab Spiritu sancto, ullis divinis testimoniis contra propositionem meam te demonstrare potuisse.

CAPUT XX. — *Licet ingenitus Pater, æqualis tamen Filius.* Vigesimo loco, quoniam dixeras de Filio, *Si æqualis Patri, utique talis: si talis, utique innatus*; ego respondens tibi: Sed dicis, inquam, de Filio, *Si æqualis, utique talis*; id est, *ut quia non est ingenitus, non videatur talis. Posses dicere non esse hominem quem genuit Adam, quia ipse Adam non est genitus, sed factus a Deo. Si autem potuit Adam et non esse genitus, et tamen hoc generare quod erat ipse; non vis ut potuerit Deus Deum æqualem sibi?* Ad hæc non miror nullum te invenisse responsum: sed plane laudo nec respondere conatum. Atque utinam hoc ubique fecisses! nusquam enim in sermonibus nostris quid recte responderes invenire potuisti, et tamen pene[1] ubique tacere noluisti. Sed cum in aliis tam multa dixeris, causæ quæ inter nos agitur non necessaria, et tempus loquendo consumpseris; gratiæ tibi agendæ sunt, ubi nonnulla sic vidisti te refutare non posse, ut ea malles summo silentio præterire.

[1] Editio Lov., *sed unitate personæ manente, invisibilis Dei forma accepit*, etc.
[2] Am. Fr. et Mss., *omnipotentis*.

[1] Apud Lov., *plene*.

LIBER SECUNDUS[(a)].

Refelluntur singillatim quæ in Collatione Maximinus dixit ultima sua disputatione, cujus disputationis suæ prolixitate respondendi tempus tunc eripuit Augustino.

PRÆFATIO. — Res jam postulat ut in eo quod reliquum est, opitulante Domino, impleam promissionem meam. In operis quippe hujus exordio, *Prius*, inquam, *ostendam refellere te non potuisse quæ dixi: deinde, quantum necessarium videbitur, ego refellam quæ ipse dixisti.* Quia ergo, sicut adjuvante Deo potui, ostendi ea quæ dixi non te potuisse refellere; superest ut ea quæ dixisti, ego refellam, sicut Deo adjuvante potuero. Priores itaque prosecutiones tuas, quibus continuo reddidi meas in hac disputatione quæ nunc a me suscepta est, non retractabo: illam vero ultimam tam prolixam, ut mihi die illo spatium responsionis auferret, ita redarguam, si voluerit qui nos regit, ut acquiescas lumini veritatis, si contentionis tenebras non amaveris. In primis ergo superflua tua detrahamus necessitati responsionis meæ. Causa quippe inter nos agitur, utrum Pater et Filius et Spiritus sanctus diversæ, ut vos dicitis, an potius, ut nos dicimus, unius sint ejusdemque substantiæ, unusque Deus sit ipsa

(a) Alias, Tertius.

Trinitas : cum conveniat inter nos Patrem non esse qui est Filius, nec Filium esse qui est Pater, nec Patrem esse vel Filium qui Spiritus sanctus est. Quidquid igitur tanta tuæ prosecutionis prolixitate dixisti, unde ostenderes alium esse Patrem, alium esse Filium, alium esse Spiritum sanctum; quando nobiscum agitis, superfluum prorsus esse cognosce : et si tibi expugnandi occurrerint Sabelliani, in eos ista nobis vobisque communia, si placet, arma converte. Multa etiam locutus es, ut probares magnum Deum esse Dominum Jesum Christum : hoc quid ad nos, cum hoc dicamus et nos? Laudes quoque Spiritus sancti magnas verasque fudisti : sed nos eas augere possumus, non negare : non itaque opus erat ut eas contra nos diceres, quas dicimus tecum. Christum sedere ad dexteram Patris, nonne pariter confitemur? Quod tamen testimoniis divinorum eloquiorum sic probare voluisti, tanquam id alicubi negaremus. Christum in carne venisse, utrique novimus et tenemus : sic adhibuisti ut hoc doceres divina testimonia, tanquam repugnemus. Hæc et alia quæ suis ostendam locis, in quibus operam supervacuam contrivisti, ut moras necteres, tempusque produceres, commemorando attingere debeo, non redarguere disputando.

CAPUT PRIMUM. — Dicis me *auxilio principum munitum, non loqui secundum timorem Dei;* cum scias nobis esse præceptum orare pro regibus, ut in agnitionem veniant veritatis (I *Tim.* II, 2, 4) : quod in quibusdam esse impletum, nos Deo agimus gratias, vos doletis. Verba autem nostra recte intelligentibus indicant, quis nostrum loquatur secundum timorem Dei : utrum qui sic laudat Deum Patrem, ut ad ejus laudem referat, quod sibi Filium generavit æqualem; an qui sic genitorem dehonestat et genitum, ut et illum dicat non potuisse gignere per omnia sui similem filium, et istum dicat non degenerasse jam natum, sed degenerem natum.

CAPUT II. — Dicis *vos Christum colere, ut Deum omnis creaturæ, cui flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium et infernorum :* quem tamen Deo Patri esse non vultis æqualem, quia *hoc Pater ei donavit :* ait enim Apostolus, *Propter quod et Deus eum exaltavit, et donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur,* etc. Nec quæritis cui donaverit; utrum homini, an Deo. Quomodo[1] enim donaverit, evidenter apparet. *Humiliavit,* inquit, *semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus eum exaltavit, et donavit ei nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II, 8, 9). Si ergo propterea donavit ei nomen quod est super omne nomen, quia factus est obediens usque ad mortem crucis; numquid antequam hoc fieret, non erat altus Dei Filius Deus, Dei Verbum, Deus apud Deum; sed postcaquam propter hoc exaltatus est, quia factus est obediens usque ad mortem crucis, tunc cœpit esse altus Dei Filius, unicus Dei, Deus, tunc cœpit habere nomen quod est super omne nomen? Quis hoc insipientissimus dixerit? Hoc illi ergo donatum est ut homini, secundum quem Filius factus est obediens usque ad mortem crucis, quod jam habebat idem ipse Dei Filius, Deus de Deo natus æqualis.

CAPUT III. — Objicis mihi, quod dicam Spiritum sanctum æqualem esse Filio. Dico plane. *Da,* inquis, *testimonia ubi adoratur Spiritus sanctus.* Ut video, hinc eum vis ostendi æqualem Christo, si adoratur ut Christus. Jam ergo confitere Christum Patri æqualem, quem tu ipse adorari confiteris ut Patrem. Quales autem homines estis, quam religiosæ humilitatis, qui Spiritum sanctum adorare non vultis, cum legatis, *Littera occidit, Spiritus autem vivificat* (II *Cor.* III, 6)? Non vultis ergo adorare, quem vivificare animas non negatis : cum pater Abraham homines adoraverit, quia concesserunt ei monumentum, ubi poneret mortuæ corpus uxoris. Sic enim scriptum est : *Venit autem Abraham plangere Saram et ingere. Et surrexit Abraham de supra mortem ejus, et dixit filiis Heth : Peregrinus et advena sum ego vobiscum; date ergo mihi possessionem monumenti, ubi sepeliam mortuum meum. Responderunt autem filii Heth ad Abraham, dicentes : Absit hoc, domine; audi nunc et nos : rex a Deo tu es in nobis; in electis monumentis nostris sepeli mortuum tuum : nemo enim nostrum prohibet te a monumento suo, ut sepelias mortuum tuum ibi. Surgens autem Abraham adoravit plebem filiorum Heth* (*Gen.* XXIII, 2-7). Et vos Spiritum sanctum non permittitis adorari, ut ipsi Dei gratiæ remaneatis ingrati! Sed, *Da,* inquis, *testimonia ubi adoratur Spiritus sanctus :* quasi non ex iis quæ leginus, aliqua etiam quæ non leginus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar, tu ubi legisti Patrem Deum ingenitum vel innatum? Et tamen verum est. Quod vero aliquoties dixisti, etiam Filio esse incomparabilem Patrem, nec legis, nec verum est. Si autem religionem qua colitur Deus, sicut dignum est cogitares, multo plus esse cerneres quod habet Spiritus sanctus templum, quam si eum legeres adoratum. Et homines enim, sicut supra docui, a sanctis novimus adoratos : templum vero non est factum ab hominibus, nisi aut vero Deo, sicut Salomon fecit; aut eis qui pro diis habentur, sicut gentes quæ ignorant Deum. Spiritus autem sanctus, quod cum magno honore de Deo dictum est, *non in manufactis templis habitat* (*Act.* XVII, 24), sed corpus nostrum templum est Spiritus sancti. Et ne corpora nostra contemnas, membra sunt Christi (I *Cor.* VI, 19, 15). Qualis ergo Deus, cui templum ædificatur, et a Deo, et de membris Dei?

CAPUT IV. — Dicis *Christum esse in dextera Dei, et interpellare pro nobis* (*Rom.* VIII, 34). Quod cur nobis objicis, si eum non solum Deum, verum etiam hominem agnoscis? Quid te igitur adjuvat, quod sedere ad dexteram Patris assidue legitur? Quid nobis, non quidem inanibus testimoniis, sed tamen inaniter, probare niteris quod fatemur.

CAPUT V. — Dicis *vos Spiritum sanctum competenter honorare ut doctorem, ut ducatorem, ut illuminatorem, ut sanctificatorem; Christum colere, ut creato-*

[1] In Mss., Quando.

rem; Patrem cum sincera devotione adorare, ut auctorem. Si auctorem propterea dicis Patrem, quia de ipso est Filius, non est autem ipse de Filio; et quia de illo et Filio sic procedit Spiritus sanctus, ut ipse hoc dederit Filio gignendo eum talem, ut etiam de ipso procedat Spiritus sanctus : si creatorem sic dicis Filium, ut creatorem non neges Patrem nec Spiritum sanctum; si denique Spiritum sanctum sic dicis doctorem, ducatorem, illuminatorem, sanctificatorem, ut hæc opera nec Patri audeas auferre nec Filio : ista tua etiam nostra sint verba. Si autem talia tibi idola ponis in corde, ut duos facias deos, unum majorem, id est, Patrem, alium minorem, id est, Filium; Spiritum vero sanctum ita omnium trium minimum fingas, ut nec Deum nuncupare digneris : non hæc est nostra fides, quoniam non est christiana fides, ac per hoc nec fides. Etiam hoc tibi ignoscimus, quod imperitè usus verbo, *Christum* significasti *ad terrena descendisse contagia.* Et quia hoc in te corrigere volui, ut scires contagia quomodo appellare debeamus; *calumnias esse* istas dicis, *et eas de philosophicæ artis instructione venire* arbitraris. Sufficit mihi quod ita putasti Christum ad terrena descendisse contagia, ut tamen confitereris nullum habuisse peccatum.

CAPUT VI. — Illud sane quod commemoravi, partus animalium, quæ cum terrena sint atque mortalia, hoc tamen gignunt quod ipsa sunt, ut homo hominem, canis canem; puto quod non aspernatus horruisti, sed te aspernari atque horrere finxisti, dicens, *tam fœdam comparationem in illam tantam immensitatem non debuisse produci.* Cur enim hoc dixisti, nisi ne tibi de ipsis corruptibilibus fetibus fauces veritas premeret, et te respirare non sineret, sicut et facit? Quandoquidem creaturam corruptibilem cernitis, hoc quod ipsa est gignere fetum suum, et Deum Patrem omnipotentem creditis non potuisse nisi ejus degenerante natura gignere unicum suum.

CAPUT VII. — Sed dicis : *Dominus Dominum genuit, Deus Deum gexuit, Rex Regem genuit, Creator Creatorem genuit, bonus bonum genuit, sapiens sapientem genuit; clemens clementem, potens potentem.* Si sub his verbis cavere te putas quod vobis objicitur, non vos credere Deum potuisse gignere id quod est ipse, et ideo dicis, *Dominus Dominum genuit, Deus Deum genuit*, et cætera : cur ergo sicut dixisti, *Potens potentem;* non dicis, Omnipotens omnipotentem? Si quod sentis vis dicere, dic : Dominus major, dominum minorem genuit; Deus major, deum minorem; Rex major, regem minorem; Creator major, creatorem minorem; melior bonum, sapientior sapientem, clementior clementem, potentior potentem. Si autem ista non dicis, et nihil minus quam Pater habet, Filium habere consentis, cur non dicis æqualem? Et illa omnia cur non sic percurris, ut dicas : Dominus æqualem Dominum genuit, Deus æqualem Deum, Rex æqualem Regem, Creator æqualem Creatorem, bonus æqualiter bonum, sapiens æqualiter sapientem, clemens æqualiter clementem, potens æqualiter potentem? Si autem negas æqualem, aperte dic esse degenerem. Non enim quem deum minorem, de Deo majore natum esse dicitis, saltem sicut infantem crescere sinitis, ut aliquando suo Patri possit esse æqualis. Ad hoc enim eum perfectum dicitis esse natum, non ut hinc jam ejus cresceret, sed ut minor ejus natura remaneret. Et cum ista sentiatis, sequeris tamen, et dicis : *Nihil subtraxit Pater in generando Filium.* Quomodo nihil subtraxit in generando Filium, quem non æqualem genuit, sed minorem? An ideo nihil subtraxit, quia nihil eorum quæ gignendo dedit, abstulit genito? Ita sane nihil subtraxit : sed et filiis hominum qui prospere nascuntur, nihil aufert Creator jam natis; quin potius addit, ut accedat crescentibus quod nascentibus defuit. Quid ergo magnum de Patre dixisti erga unicum Filium, qui non ex nihilo vel ex aliqua materia factus, sed ex ipso natus est? Quid magnum est quia non subtraxit quod dedit, si quod dare potuit, non dando subtraxit? Ubi est, quod cum invidum non esse dixisti? An forte dare non potuit? Ubi est omnipotentia Dei Patris? Prorsus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater æqualem sibi gignere Filium aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus; si noluit, invidus invenitur. Sed utrumque hoc falsum est. Patri igitur Deo Filius verus æqualis est. Si ergo, ut laudas, placet tibi quod a me commemoratum est, *Invisibilia enim ejus, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom.* 1, 20) : per id quod factum est in creatura visibili, ut parentes id quod ipsi sunt generent, intellige invisibilem nativitatem veri Filii Dei, ne Deum Patrem dicas id quod non est ipse genuisse. Si autem hoc genuit quod est ipse; unam Patris et Filii esse substantiam negare nolite.

CAPUT VIII. — Jam vero sequentia quæ sic connexuisti, ut de cruce vel incarnatione Christi probare nobis velles quod pariter credimus; servasti morem tuum : sed nihil tibi ad ista respondens, etiam ego servo promissum meum.

CAPUT IX. — 1. De invisibili Filio cum ageremus, quem consensisti esse invisibilem secundum divinitatem, qui prius solum Patrem invisibilem esse præsumpseras, ad rem non pertinentia multa dixisti de invisibilibus creaturis : quod poterunt judicare qui legerint. De invisibili Deo inter nos agitur : et hoc est quod quæstionem facit, quia vos invisibilem solum Patrem dictum putatis, ubi Apostolus ait, *Immortali, invisibili soli Deo* (I *Tim.* 1, 17). Si dixisset, Soli Patri; difficilius fortasse quæstio solveretur : quia vero dixit, *soli Deo;* non est utique contra nos : et Unigenitus quippe in Dei forma, et Spiritus sanctus in sua natura est invisibilis. Unus enim et solus Deus a nobis ipsa Trinitas prædicatur. Quod utrum verum sapiamus, in aliis locis a nobis est demonstratum, et ubi adhuc opus fuerit, demonstrabitur. Nunc in ista quæstione non immerito potest movere, quomodo de solo Deo, qui est ipsa Trinitas, dictum sit, *Invisibili soli Deo :* cum sit etiam quædam invisibilis creatura; propter quod dictum est de Christo, quia *in ipso condita sunt omnia, visibilia et invisibilia* (*Coloss.* 1, 16). Quia ergo sunt dii falsi visibiles, ideo dictum est, *In-*

visibili soli Deo honor et gloria. Etsi enim est creatura invisibilis, non tamen deus nobis est. Sed et si non dictum esset, *soli Deo*; sed dictum esset, *Regi autem sæculorum, immortali, invisibili soli honor et gloria:* quis nisi Deus esset? Honor ergo et gloria soli Deo, qui Deus invisibilis est, non qui solus invisibilis: quoniam est, ut diximus, et creatura invisibilis. Item quæri potest quomodo dictum sit, *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* I, 18); cum ejusdem Domini verba sint, *Nescitis quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 10)? Quæ sententia vos redarguit, qui nescitis quemadmodum dicatis invisibilem Patrem. Illud autem quod ait, *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem* (*Joan.* VI, 46); ad homines referri potest quod dictum est, *quisquam*. Et quia ipse homo erat qui tunc loquebatur in carne, ita hoc dixit, ac si diceret, Non quia Patrem vidit quisquam hominum, nisi ego: sicut dictum est, *Quis sapiens, et intelliget hæc* (*Psal.* CVI, 43)? Non enim et de sanctis Angelis id accipi potest. Unde Apostolus de invisibili Deo apertius posuit: *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest* (I *Tim.* VI, 16). Non enim ait, Nemo; sed, *Nemo hominum*. Ubi ostendit quemadmodum intelligi debeat quod dictum est, *Deum nemo vidit unquam;* id est, nemo hominum: sicut, *Nemo ascendit in cœlum* (*Joan.* III, 13); cum Angeli soleant illuc ascendere, quia solent inde descendere. Nec tamen Apostolus dixit, Nemo hominum poterit videre Deum; sed, *Nemo potest*. Poterit enim homo, sed tunc cum æternum erit fidelium præmium, videre Deum. Propter quod Joannes apostolus: *Dilectissimi*, inquit, *filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Quid est ergo quod dicis, solum esse invisibilem Patrem? quod frustra diceres, etiamsi a solo Filio videretur. Nunc vero cum divina testentur eloquia eum videri et ab Angelis, videndum etiam ab hominibus, cum facti fuerint æquales Angelis (*Matth.* XXII, 30); quid est quod dicis? Ubi est quod definire ausus es, *minora videri a majoribus, majora autem a minoribus non videri?* Quod quidem postea perdidisti, quando videri a Filio confessus es Patrem, cum et in ipsa substantia divinitatis dicas Filium minorem, Patremque majorem. Sed quid dicturus es de Angelis, qui semper vident faciem Dei Patris? Numquid propter regulam tuam, quam sine consideratione fixisti, putandi sunt Angeli Patre Deo esse majores?

2. Sed eleganter te existimas invenisse quod diceres, ubi aisti de Filio: *Vidit ergo Patrem, sed vidit incapabilem.* Nec attendis, quia etsi vidit incapabilem, quem sicut putas, capere non potuit; non tamen invisibilem, quem videre potuit. Tu autem nobiscum non de capabili et incapabili, sed de visibili et invisibili, cum ista diceres, disputabas: quia nec Apostolus ait, Incapabili; sed ait, *Invisibili soli Deo.* Unde hoc testimonium pro te adhibendum putasti, ut hinc etiam decolorares Filium, tanquam ipse in Dei forma invisibilis non sit. Sed quoniam veritate convictus, et Filium confessus es invisibilem, præparasti tibi, quantum existimo, sic dicere, Invisibilis invisibilem genuit; quomodo dixisti, *potens potentem:* ut cum discutereris, hoc a te quomodo diceretur, responderes, Invisibilior invisibilem genuit, sicut potentior potentem, sapientior sapientem, et cætera tua. Sed quam sapienter ostendisti Filio incapabilem Patrem, Filium vero capabilem Patri. Dixisti enim: *Vidit ergo Patrem, sed vidit incapabilem. Pater autem*, inquis, *sic videt Filium, ut tenens in sinu suo et habens.* Sic non sapiunt, nisi qui carnaliter sapiunt. Sinum quippe tibi fingis, ut video, aliquam capacitatem majoris Patris, qua Filium minorem capiat atque contineat: sicut hominem corporaliter capit domus, aut sicut sinus nutricis capit infantem. Ergo inter mirabilia Christi et hoc deputabitur, quia in forma servi crevit, et major est factus quam in forma Dei fuerat, ut cum prius portaretur in sinu Patris, nunc sedeat ad dexteram Patris. Abjice ista puerilia vel anicularia phantasmata de corde tuo: et sinum Patris ideo dictum accipe, ut intelligatur iste genitus, ille genitor; non ut ille major, hic minor. Nam si incapabilis est Pater, Filius vero incapabilis non est, non veraciter dictum est, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15): quandoquidem responderi ei potest, Ecce incapabilitatem habet Pater, quæ non est tua. Sed quoniam veraciter dictum est quod Veritas dixit, et omnia quæ habet Pater, Filii sunt; non potest non esse Filii quantacumque sit incapabilitas Patris. Et hanc Domini sententiam, ubi ait, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt;* tanquam rectissimam regulam ad vos, sive convincendos, sive, quod magis cupimus, corrigendos, per multa adhibere debemus: ut ubicumque aliquid tribuitis Patri quod Filio denegatis, ipsam fidelissimam testem contra errores vestros, vel contra mendacia producamus. Quid opus est autem in eo tibi resistere, quod humanam sapientiam contendis esse visibilem; cum ipsam animam humanam, in qua est utique humana sapientia, invisibilem esse concesseris? Sed quodlibet sentias de universa invisibili creatura, quantum ad Deum pertinet, de quo inter nos agitur, satis tibi demonstratum est non esse solum invisibilem Patrem.

CAPUT X. — 1. Putas Deum Patrem cum Filio et Spiritu sancto unum Deum esse non posse: times enim ne Pater solus non sit unus Deus, sed pars unius Dei qui constat ex tribus. Noli timere, nulla fit partium in deitatis unitate divisio. Unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, hoc est ipsa Trinitas. Unus est Deus, de quo dictum est, quia *Nullus Deus, nisi unus* (I *Cor.* VIII, 4): et qui dixit, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* Cui uni et soli Deo servire nos sine ullo scrupulo agnoscimus, quando audimus et legimus: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 4, 13). Ne forte propter hæc verba, Christo cujus membra sumus (I *Cor.* VI, 15), vel Spiritui sancto cujus templum sumus (*Id.* III, 17), servire nolimus, si quod dictum est, Domino

Deo tuo *soli servies*, sic acceperimus, tanquam de solo Patre, et non de ipsa Trinitate sit dictum. Vos autem, cum quæritur a vobis, quem credatis esse de quo scriptum est, *Dominus Deus tuus, Dominus unus est;* respondetis, Deus Pater est. Itemque cum quæritur de quo Domino Deo dictum sit, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies;* rursus respondetis, De Deo Patre. Tunc vobis dicitur : Si Dominus Deus noster Dominus unus est, et hic Pater est; quare vos facitis duos dominos deos, dicendo etiam Christum esse Dominum Deum? Item si Pater est, cui uni Domino Deo ac soli serviendum est; quomodo obtemperatis huic præcepto, qui tanquam Domino Deo servitis et Christo? Neque enim illi soli servit, qui servit et huic. Secundum fidem autem rectam, quicumque ipsam Trinitatem unum Dominum Deum esse nostrum didicimus, profecto cum ei soli ea quæ Deo debetur servitute servimus, Domino Deo soli nos servire confidimus.

2. *Ergo*, inquis, *Deus Pater pars est Dei.* Absit. Tres enim personæ sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus : et hi tres quia unius substantiæ sunt, unum sunt, et summe unum sunt, ubi nulla naturarum, nulla est diversitas voluntatum. Si autem natura unum essent, et consensione non essent, non summe unum essent : si vero natura dispares essent, unum non essent. Ili ergo tres, qui unum sunt propter ineffabilem conjunctionem deitatis, qua ineffabiliter copulantur, unus Deus est. Porro autem Christus una persona est geminæ substantiæ, quia et Deus et homo est. Nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest : alioquin Filius Dei Deus antequam susciperet formam servi, non erat totus, et crevit cum homo divinitati ejus accessit. Quod si in una persona absurdissime dicitur, quia pars rei ullius esse non potest Deus; quanto magis pars Trinitatis esse non potest, quicumque unus in tribus? Deinde ubi ait Apostolus, *Qui adhæret Domino, unus spiritus est;* (I *Cor.* VI, 17); numquid hujus unius pars est Dominus? Si enim hoc dicimus, quid aliud dicere deprehendimur, nisi quod augeatur adhærente homine, et recedente minuatur? In Trinitate igitur quæ Deus est, et Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, et simul hi tres unus Deus : nec hujus Trinitatis tertia pars est unus, nec major pars duo quam unus est ibi; nec majus aliquid sunt omnes quam singuli : quia spiritualis, non corporalis est magnitudo. Qui potest capere, capiat (*Matth.* XIX, 12) : qui autem non potest, credat, et oret ut quod credit intelligat. Verum est enim quod dicitur per prophetam, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9).

3. Tu nempe dixisti, *unum Deum non ex partibus esse compositum.* Et quia de Patre hoc vis intelligi, *Ille*, inquis, *quod est, virtus est ingenita, simplex.* Et tamen in hac simplici virtute quam multa commemoraveris, vide. Nam superiora verba tua sunt : *Deus Deum genuit, Dominus Dominum genuit, Rex Regem genuit, Creator Creatorem genuit, bonus bonum genuit, sapiens sapientem genuit, clemens clementem, potens potentem.* Cur ergo in virtute simplici, quod est Deus, non timuisti tot commemorare virtutes? Ut enim omittam quatuor quas loco superiore posuisti, et alias quatuor dicam, quas enuntiare usitatis nominibus possimus; numquid bonitas et sapientia et clementia et potentia partes sunt unius virtutis, quam simplicem esse dixisti? Si dixeris, Partes sunt; simplex ergo virtus ex partibus constat, et simplex ista virtus te definiente unus est Deus. Unum ergo Deum ex partibus compositum esse dicis? Non dico, inquis. Non sunt ergo partes : et tamen quatuor sunt, et una virtus est, eademque simplex est. Si ergo in una Patris persona, et plura invenis, et partes non invenis; quanto magis Pater et Filius et Spiritus sanctus, et propter individuam deitatem unus Deus est, et propter uniuscujusque proprietatem tres personæ sunt, et propter singulorum perfectionem partes unius Dei non sunt? Virtus est Pater, virtus Filius, virtus Spiritus sanctus. Hoc verum dicis : sed quod virtutem de virtute genitam, et virtutem de virtute procedentem non vis eamdem habere naturam, hoc falsum dicis, hoc contra fidem rectam et catholicam dicis.

CAPUT XI. — Redis ut quæras a me, quomodo sit invisibilis Filius, unde jam dixi superius, quod visum est dicendum. Sed *si ob hoc*, inquis, *Filius invisibilis a te pronuntiatur, eo quod oculis humanis contemplari non possit; cur non et cœlestes virtutes pariter invisibiles pronuntias, quando nec ipsæ obtutibus humanis videri possunt?* Ita hoc dicis, quasi possit ab homine comprehendi quis ille sit modus, quo cœlestes virtutes sunt invisibiles; aut ad hoc quærendum esse debeamus intenti, dicente Scriptura, *Altiora te ne quæsieris* (*Eccli.* III, 22). Quod præceptum ipse contemnens, ausus es dicere angelum videri ab archangelo, archangelum ab angelo non videri. Satis sit, quod ostendi non esse consequens ut ideo credamus in forma Dei visibilem Filium, quia scriptum est, *Invisibili soli Deo* (I *Tim.* I, 17). Quod tu de Patre sic te accipere demonstrabas, tanquam Filius invisibilis non sit, cum eum et invisibilium creatorem Scriptura testetur. Verumtamen restat ut dicas, Ambo quidem invisibiles sunt, id est, et Pater et Filius, sed Pater invisibilior est : ac sic dando aliquid Patri quod non sit Filii, mendacem facias eumdem Filium dicentem, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15).

CAPUT XII. — 1. Hoc et de potentia sapis, quod scilicet sit quidem potens et Filius, sed potentior Pater Filio : ut auctoribus et doctoribus vobis potuerit potentem potens, nec potuerit omnipotentem gignere omnipotens. Ac per hoc si habet Pater omnipotentiam quam non habet Filius, falsum est quod ait Filius, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Deinde si aliquid facit Pater, quod facere non potest Filius, merito dicitur potentior Pater quam Filius : cum vero dicat, *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit* (*Joan.* V, 19); nonne melius auditur ipse quam

vos, meliusque ipsi creditur docenti quam decipientibus vobis? *Sed potentiam Pater*, inquis, *a nemine, Filius vero accepit a Patre.* Fatemur et nos Filium ab illo accepisse potentiam, de quo natus est potens: Patri vero potentiam nullus dedit, quia nullus eum genuit. Gignendo enim dedit potentiam Pater Filio, sicut omnia quæ habet in substantia sua, gignendo dedit ei quem genuit de substantia sua. Sed quæritur utrum tantam, quanta ipsi est, potentiam Pater Filio dederit, an minorem. Si tantam, non solum potentem potens, verum etiam omnipotentem genuisse dicatur, credatur, intelligatur omnipotens: si minorem, quomodo omnia quæ habet Pater, Filii sunt? Si Patris omnipotentia Filii non est, quomodo *quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit?* quod utique non potest, si omnipotens non est.

2. Ac per hoc quod ait Apostolus, *Beatus et solus potens:* non cogor de Patre tantummodo accipere; sed de Deo, quod est ipsa Trinitas. Loquens enim ad Timotheum: *Præcipio*, inquit, *tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi; quem temporibus propriis ostendet beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium; qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem; quem nemo hominum vidit, nec videre potest; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen* (I *Tim.* VI, 13-16). Nihil hic video dictum quod non conveniat Trinitati. Sed ut nunc taceam de Spiritu sancto, quem nec saltem minorem Filio Deum vultis, quia omnino Deum esse non vultis, sufficit ut vos de Patre convincamus et Filio. Numquid enim quia dixit Apostolus, *Testificor tibi coram Deo qui vivificat omnia;* Pater solus, non et Filius vivificat omnia? Si dixeris Patrem solum vivificare omnia, quomodo ergo *quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit?* Quandoquidem Pater, ut putas, vivificat omnia, quod Filius non facit. Deinde ubi ait, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* V, 21); quomodo verum est, si Pater sine Filio vivificat omnia? Proinde quod addidit, *Et Christo Jesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem;* de Filio proprie dicere voluit: quia Filius quidem sicut Pater vivificat omnia; sed sub Pontio Pilato in forma servi Filium novimus passum fuisse, non Patrem. Deinde subjungitur, *Ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi; quem temporibus propriis ostendet beatus et solus potens: quem*, scilicet adventum Domini Christi; *ostendet* utique Deus, quod non solus est Pater, quia secundum veritatem, non secundum vestrum errorem, Trinitas unus est Deus: *beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium.* Numquid enim vel vos dicere audetis Filium non esse Regem regum et Dominum dominantium? De quo inter cætera scriptum est in Apocalypsi Joannis: *Et ipse calcat torcular vini potentis, et in tunica et in femore habet nomen scriptum, Rex regum et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX, 15, 16). Sed ne forte dicatis quod nomen Patris Filius habet scriptum in veste et in femore; alio loco ejusdem libri superius legitur: *Et Agnus vincet eos, quoniam Dominus dominantium est et Rex regum* (*Id.* XVII, 14). Quapropter secundum vos, duo sunt reges regum et domini dominantium: et contra vos est, si de Patre tantum ait Apostolus, *Beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium.* Verum autem secundum rectam fidem ipsa Trinitas unus est Deus, *beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem.* Et quomodo erit verum, *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6); nisi quia hoc nemo potest, si de se quisque præsumpserit, sed si ipse donaverit? Immortalitatem autem Deus habere dicitur solus, quia est immutabilis solus. In omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse quod erat. Proinde et ipsa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercumque secundum modum suum nunquam desinit vivere, habet tamen pro ipso suo modo quamdam mortem suam: quia si juste vivebat et peccat, moritur justitiæ; si peccatrix erat et justificatur, moritur peccato: ut alias ejus mutationes taceam, de quibus longum est disputare. Et creaturarum natura cœlestium mori potuit, quia peccare potuit: nam et Angeli peccaverunt, et dæmones facti sunt, quorum est diabolus princeps. Et qui non peccaverunt, peccare potuerunt. Et cuicumque creaturæ rationali præstatur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ. Ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cujusquam gratia, sed natura sua, nec potuit, nec potest aliqua conversione mutari, nec potuit nec poterit aliqua mutatione peccare. Quem secundum naturam qua Deus est, *nemo hominum vidit, nec videre potest:* sed poterit aliquando, si ad illum numerum hominum pertinet, de quibus dictum est, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Cui Deo, id est Patri et Filio et Spiritui sancto, quæ Trinitas unus est Deus, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

3. Absit autem ut, quomodo putas, ideo sit Pater potentior Filio, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem. Neque enim non potuit (*a*), sed non oportuit. Immoderata enim esset divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri: quia et ipse nepos, nisi avo suo pronepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur. Similiter etiam ille si nepotem non gigneret avo suo, et pronepotem pronavo suo, non a vobis appellaretur omnipotens: nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasce-

(*a*) Plerique ac melioris notæ Mss., *Neque enim potuit.* Attamen Magister Sent. in 1, dist. 7, citat, *Neque enim non potuit:* id est, non ex impotentia Filii, sed ex rei natura venit ut Filius non generet. Neque cogimur intelligere, Filium potuisse alium generare filium, quod Augustinum existimasse credit Petavius in lib. 7 Theolog. dogm. de Trinitate, cap. 13, n. 6.

retur; nec eam perficeret ullus, si non sufficeret unus. Omnipotens itaque omnipotentem genuit Filium; quoniam *quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit.* Filium quippe ipsum genuit utique Patris natura, non fecit.

CAPUT XIII. — 1. In illo etiam testimonio, ubi ait Apostolus, *Soli sapienti Deo;* non dissimilis error est vester : sed quod vobis respondimus de potentia, hoc etiam de sapientia respondemus. Si enim dixisset Apostolus, Soli sapienti Patri; nec sic inde Filium separaret. Num enim quia in Apocalypsi de Filio legitur, *Habens nomen scriptum, quod nemo scit nisi ipse* (*Apoc.* XIX, 12); ideo Pater nescit hoc nomen, a quo est inseparabilis Filius? Sicut ergo scit et Pater quod nemo scire dictus est nisi Filius, quia inseparabiles sunt : sic etiam si dictum esset, Soli sapienti Patri; simul intelligi deberet et Filius, quia inseparabiles sunt. Cum vero non sit dictum, Soli sapienti Patri; sed *Soli sapienti Deo;* et Deus unus sit ipsa Trinitas : multo est facilior nobis hujus solutio quæstionis; ut sic intelligamus solum Deum sapientem, sicut intelleximus solum potentem, id est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui est unus et solus Deus, cui soli servire jussi sumus : ne male intelligentes, vel potius non intelligentes, contra hoc præceptum facere videamur, quia et Domino Christo ea quæ Deo debetur servitute servimus. Non enim dictum est, Dominum Deum tuum Patrem adorabis, et illi plus servies; ut servire permitteremur et Filio, plus tamen Patri tanquam majori, minus autem Filio tanquam minori Deo : sed dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13); soli scilicet omnipotenti, soli sapienti Deo; ut vos repelleremini, qui nolentes accipere unum solum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et dicentes unum Dominum Deum, cui soli serviendum est, non esse nisi Deum Patrem, et tamen etiam Filium Deum et Dominum confitentes; apertissime duos deos et dominos, majorem unum, minorem alterum dicitis : et reos vos, secundum errorem vestrum, præcepti hujus violati esse monstratis, quia non solum majori, verum etiam minori, ea quæ Domino Deo debetur servitute servitis.

2. Ubi autem dixit Apostolus, *Soli sapienti Deo;* cum scriberet ad Romanos, in fine Epistolæ sic loquitur : *Ei autem qui potens est,* inquit, *vos confirmare secundum Evangelium meum, et præconium Jesu Christi; secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, manifestati autem nunc per Scripturam Prophetarum; secundum præceptum æterni Dei, in obedientiam fidei in omnes gentes cogniti; soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui gloria in sæcula sæculorum* (*Rom.* XVI, 25 27). Hoc est, *Ei qui potens est vos confirmare, soli sapienti Deo gloria in sæcula sæculorum.* Quod autem interpositum est, *per Jesum Christum;* utrum soli sapienti Deo per Jesum Christum accipi debeat, ut scilicet solus Deus sapiens per Jesum Christum sapiens esse intelligatur, non participando, sed gignendo sapientiam, quod est Christus Jesus; an vero non per Jesum Christum sapienti, sed per Jesum Christum gloria Deo soli sapienti, videtur ambiguum. Sed quis audeat dicere per Jesum Christum fieri ut sit sapiens Deus Pater; cum secundum substantiam suam non dubitandum sit eum esse sapientem, potiusque sit substantia Filii per gignentem Patrem, quam substantia Patris per genitum Filium? Restat ergo ut soli sapienti Deo gloria sit per Jesum Christum, hoc est, clara cum laude notitia, qua innotuit gentibus Deus Trinitas : ideo per Jesum Christum, quia, ut alia taceam, ipse præcepit baptizari gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19); ubi præcipue commendata est hujus individuæ gloria Trinitatis. Deus itaque, quod est ipsa Trinitas, propterea solus sapiens recte dicitur, quia solus secundum substantiam suam sapiens est : non secundum accidentem vel accedentem participationem sapientiæ, sicut sapiens est rationalis quæcumque creatura. Quod vero additum est, *cui,* ut diceretur, *cui gloria;* cum sufficeret si dictum esset, Ei autem gloria : inusitatam nostræ linguæ indicat locutionem; non sensum quem requiramus, vel de quo ambigamus, insinuat. Quid enim sensui deperit, si dicatur, Ei gloria, cui per Christum gloria? Hoc est namque, *per Jesum Christum cui gloria;* quod est, cui per Jesum Christum gloria. Sed horum alter inusitatus, alter usitatus est ordo verborum.

CAPUT XIV. — 1. Quæris a me, *Si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est etiam Spiritus sanctus; cur unus Filius sit, et alius non sit filius.* Ecce respondeo, sive capias, sive non capias. De Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus : sed ille genitus, iste procedens : ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit. Sed ideo cum de illo Filius loqueretur, ait, *De Patre procedit* (*Joan.* XV, 26); quoniam Pater processionis ejus est auctor, qui talem Filium genuit, et gignendo ei dedit ut etiam de ipso procederet Spiritus sanctus. Nam nisi procederet et de ipso, non diceret discipulis, *Accipite Spiritum sanctum;* eumque insufflando daret (*Id.* XX, 22), ut a se quoque procedere significans, aperte ostenderet flando, quod spirando dabat occulte. Quia ergo si nasceretur, non tantum de Patre, nec tantum de Filio, sed de ambobus utique nasceretur; sine dubio filius diceretur amborum. Ac per hoc quia filius amborum nullo modo est, non oportuit nasci eum de ambobus. Amborum est ergo Spiritus, procedendo de ambobus. Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? Non omne quod procedit nascitur, quamvis omne procedat quod nascitur; sicut non omne quod bipes est homo est, quamvis bipes sit omnis qui homo est. Hæc scio : distinguere autem inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. Ac per hoc quia et illa et ista est ineffabilis, sicut propheta de Filio loquens ait, *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8)? ita de Spiritu sancto verissime dicitur, Processionem

ejus quis enarrabit? Satis sit ergo nobis, quia non est a seipso Filius, sed ab illo de quo natus est : non est a seipso Spiritus sanctus, sed ab illo de quo procedit. Et quia de utroque procedit, sicut jam ostendimus : unde et Spiritus Patris dictus est, ubi legitur, *Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis, habitat in vobis;* et Spiritus Filii, ubi legitur, *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 11, 9). Non enim duo sunt Spiritus sancti, tanquam singuli singulorum, unus Patris, alter Filii; sed unus potius Patris et Filii : de quo uno Spiritu scriptum est, *Etenim in Spiritu uno nos omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi; et omnes unum Spiritum potavimus* (I *Cor.* XII, 13). Et alio loco : *Unum corpus et unus Spiritus* (*Ephes.* IV, 4).

2. Quid ergo hæc Trinitas, nisi unius ejusdemque substantiæ est? Quandoquidem non de aliqua materia vel de nihilo est Filius, sed de quo est genitus : itemque Spiritus sanctus non de aliqua materia, vel de nihilo, sed inde est unde procedit. Vos autem nec Filium de Patris substantia genitum vultis, et omnem eum nec ex nihilo, nec ex aliqua materia, sed ex Patre esse conceditis. Nec videtis quam necesse sit, ut qui non est ex nihilo, non est ex aliqua re alia, sed ex Deo, nisi ex Dei substantia esse non possit, et hoc esse quod Deus est de quo est, hoc est, Deus de Deo. Quocirca Deus de Deo natus, quia non aliud prius fuit, sed natura coæterna de Deo est, non est aliud quam est ille de quo est, hoc est, unius ejusdemque naturæ, vel unius ejusdemque substantiæ. Quod cum auditis, quale cor habeatis ignoro, qui putatis nos sic Filium dicere natum esse de Patre, quomodo nascuntur de corporibus corpora : et quoniam corruptibiliter ista nascuntur, accusatis nos tanquam generationi Unigeniti, quæ de Patre est, corporalem passionem corruptionemque tribuamus. Carnalibus quippe cogitationibus pleni substantiam Dei de se ipsa gignere posse Filium non putatis, nisi hoc patiatur quod substantia quando gignit patitur carnis. Erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei (*Matth.* XXII, 29). Quando legitis, *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo* (I *Joan.* V, 20); verum Dei Filium cogitate. Hunc autem Filium nullo modo verum Dei Filium cogitatis, si eum natum esse de substantia Patris negatis. Num enim jam erat hominis filius, et Deo donante factus est Dei filius; ex Deo quidem natus, sed gratia, non natura? An forte etsi non hominis filius, tamen aliqua jam erat qualiscumque creatura, et in Dei filium, Deo mutante, conversa est? Si nihil horum, ergo aut de nihilo aut de aliqua substantia natus est. Sed ne crederemus de nihilo esse Dei Filium vos putare, jam nos ab ista sollicitudine liberasti : affirmasti enim non vos dicere, de nihilo esse Dei Filium. De aliqua ergo substantia est. Si non de Patris; de qua? Dicite. Sed non invenitis. Jam igitur unigenitum Dei Filium Jesum Christum Dominum nostrum de Patris esse substantia non vos nobiscum pigeat confiteri.

3. Pater ergo et Filius unius sunt ejusdemque substantiæ. Hoc est illud Homousion, quod in concilio Nicæno adversus hæreticos Arianos a catholicis Patribus veritatis auctoritate et auctoritatis veritate firmatum est : quod postea in concilio Ariminensi, propter novitatem verbi minus quam oportuit intellectum, quod tamen [1] fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas sub hæretico imperatore Constantio labefactare tentavit. Sed post non longum tempus libertate fidei catholicæ prævalente, posteaquam vis verbi, sicut debuit, intellecta est, Homousion illud catholicæ fidei sanitate longe lateque defensum est. Quid est enim Homousion, nisi unius ejusdemque substantiæ? Quid est, inquam, Homousion, nisi, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30)? Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris : Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Utrique legimus, *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo; ipse est verus Deus et vita æterna.* Utrique tanti ponderis molibus cedamus. Dic ergo nobis, utrum iste verus Dei Filius, ab eis qui gratia filii sunt hujus nominis quadam proprietate discretus, de nulla substantia sit, an de aliqua. *Non dico,* inquis, *de nulla, ne de nihilo dicam.* Ergo de aliqua est : quæro, de qua? Si non de Patris, aliam quære. Si aliam non invenis, quia omnino non invenis; Patris agnosce, et Filium cum Patre Homousion confitere. Caro de carne nascitur, filius carnis de substantia carnis nascitur. Corruptionem de medio tollite, passiones carnales a lumine mentis abjicite, et invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicite (*Rom.* I, 20). Credite Creatorem, qui dedit carni carnem gignere, qui dedit parentibus veros carnis filios de carnis substantia generare, ac sic filios cum parentibus unius esse substantiæ, multo magis potuisse verum gignere Filium de sua substantia, et unam cum vero Filio habere substantiam, manente incorruptione spirituali, et longissime hinc aliena corruptione carnali.

4. Nam de anima quid dixeris, nescio. Verba enim tua sunt, ubi dicis : *Nec enim ad animæ ingenuitatem comparatis tantam illam magnificentiam, sed ad fragilitatem corporis. De corpore utique,* inquis, *nascitur caro, corporalis filius : non tamen de anima anima nascitur.* Post istam quasi definitionem tuam, rursus affirmas animam filios generare. Adjungis enim, et dicis : *Si ergo nostra anima incorruptibiliter generat et impassibiliter, nullam sentiens diminutionem, non inquinationem aliquam; sed legitime secundum jura divina generat filium, sapientia consensum* [2] *accommodans corpori, ipsa integra manet : quanto magis omnipotens*

[1] Mss., *minus quam potuit intellectam, quam tamen,* etc.
[2] Editio Erasmi, hic et supra in collatione cum Maximino, *generatum filium, sapientium con cusu, accommodans corpori.* Minus recte. Lov. constanter, *et sapientia.* Sed particula, *et,* abest a Mss.

Deus? Et paulo post dicis : *Quanto magis Deus Pater incorruptibilis incorruptibiliter genuit Filium?* Jam supra dixi, nescire me quid volueris de anima intelligi, de qua prius dixisti quod non nascatur anima de anima, et postea, quod anima incorruptibiliter gignat filium. Si animam gignit, quomodo non nascitur anima de anima? Si carnem, tu videris quomodo sit caro verus animæ filius. Christus enim, propter quem putasti hanc adhibendam similitudinem, verus est Dei Filius. Si autem incorruptibiliter gignere animam filium sic accipi voluisti, quomodo ait Apostolus, *In Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui* (*I Cor.* IV, 15); cur non attendis, quod jam erant illæ animæ in vetere vita, quas per Evangelium renovando Apostolus genuit? Verbum autem Dei Deus unigenitus Filius, sicut jam disputavimus, non prius aliquid fuit, et renovatione est generatus a Patre, sed cum Patre semper fuit; sicut est semper atque erit mirabili atque ineffabili modo genitus ab æterno coæternus. Sed si ob hoc introduxisti hanc dissimilem similitudinem, ut assereres Deum Patrem incorruptibiliter genuisse : noli laborare; confiteor omnino, incorruptibiliter genuisse Deum Patrem, sed quod est ipse genuisse. Iterum enim dico hic, quod vobis sæpe dicendum est : Aut de aliqua substantia natus est Dei Filius, aut de nulla. Si de nulla, ergo de nihilo; quod vos non dicere jam tenemus. Si de aliqua, nec tamen de Patris, non verus est Filius. Si de Patris, unius ejusdemque substantiæ sunt Pater et Filius. Quomodo autem nihil Filio subtraxit, ut dicis, si ejusdem substantiæ est, et tamen minor est, nec sicut infans crescere potest?

5. Jam vero de immortalitate Dei, quia non Patrem, sed Deum qui et Pater est et Filius et Spiritus sanctus, solum habere immortalitatem dixit Apostolus, satis superius disputavi, quando ipsum apostolicum testimonium et posui totum, et exposui.

6. Displicet tibi, quod æqualem Patri asserimus Filium : quasi possit esse inæqualis, qui verus est Filius, non natus ex tempore, sed gignenti coæternus, sicut splendor ab igne genitus gignenti manifestatur æquævus. Sed *habet*, inquis, *Dei Filius auctorem Patrem*. Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis auctorem, quia ille genuit, genitus est iste; quia iste de illo est, non ille de isto; fateor et concedo. Si autem per nomen auctoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejusdem substantiæ Filium cujus est Pater; detestabor et respuam : quia et filius hominis, in quantum est filius, habet auctorem de quo natus est, patrem; nec tamen ideo non est ejusdem substantiæ cujus est pater; et quod iste minor, major est ille, potest tamen ad formam patris valentiamque pervenire crescendo, in qua patrem propterea non omni modo invenit talem, quia et ille defecit senescendo. Sic enim necesse est varietur ætate mortalitas, ubi temporalis est, non æterna nativitas. Non autem illa sic est, ubi nec crescit Filius, nec senescit Pater. Et ideo amborum non impar est ætas; quia ubi est æternitas, non est ætas : ideo forma non impar amborum; quoniam verus Filius, qui non ut angeretur est natus, ne remaneret degener, æqualis est natus. Sit ergo nativitate humana longe melior et excellentior divina nativitas, incorruptibili et inviolabili generatione : non tamen sit deterior, diversitate naturæ.

7. Sed *vitam Filius*, inquit, *accepit a Patre*. Accepit sicut genitus a gignente. *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15). Omnia ergo quæ habet Pater, dedit ille gignendo, accepit iste nascendo. Nec dando ille amisit quod habuit; nec iste cum esset et non haberet accepit : sed sicut ille permansit habens omnia, cum ea quæ habet Filio dederit omnia; sic iste nunquam fuit sine omnibus, quæ non egendo, sed nascendo accepit ut Fillus : quia nunquam potuit esse non natus, et ea sine quibus non est natus, et est immutabilis natus, semper habuit, quia semper est natus. Si enim aliquid eorum quæ habet Pater non dedit Filio, falsum est quod ait Filius : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*. Sed quia verum est, prorsus omnia quæ habet Pater, dedit, ut diximus, ille gignendo, accepit iste nascendo. Ac per hoc dedit ille vitam, quia genuit vitam; accepit iste vitam, quia natus est vita : si minor, si decolor [1], si diversa, non ergo quam Pater habuit hanc dedit Filio. Et quomodo verum est, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt?* Sed quis audeat dicere, Verum non est quod Veritas dixit? Quapropter *sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Id.* V, 26). Sicut habet dedit, quod habet dedit, qualem habet, talem dedit; quantam habet, tantam dedit. Omnia quæ habet Pater, Filii sunt. Non ergo aliquid minus quam Pater habet Filio dedit; nec amisit Pater vitam, quam Filio dedit. Vivendo enim tenuit, quam gignendo dedit. Vita est autem ipse Pater, vita est ipse Filius. Et ille quippe et iste id habet quod et ipse [2] : sed ille de nullo vita, iste vita de vita; sed talis qualis illa, tanta quanta illa, hoc omnino quod illa; quia verus est Filius, quia perfectus est Filius, quia non est degener ab uno Deo Patre Deus unicus Filius, Patri ergo æqualis est Filius. Quidquid eum dicis a Patre accepisse, fatemur et nos : prorsus Pater dedit, Filius accepit. Sed cum Pater omnia quæ habet gignendo dedit, æqualem utique genuit, quoniam nihil minus dedit. Quomodo ergo tu dicis, quia ille dedit, ille accepit, ideo æqualem Filium Patri non esse : cum eum cui data sunt omnia, et ipsam æqualitatem videas accepisse? Scriptum est quidem, *Beatum est magis dare quam accipere* (*Act.* XX, 35) : sed in hac vita ubi est inopia, qua utique melior est copia. Melius enim est habere, quam egere; et melius est donare, quam accipere [3]; erogare, quam mendicare. Ubi autem qui dedit, gignendo dedit; et qui accepit, nascendo accepit : non inopi subventum est, sed ipsa copia generata est. Nec potest qui accepit ei qui dedit esse

[1] Editi, *discolor*. At Mss., *decolor*.
[2] Sic Mss. Editi vero, *quod est ipse*.
[3] Am. Er. et Mss. omittunt, *quam accipere; erogare*.

inæqualis, quia et hoc accepit ut esset æqualis. Nihil enim Patre minus habet ille qui dicit, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Æqualis est igitur. Sed quia *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, non formam Dei perdens; ita factus est in eadem servi forma *obediens usque ad mortem crucis* (*Philipp.* II, 7, 8), in qua paulo minus minoratus est ab Angelis (*Psal.* VIII, 6), ut Patri in forma Dei maneret æqualis: quia non est forma illa mutabilis.

8. Quid itaque mirum est, si ea quæ commemoras, dicit, *Ego quæ placita sunt Patri, facio semper* (*Joan.* VIII, 29): et ad monumentum Lazari, *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me; et ego sciebam quia semper me audis, sed propter eos qui circumstant dixi, ut credant quia tu me misisti* (*Id.* XI, 41, 42): et iterum, *Me oportet operari opera ejus qui me misit* (*Id.* IX, 4): et antequam panes frangeret, prius *Patri gratias egit* (*Matth.* XXVI, 26; *Marc.* VIII, 6, *et Joan.* VI, 11)? Si his atque hujusmodi testimoniis id ostendere voluisses, quod in forma servi Filius minor est Patre, et in ipsa forma Dei iste de illo non ille de isto est; quod sæpe significans, multa ita dicit, ut eum non intelligentes etiam in ipsa divinitate arbitrentur minorem: sic teneres rectam regulam fidei, ut non contradiceres veritati; nec per talia testimonia oppugnares Evangelium, sed doceres. Quæ sunt enim placita Patris, quæ non sunt et Filii? aut unde potest facere Filius, nisi quæ placita sunt Patri, a quo habet omnia in quibus æqualis est Patri? Quomodo non gratias agit Patri de quo est, præsertim in forma servi, in qua illo minor est? Quomodo non Patrem rogat ut homo, qui cum Patre exaudit ut Deus? Quis autem christianus ignorat quod Pater miserit, missusque sit Filius? Non enim genitorem ab eo quem genuit, sed genitum a genitore mitti oportebat: verum hæc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ; non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ex altero. Oportebat ergo operari eum qui missus est, opera ejus a quo missus est: et quæ sunt opera Patris, quæ non sunt et Filii; cum dicat idem Filius, *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit* (*Joan.* V, 19)? Opera tamen Patris esse dicit: non enim obliviscitur a quo sit; a Patre quippe illi est ut operator talium operum sit. Hæc autem vos ita intelligitis, ut hinc etiam putetis Patrem Filio esse majorem, quia dixit passerem non cadere in terram sine Patris voluntate (*Matth.* X, 29); quasi cadat sine voluntate Filii. An usque adeo minorem vultis Filium, ut non habeat in potestate nec passeres? Sed si non vultis huic regulæ acquiescere, ut ubicumque legeritis in auctoritate divinorum eloquiorum, quo [1] minor Patre Filius videatur ostendi, aut ex forma servi dictum accipiatis, in qua vere minor est Patre; aut ideo dictum, quo non demonstretur major vel minor ullus esse altero, sed demonstretur esse alter ex altero: si huic, inquam, rectissimæ regulæ non vultis acquiescere; certe tamen verum Dei Filium nulla ratione dicetis, si non ejusdem substantiæ, cujus Pater est, eum esse dicetis. Ut enim humanum aliquid dicam propter infirmitatem carnalium: cum homines duo sunt, pater et filius, si obediens sit patri filius, et aliqua existente causa roget patrem, gratias agat patri, aliquo denique mittatur a patre, ubi se dicat non venisse facere voluntatem suam, sed ejus a quo missus est; numquid hinc ostenditur non ejusdem cujus pater est esse substantiæ? Cur ergo ubi de Filio Dei talia legitis, statim in tantum sacrilegium corde atque ore proruitis, ut veri Filii Dei unam eamdemque cum Patre substantiam non esse credatis atque dicatis?

9. Quid quod etiam illud commemorandum putasti, quod manifestissime ut homo loquitur: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc enim præceptum accepi a Patre meo?* Quid hoc adjuvat causam tuam? Numquid enim aliud dixit, nisi, Potestatem habeo moriendi et resurgendi? Quod itaque ait, *Nemo eam tollit a me, sed ego eam pono a me, et iterum sumo eam* (*Joan.* X, 18); quid intelligi voluit, nisi se non fuisse moriturum, nisi ipse voluisset? Numquid tamen nisi homo esset, mori et resurgere potuisset? Sic autem introduxisti hoc testimonium, ut præloquereris, dicens, *Hic sane et de sua potestate quam a Patre accepit dicebat, « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam »:* » tanquam si homo non esset, positurus esset animam. Ut homo ergo, non ut Deus, accepit hanc potestatem: quamvis non dixerit, Hanc potestatem; sed, *hoc præceptum accepi a Patre meo.* Quis autem nesciat aliud esse præceptum, aliud potestatem? Hoc enim habemus in potestate, quod cum volumus possumus. Præceptum vero id nobiscum agit, ut quod jam est in potestate faciamus: si autem nondum est in potestate, oremus nobis potestatem dari, ut quod præceptum est impleamus. Quocirca si ea quæ aperta sunt velitis attendere, ut homo acceperat hanc potestatem. Sed propter contentiosos ego ad utrumque concludam: Si ut homo accepit hanc potestatem, nihil tibi prodesse hoc testimonium et tu vides; quia si ex hac potestate a Patre accepta, minorem Patre Filium vis probare, nec nos dubitamus, quod in quantum homo est Christus, minor est Patre: si autem ut Deum vis accepisse hanc potestatem, gignendo eum Pater æqualem sibi, dedit ei omnium rerum tantam, quanta ipsi Patri est [2], potestatem. Si enim minus habet in potestate aliquid quam Pater, non sunt ejus omnia quæ habet Pater: sed quia ejus sunt, tantam procul dubio habet potestatem quantam Pater. Præceptum quoque aut ut homo accepit, aut ut Deus: si ut homo, nulla quæstio est, quia ut homo est Patre minor: si ut Deus, non hinc ostenditur minor; quia nascendo id accepit, non indigendo. In Verbo enim unico Dei omnia præcepta sunt Dei, quæ ille gignens dedit nascenti, non cum genuisset addidit indigenti: ac per hoc tantum genuit quantus est ipse; quia de seipso genuit verum Filium, et perfectum genuit plenitudine divinitatis, non perficiendum

[1] Editi, *quibus*. Concinnius Mss., *quo*.

[2] Mss., *quanta ipsius est Patris*.

ætatis accessu [1]. Sed humilius a te quæro, quare filium hominis quemlibet hominem, si præceptum accipiat a patre, non eum dicis alterius esse substantiæ, et Filium Dei Deum ob hoc audes negare paternæ esse substantiæ, quia præceptum accepit a Patre? Prorsus, et præceptum a Patre accepit, et ejusdem substantiæ est, cujus est ille qui dedit. Quis te contradicentem ferat, si ad te audiendum homines patres filiique concurrant, ejusdem utrique substantiæ; nec ideo filii degeneres, quod ita præcepta eis dederint patres? Sed forte dicis, patres doctos filiis indoctis dedisse præcepta. Refer nunc te ad Dei Filium, de Deo Patre natum Deum, qui utique imperfectus est natus, si præceptum accepit indoctus. Quia vero perfectus est natus, præceptum dedit ille gignendo, accepit iste nascendo. Nunquam enim verus Dei Filius indoctus fuit: filius autem nunquam non fuit.

CAPUT XV. — 1. In forma Dei Filium esse non negas, et Deo Patri æqualem negas, majorem Patris formam putans esse quam Filii: tanquam non habuerit Pater unde formam suam compleret in Filio, quem de se ipso genuit, non fecit ex nihilo, non ex alio. Aut si formam suam in unico Filio plenam gignere potuit, nec tamen genuit plenam, sed minorem; quid sequatur attendite, et in viam redite, ne cogamini Patrem invidum dicere. Dicitis Deum Filium, dicitis Dominum; sed ut duos deos dominosque faciatis, contra Scripturam clamantem, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4). Quid autem in hoc sacrilegio vobis prodest, quod Patri datis tantam formam, quantam non datis Filio? Numquid si unus major, alter est minor, ideo non sunt dii et domini duo? Si carere cupitis hoc errore, sic dicite alium esse Patrem, alium esse Filium, ut tamen simul ambos non duos dicatis, sed unum Dominum Deum. Dicitis regem Filium de rege Patre utique natum: nec intuemini in genere humano filios regum etiamsi non sunt ex regibus reges, esse tamen ex hominibus homines; nec habere potestatem cum patribus regiam, et tamen eamdem tenere naturam. Vos autem Filio Dei regis regnum cum Patre conceditis, et naturam paternam vanitate impia denegatis; eumque Deo Patri dicitis inæqualem, *qui non rapinam*, hoc est, non alienum *arbitratus est esse æqualis Deo; sed* tamen non intendens quæ sua sunt, sed quæ nostra sunt, *semetipsum exinanivit:* non formam Dei perdens, sed *formam servi accipiens*, in qua est Patri *factus obediens usque ad mortem crucis* (*Philipp.* II, 6 8). In qua forma cum non vultis sic agnoscere Patre Deo minorem, ut in Dei forma Patri non negetis æqualem. « Nos, » inquis, « dicti sumus filii gratia, non natura hoc nati: ideo unigenitus est Filius, quia quod est secundum divinitatis suæ naturam, hoc est natus Filius. » Hæc non tua solum, verum etiam nostra sunt verba. Cur ergo quem Dei Filium natura non gratia confiteris, ejusdem naturæ, cujus Pater est, non esse contendis, nec quid mali abs te dicatur attendis? Nonne regis Dei Filio paternum regnum auferres tolerabilius quam naturam?

2. De Spiritu autem sancto, quomodo et ipse de Deo sit, nec tamen et ipse filius sit, quoniam procedendo, non nascendo legitur esse de Deo, jam superius, quantum satis visum est, disputavi. *Nos*, inquis, *in Patrem Deum innatum, naturam non accepimus.* Et tanquam rationem reddens, cur Dei Patris non dicatis esse naturam, mox adjungis, et dicis, *Credimus quod ait Christus,* « *Spiritus est Deus* » (*Joan.* IV, 24) : quasi Christus secundum id quod Deus est, non spiritus sit, quem tamen natura Filium esse dixisti. Non ergo Pater ideo natura non est, quia spiritus est. Sed forte quia natus non est, ideo eum non vultis esse naturam; putatis enim quod a nascendo natura sit dicta. Scitote ergo, quod unaquæque res esse dicitur per substantiam, hoc esse utique per naturam. Certe si non putatis esse dicendum, ejusdem Filium cujus Pater est esse naturæ; dicite cujus Pater est esse substantiæ : ad causam quæ inter nos agitur, sufficit nobis. Verumtamen admonendi estis, ut intueamini quod ait Apostolus, *His qui natura non sunt dii, servistis* (*Galat.* IV, 8) : ubi certe nos Deo qui natura est Deus, servire monstravit. Vos ergo qui Deum Patrem non natura Deum esse creditis, ubi cum constituatis, advertite; et si ullus in vobis pudor est, erubescite. Ecce nos dicimus vobis, non servimus Deo qui natura non est Deus; ne simus tales, quales fuerunt illi quibus dictum est, *His qui natura non sunt dii, servistis.* Vos si tales esse vultis, petimus ne velitis, et Deum Patrem natura Deum esse dicatis : ejusque Filium, quem non gratia, sed natura Filium jam esse dicitis, ejusdem naturæ cujus Pater est non negetis, ne nihil aliud quam Filium esse verum negetis. Quomodo enim dicitis, et verum Filium vos profiteri, et Patri similem non negare, quando cum negatis unius cum Patre esse substantiæ? Sicut autem verum Filium indicat una substantia, sic non verum diversa substantia. Quomodo autem Filium Patri similem dicitis, cui Patris substantiam dare non vultis? Nonne similis hominl est pictura vel statua, et tamen filius dici non potest, quia diversa substantia est? Homo nempe ad Dei similitudinem factus est; tamen quia non est unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius; et ideo fit gratia filius, quia non est natura. Si ergo vultis Dei Filium verum confiteri, prius illum ac præcipue dicite unius ejusdemque substantiæ, ut tanquam verum Filium et Dei Filium per omnia similem Patri esse dicatis. Nam quem substantiam putatis habere diversam, plus eum dissimilem quam similem dicitis, et omnino verum Filium denegatis. Nam vultis [1] nosse, ad ostendendum verum filium quantum valeat una eademque substantia : etiamsi filius hominis homo in quibusdam similis, in quibusdam sit dissimilis patri; tamen quia ejusdem substantiæ est, negari verus filius non potest: et quia verus est filius, negari ejusdem substantiæ non potest. Vos autem ita

[1] Sic Am. Er et Mss. At Lov., *et perfectam genuit plenitudinem divinitatis, non perficiendam ætatis accessu.*

[1] Sola editio Lov.: *Nec vultis.*

dicitis verum Dei Filium similem Patri, ut substantiæ velitis esse diversæ, per quam solam potest filius verus ostendi. Nam duo veri homines etsi nullus eorum filius sit alterius, unius tamen sunt et ejusdem substantiæ : homo autem alterius, hominis verus filius nullo modo potest nisi ejusdem cum patre esse substantiæ, etiamsi non sit per omnia similis patri. Quocirca verus Dei Filius et unius cum Patre substantiæ est, quia verus Filius est; et per omnia est Patri similis, quia Dei Filius est. Neque enim sicut contingit in filiis hominum vel quorumcumque animalium, ita fas est dicere, verum Dei Filium substantiæ quidem unius esse cum Patre, sed non per omnia similem Patri. Nicænum igitur tenete nobiscum concilium, si vultis Christum dicere verum Dei Filium.

3. *Diversas*, inquis, *accusamur dicere naturas.* Et quid aliud dicis de Deo Patre et Deo Filio? quid aliud dicis? An ideo putas ab ista accusatione purgari, quia continuo subjungis dicens : *Hoc scito quod nos dicimus, quod Pater spiritus spiritum genuit ante omnia sæcula, Deus Deum genuit?* Hoc quidem dicitis, et verum dicitis : sed hoc tacuisti, quod falsum et exsecrabile dicitis. *Spiritus* enim *spiritum genuit*, verum dicitis : sed hoc verum ea intentione vos dicitis, quia etiam diversæ naturæ dicitur spiritus. Nam diversæ naturæ sunt Spiritus Dei, sive Spiritus Deus, et spiritus hominis; et tamen uterque dicitur spiritus. Item diversæ naturæ sunt spiritus hominis et spiritus pecoris; et tamen nihilominus uterque spiritus dicitur. Item dicitur, Deus Deus, et dicitur deus homo : sicut dictum est, *Dii estis* (*Psal.* LXXXI, 6). Et sicut datus est[1] deus Moyses Pharaoni (*Exod.* VII, 1). Et cum sit Dei et hominis diversa substantia, tamen uterque appellatur Deus. Prorsus veraciter arguimini, quamvis dicatis de Deo Patre et Deo Filio, *Spiritus spiritum genuit*, naturas tamen diversas dicere : et quamvis dicatis, *Deus Deum genuit;* etiam sic non recedere a diversitate naturæ, quia non per omnia similem Patri esse dicitis Filium. Nam si per omnia similem diceretis, consequenter intelligeremini quod eos diceretis etiam unius ejusdemque esse naturæ sive substantiæ. Si ergo ab hoc crimine quod vobis objicitur, Dei Patris et Dei Filii vos dicere naturas esse diversas, purgare te cogitas : sicut dicis, *Spiritus spiritum genuit*; ita dic, Spiritus ejusdem naturæ sive substantiæ spiritum genuit. Item, sicut dicis, *Deus Deum genuit*; ita dic, Deus ejusdem naturæ sive substantiæ Deum genuit. Hoc si credideris, et dixeris, nihil de hac re ulterius accusaberis. Si autem hoc non dixeris, quid prodest quia dicis, *Verus ingenitus Pater verum genuit Filium;* cum procul dubio verus Filius non sit, si non est unius ejusdemque substantiæ cum illo qui genuit?

4. Dicit quidem Filius ad Patrem, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3) : id est, te et quem misisti Jesum Christum, cognoscant solum verum Deum. In quibus verbis vos solum Patrem non cum Filio verum accipientes Deum, quid aliud quam Filium negatis verum Deum? Quia vero Pater et Filius, non duo dii, sed unus est Deus; sine dubio et Filius verus est Deus, et adjuncto Spiritu sancto solus est Deus. Neque enim movere nos debet, quod nominatus non est hoc loco Spiritus sanctus, tanquam non sit Deus, aut non sit verus Deus. Tale est enim hoc quale si quis dicat, nescire Christum ea quæ Dei sunt; quoniam dixit Apostolus sic : *Et quæ Dei sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei* (*1 Cor.* II, 11). Hoc est enim, *Nemo scit, nisi Spiritus Dei;* quod est, Solus ea scit Spiritus Dei. Sicut ergo ab hac scientia, quam non habere nisi Spiritus Dei dictus est, non excluditur Christus; sic ab eo quod Pater et Christus dictus est solus verus Deus, non excluditur Spiritus sanctus. Sic et nomen illud quod in Apocalypsi nemo nosse dictus est, nisi ipse qui hoc habebat scriptum (*Apoc.* XIX, 12), id est Christus, noverat utique et Pater, quod negare non potestis; noverat et Spiritus sanctus, etiamsi negetis. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam altitudines Dei* (*1 Cor.* II, 10). Nisi forte quia scrutator dictus est, negatur apprehendere : negetur ergo Deus apprehendere corda et renes hominum; scriptum est enim, *Scrutans corda et renes Deus* (*Psal.* VII, 10). Ita ergo dictus est solus verus Deus Pater et Jesus Christus, ut ab hac veritate deitatis nullo modo alienaretur Spiritus sanctus. Non autem Filius, ut tibi videtur, *solum potentem, solum sapientem, solum bonum Patrem* dicit *esse Deum.* Deus autem unus et solus est ipsa Trinitas, ut ostendunt ea quæ superius jam sæpissime diximus.

5. Quod autem *non proficientem, sed perfectum Deus Pater genuerit Filium Deum;* verum dicis. Sed quod ipsam Filii perfectionem, perfectioni Patris non vis æquare; hoc falsum dicis, et veritati qua verus est Filius contradicis. *Homo enim si posset*, inquis, *perfectum mox generare filium, non parvulum generaret, qui coangmentatis annis tandem aliquando sui genitoris impleat voluntatem.* Verissime[1] omnino contra te loqueris. Sed ut contra te non sit quod loqueris, agnosce æqualitatem Patris et Filii. Quia et homo si posset, filium mox generaret æqualem, nec exspectaret annos, per quos in forma filii posset voluntas ejus impleri. Deus ergo cur non æqualem genuit Filium, cui nec anni necessarii fuerunt per quos id impleretur, nec omnipotentia defuit? An forte noluit? Ergo, quod absit, invidit. Sed non invidit : æqualem igitur genuit. Ac per hoc unius ejusdemque substantiæ : quandoquidem homo, qui propterea quia non potest non gignit æqualem, ejusdem tamen substantiæ gignit filium, cujus est ipse. Quod si non esset, profecto verus filius esse non posset. Quid est ergo quod dicis, *Pater talem genuit Filium qualis et nunc est, qualis et permanet sine fine?* Hoc bene diceres, si Patri æqualem verum Filium non negares. Cum vero perfectum dicis, et æqualem negas, et talem qualis

[1] sic Mss. Editi autem, *dictus est.*

[1] Editi : *Veritatem verissime*, etc. At Mss. omittunt *veritatem*

est natus sine fine permanere non negas; procul dubio minorem Patre filium sine fine manere pronuntias. Ac per hoc nascitur filius hominis minor Patre ; et quia imperfectus nascitur, crescendo ad formam pervenit patris : natus est filius Dei minor Patre ; et quia perfectus atque immortaliter natus est, nullum accipit incrementum, sed eum ipsa perfectio a forma Patris in æternum efficit alienum. Ecce quæ creditis, ecce quæ dicitis; ecce sunt, quod pejus est, quæ docetis. Sed *in auditorum*, inquis, *est arbitrio, ut eligant alterum de duobus : aut obedientem Patri Filium, qui « se exinanivit, formam servi accipiens », cui et Pater « donavit nomen quod est super omne nomen »* (*Philipp.* II, 7, 9); *aut interpretationem tuam.* Prorsus auditores quibus donat Dominus intellectum, non unum de duobus istis eligunt, sed utrumque; id est, et obedientem Patri Filium, et interpretationem, vel potius expositionem meam, qua ostendi sic obedientem fuisse in forma servi, ut formam non amitteret Dei, in qua æqualis est Patri. Tu vero vide quam contumeliose Filio Dei tribuas obedientiam, cujus minuis in divinitate naturam.

CAPUT XVI. — 1. Quando autem a me audisti *propter Judæos, humilitatis, non veritatis gratia, dixisse Filium quod Deus ejus sit Pater ejus?* Hoc a me ita nunquam audire potuisti, sicut nunquam dixi : sed plane dixi, propter formam servi dictum esse. Sicut autem ipsa forma servi vera, non falsa est; ita Patrem suum esse etiam propter illam Deum suum, veraciter dixit, non humiliter finxit. Quis enim est humilitatis, fructus ubi detrimentum est veritatis? Tu autem istam certissimam veritatem ita es refutare conatus, ut diceres ideo verba ipsa, quibus ait Dominus, *Deum meum et Deum vestrum*, ad formam servi non pertinere, quia eis verbis post resurrectionem usus est Dominus, quasi formam servi resurrectione consumpserit, ac non potius in melius commutaverit : quasi non qui mortuus est, ipse etiam resurrexerit; quasi non forma quæ occisa est, ipsa revixerit; quasi non ipsa in cœlum levata sit, in ipsa Dei Filius sedeat ad dexteram Patris, in ipsa venturus sit ad vivos et mortuos judicandos. Nonne clarissima contestatio est Angelorum dicentium, *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 11). Cur ergo post resurrectionem non diceret, *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17); quando in eadem forma fuerat ascensurus, propter quam ex tempore Deus est ejus, qui sine tempore Pater est ejus? Propter quam formam non solum post resurrectionem, verum etiam post judicium *subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia* (I *Cor.* XV, 28). Quotquot ergo testimonia posuisti, quibus probares dictum esse Deum Christi, eum qui Pater est Christi, discutere quemadmodum dicta sint, superfluum judico : sed a te frustra commemorata esse, puto quod nec tu debeas dubitare.

2. Jam vero illud ubi Dominus in eadem carne quam resuscitaverat constitutus, et eumdem hominem gerens, ait ad discipulos suos, *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII, 18-20) : utquid commemoraveris, et quid inde probare volueris, prorsus nescio. Numquid enim ait, Data est mihi a Deo meo potestas? Quod si dixisset, propter ipsam humanam formam dictum fuisse ambigi non deberet. Quia vero non dixit; quid isto testimonio volueris agere, non intelligo. Imo intelligo te id egisse, ut abundantius loquereris. Si enim tanquam Deo data est hæc potestas, nascenti eam Pater dedit, non indigenti; quia gignendo dedit, non augendo. Si vero tanquam homini data est hæc potestas, quid habet quæstionis? An forte nos admonere voluisti, quod baptizari Dominus jusserit gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti? Ubi audis unum nomen, et unam non vis intelligere deitatem.

3. Quod autem dicis, et ante incarnationem Christi, Patrem dictum esse Deum ejus, quoniam scriptum est, *Unxit te, Deus, Deus tuus;* longe antequam Christus venisset in carne : itane non intelligis in prophetia esse prædictum, tanquam fuerit factum quod erat futurum? Annon sic in prophetia ait ipse Dominus, *Foderunt manus meas et pedes* (*Psal.* XXI, 18); et cæterea quibus passionem suam tanto ante prænuntiavit, et quod futurum fuerat, tanquam jam factum esset expressit? Dictum est ergo in prophetia rerum futurarum, tanquam locutione rerum præteritarum, *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis :* particeps ejus significans, qui futuri fuerant servi ejus, socii ejus, amici ejus, fratres ejus, membra ejus. Prædictum est ergo quod futurum erat, ut ungeret Deus Christi hominem Christum : qui tamen sic factus est homo, ut maneret Deus. Ungeret autem, non visibili et corporali oleo, sed Spiritu sancto, quem Scriptura nomine olei exsultationis, figurata, ut solet, locutione significat. Dixit autem, *Unxit;* non dixit, Uncturus est : quia in prædestinatione jam factum erat, quod suo tempore futurum erat. Ubi tu timens ne Spiritus sanctus, quo unctus est Christus, major videatur esse quam Christus, quia revera major est homine Christo; qui enim sanctificat, eo qui sanctificatur est major : hoc ergo timens, voluisti oleo exsultationis eam lætitiam significatam videri, qua Filius exsultavit cum Patre, quando est condita creatura. Et commemorasti, ut soles, testimonia causæ tuæ non necessaria, de lætitia Patris et Filii. Sed quid facturus es? quo iturus? Quomodo id quod est luce clarius, aut negaturus, aut in aliud quodcumque versurus es, cum recitatur tibi quod beatus Petrus in Apostolorum Actibus dixit : *Hunc Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto* (*Act.* X, 38). Ecce quod prophetabatur, quando dictum est, *Unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis*, vel, *oleo lætitiæ, præ participibus tuis.* Deus enim cui dictum est in eodem Psalmo, *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui : dilexisti justitiam, et odio habuisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus*

tuus (*Psal.* XLIV, 7, 8) : a Deo Patre unctus est Filius, qui sic homo factus est ut maneret Deus, qua unctione plenus erat, id est, Spiritu sancto. Propter quod de illo scriptum est : *Jesus autem plenus Spiritu sancto, reversus est a Jordane* (*Luc.* IV, 1).

CAPUT XVII. — 1. Dicis in persona Spiritus sancti non posse suscipi quod de Filio dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Et hoc ideo dicis, ut quibus potueris persuadeas, quod vobis male persuasum est, Spiritum sanctum non esse creatorem : quasi legeris, Omnia per ipsum facta sunt sine Spiritu sancto ; aut, Omnia per neminem facta sunt, nisi per ipsum. Quanquam si et tale aliquid legeres, sic Spiritum sanctum ab hac operatione, qua constituta est creatura, credere non deberemus exclusum ; sicut Filius non excluditur ab ea scientia de qua dictum est, *Quæ Dei sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei* (I *Cor.* II, 11). Si autem quia non est nominatus, quod etiam per illum facta sit creatura, quando de Filio dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt* ; ideo putas Dei Spiritum non esse creatorem : procul dubio, nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus, *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi* (*Act.* II, 38) ; quia non ait, Et Spiritus sancti : nec in Patris nomine, quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre et Spiritu sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari ; et tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : cur non sic audis de Filio Dei, *Omnia per ipsum facta sunt* ; ut et non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum sanctum ?

2. Nam quid excellentius in creaturis quam virtutes cœlorum ? Scriptum est autem : *Verbo Domini cœli firmati sunt ; et Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Dixeras nempe non me talia reperire in Scripturis divinis, quibus Spiritum sanctum æqualem asseram Filio. Ecce reperi ubi etiam major possit videri, nisi revocet pietas, quæ illum veraciter confitetur æqualem. Nam utique majus aliquid sunt virtutes cœlorum, quæ firmatæ sunt Spiritu oris Domini, id est Spiritu sancto, quam cœli, qui firmati sunt Verbo Domini, hoc est, unigenito Filio. Sed si consulas veritatem, res utraque ab utroque firmata est ; et id quod de uno dicitur et de altero tacetur, de utroque intelligitur. Quid est autem inconsideratius, quam negare esse creatorem Spiritum Dei, cum Domino dicatur : *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum convertentur : emittes*[1] *Spiritum tuum, et creabuntur ; et innovabis faciem terræ* (*Psal.* CIII, 29, 30). Nisi forte minus idoneus erat Spiritus sanctus creandis rebus quæ fuerant defecturæ, cum sit idoneus creandis quæ sunt sine fine mansuræ. Paulo ante dixi : Quid est excellentius in creaturis quam virtutes cœlorum ? Quid dicam de carne Creatoris ? Quandoquidem Creator ipse per quem facta sunt omnia, *Panis*, inquit, *quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* VI, 52). Quid ergo ? Mundus per Filium factus est, et creator est Filius : caro ejus quæ data est pro mundi vita, per Spiritum sanctum facta est, et non est creator Spiritus sanctus ? Cum enim virgo Maria dixisset angelo promittenti ei filium, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* respondit angelus, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ; propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 34, 35). Hic tu, quod in consequentibus quodam loco tuæ prosecutionis adverti, asserere conabaris Spiritum sanctum præcessisse, ut mundaret et sanctificaret virginem Mariam ; ac deinde veniret Virtus Altissimi, hoc est Sapientia Dei, quod est Christus (I *Cor.* I, 24) ; et ipsa, sicut scriptum est, ædificaret sibi domum (*Prov.* IX, 1), hoc est, ipsa sibi crearet carnem, non Spiritus sanctus. Quid est ergo quod ait sanctum Evangelium, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto* (*Matth.* I, 18) ? Nempe obstructum est os loquentium iniqua (*Psal.* LXII, 12). Si ergo cogitas os veraciter aperire, non solum Filium, verum etiam Spiritum sanctum creatorem carnis Filii confitere.

3. An forte dicturus es, ea facta esse per Spiritum sanctum quæ commemoravi, id est, quod omnis virtus cœlorum per eum firmata sit, quod per eum creabuntur homines denuo, qui primo ita creantur ut convertantur in pulverem suum ; quod ipse carnem operatus est Christi (nam de anima nolo aliquid dicere, cujus difficillima quæstio est) ; et si quid aliud per Spiritum sanctum creatum potuerit inveniri : non tamen omnia, sicut per unigenitum Filium, de quo dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt ?* Si hoc dicis, non times ne tibi dicatur, eo potiorem esse Spiritum sanctum Filio, quod elegit sibi meliora quæ faceret, nec facere inferiora dignatus est ? Sed quis hoc sapit, nisi qui desipit ? Facta sunt ergo cuncta per Filium ; absit, ut Spiritu sancto ab hoc opere separato : sicut de illis magnis operibus dictum est, *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus* (I *Cor.* XII, 11) ; nec tamen ab hac operatione Filius separatur.

4. Magnum sane aliquid tibi dicere videris, quia dicis : *Filius erat in principio antequam aliquid esset ; Pater vero, ante principium.* Ubi legisti, ut hæc crederes ? Unde præsumpsisti ut hæc diceres, ubi nec auctoritas ulla, nec ratio est ? Quid est enim ante principium, quandoquidem quidquid ante esset, hoc esset principium ? Si ergo Pater ante[1] principium est, ante seipsum est ; quia et ipse principium est. Quid est autem, *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1) ; nisi, In Patre erat Filius ? Et ipse Filius interrogatus a Judæis quis esset, respondit : *Principium, quia et loquor vobis* (*Id.* VIII, 25). Pater ergo principium non de principio ; Filius principium de principio : sed utrumque simul, non duo, sed unum principium ; sicut Pater Deus et Filius Deus, ambo autem simul non duo dii, sed unus Deus. Nec Spiritum sanctum

[1] Editi, *emitte*. At Mss., *emittes*. Et sic Augustinus, Enarr. in eumdem psalmum 103.

[1] Hic apud Lov. omissum est, *ante*.

ab utroque procedentem negabo esse principium : sed hæc tria simul sicut unum Deum, ita unum dico esse principium.

CAPUT XVIII — 1. *Quid, si audieris*, inquis, *Patrem dicentem, « Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te »* (*Psal.* CIX, 3) ? Quid promittis, vel quid minaris, si audiero quod frequenter audio, et fideliter credo? Sed hinc te nihil adjuvari, cur non videas, plurimum miror. Sive enim ex persona sua hoc propheta dicat ad Dominum Jesum, sive ex persona Patris ad Filium, cum ego ambas generationes Christi, et ex Deo Patre sine tempore, et ex homine matre in plenitudine temporis accipiam, venerer, prædicem, non est hoc testimonium adversum me. Sed moras innectere voluisse indicat te, ubi ego potius intelligo, quare *ex utero* dixerit *genui te :* quia hoc et tu ex persona Patris accipis dictum. Non enim quemadmodum corporis humani sunt membra disposita, sic habet uterum Deus ; sed verbum translatum est a corporali ad incorporalem substantiam, ut intelligeremus de Patris substantia genitum unigenitum Filium ; ac per hoc quid aliud quam unius ejusdemque substantiæ ? Ego itaque hoc testimonium proferre contra te debui : sed gratias ago quia commonuisti. Considera ergo quantum mali sit, quod ejusdem substantiæ Filium negatis, quem genitum confitemini ex utero Patris, injuriam gravissimam facientes Deo, tanquam illud quod ipse non esset, ex utero gignere potuisset. Nonne sentitis vos generationem Dei credere vitiosam, prædicare monstruosam, qui dicere audetis ex utero Dei processisse diversam naturam? Si autem hoc, sicut debetis, horretis, respuitisque nobiscum, jam tandem concilium Nicænum et Homousion laudate ac tenete nobiscum.

2. Quis autem non videat defectum tuum, ubi cum audisses, me commemorante, in prophetia dixisse Christum suo Patri, *De ventre matris meæ Deus meus es tu* (*Psal.* XXI, 11) ; ut intelligeremus ejus naturæ illum esse Deum quam Filius ipsius ex tempore de ventre matris accepit, Patrem vero naturæ illius quam de se ipse generavit : tu non inveniens quid responderes, tamen ne taceres dixisti, *Ex ventre matris natum profiteris Christum secundum carnem ;* et addidisti, *quod nec Judæi diffidunt.* Ac deinde quæsisti, *Cur ista testimonia in medium non proferantur, quæ illam nativitatem demonstrant in principio, sicut et præcedens nos*, inquis, *instruit testimonium ?* Quasi ego illam nativitatem Christi, non temporalem, sed æternam, propter quam dictum est, *In principio erat Verbum*, non credam, non prædicem, non amplectar; sed tantum ex ventre matris natum asseram Christum? Ecce ego dico Deum Filium de Deo Patre sine tempore genitum. Quomodo sit autem etiam Deus ejus qui Pater est ejus, ostendi, propter hominem quem suscepit, et in quo natus est de ventre matris, sine concubitu hominis patris. Ad quod probandum testimonium dedi, ubi ait in prophetia Patri suo, *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Tu qui dicis me ex ventre matris natum profiteri Christum, quod nec Judæi diffidunt, quasi ego istam nativitatem Christi solam profitear ; noli per inania conari evadere, et dic potius quare mihi non responderis, ubi dicit Christus Patri, *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Ad hoc enim quoniam vidisti non te habere quod diceres, aliam nativitatem quæ Dei de Deo est, interponendam putasti qua fugeres. Rogo te ; quando quid respondeas non habes, quanto melius taceres?

3. *Si propter corpus*, inquis, *in quo se exinanivit, debitorem se sentit suo genitori ; multo magis qui illum tantum ac talem genuit, necesse est ut eum veneretur, eique offerat semper obsequium.* Quodlibet de veneratione et obsequio Filii erga Patrem carnaliter sentias, Pater ejus, nisi de ventre matris ejus, non est Deus ejus. Jam quantumvis obsequatur Deo Patri Deus Filius, quoniam video te non intelligere quanta sit in illa generatione geniti et genitoris æqualitas, numquid ideo est diversa natura patris hominis et hominis filii, quoniam filius obsequitur patri ? Hoc est omnino intolerabile in vobis, quia de obsequio Filii diversam vultis probare substantiam Patris et Filii. Prorsus alia quæstio est, Utrum sint unius ejusdemque substantiæ Pater et Filius ; et alia quæstio est, Utrum Patri Filius obsequatur. Interim verum Filium non negemus, qui nullo modo est verus Filius, si non est ipsius et Patris una eademque natura. Dicite ergo Deum Patrem ; et Deum Filium unius ejusdemque esse substantiæ. Extorqueat vobis divinitas, quod humanitati donavit ipsa divinitas. Obsequitur homo patri suo, de quo natus est homo ; tamen obsequendo esse non desinit homo. Et si, non dico pariter honoratus, sed honoratior esset filius, gauderet pater, non invideret : honoraret tamen etiam ille patrem, etsi non parvulus, accessu augendus ætatis, sed ei natus esset æqualis. Æqualem vero si pater homo potuisset, nullo dubitante genuisset. Quis ergo audeat dicere, Hoc nec Omnipotens potuit ? Addo etiam, quia si posset homo, majorem se ipso melioremque gigneret filium : sed majus vel melius Deo quidquam non potest esse ; ergo ei verum Filium credamus æqualem. Quod si dixeris, Eo ipso major est Pater Filio, quia de nullo genitus, genuit tamen æqualem : cito respondebo, Imo ideo non est major Pater Filio, quia æqualem genuit, non minorem. Originis enim quæstio est, Quis de quo sit : æqualitatis autem, Qualis aut quantus sit. Proinde si admittit ratio veritatis ut æquali Patri Filius obsequatur æqualis, non negamus obsequium : si autem per obsequium minorem natura[1] vultis credere, prohibemus : nullo modo enim Deus Pater ut habere unici Filii posset obsequium, vellet denegare naturam.

4. Parentibus autem ut esset subditus Christus, non divinæ majestatis fuit, sed ætatis humanæ. Frustra itaque dixisti : *Si parentibus fuit subditus quos creavit* (*Luc.* II, 51), *quanto magis suo genitori qui eum tantum ac talem genuit?* Respondetur enim tibi :

[1] Am. et Er., *minorem natum.* Plures Mss., *minorem naturam.*

Si parentibus fuit subditus propter pueritiam, quanto magis Deo propter ipsam hominis formam? Quam formam cum immortalem fecerit, non morte perdiderit; quid miraris si etiam post hujus sæculi finem subjectus erit in ea illi, qui ei subjecit omnia? Tu autem non propter formam servi dicis Filium Patri esse subjectum, sed quia eum tantum ac talem genuit, id est magnum Deum, quamvis Patre ipso minorem : ubi et Patri derogas, qui Filium sibi unicum, aut non potuit, aut noluit gignere æqualem; et ipsi Filio qui unicus Patri non est generatus æqualis, et ideo perfectus est natus, ne unquam vel crescendo fieret, quod non potuit esse nascendo.

5. Non autem, ut putas, corpus tantum Filii, id est, corpus hominis, verum etiam humanum spiritum Patri dicimus esse subjectum : et secundum id quod homo factus est intelligimus dictum, *Cum autem omnia illi subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit illi qui ei subjecit omnia* (I *Cor.* xv, 28) Secundum id quod Christus est caput et corpus : caput scilicet ipse Salvator qui surrexit a mortuis, et sedet ad dexteram Patris; et Ecclesia quæ est corpus ejus, plenitudo ejus, sicut apertissime dicit Apostolus (*Coloss.* i, 18). Ac per hoc cum omnia Christo subjecta fuerint, et capiti et corpori erunt sine dubitatione subjecta. Nam secundum id quod sine tempore Deus natus est, nihil unquam potuit ei non esse subjectum.

6. Scimus, quod nos commemorandos putasti, *quia Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22). Vellem tamen diceres nobis, quomodo Pater non judicat quemquam, cum dicat ipse identidem Filius, *Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat, et judicet* (*Id.* viii, 50) : ut scias ideo dictum, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio;* quoniam judicandis vivis et mortuis forma hominis apparebit, quam non habet Pater : propter quod ait propheta, *Videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* xii, 10). Sed invisibiliter etiam Pater erit cum eo, quia inseparabilis est ab eo. Si enim, *Non sum solus, quoniam Pater mecum est*, ait ipse moriturus (*Joan.* xvi, 32); quanto magis secum habebit Patrem, de mortuis et vivis judicaturus? Cum illo erit etiam Spiritus sanctus. Quomodo enim deseret eum Spiritus sanctus in regali sede, quo plenus regressus est a Jordane (*Luc.* iv, 1)? Quod itaque scriptum est ad Hebræos, *Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei : eum autem modico minus ab Angelis minoratum videmus Jesum propter passionem mortis* (*Hebr.* ii, 8, 9); docere nos debet quomodo intelligendum sit quod scriptum est ad Corinthios, *Cum autem omnia illi subjecta fuerint :* quia secundum id dictum est quod factus est homo, non secundum id quod est Deus. Sic ergo in homine apparens, in quo per passionem mortis minoratus est modico minus ab Angelis, vivos et mortuos judicabit, quando dicturus est : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* xxv, 34). Quo tu testimonio non hominem, sed Deum minorem suo Patre quasi probare voluisti : sed sicut ab eis qui intelligunt perspicitur, non probasti.

CAPUT XIX. — De Spiritus sancti autem gemitibus, quia non ipse gemit, sed inspirans nobis desiderium sanctum nos facit gemere quamdiu peregrinamur a Domino, jam tibi sufficienter respondisse me existimo. Et tales de Scripturis sanctis locutiones, quantum satis videbatur ostendi, quoniam sic dicitur gemere Spiritus sanctus, quia nos facit gemere; sicut dixit Deus, *Nunc cognovi* (*Gen.* xxii, 12), quando cognoscere hominem fecit. Non enim tunc cognoverat quod tunc se dixerat cognovisse, qui omnia scit antequam fiant. Ad quod te respondere non potuisse, quid prodest quia sentis, quando non consentis?

CAPUT XX. — 1. Jam etiam de verbis Domini ubi ait, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x. 30); nihil te respondere potuisse monstravi. Sed ut hic quoque ostendam, si exemplis, ut dicis, quibus ego usus sum, vis probare quomodo dictum sit, *Ego et Pater unum sumus;* et ob hoc commemoras apostolicum testimonium, quod a me positum est, ubi ait, *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* vi, 17) : dic et tu, Cum adhæret Patri Filius, unus Deus est. Non enim ait Apostolus, *Qui adhæret Domino*, unum sunt; sicut dictum est, *Ego et Pater unum sumus :* sed ait, *unus spiritus est.* Cum autem tu non dicas, Cum adhæret Patri Filius, unus Deus est; utquid et tu adhibes hoc Apostoli testimonium, ubi ait, *Qui adhæret Domino, unus spiritus est;* nisi ut te etiam a te producto teste convincam? Nunc saltem distingue duo ista, quæ non potuisti, cum simul essemus, in nostra disputatione distinguere. Diligenter itaque attende quod dico. Quando de rebus duabus aut pluribus dicitur, Unus est, vel, una est, et additur quid unus vel quid una; et de his quæ diversæ, et de his quæ sunt unius substantiæ dici potest. Diversæ sunt enim substantiæ spiritus hominis et Spiritus Domini[1]: et tamen dictum est, *Qui adhæret Domino unus spiritus est.* Unius autem substantiæ sunt animæ hominum et corda hominum; de quibus dictum est, *Erat illis anima una et cor unum* (*Act.* iv, 32). Ubi autem dicitur de duobus aut pluribus, Unum sunt, nec additur quid unum sint; non diversæ intelliguntur, sed unius esse substantiæ: sicut dictum est, *Qui plantat et qui rigat, unum sunt* (I *Cor.* iii, 8); et, *Ego et Pater unum sumus.* Tu autem qui Patrem et Filium diversas vis esse substantias, invenire non potuisti, ubi de diversis substantiis dictum fuerit, Unum sunt. Et qui non vis dicere, Cum Filius adhæret Patri, unus Deus est; adhibuisti et tu apostolicum testimonium quod ego adhibueram; sed adhibuisti contra te ipsum, ubi ait, *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Si enim de his qui diversæ substantiæ sunt, recte dici potuit, *unus spiritus est;* quanto magis de his qui unius substantiæ sunt recte dicitur, Unus Deus est? Si hæc intelligis, non te ad ea respondisse jam perspicis, et de consensu voluntatis te inaniter tam multa dixisse cognoscis. Etiam nos quippe incomparabilem consensum voluntatis atque individuæ charitatis Patris et Filii et Spiritus sancti confitemur, propter quod dicimus, Hæc Trinitas

[1] Antiquiores Mss., *et Spiritus Dominus.*

unus est Deus. Sed nos hoc etiam, quod vos non dicitis, dicimus, propter unam eamdemque naturam atque substantiam, Illi tres unum sunt. Hæc si discreveris, et contentiosus esse nolueris, non te ad ea respondisse aliquid jam videbis, et de hac quæstione procul dubio jam tacebis.

2. Ubi autem dixit Filius Patri, *Verum non quod ego volo, sed quod tu vis;* quid te adjuvat quod tua verba subjungis et dicis, *Ostendit vere voluntatem suam subjectam suo genitori :* quasi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subjectam? Nam ex natura hominis hoc dixisse Dominum cito videt, qui locum ipsum sancti Evangelii paulo attentius intuetur. Ibi enim dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* xxvi, 39, 38). Numquid ex natura unici Verbi posset hoc dici? Sed homo qui putas gemere naturam Spiritus sancti, cur non etiam naturam Verbi Dei unigeniti tristem dicas esse potuisse? Ille tamen, ne quid diceretur tale, non ait, Tristis sum ; quamvis etiamsi hoc dixisset, non nisi ex natura hominis oportuisset intelligi : sed ait, *Tristis est anima mea;* quam sicut homo utique habebat humanam. Quanquam et in hoc quod ait, *Non quod ego volo;* aliud se ostendit voluisse quam Pater : quod nisi humano corde non potuisset, cum infirmitatem nostram in suum, non divinum, sed humanum transfiguraret affectum. Homine quippe non assumpto, nullo modo Patri diceret unicum Verbum, *Non quod ego volo.* Nunquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle quam Pater. Hæc si distingueretis, Ariani hæretici non essetis.

3. Nam et illud quod dictum est, *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* vi, 38) : potest quidem accipi etiam secundum id quod est unigenitum Verbum ; ut ideo voluntatem non suam dixerit esse, sed Patris, quoniam de Patre est quidquid est Filius; non est autem de Filio quidquid est Pater : secundum quod dictum est et, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit* (*Id.* vii, 16) ; quoniam Patris doctrina ipse est qui Patris est Verbum, et utique non est a se ipso, sed a Patre. Et rursus cum dicit, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Id.* xvi, 15) ; Patri se ostendit æqualem. Non absurdum est tamen, ut etiam hoc secundum id quod homo factus est, dixisse accipiatur : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit.* Secundus enim Adam, qui tollit peccatum mundi, isto modo se discrevit a primo Adam, per quem peccatum intravit in mundum (*Rom.* v, 12) : quia iste non fecit voluntatem suam, sed ejus a quo missus est; cum ille fecerit suam, non ejus a quo creatus est. Nec moveat quomodo Christus secundum id quod homo est, descenderit de cœlo, cum de matre quæ in terra erat factus sit homo. Hoc enim propter unitatem personæ dictum est, quoniam una persona est Christus Deus et homo. Propter quod etiam : *Nemo*, inquit, *ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo* (*Joan.* iii, 13). Si ergo attendas distinctionem substantiarum, Filius Dei de cœlo descendit, Filius hominis crucifixus est : si unitatem personæ, et Filius hominis descendit de cœlo, et Filius Dei est crucifixus. Ipse est enim Dominus gloriæ, de quo ait Apostolus : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* ii, 8). Propter hanc ergo unitatem personæ, non solum Filium hominis dixit descendisse de cœlo, sed esse dixit in cœlo, cum loqueretur in terra. Non ergo voluntatem suam fecit, quia peccatum non fecit : sed voluntatem fecit illius qui eum misit. Tunc enim facit homo voluntatem Dei, quando facit justitiam quæ ex Deo est.

4. Nec sic arbitremur a Patre missum esse Filium, ut non sit missus ab Spiritu sancto ; cum vox ipsius sit per prophetam, *Et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus.* Hoc enim Filium dixisse, indicant ea quæ sunt dicta superius. Nam sic ad ista verba perventum est : *Audite me*, inquit, *Jacob, et Israel quem ego vocabo. Ego sum primus, et ego sum in æternum; et manus mea fundavit terram, dextera mea solidavit cœlum. Vocabo illos, et astabunt simul; convenient etiam universi, et audient. Quis illis nuntiavit hæc? Diligens te feci voluntatem tuam super Babylonia, ut tollatur semen Chaldæorum. Ego locutus sum, ego vocavi; adduxi illum, et prosperam viam ejus feci. Convenite ad me, et audite ista. Nec enim ab initio in obscuro locutus sum : cum fierent, ibi eram; et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus* (*Isai.* xlviii, 12-16). Quid hoc apertius? Nec sic a Patre et Spiritu sancto missus est, ut se ipse non miserit : sicut a Patre ostenditur traditus, ubi legitur, *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* viii, 32) ; alio autem loco de ipso Filio dicitur, *Qui me dilexit, et tradidit seipsum pro me* (*Galat.* ii, 20). Quomodo autem non facit voluntatem suam, qui dixit, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* v, 21) : et cum ei dictum esset, *Si vis, potes me mundare;* respondit, *Volo, mundare;* et ad verbum continuo factum est quod velle se dixit (*Matth.* viii, 2, 3) ? Sicut autem Filius facit voluntatem Patris, sic et Pater facit voluntatem Filii. Nam Filius dicit : *Pater, volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum* (*Joan.* xvii, 24). Non dixit, Peto, vel, Rogo ; sed, *volo :* ut isto volente faceret ille, sicut illo volente faciebat iste : et non alia ille, alia iste ; sed quæ ille, hæc etiam iste. *Quæcumque enim Pater facit, hæc et Filius similiter facit* (*Id.* v, 19). Verba sunt ipsius, verba veritatis sunt, falsa esse non possunt.

CAPUT XXI. — 1. Suscipere te dicis quod protuli, *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* iii, 16) ? Quod proposuisti [1] dicere idcirco dictum esse, quia *in nemine habitat Deus, quem non ante Spiritus sanctus sanctificaverit, atque purgaverit;* quasi templum Deo habitaturo, non sibi, sanctificet et purget Spiritus sanctus : cum Apostolus hinc ostenderit ipsum esse Deum, cujus nos dixerat templum : quia non ait, et Spiritus Dei sanctificat et purgat vos, ut Deus habitet in vobis ; sed ait, *Spiritus Dei habitat in*

[1] Sic aliquot Mss. At editi, *quod potuisti.*

vobis Utique in templo suo Deus habitat : nam quid est templum Dei, nisi habitaculum Dei ? Vidisti autem etiam tu consequenter esse Deum nostrum cujus sumus templum : et noluisti aliud testimonium commemorare quod protuli, *Nescitis quia corpus vestrum templum in vobis Spiritus sancti est, quem habetis a Deo?* Jam ergo confitere Deum esse Spiritum sanctum. Neque enim, nisi esset Deus, haberet templum, et templum non manufactum, sed ædificatum de membris Dei : *Christus* enim *super omnia est Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5), cujus membra sunt nostra corpora. Qui enim dixit, *Nescitis quia corpus vestrum templum in vobis Spiritus sancti est?* ipse dixit, *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi* (I Cor. VI, 19, 15)? Itane vero cui de lignis et lapidibus Salomon ædificavit templum, Deus est, et cui templum ædificatur de membris Christi, hoc est, de membris Dei, Deus non est? cum loquens de Deo beatissimus martyr Stephanus dixerit : *Salomon ædificavit ei domum ; sed Summus non in manufactis templis inhabitat* (*Act.* VII, 47. 48). Et tamen Christi membra, quorum caput est super omnes cœlos, templum sunt Spiritus sancti, quem constat venisse de cœlo. Istum negare Deum quid est, nisi non esse et nolle esse templum ejus ? Alloquitur nos Apostolus dicens : *Obsecro autem vos, fratres, per miserationes Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII, 1). Corpora itaque fidelium hostia sunt Deo, membra Christi, templum Spiritus sancti, et Deus non est Spiritus sanctus ! Quis hoc dicit, nisi in quo non inhabitat? Quoniam in quo habitat, utique templum ejus est. Denique cum dixisset Apostolus : *Nescitis quia corpus vestrum templum in vobis Spiritus sancti est, quem habetis a Deo, et non estis vestri ? empti enim estis pretio magno ;* continuo secutus adjunxit, *Glorificate ergo Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 19, 20). Ubi dilucide ostendit Deum esse Spiritum sanctum, glorificandum scilicet in corpore nostro, tanquam in templo suo. Et quod Ananiæ dixit apostolus Petrus, *Ausus es mentiri Spiritui sancto?* atque ostendens Deum esse Spiritum sanctum, *Non es*, inquit, *hominibus mentitus, sed Deo* (*Act.* V, 3, 4).

2. Miror autem cor vestrum, quantum sermone explicare non possum, quomodo cum sic laudetis Spiritum sanctum, ut eum sanctificandis fidelibus ubique asseratis esse præsentem, tamen negare audeatis Deum. Itane Deus non est, qui replevit orbem terrarum? Scriptura enim dicit : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap.* I, 7). Sed quid dicamus quod replevit orbem, qui replevit orbis etiam Redemptorem? Dominus enim *Jesus plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane* (*Luc.* IV, 1) : et præsumitis dicere, quia ipse Dominus Jesus Deus erat, et Spiritus sanctus quo plenus erat, non erat Deus ; tam male sentientes de Spiritu sancto, ut non ei tribuatis saltem quod tributum est Moysi famulo Dei, qui non munera gratiarum, sed plagarum prodigia in eodem Spiritu sancto, quia ipse est *digitus Dei* (*Exod.* VIII, 19), Ægyptiis ingerebat, et tamen Pharaoni deus erat. Uno loco erat ad affligendos Ægyptios, et Pharaoni deus erat (*Exod.* VII, 1) : ubique adest Spiritus sanctus ad homines in æternam vitam regenerandos, et non est eis Deus ! Imo vero est, et Deus verus est, quia veri Dei membra templum ejus est. Et utique subjectum est templum illi cujus est templum : quomodo ergo Deus non est, cui sunt membra Dei subjecta ? Ac per hoc et Dominus est templi sui : quis enim hoc neget, quis ita desipiat, ut dicat non esse aliquem dominum domus suæ? Quomodo ergo Spiritus sanctus non est Dominus, qui Dominus est membrorum Domini ? Ipse est quippe Spiritus Domini, de quo uno eodemque loco dictum est : *Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est ; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III, 16, 17).

3. Jam creatorem superius demonstravi Spiritum sanctum : quomodo autem rex non est, cujus templum est quæ membra sunt regis? Quomodo non consedet Patri et Filio, qui replevit Filium, qui membra Filii suam possidet domum? Nisi forte quando Filius regressus est a Jordane, plenus erat Spiritu sancto ; et quando sedere cœpit ad dexteram Patris, exclusit a se Spiritum sanctum? Deinde cum de Patre procedat, quomodo cum Patre non sedeat? Cum ipsa sessio non sit utique cogitanda carnaliter : alioquin opinaturi sumus honorabilius Filium sedere quam Patrem ; honorabilius quippe sedetur ad dexteram : et videbitur esse consequens ut Pater sedeat ad sinistram. Postremo qualis vobis persuaserit spiritus, ut sancto Spiritui denegetis quod sanctis hominibus sancta Scriptura concedit, vos videritis. Ait enim Apostolus : *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratia sumus salvi facti ; et simul excitavit, et simul sedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu* (*Ephes.* II, 5, 6). Sancti ergo quos sanctificat Spiritus sanctus, convivificati Christo, ita simul sessuri prædestinati sunt, ut jam factum dicat Apostolus, quod certum est adfuturum : et ipsi Spiritui sancto subtrahitur a vobis quisquis est ille consessus, tanquam sedere cum Patre vel Filio sit indignus, qui eadem sede efficit dignos. Cui movetis etiam quæstionem quod non adoretur, et hoc utique simillimo errore, cum legatis, ut jam supra docui, a sanctis etiam homines adoratos. Et tamen ut invidiam blasphemantis evites ; ita laudas Spiritum sanctum, ut tribuas ei quod non habet ulla creatura, et detrahas ei quod adipiscitur et humana creatura.

CAPUT XXII. — 1. Dixisse me quod commemoras, fateor, et nunc dico, quod Salvator noster non dixerit, Ut ipsi et nos unum ; sed, *Ut ipsi sint unum*. Et de his evangelicis verbis satis a me recolo jam fuisse responsum, cum ostenderem refellere te non potuisse quæ dixi. Quoniam poposci ut proferres ubi legeris, *Unum sunt*, dictum esse de aliquibus rebus quæ non essent unius ejusdemque substantiæ : neque protulisti. Quid enim te adjuvat, quod dilectionis consensione affirmas dictum esse de Paulo et Apollo, *Qui plantat autem et qui rigat, unum sunt* (I *Cor.* III, 8) ; cum eos non ostendas diversæ fuisse substantiæ ?

Ambo quippe homines erant. Si enim non diligerent invicem, natura unum essent, dilectione non essent: si autem unum natura non essent, unum dici dilectione non possent. Poscit ergo Filius ut ita sint unum, quomodo ipse et Pater unum sunt; id est, non solum natura, quod jam erant; verum etiam perfectione charitatis atque justitiæ, pro suæ capacitate naturæ, quantum in Dei regno esse potuerint: ut etiam ipsi summe unum sint in natura sua, quemadmodum Pater et Filius summe unum sunt, quamvis in excellentiore atque incomparabiliter meliore natura sua. Dixit ergo ad Patrem Filius: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; ut sint unum, sicut et nos.* Non dixit, Ut sint unum nobiscum; aut, Ut simus unum ipsi et nos. Item paulo post: *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum ipsorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Neque hic dixit, Ut ipsi et nos unum simus, sed, *unum sint in nobis.* Quoniam homines qui natura unum sunt, summe atque perfecte secundum suum modum unum esse non possunt justitiæ plenitudine, nisi in Deo perficiantur, ut unum sint in Patre et Filio; id est, in ipsis unum, non cum ipsis unum. Adhuc sequitur, et adjungit: *Ut mundus credat quia tu me misisti, et ego claritatem quam mihi dedisti, dedi illis, ut sint unum, sicut nos unum sumus: ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Neque hic dixit, Ut nobiscum sint unum, aut, Ut ipsi et nos simus unum. Deinde cum addidisset, *Ut cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti;* secutus adjunxit, *Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Joan.* XVII, 11-21). *Ubi sum,* inquit, *mecum sint:* non ait, Unum mecum sint [1]. Hoc ergo voluit, ut cum illo essent, non ut illi et ipse unum essent. Quid est quod dicere voluisti, *Dilectionis fecit mentionem, et non substantiæ?* Quamvis tu non eo loco ista Domini verba posueris, quo ab ipso sunt posita. Sed quid ad nos? quandoquidem non ipsos et se, vel ipsos et Patrem dixit aut voluit unum esse; sed ipsos unum esse voluit, quos noverat unius esse substantiæ. *Sicut et nos,* inquit, *unum sumus:* quos identidem noverat unius esse substantiæ.

2. Tu si vis aliquid respondere, ostende secundum Scripturam sanctam de aliquibus rebus dici, Unum sunt, quarum est diversa substantia. Hoc enim Christus non dixit, quod tamen tu ausus es dicere, id est, *Apostolos unum esse cum Patre et Filio, in eo quod in omnibus ad voluntatem Dei Patris respicientes, ad imitationem Filii subditi uni Deo Patri et ipsi inveniuntur* (*a*). Hæc dicens, Deum et homines sanctos unum esse fecisti. Potest ergo quisquam sanctorum dicere, Ego et Deus unum sumus? Absit hoc a cordibus et oribus sanctis. Puto autem quod et vos a quocumque hoc audiatis, horrescitis, nec fertis quemquam hominem, quantolibet munere sanctitatis excellat, dicentem, Ego et Deus unum sumus. Sed forte arrogantiæ videatur, si hoc de se ipso aliquis dicat. Itane vero quisquam vestrum etsi non audet dicere, Ego et Deus unum sumus; saltem audet dicere, Paulus et Deus unum sunt; sicut incunctanter dicimus, Paulus et Apollo unum sunt; Deus Pater et Deus Filius unum sunt? Porro, si non audetis dicere, Quilibet homo sanctus, quilibet propheta, quilibet apostolus, et Deus, unum sunt; quis te urgebat, quis te impingebat, quis te præcipitabat [1], ut diceres, *Apostoli unum sunt cum Patre et Filio? Unum sunt,* inquis, *Pater et Filius, non tamen unus:* continuoque subjungis, *Unum ad concordiam pertinet; Unus, ad numerum singularitatis.* Volebas autem dicere, Unum sunt, ad concordiam pertinet; Unus est, ad numerum singularitatis: sed te a consideratione verborum tuorum impetus disputationis avertit. Nam et Unum et Unus utique ad numerum pertinet singularem. Sed quod verum [2] est; Unum sunt, propter id quod additum est, Sunt, pluralem indicat numerum, quadam singularitate connexum: Unus est autem, apertissime est numerus singularis. Sed numquid Apostolus diceret, Qui autem adhæret Domino, unum sunt? Quid enim aliud diceret, si hoc diceret, nisi, Homo sanctus, et Deus, unum sunt? Sed absit, absit ab illa sapientia ista sententia: et tamen dixit, *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17); ut noveris de his dici, Unum sunt, quæ unius sunt ejusdemque substantiæ: sicut quibusdam hominibus dictum est, *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (*Galat.* III, 28); et sicut ait ipse Christus, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Cum autem unus dicitur, et quid unus dicitur [3]: et de diversis substantiis dici potest, sicut dictum est, *Qui adhæret Domino, unus spiritus est;* et de rebus unius substantiæ, sicut dictum est, *Erat eis anima et cor unum* (*Act.* IV, 32). *Erat,* dixit; non dixit, Erant: quoniam dixit et quid erat; id est, *anima et cor.* Sic etiam de Patre et Filio, et, Unum sunt, dicimus, quia unius substantiæ duo sunt: et, Unus est, dicimus, sed addimus quid unus; id est, unus Deus, unus Dominus, unus Omnipotens, et si quid hujusmodi. Satis me vobis duarum istarum locutionum arbitror inculcasse distantiam. Scrutare itaque Scripturas canonicas veteres et novas, et inveni, si potes, ubi dicta sunt aliqua, Unum sunt, quæ sunt diversæ naturæ atque substantiæ.

3. Sane falli te nolo in Epistola Joannis apostoli, ubi ait: *Tres sunt testes; spiritus, et aqua, et sanguis; et tres unum sunt* (I *Joan.* V, 8). Ne forte dicas spiritum et aquam et sanguinem diversas esse substantias, et tamen dictum esse, *tres unum sunt:* propter hoc admonui ne fallaris. Hæc enim sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, et aliud significantia. Si ergo illa quæ his significantur, intelligantur, ipsa inveniuntur unius esse sub-

[1] Lov. et quidam Mss. omittunt, *Non ait, unum mecum sint.*
(*a*) Vide serm. 140, n. 4, tom. 5.

[1] Apud Er. Lugd. et Ven., *quis te urgebat, quis præcipitabat?* M.
[2] Apud Lov. et quosdam Mss., *verbum.*
[3] Sic Mss. Editi autem, *et quid unus natura, et quid unus adjicitur.*

stantiæ ; tanquam si dicamus, Petra et aqua unum sunt, volentes per petram significare Christum ; per aquam, Spiritum sanctum : quis dubitat petram et aquam diversas esse naturas ? Sed quia Christus et Spiritus sanctus unius sunt ejusdemque naturæ ; ideo cum dicitur Petra et aqua unum sunt ; ex ea parte recte accipi potest, qua istæ duæ res quarum est diversa natura, aliarum quoque signa sunt rerum quarum est una natura. Tria itaque novimus de corpore Domini exisse, cum penderet in ligno : primo, spiritum ; unde scriptum est, *Et inclinato capite tradidit spiritum* ; deinde, quando latus ejus lancea perforatum est, sanguinem et aquam (*Joan.* XIX, 30, 34). Quæ tria si per se ipsa intueamur, diversas habent singula quæque substantias ; ac per hoc non sunt unum. Si vero ea, quæ his significata sunt, velimus inquirere, non absurde occurrit ipsa Trinitas, qui unus, solus, verus, summus est Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, de quibus verissime dici potuit, *Tres sunt testes, et tres unum sunt* : ut nomine spiritus significatum accipiamus Deum Patrem : de ipso quippe adorando loquebatur Dominus, ubi ait, *Spiritus est Deus* (*Id.* IV, 24). Nomine autem sanguinis, Filium : quia, *Verbum caro factum est* (*Id.* I, 14). Et nomine aquæ Spiritum sanctum : cum enim de aqua loqueretur Jesus, quam daturus erat sitientibus, ait evangelista, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Id.* VII, 39). Testes vero esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quis Evangelio credit, et dubitat, dicente Filio, *Ego sum qui testimonium perhibeo de me : et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater* (*Id.* VIII, 18) ? Ubi etsi non est commemoratus Spiritus sanctus, non tamen intelligitur separatus. Sed nec de ipso alibi tacuit, eumque testem satis aperteque monstravit. Nam cum illum promitteret, ait : *Ipse testimonium perhibebit de me.* Hi *sunt tres testes : et tres unum sunt* (*Id.* XV, 26), quia unius substantiæ sunt. Quod autem signa quibus significati sunt, de corpore Domini exierunt, figuraverunt Ecclesiam prædicantem Trinitatis unam eamdemque naturam : quoniam hi tres qui trino modo significati sunt, unum sunt ; Ecclesia vero eos prædicans, corpus est Christi. Si ergo tres res quibus significati sunt, ex corpore Domini exierunt : sicut ex corpore Domini sonuit, ut baptizarentur gentes *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). *In nomine* ; non, In nominibus : hi enim tres unum sunt, et hi tres unus est Deus. Si quo autem alio modo tanti sacramenti ista profunditas, quæ in Epistola Joannis legitur, exponi et intelligi potest secundum catholicam fidem, quæ nec confundit nec separat Trinitatem, nec abnuit tres personas, nec diversas credit esse substantias, nulla ratione respuendum est. Quod enim ad exercendas mentes fidelium in Scripturis sanctis obscure ponitur, gratulandum est, si multis modis, non tamen insipienter exponitur.

CAPUT XXIII. — 1. Quid est autem quod poscis ut astruam, *Si pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus* : cum hoc astruat voce clarissima Scriptura divina dicens, *Audi, Israel ; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4) ? Quod et vos utique audiretis, si Israel esse velletis, non carnaliter ut Judæi, sed spiritualiter ut Christiani. Qui enim non vult fideliter audire quod dictum est, *Audi, Israel ; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* ; superest ut eum qui hoc dixit, credat esse mendacem. Si autem mendax ille non est, vox ista vera est : si vox ista vera est, quæstio ista finita est. Procul dubio quippe vos veritas cogit Patrem et Filium et Spiritum sanctum confiteri unum Dominum Deum. Sed Spiritum sanctum, cujus templum non manufactum, sed corpus est nostrum, cujus templum non ligna et lapides, sed membra sunt Christi, negatis Deum : de ipso Christo quid dicturi estis, quem Deum et Dominum confitemini ? Respondete itaque nobis, utrum Pater et Filius unus sit Dominus Deus. Si enim non est unus, duo sunt : si duo sunt, mentitur qui dicit, *Audi, Israel ; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* ; mentitur qui dicit, *Videte quoniam ego sum Deus, et non est alius præter me* (*Id.* XXXII, 39). Sed quia illum mentientem dicere non audetis, quare vos corrigere dubitatis, et venire vel redire ad catholicam fidem, quæ Patrem et Filium et Spiritum sanctum non tres dominos deos, sed unum Dominum Deum credit, et audit clamantem populo suo, *Audi, Israel ; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* ; et, *Videte quoniam ego sum Dominus, et non est alius præter me* ? Si te dicam surdum et cæcum, qui nec audis ista, nec vides, contumeliosum sine dubio me putabis. Ecce non dico : expone nobis quomodo accipias, *Audi, Israel ; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* : utrum ibi sit intelligendus et Christus, an non sit. Si enim dixeris, Ibi est ; confiteberis mecum Patrem et Filium unum esse Dominum Deum. Si autem responderis, Christum non esse ibi intelligendum, duos contra vocem divinam introducturus es dominos deos, quoniam non negas etiam Christum esse Dominum Deum. Similiter abs te quæro quomodo accipias, *Videte quoniam ego sum Dominus, et non est alius præter me.* Ibi est et Christus, an non est ? Si ibi est, profecto Pater et Filius unus est Dominus : si autem ibi non est, et tamen Dominus est ; mentitur qui dicit, *Non est alius præter me.* Est enim alius Dominus Filius, si non unus est Dominus Pater et Filius. Quantumlibet enim excellentius laudes Patrem, et infra eum deprimas Filium, id agis, ut æquales non sint, non ut duo non sint. Clama, quantum vis, Pater est major, Filius minor : respondetur tibi, Duo sunt tamen major et minor. Nec dictum est, Dominus Deus tuus major, Dominus unus est : sed dictum est, *Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* Neque dictum est, Non est alius æqualis mihi : sed dictum est, *Non est alius Dominus præter me.* Aut ergo confitere Patrem et Filium unum esse Dominum Deum, aut aperte nega Dominum Deum esse Christum, sicut aperte negas Dominum Deum esse Spiritum sanctum. Quod si feceris, istis quidem te divinis vocibus non urgebo ;

sed alia testimonia divina proferam, quibus te et in isto errore detestabiliorem convincam [1]. Nunc autem et si negas Dominum Deum esse Spiritum sanctum, tamen ut istis Dei vocibus conteraris, satis est quod Christum Dominum Deum confiteris : qui si non est cum Patre unus Dominus Deus, duo domini dii nostri erunt, et falsæ illæ Dei voces erunt, *Dominus Deus tuus, Dominus unus est;* et, *Non est alius præter me.* Sed quanto melius erunt vestra verba emendata, quam Dei verba mendacia ?

2. Quæris a me utrum, *Judaico modo te horter profiteri unum Deum; an de subjectione Filii potius secundum quod fides habet Christiana, ostendatur unus esse Deus, cujus Filius noster est Deus.* Ita hoc dicis, quasi Judæorum sit vox, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est;* aut, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me.* Ipse Deus hoc dixit : agnosce, et tace ; vel potius edissere quomodo verum dixerit, quem nullus nostrum audet affirmare mentitum. Edissere, inquam, quomodo verum sit, *Dominus Deus tuus, Dominus unus est;* si domini dii nostri, ut dicitis, duo sunt, unus major, alius minor : edissere quomodo verum sit, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me.* Quis enim hoc dixerit quæro, utrum Pater, an Filius. Si Pater dixit, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me;* non verum dixit, quia est alius Dominus Filius. Si Filius hoc dixit; nec ipse verum dixit, quia est alius Dominus Pater. Si autem hoc dixit Trinitas ; profecto et verum dixit, et vos falsum dicere ostendit. Trinitas quippe secundum rectam fidem, id est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, in cujus nomine baptizamur, et unus Dominus Deus noster est, et præter ipsum alius non est. Ipse est enim Deus de quo dicit Apostolus : *Nullus est Deus, nisi unus* (I *Cor.* VIII, 4). Nam si hoc de Patre acceperis dictum, non tibi erit Deus Christus, quia non potest solvi Scriptura, dicens, *Nullus Deus, nisi unus :* ut hic vobis taceam de Spiritu sancto, quem superius Dominum Deum ostendimus, vobis negantibus. Quapropter si Macedoniani hæretici essetis, qui de solo Spiritu sancto catholicæ fidei consentire detrectant, Patrem vero et Filium duos quidem esse, id est, illum Patrem, illum Filium, et æquales esse, atque unius ejusdemque substantiæ, nec tamen duos dominos deos, sed ambos simul unum Dominum Deum esse consentiunt : si ergo et vos saltem hactenus erraretis, non utique his divinis vocibus urgeremini. Patrem quippe et Filium assereretis unum Dominum Deum dixisse, *Non est alius præter me.* Utinam non restaret agere vobiscum, nisi ut adjungeretis Spiritum sanctum, et non dualitatem, sed Trinitatem diceretis unum Dominum Deum. Nunc vero cum sic asseritis Patrem Dominum Deum, et Filium Dominum Deum, ut simul ambos non dicatis unum Dominum Deum, sed duos, majorem unum, minorem alterum ; prorsus confodimini gladio veritatis dicentis, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est :* qui clamat, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me.* Neque enim Deus Pater sic vellet Israelitas a cultu deorum revocare multorum atque falsorum, ut eis de uno Deo ac Domino mentiretur, et diceret non esse præter se alium Dominum, cum sciret Deum et Dominum esse suum Filium. Absit ut veritas et veritatis Pater mendacio deciperet populum suum : hæreticorum sit hæc, non catholicorum tam horrenda et detestanda blasphemia. Prorsus Deus verum dicit, cum dicit, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est :* quia Pater et Filius et Spiritus sanctus, non tres dii, sed unus Deus ; nec tres domini, sed unus Dominus est. Prorsus verum dicit, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me;* quia non hoc Pater tantum, sed ipsa Trinitas dicit : hic est Dominus unus, et non alius præter ipsum. Nam si Pater diceret, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me;* negaret utique Dominum esse unigenitum Filium. Et quis nostrum auderet eum Dominum confiteri, contradicente Patre atque dicente, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me?* Ac per hoc secundum rectam fidem, non Patris, sed Trinitatis hæc vox est : et Patris ergo, et Filii, et Spiritus sancti. Obticescant igitur linguæ ignorantium veritatem : hæc Trinitas Deus unus est. De hoc uno Deo dicitur, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* Hic Deus unus dicit, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me.* Subjectus est quidem Patri filius secundum formam hominis : non tamen sunt duo dii et duo domini secundum formam Dei ; sed ambo cum Spiritu suo unus est Dominus.

3. Testimonia quæ de Paulo apostolo protulisti, contra te loquuntur, et nescis. Dicit enim ille : *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo* (*Rom.* I, 7; I *Cor.* I, 3; II *Cor.* I, 2; *Galat.* I, 3, *et Ephes.* I, 2). Quomodo est autem Dominus Jesus Christus, si Pater dicit, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me?* Non ergo solius Patris, ut dixi, sed Trinitatis hæc vox est. Adhibes alterum testimonium, et ipsum contra te ipsum, ubi ait Apostolus, *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos in ipso,* sicut tu locutus es : Apostolus autem, *et nos per ipsum* ait ; non ait, *in ipso.* Sed hoc quid ad causam ? Solent ista contingere ex memoria proferentibus testimonia, non ex codice illa legentibus : quod ad rem pertinet potius intuere. Ecce, dixit Apostolus, *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 6). Omnino duas personas, unam Patris, alteram Filii, sine ulla confusione et sine ullo errore distinxit. Neque enim duo sunt dii patres, sed unus Deus Pater : nec duo sunt domini Jesu Christi, sed unus Dominus Jesus Christus. In illa quippe Trinitate quæ Deus est, unus est Pater, non duo vel tres ; et unus Filius, non duo vel tres ; et unus amborum Spiritus, non duo vel tres : et ipse unus Pater utique Deus est, et ipse unus Filius etiam vobis fatentibus Deus est, et ipse amborum Spiritus etiam vobis negantibus Deus est. Sic et Dominum si quæras, singulum quemque respondeo ; sed simul

[1] Er. Lugd. Ven., *detestabiliorem convincam.* M.

omnes non tres dominos deos, sed unum Dominum Deum dico. Hæc est fides nostra, quoniam hæc fides est recta, quæ fides etiam catholica nuncupatur. Tu autem qui huic fidei contradicis, quæso te, expone nobis, etiam Jesus Christus quomodo sit Dominus, qui non Trinitatis, sed solius Patris esse asseris vocem, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me.* Nempe turbaris; nempe quid respondeas non invenis, nisi quia tacere, quando convinceris, non vis. Si enim non Deus Trinitas, sed Pater tantum dixit, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me :* procul dubio negavit esse Dominum Filium; quoniam si Dominus est et Filius, falso dictum est, *Non est alius Dominus præter me.* Non enim agitur de Domino, quales sunt homines domini hominum servorum, quos Apostolus secundum carnem dominos esse dicit (*Ephes.* VI, 5) : sed de Domino agitur, cui servitus illa debetur, quæ græce λατρεία dicitur, secundum quam dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13). Qui Dominus Deus si non Trinitas, sed solus est Pater : prohibemur utique Domino Christo tali servitute servire, in eo quod audimus, *Illi soli servies;* si ita dictum est, ac si diceretur, Deo Patri soli servies. Qui profecto si solus, et non ipsa Trinitas dixit, *Ego sum Dominus, et non est alius præter me;* negavit esse Filium Dominum talem, quali domino servitus illa debetur, qua nonnisi Deo cum vera religione servitur. Non enim dixit, Ego sum Dominus major aut melior, et non est tantus aut talis præter me : sed volens sibi soli ea quæ Domino Deo debetur servitute serviri, *Ego sum,* inquit, *Dominus, et non est alius præter me.* Porro si vox ista, sicut catholica fides dicit, unius Dei est, quod est ipsa Trinitas; sine ulla dubitatione huic soli serviendum est ea servitute, quæ nonnisi Domino Deo debetur, quia ipse est Dominus, et non est alius præter ipsum.

4. Deinde quæro quomodo accipias quod dictum est, *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Numquid non et ex Filio sunt omnia : quandoquidem ipse dicit, *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit* (*Joan.* V, 19)? Si autem ita distinguis, ut non sint per Patrem omnia, sed ex Patre; nec omnia sint ex Filio, sed per Filium : quis eorum tibi videtur esse ille de quo idem apostolus dicit, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen* (*Rom.* XI, 33-36). Utrum Pater est intelligendus, an Filius? Deum namque prius nominavit, dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Postea vero eum Dominum appellavit, ubi ait : *Quis enim cognovit sensum Domini?* Sed hoc non habet controversiam : utrumque enim nomen etiam vos et Patri assignatis et Filio. Neque enim sic dicitis Deum Patrem, ut negetis esse Deum Filium; aut sic dicitis Deum Filium, ut negetis esse Deum Patrem. Quamvis in hoc apostolico testimonio quod adhibuisti, Deus dicatur Pater, Dominus Filius, id est, *Unus Deus Pater, ex quo omnia; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Sed illud attende ubi dictum est. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Nam sive Pater sit iste, sive Filius, *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Quomodo ergo ex Patre omnia, non ex Filio; et per Filium omnia, non per Patrem : quandoquidem quemlibet eorum Apostolus voluerit hoc loco intelligi, *Ex ipso*, inquit, *et per ipsum, et in ipso sunt omnia?* Si ergo sive de Patre sive de Filio, verissime tamen dicitur, quod *ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia;* sine dubio Patris et Filii demonstratur æqualitas. Si autem quoniam non nominavit Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sed Deum et Dominum, quod et ipsa Trinitas dici potest, singula horum trium referri ad singulos voluit : *ex ipso* dicens, propter Patrem; *et per ipsum*, propter Filium; *in ipso*, propter Spiritum sanctum : cur hanc Trinitatem unum Dominum Deum non vultis agnoscere? Quandoquidem non ait, Ex ipsis, et per ipsos, et in ipsis; sed ait, *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia :* nec ait, Ipsis gloria; sed, *ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

5. Falleris sane, qui putas de Patre solo esse dictum, *Nemo bonus, nisi unus Deus.* Si enim dixisset, Nemo bonus, nisi unus Pater; nec sic exclusum Filium et Spiritum sanctum ab ista unitate bonitatis voluisset intelligi : quia et illud quod simili locutione dictum est, quam supra commemoravi, *Ea quæ Dei sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei* (I *Cor.* II, 11) : non excludit ab hac scientia Filium Dei. Quanto ergo nobis latitudo intelligentiæ magis patet, quia non dixit, Nemo bonus, nisi unus Pater; sed, *Nemo bonus, nisi unus Deus*; quod est ipsa Trinitas. Quærebat quippe ille cui hoc respondit Jesus, non bonum qualecumque, sed bonum quo fieret beatus; imo ipsam beatitudinem veram, id est, vitam desiderabat æternam : et interpellaverat tanquam hominem Christum, nesciens eum esse etiam Deum. Dixerat enim : *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam consequar?* Tunc ait ille : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Marc.* X, 17, 18). Vel, sicut legitur apud alium evangelistam, quod tantumdem valet, *Nemo bonus, nisi solus Deus* (*Luc.* XVIII, 19). Tanquam diceret : Recte me appellabis bonum, si me noveris Deum. Nam quando me nihil aliud quam hominem putas, quid me dicis bonum? Non te facit bonum nec beatum, nisi bonum immutabile quod solus est Deus. Nam bonus angelus, bonus homo, bona cætera creatura : hæc non ita bona sunt, ut ea quisquis adeptus fuerit, sit beatus; nec ulla est beata vita, si non sit æterna. Quomodo autem non est tale bonum Dei Filius verus, cum sit verus Deus et vita æterna, ad quam cupiebat ille qui interrogaverat pervenire?

6. Proinde cum ego asseram, *Nemo bonus, nisi unus* et *solus Deus*, de ipsa Trinitate dictum esse, qui Deus unus et solus est; tu autem asseras de solo Deo Patre dictum esse, quia ipse de nullo alio Deus, de nullo

alio bonus est; Filius autem de Patre Deus, de Patre magnus et bonus est: diligenter attende quis nostrum bene sentiat de Deo Patre et de Deo Filio; utrum ego qui dico, Deus quidem Pater, non de alio Deo Deus est, Deus autem Filius de Patre Deo Deus est, sed tantus iste de illo, quantus ille de nullo; et bonus Pater non de alio bono bonus est, Filius vero de Patre bono bonus est, sed tam bonus hic de illo, quam bonus ille de nullo: an tu qui propterea dicis solum esse Patrem Deum bonum, quia nec Deus est de alio Deo, nec bonus de alio bono; Filium vero ideo Patri non esse coæquandum, quia de illo Deus est, de illo bonus est? In qua sententia utrumque blasphemas: et Patrem scilicet, quia non tantum genuit quantus est ipse, nec talem qualis est ipse; et Filium, quia talis tantusque nasci non meruit, qualis quantusque est ille qui genuit. Denique ista ipsa duo de quibus agimus, hoc est, deitas et bonitas, quoniam dictum est, *Nemo bonus, nisi unus Deus*, in hac tua opinione deficiunt. Tantum enim quantus est ipse, et talem qualis est ipse, si non potuit gignere, quomodo Deus est? si noluit, quomodo bonus est?

7. *Pater*, inquis, *fons bonitatis est, qui quod est bonus a nemine accepit.* Numquid ideo minus bonus est Filius, quoniam quod bonus est, ab eo Patre accepit, qui nascenti Filio tantam bonitatem quantacumque illi est, quia Deus est, dare potuit; et dedit, quia bonus invidere non potuit? Nam si minus bonitatis, quam quod ipse habet unico dedit, minus bonus est et ipse quam debuit: quod sentire dementiæ est. Ergo quantum ipse habet bonitatis, tantum Filio dedit [1]. Et quia natura est, non gratia Filius, nascenti, non indigenti dedit; et plenus plenum, fons bonitatis fontem genuit bonitatis. Ac per hoc nec auxit in se hic quod accepit, nec minuit in se ille qui dedit [2]: quia non habet immutabilitas unde deficiat, non habet plenitudo quo crescat. Quid est autem ipsa bonitas, nisi vita vivificans? Proinde quia fons fontem genuit, *sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* v, 21). Hoc ipse Filius dixit, non ego. Unde merito Deo Patri dicitur, *Quoniam apud te est fons vitæ.* Quis est autem iste fons vitæ apud Patrem, nisi de quo dicitur, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum:* de quo etiam paulo post dictum est, *Et vita erat lux hominum* (*Id.* i, 1, 2, 4)? Hæc vita fons vitæ est, et lux ista lux lucis est. Unde cum dictum esset, *Apud te est fons vitæ;* continuo subjunctum est, *In lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* xxxv, 10), hoc est, in Filio tuo Spiritum sanctum; quem tu quoque esse illuminatorem in Collationis nostræ prima parte professus es. Fons ergo de fonte, Filius de Patre, et simul ambo fons unus: lux de luce, Filius de Patre, et simul ambo lux una: sicut Deus de Deo, et simul ambo utique Deus unus: et hoc totum non sine Spiritu amborum. Ex hoc fonte bonitatis, ex hoc fonte vitæ, ex hoc immutabili lumine, ex hac indeficiente plenitudine, id est, Patre, et Filio, et Spiritu sancto, uno Domino Deo solo, secundum mensuram fidei suæ quicumque veraciter credunt, sumentes boni fiunt, vivificantur, illuminantur, implentur. Quibus tu unigenitum Filium, pace tua dixerim, nescio qua incredibili temeritate junxisti. Tua quippe ista sunt verba: *Sive*, inquis, *Filius, sive qui per Filium sunt facti, de illo uno fonte bonitatis unusquisque secundum mensuram fidei suæ assumpserunt ut essent boni.* Ubi est ergo quod fueras ante confessus, illum natura Filium esse, non gratia [1]? Ecce contra sententiam tuam venis: ecce jam prodis nefarium secretum hæresis vestræ, quia unigenitum verum Dei Filium, verum Deum, non natura Filium, sed gratia profitemini. Si enim et ipse, sicut verba tua clamant, secundum mensuram fidei suæ, ut bonus esset, assumpsit; gratia est ergo Filius, non natura: et fuit aliquando non bonus, et credendo factus est bonus; quia ut esset bonus, quemadmodum dicis, secundum mensuram fidei suæ de illo qui Pater est, fonte bonitatis assumpsit. Legimus quidem quod *Jesus proficiebat ætate et sapientia, et gratia Dei erat in illo* (*Luc.* ii, 52): sed secundum formam hominis quam pro nobis accepit ex nobis, non secundum formam Dei, in qua non alienum arbitratus est esse æqualis Deo (*Philipp.* ii, 6). Verumtamen etiam in ipsa forma hominis legimus eum ætate et sapientia profecisse, non tamen ut ex non bono bonus fieret credendo meruisse. Neque nunc inter nos quæstio vertitur de natura filii hominis, in qua Dei Filius minor est Patre: sed de natura Filii Dei, in qua, ut nos dicimus, vos negatis, æqualis est Patri: quia Filius verus, Filius unicus, Filius de vero Deo verus Deus, in nullo degeneravit a Patre. Proinde incomparabilem Patrem Filio, nec in Scripturis sanctis alicubi legere potuisti. Nec sana fide ipse dixisti immensum etiam Patrem; quoniam propterea dicis, ut Filium non pariter immensum, sed mensura existimes terminatum. Tecum habeto mensuram tuam, qua tuum falsum dominum metiaris, et de vero Domino mentiaris.

CAPUT XXIV. — Bene confiteris quod et Pater diligat Filium, et Filius diligat Patrem: sed si et hoc confitearis, quia non est major dilectio in Patre quam in Filio. Quia enim natura divinitatis æquales sunt, æqualiter se invicem diligunt. Facit autem Filius sicut homo mandatum Patris. Nam sicut Deus, ipse Filius est mandatum Patris, quia ipse est Verbum Patris. Unde alio loco de mandato Patris, hoc est, de se ipso dicit: *Scio quia mandatum ejus vita æterna est* (*Joan.* xii, 50). Quod autem ipse Dei Filius sit vita æterna, Scriptura divina testatur. Ubi autem ait, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Id.* xiv, 9); quis nesciat ideo dictum, quoniam quisquis per intelligentiam videt Filium, Patri utique videt æqualem? Quod vos ideo non vultis, quia per oculos cordis, quantum in hac vita videri potest, Filium non videtis.

[1] Quidam Mss., *tantum unico dedit.*
[2] Sic Mss. Editi vero, *quod dedit.*

[1] Plures Mss., *nos gratia.*

CAPUT XXV. — Putas non recte a me dictum esse, quod propter formam servi quam suscepit Filius (*Philipp.* II, 7), major sit Pater. Tu enim secundum hæresim vestram, in ipsa Dei forma Patrem Filio vis esse majorem : cui paternam sic invides formam, ut ideo perfectum velis natum esse Filium æterna perfectione, ne ad paternam formam saltem crescendo valeat pervenire. Sed inaniter invidet homo paternam formam Dei Filio, cui Pater eam non invidit, quia æqualem sibi unicum genuit. Sed dicis non esse Patris magnam gloriam, si ea forma servi major est, qua forma sunt majores et Angeli. Vide si aliud conaris, nisi ad unius Patris gloriam, per unici Filii contumeliam pervenire, ut scilicet non augeatur Pater in gloria, nisi minuatur Filius in natura. Cohibe te : nescis et Patri et Filio te ingerere contumeliam, si nec ille potuit aut noluit gignere æqualem sibi, nec iste nasci æqualis Patri? Non se vult Deus ita laudari Patrem, ut Filium dicatur de se ipso generasse degenerem. Non vult bonus Filii dilector ita prædicari formam suam, ut eam non potuerit unicus ejus vel nascendo sumere, vel crescendo comprehendere. Quod autem tibi videtur nihil magnum de Deo Patre dici, si forma servi major est; qua majores videntur et Angeli : non recte cogitas quem locum in rebus habeat humana natura, quæ condita est ad imaginem Dei. Majores Angeli dici possunt homine, quia majores sunt hominis corpore : majores sunt et animo, sed in forma quam peccati originalis merito corruptibile aggravat corpus. Natura vero humana, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato potuit depravari, solus major est Deus. Denique propter quid dictum sit, *Minorasti eum modico minus quam angelos* (*Psal.* VIII, 6); aperuit Scriptura, ubi legitur, *Eum autem modico minus quam angelos minoratum vidimus Jesum propter passionem mortis* (*Hebr.* II, 9). Non ergo propter naturam hominis; sed, *propter passionem mortis*. Natura vero hominis, quæ mente rationali et intellectuali creaturas cæteras antecedit, Deus solus est major : cui utique injuria facta non est, ubi scriptum est, *Major est Deus corde nostro* (I *Joan.* III, 20). Filius ergo Dei susceptum hominem levaturus ad Patrem quando dicebat, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); non carni suæ solum, sed etiam menti, quam gerebat, humanæ Deum Patrem utique præferebat : quæ tota sine dubio forma agnoscitur servi, quoniam tota servit creatura Creatori.

CAPUT XXVI. — 1. Postrema tibi disputatio fuit, quomodo sit Deus patribus visus, quando corpus humanum in quo videretur, nondum acceperat Christus, cum invisibilis sit per se ipsa divina natura. Quod cum etiam tu ita confessus fueris ut inter cætera non solum Patrem, sed nec ipsum Filium in substantia divinitatis suæ diceres esse visibilem, non solum hominibus, sed nec ipsis cœlestibus potestatibus : postea, mutata sententia, dicis eum et ante incarnationem suam conspectibus apparuisse mortalium, asserens illud quod ait Apostolus, *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest* (I *Tim.* VI, 16), de solo Deo Patre dictum esse; Filium vero ex initio generis humani videri solitum esse ab hominibus. Quod cum probare voluisses, multa de Scripturis sanctis testimonia protulisti, quæ te nihil adjuvare potuerunt. Non enim legis alicubi scripsisse Moysen, sicut dicis, quod ab illo primo homine Adam usque ad ipsam incarnationem semper Filius visus est. Hoc enim eum describere pronuntias in Geneseos libro, quod ita falsum est, ut etiam ridiculum sit. Numquid enim liber Geneseos, ab Adam usque ad incarnationem Christi, ea quæ gesta sunt continet? aut ipse Moyses usque ad tempora incarnationis Christi, vel in carne vixit, vel ea quæ facta sunt scripsit? Hæc dicis, et putas te aliquid dicere, vel putaris ab eis qui nec ista possunt, quæ tam manifeste falsa sunt, cernere.

2. Deinde quod commemoras Patrem ad Filium dicentem, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* quid hoc ad rem pertinet, rogo te? quid ad rem pertinet? Tantumne tibi vacabat loqui, ut non attendens quid probare susceperas, memoriter nobis et inaniter Scripturam Geneseos ventilares? Numquid hinc probatur ante carnem susceptam visus ab hominibus Christus, quia dixit Pater ad Filium, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram?* Deinde adjungis, ac dicis, *Et fecit Deus hominem* (*Gen.* I, 26, 27) : atque addis, *Quis Deus, nisi Filius?* Et ut mihi de opere quasi præscribas meo, *Hoc utique*, inquis, *et tu in tuis tractatibus exposuisti.* Ubi nolo quærere quam verum loquaris, quando video nihil ad causam pertinere quod loqueris. Agitur quippe inter nos, utrum per suæ divinitatis substantiam Christus visibus apparuisset humanis. Et tu dicis, *Fecit Deus hominem :* et addis, *Quis Deus, nisi Filius?* quasi propterea necesse fuerit ut homo Deum opificem suum videret oculis carneis. Hoc si ita esset, omnes homines viderent Deum : quis enim alius eos facit in uteris matrum? Adhuc adjicis talia, et dicis : *Iste ergo Filius qui est propheta sui genitoris, dicebat :* « *Non est bonum solum esse hominem, faciamus ei adjutorium secundum se* » (*Id.* II, 18). Si quæram, quis tibi indicaverit quia Filius hoc dicebat, in quibus angustiis te videbis? Scriptura enim quæ dixit, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, non exprimens utrum Pater, an Filius, an Spiritus sanctus, an ipsa Trinitas fecerit, qui unus est Deus; per cætera etiam ita commemorat Deum, ut dicat *Et fecit Deus, Et dixit Deus*, per quæque opera ejus, quorum illum asserit conditorem. Simili ergo locutione ait, *Et Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit Deus hominem :* nec aliter locuta est, ubi ait, *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium secundum se.* Unde igitur tibi persuasum est, cætera superiora Patrem dixisse, hoc autem Filium? Unde, quæso, distinguis, unde discernis Patrem dixisse, *Fiat lux* (*Id.* I, 1-27), et cætera; Patrem denique dixisse, *Faciamus hominem;* et Filium dixisse, *Faciamus ei adjutorium :*

cum tibi Scriptura ubique non dicat nisi, *Dixit Deus?* Quæ est ista temeritas? quæ præsumptio? Deinde cum ideo Patrem majorem soleatis asserere, quia dixit, Fiat hoc, aut illud, tanquam jubens Filio; Filium vero ideo minorem, quia jussa perfecit : quid dicturi estis, ubi scriptum est, *Faciamus hominem?* Non enim ait sicut in superioribus, Fiat homo, tanquam id jusserit Filio : sed, *Faciamus*, inquit, *hominem*. Quod non quæro quem dixisse arbitreris : jam enim verba tua tenemus, quod Pater hoc dixerit Filio. Cur ergo non ait, Fiat, vel, Fac; sed ait, *Faciamus?* An cætera Deus imperavit, et Filius fecit; hominem vero ambo fecerunt, sed Patre et jubente, et cooperante, Filio autem non jubente [1], sed tantum jussa faciente? Sed si propterea Patrem jubentem intelligis, quia scriptum est, *Dixit Deus, Faciamus hominem :* ergo jussit et Filius; quia tu ipse non Patrem accipis dixisse, sed Filium, *Faciamus ei adjutorium*. Et sicut illud ubi dictum est, *Et fecit Deus hominem;* obedisse jubenti Patri Filium vis videri, quia Pater dixerat, *Faciamus hominem :* ita etiam ubi legimus, *Et immisit Dominus soporem in Adam, et sumpsit unam de costis ejus* (*Gen.* II, 21), et cætera, quibus ostenditur factum homini esse adjutorium, obedisse Patrem jubenti Filio, te auctore, intelligamus; quia non Patrem, sed Filium dixisse asseris, *Faciamus ei adjutorium*.

3. Sed hæc ita loquor, quasi ad causam quæ a nobis agitur, quidquam pertineat, quodlibet hinc volueris credere aut suspicari. Prorsus, sicut dicis, Pater jusserit, ubi dictum est, *Faciamus hominem;* et Filius obedierit, ubi dictum est, *Et fecit Deus hominem :* prorsus sicut te delectat, Filius dixerit, *Non est bonum solum esse hominem; faciamus ei adjutorium;* sed talia dicens ipse non jusserit, quia hoc vultis : quomodo ostendis Filium qui hominem fecerit, ab homine visum? Quomodo ostendis Filium qui dixit, *Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adjutorium*, ab homine visum, vel ab ipsa muliere, si eam factam non vis a Patre, ne Filio Pater obedisse videatur; sed ipse eam Filius, tanquam sibi jubens sibique obediens, et faciendam dixit et fecit? Demonstra Filium visum esse a viro, visum esse a muliere. Demonstraturum te quippe promiseras, et antequam incarnaretur visum fuisse humanis aspectibus Filium. Ostende promissa. Quid pergis in vacua? Quid deludis exspectationem nostram, nec exhibes pollicitationem tuam? Multiplicas verba non necessaria, ut necessaria occupes tempora. Si propterea visus est a viro Filius quia fecit eum, et propterea visus ab ejus muliere quia fecit eam; defini, si audes, non posse Deum Filium et operari videntia, et a suis operibus, quamvis alia videntibus, non videri. Si autem hoc potest Deus Filius; ipse quippe usque nunc operatur cuncta videntia, et tamen eorum a se ipso creatis oculis non videtur; quid est quod dixisti? Cur ista de libro Geneseos in tuo sermone posuisti? cur nobis necessaria temporum spatia superflua loquacitate finisti?

[1] Editi, *et cooperante Filio, Filio autem non jubente*, etc. Castigantur ex Mss.

4. *Sed iste*, inquis, *Filius visus est Adæ, secundum quod legimus, Adam dicentem, « Vocem tuam audivi deambulantis in paradiso; et abscondi me, quia nudus sum »* (*Gen.* III, 10). Hoc ergo prius diceres, homo bone, inde inciperes promissa monstrare. Quamvis et hic Adam, *Vocem tuam*, inquit, *audivi :* non ait, Faciem vel speciem tuam vidi. Et quod ait, *Abscondi me, quia nudus sum;* videri se a Deo timuit, non a se Deum visum esse monstravit. Nam si vox quando auditur, sequitur visio; visus est et Deus Pater quoties voce attestatus est Filio. Novimus quippe in Evangelio verba Patris sonantis, atque dicentis, *Tu es Filius meus dilectus*, etc. (*Marc.* I, 11), ubi auditus ab hominibus, non tamen visus est. Ac per hoc et in illis verbis quæ adjungis, ubi dicit, *Quis nuntiavit tibi quia nudus es?* et sequentia; potuit audiri, et non videri Deus. Nondum itaque aliquid ex eo quod promiseras dixisse te vide : et dic tandem aliquid quod discutere debeamus, aut quod pro tua causa esse fateamur.

5. *Hic Deus*, inquis, *et Abrahæ visus est.* Visum esse Deum Abrahæ negare non possumus. Scriptura quippe fidelissima apertissime hoc loquitur, dicens : *Visus est autem illi Deus ad quercum Mambre.* Sed neque hic expressum est, utrum Pater an Filius. Cum autem narraret Scriptura, quomodo ei visus sit Deus, tres viros illi apparuisse declarat, in quibus magis ipsa Trinitas, qui unus est Deus, recte intelligi potest. Denique tres videt, et non dominos, sed Dominum appellat, quoniam Trinitas tres quidem personæ sunt, sed unus Dominus Deus. Sic autem narratur quod vidit Abraham : *Respiciens*, inquit, *oculis suis vidit, et ecce tres viri stabant super eum; et videns procurrit in obviam illis ab ostio tabernaculi sui, et adoravit super terram, et dixit : Domine, si inveni gratiam ante te, ne prætereas servum tuum.* Hic videmus tres viros apparuisse, et unum Dominum dici, unumque Dominum rogari ne prætereat servum suum, quoniam congruit Deo visitare famulos suos. Deinde tres personas pluraliter alloquitur, dicens : *Sumatur nunc aqua, et lavem pedes vestros, et refrigerate sub arbore, et sumam panem, et manducate, et postea transibitis in viam vestram, propter quod declinastis ad servum vestrum.* Manifestum est eos tanquam homines invitari : non enim tale illis præberetur obsequium, quo indigentia reficerent corpora, nisi homines putarentur. Et Scriptura pluraliter eos respondisse commemorat : ait enim, *Et dixerunt, Sic fac quemadmodum dixisti.* Non ait, Et dixit; sed, *dixerunt.* Deinde cum esset parata refectio, dicit Scriptura : *Et apposuit ante illos, et ederunt.* Non ait, Apposuit ante illum, et edit. Sed ubi ad id ventum est, ut Abrahæ filius promitteretur ex Sara, quia divinum offerebatur beneficium, non ut hominibus humanum exhibebatur obsequium, unum narrat Scriptura dicentem, *Ubi est Sara uxor tua?* Non enim ait, Dixerunt autem ad illum : sed ait, *Dixit autem ad illum : Ubi est Sara uxor tua?* Quis autem hoc dixerit, postea manifestat; ubi cum risisset Sara, ait eadem Scriptura : *Et dixit Dominus ad Abraham : Quare risit Sara in semetipsa?* et cætera usque ad finem, tanquam

unus Dominus singulariter loquitur. Ac post hæc, ut homines pluraliter abire narrantur, et dicitur : *Et surgentes autem inde viri, conspexerunt in faciem Sodomorum et Gomorrhæ ; Abraham vero ambulabat cum illis, deducens.* Rursus autem redit Scriptura ad singularem numerum, ac dicit : *Dominus autem dixit : Numquid celabo ego puero meo Abraham quæ ego facio?* Deinde promittitur Abrahæ præclara et copiosa posteritas, et Sodomorum denuntiatur interitus. Sequens autem Scriptura dicit : *Et conversi inde viri, venerunt in Sodoma ; Abraham autem erat adhuc stans ante Dominum. Et appropians Abraham dixit : Ne simul perdas justum cum impio ; et erit justus tanquam impius?* Et post collocutionem Domini atque Abrahæ, sequitur Scriptura, et dicit : *Abiit autem Dominus, ut desiit loqui ad Abraham, et Abraham regressus est in locum suum. Venerunt autem duo angeli in Sodoma ad vesperam.* Hi sunt de quibus paulo ante dixerat : *Conversi inde viri venerunt in Sodoma.* Sed duos esse non expresserat, cum ab initio tres viros dixisset apparuisse Abrahæ, et hospitaliter ab illo esse susceptos, quos et abeuntes deduxit, ambulans cum eis.

6. Fortassis ergo jam pronuntiare festinas, unum fuisse in eis Dominum Christum, qui singulariter promittebat et respondebat Abrahæ ; duos vero illos, angelos ejus, qui venerunt in Sodoma tanquam missi angeli a Domino suo. Sed exspecta : quid properas? Consideremus omnia diligenter, ac prius intueamur verba Domini loquentis Abrahæ : *Clamor Sodomorum*, inquit, *et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccata eorum magna valde. Descendens ergo videbo, si secundum clamorem ipsorum venientem ad me consummant.* Hic se ipsum descensurum dixit in Sodoma, quo tamen non ipse descendit, sed angeli duo. Ipse quippe *abiit, ut desiit loqui ad Abraham ; Abraham autem regressus est in locum suum. Venerunt autem*, sicut dictum est, *duo angeli ad vesperam in Sodoma.* Quid, si et in illis duobus angelis unus Dominus invenitur, qui secundum verbum suum in ipsis angelis descendit in Sodoma? Nonne manifestum erit in tribus illis viris unum Dominum visum fuisse, ubi quid aliud quam ipsa Trinitas figurata est? Sed videamus utrum nobis sancta Scriptura demonstret, etiam in illis duobus angelis, ut dixi, unum Dominum inventum, ne forte hæc ex nostro corde affirmasse videamur. *Venerunt* ergo *duo angeli in Sodoma ad vesperam ; Loth vero sedebat*, ut scriptum est, *juxta portam Sodomorum. Videns autem Loth, surrexit in obviam illis, et adoravit in faciem in terram.* Vides nempe hic a justo viro angelos adoratos, et tu non vis adorari Spiritum sanctum, quem vos quoque omnibus angelis [1] sine ambiguitate præponitis? Sed dicturus es, Homines esse credebat ; nam et in hospitium tanquam homines invitavit. Hoc magis est contra te, qui dicis non adorari Spiritum sanctum, omnibus Angelis præferendum ; cum videas et homines inferiores Angelis a justis hominibus adorari. Sed adhuc dicturus es, Dominum adoravit : eum quippe in duobus illis, quos putabat esse homines, tanquam in prophetis esse cognovit. Jam ergo probatum est, quod me per Scripturam sanctam demonstraturum esse promiseram, eumdem Dominum qui dictus fuerat abiisse ut cessavit loqui ad Abraham, in illis duobus angelis descendisse in Sodoma, sicut dixerat, et in eis ab homine justo agnitum fuisse. Exhibuit itaque hospitalitatem quomodo sanctis hominibus Dei, in quibus Deum esse cognovit, cum eos, sicut etiam ipse Abraham, angelos esse nesciret. Ili enim Patriarchæ sunt significati in Epistola ad Hebræos, ubi de hospitalitate loquens ait : *Per hanc quidam nescientes, hospitio receperunt angelos* (*Hebr.* XIII, 2). Receptis ergo eis Loth, nesciens quod angeli essent, cognoscens tamen sicut ipso Domino demonstrante cognoscere potuit, quis in eis esset, ut ea quæ interea facta sunt taceam, exiit, cum eis de Sodomis : quod antequam fieret, sicut Scriptura loquitur, *dixerunt viri ad Loth : Sunt tibi hic generi, aut filii, aut filiæ? aut si quis tibi alius est in civitate, educ de loco hoc : quoniam perdimus* [1] *nos locum hunc ; quia exaltatus est clamor eorum ante Dominum, et misit nos Dominus conterere eum.* Ecce ubi apparet illud incendium Sodomorum per angelos factum, quos misit Dominus ; in quibus tamen et ipse erat : neque enim sic mittit suos, ut recedat ab eis. In eis ergo descendit in Sodoma, quod se facturum esse prædixerat, quando cum Abraham loquebatur : quod posteaquam fecit, abiisse ipse dictus est, et angeli venisse in Sodoma ad vesperam. Deinde paulo post, mox ut eduxerunt illum foras, et dixerunt, sicut eadem Scriptura narrat, *Salvam fac animam tuam ; ne respexeris retro, nec steteris in tota regione ; in monte salvum te fac, nequando comprehendaris :* dixit Loth ad illos, *Oro, Domine, quia invenit puer tuus misericordiam ante te*, etc. Quæ cum finisset loquendo, et elegisset sibi civitatem pusillam in qua salvaretur, sequitur Scriptura, et ei dicit esse responsum : *Ecce miratus sum* [2] *faciem tuam et super verbum hoc, ne everterem civitatem de qua locutus es. Festina ergo ut salvus sis ibi : non enim potero facere verbum, donec tu illo introeas* (*Gen.* XVIII *et* XIX). Quis hoc ei respondit, nisi ille cui dixerat, *Oro, Domine?* Hoc autem ad ambos dixerat, non ad unum, sicut apertissime scriptum est, *Dixit autem Loth ad illos, Oro, Domine.* Agnovit ergo [3] Loth unum Dominum in angelis duobus, sicut Abraham unum agnovit in tribus.

7. Non est cur dicatur : Ille abierat qui Dominus erat et cum Abraham locutus erat ; duo vero angeli ejus erant qui in Sodoma, illo abeunte [4], venerunt. Omnes enim tres viri dicti sunt qui apparuerunt Abrahæ, sicut Scriptura solet viros etiam angelos nuncupare. Nec eorum alicui uni promptius et humilius Abraham obsecutus est quam duobus, sed æqualiter omnibus pedes lavit, æqualiter omnibus epulas mi-

[1] In editione Lov. deest, *Angelis.*

[1] Sic Mss. Editi vero, *perdemus.*

[2] Editi, *miseratus sum.* At Mss., *miratus sum* : uti libro 16 de Civitate Dei, cap. 29, juxta græcum LXX, *ethaumasa*, quod dici potest, *reveritus sum, suspexi.*

[3] In Mss., *Agnovisti ergo.*

[4] Sola fere editio Lov., *jubente.*

nistravit. Ergo in omnibus Deum vidit. Propter quod Scriptura prædixerat, quod visus fuerat Deus Abrahæ ad quercum Mambre, sub cujus umbra arboris tres viros pavit, quos oculis corporis vidit : in eis vero Deum, non corporis, sed cordis oculis vidit, id est, intellexit atque cognovit ; sicut Loth in duobus, cum quo non pluraliter, sed singulariter loquebatur, eique respondebat etiam ipse tanquam unus. Primo quippe Abraham per tres viros illum audivit, postea per unum, qui duobus in Sodoma euntibus manens locutus est cum eo ; Loth autem per duos, tamen et ipse unum Dominum, quem pro liberatione sua rogabat, et qui ei respondebat, audivit : cum ambo, id est, et Abraham et Loth, homines putarent eos qui angeli erant ; Deum vero in eis intelligerent qui erat, non putarent esse qui non erat. Quid sibi ergo vult ista visibilis Trinitas et intelligibilis unitas, nisi ut nobis insinuaretur quod ita tres essent Pater et Filius et Spiritus sanctus, ut tamen simul non tres dii et domini essent, sed unus Dominus Deus ? Tu autem dixisti, *Hic Deus visus est Abrahæ :* sciens te legisse quod scriptum est, visum esse Deum Abrahæ ad quercum Mambre : et volens quasi probare Dominum Filium visum esse illi patriarchæ, declinasti ab illis tribus viris, et eos omnino tacuisti, in quibus narrat Scriptura Deum visum fuisse Abrahæ ; ne tu ipse nos admoneres unius esse substantiæ Trinitatem Deum, sicut unius erant substantiæ tres viri quos vidit Abraham : cum prædixisset Scriptura, *Visus est Deus Abrahæ,* nec tamen tres deos esse, quia et, *Visus est Deus,* dictum est ; non, visi sunt dii : et ipse Abraham tres vidit, et unum adoravit : a quo præteriri noluit ; ab uno responsa divinitatis accepit. Nec aliquos duos eorum duos esse deos sensit, sed unum in omnibus : quia et Loth duos vidit, et tamen unum Dominum agnovit. Ubi mihi videntur per angelos significari Filius et Spiritus sanctus : quoniam se illi angeli missos esse dixerunt ; et de Trinitate quæ Deus est, solus Pater non legitur missus ; leguntur autem missi et Filius et Spiritus sanctus ; quorum non ideo est diversa natura : nam et illi viri per quos significati sunt, unius erant ejusdemque naturæ. Hanc ergo Scripturam qua convinci posses, astuto silentio devitasti. Et cum dixisses, *Hic Deus visus est Abrahæ :* volens Filium solum visum putari in eo quod in Genesi legitur, visum esse Deum Abrahæ, quomodo sit visus, dicere noluisti, ne ibi non solus Filius, sed Trinitas agnosceretur Deus.

8. Dixisti autem : *Si vis credere, quia Filius visus est Abrahæ, utique ipse Unigenitus in sancto affirmavit Evangelio sic : « Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum ; et vidit, et gavisus est. »* (*Joan.* VIII, 56). O disputare, o probare promissa ! quasi dixerit Dei Filius, Abraham pater vester concupivit me videre ; et vidit, et gavisus est. Quamvis et hoc sic adhuc posset intelligi, quod sanctus Patriarcha oculis cordis viderit Dei Filium, non oculis carnis, unde inter nos vertitur quæstio. Sed cum dixerit Christus, *Abraham concupivit videre diem meum ; et vidit, et gavisus est ;* cur non diem Christi intelligimus tempus Christi, quo erat venturus in carne, quod Abraham sicut et alii Prophetæ in spiritu potuit videre atque gaudere ? Neque hic igitur quod proposueras et pollicitus fueras, probare potuisti.

9. Post hæc venisti ad Jacob, qui luctatus est cum Angelo, quem scriptura ipsa Geneseos et hominem dicit et Deum. Nam ita legitur : *Remansit autem Jacob solus, et luctabatur homo cum illo usque in mane. Vidit autem quod non potest ad eum, et tetigit latitudinem femoris ejus, et obstupuit*[1] *latitudo femoris Jacob, dum luctaretur cum eo ; et dixit illi : Dimitte me ; ascendit enim aurora. Ille autem dixit : Non te dimittam, nisi me benedixeris. Dixit autem ei : Quod est nomen tuum ? Ille autem dixit : Jacob. Et dixit ei : Non vocabitur amplius nomen tuum Jacob ; sed Israel erit nomen tuum, quia valuisti cum Deo, et cum hominibus potens es. Rogavit autem eum Jacob dicens : Enuntia mihi nomen tuum. Et dixit : Quare hoc interrogas tu nomen meum ? Et benedixit eum illic. Et appellavit Jacob nomen loci illius, Aspectus Dei : Vidi enim Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII, 24-30). Ex ista lectione unicum Dei Filium et antequam venisset in carne visibiliter apparuisse conaris ostendere : ubi etsi non absurde Christus intelligitur figuratus, propter prophetiam futura nuntiantem, quia futurum erat ut Jacob in filiis suis qui crucifixerunt Christum, prævaluisse Christo videretur ; et in filiis suis videret Christum facie ad faciem, et salva fieret anima Israelitarum qui fideliter hoc viderunt : tamen hunc hominem qui luctatus est cum Jacob, Osee propheta evidenter angelum dicit. Sic enim apud eum scriptum est de Jacob : *In utero supplantavit fratrem suum, et in labore prævaluit Deo, et confortatus est cum angelo, et potuit* (*Osee* XII, 3, 4). Sicut ergo in Genesi ille qui luctatus est cum Jacob, et homo et Deus dicitur[2] ; ita et ab hoc propheta et Deus et angelus. Ac per hoc ita qui erat angelus, dictus est homo, quomodo illi dicti sunt viri qui apparuerunt Abrahæ, quando nescientes[3] et ipse et Loth hospitio receperunt angelos. Deus ergo erat in angelo, sicut est Deus in homine, maxime quando per hominem loquitur. Ita vero per hunc angelum figuratus est Christus, sicut per hominem. Nam et Isaac filius Abrahæ, quid erat in figura, nisi Christus, quando sicut ovis ad immolandum ductus est (*Isai.* LIII, 7), et quando sicut Dominus crucem suam, ita et ipse sibi quibus fuerat imponendus ligna portabat ? Postremo, quid miramur per angelum figuratum esse Jesum, si non solum per hominem, verum etiam per pecudem figuratus est ? Nam quis alius erat ille aries qui cornibus tenebatur in vepre, nisi Christus crucifixus, vel spinis etiam coronatus. Hunc autem arietem pro filio, cui parcere jussus est, immolavit Abraham (*Gen.* XXII, 6-13). Ita enim homini parci Deus jusit, ut tamen ex

[1] In Mss., *obstipuit.*
[2] Mss., *et Deus scitur.*
[3] Mss., *quando videntes.*

pecore, propter passionem Christi, quæ illo modo prænuntiabatur, mysterium sacri sanguinis impleretur. Si ergo putas proprietate, non figura, Christum fuisse angelum, qui luctatus est cum Jacob; potes dicere proprietate, non figura, Christum fuisse arietem, quem patriarcha immolavit Abraham : potes postremo dicere proprietate, non figura, Christum fuisse petram, quæ percussa ligno, sitienti populo potum largissimum fudit (*Exod.* XVII, 6). Sic enim dicit Apostolus : *Bibebant enim de spirituali sequente petra ; petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 4). Figuræ istæ non res ipsæ fuerunt, quibus figuris præcedentibus res significabantur esse venturæ : quæ figuræ per subjectam Deo creaturam, et maxime per Angelorum ministerium, mortalium exhibebantur aspectibus, Dei quidem agente potentia, sed tamen latente natura, sive Patris, sive Filii, sive Spiritus sancti.

10. Frustra itaque asseris Filium Dei visum fuisse ab hominibus, Patrem autem non fuisse visum : cum per subjectam sibi creaturam et Pater videri potuerit, et Filius, et Spiritus sanctus ; per suam vero substantiam nullus illorum visus est. Ergo Deus, sicut infirmis hominum sensibus, magis significatus quam demonstratus est. Non itaque visus est sicut est : hoc quippe in futura vita promittitur sanctis. Unde dicit apostolus Joannes : *Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus : scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Viderunt ergo et in hoc sæculo Apostoli Dominum ; viderunt, sed non sicut est. Denique Moyses eum sibi cupiebat ostendi, quamvis cum eo facie ad faciem Scriptura indice loqueretur (*Exod.* XXXIII, 13, 11). Quod cum in mea superius prosecutione dixissem, quasi non audieris præteristi, cum tibi ejusdem meæ prosecutionis recitari ex tabulis universa voluissem. Non autem discernens quid sit videri Deum per substantiam suam, et quid sit videri Deum per subjectam creaturam, in tantam blasphemiam decidisti, ut unigenitum Dei Filium per hoc ipsum quod Deus est mutabilem diceres : quandoquidem soli Patri putasti esse tribuendum quod scriptum esse dixisti, *Ego sum qui sum, et non sum mutatus* ; quasi Filius vel Spiritus sanctus sit mutatus quando visibiliter apparuit, vel ille quod constat natus ex femina, vel iste in specie columbæ aut igneis linguis se humanis aspectibus monstrans. Unde jam respondi tibi in eo sermone, ubi ostendi non te refellisse quæ dixi. Nunc vero ut intelligas quomodo dixerit Deus, *Ego sum qui sum, et non sum mutatus*, vel quod scriptum magis invenitur, *Ego enim Dominus, et non mutor* (*Id.* 3, 14, *et Malach.* 3, 6) ; quoniam non solus Pater, sed Deus unus hoc dixit, quod est ipsa Trinitas ; Psalmum attende ubi legitur : *Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli : ipsi peribunt ; tu autem permanebis : et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut tegumentum mutabis eos, et mutabuntur ; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 26-28). Hoc autem ad Filium Dei dictum esse in Epistola quæ est ad Hebræos sancta Scriptura testatur (*Hebr.* I, 10-12). Quis vero non intelligat, ubi dicitur, *Cæli mutabuntur ; tu autem idem ipse es* ; nihil dici aliud, nisi, Tu non mutaris ? Ac per hoc etiam Deo Filio convenit dicere, *Ego sum qui sum, et non sum mutatus* ; vel, *Ego enim Dominus, et non mutor.* Quod tu ideo soli Patri assignasti, ut in sua substantia crederetur esse mutabilis Filius ; tanquam ita susceperit hominem, ut in hominem verteretur. Hanc tantam blasphemiam non emendabis, nisi credideris, in assumptione hominis accessisse Filio quod non erat, non autem recessisse vel defecisse quod erat.

11. Deinde quæro, quis apparuerit Moysi in igne quando rubus inflammabatur, et non urebatur. Quanquam et illic angelum apparuisse Scriptura ipsa declarat, dicens : *Apparuit autem illi angelus Domini in flamma ignis de rubo.* In angelo autem Deum fuisse, quis dubitet ? Sed quis Deus erat ? utrum Pater, an Filius ? Dicturus es, Filius : non vis enim Patrem ullo modo, vel per subjectam creaturam, visibus apparuisse mortalium. Sed quodlibet horum eligas, ad utrumque respondeo. Si Pater erat, apparuit et Pater hominibus : si Filius erat, non mutatur et Filius. Ibi enim cum quæsisset Moyses, quis esset qui eum mitteret ; ille respondit : *Ego sum qui sum.* Quod quid est aliud, nisi, Mutabilis non sum : sicut propheticum testimonium ipse posuisti, *Ego sum qui sum, et non sum mutatus ?* Dixit etiam rursus ad Moysen : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III, 2, 14, 6, 15). Aude, si potes, negare Deum Patrem Deum esse Abraham, et Isaac, et Jacob ; si non ipse de rubo, sed Filius loquebatur. Si autem Pater, confitere etiam Patrem Deum hominibus visum. Si vero uterque est Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, quod esse annuis ; quid ambigis utrumque unum Deum ? Jacob quippe ipse est Israel, cujus filiis dicitur : *Audi, Israel ; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4).

12. Quapropter verum esse agnosce quod dixi, divinitatem non per substantiam suam, in qua invisibilis et immutabilis est, sed per creaturam sibi subjectam mortalium oculis apparuisse cum voluit. Non itaque sicut accipere vel accipi mea verba voluisti, ego divinitatem sic patribus [1] ostendisse se dixi, tanquam eam voluerim credi visibilem, quam prius invisibilem dixeram esse : sed dixi, quando se patribus divinitas ostendebat, per subjectam creaturam se visibilem demonstrabat. Nam per ipsam suam naturam usque adeo invisibilis est, ut ipse Moyses ei cum quo facie ad faciem loquebatur diceret : *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifeste* (*Exod.* XXXIII, 11, 13). Ecce quod dixi : relege, et invenies me verum dicere ; te autem non intelligere voluisse, vel non potuisse, quod dixi. Audi ergo idipsum me aliquanto planius disserentem. Ego divinitatem Patris et Filii et Spiritus sancti in sua natura atque substantia mortalibus oculis invisibilem dico. Eam vero se in

[1] Plures Mss., *Patris.*

formas visibiles vertere, absit ut dicam, quia et immutabilem dico. Restat ergo ut aspectibus humanis quando se ostendit ut voluit, per subjectam intelligatur hoc fecisse creaturam, quæ potest oculis apparere mortalibus.

13. Quid est autem quod cum de Patre dixisses, *Unus est invisibilis*, unde jam satis est disputatum; addidisti, *Unus etiam incapabilis atque immensus?* Incapabilem quidem non legimus Deum. Cur sane dicas incapabilem, nescio. Si enim capi non potest, quomodo non solum Filius, verum etiam Pater veniunt ad hominem, sicut dicit ipse Filius, et mansionem apud eum faciunt (*Joan.* XIV, 23)? Puto quod capiat eos apud quem faciunt mansionem. An forte dicis, Non ex toto, sed ex parte capiuntur? Dic quod vis: respondetur enim tibi, Non sunt ergo incapabiles, qui sunt vel ex parte capabiles. An ideo tibi non sufficit incapabilem dicere, sed addidisti, et immensum, ut exponeres quatenus incapabilem dixeris? id est, quia totius capax non est humana natura; immensus est enim? Verum hoc et de Filio dici potest. Neque enim quisquam sic capit unigenitum Verbum, ut ejus capacem se omni modo audeat profiteri. Prorsus etiam ipsum non esse dubitamus immensum. Nam quæro abs te, de quo accipias quod scriptum est: *Magnus est, et non habet finem; excelsus et immensus.* De ipso quippe paulo post dicitur: *Hic Deus noster, non æstimabitur alius ad eum; hic invenit omnem viam disciplinæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo: post hæc super terram visus est, et inter homines conversatus est* (*Baruch.* III, 26, 36, 37, 38)? Quis est iste, responde? Quis est, inquam, *Magnus, et non habens finem; excelsus et immensus; qui super terram visus est, et inter homines conversatus est?* Video quos æstus, quas patiaris angustias. Times dicere, Pater est; ubi audis, *super terram visus est, et inter homines conversatus est.* Tu enim Patrem per suam substantiam revera invisibilem, nec per subjectam creaturam vis esse ab hominibus visum. Times dicere, Filius est; ubi audis, *non habet finem, excelsus et immensus.* Tu enim Patrem tantummodo esse contendis immensum. Times dicere, Spiritus sanctus est; ubi audis, *hic Deus noster.* Tu enim nec Deum vis esse Spiritum sanctum. Quid es acturus, quid responsurus, homo qui non vis esse catholicus, ut Christum sic accipias in forma servi super terram visum, et inter homines conversatum, ut tamen in forma Dei in qua invisibilis mansit, confitearis immensum? *Hic Deus noster, non æstimabitur alius ad eum.* Quis alius, nisi Antichristus, quem verum Christum fides vera non æstimat, sed eum pro vero Christo exsecrabilis Judæorum error exspectat?

14. Si oras, et petis, ut dicis, discipulus esse divinarum Scripturarum, ad rem pertinentia testimonia divina considera. Noli per multa quæ te nihil adjuvant, evagari: elige prudenter tacere quam inaniter loqui, quando non invenis quid respondeas manifestissimæ veritati. Timere te ostendis, ne te nudem discipulis tuis. Utinam tu Christo sic induaris, ut discipulos tuos magis ipsius velis discipulos esse quam tuos. Nam me non pœnitet, quantum Dominus donat, operam dare ut tu et discipuli tui sub uno magistro sitis condiscipuli mei. Tractatui autem meo, cui post tantum tempus adhuc te responsurum esse promittis, si ita responsurus es, ut modo respondisti vel interrogationibus, vel prosecutionibus meis, non plane aliquid respondebis; sed ut homines non intelligentes quomodocumque decipias, non tacebis. Ex his ergo omnibus, quæ sicut potui disputavi, satis apparet Patris et Filii et Spiritus sancti unam esse virtutem, unam esse substantiam, unam deitatem, unam majestatem, unam gloriam; quia ipsa Trinitas est unus Dominus Deus noster, de quo dictum est, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4). Tunc autem dictum est, quando Dominus solus deducebat eos, et non fuit in eis deus alienus. Neque enim non eos deducebat et Christus, cum dicat Apostolus, *Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentaverunt* (I *Cor.* X, 9); aut Christus [1] non est Deus, aut Christus Deus est alienus. Hic est ergo Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, Trinitas unus Deus: cui uni jubemur ea quæ non nisi Deo debetur servitute servire, cum audimus, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13). Neque enim hac servitute non servimus Christo, cujus membra sumus; aut Spiritui sancto, cujus templum sumus. Hæc Trinitas unus Deus dicit: *Ego sum Dominus, et non est alius præter me* (*Id.* XXXII, 39). Neque enim non est Dominus Christus, quem vos quoque Deum et Dominum confitemini; aut Spiritus sanctus non est Dominus domus suæ, hoc est templi sui. Ipse est quippe Spiritus Domini de quo dicitur: *Dominus autem spiritus est; ubi autem spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III, 17). Hæc est Trinitas unus Deus, de quo dicit Apostolus: *Nullus Deus, nisi unus* (I *Cor.* VIII, 4). Non enim cum hæc auditis, Deum negare unigenitum audetis. Hic Deus Trinitas dicit: *Ego sum qui sum, et non sum mutatus* (*Exod.* III, 14, *et Malach.* III, 6). Non enim mutatus est Christus, cui dicitur: *Mutabis cælos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI, 27, 28): aut mutabitur Spiritus veritatis, cum sit immutabilis veritas, cui tantum honorem dat ipse Christus, ut dicat, *Expedit vobis ut ego eam: nisi enim ego abiero, Paracletus non veniet ad vos* (*Joan.* XVI, 7); et, *Quicumque dixerit blasphemiam in Filium hominis, dimittetur ei; qui autem dixerit in Spiritum sanctum, non dimittetur ei* (*Matth.* XII, 32). Et cum de se ipso dixerit, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Id.* XXVIII, 20); de illo dixit, *Ut vobiscum sit in æternum* (*Joan.* XIV, 16). His atque hujusmodi testimoniis, quæ omnia quærere et colligere longum est, si pacifice acquiescas, eris, quod orare et optare te dicis, divinarum Scripturarum discipulus, ut de tua fraternitate gaudeamus.

[1] Editi, *quibus Christus.* Melius Mss., *aut Christus.*

ITEM CONTRA ARIANOS,

IN TOMO II. — Epistolæ CLXX, CCXXXVIII, CCXXXIX, CCXL, CCXLI et CCXLII.
IN TOMO III. — Tractatus in Joan. XVIII, XX, XXXVI, XXXVII, LIX et LXXI.
IN TOMO V. — Sermones LII, CXVII, CXVIII, CXXXIX, CXL, CCCXLI et CCCLXXXIV.

ADMONITIO

IN LIBROS DE TRINITATE.

Prolixum de Trinitate opus per annos non paucos in manibus habuit Augustinus; cum illud, ut ipse ad Aurelium scribit, juvenis inchoarit, senex ediderit. Quippe id facile intermittebat, quoties alii cuipiam incumbendum erat operi, quod pluribus profuturum existimabat; ratus istud operosius et minus utile quam pleraque alia, quod res minus necessarias et a paucioribus intelligendas contineret. Hunc laborem suscepit in eorum potissimum gratiam, qui fidei auctoritatem non recipientes, mysteriorum veritatem ratione demonstrari sibi volebant. Cum enim in sacrarum rerum meditatione, cui se maxime deditum Vir sanctus in lib. 1, cap. 3, profitetur, plura in dies et altiora divino illustratus lumine detegeret, non patiebatur charitas ipsum, quæ ex Dei dono accepisset, aliis denegare. Sperabat siquidem fore, ut aliis ministrando quæ legerent, ipse quoque proficeret; ac aliis cupiens respondere quærentibus, etiam ipse id quod quærebat inveniret. *Ergo suscepi*, ait, lib. 1, cap. 5, *hæc, jubente atque adjuvante Domino Deo nostro, non tam cognita cum auctoritate disserere, quam ea cum pietate disserendo cognoscere.* Testatur in tertii libri exordio, stilum se perlibenter fuisse suppressurum, si res hujusmodi a Latinis invenirentur explicatæ, aut Græci qui de iis rebus tractarunt, essent latine redditi, aut alii denique curam respondendi quæstionibus ipsi propositis, *quas*, ait, *pro persona mea quam in servitio Christi gero, necesse est me pati, vellent suscipere.*

Argumentum suum variasque propositas circa id quæstiones et difficultates hoc ordine pertractat. In libro I summæ Trinitatis unitatem et æqualitatem demonstrat ex Scripturis : earum testimonia quæ contra Filii æqualitatem perperam objectantur, quomodo interpretanda sint secundum catholicam fidem, ostendit.

II. Eamdem Trinitatis æqualitatem asserit, probans nihil obstare quæ de Filii missione ac Spiritus sancti, deque variis Dei apparitionibus dicuntur in Scripturis. Trinitatem enim totam in sua natura immutabilem, invisibilem, ubique præsentem, in missione qualibet vel apparitione inseparabiliter operari.

III. Quærit an in prædictis Dei apparitionibus corporea tantummodo creatura formata sit, in qua Deus humanis ostenderetur aspectibus; an Angeli jam ante existentes ita sint missi, ut ex persona Dei loquerentur, sive per corporalem speciem de corporea creatura assumptam, sive per suum ipsorum corpus in quas vellent species conversum : ita ut ipsa Dei essentia nunquam per se ipsam visa fuerit.

IV. Docet ad quid missus sit Filius Dei. Cæterum, Filium Dei, quamvis missione factus sit minor, non ideo esse minorem quia misit eum Pater, nec ideo minorem Spiritum sanctum quia et Pater eum misit et Filius.

V. Pergit ad refellenda hæreticorum argumenta illa, quæ jam non e divinis libris, sed e suo sensu proferunt. Ac primum quod objectant gignere et gigni, vel genitum esse et ingenitum, quoniam diversa sunt, substantias esse diversas, refellit, ostendens ista de Deo non secundum substantiam dici, sed relative.

VI. In eos qui contra Filii æqualitatem disputant ex eo quod Christus ab Apostolo dictus sit *Dei Virtus et Dei Sapientia*, quæstionem proponit, annon et ipse Pater sapientia sit. Cujus tantisper dilata solutione, adhuc probat unitatem et æqualitatem Patris, Filii, ac Spiritus sancti; et non Deum triplicem, sed Trinitatem dici et credi oportere. Tum explicat dictum Hilarii; *Æternitas in Patre, species in Imagine, usus in Munere.*

VII. Quæstionem, quæ dilata fuerat, resolvit, docetque Patrem, Filium, et Spiritum sanctum esse unam virtutem et unam sapientiam, non secus atque unum Deum et unam essentiam. Quærit postea quomodo dicatur in Deo, a Latinis una essentia, tres personæ; a Græcis, una essentia, tres substantiæ vel hypostases.

VIII. Ratione etiam reddita monstrat, non solum Patrem Filio non esse majorem, sed nec ambos simul aliquid majus esse quam Spiritum sanctum, nec quoslibet duos simul in eadem Trinitate majus aliquid quam unum, nec omnes simul tres majus aliquid quam singulos. Admonet ut ex veritatis intellectione, ex notitia summi boni, et ex insito amore justitiæ, intelligatur natura Dei; præsertim vero ut ipsius cognitio puretur per charitatem, in qua tria quædam velut Trinitatis vestigium inesse observat.

IX. Trinitatem in homine, qui imago Dei est, quamdam inveniri docet : mentem, et notitiam qua se novit, et amorem quo se notitiamque suam diligit; et hæc tria esse inter se æqualia et unius essentiæ.

X. Aliam in hominis mente evidentiorem reperiri trinitatem; in memoria scilicet, intelligentia, et voluntate.

XI. Etiam in exteriori homine Trinitatis aliqua vestigia, veluti in corporali visione, deprehendi.

XII. Præmissa distinctione sapientiæ a scientia, ostendit in ea quæ proprie scientia dicitur, quamdam trinitatem : quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei sit appellanda.

XIII. Repertam in scientia trinitatem exponit per commendationem fidei christianæ.

XIV. De sapientia hominis vera dicit, qua videlicet meminit, intelligit, et diligit Deum : ostendit quod in eo ipso sit homo imago Dei secundum mentem ; quæ quidem hic renovatur in agnitione Dei, tunc vero erit in ea imagine perfecta Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio.

XV. Quidquid in superioribus exposuit, compendiario sermone complectitur : ac postremo Trinitatem, in cujus perfecta visione nobis beata vita promittitur, ostendit a nobis hic videri tanquam per speculum et in ænigmate, dum videtur per imaginem Dei quod nos sumus.

Hosce libros in Retractationibus collocat inter opuscula circiter annum Christi 400 conscripta, quia illos eo tempore inchoavit. In epistola 120, ad Consentium anno 410 missa, n. 13, meminit operis de Trinitate, quod in manibus habebat, et ob argumenti præstantiam ac difficultatem nondum perficere potuerat. In 162, ad Evodium, quæ ad annum 414 pertinet, scribit n. 2 se libros de Trinitate nondum edidisse : et in 169 ad eumdem epistola, quæ exeunte anno 415 scripta est, se nondum illos complevisse, n. 1 testatur. Ex epistola 143, ad Marcellinum data sub finem anni 412, licet intelligere, n. 4, amicos ab eo flagitasse, ut hos libros publicaret ; ipsum contra diuti is eos retinuisse, quam vellent et ferrent. Unde conjicias priorem ipsam publicationem, quæ opere necdum absoluto facta est, non præcessisse annum 412. Constat autem alteram nonnisi longo post tempore factam, cum ipse in libro 13 citet illud quod scripserat in libro 12 de Civitate Dei, qui ante annum 416 perfectus non fuit. Libro 15 citat Tractatum 90 in Joannem. Ad istud opus Prosperum remittit lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 8, ratus id jam in Galliis haberi.

Cassiodorus senator, in Institut. cap. 16, laudat quindecim libros, *quos* Augustinus *de sancta Trinitate mirabili profunditate conscripsit, curiosa intentione meditandos.* Eosdem libros e latino sermone in græcum transtulit Maximus Planudes monachus, qui sub Andronico seniore vivebat, circiter annum 1350. Demetrius vero Cydonius sub Joanne Cantacuzeno, capita aliquot vertit ex ejusdem sermonibus. Has versiones Romæ asservari in bibliotheca Vaticana, testatur Possevinus in Apparatu. Vidimus Indicem Ms. codd. Græc. biblioth. Vatic. qui est penes V. C. Antonium Faure Doct. Theolog. Paris. et similem alium in codice Colbertinæ bibliothecæ 5125, in quibus hæc leguntur : Τοῦ μακαριωτάτου Αὐγουστίνου ἐπισκόπου Ἱππῶνος περὶ Τριάδος βιβλία πέντε πρὸς τοῖς δέκα, ἅπερ ἐκ τῆς Λατίνων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα μετήνεγκεν ὁ σοφώτατος καὶ τιμιώτατος μοναχῶν Μάξιμος Πλανούδης. Item : Τοῦ μακαρίου Αὐγουστίνου ἐπισκόπου Ἱππῶνος κεφαλαια ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων παρεκβληθέντα ἐκ τῆς Λατίνων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα μετήνεγκε Δημήτριος ὁ Κυδώνης. Vide Allatium, lib. 2 de utriusque Ecclesiæ Consensione, cap. 17, § 4.

Domino beatissimo, et sincerissima charitate venerando, sancto fratri et consacerdoti papæ Aurelio Augustinus, in Domino salutem.

De Trinitate, quæ Deus summus et verus est, libros juvenis inchoavi, senex edidi. Omiseram quippe hoc opus, posteaquam comperi præreptos mihi esse sive subreptos antequam eos absolverem, et retractatos, ut mea dispositio fuerat, expolirem. Non enim singillatim, sed omnes simul edere ea ratione decreveram, quoniam præcedentibus consequentes inquisitione proficiente nectuntur. Cum ergo per eos homines (quia prius quam vellem, ad quosdam illorum pervenire potuerunt) dispositio mea nequivisset impleri, interruptam dictationem reliqueram, cogitans hoc ipsum in aliquibus meis scriptis conqueri, ut scirent, qui possent, non a me fuisse eosdem libros editos, sed ablatos priusquam mihi editione mea digni viderentur. Verum multorum fratrum vehementissima postulatione, et maxime tua jussione compulsus, opus tam laboriosum, adjuvante Domino terminare curavi : eosque emendatos, non ut volui, sed ut potui, ne ab illis qui subrepti jam in manus hominum exierant, plurimum discreparent, Venerationi tuæ per filium nostrum condiaconum charissimum misi, et cuicumque audiendos, describendos, legendosque permisi : in quibus si servari mea dispositio potuisset, essent profecto etsi easdem sententias habentes, multo tamen enodatiores atque planiores, quantum rerum tantarum explicandarum difficultas et facultas nostra pateretur. Sunt autem qui primos quatuor vel potius quinque etiam sine proœmiis habent, et duodecimum sine extrema parte non parva : sed si eis hæc editio potuerit innotescere, omnia si voluerint et valuerint, emendabunt. Peto sane ut hanc epistolam, seorsum quidem, sed tamen ad caput eorumdem librorum jubeas anteponi. Vale. Ora pro me.

In libros de Trinitate vide lib. 2, *cap.* 15, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 635, *a verbis,* Libros de Trinitate, *n.* 1, *usque ad verba,* De Trinitate disserimus, *n.* 3, *col.* 636. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE TRINITATE

Libri quindecim (a).

LIBER PRIMUS.

In quo secundum Scripturas sacras ostenditur unitas et æqualitas summæ Trinitatis, et quædam loca contra Filii æqualitatem allata diluuntur.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Scribit contra eos qui ratione abutentes calumniantur fidem Trinitatis. Error disputantium de Deo, ex triplici causa. Scriptura sacra remotis falsitatibus evehit gradatim ad divina. Immortalitas vera. Fide nutrimur, ut habiles ad divina capienda efficiamur.* Lecturus hæc quæ de Trinitate disserimus, prius oportet ut noverit, stilum nostrum adversus eorum vigilare calumnias, qui fidei contemnentes initium, immaturo et perverso rationis amore falluntur. Quorum nonnulli ea quæ de corporalibus rebus, sive per sensus corporeos experta noverunt [1], sive quæ natura humani ingenii et diligentiæ vivacitate vel artis adjutorio perceperunt, ad res incorporeas et spirituales transferre conantur, ut ex his illas metiri atque opinari velint. Sunt item alii qui secundum humani animi naturam vel affectum de Deo sentiunt, si quid sentiunt; et ex hoc errore, cum de Deo disputant, sermoni [2] suo distortas et fallaces regulas figunt [3]. Est item aliud hominum genus, eorum qui universam quidem creaturam, quæ profecto mutabilis est, nituntur transcendere, ut ad incommutabilem substantiam quæ Deus est, erigant intentionem: sed mortalitatis onere prægravati, cum et videri volunt scire quod nesciunt, et quod volunt scire non possunt; præsumptiones opinionum suarum audacius affirmando, intercludunt sibimet intelligentiæ vias, magis eligentes sententiam suam non corrigere perversam, quam mutare defensam. Et hic quidem omnium morbus est trium generum quæ proposui: et eorum scilicet qui secundum corpus de Deo saplunt; et eorum qui secundum spiritualem creaturam, sicuti est anima; et eorum qui neque secundum corpus, neque secundum spiritualem creaturam, et tamen de Deo falsa existimant, eo remotiores a vero, quo id quod sapiunt, nec in corpore reperitur, nec in facto et condito spiritu, nec in ipso Creatore. Qui enim opinatur Deum, verbi gratia, candidum vel rutilum, fallitur; sed tamen hæc inveniuntur in corpore. Rursus qui opinatur Deum nunc obliviscentem, nunc recordantem, vel si quid hujusmodi est, nihilominus in errore est; sed tamen hæc inveniuntur in animo. Qui autem putat ejus esse potentiæ Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis nec corporalis creatura: nulla enim omnino res est quæ se ipsam gignat ut sit.

2. Ut ergo ab hujusmodi falsitatibus humanus animus purgaretur, sancta Scriptura parvulis congruens, nullius generis rerum verba vitavit, ex quibus quasi gradatim ad divina atque sublimia noster intellectus velut nutritus assurgeret. Nam et verbis ex rebus corporalibus sumptis usa est, cum de Deo loqueretur; velut cum ait, *In tegmine alarum tuarum protege me* (*Psal.* XVI, 8). Et de spirituali creatura multa transtulit, quibus significaret illud quod ita non esset, sed ita dici opus esset; sicuti est, *Ego sum Deus zelans* (*Exod.* XX, 5); et, *Pœnitet me hominem fecisse* (*Gen.* VI, 7). De rebus autem quæ omnino non sunt, non traxit aliqua vocabula, quibus vel figuraret

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

»De Trinitate libri quindecim recogniti diligenter et correcti sunt ad Gallicanos triginta Mss. Turonensem Ecclesiæ S. Gratiani, Carnotenses abbatiæ S. Petri duos, Andegavensem abbatiæ S. Albini, Laudunenses duos, majoris Ecclesiæ scilicet ac Vincentianæ, Remenses tres, unum cathedralis, alios duos Remigianæ Ecclesiæ, ad Theodericensem, Benignianum, Floriacensem, Vindocinensem, Michaelinum, Pratellensem, Beccensem, Lyrensem, Germanensem, Cisterciensem, Bigotianum, collegii Navarræi tres, Sorbonici quinque, Dominicanorum majoris conventus Parisiensis unum, Augustinensium majoris conventus unum, ad undecim Vaticanos, ad varias lectiones Belgicorum quinque apud Lov., tandem ad editionem Amerbachii, Erasmi et Theologorum Lovaniensium.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M

[1] Mss. novemdecim, *notaverunt.*

[2] Mss. duo Vaticani, *sermone.*

[3] Reperimus, *figunt*, in Mss. quinque. In editis autem, *fingunt.*

(a) Inchoati versus annum 400, absoluti circiter annum 416.

locutiones, vel spissaret [1] ænigmata. Unde perniciosius et inanius evanescunt, qui tertio illo genere erroris a veritate secluduntur, hoc suspicando de Deo, quod neque in ipso, neque in ulla creatura inveniri potest. Rebus enim quæ in creatura inveniuntur, solet Scriptura divina velut infantilia oblectamenta formare, quibus infirmorum ad quærenda superiora et inferiora deserenda, pro suo modulo tanquam passibus moveretur affectus. Quæ vero proprie de Deo dicuntur, quæque in nulla creatura inveniuntur, raro ponit Scriptura divina; sicut illud quod dictum est ad Moysen, *Ego sum qui sum*; et, *Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Cum enim esse aliquo modo dicatur et corpus et animus, nisi proprio quodam modo vellet intelligi, non id utique diceret. Et illud quod ait Apostolus, *Qui solus habet immortalitatem* (I *Tim.* VI, 16): cum et anima modo quodam immortalis esse dicatur et sit, non diceret, *solus habet*, nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est, quam nulla potest habere creatura; quoniam solius est Creatoris. Hoc et Jacobus dicit: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio* (*Jacobi* I, 17). Hoc et David: *Mutabis ea, et mutabuntur; tu vero idem ipse es* (*Psal.* CI, 27, 28).

3. Proinde substantiam Dei sine ulla sui commutatione mutabilia facientem, et sine ullo suo temporali motu temporalia creantem, intueri et plene nosse difficile est: et ideo est necessaria purgatio mentis nostræ, qua illud ineffabile ineffabiliter videri possit; qua nondum prædita, fide nutrimur, et per quædam tolerabiliora, ut ad illud capiendum apti et habiles efficiamur, itinera ducimur. Unde Apostolus in Christo quidem dicit esse omnes thesauros sapientiæ et scientiæ absconditos (*Coloss.* II, 3): eum tamen quamvis jam gratia ejus renatis, sed adhuc carnalibus et animalibus, tanquam parvulis in Christo, non ex divina virtute in qua æqualis est Patri, sed ex humana infirmitate ex qua crucifixus est, commendavit. Ait namque: *Neque enim judicavi me scire aliquid in vobis, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* Deinde secutus ait: *Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos* (I *Cor.* II, 2, 3). Et paulo post dicit eis: *Et ego, fratres, non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi parvulis in Christo, lac potum dedi vobis, non escam: nondum enim poteratis; sed nec adhuc quidem potestis* (*Id.* III, 1, 2). Hoc cum dicitur quibusdam, irascuntur, et sibi contumeliose dici putant; et plerumque malunt credere eos potius, a quibus hoc audiunt, non habere quod dicant, quam se capere non posse quod dixerint. Et aliquando afferimus eis rationem, non quam petunt cum de Deo quærunt; quia nec ipsi eam valent sumere, nec nos fortasse vel apprehendere vel proferre: sed qua demonstretur eis quam sint inhabiles minimeque idonei percipiendo quod exigunt. Sed quia non audiunt quod volunt, aut callide nos agere putant ut nostram occultemus imperitiam, aut malitiose quod eis invideamus peritiam; atque ita indignantes perturbatique discedunt.

CAPUT II. — 4. *De Trinitate quomodo hoc in opere disserendum.* Quapropter adjuvante Domino Deo nostro suscipiemus et eam ipsam quam flagitant, quantum possumus, reddere rationem, quod Trinitas sit unus et solus et verus Deus, et quam recte Pater et Filius et Spiritus sanctus unius ejusdemque substantiæ vel essentiæ dicatur, credatur, intelligatur; ut non quasi nostris excusationibus illudantur, sed reipsa experiantur, et esse illud summum bonum quod purgatissimis mentibus cernitur, et a se propterea cerni comprehendique non posse, quia humanæ mentis acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei nutrita vegetetur. Sed primum secundum auctoritatem Scripturarum sanctarum, utrum ita se fides habeat, demonstrandum est. Deinde si voluerit et adjuverit Deus, istis garrulis ratiocinatoribus, elatioribus quam capacioribus, atque ideo morbo periculosiore laborantibus, sic fortasse serviemus, ut inveniant aliquid unde dubitare non possint, et ob hoc in eo quod invenire nequiverint, de suis mentibus potius quam de ipsa veritate, vel de nostris disputationibus conquerantur: atque ita si quid eis erga Deum vel amoris est vel timoris, ad initium fidei et ordinem redeant, jam sentientes quam salubriter in sancta Ecclesia medicina fidelium constituta sit, ut ad perceptionem incommutabilis veritatis imbecillem mentem observata pietas sanet, ne in opinionem noxiæ falsitatis temeritas inordinata præcipitet. Nec pigebit autem me, sicubi hæsito, quærere; nec pudebit, sicubi erro, discere.

CAPUT III. — 5. *Quid a suis lectoribus exposcat Augustinus. Lectorum tardiorum errores auctori non tribuendi.* Proinde quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est, *Quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 4). Et hoc placitum pium atque tutum coram Domino Deo nostro cum omnibus inierim [1], qui ea quæ scribo legunt, et in omnibus scriptis meis, maximeque in his ubi quæritur unitas Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti [2]; quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Quisquis ergo cum legit dicit, Hoc non bene dictum est, quoniam non intelligo; locutionem meam reprehendit [3], non fidem: et forte vere potuit dici planius; verumtamen nullus hominum ita locutus est, ut in omnibus ab omnibus intelligeretur. Videat ergo cui hoc in sermone meo displicet, utrum alios in talibus rebus quæstionibusque versatos intelligat, cum me non intelligit: et si ita est, ponat librum meum, vel etiam, si hoc videtur, abjiciat; et eis potius quos in-

[1] Edili, *spiraret*. At Mss. plerique, *spissaret*.

[1] Lov., *interim*. Alii codices, *inierim*.

[2] Sic Mss. supra viginti. At editi habent, *Pater et Filius et Spiritus sanctus*.

[3] In excusis, *reprehendo*. Sed melius in Mss., *reprehendit*

telligit, operam et tempus impendat. Non tamen propterea putet me tacere debuisse, quia non tam expedite ac dilucide quam illi quos intelligit, eloqui potui. Neque enim omnia quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt : et fieri potest ut nonnulli qui etiam hæc nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, et in istos saltem incidant. Ideoque utile est, plures a pluribus fieri diverso stilo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat ; ad alios sic, ad alios autem sic. At si ille qui se ista non intellexisse conqueritur, nulla unquam de talibus rebus diligenter et acute disputata intelligere potuit ; secum agat votis et studiis ut proficiat, non mecum querelis et conviciis ut taceam. Qui vero hæc legens dicit, Intelligo quidem quid dictum sit, sed non vere dictum est ; asserat, si placet [1], sententiam suam, et redarguat meam, si potest. Quod si cum charitate et veritate fecerit, mihique etiam (si in hac vita maneo [2]) cognoscendum facere curaverit, uberrimum fructum laboris hujus mei cepero. Quod si mihi non potuerit, quibus id potuerit, me volente ac libente præstiterit : ego tamen in lege Domini meditor, si non die ac nocte (*Psal.* I, 2), saltem quibus temporum particulis possum ; et meditationes meas, ne oblivione fugiant, stilo allligo : sperans de misericordia Dei, quod in omnibus veris quæ certa mihi sunt, perseverantem me faciet ; si quid autem aliter sapio, id quoque mihi ipse revelabit (*Philipp.* III, 15), sive per occultas inspirationes atque admonitiones, sive per manifesta eloquia sua, sive per fraternas sermocinationes. Hoc oro, et hoc depositum desideriumque meum penes ipsum habeo, qui mihi satis idoneus est custodire quæ dedit, et reddere quæ promisit.

6. Arbitror sane nonnullos tardiores, in quibusdam locis librorum meorum opinaturos me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi. Quorum errorem mihi tribui non debere quis nesciat, si velut me sequentes neque apprehendentes deviaverint in aliquam falsitatem, dum cogor per quædam densa et opaca viam carpere : quandoquidem nec ipsis sanctis divinorum Librorum auctoritatibus [3] ullo modo quisquam recte tribuerit tam multos et varios errores hæreticorum ; cum omnes ex eisdem Scripturis falsas atque fallaces opiniones suas conentur defendere ? Admonet me plane ac mihi jubet suavissimo imperio lex Christi, hoc est charitas, ut cum aliquid falsi in libris meis me sensisse homines putant quod ego non sensi, atque idipsum falsum alteri displicet, alteri placet, malim me reprehendi a reprehensore falsitatis, quam ab ejus laudatore laudari. Ab illo enim quamvis ego non recte, qui hoc non senserim, error tamen ipse recte vituperatur : ab hoc autem nec ego recte amor a quo existimor id sensisse quod vituperat veritas, nec ipsa sententia quam vituperat veritas. Ergo in nomine Domini susceptum opus aggrediamur.

[1] Sexdecim Mss., *asserat ut placet.*
[2] Editi, *si dum in hac vita maneo.* Abest, *dum*, a Mss. Aug. tres e Vaticanis, *auctoribus.*

CAPUT IV. — 7. *Quæ sit doctrina fidei catholicæ de Trinitate.* Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum Librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus, unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem ; ideoque non sint tres dii, sed unus Deus : quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est ; Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est ; Spiritusque sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio etiam ipse coæqualis, et ad Trinitatis pertinens unitatem. Non tamen eamdem Trinitatem natam de virgine Maria, et sub Pontio Pilato crucifixam et sepultam, tertio die resurrexisse, et in cœlum ascendisse, sed tantummodo Filium. Nec eamdem Trinitatem descendisse in specie columbæ super Jesum baptizatum (*Matth.* III, 16) ; aut die Pentecostes post ascensionem Domini, sonitu facto de cœlo quasi ferretur flatus vehemens, et linguis divisis velut ignis sedisse super unumquemque eorum, sed tantummodo Spiritum sanctum (*Act.* II, 2-4) Nec eamdem Trinitatem dixisse de cœlo, *Tu es Filius meus* (*Marc.* I, 11), sive cum baptizatus est a Joanne, sive in monte quando cum illo erant tres discipuli (*Matth.* XVII, 5) ; aut quando sonuit vox, dicens, *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Joan.* XII, 28) : sed tantummodo Patris vocem fuisse ad Filium factam ; quamvis Pater et Filius et Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operentur. Hæc et mea fides est, quando hæc est catholica fides.

CAPUT V. — 8. *Difficultates de Trinitate : quomodo tres unus Deus, et inseparabiliter operantes præstent quædam sine invicem.* Sed in ea nonnulli perturbantur, cum audiunt Deum Patrem, et Deum Filium, et Deum Spiritum sanctum, et tamen hanc Trinitatem non tres deos, sed unum Deum ; et quemadmodum id intelligant quærunt : præsertim cum dicitur, inseparabiliter operari Trinitatem in omni re quam Deus operatur, et tamen quamdam vocem Patris sonuisse, quæ vox Filii non sit ; in carne autem natum, et passum, et resurrexisse, et in cœlum ascendisse nonnisi Filium ; in columbæ autem specie venisse nonnisi Spiritum sanctum : intelligere volunt, quomodo et illam vocem, quæ nonnisi Patris fuit, Trinitas fecerit ; et illam carnem, in qua nonnisi Filius de Virgine natus est, eadem Trinitas creaverit ; et illam columbæ speciem, in qua nonnisi Spiritus sanctus apparuit, illa ipsa Trinitas operata sit. Alioquin non inseparabiliter Trinitas operatur, sed alia Pater facit, alia Filius, alia Spiritus sanctus : aut si quædam simul faciunt, quædam sine invicem, jam non inseparabilis est Trinitas. Movet etiam quomodo Spiritus sanctus in Trinitate sit, quem nec Pater, nec Filius, nec ambo genuerint, cum sit Spiritus et Patris et Filii. Quia ergo quærunt ista homines, et tædio nobis sunt ; si quid hinc ex dono Dei sapit infirmitas nostra, edisseramus eis ut possumus, neque cum in-

vidia tabescente iter habeamus (*Sap.* VI, 25). Si dicimus nihil nos de talibus rebus cogitare solere, mentimur : si autem fatemur habitare [1] ista in cogitationibus nostris, quoniam rapimur amore indagandæ veritatis, flagitant jure charitatis ut eis indicemus quid hinc excogitare potuerimus : non quia jam acceperim, aut perfectus sim ; (nam si Paulus apostolus, quanto magis ego longe infra illius pedes jacens non me arbitror apprehendisse?) sed pro modulo meo, si ea quæ retro sunt obliviscor, et in anteriora me extendo, et secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis (*Philipp.* III, 12-14), quantum ejusdem viæ peregerim, et quo pervenerim, unde mihi in finem reliquus cursus est, ut aperiam desideratur a me, illis desiderantibus quibus me servire cogit libera charitas. Oportet autem, et donabit Deus, ut eis ministrando quæ legant, ipse quoque proficiam; et eis cupiens respondere quærentibus, ipse quoque inveniam quod quærebam. Ergo suscepi hæc, jubente atque adjuvante Domino Deo nostro, non tam cognita cum auctoritate disserere, quam ea cum pietate disserendo cognoscere.

CAPUT VI. — 9. *Filium esse verum Deum ejusdem cum Patre substantiæ. Non solus Pater, sed Trinitas dicta immortalis. Non ex solo Patre omnia, sed etiam ex Filio. Spiritum sanctum esse verum Deum Patri et Filio æqualem.* Qui dixerunt Dominum nostrum Jesum Christum non esse Deum, aut non esse verum Deum, aut non cum Patre unum et solum Deum, aut non vere immortalem, quia mutabilem, manifestissima divinorum testimoniorum et consona voce convicti sunt ; unde sunt illa : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Manifestum est enim quod Verbum Dei, Filium Dei unicum accipimus, de quo post dicit, *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, propter nativitatem incarnationis ejus, quæ facta est in tempore ex Virgine. In eo autem declarat, non tantum Deum esse, sed etiam ejusdem cum Patre substantiæ, quia cum dixisset, *Et Deus erat Verbum : Hoc erat*, inquit, *in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1, 14, 2, 3). Neque enim dicit, *omnia;* nisi quæ facta sunt, id est omnem creaturam. Unde liquido apparet Ipsum factum non esse per quem facta sunt omnia. Et si factus non est, creatura non est : si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantia quæ Deus non est, creatura est ; et quæ creatura non est, Deus est. Et si non est Filius ejusdem substantiæ cujus Pater ; ergo facta substantia est : si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt : at *omnia per ipsum facta sunt ;* unius igitur ejusdemque cum Patre substantiæ est. Et ideo non tantum Deus, sed et verus Deus. Quod idem Joannes apertissime in Epistola sua dicit : *Scimus quod Filius Dei venerit, et dederit nobis intellectum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, et vita æterna* (I *Joan.* V, 20).

10. Hinc etiam consequenter intelligitur non tantummodo de Patre dixisse apostolum Paulum, *Qui solus habet immortalitatem ;* sed de uno et solo Deo quod est ipsa Trinitas. Neque enim ipsa vita æterna mortalis est secundum aliquam mutabilitatem : ac per hoc Filius Dei, quia *vita æterna est*, cum Patre etiam ipse intelligitur, ubi dictum est, *Qui solus habet immortalitatem.* Ejus enim vitæ æternæ et nos participes facti, pro modulo nostro immortales efficimur. Sed aliud est ipsa cujus participes efficimur, vita æterna ; aliud nos qui ejus participatione vivemus in æternum. Si enim dixisset, Quem temporibus propriis ostendet Pater beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, nec sic inde separatum Filium oporteret intelligi. Neque enim, quia ipse Filius alibi loquens voce Sapientiæ (ipse est enim Dei Sapientia [I *Cor.* I, 24]) ait, *Gyrum cæli circuivi sola* (*Eccli.* XXIV, 8), separavit a se Patrem : quanto magis ergo non est necesse ut tantummodo de Patre præter Filium intelligatur, quod dictum est, *Qui solus habet immortalitatem*, cum ita dictum sit : *Ut serves*, inquit, *mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi : quem temporibus propriis ostendet beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium ; qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem ; quem nemo hominum vidit, nec videre potest ; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen* (I *Tim.* VI, 14-16). In quibus verbis, nec Pater proprie nominatus est, nec Filius, nec Spiritus sanctus ; sed *beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium*, quod est unus et solus et verus Deus ipsa Trinitas.

11. Nisi forte quæ sequuntur, perturbabunt hunc intellectum, quia dixit, *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest :* cum hoc etiam ad Christum pertinere secundum ejus divinitatem accipiatur, quam non viderunt Judæi, qui tamen carnem viderunt et crucifixerunt. Videri autem divinitas [1] humano visu nullo modo potest : sed eo visu videtur, quo jam qui vident, non homines sed ultra homines sunt. Recte ergo ipse Deus Trinitatis intelligitur *beatus et solus potens*, ostendens *adventum Domini nostri Jesu Christi temporibus propriis.* Sic enim dictum est, *Solus habet immortalitatem ;* quomodo dictum est, *Qui facit mirabilia solus* (*Psal.* LXXI, 18). Quod velim scire de quo dictum accipiant : si de Patre tantum, quomodo ergo verum est, quod ipse Filius dicit, *Quæcumque enim Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter?* An quidquam est inter mirabilia mirabilius quam resuscitare et vivificare mortuos? Dicit autem idem Filius, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* V, 19, 21). Quomodo ergo solus Pater facit mirabilia, cum hæc verba nec Patrem tantum, nec Filium tantum permittant intelligi, sed utique Deum unum verum solum, id est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum ?

[1] Vaticanus codex, *habere*. Alius Vaticanus, *haberi*.

[1] Sic in Mss. At in editis, loco, *divinitas*, habetur, *Trinitas*.

12. Item cum dicit idem apostolus, *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 6); quis dubitet eum omnia quæ creata sunt dicere, sicut Joannes, *Omnia per ipsum facta sunt?* Quæro itaque de quo dicat alio loco, *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Si enim de Patre et Filio et Spiritu sancto, ut singulis personis singula tribuantur; *Ex ipso*, ex Patre; *per ipsum*, per Filium; *in ipso*, in Spiritu sancto: manifestum quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus est, quando singulariter intulit, *Ipsi gloria in sæcula sæculorum.* Unde enim cœpit hunc sensum, non ait, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ* Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti; sed, *sapientiæ et scientiæ Dei! Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen* (*Rom.* XI, 33-36). Si autem hoc de Patre tantummodo intelligi volunt, quomodo ergo omnia per Patrem sunt, sicut hic dicitur; et omnia per Filium, sicut ad Corinthios ubi ait, *Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia;* et sicut in Evangelio Joannis, *Omnia par ipsum facta sunt?* Si enim alia per Patrem, alia per Filium, jam non omnia per Patrem, nec omnia per Filium. Si autem omnia per Patrem, et omnia per Filium; eadem per Patrem, quæ per Filium. Æqualis est ergo Patri Filius, et inseparabilis operatio est Patris et Filii. Quia si vel Filium fecit Pater quem non fecit ipse Filius, non omnia per Filium facta sunt: at omnia per Filium facta sunt; ipse igitur factus non est, ut cum Patre faceret omnia quæ facta sunt. Quanquam nec ab ipso verbo tacuerit Apostolus, et apertissime omnino dixerit, *Qui cum in Dei forma esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* II, 6): hic Deum proprie Patrem appellans, sicut alibi, *Caput autem Christi, Deus* (I *Cor.* XI, 3).

13. Similiter et de Spiritu sancto collecta sunt testimonia, quibus ante nos qui hæc disputaverunt, abundantius usi sunt, quia et ipse Deus, et non creatura. Quod si non creatura, non tantum (Deus nam et homines dicti sunt dii [*Psal.* LXXXI, 6]), sed etiam verus Deus. Ergo Patri et Filio prorsus æqualis, et in Trinitatis unitate consubstantialis et coæternus. Maxime vero illo loco satis claret, quod Spiritus sanctus non sit creatura, ubi jubemur non servire creaturæ, sed Creatori (*Rom.* I, 25): non eo modo quo jubemur per charitatem servire invicem (*Galat.* V, 13), quod est græce δουλεύειν; sed eo modo quo tantum Deo servitur, quod est græce λατρεύειν. Unde idololatræ dicuntur qui simulacris eam servitutem exhibent quæ debetur Deo. Secundum hanc enim servitutem dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13). Nam et hoc distinctius in græca Scriptura invenitur; λατρεύσεις enim habet. Porro si tali servitute creaturæ servire prohibemur, quandoquidem dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies;* unde et Apostolus detestatur eos qui coluerunt, et servierunt creaturæ, potius quam Creatori: non est utique creatura Spiritus sanctus, cui ab omnibus sanctis talis servitus exhibetur dicente Apostolo, *Nos enim sumus circumcisio, Spiritui Dei servientes* (*Philipp.* III, 3), quod est in græco, λατρεύοντες. Plures enim codices etiam latini sic habent, *qui Spiritui Dei servimus:* græci autem omnes, aut pene omnes. In nonnullis autem exemplaribus latinis invenimus non, *Spiritui Dei servimus;* sed, *spiritu Deo servimus* (*a*). Sed qui in hoc errant, et auctoritati graviori cedere detrectant, numquid et illud varium in codicibus reperiunt: *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est* [1] *Spiritus sancti, quem habetis a Deo?* Quid autem insanius magisque sacrilegum est, quam ut quisquam dicere audeat membra Christi templum esse creaturæ minoris secundum ipsos, quam Christus est? Alio enim loco dicit: *Corpora vestra membra sunt Christi.* Si autem quæ membra sunt Christi, templum est Spiritus sancti, non est creatura Spiritus sanctus: quia cui corpus nostrum templum exhibemus, necesse est ut huic eam servitutem debeamus, qua nonnisi Deo serviendum est, quæ græce appellatur λατρεία. Unde consequenter dicit: *Glorificate ergo* [2] *Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 19, 15, 20).

CAPUT VII. — 14. *Filius quomodo minor Patre ac se ipso.* His et talibus divinarum Scripturarum testimoniis, quibus, ut dixi, priores nostri copiosius usi, expugnaverunt hæreticorum tales calumnias vel errores, insinuatur fidei nostræ unitas et æqualitas Trinitatis. Sed quia multa in sanctis Libris propter incarnationem Verbi Dei, quæ pro salute nostra reparanda facta est, ut mediator Dei et hominum esset homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5), ita dicuntur, ut majorem Filio Patrem significent, vel etiam apertissime ostendant; erraverunt homines minus diligenter scrutantes vel intuentes universam seriem Scripturarum, et ea quæ de Christo Jesu secundum hominem dicta sunt, ad ejus substantiam quæ ante incarnationem sempiterna erat, et sempiterna est, transferre conati sunt. Et illi quidem dicunt minorem Filium esse quam Pater est, quia scriptum est ipso Domino dicente, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Veritas autem ostendit secundum istum modum etiam se ipso minorem Filium. Quomodo enim non etiam se ipso minor factus est, qui *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens?* Neque enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri. Si ergo ita accepta est forma servi, ut non amitteretur forma Dei, cum et in forma servi et in

[1] Editi, *templum est qui in vobis est.* At Mss., *templum in vobis est.* Atque ita profert constanter Augustinus in superioribus libris contra Arianorum Sermonem, et contra Maximianum.

[2] Editi addunt, *et portate;* quod a Mss. et a græco textu Apostoli abest.

(*a*) Triplicem hujusce loci lectionem affert rursum Augustinus in libro ad Bonifacium tertio, cap. 7. Ipsum eumdem locum in latinis codicibus falsatorum perfidia mutatum fuisse, monet Ambrosius in lib. 2 de Spiritu sancto, cap. 6.

forma Dei idem ipse sit Filius unigenitus Dei Patris, in forma Dei æqualis Patri, in forma servi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus; quis non intelligat quod in forma Dei etiam ipse se ipso major est, in forma autem servi etiam se ipso minor est? Non itaque immerito Scriptura utrumque dicit, et æqualem Patri Filium, et Patrem majorem Filio. Illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi, sine ulla confusione intelligitur. Et hæc nobis regula per omnes sacras Scripturas dissolvendæ hujus quæstionis, ex uno capitulo Epistolæ Pauli apostoli promitur, ubi manifestius ista distinctio commendatur. Ait enim: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philipp.* II, 6, 7). Est ergo Dei Filius Deo Patri natura æqualis, habitu minor. In forma enim servi quam accepit, minor est Patre: in forma autem Dei in qua erat etiam antequam hanc accepisset, æqualis est Patri. In forma Dei, Verbum per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 3): in forma autem servi, factus ex mulicre, factus sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret (*Galat.* IV, 4, 5). Proinde in forma Dei fecit hominem; in forma servi factus est homo. Nam si Pater tantum sine Filio fecisset hominem, non scriptum esset, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Ergo quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus et utrumque homo: sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem. Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum atque mutatum est: nec divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse divinitas; nec creatura in divinitatem, ut desisteret esse creatura.

CAPUT VIII. — 15. *Scripturas de subjectione Filii sub Patre perperam intellectas explicat. Regnum Patri non sic tradet Christus, ut adimat sibi. Contemplatio promissa finis omnium actionum. Spiritus sanctus ad beatitudinem nostram sufficit perinde ac Pater.* Illud autem quod dicit Apostolus, *Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia*; aut ideo dictum est, ne quisquam putaret habitum Christi, qui ex humana creatura susceptus est, conversum iri postea in ipsam divinitatem, vel, ut certius expresserim, deitatem, quæ non est creatura, sed est unitas Trinitatis incorporea et incommutabilis et sibimet consubstantialis et coæterna natura. Aut si quisquam contendit, ut aliqui senserunt, ita dictum, *Et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia*, ut ipsam subjectionem, commutationem et conversionem crelat futuram creaturæ in ipsam substantiam vel essentiam Creatoris, id est, ut quæ fuerat substantia creaturæ, fiat substantia Creatoris; certe vel hoc concedit, quod non habet ullam dubitationem, nondum hoc fuisse factum cum Dominus diceret, *Pater major me est.* Dixit enim hoc non solum antequam ascendisset in cœlum, verum etiam antequam passus resurrexisset a mortuis. Illi autem qui putant humanam in eo naturam in deitatis substantiam mutari atque converti, et ita dictum, *Tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia*, ac si diceretur, Tunc et ipse Filius hominis et a Verbo Dei suscepta humana natura commutabitur in ejus naturam, qui ei subjecit omnia; tunc futurum putant, *cum* post diem judicii *tradiderit regnum Deo et Patri.* Ac per hoc etiam secundum istam opinionem adhuc Pater major est, quam quæ de Virgine servi forma accepta est. Quod si aliqui et hoc affirmant, quod jam fuerit in Dei substantiam mutatus homo Christus Jesus; illud certe negare non possunt, quod adhuc natura hominis manebat, quando ante passionem dicebat, *Quoniam Pater major me est:* unde nulla cunctatio est secundum hoc dictum esse, quod forma servi major est Pater, cui in forma Dei æqualis est Filius. Nec quisquam cum audierit quod ait Apostolus, *Cum autem dixerit, quia omnia subjecta sunt ei, manifestum quia præter eum qui illi subjecit omnia* (I *Cor.* XV, 28, 24, 27), ita existimet de Patre intelligendum, quod subjecerit omnia Filio, ut ipsum Filium sibi omnia subjecisse non putet. Quod Apostolus ad Philippenses ostendit dicens: *Nostra autem conversatio in cœlis est; unde et Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, conforme ut fiat corpori gloriæ suæ, secundum operationem suam, qua possit etiam sibi subjicere omnia* (*Philipp.* III, 20, 21). Inseparabilis enim operatio est Patris et Filii. Alioquin nec ipse Pater sibi subjecit omnia, sed Filius ei subjecit, qui ei regnum tradit, et evacuat omnem principatum et omnem potestatem et virtutem. De Filio quippe ista dicta sunt: *Cum tradiderit*, inquit, *regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem.* Ipse enim subjicit, qui evacuat.

16. Nec sic arbitremur Christum traditurum regnum Deo et Patri, ut adimat sibi. Nam et hoc quidam vaniloqui crediderunt. Cum enim dicitur, *tradiderit regnum Deo et Patri*, non separatur ipse; quia simul cum Patre unus Deus est. Sed divinarum Scripturarum incuriosos [1] et contentionum studiosos fallit verbum quod positum est, *donec.* Ita namque sequitur, *Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis* (I *Cor.* XV, 24, 25): tanquam cum posuerit, non sit regnaturus. Nec intelligunt ita dictum, sicuti est illud: *Confirmatum est cor ejus; non commovebitur, donec videat super inimicos suos* (*Psal.* CXI, 8). Non enim cum viderit, jam commovebitur. Quid ergo est, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri?* quasi modo non habeat regnum Deus et Pater? Sed quia omnes justos, in quibus nunc regnat ex fide viventibus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, perducturus est ad speciem, quam visionem dicit idem apostolus, *Facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12); ita dictum est, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri*, ac si diceretur, Cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei et Patris. Sic enim dicit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: et nemo novit*

[1] Sic Mss. Editi autem, *curiosos.*

Filium, nisi Pater; et nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Matth.* xi, 27). Tunc revelabitur a Filio Pater, *cum evacuaverit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem;* id est, ut necessaria non sit dispensatio similitudinum per angelicos principatus et potestates et virtutes. Ex quarum persona non inconvenienter intelligitur dici in Cantico canticorum ad sponsam, *Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoadusque rex in recubitu suo est* (*Cant.* i, 11, *sec.* LXX). id est, quoadusque Christus in secreto suo est; quia *vita vestra abscondita est cum Christo in Deo : cum Christus*[1] *apparuerit vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria* (*Coloss.* iii, 3, 4). Quod antequam fiat, *videmus nunc per speculum in ænigmate,* hoc est in similitudinibus; *tunc autem, facie ad faciem* (I *Cor.* xiii, 12).

17. Hæc enim nobis contemplatio promittitur actionum omnium finis atque æterna perfectio gaudiorum. *Filii* enim *Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus : scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* iii, 2). Quod enim dixit famulo suo Moysi, *Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* iii, 14); hoc contemplabimur cum vivemus in æternum. Ita quippe ait : *Hæc autem est vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum; et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3). Hoc fiet cum venerit Dominus, et illuminaverit occulta tenebrarum (I *Cor.* iv, 5), cum tenebræ mortalitatis hujus corruptionisque transierint. Tunc erit mane nostrum, de quo in Psalmo dicitur : *Mane astabo tibi, et contemplabor* (*Psal.* v, 5). De hac contemplatione intelligo dictum, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri* : id est, cum perduxerit justos, in quibus nunc ex fide viventibus regnat mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, ad contemplationem Dei et Patris. Si desipio hic, corrigat me qui melius sapit : mihi aliud non videtur. Neque enim quæremus aliud, cum ad illius contemplationem pervenerimus, quæ nunc non est, quamdiu gaudium nostrum in spe est. *Spes autem quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* viii, 24, 25), *quoadusque rex in recubitu suo est.* Tunc erit quod scriptum est : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (*Psal.* xv, 11). Illa lætitia nihil amplius requiretur; quia nec erit quod amplius requiratur. Ostendetur enim nobis Pater, et sufficiet nobis. Quod bene intellexerat Philippus, ut diceret Domino, *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis :* sed nondum intellexerat, eo quoque modo idipsum se potuisse dicere, Domine, ostende nobis te, et sufficit nobis. Ut enim hoc intelligeret, responsum ei a Domino est, *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui vidit me, vidit et Patrem.* Sed quia volebat eum ex fide vivere antequam illud posset videre, secutus est, et ait : *Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* xiv, 8, 10)? *Quamdiu* enim *sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem* (II *Cor.* v, 6, 7). Contemplatio quippe merces est fidei, cui mercedi per fidem corda mundantur; sicut scriptum est, *Mundans fide corda eorum* (*Act.* xv, 9). Probatur autem quod illi contemplationi corda mundentur, illa maxime sententia : *Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Et quia hæc est vita æterna, dicit Deus in Psalmo : *Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum* (*Psal.* xc, 16). Sive ergo audiamus, Ostende nobis Filium; sive audiamus, *Ostende nobis Patrem :* tantumdem valet; quia neuter sine altero potest ostendi. Unum quippe sunt, sicut et ipse ait : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Denique propter ipsam inseparabilitatem, sufficienter aliquando nominatur, vel Pater solus, vel Filius solus adimpleturus nos lætitia cum vultu suo.

18. Nec inde separatur utriusque Spiritus, id est Patris et Filii Spiritus. Qui Spiritus sanctus proprie dicitur *Spiritus veritatis, quem hic mundus accipere non potest* (*Id.* xiv, 17). Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Trinitate Deo ad cujus imaginem facti sumus. Propter hoc aliquando ita loquitur de Spiritu sancto tanquam solus ipse sufficiat ad beatitudinem nostram : et ideo solus sufficit, quia separari a Patre et Filio non potest; sicut Pater solus sufficit, quia separari a Filio et Spiritu sancto non potest; et Filius ideo sufficit solus, quia separari a Patre et Spiritu sancto non potest. Quid enim sibi vult quod ait, *Si diligitis me, mandata mea servate; et ego rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis, quem hic mundus accipere non potest* (*Ibid.* 5 15-17), id est, dilectores mundi? *Animalis* enim *homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei* (I *Cor.* ii, 14). Sed adhuc potest videri ideo dictum, *Et ego rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis,* quasi non solus Filius sufficiat. Illo autem loco ita de illo dictum est tanquam solus omnino sufficiat : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* vi, 13). Numquid ergo separatur hinc Filius, tanquam ipse non doceat omnem veritatem, aut quasi hoc impleat Spiritus sanctus quod minus potuit docere Filius? Dicant ergo, si placet, majorem esse Filio Spiritum sanctum, quem minorem illo solent dicere. An quia non dictum est, Ipse solus; aut, Nemo, nisi ipse, vos docebit omnem veritatem; ideo permittunt ut cum illo docere credatur et Filius? Apostolus ergo Filium separavit ab sciendis iis quæ Dei sunt, ubi ait, *Sic et quæ Dei sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei* (I *Cor.* ii, 11) : ut jam isti perversi possint ex hoc dicere, quod et Filium non doceat quæ Dei sunt nisi Spiritus sanctus, tanquam major minorem; cui Filius ipse tantum tribuit, ut diceret, *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico : expedit vobis ut ego eam; nam si non abiero, advocatus non veniet ad vos* (*Joan.* xvi, 6, 7).

[1] Fr. Lugd. Ven. Lov. hic addunt, *inquit.* M.

CAPUT IX. — *In una persona interdum intelliguntur omnes.* Hoc autem dixit, non propter inæqualitatem Verbi Dei et Spiritus sancti, sed tanquam impedimento esset præsentia Filii hominis apud eos, quominus veniret ille qui minor non esset, quia semetipsum non exinanivit, formam servi accipiens, sicut Filius (*Philipp.* II, 7). Oportebat ergo ut auferretur ab oculis eorum forma servi, quam intuentes, hoc solum esse Christum putabant quod videbant. Inde est et illud quod ait, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quoniam eo ad Patrem; quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28): id est, propterea me oportet ire ad Patrem, quia dum me ita videtis, ex hoc quod videtis, æstimatis quia minor sum Patre, atque ita circa creaturam susceptumque habitum occupati, æqualitatem quam cum Patre habeo non intelligitis. Inde est et illud: *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem* (*Id.* XX, 17). Tactus enim tanquam finem facit notionis. Ideoque nolebat in eo esse finem intenti cordis in se, ut hoc quod videbatur tantummodo putaretur. Ascensio autem ad Patrem erat ita videri, sicut æqualis est Patri, ut ibi esset finis visionis, quæ sufficit nobis. Aliquando item de Filio solo dicitur, quod ipse sufficiat, et in ejus visione merces tota promittitur dilectionis [1] et desiderii nostri. Sic enim ait: *Qui habet mandata mea et custodit ea, ille est qui diligit me. Qui autem me diligit, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et ostendam me ipsum illi.* Numquid hic, quia non dixit, Ostendam illi et Patrem, ideo separavit Patrem? Sed quia verum est, *Ego et Pater unum sumus;* cum Pater ostenditur, et Filius ostenditur qui in illo est; et cum Filius ostenditur, etiam Pater ostenditur qui in illo est. Sicut ergo cum ait, *Et ostendam me ipsum illi*, intelligitur quia ostendit et Patrem; ita et in eo quod dicitur, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri*, intelligitur quia non adimit sibi. Quoniam cum perduceet credentes ad contemplationem Dei et Patris, profecto perducet ad contemplationem suam, qui dixit, *Et ostendam illi me ipsum.* Et ideo consequenter, cum dixisset illi Judas, *Domine, quid factum est, quia ostensurus es te nobis, et non huic mundo?* respondit Jesus, et dixit illi: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget illum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ecce quia non solum se ipsum ostendit ei a quo diligitur, quia simul cum Patre venit ad eum, et mansionem facit apud eum.

19. An forte putabitur mansionem in dilectore suo facientibus Patre et Filio exclusus esse ab hac mansione Spiritus sanctus? Quid est ergo quod superius ait de Spiritu sancto: *Quem hic mundus accipere non potest, quoniam non videt illum: nostis illum vos, quia vobiscum manet, et in vobis est?* Non itaque ab hac mansione separatus est, de quo dictum est, *vobiscum manet, et in vobis est.* Nisi forte quisquam sic absurdus est, ut arbitretur, cum Pater et Filius venerint ut mansionem apud dilectorem suum faciant, discessurum inde Spiritum sanctum, et tanquam locum daturum esse majoribus. Sed huic carnali cogitationi occurrit Scriptura: paulo quippe superius ait, *Et ego rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis ut, vobiscum sit in æternum* (*Joan.* XIV, 16-23). Non ergo discedet Patre et Filio venientibus, sed in eadem mansione cum ipsis erit in æternum; quia nec ille sine ipsis venit, nec illi sine ipso. Sed propter insinuationem Trinitatis, personis etiam singulis nominatis dicuntur quædam separatim [1]; non tamen aliis separatis intelliguntur, propter ejusdem Trinitatis unitatem unamque substantiam atque deitatem Patris et Filii et Spiritus sancti.

CAPUT X. — 20. *Quomodo Christus tradet regnum Deo et Patri. Tradito regno Deo et Patri, Christus jam non interpellabit pro nobis.* Tradet itaque regnum Deo et Patri Dominus noster Jesus Christus, non se inde separato, nec Spiritu sancto, quando perducet credentes ad contemplationem Dei, ubi est finis omnium bonarum actionum, et requies sempiterna, et gaudium quod nunquam auferetur a nobis. Hoc enim signat in eo quod ait: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet a vobis* (*Id.* XVI, 22). Hujus gaudii similitudinem præsignabat Maria sedens ad pedes Domini, et intenta in verbum ejus; quieta scilicet ab omni actione, et intenta in veritatem secundum quemdam modum, cujus capax est ista vita, quo tamen præfiguraret illud quod futurum est in æternum. Martha quippe sorore sua in necessitatis actione conversante, quamvis bona et utili, tamen, cum requies successerit, transitura, ipsa requiescebat in verbo Domini. Et ideo Dominus conquerenti Marthæ quod eam soror non adjuvaret, respondit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X, 39-42). Non partem malam dixit quod agebat Martha; sed istam optimam quæ non auferetur. Illa enim quæ in ministerio indigentiæ est, cum indigentia ipsa transierit, auferetur. Boni quippe operis transituri merces est requies permansura. In illa igitur contemplatione Deus erit omnia in omnibus; quia nihil ab illo aliud requiretur, sed solo ipso illustrari perfruique sufficiet. Ideoque ille in quo Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII, 26), *Unam*, inquit, *petii a Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler delectationem Domini* (*Psal.* XXVI, 4). Contemplabimur enim Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, cum mediator Dei et hominum homo Christus Jesus tradiderit regnum Deo et Patri, ut jam non interpellet pro nobis mediator et sacerdos noster, Filius Dei et Filius hominis; sed et ipse in quantum sacerdos est assumpta propter nos servi forma, subjectus sit ei qui illi subjecit omnia, et cui subjecit omnia; ut in quantum Deus est, cum illo nos subjectos habeat, in quantum sacerdos, nobiscum illi subjectus sit (I *Cor.* XV, 24-28). Quapropter cum Filius sit et Deus et homo, alia substantia homo potius in Filio [2] quam Filius in Patre: sicut

[1] Editi, *delectationis*. Melius Mss., *dilectionis*.

[1] Abest, *separatim*, a Mss.

[2] Sic meliores Mss. At editi, *alia substantia Deus, alia homo, homo potius in Filio*, etc.

caro animæ meæ, alia substantia est ad animam meam, quamvis in uno homine, quam anima alterius hominis ad animam meam.

21. *Cum* ergo *tradiderit regnum Deo et Patri*, id est, cum credentes et viventes ex fide, pro quibus nunc mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipiendæ suspiramus et gemimus, et cum transierit labor et gemitus, jam non interpellabit pro nobis tradito regno Deo et Patri. Hoc significans ait, *Hæc vobiscum locutus sum*[1] *in similitudinibus : veniet hora, quando jam non in similitudinibus loquar vobis, sed manifeste de Patre nuntiabo vobis ;* id est, jam non erunt similitudines, cum visio fuerit facie ad faciem. Hoc est enim quod ait, *sed manifeste de Patre nuntiabo vobis ;* ac si diceret, manifeste Patrem ostendam vobis. *Nuntiabo* quippe ait, quia Verbum ejus est. Sequitur enim et dicit : *Illa die in nomine meo petetis, et non dico vobis quia ego rogabo Patrem : ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in hunc mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* (*Joan.* xvi, 25-28). Quid est, *A Patre exivi ;* nisi, non in ea forma qua æqualis sum Patri, sed aliter, id est, in assumpta creatura minor apparui ? Et quid est, *Veni in hunc mundum ;* nisi, formam servi, quam me exinaniens accepi, etiam peccatorum qui mundum istum diligunt, oculis demonstravi ? Et quid est, *Iterum relinquo mundum ;* nisi, ab aspectu dilectorum mundi aufero quod viderunt ? Et quid est, *Vado ad Patrem ;* nisi, doceo me sic intelligendum a fidelibus meis, quomodo æqualis sum Patri ? Hoc qui credunt, digni habebuntur perduci a fide ad speciem, id est ad ipsam visionem, quo perducens dictus est tradere regnum Deo et Patri. Fideles quippe ejus quos redemit sanguine suo, dicti sunt regnum ejus, pro quibus nunc interpellat : tunc autem illic eos sibi faciens inhærere, ubi æqualis est Patri, non jam rogabit Patrem pro eis. *Ipse enim*, inquit, *Pater amat vos.* Ex hoc enim rogat, quo minor est Patre : quo vero æqualis est, exaudit cum Patre. Unde se ab eo quod dixit, *Ipse enim Pater amat vos*, utique ipse non separat ; sed secundum ea facit intelligi quæ supra commemoravi, satisque insinuavi, plerumque ita nominari unamquamque in Trinitate personam, ut et aliæ illic intelligantur. Sic itaque dictum est, *Ipse enim Pater amat vos*, ut consequenter intelligatur et Filius et Spiritus sanctus : non quia modo nos non amat, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum (*Rom.* viii, 32) ; sed tales nos amat Deus, quales futuri sumus, non quales sumus. Quales enim amat, tales in æternum conservat : quod tunc erit, *cum tradiderit regnum Deo et Patri*, qui nunc interpellat pro nobis, ut jam non roget Patrem, quia ipse Pater amat nos. Quo autem merito, nisi fidei, qua credimus antequam illud quod promittitur videamus ? Per hanc enim perveniemus ad speciem, ut tales amet, quales amat ut simus ; non quales odit quia sumus[1], et hortatur ac præstat ne tales esse semper velimus.

CAPUT XI. — 22. *Regula qua intelligitur Filius in Scripturis nunc æqualis, nunc minor.* Quapropter, cognita ista regula intelligendarum Scripturarum de Filio Dei, ut distinguamus quid in eis sonet secundum formam Dei, in qua æqualis est Patri, et quid secundum formam servi quam accepit, in qua minor est Patre, non conturbabimur tanquam contrariis ac repugnantibus inter se sanctorum Librorum sententiis. Nam secundum formam Dei æqualis est Patri et Filius et Spiritus sanctus, quia neuter eorum creatura est, sicut jam ostendimus : secundum autem formam servi, minor est Patre, quia ipse dixit : *Pater major me est* (*Joan.* xiv, 28) : minor est se ipso, quia de illo dictum est, *Semetipsum exinanivit* (*Philipp.* ii, 7) : minor est Spiritu sancto, quia ipse ait, *Qui dixerit blasphemiam in Filium hominis, remittetur ei ; qui autem dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei* (*Matth.* xii, 32). Et in ipso virtutes operatus est, dicens : *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, certe supervenit super vos regnum Dei* (*Luc.* xi, 20). Et apud Isaiam dicit, quam lectionem ipse in synagoga recitavit, et de se completam sine scrupulo dubitationis ostendit. *Spiritus*, inquit, *Domini super me ; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem* (*Isai.* lxi, 1 ; *Luc.* iv, 18, 19), et cætera : ad quæ facienda ideo dicit se missum, quia Spiritus Domini est super eum. Secundum formam Dei, omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* i, 3) : secundum formam servi, ipse factus est ex muliere, factus sub Lege (*Galat.* iv, 4). Secundum formam Dei, ipse et Pater unum sunt (*Joan.* x, 30) : secundum formam servi, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui eum misit (*Id.* vi, 38). Secundum formam Dei, *sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Id.* v, 26) : secundum formam servi, *tristis est anima* ejus *usque ad mortem ;* et, *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat a me iste calix* (*Matth.* xxvi, 38, 39). Secundum formam Dei, *ipse est verus Deus et vita æterna* (I *Joan.* v, 20) : secundum formam servi, *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* ii, 8).

23. Secundum formam Dei, omnia quæ habet Pater, ipsius sunt (*Joan.* xvi, 15) : et, *Omnia mea tua sunt*, inquit, *et tua mea*[2] (*Id.* xvii, 10). Secundum formam servi, non est doctrina ipsius, sed illius qui eum misit (*Id.* vii, 16).

CAPUT XII. — *Qua ratione Filius dicatur nescire diem et horam quam scit Pater. Dicta de Christo alia secundum formam Dei, alia secundum formam servi. Dare regnum quomodo et Christi est, et Christi non est. Quomodo Christus et non judicabit, et judicabit.* Et, *de die et hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Fi-*

[1] Sex Mss. : *Hæc vobis locutus sum.*

[1] Editi, *quia mali sumus.* Abest, *mali*, a manuscriptis.

[2] In B. : *Omnia mea tua sunt, inquit, et mea tua.* Melius cum Er. Lugd. Ven. et Lov., *omnia tua mea sunt, inquit, et mea tua ;* sed veram lectionem exhibere videntur græcum et Vulgata : *Omnia mea tua sunt, inquit, et tua mea.* M.

lius, nisi Pater (*Marc.* XIII, 32). Hoc enim nescit, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat ut tunc discipulis indicaret : sicut dictum est ad Abraham, *Nunc cognovi quod timeas Deum* (*Gen.* XXII, 12), id est, nunc feci ut cognosceres ; quia et ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Nam et illud utique dicturus erat discipulis tempore opportuno, de quo futuro tanquam præterito loquens, ait, *Jam non dicam vos servos, sed amicos. Servus enim nescit voluntatem domini sui : vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota vobis feci* (*Joan.* XV, 15) : quod nondum fecerat, sed quia certo facturus erat, quasi jam fecisset locutus est. Ipsis enim ait : *Multa vobis habeo dicere ; sed non potestis illa portare modo* (*Id.* XVI, 12). Inter quæ intelligitur et, *De die et hora.* Nam et Apostolus : *Neque enim judicavi me*, inquit, *scire aliquid in vobis, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (I *Cor.* II, 2). Eis enim loquebatur, qui capere altiora de Christi deitate non poterant. Quibus etiam paulo post dicit : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (*Id.* III, 1). Hoc ergo inter illos nesciebat, quod per illum scire non poterant. Et hoc solum se scire dicebat, quod eos per illum scire oportebat. Denique sciebat inter perfectos, quod inter parvulos nesciebat : ibi quippe ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*Id.* II, 6). Eo namque genere locutionis nescire quisque dicitur quod occultat, quo dicitur fossa cæca quæ occulta est. Neque enim aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in consuetudine humana non inveniatur ; quia utique hominibus loquuntur.

24. Secundum formam Dei dictum est, *Ante omnes colles genuit me* (*Prov.* VIII, 25), id est, ante omnes altitudines creaturarum ; et, *Ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3), id est, ante omnia tempora et temporalia : secundum formam autem servi dictum est, *Dominus creavit me in principio viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22). Quia secundum formam Dei dixit, *Ego sum veritas ;* et secundum formam servi, *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6). Quia enim ipse primogenitus a mortuis (*Apoc.* I, 5) iter fecit Ecclesiæ suæ ad regnum Dei ad vitam æternam, cui caput est ad immortalitatem etiam corporis, ideo creatus est in principio viarum Dei in opera ejus. Secundum formam enim Dei, principium est quod et loquitur nobis (*Joan.* VIII, 25) ; in quo principio fecit Deus cœlum et terram (*Gen.* I, 1) : secundum autem formam servi, *Sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII, 6). Secundum formam Dei, *Primogenitus omnis creaturæ, et ipse ante omnes est, et omnia in illo constant :* secundum formam servi, *Ipse est caput corporis Ecclesiæ* (*Coloss.* I, 15, 17, 18). Secundum formam Dei, Dominus est gloriæ (I *Cor.* II, 8). Unde manifestum est, quod ipse glorificet sanctos suos. *Quos* enim *prædestinavit, ipsos et vocavit ; et quos vocavit, ipsos et justificavit ; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit* (*Rom.* VIII, 30). De illo quippe dictum est quod justificet impium (*Id.* IV, 5) ; de illo dictum est quod sit justus et justificans (*Id.* III, 26). Si ergo quos justificavit, ipsos et glorificavit, qui justificat ipse et glorificat, qui est, ut dixi, Dominus gloriæ. Secundum formam tamen servi satagentibus discipulis de glorificatione sua, respondit : *Sedere ad dexteram vel ad sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo* (*Matth.* XX, 23).

25. Quod autem paratum est a Patre ejus, et ab ipso Filio paratum est : quia ipse et Pater unum sunt (*Joan.* X, 30). Jam enim ostendimus in hac Trinitate per multos divinarum locutionum modos etiam de singulis dici quod omnium est, propter inseparabilem operationem unius ejusdemque substantiæ. Sicut et de Spiritu sancto dicit, *Cum ego iero, mittam illum ad vos* (*Id.* XVI, 7). Non dixit, Mittemus ; sed ita quasi tantum Filius eum missurus esset, et non Pater ; cum alio loco dicat, *Hæc locutus sum vobis apud vos manens ; advocatus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vobis declarabit omnia* (*Id.* XIV, 25 26). Illic rursus ita dictum est, quasi non eum missurus esset et Filius, sed tantum Pater. Sicut ergo ista, ita et illud quod ait, *sed quibus paratum est a Patre meo :* cum Patre se intelligi voluit parare sedes gloriæ quibus vellet. Sed dicit aliquis : Illic cum de Spiritu sancto loqueretur, ita se missurum ait, ut non negaret Patrem missurum ; et alio loco ita Patrem, ut non negaret se missurum : hic vero aperte ait, *Non est meum dare ;* atque ita secutus, a Patre dixit ista præparata. Sed hoc est quod præstruximus[1] secundum formam servi dictum : ut ita intelligeremus, *Non est meum dare*, ac si diceretur, Non est humanæ potestatis hoc dare : ut per illud intelligatur hoc dare, per quod Deus æqualis est Patri. *Non est meum*, inquit, *dare*, id est, non humana potestate ista do, *sed quibus paratum est a Patre meo :* sed jam tu intellige, quia si *omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Id.* XVI, 15), et hoc utique meum est, et cum Patre ista paravi.

26. Nam et illud quæro, quomodo dictum sit, *Si quis non audit verba mea, ego non judicabo illum.* Fortassis enim ita hic dixit, *Ego non judicabo illum*, quemadmodum ibi, *Non est meum dare.* Sed quid hic sequitur? *Non enim veni*, inquit, *ut judicem mundum, sed ut salvum faciam mundum :* deinde adjungit et dicit, *Qui me spernit et non accipit verba mea, habet qui se judicet.* Illic jam intelligeremus Patrem, nisi adjungeret et diceret : *Verbum quod locutus sum, ipsum judicabit illum in novissimo die.* Quid igitur, jam nec Filius judicabit, quia dixit, *Ego non judicabo illum?* nec Pater, sed verbum quod locutus est Filius? Imo audi adhuc quod sequitur : *Quia ego*, inquit, *non ex me locutus sum, sed qui me misit Pater, ille mandatum mihi dedit quid dicam, et quid loquar ; et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, ita ut dixit mihi Pater, sic loquor* (*Id.* XII, 47, 50). Si ergo non judicat Filius, sed verbum quod locutus est Filius ; ideo autem judicat verbum quod locutus est Filius, quia non ex se locutus est Filius, sed qui misit eum Pater mandatum dedit ei quid dicat, et quid loqua-

[1] Ita in Mss. At in editis, *præstrinximus.*

tur : Pater utique judicat, cujus verbum est quod locutus est Filius, atque ipsum Verbum Patris idem ipse est Filius. Non enim aliud est mandatum Patris, aliud Verbum Patris : nam et verbum hoc appellavit, et mandatum. Videamus ergo ne forte quod ait, *Ego non ex me locutus sum*, hoc intelligi voluerit, Ego non ex me natus sum. Si enim Verbum Patris loquitur, se ipsum loquitur, quia ipse est Verbum Patris. Plerumque enim dicit, *Dedit mihi Pater :* in quo vult intelligi quod cum genuerit Pater : non ut tanquam jam existenti et non habenti dederit aliquid; sed ipsum dedisse ut haberet, genuisse est ut esset. Non enim sicut creatura, ita Dei Filius ante incarnationem et ante assumptam creaturam, unigenitus per quem facta sunt omnia, aliud est, et aliud habet : sed hoc ipsum est, quod est id quod habet. Quod illo loco manifestius dicitur, si quis ad capiendum sit idoneus, ubi ait : *Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* v, 26). Neque enim jam existenti et vitam non habenti dedit ut haberet vitam in semetipso, cum eo ipso quod est, vita sit [1]. Hoc est ergo, *dedit Filio vitam habere in semetipso*, genuit Filium esse [2] incommutabilem vitam, quod est vita æterna. Cum ergo Verbum Dei sit Filius Dei, et Filius Dei sit *verus Deus et vita æterna*, sicut in Epistola sua dicit Joannes (I *Joan.* v, 20); etiam hic quid aliud agnoscimus, cum dicit Dominus, *Verbum quod locutus sum, ipsum judicabit eum in novissimo die;* et ipsum verbum, Patris verbum esse dicit et mandatum Patris, ipsumque mandatum vitam æternam? *Et scio*, inquit, *quia mandatum ejus vita æterna est.*

27. Quæro itaque quomodo intelligamus, *Ego non judicabo; sed verbum quod locutus sum judicabit :* quod ex consequentibus apparet ita dictum, ac si diceret, Ego non judicabo; sed verbum Patris judicabit. Verbum autem Patris est ipse Filius Dei. Siccine intelligendum est, Ego non judicabo, sed ego judicabo? Quomodo potest istud esse verum, nisi ita : Ego scilicet non judicabo ex potestate humana, quia Filius hominis sum; sed ego judicabo ex potestate Verbi, quoniam Filius Dei sum. Aut si contraria et repugnantia videntur, Ego non judicabo, sed ego judicabo : quid illic dicemus, ubi ait, *Mea doctrina non est mea?* Quomodo *mea*, quomodo *non mea?* Non enim dixit, Ista doctrina non est mea; sed, *Mea doctrina non est mea :* quam dixit suam, eamdem dixit non suam. Quomodo istud verum est, nisi secundum aliud suam dixerit; secundum aliud, non suam : secundum formam Dei, suam; secundum formam servi, non suam? Cum enim dicit, *non est mea, sed ejus qui me misit* (*Joan.* VII, 16), ad ipsum Verbum nos facit recurrere. Doctrina enim Patris est Verbum Patris, qui est unicus Filius. Quid sibi et illud vult, *Qui in me credit, non in me credit* (*Id.* XII, 44) ? Quomodo in ipsum, quomodo non in ipsum? Quomodo tam contrarium sibique adversum potest intelligi, *Qui in me credit*, inquit, *non in me credit, sed in eum qui me misit :* nisi ita intelligas, Qui in me credit, non in hoc quod videt credit, ne sit spes nostra in creatura; sed in illo qui suscepit creaturam, in qua humanis oculis appareret, ac sic ad se æqualem Patri contemplandum per fidem corda mundaret? Ideoque ad Patrem referens intentionem credentium, et dicens, *Non in me credit, sed in eum qui me misit*, non utique se a Patre, id est ab illo qui eum misit, voluit separari : sed ut sic in eum crederetur, quomodo in Patrem cui est æqualis. Quod aperte alio loco dicit, *Credite* [1] *in Deum, et in me credite* (*Joan.* XIV, 1) : id est, Sicut creditis in Deum, sic et in me; quia ego et Pater unus Deus. Sicuti ergo hic, tanquam abstulit a se fidem hominum, et in Patrem transtulit, dicendo, *Non in me credit, sed in eum qui me misit*, a quo tamen se utique non separavit : sic etiam quod ait, *Non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo*, puto clarere secundum quid utrumque accipiendum sit. Tale est enim et illud, *Ego non judicabo;* cum ipse judicaturus sit vivos et mortuos (II *Tim.* IV, 1) : sed quia non ex potestate humana, propterea recurrens ad deitatem, sursum erigit corda hominum, propter quæ sublevanda descendit.

CAPUT XIII. — 28. *De eodem Christo diversa prædicantur, ob diversas naturas hypostaseos. Cur Pater dicitur non judicaturus, sed judicium dedisse Filio.* Nisi tamen ipse idem esset Filius hominis propter formam servi quam accepit, qui est Filius Dei propter Dei formam in qua est; non diceret Paulus apostolus de principibus hujus sæculi : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* II, 8). Ex forma enim servi crucifixus est, et tamen Dominus gloriæ crucifixus est. Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, et hominem Deum. Quid tamen propter quid, et quid secundum quid dicatur, adjuvante Domino prudens, et diligens, et pius lector intelligit. Nam ecce diximus quia secundum id quod Deus est, glorificat suos, secundum hoc utique quod Dominus gloriæ est; et tamen Dominus gloriæ crucifixus est, quia recte dicitur et Deus crucifixus, non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate carnis (II *Cor.* XIII, 4) : sicut dicimus, quia secundum id quod Deus est judicat, hoc est ex potestate divina, non ex humana; et tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est : ita enim aperte dicit, *Cum venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes Angeli cum eo, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes* (*Matth.* XXV, 31, 32); et cætera quæ de futuro judicio usque ad ultimam sententiam in eo loco prædicantur. Et Judæi, quippe qui in malitia perseverantes, in illo judicio puniendi sunt, sicuti alibi scriptum est, *videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* XII, 10). Cum enim et boni et mali visuri sint judicem vivorum et mortuorum, procul dubio eum videre mali non poterunt, nisi secundum formam qua filius hominis est; sed tamen in claritate in qua ju-

[1] Veteres aliqui codices, *vita æterna sit.*

[2] Am. et Er. omittunt, *esse;* cujus loco unus e Vaticanis Mss habet, *ex se.*

[1] Editi, *c editis.* At Mss. constanter, *credite.*

dicabit, non in humilitate in qua judicatus est. Cæterum illam Dei formam in qua æqualis est Patri, procul dubio impii non videbunt. Non enim sunt mundicordes : *Beati* enim *mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Et ipsa visio est facie ad faciem (1 *Cor.* XIII, 12), quæ [1] summum præmium promittitur justis; et ipsa fiet, cum tradet regnum Deo et Patri; in quo et suæ formæ visionem vult intelligi, subjecta Deo universa creatura, et ipsa in qua Filius Dei filius hominis factus est. Quia secundum hanc *et ipse Filius tunc subjectus illi erit, qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (*Id.* XV, 24, 28). Alioquin si Filius Dei judex in forma qua æqualis est Patri, etiam impiis cum judicaturus est apparebit, quid est quod pro magno dilectori suo pollicetur dicens, *Et ego diligam eum, et ostendam me ipsum illi* (*Joan.* XIV, 21)? Quapropter Filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea qua Filius Dei est : et rursus Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est æqualis Patri, sed in ea qua filius hominis est.

29. Itaque utrumque dici potest; et, Filius hominis judicabit; et, Non Filius hominis judicabit : quia Filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait, *Cum venerit Filius hominis, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes;* et non Filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait, *Ego non judicabo* (*Id.* XII, 47); et, *Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat, et judicet* (*Id.* VIII, 50). Nam secundum id quod in judicio non forma Dei, sed forma filii hominis apparebit, nec ipse Pater judicabit; secundum hoc enim dictum est, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Quod utrum ex illa locutione dictum sit, quam supra commemoravimus, ubi ait, *Sic dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Id.* V, 22, 26), ut significaret quia sic genuit Filium : an ex illa de qua loquitur [2] Apostolus dicens, *Propter quod eum suscitavit* [3], *et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Hoc enim de filio hominis dictum est, secundum quem Dei Filius excitatus est a mortuis. Ille quippe in forma Dei æqualis Patri, ex quo [4] se exinanivit, formam servi accipiens, in ipsa forma servi et agit, et patitur, et accipit, quæ consequenter contexit Apostolus : *Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 6-11). Utrum ergo secundum illam, an secundum istam locutionem dictum sit, *Omne judicium dedit Filio*, satis hinc apparet, quia si secundum illud diceretur secundum quod dictum est, *Dedit Filio habere vitam in semetipso;* non utique diceretur, *Pater non judicat quemquam.* Secundum hoc enim quod æqualem Pater genuit Filium, judicat cum illo. Secundum hoc ergo dictum est, quod in judicio, non forma Dei, sed forma filii hominis apparebit. Non quia non judicabit qui dedit omne judicium Filio, cum de illo dicat Filius, *Est qui quærat, et judicet :* sed ita est dictum, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio;* ac si diceretur, Patrem nemo videbit in judicio vivorum et mortuorum, sed omnes Filium : quia et filius hominis est, ut possit et ab impiis videri, cum et illi videbunt in quem pupugerunt.

30. Quod ne conjicere potius quam aperte demonstrare videamur, proferamus ejusdem Domini certam manifestamque sententiam, qua ostendamus ipsam fuisse causam ut diceret, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, quia judex in forma filii hominis apparebit, quæ forma non est Patris, sed Filii; nec ea Filii in qua æqualis est Patri, sed in qua minor est Patre; ut sit in judicio conspicuus et bonis et malis. Paulo enim post dicit : *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transiet a morte in vitam.* Hæc vita æterna est illa visio, quæ non pertinet ad malos. Deinde sequitur : *Amen, amen dico vobis, quia veniet* [1] *hora, et nunc est, cum mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Et hoc proprium est piorum qui sic audiunt de incarnatione ejus, ut credant, quia Filius Dei est; id est, sic eum propter se factum accipiunt minorem Patre in forma servi, ut credant quia æqualis est Patri in forma Dei. Et ideo sequitur, et hoc ipsum commendans dicit : *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, ita dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Deinde venit ad visionem suæ claritatis, in qua venturus est ad judicium; quæ visio communis erit et impiis et justis. Sequitur enim et dicit : *Et potestatem dedit ei et* [2] *judicium facere, quoniam Filius hominis est.* Puto nihil esse manifestius. Nam quia Filius Dei est æqualis Patri, non accipit hanc potestatem judicii faciendi, sed habet illam cum Patre in occulto : accipit autem illam, ut boni et mali eum videant judicantem, quia filius hominis est. Visio quippe filii hominis exhibebitur et malis : nam visio formæ Dei nonnisi mundis corde, quia ipsi Deum videbunt; id est, solis piis quorum dilectioni hoc ipsum promittit, quia se ipsum ostendet illis. Et ideo vide quid sequatur : *Nolite mirari hoc*, inquit. Quid nos prohibet mirari, nisi illud quod revera miratur omnis qui non intelligit, ut ideo diceret Patrem dedisse ei potestatem et judicium facere, quia filius hominis est; cum magis quasi hoc exspectaretur ut diceret, quoniam Filius Dei est? Sed quia Filium Dei secundum id quod in forma Dei æqualis est Patri videre iniqui non possunt; oportet autem ut judicem vivorum et mortuorum, cum coram judicabuntur, et justi videant ei

[1] Editio Er. et quidam Mss., *qua.*
[2] Mss., *an ex illa qua loquitur;* omisso, *de.*
[3] Paulo post ut in Vulgata, *exaltavit;* juxta græcum, *uperupsôsen.*
[4] Editi, *ex qua.* Concinnius quidam Mss., *ex quo.*

[1] Plures Mss., *venit.*
[2] Editi omittunt copulantem particulam, *et;* quæ hic in Mss. et in græco reperitur.

iniqui : *Nolite*, inquit, *hoc mirari, quoniam veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus : et prodient qui bona gesserunt, in resurrectionem vitæ ; qui autem mala gesseruut, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v, 22-29). Ad hoc ergo oportebat ut ideo acciperet illam potestatem, quia filius hominis est, ut resurgentes omnes viderent eum in forma, in qua videri ab omnibus potest, sed alii ad damnationem, alii ad vitam æternam. Quæ est autem vita æterna nisi illa visio, quæ non conceditur impiis? *Ut cognoscant te*, inquit, *unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Id.* xvii, 3). Quomodo et ipsum Jesum Christum, nisi quemadmodum unum verum Deum, qui ostendet se ipsum illis ; non quomodo se ostendet etiam puniendis in forma filii hominis?

51. Secundum illam visionem bonus est, secundum quam visionem Deus apparet mundis corde : quoniam, *Quam bonus Deus Israel rectis corde* (*Psal.* lxxii, 1)! Quando autem judicem videbunt mali, non eis videbitur bonus ; quia non ad eum gaudebunt corde, sed tunc se plangent omnes tribus terræ (*Apoc.* i, 7), in numero utique malorum omnium et infidelium. Propter hoc etiam illi qui eum dixerat magistrum bonum, quærenti ab eo consilium consequendæ vitæ æternæ, respondit : *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Matth.* xix, 17). Cum et hominem alio loco dicat bonum ipse Dominus : *Bonus homo*, inquit, *de bono thesauro cordis sui profert bona ; et malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala* (*Id.* xii, 35). Sed quia ille vitam æternam quærebat, vita autem æterna est in illa contemplatione, qua non ad pœnam videtur Deus, sed ad gaudium sempiternum ; et non intelligebat cum quo loquebatur, qui tantummodo eum filium hominis arbitrabatur : *Quid me interrogas*, inquit, *de bono?* id est, Istam formam quam vides, quid interrogas de bono, et vocas me secundum quod vides magistrum bonum? Hæc forma filii hominis est, hæc forma accepta est, hæc forma apparebit in judicio, non tantum justis, sed et impiis ; et hujus formæ visio non erit in bonum eis qui male agunt. Est autem visio formæ meæ, in qua cum essem, non rapinam arbitratus sum esse æqualis Deo, sed ut hanc acciperem me ipsum exinanivi (*Philipp.* ii, 6, 7). Ille ergo unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui non apparebit nisi ad gaudium quod non auferetur a justis ; cui gaudio futuro suspirat qui dicit, *Unam petii a Domino, hanc requiram ; ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler delectationem Domini* (*Psal.* xxvi, 4) : unus ergo Deus ipse est solus bonus, ob hoc[1], quia nemo eum videt ad luctum et planctum, sed tantum ad salutem et lætitiam veram. Secundum illam formam si me intelligis, bonus sum : si autem secundum hanc solam, quid me interrogas de bono? si inter illos es[2] qui *videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* xii, 10) ; et ipsa visio malum eis erit, quia pœnalis erit. Ex ista sententia dixisse[3] Dominum *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus*, his documentis quæ commemoravi probabile est, quia visio illa Dei qua contemplabimur incommutabilem atque humanis oculis invisibilem Dei substantiam, quæ solis sanctis promittitur, quam dicit apostolus Paulus, *facie ad faciem* (I *Cor.* xiii, 12) ; et de qua dicit apostolus Joannes, *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* iii, 2) ; et de qua dicitur, *Unam petii a Domino, ut contempler delectationem Domini* ; et de qua dicit ipse Dominus, *Et ego diligam eum, et ostendam me ipsum illi* (*Joan.* xiv, 21) ; et propter quam solam fide corda mundamus, ut simus *beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8) ; et si qua alia de ista visione dicta sunt, quæ copiosissime sparsa per omnes Scripturas invenit quisquis ad eam quærendam oculum arroris intendit : sola est summum bonum nostrum, cujus adipiscendi causa præcipimur agere quidquid recte agimus. Visio vero illa filii hominis quæ prænuntiata est, cum congregabuntur ante eum omnes gentes, et dicent ei, *Domine, quando te vidimus esurientem et sitientem?* et cætera, nec bonum erit impiis qui mittentur in ignem æternum, nec summum bonum erit justis. Adhuc enim vocat eos ad regnum, quod eis paratum est ab initio mundi. Sicut enim illis dicet, *Ite in ignem æternum* ; ita istis, *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (*Id.* xxv, 37, 41, 34). Et sicut ibunt illi in ambustionem æternam ; sic justi in vitam æternam. Quid est autem vita æterna, nisi, *ut cognoscant te*, inquit, *unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum?* Sed jam in ea claritate de qua dicit Patri, *Quam habui apud te, priusquam mundus fieret* (*Joan.* xvii, 3, 5). Tunc enim tradet regnum Deo et Patri (I *Cor.* xv, 24), ut intret servus bonus in gaudium Domini sui (*Matth.* xxv, 21, 23), et abscondat eos quos possidet Deus in abscondito vultus sui a conturbatione hominum, eorum scilicet qui tunc conturbabuntur audientes illam sententiam : a quo auditu malo justus non timebit (*Psal.* cxi, 7), si modo protegatur in tabernaculo, id est in fide recta catholicæ Ecclesiæ, a contradictione linguarum (*Psal.* xxx, 21), id est a calumniis hæreticorum. Si vero est alius intellectus verborum Domini quibus ait, *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus ;* dum tamen non ideo credatur majoris bonitatis esse Patris quam Filii substantia, secundum quam Verbum est per quod facta sunt omnia, nihilque abhorret a sana doctrina : securi utamur, non uno tantum, sed quotquot reperiri potuerint. Tanto enim fortius convincuntur hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos. Sed ea quæ adhuc consideranda sunt, ab alio jam petamus exordio.

[1] In Mss., *ad hoc*.
[2] Omnes prope Mss., *eris*.
[3] Editi, *Ex ista sententia cognoscas dixisse*. Abest, *cognoscas*, a Mss.

LIBER SECUNDUS.

Rursum defendit Augustinus æqualitatem Trinitatis, et de Filii missione ac Spiritus sancti agens, variisque Dei apparitionibus, demonstrat non ideo minorem esse mittente qui missus est, quia ille misit, hic missus est : sed Trinitatem per omnia æqualem, pariter in sua natura immutabilem et invisibilem, et ubique præsentem, in missione seu apparitione qualibet inseparabiliter operari.

PROŒMIUM. — 1. Cum homines Deum quærunt, et ad intelligentiam Trinitatis pro captu infirmitatis humanæ animum intendunt; experti difficultates laboriosas, sive in ipsa acie mentis conantis intueri inaccessibilem lucem, sive in ipsa multiplici et multimoda locutione Litterarum sacrarum, ubi mihi non videtur nisi alteri animam [1], ut Christi gratia glorificata dulcescat [2] : cum ad aliquid certum discussa omni ambiguitate pervenerint, facillime debent ignoscere errantibus in tanti pervestigatione secreti. Sed duo sunt quæ in errore hominum difficillime tolerantur; præsumptio, priusquam veritas pateat; et, cum jam patuerit, præsumptæ defensio falsitatis. A quibus duobus vitiis nimis inimicis inventioni veritatis, et tractationi divinorum sanctorumque Librorum, si me, ut precor et spero, Deus defenderit atque munierit scuto bonæ voluntatis suæ (*Psal.* v, 13) et gratia misericordiæ suæ, non ero segnis ad inquirendam substantiam Dei, sive per Scripturam ejus, sive per creaturam. Quæ utraque nobis ad hoc proponitur intuenda, ut ipse quæratur, ipse diligatur [3], qui et illam inspiravit, et istam creavit. Nec trepidus ero ad proferendam sententiam meam, in qua magis amabo inspici a rectis, quam timebo morderi a perversis. Gratanter enim suscipit oculum [4] columbinum pulcherrima et modestissima charitas; dentem autem caninum vel evitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas : magisque optabo a quolibet reprehendi, quam sive ab errante, sive ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus. Si ergo inimicus insultat, ferendus est : amicus autem si errat, docendus; si docet, audiendus. Laudator vero et errans confirmat errorem, et adulans illicit in errorem. *Emendabit* ergo *me justus in misericordia, et arguet me; oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum* (*Psal.* CXL, 5).

CAPUT PRIMUM. — 2. *Regula duplex ad intelligendas Scripturarum locutiones de Filio Dei. Locutiones triplicis generis.* Quamobrem, quanquam firmissime teneamus de Domino nostro Jesu Christo, et per Scripturas disseminatam, et a doctis catholicis earumdem Scripturarum tractatoribus demonstratam tanquam canonicam regulam, quomodo intelligatur Dei Filius et æqualis Patri secundum Dei formam in qua est, et minor Patre secundum servi formam quam accepit (*Philipp.* II, 6, 7); in qua forma non solum Patre, sed etiam Spiritu sancto, neque hoc tantum, sed etiam se ipso minor inventus est, non se ipso qui fuit, sed se ipso qui est; quia forma servi accepta, formam Dei non amisit, sicut Scripturarum, quæ in superiore libro commemoravimus, testimonia docuerunt : sunt tamen quædam in divinis eloquiis ita posita, ut ambiguum sit ad quam potius regulam referantur; utrum ad eam qua intelligimus minorem Filium in assumpta creatura, an ad eam qua intelligimus, non quidem minorem esse Filium, sed æqualem Patri, tamen ab illo hunc esse Deum de Deo, lumen de lumine. Filium quippe dicimus Deum de Deo : Patrem autem, Deum tantum; non, de Deo. Unde manifestum est quod Filius habeat alium de quo sit, et cui Filius sit; Pater autem non Filium de quo sit habeat, sed tantum cui Pater sit. Omnis enim filius de patre est quod est, et patri filius est : nullus autem pater de filio est quod est, sed filio pater est.

3. Quædam itaque ita ponuntur in Scripturis de Patre et Filio, ut indicent unitatem æqualitatemque substantiæ, sicuti est, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30); et, *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* II, 6); et quæcumque talia sunt. Quædam vero ita, ut minorem ostendant Filium propter formam servi, id est, propter assumptam creaturam mutabilis humanæque substantiæ, sicuti est quod ait, *Quoniam Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); et, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Nam paulo post consequenter ait, *Et potestatem dedit ei et judicium facere, quoniam Filius hominis est.* Quædam porro ita, ut nec minor nec æqualis tunc ostendatur, sed tantum quod de Patre sit intimetur, ut est illud, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso;* et illud, *Neque enim potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Id.* v, 22, 27, 26, 19). Quod si propterea dictum acceperimus, quia in forma accepta ex creatura minor est Filius, consequens erit ut prior Pater super aquas ambulaverit, aut alicujus alterius cæci nati de sputo et luto oculos aperuerit, et cætera quæ Filius in carne apparens inter homines fecit (*Matth.* XIV, 26, *et Joan.* IX, 6, 7), ut posset ea facere qui dixit non posse Filium a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem : quis autem vel delirus ita sentiat? Restat ergo ut hæc ideo dicta sint, quia incommutabilis est vita Filii sicut Patris, et tamen de Patre est; et inseparabilis est operatio Patris et Filii, sed tamen ita operari Filio de illo est, de quo ipse est, id est de Patre; et ita videt Filius Patrem, ut quo eum videt hoc ipso sit Filius. Non enim aliud illi est esse de Patre, id est nasci de Patre, quam videre Patrem; aut aliud videre operantem, quam pari-

[1] Aliquot Mss., *alteri Adam.*
[2] Plures codices, *dilucescat.*
[3] Michaelinus codex, *intelligatur.*
[4] Plerique Mss., *oculum.*

ter operari : sed ideo non a se, quia non est a se. Et ideo quæ *viderit Patrem facientem, hæc eadem facit et Filius similiter*, quia de Patre est. Neque enim alia similiter, sicut pictor alias tabulas pingit, quemadmodum aljas ab alio pictas videt; nec eadem dissimiliter, sicut corpus easdem litteras exprimit, quas animus cogitavit : sed *quæcumque*, inquit, *Pater facit, hæc eadem et facit Filius similiter* (*Joan.* v, 19). Et, *hæc eadem* dixit; et, *similiter :* ac per hoc inseparabilis et par est operatio Patri et Filio, sed a Patre est Filio. Ideo non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Ex hac ergo regula, qua ita loquuntur Scripturæ, ut non alium alio minorem, sed tantum velint ostendere, quis de quo sit, nonnulli eum sensum conceperunt, tanquam minor Filius diceretur. Quidam autem nostri indoctiores, et in his minime eruditi, dum hæc secundum formam servi conantur accipere, et eos rectus intellectus non sequitur, perturbantur. Quod ne accidat, tenenda est hæc regula, qua non minor est Filius, sed quod de Patre sit intimatur : quibus verbis non inæqualitas, sed nativitas ejus ostenditur.

CAPUT II. — 4. *Ex utralibet regula intelligi quasdam locutiones de Filio.* Sunt ergo quædam in sanctis Libris, ut dicere cœperam, ita posita, ut ambiguum sit quonam referenda sint : utrum ad illud quod propter assumptam creaturam minor est Filius; an ad illud, quod quamvis æqualis, tamen quia de Patre sit indicatur. Et mihi quidem videtur, si eo modo ambiguum est, ut explicari discernique non possit, ex utralibet regula sine periculo posse intelligi, sicut est quod ait, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit* (*Id.* VII, 16). Nam et ex forma servi potest accipi, sicut jam in libro superiore tractavimus (*Supra, lib.* 1, *cap.* 12) ; et ex forma Dei, in qua sic æqualis est Patri, ut tamen de Patre sit. In Dei quippe forma, sicut non est aliud Filius, aliud vita ejus, sed ipsa vita Filius est; ita non est aliud Filius, aliud doctrina ejus, sed ipsa doctrina Filius est. Ac per hoc sicut id quod dictum est, *dedit Filio vitam*, non aliud intelligitur quam, Genuit Filium qui est vita; sic etiam cum dicitur, Dedit Filio doctrinam, bene intelligitur, Genuit Filium qui est doctrina : ut quod dictum est, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit*, sic intelligatur ac si dictum sit, Ego non sum a me ipso, sed ab illo qui me misit.

CAPUT III. — 5. *De Spiritu sancto quædam ex altera tantum regula intelliguntur.* Nam et de Spiritu sancto, de quo non dictum est, *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens;* ait tamen ipse Dominus : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit ; quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Post hæc verba, nisi continuo secutus dixisset, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt : propterea dixi, Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 13-15); crederetur fortasse ita natus de Christo Spiritus sanctus, quemadmodum ille de Patre. De se quippe dixerat, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit :* de Spiritu autem sancto, *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur;* et, *Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Sed quia reddidit causam cur dixerit, *de meo accipiet ;* ait enim, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt ; propterea dixi, Quia de meo accipiet :* restat ut intelligatur etiam Spiritus sanctus de Patris [1] habere, sicut et Filius. Quomodo, nisi secundum id quod supra diximus : *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (*Joan.* XV, 26)? Procedendo itaque a Patre, dicitur non loqui a semetipso : et sicut non ex eo fit ut minor sit Filius quia dixit, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (non enim hoc ex forma servi dixit, sed ex forma Dei, sicut jam ostendimus: hæc autem verba non indicant quod minor sit, sed quod de Patre sit); ita non hinc efficitur ut minor sit Spiritus sanctus, quia dictum est de illo, *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur :* secundum hoc enim dictum est quod de Patre procedit. Cum vero et Filius de Patre sit, et Spiritus sanctus a Patre procedat, cur non ambo Filii dicantur, nec ambo geniti, sed ille unus Filius unigenitus, hic autem Spiritus sanctus nec filius nec genitus, quia si genitus utique Filius, alio loco, si Deus donaverit, et quantum donaverit, disseremus (*Infra, lib.* 15, *cap.* 25).

CAPUT IV. — 6. *Glorificatio Filii a Patre, non arguit inæqualitatem.* Verumtamen hic evigilent, si possunt, qui hoc etiam sibi suffragari putaverunt, quasi ad demonstrandum Patrem Filio majorem, quia dixit Filius, *Pater, clarifica me.* Ecce et Spiritus sanctus clarificat eum : numquidnam et ipse major est illo? Porro autem si propterea Spiritus sanctus clarificat Filium quia de Filii accipiet, et ideo de ejus accipiet quia omnia quæ habet Pater ipsius sunt; manifestum est quia cum Spiritus sanctus glorificat Filium, Pater glorificat Filium. Unde cognoscitur quod omnia quæ habet Pater non tantum Filii, sed etiam Spiritus sancti sunt, quia potens est Spiritus sanctus glorificare Filium, quem glorificat Pater. Quod si ille qui glorificat, eo quem glorificat major est; sinant ut æquales sint qui se invicem glorificant. Scriptum est autem quod et Filius glorificet Patrem : *Ego te*, inquit, *glorificavi super terram* (*Joan.* XVII, 1, 4). Sane caveant ne putetur Spiritus sanctus major ambobus, quia glorificat Filium quem glorificat Pater, ipsum autem nec a Patre nec a Filio scriptum est glorificari.

CAPUT V. — 7. *Filius et Spiritus sanctus non ideo minor quia missus. Filius etiam a se ipso missus. De missione Spiritus sancti.* Sed in his convicti, ad illud se convertunt ut dicant, Major est qui mittit, quam qui mittitur : proinde major est Pater Filio, quia Filius a Patre se missum assidue commemorat; major est et Spiritu sancto, quia de illo

[1] Editi, *de Patre.* At Mss., *de Patris.* Sic exprimere solet Augustinus, id est, *de Patris*, aut, *de ipsius :* ubi citat illud Filii : *De meo accipiet.*

dixit Jesus, *Quem mittet Pater in nomine meo* (*Joan.* XIV, 26). Et Spiritus sanctus utroque minor est : quia et Pater eum mittit, sicut commemoravimus ; et Filius, cum dicit, *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Qua in quæstione primum quæro, unde et quo[1] missus sit Filius. *Ego*, inquit, *a Patre exii, et veni in hunc mundum* (*Id.* XVI, 7, 28). Ergo a Patre exire, et venire in hunc mundum, hoc est mitti. Quid igitur est quod de illo idem ipse evangelista dicit, *In hoc mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit?* deinde conjungit, *in sua propria venit* (*Id.* I, 10, 11). Illuc utique missus est, quo venit : at si in hunc mundum missus est, quia exiit a Patre, et venit in hunc mundum, et in hoc mundo erat ; illuc ergo missus est ubi erat. Nam et illud quod scriptum est in propheta Deum dicere, *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24) ; si de Filio dictum est (ipsum enim nonnulli volunt intelligi vel Prophetis vel in Prophetis locutum), quo missus est, nisi illuc ubi erat? Ubique enim erat qui ait, *Cœlum et terram ego impleo.* Si autem de Patre dictum est, ubi esse potuit sine Verbo suo et sine Sapientia sua, quæ *pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1)? Sed neque sine Spiritu suo[2] usquam esse potuit. Itaque si ubique est Deus, ubique est etiam Spiritus ejus. Illuc ergo et Spiritus sanctus missus est ubi erat. Nam et ille qui non invenit locum quo iret[3] a facie Dei et dicit, *Si ascendero in cœlum, tu ibi es ; si descendero in infernum, ades ;* ubique volens intelligi præsentem Deum, prius nominavit Spiritum ejus. Nam sic ait : *Quo abibo ab Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam* (*Psal.* CXXXVIII, 8, 7)?

8. Quocirca si et Filius et Spiritus sanctus illuc mittitur ubi erat, quærendum est quomodo intelligatur ista missio, sive Filii, sive Spiritus sancti. Pater enim solus nusquam legitur missus. Et de Filio quidem ita scribit Apostolus : *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret* (*Galat.* IV, 4, 5). *Misit*, inquit, *Filium suum factum ex muliere.* Quo nomine quis catholicus nesciat, non eum privationem virginitatis, sed differentiam sexus hebræo loquendi more significare voluisse? Cum itaque ait, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, satis ostendit eo ipso missum Filium quo factus est ex muliere. Quod ergo de Deo natus est, in hoc mundo erat : quod autem de Maria natus est, in hunc mundum missus advenit. Proinde mitti a Patre sine Spiritu sancto non potuit : non solum quia intelligitur Pater cum eum misit, id est, fecit ex femina, non utique sine Spiritu suo fecisse ; verum etiam quod manifestissime atque apertissime in Evangelio dicitur virgini Mariæ quærenti ab angelo, *Quomodo fiet istud? Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 34, 35) : et Matthæus dicit, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto* (*Matth.* I, 18). Quanquam et apud Isaiam prophetam ipse Christus intelligitur de adventu suo futuro dicere, *Et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus* (*Isai.* XLVIII, 16).

9. Fortasse aliquis cogat ut dicamus etiam a se ipso missum esse Filium ; quia ille Mariæ conceptus et partus operatio Trinitatis est, qua creante omnia creantur. Et quomodo jam, inquit, Pater eum misit, si ipse se misit? Cui primum respondeo, quærens ut dicat, si potest, quomodo Pater eum sanctificavit, si se ipse sanctificavit? Utrumque enim idem Dominus ait : *Quem Pater*, inquit, *sanctificavit, et misit in hunc mundum, vos dicitis, Quia blasphemas ; quoniam dixi, Filius Dei sum* (*Joan.* X, 36). Alio autem loco ait : *Et pro eis sanctifico me ipsum* (*Id.* XVII, 19). Item quæro quomodo eum Pater tradidit, si se ipse tradidit? Utrumque enim dicit apostolus Paulus : *Qui Filio*, inquit, *proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32). Alibi autem de ipso Salvatore ait : *Qui me dilexit, et tradidit se ipsum pro me* (*Galat.* II, 20). Credo respondebit, si hæc probe sapit, quia una voluntas est Patris et Filii, et inseparabilis operatio. Sic ergo intelligat illam incarnationem et ex Virgine nativitatem, in qua Filius intelligitur missus, una eademque operatione Patris et Filii inseparabiliter esse factam, non utique inde separato Spiritu sancto, de quo aperte dicitur, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Nam etiam si ita quæramus, enodatius fortassis quod dicimus apparebit : Quomodo misit Deus Filium suum? Jussit ut veniret, atque ille jubenti obtemperans venit ; an rogavit, an tantummodo admonuit? Sed quodlibet horum sit, verbo utique factum est, Dei autem Verbum ipse est Dei Filius. Quapropter cum eum Pater verbo misit, a Patre et Verbo ejus factum est ut mitteretur. Ergo a Patre et Filio missus est idem Filius, quia Verbum Patris est ipse Filius. Quis enim se tam sacrilega induat opinione, ut putet temporale verbum a Patre factum esse, ut æternus Filius mitteretur et in carne appareret ex tempore? Sed utique in ipso Dei Verbo quod erat in principio apud Deum et Deus erat, in ipsa scilicet Sapientia Dei, sine tempore erat, quo tempore illam in carne apparere oporteret. Itaque cum sine ullo initio temporis in principio esset Verbum, et Verbum esset apud Deum, et Deus esset Verbum ; sine ullo tempore in ipso Verbo erat, quo tempore Verbum caro fieret, et habitaret in nobis (*Joan.* I, 1, 2, 14). Quæ plenitudo temporis cum venisset, *misit Deus Filium suum, factum ex muliere* (*Galat.* IV, 4), id est, factum in tempore, ut incarnatum Verbum hominibus appareret ; quod in ipso Verbo sine tempore erat, in quo tempore fieret. Ordo quippe temporum in æterna Dei Sapientia sine tempore est. Cum itaque hoc a Patre et Filio factum esset, ut in carne Filius appareret, congruenter dictus est missus ille qui in ea carne apparuit ; misisse autem ille qui in ea non apparuit. Quoniam illa quæ coram corporeis oculis foris geruntur, ab interiore apparatu naturæ spiritualis existunt, et propterea convenienter missa dicuntur. Forma porro illa suscepti homi-

[1] Editi, *et quomodo.* Castigantur ex Mss.
[2] Editi, *sine Spiritu sancto.* At Mss., *sine spiritu suo.*
[3] In B., *eat.* Er. Lugd. Ven. Lov., *iret.* M.

nis, Filii persona est, non etiam Patris. Quapropter Pater invisibilis una cum Filio secum invisibili, eumdem Filium visibilem faciendo misisse eum dictus est : qui si eo modo visibilis fieret, ut cum Patre invisibilis esse desisteret, id est, si substantia invisibilis Verbi in creaturam visibilem mutata et transiens verteretur, ita missus a Patre intelligeretur Filius, ut tantum missus, non etiam cum Patre mittens inveniretur. Cum vero sic accepta est forma servi, ut maneret incommutabilis forma Dei, manifestum est quod a Patre et Filio non apparentibus factum sit quod appareret in Filio, id est, ut ab invisibili Patre cum invisibili Filio, idem ipse Filius visibilis mitteretur. Cur ergo ait, *Et a me ipso non veni?* Jam hoc secundum formam servi dictum est, secundum quam dictum est, *Ego non judico quemquam* (*Joan.* VIII, 42, 15).

10. Si ergo missus dicitur in quantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura spirituali oculis mortalium semper occultus est, jam in promptu est intelligere etiam de Spiritu sancto cur missus et ipse dicatur. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus, sive cum in ipsum Dominum corporali specie velut columba descendit (*Matth.* III, 16), sive cum decem diebus peractis post ejus ascensionem, die Pentecostes factus est subito de cœlo sonus quasi ferretur flatus vehemens, et visæ sunt illis linguæ divisæ tanquam ignis, qui et insedit super unumquemque eorum (*Act.* II, 2-4). Hæc operatio visibiliter expressa, et oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est; non ut appareret ejus ipsa substantia, qua et ipse invisibilis et incommutabilis est, sicut Pater et Filius : sed ut exterioribus visis hominum corda commota, a temporali manifestatione venientis ad occultam æternitatem semper præsentis converterentur.

CAPUT VI. — 11. *Non sic assumpta creatura a Spiritu sancto, ut caro a Verbo.* Ideo autem nusquam scriptum est, quod Deus Pater major sit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor Deo Patre, quia non sic est assumpta creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicut assumptus est filius hominis, in qua forma ipsius Verbi Dei persona præsentaretur : non ut haberet Verbum Dei, sicut alii sancti sapientes, sed præ participibus suis (*Hebr.* I, 9); non utique quod amplius habebat Verbum, ut esset quam cæteri excellentiore sapientia, sed quod ipsum Verbum erat. Aliud est enim Verbum in carne, aliud Verbum caro; id est, aliud est Verbum in homine, aliud Verbum homo. Caro enim pro homine posita est in eo quod ait, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14) : sicut et illud, *Et videbit omnis caro pariter salutare Dei* (*Luc.* III, 6). Non enim sine anima vel sine mente : sed ita *omnis caro*, ac si diceretur, Omnis homo. Non ergo sic est assumpta creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicut assumpta est caro illa et humana illa forma ex virgine Maria. Neque enim columbam beatificavit Spiritus, vel illum flatum, vel illum ignem, sibique et personæ suæ in unitatem habitumque conjunxit in æternum : aut vero mutabilis et convertibilis est natura Spiritus sancti, ut non hæc ex creatura fierent, sed ipse in illud atque illud mutabiliter verteretur, sicut aqua in glaciem. Sed apparuerunt ista, sicut opportune apparere debuerunt, creatura serviente Creatori, et ad nutum ejus incommutabiliter in se ipso permanentis, ad eum significandum et demonstrandum, sicut significari et demonstrari mortalibus oportebat, mutata atque conversa. Proinde, quanquam illa columba Spiritus dicta sit (*Matth.* III, 16), et de illo igne cum diceretur, *Visæ sunt illis*, inquit, *linguæ divisæ velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum, et cœperunt linguis loqui, quemadmodum Spiritus dabat eis pronuntiare* (*Act.* II, 3, 4), ut ostenderet per illum ignem Spiritum demonstratum, sicut per columbam : non tamen ita possumus dicere Spiritum sanctum et Deum et columbam [1], aut et Deum et ignem, sicut dicimus Filium et Deum et hominem : nec sicut dicimus Filium agnum Dei, non solum Joanne Baptista dicente, *Ecce Agnus Dei* (*Joan.* I, 29); sed etiam Joanne evangelista vidente Agnum occisum in Apocalypsi (*Apoc.* V, 6). Illa quippe visio prophetica non est exhibita oculis corporeis per formas corporeas, sed in spiritu per spirituales imagines corporum. Columbam vero illam et ignem oculis viderunt, quicumque viderunt. Quanquam de igne disceptari potest, utrum oculis, an spiritu visus sit, propter verba sic posita. Non enim ait, Viderunt linguas divisas velut ignem; sed, *Visæ sunt eis.* Non autem sub eadem significatione solemus dicere, Visum est mihi, qua dicimus, Vidi. Et in illis quidem spiritualibus visis imaginum corporalium solet dici, et, Visum est mihi; et, Vidi : in istis vero quæ per expressam corporalem speciem oculis demonstrantur, non solet dici, Visum est mihi; sed, Vidi. De illo ergo igne potest esse quæstio, quomodo visus sit; utrum intus in spiritu tanquam foris, an vere foris coram oculis carnis. De illa vero columba quæ dicta est corporali specie descendisse, nullus unquam dubitavit quod oculis visa sit. Nec sicut dicimus Filium petram (scriptum est enim, *Petra autem erat Christus* [I *Cor.* X, 4]), ita possumus dicere Spiritum columbam vel ignem. Illa enim petra jam erat in creatura, et per actionis modum nuncupata est nomine Christi quem significabat; sicut lapis ille, quem Jacob positum ad caput etiam unctione, ad significandum Dominum assumpsit (*Gen.* XXVIII, 18); sicut Isaac Christus erat, cum ad se immolandum ligna portabat (*Id.* XXII, 6). Accessit istis actio quædam significativa jam existentibus : non autem, sicut illa columba et ignis, ad hæc tantummodo significanda repente exstiterunt. Magis ista similia mihi videntur flammæ illi quæ in rubo apparuit Moysi (*Exod.* III, 2), et illi columnæ quam populus in eremo sequebatur (*Id.* XIII, 21, 22), et fulguribus et tonitruis

[1] Plures Mss., *non tamen ita possumus dicere Spiritum sanctum unam personam Spiritum sanctum et Deum et columbam.*

[2] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *posuit ad caput, etiam unctionem.*

quæ fiebant cum Lex daretur in monte (*Exod.* xix, 16). Ad hoc enim illarum rerum corporalis exstitit species, ut aliquid significaret atque præteriret.

CAPUT VII. — 12. *Dubitatio de apparitionibus divinis.* Propter has ergo corporales formas, quæ ad eum significandum, et sicut humanis sensibus oportebat demonstrandum temporaliter exstiterunt, missus dicitur etiam Spiritus sanctus : non tamen minor Patre dictus est, sicut Filius propter formam servi; quia illa forma servi inhæsit ad unitatem personæ, illæ vero species corporales ad demonstrandum quod opus fuit ad tempus apparuerunt, et esse postea destiterunt. Cur ergo non et Pater dicitur missus per illas species corporales, ignem rubi, et columnam nubis vel ignis, et fulgura in monte, et si qua talia tunc apparuerunt, cum eum coram locutum Patribus, teste Scriptura didicimus, si per illos creaturæ modos et formas corporaliter expressas et humanis aspectibus præsentatas ipse demonstrabatur? Si autem Filius per ea demonstrabatur, cur tanto post dicitur missus, cum ex femina factus est, sicut Apostolus dicit, *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere* (*Galat.* iv, 4) : quandoquidem et antea mittebatur, cum per illas creaturæ mutabiles formas Patribus apparebat? Aut si non recte posset dici missus, nisi cum Verbum caro factum est; cur missus dicitur Spiritus sanctus, cujus nulla talis incorporatio facta est? Si vero per illa visibilia quæ in Lege et Prophetis commendantur, nec Pater, nec Filius, sed Spiritus sanctus [1] ostendebatur; cur etiam ipse nunc dicitur missus, cum illis modis et antea mitteretur?

13. In hujus perplexitate quæstionis, adjuvante Domino primum quærendum est, utrum Pater, an Filius, an Spiritus sanctus; an aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus sanctus; an sine ulla distinctione personarum, sicut dicitur Deus unus et solus, id est, ipsa Trinitas per illas creaturæ formas Patribus apparuerit. Deinde, quodlibet horum inventum visumve fuerit, utrum ad hoc opus tantummodo creatura formata sit, in qua Deus, sicut tunc oportuisse judicavit, humanis ostenderetur aspectibus : an Angeli, qui jam erant, ita mittebantur, ut ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea, in usum ministerii sui, sicut cuique opus esset; aut ipsum corpus suum cui non subduntur, sed subditum regunt, in species quas vellent accommodatas atque aptas actionibus suis mutantes atque vertentes secundum attributam sibi a Creatore potentiam. Postremo videbimus id quod quærere instituimus, utrum Filius et Spiritus sanctus et antea mittebantur; et, si mittebantur, quid inter illam missionem, et eam quam in Evangelio legimus, distet : an missus non sit aliquis eorum, nisi cum vel Filius factus esset ex Maria virgine, vel cum Spiritus sanctus visibili specie sive in columba, sive in igneis linguis apparuit (*a*).

[1] Sola fere editio Lov., *nec Spiritus sanctus.*

(*a*) Vide infra, lib. 3, cap. 1, n. 4.

CAPUT VIII. — 14. *Tota Trinitas invisibilis.* Omittamus igitur eos qui nimis carnaliter naturam Verbi Dei atque Sapientiam, quæ in se ipsa manens innovat omnia, quem unicum Dei Filium dicimus, non solum mutabilem, verum etiam visibilem esse putaverunt. Ii enim multum crassum cor divinis rebus inquirendis audacius quam religiosius attulerunt. Anima quippe cum sit substantia spiritualis, cumque etiam ipsa facta sit, nec per alium fieri potuerit, nisi per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil (*Joan.* i, 3) quamvis sit mutabilis, non est tamen visibilis : quod illi de Verbo ipso atque ipsa Dei Sapientia, per quam facta est anima, crediderunt; cum sit illa non invisibilis tantum, quod et anima est; sed etiam incommutabilis, quod anima non est. Eadem quippe incommutabilitas ejus commemorata est ut diceretur, *In se ipsa manens innovat omnia* (*Sap.* vii, 27). Et isti quidem ruinam erroris sui divinarum Scripturarum testimoniis quasi fulcire conantes, adhibent Pauli apostoli sententiam; et quod dictum est de uno solo Deo, in quo ipsa Trinitas intelligitur, tantum de Patre, non et de Filio et de Spiritu sancto dictum accipiunt, *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum* (*1 Tim.* i, 17); et illud alterum, *Beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium; qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem; quem nemo hominum vidit, nec videre potest* (*Id.* vi, 15, 16). Hæc quemadmodum intelligenda sint, jam satis nos disseruisse arbitror.

CAPUT IX. — 15. *Contra eos qui credebant solum Patrem immortalem et invisibilem. Pacifico studio quærenda veritas.* Verum illi qui ista non de Filio nec de Spiritu sancto, sed tantum de Patre accipi volunt, dicunt visibilem Filium, non per carnem de Virgine assumptam, sed etiam antea per se ipsum. Nam ipse, inquiunt, apparuit oculis Patrum. Quibus si dixeris, Quomodo ergo visibilis per se ipsum Filius, ita et mortalis per se ipsum, ut constet vobis quod tantummodo de Patre vultis intelligi, quod dictum est, *Qui solus habet immortalitatem* : nam si propter carnem susceptam mortalis est Filius, propter hanc sinite ut sit et visibilis : respondent, nec propter hanc se mortalem Filium dicere; sed sicut et ante visibilem, ita et ante mortalem. Nam si propter carnem Filium dicunt esse mortalem, jam non Pater sine Filio solus habet immortalitatem; quia et Verbum ejus, per quod facta sunt omnia, habet immortalitatem. Neque enim quia carnem assumpsit mortalem, ideo amisit immortalitatem suam : quandoquidem nec animæ humanæ hoc accidere potuit, ut cum corpore moreretur, dicente ipso Domino, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x, 28) : aut vero etiam Spiritus sanctus carnem assumpsit, de quo utique sine dubio turbabuntur, si propter carnem mortalis est Filius, quomodo accipiant Patrem tantummodo sine Filio et sine Spiritu sancto habere immortalitatem; quandoquidem Spiritus sanctus non assumpsit carnem : qui si non

habet immortalitatem, non ergo propter carnem mortalis est Filius : si autem habet Spiritus sanctus immortalitatem, non de Patre tantummodo dictum est, *Qui solus habet immortalitatem*. Quocirca ita se arbitrantur et ante incarnationem per se ipsum mortalem Filium posse convincere, quia ipsa mutabilitas non inconvenienter mortalitas dicitur, secundum quam et anima dicitur mori : non quia in corpus vel in aliquam alteram substantiam mutatur et vertitur : sed in ipsa sua substantia quidquid alio modo nunc est ac fuit, secundum id quod destitit esse quod erat, mortale deprehenditur. Quia itaque, inquiunt, antequam natus esset Filius Dei de virgine Maria, ipse apparuit patribus nostris, non in una eademque specie, sed multiformiter, aliter atque aliter, et visibilis est per se ipsum, quia nondum carne assumpta, substantia ejus conspicua mortalibus oculis fuit; et mortalis, in quantum mutabilis : ita et Spiritus sanctus, qui alias columba, alias ignis apparuit. Unde non Trinitati, aiunt, sed singulariter et proprie Patri tantummodo convenit quod dictum est, *Immortali, invisibili, soli Deo*; et, *Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem ; quem nemo hominum vidit, nec videre potest.*

16. Omissis ergo istis, qui nec animæ substantiam invisibilem nosse potuerunt, unde longe remotum ab eis erat ut nossent unius et solius Dei, id est, Patris et Filii et Spiritus sancti, non solum invisibilem, verum et incommutabilem permanere substantiam, ac per hoc in vera et sincera immortalitate consistere : nos qui nunquam apparuisse corporeis oculis Deum nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum dicimus, nisi per subjectam suæ potestati corpoream creaturam, in pace catholica pacifico studio requiramus, parati corrigi, si fraterne ac recte reprehendimur; parati etiamsi ab inimico, vera tamen dicente, mordemur; utrum indiscrete Deus apparuerit patribus nostris antequam Christus veniret in carne, an aliqua ex Trinitate persona, an singillatim quasi per vices.

CAPUT X. — 17. *An indiscrete Deus Trinitas Patribus apparuerit, an aliqua ex Trinitate persona. Apparitio Dei Adamo. De eadem apparitione. Visio Abrahæ.* Ac primum, in eo quod in Genesi scriptum est, locutum Deum cum homine quem de limo finxerat, si exceptа figurata significatione, ut rei gestæ fides etiam ad litteram teneatur, ista tractamus, in specie hominis videtur Deus cum homine tunc locutus. Non quidem expresse hoc in libro positum est, sed circumstantia lectionis [1] id resonat, maxime illo quod scriptum est, vocem Dei audivisse Adam deambulantis in paradiso ad vesperam, et abscondisse se in medio ligni quod erat in paradiso, Deoque dicenti, *Adam, ubi es?* respondisse, *Audivi vocem tuam, et abscondi me a facie tua, quoniam nudus sum* (*Gen.* III, 8-10). Quomodo enim possit ad litteram intelligi talis Dei deambulatio et collocutio, nisi in specie humana, non video. Neque enim dici potest vocem solam factam ubi deambulasse dictus est Deus, aut eum qui deambulabat in loco non fuisse visibilem, cum et Adam dicat quod se absconderit a facie Dei. Quis erat ergo ille? utrum Pater, an Filius, an Spiritus sanctus? An omnino Deus indiscrete ipsa Trinitas, in forma hominis homini loquebatur? Contextio quidem ipsa Scripturæ nusquam transire sentitur a persona ad personam : sed ille videtur loqui ad primum hominem qui dicebat, *Fiat lux*, et, *Fiat firmamentum* (*Gen.* I, 3, 6), et cætera per illos singulos dies; quem Deum Patrem solemus accipere, dicentem ut fiat quidquid facere voluit. Omnia enim per Verbum suum fecit, quod Verbum ejus unicum Filium ejus secundum rectam fidei regulam novimus. Si ergo Deus Pater locutus est ad primum hominem, et ipse deambulabat in paradiso ad vesperam, et ab ejus facie se in medio ligni paradisi peccator absconderat : cur jam non ipse intelligatur apparuisse Abrahæ et Moysi, et quibus voluit, et quemadmodum voluit, per subjectam sibi commutabilem atque visibilem creaturam, cum ipse in ipso atque in substantia sua qua est incommutabilis atque invisibilis maneat? Sed fieri potuit ut a persona ad personam occulte Scriptura transiret, et cum Patrem dixisse narrasset, *Fiat lux*, et cætera quæ per Verbum fecisse commemoratur, jam Filium indicaret [2] loqui ad primum hominem, non aperte hoc explicans, sed eis qui possent intelligendum intimans.

18. Qui ergo habet vires, quibus hoc secretum possit mentis acie penetrare, ut ei liquido appareat vel posse etiam Patrem, vel non posse nisi Filium, et Spiritum sanctum, per creaturam visibilem humanis oculis apparere, pergat in hæc scrutanda, si potest, etiam verbis enuntianda atque tractanda : res tamen, quantum ad hoc Scripturæ testimonium attinet, ubi Deus cum homine locutus est, quantum existimo occulta est : quia etiam utrum soleret Adam corporeis oculis Deum videre, non evidenter apparet; cum præsertim magna sit quæstio, cujusmodi oculi eis aperti fuerint, quando vetitum cibum gustaverunt (*Id.* III, 7) : hi enim, antequam gustassent, clausi erant. Illud tamen [3] non temere dixerim, si paradisum corporalem quemdam locum illa Scriptura insinuat, deambulare ibi Deum nisi in aliqua corporea forma nullo modo potuisse. Nam et solas voces factas quas audiret homo, nec aliquam formam videret, dici potest : nec quia scriptum est, *Abscondit se Adam a facie Dei*; continuo sequitur ut soleret faciem ejus videre. Quid si enim non quidem videre ipse poterat, sed videri ipse metuebat ab eo cujus vocem audierat, et deambulantis præsentiam senserat? Nam et Cain dixit Deo, *A facie tua abscondam me* (*Id.* IV, 14) : nec ideo fateri cogimur, eum solere cernere faciem Dei corporeis oculis, in qualibet forma visibili, quamvis de facinore suo vocem interrogantis secumque loquentis audisset. Cujusmodi autem loquela tunc Deus exterioribus hominum auribus insonaret, maxime ad primum hominem loquens, et invenire difficile est,

[1] Editi, *locutionis*. At Mss., *lectionis*.

[2] Sic plerique Mss. At editi, *per Filium indicat*.

[3] Plures Mss., *illud tantum*.

et non hoc isto sermone suscepimus. Verumtamen si solæ voces et sonitus fiebant, quibus quædam sensibilis præsentia Dei primis illis hominibus præberetur, cur ibi personam Dei Patris non intelligam nescio : quandoquidem persona ejus ostenditur et in ea voce, cum Jesus in monte coram tribus discipulis præfulgens apparuit (*Matth.* XVII, 5) ; et in illa, quando super baptizatum columba descendit (*Id.* III, 17) ; et in illa ubi ad Patrem de sua clarificatione clamavit, eique responsum est, *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Joan.* XII, 28). Non quia fieri potuit vox sine opere Filii et Spiritus sancti (Trinitas quippe inseparabiliter operatur) ; sed quia ea vox facta est, quæ solius personam Patris ostenderet : sicut humanam illam formam ex virgine Maria Trinitas operata est, sed solius Filii persona est; visibilem namque Filii solius personam, invisibilis Trinitas operata est. Nec nos aliquid prohibet, illas voces factas ad Adam, non solum a Trinitate factas intelligere, sed etiam personam demonstrantes ejusdem Trinitatis accipere. Ibi enim cogimur, nonnisi Patris accipere, ubi dictum est, *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III, 17). Neque enim Jesus etiam Spiritus sancti filius, aut etiam suus filius credi aut intelligi potest. Et ubi sonuit, *Et clarificavi, et iterum clarificabo*, nonnisi Patris personam fatemur. Responsio quippe est ad illam Domini vocem qua dixerat, *Pater, clarifica Filium tuum* : quod non potuit dicere nisi Deo Patri tantum, non et Spiritui sancto, cujus non erat filius. Hic autem ubi scriptum est, *Et dixit Dominus Deus ad Adam*, cur non ipsa Trinitas intelligatur, nihil dici potest.

19. Similiter etiam quod scriptum est, *Et dixit Dominus ad Abraham : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui*, non est apertum, utrum sola vox facta sit ad aures Abrahæ, an et aliquid oculis ejus apparuerit. Paulo post autem aliquanto apertius dictum est, *Et visus est Dominus Abrahæ, et dixit illi : Semini tuo dabo terram hanc* (*Gen.* XII, 1, 7). Sed nec ibi expressum est, in qua specie visus sit ei Dominus; aut utrum Pater, an Filius, an Spiritus sanctus ei visus sit. Nisi forte ideo putant Filium visum esse Abrahæ, quia non scriptum est, Visus est ei Deus; sed, *Visus est ei Dominus*. Tanquam enim proprie videtur Filius Dominus vocari, dicente Apostolo, *Nam et si sunt qui dicuntur dii sive in cœlo sive in terra, sicuti sunt dii multi et domini multi : nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 5, 6). Sed cum et Deus Pater multis locis inveniatur dictus Dominus, sicuti est illud, *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7) ; et illud, *Dixit Dominus Domino meo : Sede ad dexteram meam* (*Psal.* CIX, 1) : cum etiam Spiritus sanctus Dominus dictus inveniatur, ubi Apostolus ait, *Dominus autem Spiritus est;* et ne quisquam arbitraretur Filium significatum, et ideo dictum spiritum propter incorpoream substantiam, secutus contexuit, *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III, 17) ; Spiritum autem Domini Spiritum sanctum esse nemo dubitaverit : neque hic ergo evidenter apparet, utrum aliqua ex Trinitate persona, an Deus ipse Trinitas, de qua uno Deo dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13), visus fuerit Abrahæ. Sub ilice autem Mambre tres viros vidit, quibus et invitatis hospitioque susceptis et epulantibus ministravit. Sic tamen Scriptura illam rem gestam narrare cœpit, ut non dicat, Visi sunt ei tres viri ; sed, *Visus est ei Dominus*. Atque inde consequenter exponens quomodo ei visus sit Dominus, attexit narrationem de tribus viris, quos Abraham per pluralem numerum invitat, ut hospitio suscipiat ; et postea singulariter sicut unum alloquitur ; et sicut unus ei de Sara filium pollicetur, quem Dominum dicit Scriptura, sicut in ejusdem narrationis exordio, *Visus est*, inquit, *Dominus Abrahæ*. Invitat ergo, et pedes lavat, et deducit abeuntes tanquam homines : loquitur autem tanquam cum Domino Deo, sive cum ei promittitur filius, sive cum ei Sodomis imminens interitus indicatur (*Gen.* XVIII).

CAPUT XI. — 20. *De eadem visione.* Non parvam neque transitoriam considerationem postulat iste Scripturæ locus. Si enim vir unus visus fuisset, jam illi qui dicunt et priusquam de Virgine nasceretur per suam substantiam visibilem Filium, quid aliud quam ipsum esse clamarent? Quoniam de Patre, inquiunt, dictum est, *Invisibili soli Deo* (1 *Tim.* I, 17). Et tamen possem adhuc quærere, quomodo ante susceptam carnem, *habitu est inventus ut homo :* quandoquidem ei pedes loti sunt, et humanis epulis epulatus est? Quomodo istud fieri poterat, cum adhuc *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse æqualis Deo?* Numquid enim jam *semetipsum exinanierat, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philipp.* II, 6, 7)? cum hoc quando fecerit per partum Virginis noverimus. Quomodo igitur antequam hoc fecisset, ut vir unus apparuit Abrahæ? An illa forma vera non erat? Possem ista quærere, si vir unus apparuisset Abrahæ, idemque Dei Filius crederetur. Cum vero tres viri visi sunt, nec quisquam in eis vel forma, vel ætate, vel potestate major cæteris dictus est; cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus personis unam eamdemque substantiam?

21. Nam ne quisquam putaret sic intimatum unum in tribus fuisse majorem, et eum Dominum Dei Filium intelligendum, duos autem alios angelos ejus [1], quia cum tres visi sint, uni Domino illic loquitur Abraham ; sancta Scriptura futuris talibus cogitationibus atque opinionibus contradicendo non prætermisit occurrere, quando paulo post duos angelos dicit venisse ad Loth, in quibus et ille vir justus qui de Sodomorum incendio meruit liberari, ad unum Dominum loquitur. Sic enim sequitur Scriptura dicens : *Abiit autem Dominus postquam cessavit loquens ad*

[1] Plerique Mss., *duos autem illos angelos ejus.*

Abraham, et Abraham reversus est ad locum suum.

CAPUT XII.—*Visio Loth excutitur.—Venerunt autem duo angeli in Sodomis vespere.* Hic attentius considerandum est, quod ostendere instituí. Cum tribus certe loquebatur Abraham, et eum Dominum singulariter appellavit. Forte inquit aliquis [1] : Unum ex tribus agnoscebat Dominum ; alios autem duos, angelos ejus. Quid sibi ergo vult, quod consequenter dicit Scriptura, *Abiit autem Dominus postquam cessavit loquens ad Abraham, et Abraham reversus est ad locum suum : venerunt autem duo angeli in Sodomis vespere?* An forte ille unus abscesserat, qui Dominus agnoscebatur in tribus, et duos angelos qui cum illo erant ad consumenda miserat Sodoma? Ergo sequentia videamus. *Venerunt*, inquit, *duo angeli in Sodomis vespere. Loth autem sedebat ad portam Sodomorum. Et cum vidisset eos Loth, surrexit in obviam illis, et adoravit in faciem super terram, et dixit : Ecce, domini, divertite in domum pueri vestri.* Hic manifestum est, et duos angelos fuisse, et in hospitium pluraliter invitatos, et honorifice appellatos dominos, cum fortasse homines putarentur.

22. Sed rursum movet, quia nisi angeli Dei cognoscerentur, non adoraret Loth in faciem super terram. Cur ergo tanquam tali humanitate indigentibus, et hospitium præbetur et victus? Sed quodlibet hic lateat, illud nunc quod suscepimus exsequamur. Duo apparent, angeli ambo dicuntur [2], pluraliter invitantur, tanquam cum duobus pluraliter loquitur, donec exeatur a Sodomis. Deinde sequitur Scriptura et dicit : *Et factum est postquam eduxerunt eos foras, dixerunt : Salvans salva animam tuam ; ne respexeris retro, neque stes in hac universa regione : in montem vade, et ibi salvaberis, ne forte comprehendaris. Dixit autem Loth ad eos ; Rogo, domine, quoniam invenit puer tuus ante te misericordiam* (*Gen.* XIX, 1-19), etc. Quid est hoc quod dixit ad eos, *Rogo, domine*, si jam ille discesserat qui Dominus erat, et angelos miserat? cur dicitur, *Rogo, domine ;* et non, Rogo, domini? Aut si unum ex eis voluit appellare, cur ait Scriptura, *Dixit autem Loth ad eos : Rogo, domine, quoniam invenit puer tuus ante te misericordiam?* An et hic intelligimus in plurali numero duas personas? cum autem iidem duo tanquam unus compellantur, unius substantiæ unum Dominum Deum? Sed quas duas personas hic intelligimus? Patris et Filii, an Patris et Spiritus sancti, an Filii et Spiritus sancti? Hoc forte congruentius quod ultimum dixi. Missos enim se dixerunt, quod de Filio et de Spiritu sancto dicimus. Nam Patrem missum nusquam Scripturarum nobis occurrit.

CAPUT XIII. — 23. *Visio in rubo.* Moyses autem quando ad populum Israel ex Ægypto educendum missus est, sic ei Dominum apparuisse scriptum est : *Pascebat*, inquit, *oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian, et egit oves in desertum, et venit in montem Dei Horeb. Apparuit autem illi angelus Domini in flamma ignis de rubo. Et vidit quia in rubo arderet ignis, rubus vero non comburebatur. Et ait Moyses : Ibo, et videbo visum istud, quod tam magnum vidi, quoniam non comburitur rubus. Cum ergo vidit Dominus quia venit videre, clamavit eum* [1] *Dominus de rubo dicens : Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* (*Exod.* III, 1-6). Et hic primo angelus Domini dictus est, deinde Deus. Numquid ergo angelus est Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Potest ergo recte intelligi ipse Salvator, de quo dicit Apostolus : *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Qui ergo super omnia est Deus benedictus in sæcula, non absurde etiam hic ipse intelligitur Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Sed cur prius angelus Domini dictus est, cum de rubo in flamma ignis apparuit? utrum quia unus ex multis Angelis erat, sed per dispensationem personam Domini sui gerebat ; an assumptum erat aliquid creaturæ, quod ad præsens negotium visibiliter appareret, et unde voces sensibiliter ederentur, quibus præsentia Domini per subjectam creaturam corporeis etiam sensibus hominis, sicut oportebat, exhiberetur? Si enim unus ex Angelis erat, quis facile affirmare possit utrum ei Filii persona nuntianda imposita fuerit, an Spiritus sancti, an Dei Patris, an ipsius omnino Trinitatis, qui est unus et solus Deus, ut diceret, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob?* Neque enim possumus dicere Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob, Filium Dei esse, et Patrem non esse ; aut Spiritum sanctum, aut ipsam Trinitatem, quam credimus et intelligimus unum Deum, audebit aliquis negare Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. Ille enim non est illorum patrum Deus, qui non est Deus. Porro si non solum Pater Deus est, sicut omnes etiam hæretici concedunt ; sed etiam Filius, quod, velint nolint, coguntur fateri, dicente Apostolo, *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula ;* et Spiritus sanctus, dicente ipso Apostolo, *Clarificate ergo Deum in corpore vestro ;* cum supra diceret, *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (*I Cor.* VI, 20, 19)? et hi tres unus Deus, sicut catholica sanitas credit : non satis elucet quam in Trinitate personam, et utrum aliquam, an ipsius Trinitatis gerebat ille angelus, si unus ex cæteris Angelis erat. Si autem in usum rei præsentis assumpta creatura est, quæ et humanis oculis appareret, et auribus insonaret, et appellaretur angelus Domini, et Dominus, et Deus ; non potest hic Deus intelligi Pater, sed aut Filius, aut Spiritus sanctus. Quanquam Spiritum sanctum alicubi angelum dictum non recolam, sed ex opere possit intelligi : dictum enim de illo est, *Quæ ventura sunt annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 13) ; et utique Angelus græce, latine Nuntius interpretatur : de Domino autem Jesu Christo evidentissime legimus apud prophetam, quod *magni consilii Angelus* dictus sit (*Isai.* IX, 6) : cum et Spiri-

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *Forte: inquiet aliquis.* M.

[2] Unus e Vaticanis Mss., *Duo apparent angeli, ambo dicuntur domini.*

[1] Editi, *clamavit ad eum.* Particula, *ad*, abest a Mss. et a græco LXX.

tus sanctus, et Dei Filius, sit Deus et Dominus angelorum.

CAPUT XIV. — 24. *De visione in columna nubis et ignis.* Item in exitu filiorum Israel de Ægypto scriptum est : *Deus autem præibat illos, die quidem in columna nubis, et ostendebat illis viam ; nocte autem in columna ignis : et non deficiebat columna nubis die, et columna ignis nocte ante populum* (*Exod.* XIII, 21, 22). Quis et hic dubitet per subjectam creaturam eamdemque corpoream, non per suam substantiam, Deum oculis apparuisse mortalium ? sed utrum Patrem, an Filium, an Spiritum sanctum, an ipsam Trinitatem unum Deum, similiter non apparet. Nec ibi hoc distinguitur, quantum existimo, ubi scriptum est : *Et majestas Domini apparuit in nube, et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Exaudivi murmur filiorum Israel* (*Id.* XVI, 10-12), etc.

CAPUT XV. — 25. *De visione in Sina. An Trinitas, an aliqua proprie persona in ea visione loquebatur.* Jam vero de nubibus, et vocibus, et fulguribus, et tuba, et fumo in monte Sina, cum diceretur : *Sina autem mons fumabat totus, propterea quod descendisset Deus in eum in igne, et ascendebat fumus tanquam fumus fornacis : et mente confusus est omnis populus vehementer ; flebant autem voces tubæ prodeuntes fortiter valde : Moyses loquebatur, et Deus respondebat ei voce* (*Id.* XIX, 18, 19). Et paulo post data Lege in decem præceptis, consequenter dicitur : *Et omnis populus videbat voces, et lampadas, et voces tubæ, et montem fumantem.* Et paulo post : *Et stabat*, inquit, *omnis populus a longe ; Moyses autem intravit in nebulam ubi erat Deus, et dixit Dominus ad Moysen* (*Id.* XX, 18, 21), etc. Quid hinc dicam ; nisi quod nemo tam vecors est, qui credat fumum, ignem, nubes, et nebulam, et si qua hujusmodi, Verbi et Sapientiæ Dei quod est Christus, vel Spiritus sancti esse substantiam ? Nam de Patre Deo, nec Ariani hoc unquam ausi sunt dicere. Ergo creatura serviente Creatori facta sunt illa omnia, et humanis sensibus pro dispensatione congrua præsentata : nisi forte, quia dictum est, *Moyses autem intravit in nebulam ubi erat Deus*, hoc arbitrabitur carnalis cogitatio, a populo quidem nebulam visam, intra nebulam vero Moysen oculis carneis vidisse Filium Dei, quem delirantes hæretici in sua substantia visum[1] volunt. Sane viderit eum Moyses oculis carneis, si oculis carneis potest videri, non modo Sapientia Dei quod est Christus, sed vel ipsa cujuslibet hominis et qualiscumque sapientis : aut quia scriptum est de senioribus Israel, quia *viderunt locum ubi steterat Deus Israel*, et quia *sub pedibus ejus tanquam opus lapidis sapphiri, et tanquam aspectus firmamenti cœli* (*Id.* XXIV, 10), propterea credendum est Verbum et Sapientiam Dei per suam substantiam in spatio loci terreni stetisse, quæ pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1) ; et ita esse mutabile Verbum Dei, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 3), ut modo se contrahat, modo distendat (mundet Dominus a talibus cogitationibus corda fidelium suorum) : sed per subjectam, ut sæpe diximus, creaturam exhibentur hæc omnia visibilia et sensibilia, ad significandum invisibilem atque intelligibilem Deum, non solum Patrem, sed et Filium et Spiritum sanctum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (*Rom.* XI, 36) ; quamvis invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas (*Id.* I, 20).

26. Sed quod attinet ad id quod nunc suscepimus, nec in monte Sina video quemadmodum appareat per illa omnia quæ mortalium sensibus terribiliter ostendebantur, utrum Deus Trinitas, an Pater, an Filius, an Spiritus sanctus proprie loquebatur. Verumtamen si quid hinc sine affirmandi temeritate modeste atque cunctanter conjectare conceditur, si una ex Trinitate persona potest intelligi, cur non Spiritum sanctum potius intelligimus, quando et tabulis lapideis Lex ipsa quæ ibi data est, digito Dei scripta dicitur (*Exod.* XXXI, 18), quo nomine Spiritum sanctum in Evangelio, significari novimus (*Luc.* XI, 20). Et quinquaginta dies numerantur ab occisione agni et celebratione Paschæ, usque ad diem quo hæc fieri cœpta sunt in monte Sina ; sicut post Domini passionem ab ejus resurrectione quinquaginta dies numerantur, et venit promissus a Filio Dei Spiritus sanctus. Et in ipso ejus adventu, quem in Apostolorum Actibus legimus, per divisionem linguarum ignis apparuit, qui et insedit super unumquemque eorum (*Act.* II, 1-4) : quod Exodo congruit, ubi scriptum est, *Sina autem mons fumabat totus, propterea quod descendit in eum Deus in igne ;* et aliquanto post, *Aspectus*, inquit, *majestatis Domini tanquam ignis ardens super verticem montis coram filiis Israel.* Aut si hæc ideo facta sunt, quia nec Pater, nec Filius illic eo modo præsentari poterant sine Spiritu sancto, quo ipsam Legem scribi oportebat : Deum quidem, non per substantiam suam quæ invisibilis et incommutabilis manet, sed per illam speciem creaturæ illic apparuisse cognoscimus ; sed aliquam ex Trinitate personam signo quodam proprio, quantum ad mei sensus capacitatem pertinet, non videmus.

CAPUT XVI. — 27. *Moyses quomodo viderit Deum.* Est etiam quo moveri plerique solent, quia scriptum est, *Et locutus est Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum :* cum paulo post dicat idem Moyses, *Si ergo inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te ; ut sim inveniens gratiam ante te, et ut sciam quia populus tuus est gens hæc :* et paulo post iterum dixit Moyses ad Dominum, *Ostende mihi majestatem tuam.* Quid est hoc, quod in omnibus quæ supra fiebant, Deus videri per suam substantiam putabatur, unde a miseris creditus est, non per creaturam, sed per seipsum visibilis Filius Dei ; et quod intraverat in nebulam Moyses, ad hoc intrasse videbatur, ut oculis quidem populi ostenderetur caligo nebulosa, ille autem intus verba Dei tanquam ejus faciem contemplatus audiret et quomodo dictum est, *Locutus est Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut*

[1] Unus e Vaticanis Mss., *visibilem.*

quis loquitur ad amicum suum : et ecce idem dicit, *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifeste?* Noverat utique quod corporaliter videbat, et veram visionem Dei spiritualiter requirebat. Locutio quippe illa quæ fiebat in vocibus, sic modificabatur, tanquam esset amici loquentis ad amicum. Sed Deum Patrem quis corporeis oculis videt? Et quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 1, 3), quis corporeis oculis videt? Et Spiritum sapientiæ quis corporeis oculis videt? Quid est autem, *Ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te;* nisi, ostende mihi substantiam tuam? Hoc autem si non dixisset Moyses, utcumque ferendi essent stulti, qui putant per ea quæ supra dicta vel gesta sunt, substantiam Dei oculis ejus fuisse conspicuam : cum vero hic apertissime demonstretur, nec desideranti hoc fuisse concessum; quis audeat dicere per similes formas, quæ huic quoque visibiliter apparuerant, non creaturam Deo servientem, sed hoc ipsum quod Deus est cujusquam oculis apparuisse mortalium?

28. Et id quidem quod postea Dominus dicit ad Moysen, *non poteris videre faciem meam, et vivere : non enim videbit homo faciem meam et vivet. Et ait Dominus : Ecce locus penes me est, et stabis super petram, statim ut transiet mea majestas, et ponam te in specula*[1] *petræ; et tegam manu mea super te, donec transeam, et auferam manum meam, et tunc videbis posteriora mea; nam facies mea non apparebit tibi* (*Exod.* XXXIII, 11 23).

CAPUT XVII. — *Posteriora Dei quomodo visa. Resurrectionis Christi fides. Catholica Ecclesia sola est locus unde videntur posteriora Dei. Posteriora Dei ab Israelitis visa. Deum Patrem solum nunquam Patribus visum existimare temeraria opinio est.* Non incongruenter ex persona Domini nostri Jesu Christi præfiguratum solet intelligi, ut posteriora ejus accipiantur caro ejus, in qua de Virgine natus est, et mortuus, et resurrexit; sive propter posterioritatem[2] mortalitatis posteriora dicta sint, sive quod eam prope in fine sæculi, hoc est, posterius suscipere dignatus est : facies autem ejus illa Dei forma, in qua non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo Patri (*Philipp.* II, 6), quam nemo utique potest videre et vivere; sive quia post hanc vitam, in qua peregrinamur a Domino (II *Cor.* V, 6), et ubi corpus quod corrumpitur aggravat animam (*Sap.* IX, 15), videbimus *facie ad faciem*, sicut dicit Apostolus (I *Cor.* XIII, 12) (de hac enim vita in Psalmis dicitur, *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens* [*Psal.* XXXVIII, 6]; et iterum, *Quoniam non justificabitur coram te omnis vivens* [*Psal.* CXLII, 2]. In qua vita etiam, secundum Joannem, *nondum apparuit quid erimus. Scimus autem*, inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est* [I *Joan.* III, 2]: quod utique post hanc vitam intelligi voluit, cum mortis debitum solverimus, et resurrectionis promissum receperimus); sive quod etiam nunc in quantum Dei Sapientiam per quam facta sunt omnia, spiritualiter intelligimus, in tantum carnalibus affectibus morimur, ut mortuum nobis hunc mundum deputantes, nos quoque ipsi huic mundo moriamur, et dicamus quod ait Apostolus, *Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14). De hac enim morte item dixit, *Si autem mortui estis cum Christo, quid adhuc velut viventes de hoc mundo decernitis* (*Coloss.* II, 20)? Non ergo immerito nemo poterit faciem, id est, ipsam manifestationem Sapientiæ Dei videre et vivere. Ipsa est enim species, cui contemplandæ suspirat omnis qui affectat Deum diligere ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente : ad quam contemplandam etiam proximum quantum potest ædificat, qui diligit et proximum sicut se ipsum : in quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40). Quod significatur etiam in ipso Moyse. Nam cum dixisset, propter dilectionem Dei qua præcipue flagrabat, *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, ut sim inveniens gratiam ante te;* continuo propter dilectionem etiam proximi subjecit atque ait, *Et ut sciam quia populus tuus est gens hæc.* Illa est ergo species quæ rapit omnem animam rationalem desiderio sui, tanto ardentiorem quanto mundiorem, et tanto mundiorem quanto ad spiritualia resurgentem : tanto autem ad spiritualia resurgentem, quanto a carnalibus morientem. Sed dum peregrinamur a Domino, et per fidem ambulamus, non per speciem (II *Cor.* V, 6, 7), posteriora Christi, hoc est carnem, per ipsam fidem videre debemus, id est in solido fidei fundamento stantes, quod significat petra; et eam de tali tutissima specula intuentes, in catholica scilicet Ecclesia, de qua dictum est, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Tanto enim certius diligimus, quam videre desideramus faciem Christi, quanto in posterioribus ejus agnoscimus quantum nos prior dilexerit Christus.

29. Sed in ipsa carne fides resurrectionis ejus salvos facit, atque justificat, *Si enim credideris*, inquit, *in corde tuo, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris* (*Rom.* X, 9) : et iterum, *Qui traditus est*, inquit, *propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Id.* IV, 25). Ideoque meritum fidei nostræ resurrectio corporis Domini est. Nam mortuam esse illam carnem in cruce passionis, etiam inimici ejus credunt, sed resurrexisse non credunt. Quod firmissime nos credentes, tanquam de petræ soliditate contuemur : unde certa spe adoptionem exspectamus redemptionem corporis nostri (*Id.* VIII, 23); quia hoc in membris Christi speramus, quæ nos ipsi sumus, quod perfectum esse in ipso tanquam in capite nostro fidei sanitate cognoscimus. Inde non vult, nisi cum transierit, videri posteriora sua, ut in ejus resurrectionem credatur. Pascha enim hebræum verbum dicitur, quod Transitus interpretatur. Unde

[1] Editi hoc loco, *in speluncæ*. Sed aliis inferius locis, sicut ubique veteres plerique codices, *in specula*.
[2] Plerique Mss., *posteremitatem*.

et Joannes evangelista dicit : *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat de hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* XIII, 1).

30. Hoc autem qui credunt, nec tamen in Catholica [1], sed in schismate aliquo aut in hæresi credunt, non de loco qui est penes eum vident posteriora Domini. Quid enim sibi vult quod ait Dominus, *Ecce locus est penes me, et stabis super petram?* Quis locus terrenus est penes Dominum, nisi hoc est penes eum quod eum spiritualiter attingit? Nam quis locus non est penes Dominum, qui attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1); et cujus dictum est cœlum sedes, et terra scabellum pedum ejus; et qui dixit, *Quam domum ædificabitis mihi? aut quis locus quietis meæ? Nonne manus mea fecit hæc omnia* (*Isai.* LXVI, 1, 2)? Sed videlicet intelligitur locus penes eum in quo statur super petram, ipsa Ecclesia catholica, ubi salubriter videt Pascha Domini, id est transitum Domini, et posteriora ejus, id est, corpus ejus, qui credit in resurrectionem ejus. *Et stabis*, inquit, *super petram, statim ut transiet mea majestas.* Revera enim statim ut transiit majestas Domini in clarificatione Domini qua resurgens ascendit ad Patrem, solidati sumus super petram. Et ipse Petrus tunc solidatus est, ut cum fiducia prædicaret, quem, priusquam esset solidatus, ter timore negaverat (*Matth.* XXVI, 70-74), jam quidem prædestinatione positus in specula petræ, sed adhuc manu Domini sibi superposita ne videret. Posteriora enim ejus visurus erat, et nondum ille transierat, utique a morte ad vitam, nondum resurrectione clarificatus erat.

31. Nam et quod sequitur in Exodo, et dicit, *Tegam manu mea super te, donec transeam; et auferam manum meam, et tunc videbis posteriora mea* : multi Israelitæ quorum tunc figura erat Moyses, post resurrectionem Domini crediderunt in eum, tanquam jam videntes posteriora ejus, remota manu ejus ab oculis suis. Unde et Isaiæ talem prophetiam evangelista commemorat : *Incrassa cor populi hujus, et aures eorum oppila, et oculos eorum grava* (*Isai.* VI, 10; *Matth.* XIII, 15). Denique in Psalmo non absurde intelligitur ex eorum persona dici, *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua. Die* fortasse, cum manifesta miracula faceret, nec ab eis agnosceretur; *nocte* autem, cum in passione morerctur, quando certius putaverunt, sicut quemlibet hominem, peremptum et exstinctum. Sed quoniam cum transisset ut ejus posteriora viderentur, prædicante sibi apostolo Petro, quia oportebat Christum pati et resurgere, compuncti sunt dolore pœnitentiæ (*Act.* II, 37, 41), ut fieret in baptizatis quod in capite ejus psalmi dicitur, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* : propterea cum dictum esset, *Gravata est super me manus tua*, tanquam Domino transeunte, ut jam removeret manum, et viderentur posteriora ejus, sequitur vox dolentis et confitentis, et ex fide resurrectionis Domini peccatorum remissionem accipientis : *Conversus sum*, inquit, *in ærumna mea, cum infigeretur mihi spina. Peccatum meum cognovi, et injustitiam meam non operui. Dixi, Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Psal.* XXXI, 1-5). Neque enim tanto carnis nubilo debemus involvi, ut putemus faciem quidem Domini esse invisibilem, dorsum vero visibile : quandoquidem in forma servi utrumque visibiliter apparuit; in forma autem Dei absit ut tale aliquid cogitetur : absit ut Verbum Dei et Sapientia Dei ex una parte habeat faciem, et ex alia dorsum, sicut corpus humanum, aut omnino ulla specie vel motione sive loco sive tempore commutetur.

32. Quapropter, si in illis vocibus quæ fiebant in Exodo, et illis omnibus corporalibus demonstrationibus Dominus Jesus Christus ostendebatur; aut alias Christus, sicut loci hujus consideratio persuadet; alias Spiritus sanctus, sicut ea quæ supra diximus admonent : non hoc efficitur, ut Deus Pater nunquam tali aliqua specie Patribus visus sit. Multa enim talia visa facta sunt illis temporibus, non evidenter nominato et designato in eis vel Patre, vel Filio, vel Spiritu sancto; sed tamen per quasdam valde probabiles significationes nonnullis indiciis existentibus, ut nimis temerarium sit dicere, Deum Patrem nunquam Patribus aut Prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse. Hanc enim opinionem illi pepererunt, qui non potuerunt in unitate Trinitatis intelligere quod dictum est, *Regi autem sæculorum immortali, invisibili soli Deo* (I *Tim.* I, 17); et, *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest* (*Id.* VI, 16). Quod de ipsa substantia summa summeque divina et incommutabili, ubi et Pater et Filius et Spiritus sanctus unus et solus Deus est, per sanam fidem intelligitur. Visiones autem illæ per creaturam commutabilem Deo incommutabili subditam factæ sunt, non proprie sicuti est, sed significative sicut pro rerum causis et temporibus oportuit, ostendentes Deum.

CAPUT XVIII. — 33. *Visio Danielis.* Quanquam nescio quemadmodum isti intelligant quod Danieli apparuerit Antiquus dierum, a quo Filius hominis, quod propter nos esse dignatus est, accepisse intelligitur regnum, ab illo scilicet qui ei dicit in Psalmis, *Filius meus es tu, ego hodie genui te : postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II, 7, 8); et qui omnia subjecit sub pedibus ejus (*Psal.* VIII, 8). Si ergo Danieli et Pater dans regnum, et Filius accipiens, apparuerunt in specie corporali; quomodo isti dicunt, Patrem nunquam visum esse Prophetis, et ideo solum debere intelligi invisibilem *quem nemo hominum vidit, nec videre potest?* Ita enim narravit Daniel : *Aspiciebam*, inquit, *donec throni positi sunt, et Vetustus dierum sedebat : et indumentum ejus quasi nix album, et capillus capitis ejus quasi lana munda; thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis flagrans, et flumen ignis trahebat* [1] *in conspectu ejus. Et mille mil-*

[1] Editi, post, *in catholica*, addunt, *fide*. Quidam Mss., *pace*. Quo loco verius subintelligitur, *Ecclesia*.

[1] Editi, *transibat*. Mss. prope omnes, *trahebat*; juxta LXX, *eilken*.

lia deserviebant ei, et decna millia denum millium assistebant ei. Et judicium collocavit, et libri aperti sunt, etc. Et paulo post: *Aspiciebam*, inquit, *in visione noctis : et ecce cum cœli nubibus, quasi Filius hominis veniens erat, et usque ad Veterem dierum pervenit, et oblatus est ei. Et ipsi datus est principatus et honor et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non præteribit, et regnum ejus non corrumpetur*[1] (*Dan.* VII, 9-14). Ecce Pater dans, et Filius accipiens regnum sempiternum, et sunt ambo in conspectu prophetantis visibili specie. Non ergo inconvenienter creditur etiam Pater Deus eo modo solere apparere mortalibus.

34. Nisi forte aliquis dicet[2], ideo non esse visibilem Patrem, quia in conspectu somniantis apparuit; ideo autem Filium visibilem et Spiritum sanctum, quia Moyses illa omnia vigilans vidit. Quasi vero Verbum et Sapientiam Dei viderit Moyses carnalibus oculis, aut videri spiritus vel humanus possit qui carnem istam vivificat, vel ipse corporeus qui ventus dicitur; quanto minus ille Spiritus Dei qui omnium hominum et Angelorum mentes ineffabili excellentia divinæ substantiæ supergreditur? aut quisquam tali præcipitetur errore, ut audeat dicere Filium et Spiritum sanctum etiam vigilantibus hominibus esse visibilem, Patrem autem nonnisi somniantibus? Quomodo ergo de Patre solo accipiunt, *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest?* An cum dormiunt homines, tunc non sunt homines? Aut qui formare similitudinem corporis potest ad se significandum per visa somniantium, non potest formare ipsam corpoream creaturam ad se significandum oculis vigilantium? cum ejus ipsa substantia qua est ipse quod est, nulla corporis similitudine dormienti, nulla corporea specie vigilanti possit ostendi : sed non solum[3] Patris, verum etiam Filii et Spiritus sancti. Et certe qui vigilantium visis moventur, ut non Patrem, sed tantum Filium vel Spiritum sanctum credant corporalibus hominum apparuisse conspectibus; ut omittam tantam latitudinem sanctarum paginarum, et tam multiplicem earum intelligentiam, unde nemo sani capitis affirmare debet, nusquam personam Patris per aliquam speciem corporalem vigilantium oculis demonstratam : sed ut hoc, ut dixi, omittam; quid dicunt de Patre nostro Abraham, cui certe vigilanti et ministranti, cum Scriptura præmisisset dicens, *Visus est Dominus Abrahæ*, non unus aut duo, sed tres apparuerunt viri, quorum nullus excelsius aliis eminuisse dictus est, nullus honoratius effulsisse, nullus imperiosius egisse (*Gen.* XVIII, 1) ?

35. Quapropter, quoniam in illa tripartita nostra distributione primum quærere instituimus (*Supra, cap.* 7), utrum Pater, an Filius, an Spiritus sanctus; an aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus sanctus; an sine ulla distinctione personarum, sicut dicitur, Deus unus et solus; id est Trinitas ipsa, per illas creaturæ formas Patribus apparuerit : interrogatis quæ potuimus[1], quantum sufficere visum est, sanctarum Scripturarum locis, nihil aliud, quantum existimo, divinorum sacramentorum modesta et cauta consideratio persuadet, nisi ut temere non dicamus quænam ex Trinitate persona cuilibet Patrum vel Prophetarum in aliquo corpore vel similitudine corporis apparuerit, nisi cum continentia lectionis aliqua probabilia circumponit indicia. Ipsa enim natura, vel substantia, vel essentia, vel quolibet alio nomine appellandum est idipsum quod Deus est, quidquid illud est, corporaliter videri non potest : per subjectam vero creaturam, non solum Filium, vel Spiritum sanctum, sed etiam Patrem corporali specie sive similitudine mortalibus sensibus significationem sui dare potuisse credendum est. Quæ cum ita sint, ne immoderatius progrediatur secundi hujus voluminis longitudo, ea quæ restant, in consequentibus videamus.

[1] Editi, *quod non corrumpetur*. Abest, *quod*, a Mss. et a versione LXX.
[2] Er. Lugd. Ven. et Lov., *Nisi forte aliquis dicat*. M.
[3] Tres Mss., *et non solum*.
[1] Mss. duodecim, *interrogatisque prout potuimus*.

LIBER TERTIUS.

In quo quæritur, an in illis de quibus superiore libro dictum est, Dei apparitionibus, per corporeas species factis, tantummodo creatura formata sit, in qua Deus sicut tunc oportuisse judicavit, humanis ostenderetur aspectibus; an angeli qui jam antea erant ita mittebantur, ut ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea, aut ipsum corpus suum in species quas vellent accommodatas actionibus suis vertentes secundum attributam sibi a Creatore potentiam : ipsa autem Dei essentia nunquam per se ipsam visa fuerit.

PROŒMIUM. — 1. *Cur de Trinitate scribat. Quid a lectoribus desideret. Quid dictum sit in superiore libro.* Credant, qui volunt, malle me legendo quam legenda dictando laborare. Qui autem hoc nolunt credere, experiri autem et possunt et volunt, dent quæ[1] legendo vel meis inquisitionibus respondeantur vel interrogationibus aliorum, quas pro mea persona quam in servitio Christi gero, et pro studio quo fidem nostram adversum errorem carnalium et animalium hominum muniri[1] inardesco, necesse est me pati : et videant quam facile ab isto labore me temperem, et quanto etiam gaudio stilum possim habere feriatum. Quod si ea quæ legimus de his rebus, sufficienter edita in latino sermone aut non sunt, aut non inveniuntur, aut certe difficile a nobis inveniri queunt, græcæ autem linguæ non sit nobis tantus habitus, ut talium rerum libris legendis et intelligendis ullo modo reperiamur idonei, quo genere litterarum ex iis quæ nobis

[1] Editi, *denique*. Emendantur ex manuscriptis.
[1] Lov., *munire*.

pauca interpretata sunt, non dubito cuncta quæ utiliter quærere possumus contineri; fratribus autem non valeam resistere, jure quo eis servus factus sum flagitantibus, ut eorum in Christo laudabilibus studiis lingua ac stilo meo, quas bigas in me charitas agitat, maxime serviam, egoque ipse multa quæ nesciebam, scribendo me didicisse confitear : non debet hic labor meus cuiquam pigro, aut multum docto videri superfluus, cum multis impigris multisque indoctis, inter quos etiam mihi, non parva ex parte sit necessarius. Ex his igitur quæ ab aliis de hac re scripta jam legimus, plurimum adminiculati et adjuti, ea quæ de Trinitate, uno summo summeque bono Deo, pie quæri et disseri posse arbitror, ipso exhortante quærenda atque adjuvante disserenda suscepi : ut si alia non sunt hujusmodi scripta, sit quod habeant et legant qui voluerint et valuerint; si autem jam sunt, tanto facilius aliqua inveniantur, quanto talia plura esse potuerint.

2. Sane cum in omnibus litteris meis non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderem, multo maxime in his, ubi ipsa magnitudo quæstionis utinam tam multos inventores habere posset, quam multos contradictores habet. Verumtamen sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum [1], ita correctorem nolo sibi. Ille me non amet amplius quam catholicam fidem, iste se non amet amplius quam catholicam veritatem. Sicut illi dico, Noli meis litteris quasi Scripturis canonicis inservire; sed in illis et quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede, in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere : ita illi dico, Noli meas litteras ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione vel inconcussa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis, existendo non est meum, at intelligendo et amando et tuum sit et meum : si quid autem falsi conviceris, errando fuerit meum, sed jam cavendo nec tuum sit nec meum.

3. Hinc itaque tertius hic liber sumat exordium, quousque secundus pervenerat. Cum enim ad id ventum esset, ut vellemus ostendere non ideo minorem Patre Filium, quia ille misit, hic missus est, nec ideo minorem utroque Spiritum sanctum, quia et ab illo et ab illo missus in Evangelio legitur : suscepimus hoc quærere, cum illuc missus sit Filius, ubi erat, quia in hunc mundum venit, et *in hoc mundo erat* (*Joan.* I, 10); cum illuc etiam Spiritus sanctus, ubi et ipse erat, quoniam *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis* (*Sap.* I, 7) : utrum propterea missus sit Dominus, quia ex occulto in carne natus est, et de sinu Patris ad oculos hominum in forma servi tanquam egressus apparuit; ideo etiam Spiritus sanctus, quia et ipse corporali specie quasi columba visus est (*Matth.* III, 16), et linguis divisis velut ignis (*Act.* II, 3) : ut hoc eis fuerit mitti, ad aspectum mortalium in aliqua forma corporea de spirituali secreto procedere; quod Pater quoniam non fecit, tantummodo misisse, non etiam missus esse dictus sit. Deinde quæsitum est cur et Pater non aliquando dictus sit missus, si per illas species corporales quæ oculis antiquorum apparuerunt ipse demonstrabatur. Si autem Filius tunc demonstrabatur, cur tanto post missus diceretur, cum plenitudo temporis venit, ut ex femina nasceretur (*Galat.* IV, 4); quandoquidem et antea mittebatur, cum in illis formis corporaliter apparebat. Aut si non recte missus diceretur, nisi cum Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14); cur Spiritus sanctus missus legatur, cujus incarnatio talis non facta est. Si vero per illas antiquas demonstrationes, nec Pater, nec Filius, sed Spiritus sanctus ostendebatur; cur etiam ipse nunc diceretur missus, cum illis modis et antea mitteretur. Deinde subdivisimus, ut hæc diligentissime tractarentur, et tripartitam fecimus quæstionem, cujus una pars in secundo libro explicata est, duæ sunt reliquæ, de quibus deinceps disserere aggrediar. Jam enim quæsitum atque tractatum est, in illis antiquis corporalibus formis et visis, non tantummodo Patrem, nec tantummodo Filium, nec tantummodo Spiritum sanctum apparuisse, sed aut indifferenter Dominum Deum qui Trinitas ipsa intelligitur, aut quamlibet ex Trinitate personam, quam lectionis textus indiciis circumstantibus significaret.

CAPUT PRIMUM. — 4. *Quid deinceps dicendum.* Nunc ergo primum quæramus quod sequitur. Nam secundo loco in illa distributione positum est, utrum ad hoc opus tantummodo creatura formata sit, in qua Deus, sicut tunc oportuisse judicavit, humanis ostenderetur aspectibus : an Angeli, qui jam erant, ita mittebantur, ut ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea in usum ministerii sui; aut ipsum corpus suum, cui non subduntur, sed subditum regunt [1], mutantes atque vertentes in species quas vellent, accommodatas atque aptas actionibus suis, secundum attributam sibi a Creatore potentiam. Qua quæstionis parte, quantum Dominus dederit, pertractata, postremo videndum erit id quod instituimus inquirere, utrum Filius et Spiritus sanctus et antea mittebantur; et si ita est, quid inter illam missionem et eam quam in Evangelio legimus distet : an missus non sit aliquis eorum, nisi cum vel Filius factus est ex Maria virgine, vel cum Spiritus sanctus visibili specie, sive in columba, sive in igneis linguis apparuit (*Supra, lib.* 2, *cap.* 7, *n.* 13).

5. Sed fateor excedere vires intentionis meæ, utrum Angeli manente spirituali sui corporis qualitate per hanc occultius operantes, assumant ex inferioribus elementis corpulentioribus, quod sibi coaptatum, quasi aliquam vestem mutent et vertant in quaslibet species corporales, etiam ipsas veras, sicut aqua vera in verum vinum conversa est a Domino (*Joan.* II, 9) : an ipsa propria corpora sua transforment in quod voluerint, accommodate [2] ad id quod agunt. Sed quodlibet horum sit, ad præsentem quæstionem non pertinet. Et quamvis hæc, quoniam homo sum, nulle

[1] Sola fere editio Lov., *debitum.*

[1] Editi, *gerunt.* Plerique Mss., *regunt.*

[2] Ita Mss. At editi, *accommodatu.*

experimento possim comprehendere, sicut Angeli qui hæc agunt, et magis ea norunt quam ego novi, quatenus mutetur corpus meum in affectu [1] voluntatis meæ, sive quod in me, sive quod ex aliis expertus sum : quid horum tamen ex divinarum Scripturarum auctoritatibus credam, nunc non opus est dicere, ne cogar probare, et fiat sermo longior de re qua non indiget præsens quæstio.

6. Illud nunc videndum est, utrum Angeli tunc agebant et illas corporum species apparentes oculis hominum, et illas voces insonantes auribus, cum ipsa sensibilis creatura ad nutum serviens Conditori [2], in quod opus erat pro tempore vertebatur, sicut in libro Sapientiæ scriptum est : *Creatura enim tibi factori deserviens, extenditur in tormentum adversum injustos, et lenior fit ad benefaciendum iis qui in te confidunt. Propter hoc et tunc in omnia se transfigurans, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat ad voluntatem horum qui te desiderabant* (*Sap.* xvi, 24, 25). Pervenit enim potentia voluntatis Dei [3] per creaturam spiritualem usque ad effectus visibiles atque sensibiles creaturæ corporalis. Ubi enim non operatur quod vult Dei omnipotentis sapientia, quæ pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Id.* viii, 1)?

CAPUT II. — 7. *Voluntas Dei causa superior omnis corporeæ mutationis. Exemplo id demonstratur.* Sed alius est ordo naturalis in conversione et mutabilitate corporum, qui quamvis etiam ipse ad nutum Dei serviat, perseverantia tamen consuetudinis amisit admirationem : sicuti sunt quæ vel brevissimis, vel certe non longis intervallis temporum, cœlo, terra, marique mutantur, sive nascentibus, sive occidentibus rebus, sive aliis aliter atque aliter apparentibus : alia vero quamvis ex ipso ordine venientia, tamen propter longiora intervalla temporum minus usitata. Quæ licet multi stupeant, ab inquisitoribus hujus sæculi comprehensa sunt, et progressu generationum quo sæpius repetita, et a pluribus cognita, eo minus mira sunt. Sicuti sunt defectus luminarium, et raro existentes quædam species siderum, et terræ motus, et monstruosi partus animantium, et quæcumque similia, quorum nihil fit nisi voluntate Dei, sed plerisque non apparet. Itaque licuit vanitati philosophorum, etiam causis aliis ea tribuere, vel veris, sed proximis, cum omnino videre non possent superiorem cæteris omnibus causam, id est voluntatem Dei ; vel falsis, et ne ab ipsa quidem pervestigatione corporalium rerum atque motionum, sed a sua suspicione et errore prolatis.

8. Dicam si potero quiddam, exempli gratia, quo hæc apertiora sint. Est certe in corpore humano quædam moles carnis, et formæ species, et ordo distinctioque membrorum, et temperatio valetudinis : hoc corpus inspirata anima regit, eademque rationalis ; et ideo quamvis mutabilis, tamen quæ possit illius incommutabilis sapientiæ particeps esse, ut sit *participatio ejus in idipsum*, sicut in Psalmo scriptum est de omnibus sanctis, ex quibus tanquam lapidibus vivis ædificatur illa Jerusalem mater nostra æterna in cœlis. Ita enim canitur : *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* cxxi, 3). *Idipsum* quippe hoc loco illud summum et incommutabile bonum intelligitur, quod Deus est, atque sapientia voluntasque ipsius. Cui cantatur alio loco : *Mutabis ea, et mutabuntur ; tu vero idem ipse es* (*Psal.* ci, 27, 28).

CAPUT III. — *De eodem argumento.* Constituamus ergo animo talem sapientem, cujus anima rationalis jam sit particeps incommutabilis æternæque veritatis, quam de omnibus suis actionibus consulat, nec aliquid omnino faciat, quod non in ea cognoverit esse faciendum, ut ei subditus eique obtemperans recte faciat. Iste si consulta summa ratione divinæ justitiæ, quam in secreto audiret aure cordis sui, eaque sibi jubente, in aliquo officio misericordiæ corpus labore fatigaret, ægritudinemque contraheret, consultisque medicis ab alio diceretur causam morbi esse corporis siccitatem, ab alio autem humoris immoderationem : unus eorum veram causam diceret, alter erraret, uterque tamen de proximis causis, id est, corporalibus pronuntiaret. At si illius siccitatis causa quæreretur, et inveniretur voluntarius labor ; jam ventum esset ad superiorem causam, quæ ab anima proficisceretur ad afficiendum corpus quod regit : sed nec ipsa prima esset ; illa enim procul dubio superior erat in ipsa incommutabili Sapientia, cui hominis sapientis anima in charitate serviens, et ineffabiliter jubenti obediens, voluntarium laborem susceperat : ita nonnisi Dei voluntas causa prima illius ægritudinis veracissime reperiretur. Jam vero si in labore officioso et pio adhibuisset ille sapiens ministros collaborantes secum in opere bono, nec tamen eadem voluntate Deo servientes, sed ad carnalium cupiditatum [1] suarum mercedem pervenire cupientes, vel incommoda carnalia devitantes ; adhibuisset etiam jumenta, si hoc exigeret illius operis implendi procuratio, quæ utique jumenta irrationalia essent animantia, nec ideo moverent membra sub sarcinis, quod aliquid de illo bono opere cogitarent, sed naturali appetitu suæ voluptatis et devitatione molestiæ ; postremo adhibuisset etiam ipsa corpora [2] omni sensu carentia, quæ illi operi essent necessaria, frumentum scilicet, et vinum, et oleum, vestem, nummum, codicem, et si qua hujusmodi ; in his certe omnibus in illo opere versantibus corporibus, sive animatis sive inanimatis, quæcumque moverentur, altererentur, repararentur, exterminarentur, reformarentur, alio atque alio modo locis et temporibus affecta mutarentur : num alia esset istorum omnium visibilium et mutabilium factorum causa, nisi illa invisibilis et incommutabilis voluntas Dei per animam justam, sicut sedem Sapientiæ, cunctis utens, et malis [3] et irrationalibus animis,

[1] Decem Mss., *in affectum*.
[2] Editi, *Conditoris*. At Mss. *conditi*.
[3] Sic Mss. magno consensu. At editi, *sapientia voluntatis Dei*.

[1] Plures Mss., *carnalium voluntatum*. Duo, *voluptatum*.
[2] Editi, *corporea*. At Mss. *corpora*.
[3] Editi, *et malis rationalibus, et irrationalibus*. Apud Mss vox, *rationalibus*, subintelligenda relinquitur.

et postremo corporibus, sive quæ illis inspirarentur et animarentur, sive omni sensu carentibus, cum primitus uteretur ipsa bona anima et sancta, quam sibi ad pium et religiosum obsequium subdidisset?

CAPUT IV. — 9. *Deus omnibus creaturis utitur ut vult, et visibilia facit ad se ipsum demonstrandum.* Quod ergo de uno sapiente, quamvis adhuc mortale corpus gestante, quamvis ex parte vidente, posuimus exempli gratia; hoc de aliqua domo, ubi aliquorum talium societas est, hoc de civitate vel etiam de orbe terrarum licet cogitare, si penes sapientes sanctequc ac perfecte Deo subditos sit principatus, et regimen rerum humanarum. Sed hoc quia nondum est[1] (oportet enim nos in hac peregrinatione prius mortaliter exerceri, et per vires mansuetudinis et patientiæ in flagellis erudiri), illam ipsam supernam atque cœlestem, unde peregrinamur, patriam cogitemus. Illic enim Dei voluntas, qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem flagrantem (*Psal.* cm, 4), in spiritibus summa pace atque amicitia copulatis, et in unam voluntatem quodam spirituali charitatis igne conflatis, tanquam in excelsa et sancta et secreta sede præsidens, velut in domo sua et in templo suo, inde se, quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus, primo spiritualibus, deinde corporalibus, per cuncta diffundit, et utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, sive incorporeis sive corporeis rebus, sive rationalibus sive irrationalibus spiritibus, sive bonis per ejus gratiam sive malis per propriam voluntatem. Sed quemadmodum corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vitæ, et spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, et spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator per spiritum vitæ rationalem pium et justum, et ille per ipsum Deum, ac sic universa creatura per Creatorem suum, ex quo et per quem et in quo etiam condita atque instituta est (*Coloss.* I, 16): ac per hoc voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium specierum atque motionum. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica.

10. Si ergo apostolus Paulus, quamvis adhuc portaret sarcinam corporis, quod corrumpitur et aggravat animam (*Sap.* IX, 15), quamvis adhuc ex parte atque in ænigmate videret (I *Cor.* XIII, 12), optans dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23), et in semetipso ingemiscens, adoptionem exspectans redemptionem corporis sui (*Rom.* VIII, 23), potuit tamen significando prædicare Dominum Jesum Christum, aliter per linguam suam, aliter per Epistolam, aliter per Sacramentum corporis et sanguinis ejus (nec linguam quippe ejus, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa litterarum conscripta pelliculis, corpus Christi et sanguinem dicimus; sed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis: quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam magnum Sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei, cum hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, movens primitus invisibilia ministrorum, sive animas hominum, sive occultorum spirituum sibi subditas servitutes): quid mirum si etiam in creatura cœli et terræ, maris et aeris, facit Deus quæ vult sensibilia atque visibilia, ad se ipsum in eis, sicut oportere ipse novit, significandum et demonstrandum, non ipsa sua qua est apparente substantia, quæ omnino incommutabilis est, omnibusque spiritibus, quos creavit, interius secretiusque sublimior?

CAPUT V. — 11. *Miracula cur non consueta opera.* Vi enim divina totam spiritualem corporalemque administrante creaturam, omnium annorum certis diebus advocantur aquæ maris, et effunduntur super faciem terræ. Sed cum hoc orante sancto Elia factum est, quia præcesserat tam continua et tam longa serenitas, ut deficerent fame homines, nec ea hora qua ille Dei servus oravit, aer ipse aliqua humida facie mox futuræ pluviæ signa prætulerat, consecutis tantis et tam velociter imbribus apparuit vis divina, quibus illud dabatur dispensabaturque miraculum (III *Reg.* XVIII, 45). Ita Deus operatur solemnia fulgura atque tonitrua: sed quia in monte Sina inusitato modo fiebant, vocesque illæ non strepitu confuso edebantur, sed eis quædam signa dari certissimis indiciis apparebat, miracula erant (*Exod.* XIX, 16). Quis attrahit humorem per radicem vitis ad botrum, et vinum facit, nisi Deus, qui et homine plantante et rigante incrementum dat (I *Cor.* III, 7)? Sed cum ad nutum Domini aqua in vinum inusitata celeritate conversa est, etiam stultis fatentibus vis divina declarata est (*Joan.* II, 9). Quis arbusta fronde ac flore vestit solemniter, nisi Deus? Verum cum floruit virga sacerdotis Aaron, collocuta est quodam modo cum dubitante humanitate divinitas (*Num.* XVII, 8). Et lignis certe omnibus et omnium animalium carnibus gignendis atque formandis communis est terrena materies: et quis ea facit, nisi qui dixit ut hæc terra produceret (*Gen.* 1, 24), et in eodem verbo suo quæ creavit, regit atque agit? Sed cum eamdem materiam ex virga Moysi in carnem serpentis proxime ac velociter vertit, miraculum fuit (*Exod.* IV, 3), rei quidem mutabilis, sed tamen inusitata mutatio. Quis autem animat quæquo viva nascentia, nisi qui et illum serpentem ad horam, sicut opus fuerat, animavit?

CAPUT VI. — *Sola varietas facit miraculum.* Et quis reddidit cadaveribus animas suas, cum resurgerent mortui (*Ezech.* XXXVII, 1-10), nisi qui animat

[1] Editio Lov.: *Sed hoc quidem nondum est*; ac post verbum, *erudiri*, addita particula, *ut*, sic connectit sequentia: *ut illam ipsam*, etc. Castigatur ex manuscriptis.

(Vingt-huit)

carnes in uteris matrum, ut oriantur morituri[1]? Sed cum fiunt illa continuato quasi quodam fluvio labentium manantiumque rerum, et ex occulto, in promtum, atque ex prompto in occultum usitato itinere transeuntium, naturalia dicuntur : cum vero admonendis hominibus insolita mutabilitate ingeruntur, magnalia nominantur.

CAPUT VII — 12. *Miracula magna per magicas artes.* Hic video quid infirmæ cogitationi possit occurrere, cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant : nam et magi Pharaonis similiter serpentes fecerunt, et alia similia. Sed illud amplius est admirandum, quomodo magorum illa potentia, quæ serpentes facere potuit, ubi ad muscas minutissimas ventum est, omnino defecit. Scyniphes enim musculæ sunt brevissimæ, qua tertia plaga superbus populus Ægyptiorum cædebatur. Ibi certe deficientes magi dixerunt : *Digitus Dei est hoc*[2] (*Exod.* VII, *et* VIII,). Unde intelligi datur, ne ipsos quidem transgressores angelos et aereas potestates, in imam istam caliginem tanquam in sui generis carcerem, ab illius sublimis æthereæ puritatis habitatione detrusas, per quas magicæ artes possunt quidquid possunt, valere aliquid, nisi data desuper potestate. Datur autem vel ad fallendos fallaces, sicut in Ægyptios, et in ipsos etiam magos data est, ut in eorum spirituum seductione viderentur admirandi a quibus fiebant, a Dei veritate damnandi; vel ad admonendos fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderent, propter quod etiam nobis Scripturæ auctoritate sunt prodita; vel ad exercendam, probandam, manifestandamque justorum patientiam. Neque enim parva visibilium miraculorum potentia, Job cuncta quæ habebat amisit, et filios et ipsam corporis sanitatem (*Job.* I *et* II).

CAPUT VIII. — 13. *Solus Deus creat etiam illa quæ magicis artibus transformantur:* Nec ideo putandum est istis transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, a quo hæc potestas datur, quantum in sublimi et spirituali sede incommutabilis judicat. Nam et damnatis iniquis etiam in metallo servit[3] aqua et ignis et terra, ut faciant inde quod volunt, sed quantum sinitur. Nec sane creatores illi mali angeli dicendi sunt, quia per illos magi resistentes famulo Dei ranas et serpentes fecerunt : non enim ipsi eas creaverunt. Omnium quippe rerum quæ corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent. Alia sunt enim hæc jam conspicua oculis nostris ex fructibus et animantibus, alia vero illa occulta istorum seminum semina, unde jubente Creatore produxit aqua prima natatilia et volatilia, terra autem prima sui generis[4] germina, et prima sui generis animalia (*Gen.* I, 20-25). Neque enim tunc in hujuscemodi fetus ita producta sunt[1], ut in eis quæ producta sunt vis illa consumpta sit : sed plerumque desunt congruæ temperamentorum occasiones, quibus erumpant, et species suas peragant. Ecce enim brevissimus surculus semen est; nam convenienter mandatus terræ arborem facit. Hujus autem surculi subtilius semen aliquod ejusdem generis granum est, et huc usque [2] nobis visibile. Jam vero hujus etiam garni semen quamvis oculis videre nequeamus, ratione tamen conjicere possumus : quia nisi talis aliqua vis esset in istis elementis, non plerumque nascerentur ex terra quæ ibi seminata non essent; nec animalia tam multa, nulla marium feminarumque commixtione præcedente, sive in terra, sive in aqua, quæ tamen crescunt et coeundo alia pariunt, cum illa nullis coeuntibus parentibus orta sint. Et certe apes semina filiorum non coeundo concipiunt, sed tanquam sparsa per terras ore colligunt. Invisibilium enim seminum creator, ipse creator est omnium rerum : quoniam quæcumque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia, et incrementa debitæ magnitudinis distinctionesque formarum ab originalibus tanquam regulis sumunt. Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamvis eorum extrinsecus adhibitis motibus ista creanda Dei virtus interius operetur : ita non solum malos, sed nec bonos Angelos fas est putare creatores, si pro subtilitate sui sensus et corporis, semina rerum istarum nobis occultiora noverunt, et ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atque ita gignendarum rerum et accelerandorum incrementorum præbent occasiones. Sed nec boni hæc, nisi quantum Deus jubet, nec mali hæc injuste faciunt, nisi quantum juste ipse permittit. Nam iniqui malitia voluntatem suam habet injustam; potestatem autem non nisi juste accipit[3], sive ad pœnam suam, sive ad aliorum, vel pœnam malorum, vel laudem bonorum.

14. Itaque apostolus Paulus discernens interius Deum creantem atque formantem, ab operibus creaturæ quæ admoventur extrinsecus, et de agricultura similitudinem assumens ait : *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit* (I Cor. III, 6). Sicut ergo in ipsa vita nostram mentem justificando formare non potest nisi Deus, prædicare autem Evangelium extrinsecus et homines possunt, non solum boni per veritatem, sed etiam mali per occasionem (*Philipp.* I, 18): ita creationem rerum visibilium Deus interius operatur; exteriores autem operationes sive bonorum sive malorum, vel Angelorum vel hominum, sive etiam quorumcumque animalium, secundum imperium suum et a se impertitas distributiones potestatum et appetitiones commoditatum, ita rerum naturæ adhibet

[1] Hic editi addunt : *Similiter et de communi materia, quæ in cæsis mundialibus consistit, subito ad tempus prodire arietem et columbam constituit, quibus unus vigor carneus et in tempore et ex tempore accessionis et recessionis, non dispar, sed insolitus apparuit.* Abest ab omnibus prope Mss.

[2] Editi, *est hic.* At Mss., *est hoc;* juxta græcum LXX.

[3] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *serviunt.* M.

[4] Quidam Mss. hoc priore loco prætercunt, *sui generis.*

[1] Editi, *tunc hujuscemodi fetus ita producti sunt.* At Mss., *tunc in hujuscemodi fetus* (id est, ad gignendos fetus sui generis) *ita producta sunt.*

[2] In multis Mss., *et hoc usque.*

[3] Sic plerique ac meliores Mss. Editi vero, *voluntatem habent injustam, potestatem autem nonnisi juste accipiunt.*

in qua creat omnia, quemadmodum terræ agriculturam. Quapropter ita non possum dicere angelos malos magicis artibus evocatos, creatores fuisse ranarum atque serpentium; sicut non possum dicere homines malos creatores esse segetis, quam per eorum operam videro [1] exortam.

15. Sicut nec Jacob creator colorum in pecoribus fuit, quia bibentibus in conceptu matribus varietas virgas quas intuerentur apposuit (*Gen.* xxx, 41). Sed nec ipsæ pecudes creatrices fuerunt varietatis prolis suæ, quia inhæserat animæ illarum discolor phantasia ex contactu variarum virgarum per oculos impressa, quæ non potuit nisi corpus quod sic affecto spiritu animabatur, ex compassione commixtionis afficere, unde teneris fetuum primordiis colore tenus aspergeretur [2]. Ut enim sic ex semetipsis afficiantur, vel anima ex corpore, vel corpus ex anima, congruæ rationes [3] id faciunt, quæ incommutabiliter vivunt in ipsa summa Dei sapientia, quam nulla spatia locorum capiunt; et cum ipsa sit incommutabilis, nihil eorum quæ vel commutabiliter sunt deserit, quia nihil eorum nisi per ipsam creatum est. Ut enim de pecoribus non virgæ, sed pecora nascerentur, fecit hoc incommutabilis et invisibilis ratio sapientiæ Dei, per quam creata sunt omnia : ut autem de varietate virgarum, pecorum conceptorum color aliquid duceret, fecit hoc anima gravidæ pecudis per oculos affecta forinsecus, et interius secum pro suo modulo formandi regulam trahens, quam de intima potentia sui Creatoris accepit. Sed quanta sit vis animæ ad afficiendam atque mutandam materiam corporalem (cum tamen creatrix corporis dici non possit, quia omnis causa mutabilis sensibilisque substantiæ, omnisque modus et numerus et pondus ejus unde efficitur ut et sit, et natura ita vel ita sit, ab intelligibili et incommutabili vita, quæ super omnia est, existit, et pervenit usque ad extrema atque terrena), multus sermo est, neque nunc necessarius (*a*). Verum propterea factum Jacob de pecoribus commemorandum arbitratus sum, ut intelligeretur, si homo qui virgas illas sic posuit, dici non potest creator colorum in agnis et hædis; nec ipsæ matrum animæ, quæ conceptam per oculos corporis phantasiam varietatis, seminibus carne conceptis, quantum natura passa est, asperserunt; multo minus dici posse ranarum serpentiumque creatores angelos malos, per quos magi Pharaonis tunc illa fecerunt.

CAPUT IX. — 16. *Causa originalis omnium a Deo.* Aliud est enim ex intimo ac summo causarum cardine condere atque administrare creaturam, quod qui facit, solus creator est Deus : aliud autem pro distributis ab illo viribus et facultatibus aliquam operationem forinsecus admovere, ut tunc vel tunc, sic vel sic exeat quod creatur. Ista quippe originaliter ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta jam creata sunt; sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres gravidæ sunt fetibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium : quæ in illo non creantur, nisi ab illa summa essentia, ubi nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit esse, nec desinit. Adhibere autem forinsecus accedentes [1] causas, quæ tametsi non sunt naturales, tamen secundum naturam adhibentur, ut ea quæ secreto naturæ sinu abdita continentur, erumpant et foris creentur quodam modo explicando mensuras et numeros et pondera sua quæ in occulto acceperunt ab illo, qui omnia in mensura et numero et pondere disposuit (*Sap.* xi, 21); non solum mali angeli, sed etiam mali homines possunt, sicut exemplo agriculturæ supra docui.

17. Sed ne de animalibus quasi diversa ratio moveat, quod habent spiritum vitæ cum sensu appetendi quæ secundum naturam sunt, vitandique contraria; etiam hoc est videre quam multi homines noverunt, ex quibus herbis, aut carnibus, aut quarumcumque rerum quibuslibet succis aut humoribus, vel ita positis, vel ita obrutis, vel ita contritis, vel ita commixtis, quæ animalia nasci soleant : quorum se quis tam demens audeat dicere creatorem? Quid ergo mirum, si quemadmodum potest nosse quilibet nequissimus homo, unde illi vel illi vermes muscæque nascantur; ita mali angeli pro subtilitate sui sensus in occultioribus elementorum seminibus norunt, unde ranæ serpentesque nascantur, et hæc per certas et notas temperationum opportunitates occultis motibus adhibendo faciunt creari, non creant? Sed illa homines quæ solent ab hominibus fieri, non mirantur. Quod si quisquam celeritates incrementorum forte miratur, quod illa animantia tam cito facta sunt; attendat quemadmodum et ista pro modulo facultatis humanæ ab hominibus procurentur. Unde enim fit ut eadem corpora citius vermescant æstate quam hieme, citius in calidioribus quam in frigidioribus locis? Sed hæc ab hominibus tanto difficilius adhibentur, quanto desunt sensuum subtilitates, et corporum mobilitates in membris terrenis et pigris. Unde qualibuscumque angelis vicinas causas ab elementis contrahere, quanto facilius est, tanto mirabiliores in hujusmodi operibus eorum existunt celeritates.

18. Sed non est creator, nisi qui principaliter ista format. Nec quisquam hoc potest, nisi ille penes quem primitus sunt omnium quæ sunt mensuræ, numeri, et pondera : et ipse est unus creator Deus, ex cujus ineffabili potentatu fit etiam ut quod possent hi angeli si permitterentur, ideo non possint quia non permittuntur. Neque enim occurrit alia ratio cur non potuerint facere minutissimas muscas, qui ranas serpentesque fecerunt, nisi quia major aderat dominatio prohibentis Dei [2] per Spiritum sanctum, quod etiam ipsi magi confessi sunt, dicentes, *Digitus Dei est hoc* (*Exod.* viii, 12, *et* viii, 7, 18, 19). Quid autem possint per naturam, nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur; ho-

[1] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *video*. M.
[2] Duo tantum Mss., *color exterius aspergeretur*.
[3] Plerique Mss., *congruentiæ rationis*.
(*a*) De hoc vide infra lib. 11, cap. 2; et de Civitate Dei lib. 12, cap. 23, et lib. 18, cap. 5.

[1] Sic Mss. At editi, *accidentes*.
[2] Sic Mss. At editi, *prohibendi*; omisso, *Dei*.

mini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens, *Alii dijudicatio spirituum* (I *Cor.* XII, 10). Novimus enim hominem posse ambulare, et neque hoc posse si non permittatur, volare autem non posse etiamsi permittatur. Sic et illi angeli quædam possunt facere, si permittantur ab angelis potentioribus ex imperio Dei : quædam vero non possunt, nec si ab eis permittantur; quia ille non permittit, a quo illis est talis naturæ modus, qui etiam per angelos suos et illa plerumque non permittit, quæ concessit ut possint.

19. Exceptis igitur illis, quæ usitatissimo transcursu temporum in rerum naturæ ordine corporaliter fiunt, sicuti sunt ortus occasusque siderum, generationes et mortes animalium, seminum et germinum innumerabiles diversitates, nebulæ et nubes, nives et pluviæ, fulgura et tonitrua, fulmina et grandines, venti et ignes, frigus et æstus, et omnia talia : exceptis etiam illis quæ in eodem ordine rara sunt, sicut defectus luminum, et species insuitatæ siderum, et monstra, et terræ motus, et similia : exceptis ergo istis omnibus, quorum quidem prima et summa causa non est nisi voluntas Dei : unde et in Psalmo, cum quædam hujus generis essent commemorata, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis;* ne quis ea vel fortuitu, vel causis tantummodo corporalibus, vel etiam spiritualibus, tamen præter voluntatem Dei existentibus agi crederet, continuo subjecit, *Quæ faciunt verbum ejus* (*Psal.* CXLVIII, 8) :

CAPUT X. — *Quot modis creatura assumitur ad significandum. Eucharistia.* Sed his, ut dicere cœperam, exceptis, alia sunt illa quæ quamvis ex eadem materia corporali, ad aliquid tamen divinitus annuntiandum nostris sensibus admoventur, quæ proprie miracula et signa dicuntur, nec in omnibus quæ nobis a Domino Deo annuntiantur, ipsius Dei persona suscipitur. Cum autem suscipitur, aliquando in angelo demonstratur, aliquando in ea specie quæ non est quod angelus, quamvis per angelum disposita ministretur : rursus cum in ea specie suscipitur quæ non est quod angelus, aliquando jam erat ipsum corpus, et ad hoc demonstrandum in aliquam mutationem assumitur; aliquando ad hoc exoritur, et re peracta rursus absumitur. Sicut etiam cum homines annuntiant, aliquando ex sua persona verba Dei loquuntur, sicuti cum præmittitur, *Dixit Dominus;* aut, *Hæc dicit Dominus* (*Jerem.* XXXI, 1, 2); aut tale aliquid : aliquando autem nihil tale præmittentes, ipsam Dei personam in se suscipiunt, sicuti est, *Intellectum tibi dabo, et constituam te in via qua ingredieris* (*Psal.* XXXI, 8). Sic non solum in dictis, verum etiam in factis, Dei persona significanda imponitur prophetæ, ut eam gerat in ministerio prophetiæ; sicut ejus personam gerebat qui vestimentum suum divisit in duodecim partes, et ex eis decem servo regis Salomonis dedit, regi futuro Israel (III *Reg.* XI, 30, 31) : aliquando etiam res quæ non erat quod propheta, et erat jam in terrenis rebus, in hujusmodi significationem assumpta est; sicut somnio viso Jacob evigilans fecit de lapide, quem dormiens habebat ad caput (*Gen.* XXVIII, 18) : aliquando ad hoc fit eadem species, vel aliquantulum mansura, sicut potuit serpens ille æneus exaltatus in eremo (*Num.* XXI, 9), sicut possunt et litteræ; vel peracto ministerio transitura, sicut panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento consumitur.

20. Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt. Itaque illa quæ per Angelos fiunt, quo difficiliora et ignotiora, eo mirabiliora sunt nobis : illis autem tanquam suæ actiones notæ atque faciles. Loquitur ex persona Dei angelus homini, dicens, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob;* cum Scriptura prædixisset, *Visus est ei angelus Domini* (*Exod.* III, 6, 2) : loquitur et homo ex persona Domini, dicens, *Audi, populus meus, et loquar tibi; Israel, et testificabor tibi; Deus Deus tuus ego sum* (*Psal.* LXXX, 9, 11). Assumpta est virga ad significationem, et in serpentem angelica facultate mutata est (*Exod.* VII, 10) : quæ facultas cum desit homini, assumptus est tamen et ab homine lapis ad talem aliquam significationem (*Gen.* XXVIII, 18). Inter factum angeli et factum hominis plurimum distat : illud et mirandum et intelligendum est, hoc autem tantummodo intelligendum. Quod ex utroque intelligitur, fortassis unum est; at illa ex quibus intelligitur, diversa sunt : tanquam si nomen Domini et auro et atramento scribatur; illud est pretiosius, illud vilius; quod tamen in utroque significatur, idipsum est. Et quamvis idem significaverit ex virga Moysi serpens, quod lapis Jacob; melius tamen aliquid lapis Jacob, quam serpentes magorum. Nam sicut unctio lapidis Christum in carne, in qua unctus est oleo exsultationis præ participibus suis (*Psal.* XLIV, 8); ita virga Moysi conversa in serpentem, ipsum Christum factum obedientem usque ad mortem crucis (*Philipp.* II, 8). Unde ait, *Sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo; sic oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III, 14, 15) : sicut intuentes illum serpentem exaltatum in eremo, serpentum morsibus non peribant. *Vetus* enim *homo noster confixus est cruci cum illo, ut evacuaretur corpus peccati* (*Rom.* VI, 6). Per serpentem enim intelligitur mors, quæ facta est a serpente in paradiso (*Gen.* III), modo locutionis per efficientem id quod efficitur demonstrante. Ergo virga in serpentem, Christus in mortem : et serpens rursus in virgam, Christus in resurrectionem totus cum corpore suo, quod est Ecclesia (*Coloss.* I, 24), quod in fine temporis erit, quem serpentis cauda significat, quam Moyses tenuit, ut rediret in virgam (*Exod.* IV, 4). Serpentes autem magorum tanquam mortui sæculi, nisi credentes in Christum tanquam devorati in corpus ejus intraverint, resurgere in illo non poterunt (*Id.* VII, 12). Lapis ergo Jacob, ut dixi, melius aliquid significavit quam serpentes magorum : at enim factum magorum multo mirabilius. Verum hæc ita non præjudicant rebus intelligendis, tanquam si hominis nomen scribatur au-

ro, et Dei atramento.

21. Illas etiam nubes et ignes quomodo fecerint vel assumpserint Angeli ad significandum quod annuntiaiant, etiam si Dominus vel Spiritus sanctus illis corporalibus formis ostendebatur, quis novit hominum? sicut infantes non noverunt quod in altari ponitur et peracta pietatis celebratione consumitur, unde vel quomodo conficiatur, unde in usum religionis assumatur. Et si nunquam discant experimento vel suo vel aliorum, et nunquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationes Sacramentorum cum offertur et datur, dicaturque illis auctoritate gravissima, cujus corpus et sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, et de latere tali percusso, liquorem illum omnino fluxisse (*Joan.* xix, 34). Mihi autem omnino utile est ut meminerim virium mearum, fratresque meos admoneam ut et ipsi meminerint suarum, ne ultra quam tutum est humana progrediatur infirmitas. Quemadmodum enim hæc faciant Angeli, vel potius Deus quemadmodum hæc faciat per Angelos suos, et quantum fieri velit etiam per angelos malos, sive sinendo, sive jubendo, sive cogendo, ex occulta sede altissimi imperii sui; nec oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis enucleare, nec provectu mentis comprehendere valeo, ut tam certus hinc loquar ad omnia quæ requiri de his rebus possunt, quam si essem angelus, aut propheta, aut apostolus. *Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ in cœlis sunt autem, quis investigabit?* Sed quia sequitur et dicit, *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis* (*Sap.* ix, 14-17)? quæ in cœlis sunt quidem, non investigamus, quo rerum genere et corpora angelica secundum propriam dignitatem, et eorum quædam corporalis actio continetur; secundum Spiritum tamen Dei missum nobis de altissimis et impartitam ejus gratiam mentibus nostris, audeo fiducialiter dicere, nec Deum Patrem, nec Verbum ejus, nec Spiritum ejus, quod Deus unus est, per id quod est, atque idipsum est, ullo modo esse mutabilem, ac per hoc multo minus esse visibilem. Quoniam sunt quædam quamvis mutabilia, non tamen visibilia, sicut nostræ cogitationes, et memoriæ, et voluntates, et omnis incorporea creatura: visibile autem quidquam non est, quod non sit mutabile.

CAPUT XI. — *Essentia Dei nunquam per se apparuit. Angelorum ministerio factæ divinæ Patribus apparitiones. Objectio ex loquendi modo ducta diluitur. Apparitionem Dei ipsi Abrahæ perinde ac Moysi, per Angelos factam esse. Idem probatur ex lege data Moysi per Angelos. Quid dictum in hoc libro, quid dicendum in sequente.* Quapropter substantia, vel, si melius dicitur, essentia Dei, ubi pro modulo nostro ex quantulacumque particula intelligimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quandoquidem nullo modo mutabilis est, nullo modo potest ipsa per semetipsam esse visibilis.

22. Proinde illa omnia quæ Patribus visa sunt, cum Deus illis secundum suam dispensationem temporibus congruam præsentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Et si nos latet quomodo ea ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta, non ex nostro sensu dicimus, ne cuiquam videamur plus sapere; sed sapimus ad temperantiam, sicut Deus nobis partitus est mensuram fidei (*Rom.* xii, 3), et credimus, propter quod et loquimur (II *Cor.* iv, 13). Exstat enim auctoritas divinarum Scripturarum, unde mens nostra deviare non debet, nec relicto solidamento divini eloquii per suspicionum suarum abrupta præcipitari, ubi nec sensus corporis regit, nec perspicua ratio veritatis elucet. Apertissime quippe scriptum est in Epistola ad Hebræos, cum dispensatio Novi Testamenti a dispensatione Veteris Testamenti secundum congruentiam sæculorum ac temporum distingueretur, non tantum illa visibilia, sed ipsum etiam sermonem per Angelos factum. Sic enim dicit: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede ad dexteram meam, quo usque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt ministri spiritus, ad ministrationem missi, propter eos qui futuri sunt hæreditate possidere salutem* (*Hebr.* i, 13, 14)? Hinc ostendit illa omnia non solum per Angelos facta, sed etiam propter nos facta, id est, propter populum Dei, cui promittitur hæreditas vitæ æternæ. Sicut ad Corinthios etiam scriptum est: *Omnia hæc in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum obvenit* (I *Cor.* x, 11). Deinde quia tunc per Angelos, nunc autem per Filium sermo factus est, consequenter aperteque demonstrans: *Propterea*, inquit, *abundantius oportet attendere nos ea quæ audivimus, ne forte defluamus: si enim qui per Angelos dictus est, sermo factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia justam accepit mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, tantam negligentes salutem?* Et quasi quæreres quam salutem, ut ostenderet se de Novo Testamento jam dicere, id est, sermone qui non per Angelos, sed per Dominum factus est: *Quæ cum initium accepisset*, inquit, *ut enarraretur per Dominum, ab iis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti divisionibus secundum suam voluntatem* (*Hebr.* ii, 1-4).

23. Sed, ait aliquis, cur ergo scriptum est, *Dixit Dominus ad Moysen;* et non potius, Dixit Angelus ad Moysen? Quia cum verba judicis præco pronuntiat, non scribitur in gestis, Ille præco dixit; sed, Ille judex: sic etiam loquente propheta sancto, etsi dicamus, Propheta dixit, nihil aliud quam Dominum dixisse intelligi volumus. Et si dicamus, Dominus dixit, prophetam non subtrahimus, sed quis per eum dixerit admonemus. Et illa quidem Scriptura sæpe aperit angelum esse Dominum [1], quo loquente identidem

[1] Plerique Mss., *Domini.*

dicitur, Dominus dixit, sicut jam demonstravimus. Sed propter eos, qui cum Scriptura illic angelum nominat, ipsum per se ipsum Filium Dei volunt intelligi, quia propter annuntiationem paternæ ac suæ voluntatis a propheta dictus est angelus : propterea volui ex hac epistola manifestius testimonium dare, ubi non dictum est, per Angelum ; sed *per Angelos*.

24. Nam et Stephanus in Actibus Apostolorum eo more narrat hæc, quo etiam in Libris veteribus conscripta sunt : *Viri fratres et patres, audite*, inquit : *Deus gloriæ apparuit Abrahæ patri nostro, cum esset in Mesopotamia* [1] (*Act.* VII, 2). Ne quis autem arbitraretur tunc Deum gloriæ, per id quod in se ipso est, cujusquam oculis apparuisse mortalium, in consequentibus dicit, quod Moysi angelus apparuerit. *Fugit*, inquit, *Moyses in verbo isto, et factus est inquilinus in terra Madian, ubi genuit filios duos. Et completis illic quadraginta annis, apparuit illi in deserto montis Sina angelus Domini in flamma ignis in rubo. Moyses autem videns, mirabatur visum. Qui cum accederet considerare, facta est vox Domini dicens : Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare. Dixitque illi Dominus, Solve calceamentum pedum tuorum* (*Exod.* II, 15-III, 7), etc. Ilic certe et angelum et Dominum dicit, eumdemque Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob, sicut in Genesi scriptum est.

25. An forte quisquam dicturus est quod Moysi per angelum apparuit Dominus, Abrahæ vero per se ipsum? At hoc a Stephano non quæramus : ipsum librum unde Stephanus ista narravit, interrogemus. Numquid enim quia scriptum est, *Et dixit Dominus Deus ad Abraham* (*Gen.* XII, 1) ; et paulo post, *Et visus est Dominus Deus Abrahæ* (*Id.* XVII, 1) : propterea ista non per Angelos facta sunt? Cum alio loco similiter dicat, *Visus est autem ei Deus ad ilicem Mambre, sedenti ad ostium tabernaculi sui meridie* ; et tamen consequenter adjungat, *Respiciens autem oculis suis vidit, et ecce tres viri stabant super eum* [2] ; de quibus jam diximus (*Id.* XVIII, 1, 2). Quomodo enim poterunt isti, qui vel a verbis ad intellectum nolunt assurgere, vel facile se ab intellectu in verba præcipitant, quomodo poterunt explicare visum esse Deum in viris tribus, nisi eos, sicut etiam consequentia docent, angelos fuisse fateantur? An quia non dictum est, Angelus ei locutus est, vel, apparuit ; propterea dicere audebunt, Moysi quidem illam visionem ac vocem per angelum factam, quia ita scriptum est ; Abrahæ autem, quia commemoratio angeli non est facta, per substantiam suam Deum apparuisse atque sonuisse? Quid quod nec apud Abraham de angelo tacitum est? Nam ita legitur, cum immolandus filius ejus præciperetur [3] : *Et factum est post hæc verba, tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum : Abraham, Abraham. Et ille dixit : Ecce ego. Et dixit ei : Accipe filium tuum dilectum, quem diligis, Isaac, et vade in terram excelsam, et offer eum ibi in holocaustum super unum montium quem tibi dixero.* Certe hic Deus, non angelus, commemoratus est. Paulo post vero ita se habet Scriptura : *Extendens autem Abraham manum suam, sumpsit gladium, occidere* [1] *filium suum. Et vocavit eum angelus Domini de cœlo, et dixit ei : Abraham, Abraham. Et dixit : Ecce ego. Et dixit : Ne injicias manum tuam super puerum, neque facias ei quidquam.* Quid ad hoc respondetur? An dicturi sunt Deum jussisse ut occideretur Isaac, et angelum prohibuisse ; porro ipsum patrem adversum Dei præceptum, qui jusserat ut occideret, obtemperasse angelo ut parceret? Ridendus et abjiciendus hic sensus est. Sed neque huic tam crasso [2] et abjecto ullum locum Scriptura esse permittit, continuo subjungens : *Nunc enim cognovi quia times Deum tu, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* Quid est, *propter me* ; nisi propter eum qui occidi jusserat? Idem igitur Deus Abrahæ qui angelus, an potius per angelum Deus? Accipe sequentia : certe jam hic angelus manifestissime expressus est ; attende tamen quid contexatur : *Respiciens Abraham oculis suis vidit, et ecce aries unus tenebatur in arbore sabech cornibus ; et abiit Abraham, et accepit arietem, et obtulit eum holocaustum pro Isaac filio suo. Et cognominavit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit, ut dicant hodie quod in monte Dominus visus est :* sicut paulo ante quod dixit Deus per angelum, *Nunc enim cognovi quia times Deum* ; non quia tunc Deus cognovisse intelligendus est, sed egisse ut per Deum ipse Abraham cognosceret quantas haberet vires cordis ad obediendum Deo usque ad immolationem unici filii : illo modo locutionis quo significatur per efficientem id quod efficitur, sicut dicitur frigus pigrum, quod pigros facit ; ut ideo cognovisse diceretur, quia ipsum Abraham cognoscere fecerat, quem poterat latere fidei suæ firmitas, nisi tali experimento probaretur. Ita et hic cognominavit Abraham nomen loci illius, *Dominus vidit* : id est, quod videri se fecit. Nam continuo secutus ait, *Ut dicant hodie quod in monte Dominus visus est*. Ecce idem angelus Dominus dicitur : quare, nisi quia per angelum Dominus? Jam vero in eo quod sequitur, prophetice omnino loquitur angelus, et prorsus aperit quod per angelum Deus loquatur. *Et vocavit*, inquit, *angelus Domini Abraham iterum de cœlo, dicens : Per me juravi, dicit Dominus, pro eo quod fecisti hoc verbum, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me* (*Id.* XXII), etc. Hæc certe verba, ut dicat ille per quem loquitur Dominus, *Hæc dicit Dominus*, etiam Prophetæ solent habere. An Filius Dei de Patre ait, *Dicit Dominus*, et ipse est ille Angelus Patris? Quid ergo? de illis tribus viris nonne respiciunt quomodo urgeantur, qui visi sunt Abrahæ, cum prædictum esset, *Visus est ei Dominus?* An quia viri dicti sunt, non erant Angeli? Danielem legant dicentem, *Ecce vir Gabriel* (*Dan.* IX, 21).

[1] Am. et quidam Mss., *in Mesopotamia Syriæ*.
[2] Er. et Lov. hoc loco habent, *propter eum*. sed constanter Mss. ut supra, libro 2 contra Maximinum, cap. 23, n. 5, *super eum*. Græce apud LXX, *épanô autoû*.
[3] Mss. plerique, *peterctur*.

[1] Editi, *volens occidere*. Abest, *volens*, a Mss., et a græco LXX.
[2] In Mss., *tam grosso*.

26. Sed quid ultra differimus ora eorum evidentissimo atque gravissimo alio documento oppilare, ubi non angelus singulariter, nec viri pluraliter, sed omnino Angeli dicuntur, per quos sermo non quilibet factus, sed lex ipsa data manifestissime ostenditur, quam certe nullus fidelium dubitat Deum dedisse Moysi ad subjugandum populum Israel, sed tamen per Angelos datam? Ita Stephanus loquitur : *Dura cervice*, inquit, *et non circumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut et patres vestri. Quem Prophetarum non persecuti sunt patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus nunc vos proditores et interfectores fuistis, qui accepistis legem in edictis Angelorum, nec custodistis* (*Act.* VII, 51-53). Quid hoc evidentius? quid tanta auctoritate robustius? In edictis quidem Angelorum lex illi populo data est : sed Domini Jesu Christi per eam disponebatur et prænuntiabatur adventus; et ipse tanquam Verbum Dei miro et ineffabili modo erat in Angelis, in quorum edictis lex ipsa dabatur. Unde dicit in Evangelio, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46). Per Angelos ergo tunc Dominus loquebatur, per Angelos Filius Dei, mediator Dei et hominum futurus ex semine Abrahæ suum disponebat adventum, ut inveniret a quibus reciperetur, confitentes se reos, quos lex non impleta fecerat transgressores. Unde et Apostolus ad Galatas dicit, *Quid ergo lex? Transgressionis gratia posita est* [1], *donec veniret semen cui promissum est, dispositum* [2] *per Angelos in manu Mediatoris* (*Galat.* III, 19) : hoc est dispositum per Angelos in manu sua. Non enim natus est per conditionem, sed per potestatem. Quod autem non aliquem ex Angelis dicit mediatorem, sed ipsum Dominum Jesum Christum, in quantum homo fieri dignatus est, habes alio loco : *Unus*, inquit, *Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5). Hinc illud Pascha in interfectione agni (*Exod.* XII) : hinc illa omnia quæ de Christo venturo in carne atque passuro, sed et resurrecturo in lege figurantur, quæ data est in edictis Angelorum, in quibus Angelis erat utique et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; et aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus sanctus, aliquando sine ulla distinctione personæ Deus per illos figurabatur, etsi visibilibus et sensibilibus formis apparens, per creaturam tamen suam, non per substantiam, cui videndæ corda mundantur per hæc omnia quæ oculis videntur et auribus audiuntur.

27. Sed jam satis, quantum existimo, pro capta nostro disputatum et demonstratum est, quod in hoc libro susceperamus ostendere : constititque et probabilitate rationis quantum homo vel potius quantum ego potui, et firmitate auctoritatis quantum de Scripturis sanctis divina eloquia patuerunt, quod antiquis patribus nostris ante incarnationem Salvatoris, cum Deus apparere diceretur, voces illæ ac species corporales per Angelos factæ sunt; sive ipsis loquentibus vel agentibus aliquid ex persona Dei, sicut etiam Prophetas solere ostendimus; sive assumentibus ex creatura quod ipsi non essent, ubi Deus figurate demonstraretur hominibus; quod genus significationum nec Prophetas omisisse, multis exemplis docet Scriptura. Superest igitur jam ut videamus, cum et nato per virginem Domino, et corporali specie sicut columba descendente Spiritu sancto (*Matth.* III, 16), visisque igneis linguis sonitu facto de cœlo die Pentecostes post ascensionem Domini (*Act.* II, 1-4), non ipsum Dei Verbum per substantiam suam qua Patri æquale atque coæternum est, nec Spiritus Patris et Filii per suam substantiam qua et ipse utrisque æqualis [1] atque coæternus est, sed utique creatura [2] quæ illis modis formari et existere potuit corporeis atque mortalibus sensibus apparuerit, quid inter illas demonstrationes et has proprietates Filii Dei et Spiritus sancti, quamvis per creaturam visibilem factas, intersit : quod ab alio volumine commodius ordiemur.

[1] Plures Mss., *proposita est*. Græce est, *prosetethê*.
[2] Editi, *disposita*. At plerique Mss., *dispositum*; referendo ad semen.

[1] Ven., *utriusque æqualis*. Lov., *utrisque æqualis*, cum hac adnotatione marginali : « Alias, *utrique æqualis*. » M.
[2] Ita Mss. Editi vero, *sed utique per creaturam*.

LIBER QUARTUS.

Explicat ad quid missus sit Filius Dei : Christo videlicet pro peccatoribus moriente persuadendum nobis fuisse imprimis et quantum nos dilexerit Deus, et quales dilexerit. Opportune etiam ut ad contemplandum Deum et cohærendum Deo mundaremur, Verbum in carne venisse. Ipsius morte una et simplici duplicem nostram solutam esse; ubi edisserit quemadmodum simplum Salvatoris nostri duplo nostro conducat ad salutem, et de perfectione numeri senarii, in quem numerum ipsa simplo ad duplum ratio deducitur, fusius agit. Docet colligi omnes ex multis in unum per unum mediatorem vitæ Christum, per quem solum vera fit animæ purgatio. Cæterum Filium Dei, quanquam missione factus sit minor propter formam servi quam suscepit, non tamen ideo minorem Patre secundum formam Dei qua ab ipso missus est : eamdemque de Spiritus sancti missione rationem esse demonstrat.

Prooemium. — 1. *Scientia Dei a Deo petenda.* Scientiam terrestrium cœlestiumque rerum magni æstimare solet genus humanum : in quo profecto meliores sunt qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos; laudabiliorque est animus cui nota est vel infirmitas sua, quam qui ea non respecta, vias siderum scrutatur etiam cogniturus, aut qui jam cognitas tenet, ignorans ipse qua ingrediatur ad salutem a: firmitatem suam. Qui vero jam evigilavit in Deum, Spiritus sancti calore excitatus, atque in ejus amore coram se vilult, ad eumque intrare volens nec valens, eoque sibi lucente attendit in se, invenitque se, suamque ægritudinem illius munditiæ contemperari non posse cognovit; flere dulce habet, eumque deprecari, ut etiam atque etiam misereatur, donec exuat totam miseriam, et precari cum fiducia, jam accepto gratuito pignore sa-

lutis, per ejus unicum Salvatorem hominis et illuminatorem : hunc ita agentem [1] et dolentem scientia non inflat, quia charitas ædificat (I *Cor.* VIII, 1); præposuit enim scientiam scientiæ, præposuit scire infirmitatem suam, magis quam scire mundi mœnia, fundamenta terrarum, et fastigia cœlorum : et hanc apponendo scientiam, apposuit dolorem (*Eccle.* I, 18); dolorem peregrinationis suæ ex desiderio patriæ suæ, et conditoris ejus beati Dei sui. In hoc genere hominum, in familia Christi tui, Domine Deus meus, si inter pauperes tuos gemo, da mihi de pane tuo respondere hominibus qui non esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V, 6), sed satiati sunt et abundant. Satiavit autem illos phantasma eorum, non veritas tua, quam repellendo resiliunt, et in suam vanitatem cadunt. Ego certe sentio quam multa figmenta pariat cor humanum : et quid est cor meum, nisi cor humanum? Sed hoc oro Deum cordis mei, ut nihil ex eis figmentis pro solido vero eructuem in has litteras, sed inde veniat in eas quidquid per me venire potuerit, unde mihi, quamvis projecto a facie oculorum suorum (*Psal.* XXX, 23), et de longinquo redire conanti [2], per viam quam stravit humanitate [3] divinitas Unigeniti sui, aura veritatis ejus aspergitur. Quam in tantum licet mutabilis haurio, in quantum in ea nihil mutabile video, nec locis et temporibus, sicut corpora; nec solis temporibus et quasi locis, sicut spirituum nostrorum cogitationes; nec solis temporibus, et nulla vel imagine locorum, sicut quædam nostrarum mentium ratiocinationes. Omnino enim Dei essentia, qua est, nihil mutabile habet, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate : quia æterna ibi est veritas, æterna charitas; et vera ibi est charitas, vera æternitas; et chara ibi est æternitas, chara veritas.

CAPUT PRIMUM. — 2. *Per agnitionem infirmitatis nostræ perficimur. Verbum incarnatum tenebras nostras pellit.* Sed quoniam exsulavimus ab incommutabili gaudio, nec tamen inde præcisi atque abrupti sumus, ut non etiam in istis mutabilibus et temporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinem quæreremus (nec mori enim, nec falli, nec perturbari volumus); missa sunt nobis divinitus visa congrua peregrinationi nostræ, quibus admoneremur non hic esse quod quærimus, sed illuc ab ista [4] esse redeundum, unde nisi penderemus, hic ea non quæreremus. Ac primum nobis persuadendum fuit, quantum nos diligeret Deus, ne desperatione non auderemus erigi in eum. Quales autem dilexerit, ostendi oportebat, ne tanquam de meritis nostris superbientes, magis ab eo resiliremus et in nostra fortitudine magis deficeremus : ac per hoc egit nobiscum, ut per ejus fortitudinem potius proficeremus, atque ita in infirmitate humilitatis perficeretur virtus charitatis. Hoc significat in Psalmo, ubi ait : *Pluviam voluntariam segregans, Deus, hæreditati tuæ; et infirmata est, tu vero perfecisti eam* (*Psal.* LXVII, 10). Pluviam quippe voluntariam nonnisi gratiam vult intelligi, non merito redditam, sed gratis datam, unde et gratia nominatur: dedit enim eam, non quia digni eramus, sed qui voluit. Hoc cognoscentes, non fidentes in nobis erimus; et hoc est infirmari. Ipse vero perficit nos, qui etiam Paulo apostolo dixit : *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 9). Persuadendum ergo erat homini quantum nos dilexerit Deus, et quales dilexerit : quantum, ne desperaremus; quales, ne superbiremus. Hunc locum Apostolus pernecessarium sic explicat : *Commendat autem*, inquit, *suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius* (*Rom.* V, 8-10). Item alio loco : *Quid ergo*, inquit, *dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non et cum illo nobis omnia donavit* (*Id.* VIII, 31, 32)? Quod autem factum nobis annuntiatur, hoc futurum ostendebatur et antiquis justis, ut per eamdem fidem etiam ipsi humiliati infirmarentur, et infirmati perficerentur.

3. Quia igitur unum Verbum Dei est, per quod facta sunt omnia, quod est incommutabilis veritas, ibi principaliter [1] atque incommutabiliter sunt omnia simul; non solum quæ nunc sunt in hac universa creatura, verum etiam quæ fuerunt et quæ futura sunt. Ibi autem nec fuerunt, nec futura sunt, sed tantummodo sunt; et omnia vita sunt, et omnia unum sunt, et magis unum est et una vita est. Sic enim omnia per ipsum facta sunt, ut quidquid factum est in his, in illo vita sit, et facta non sit : quia *in principio* non factum est Verbum, sed *erat Verbum apud Deum, et Deus erat Verbum*, et *omnia per ipsum facta sunt;* nec per ipsum omnia facta essent, nisi ipsum esset ante omnia, factumque non esset. In iis autem quæ per ipsum facta sunt, etiam corpus quod vita non est, per ipsum non fieret, nisi in illo, antequam fieret, vita esset. *Quod* enim *factum est*, jam *in illo vita erat*, et non qualiscumque vita : nam et anima vita est corporis, sed et hæc facta est, quia mutabilis est; et per quid facta est, nisi per Dei Verbum incommutabile? *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod* ergo *factum est*, jam *in illo vita erat*, et non qualiscumque vita, sed *vita erat lux hominum :* lux utique rationalium mentium, per quas homines a pecoribus differunt, et ideo sunt homines. Non ergo lux corporea, quæ lux est carnium, sive de cœlo fulgeat, sive terrenis ignibus accendatur, nec humanarum tantum carnium, sed etiam belluinarum et usque ad minutissimos quoque vermiculos. Omnia enim hæc vident istam lucem : at illa

[1] Omnes prope Mss., *ita egentem.*
[2] Remensis vetustissimus codex, *et de longinquo conanti;* omisso, *redire.*
[3] Editi, *humanitati.* Melius Mss., *humanitate.*
[4] Editi, *ad ipsa.* At Mss., *ab ista;* scilicet peregrinatione.

[1] Sic Mss. plerique. At editi, *ubi principaliter.* Et rursum paulo post, *ubi autem*, pro, *ibi autem.*

vita lux hominum erat; nec longe posita ab unoquoque nostrum : in illa enim vivimus, et movemur, et sumus (*Act.* XVII, 27. 28).

CAPUT II. — 4. *Quomodo per Verbum incarnatum reddimur habiles percipiendæ veritati.—Sed lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Tenebræ autem sunt stultæ mentes hominum, prava cupiditate atque infidelitate cæcatæ. Has ut curaret atque sanaret *Verbum*, per quod facta sunt omnia, *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1-14). Illuminatio quippe nostra participatio Verbi est, illius scilicet vitæ quæ lux est hominum. Huic autem participationi prorsus inhabiles, et minus idonei eramus, propter immunditiam peccatorum. Mundandi ergo eramus. Porro iniquorum et superborum una mundatio est sanguis justi, et humilitas Dei : ut ad contemplandum Deum quod natura non sumus, per eum mundaremur factum quod natura sumus, et quod peccato non sumus. Deus enim natura non sumus : homines natura sumus, justi peccato non sumus. Deus itaque factus homo justus, intercessit Deo pro homine peccatore. Non enim congruit peccator justo, sed congruit homini homo. Adjungens ergo nobis similitudinem humanitatis suæ, abstulit dissimilitudinem [1] iniquitatis nostræ : et factus particeps mortalitatis nostræ, fecit nos participes divinitatis suæ. Merito quippe mors peccatoris veniens ex damnationis necessitate, soluta est per mortem justi venientem ex misericordiæ voluntate, dum simplum ejus congruit duplo nostro. Hæc enim congruentia, sive convenientia, vel concinentia, vel consonantia, vel si quid commodius dicitur, quod unum est ad duo, in omni compaginatione, vel, si melius dicitur, coaptatione creaturæ, valet plurimum. Hanc enim coaptationem, sicut mihi nunc occurrit, dicere volui, quam Græci ἁρμονίαν vocant. Neque nunc locus est, ut ostendam quantum valeat consonantia simpli ad duplum, quæ maxima in nobis reperitur [2], et sic nobis insita naturaliter, (a quo utique, nisi ab eo qui nos creavit ?) ut nec imperiti possint eam non sentire, sive ipsi cantantes, sive alios audientes : per hanc quippe voces acutiores gravioresque concordant, ita ut quisquis ab ea dissonuerit, non scientiam, cujus expertes sunt plurimi, sed ipsum sensum auditus nostri vehementer offendat. Sed hoc ut demonstretur, longo sermone opus est : ipsis autem auribus exhiberi potest ab eo qui novit in regulari monochordo.

CAPUT III. — 5. *Una mors et resurrectio corporis Christi, duplici nostræ morti ac resurrectioni corporis et animæ concinit ad salutem. Duplæ morti nostræ quomodo simpla mors Christi impensa.* Verum quod instat in præsentia [3], quantum donat Deus, edisserendum est quemadmodum simplum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi duplo nostro congruat, et quodam modo concinat ad salutem. Nos certe, quod nemo christianus ambigit, et anima et corpore mortui sumus : anima, propter peccatum ; corpore, propter pœnam peccati, ac per hoc et corpore propter peccatum. Utrique autem rei nostræ, id est, et animæ et corpori, medicina et resurrectione [1] opus erat, ut in melius renovaretur quod erat in deterius commutatum. Mors autem animæ impietas est ; et mors corporis, corruptibilitas, per quam fit et animæ a corpore abscessus. Sicut enim anima Deo deserente, sic corpus anima deserente moritur : unde illa fit insipiens ; hoc, exanime. Resuscitatur enim anima [2] per pœnitentiam, et in corpore adhuc mortali renovatio vitæ inchoatur a fide, qua creditur in eum qui justificat impium (*Rom.* IV, 5), bonisque moribus augetur et roboratur de die in diem, cum magis magisque renovatur interior homo (II *Cor.* IV, 16). Corpus vero tanquam homo exterior, quanto est hæc vita diuturnior, tanto magis magisque corrumpitur, vel ætate, vel morbo, vel variis afflictionibus, donec veniat ad ultimam [3] quæ ab omnibus mors vocatur. Ejus autem resurrectio differtur in finem ; cum et ipsa justificatio nostra perficietur ineffabiliter. Tunc enim similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2). Nunc vero quamdiu corpus quod corrumpitur aggravat animam (*Sap.* IX, 15), et vita humana super terram tota tentatio est (*Job* VII, 1), non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens (*Psal.* CXLII, 2), in comparatione justitiæ qua æquabimur Angelis, et gloriæ quæ revelabitur in nobis. De morte autem animæ a morte corporis distinguenda, quid plura documenta commemorem ; cum Dominus in una sententia evangelica utramque mortem cuivis facile discernendam posuerit, ubi ait : *Sine mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22) ? Sepeliendum quippe corpus mortuum erat : sepultores autem ejus per infidelitatis impietatem [4] in anima mortuos intelligi voluit, quales excitantur cum dicitur, *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14). Detestatur autem quamdam mortem Apostolus, dicens de vidua : *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est* (I *Tim.* V, 6). Anima igitur jam pia, quæ fuit impia, propter justitiam fidei dicitur ex morte revixisse atque vivere. Corpus autem non tantum moriturum propter animæ abscessum qui futurus est, sed propter tantam infirmitatem [5] carnis et sanguinis, quodam in loco in Scripturis etiam mortuum dicitur, loquente Apostolo : *Corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam.* Hæc vita ex fide facta est ; quoniam justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17). Sed quid sequitur ? *Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Jesum*

[1] Sic Mss. At editi, *similitudinem*.
[2] Hic aliquot Mss. omittunt, *in nobis*. Post, *reperitur*, editi ferebant, *ut sit nobis*. Corrupte.
[3] Am. et plures Mss. : *Verum quod instat imprœsentiarum*.

[1] Plures Mss., *medicina ex resurrectione*.
[2] Plures Mss. : *Resuscitatur ergo anima*.
[3] Er. Lugd. Ven. Lov. addunt, *afflictionem* ; in B. deest hæc vox ; sed notatur in margine : « subaudi, *afflictionem*. » M.
[4] Am. et omnes fere Mss., *per infidelitatem impietatis*.
[5] Editi, *propter infirmitatem tantum*. At Mss., *propter infirmitatem tantam*.

a mortuis, habitat in vobis ; qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis (*Rom.* VIII, 10, 11).

6. Huic ergo duplæ morti nostræ Salvator noster invenit simplam suam : et ad faciendam utramque resuscitationem nostram, in sacramento et exemplo præposuit et proposuit unam suam. Neque enim fuit peccator aut impius, ut ei tanquam spiritu mortuo in interiore homine renovari opus esset, et tanquam resipiscendo ad vitam justitiæ revocari : sed indutus carne mortali, et sola moriens, sola resurgens, ea sola nobis ad utrumque concinuit, cum in ea fieret interioris hominis sacramentum, exterioris exemplum. Interioris enim hominis nostri sacramento data est illa vox, pertinens ad mortem animæ nostræ significandam, non solum in Psalmo, verum etiam in cruce : *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 1, *et Matth.* XXVII, 46) ? Cui voci congruit Apostolus dicens : *Scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Crucifixio quippe interioris hominis pœnitentiæ dolores intelliguntur, et continentiæ quidam salubris cruciatus, per quam mortem mors impietatis perimitur, in qua nos reliquit Deus [1]. Et ideo per talem crucem evacuatur corpus peccati, ut jam non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato (*Rom.* VI, 6, 13). Quia et interior homo si utique renovatur de die in diem (II *Cor.* IV, 16), profecto vetus est antequam renovetur. Intus namque agitur quod idem apostolus dicit : *Exuite vos veterem hominem, et induite novum.* Quod ita consequenter exponit : *Quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem* (*Ephes.* IV, 22-25). Ubi autem deponitur mendacium, nisi intus, ut inhabitet in monte sancto Dei qui loquitur veritatem in corde suo (*Psal.* XIV, 1, 3) ? Resurrectio vero corporis Domini ad sacramentum interioris resurrectionis nostræ pertinere ostenditur, ubi postquam resurrexit, ait mulieri : *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* XX, 17). Cui mysterio congruit Apostolus dicens : *Si autem consurrexistis cum Christo ; quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens ; quæ sursum sunt, sapite* (*Coloss.* III, 1, 2). Hoc est enim Christum non tangere, nisi cum ascenderit ad Patrem, non de Christo sapere carnaliter. Jam vero ad exemplum mortis exterioris hominis nostri Dominicæ carnis mors pertinet, quia per talem passionem maxime hortatus est servos suos, ut non timeant eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X, 28). Propter quod dicit Apostolus : *Ut suppleam quæ desunt pressurarum Christi in carne mea* (*Coloss.* I, 24). Et ad exemplum resurrectionis exterioris hominis nostri pertinere invenitur resurrectio corporis Domini, quia discipulis ait : *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39). Et unus ex discipulis etiam cicatrices ejus contrectans, exclamavit dicens, *Dominus meus, et Deus meus* (*Joan.* XX, 28) ! Et cum illius carnis tota integritas appareret, demonstratum est in ea quod suos exhortans dixerat : *Capillus capitis vestri non peribit* (*Luc.* XXI, 18). Unde enim primo, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum ;* et unde antequam ascendat ad Patrem a discipulis tangitur, nisi quia illic insinuabatur interioris hominis sacramentum, hoc præbebatur exterioris exemplum ? An forte quisquam ita est absurdus atque aversus a vero, ut audeat dicere a viris eum tactum antequam ascenderet ; a mulieribus autem, cum ascendisset ? Propter hoc exemplum futuræ nostræ resurrectionis in corpore, quod præcessit in Domino, dicit Apostolus : *Initium Christus, deinde qui sunt Christi* (I *Cor.* XV, 23). De corporis enim resurrectione illo loco agebatur, propter quam etiam dicit : *Transfiguravit* [1] *corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ* (*Philipp.* III, 21). Una ergo mors nostri Salvatoris duabus mortibus nostris saluti fuit. Et una ejus resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit, cum corpus ejus in utraque re, id est, et in morte et in resurrectione, et sacramento interioris hominis nostri, et exemplo exterioris, medicinali quadam convenientia ministratum est.

CAPUT IV. — 7. *Ratio simpli ad duplum ex perfectione senarii numeri. Senarii perfectio in Scripturis commendata. Annus senario numero pollet.* Hæc autem ratio simpli ad duplum oritur quidem a ternario numero ; unum quippe ad duo, tria sunt : sed hoc totum quod dixi, ad senarium pervenit ; unum enim et duo et tria sex fiunt. Qui numerus propterea perfectus dicitur quia partibus suis completur : habet enim illas tres, sextam, tertiam, dimidiam ; nec nulla pars alia, quæ dici possit quota sit, invenitur in eo. Sexta ergo ejus unum est ; tertia, duo ; dimidia, tria. Unum autem et duo et tria consummant eumdem senarium. Cujus perfectionem nobis sancta Scriptura commendat, in eo maxime quod Deus sex diebus perfecit opera sua, et sexto die factus est homo ad imaginem Dei (*Gen.* I, 27). Et sexta ætate generis humani, Filius Dei venit et factus est filius hominis, ut nos reformaret ad imaginem Dei. Ea quippe nunc ætas agitur, sive milleni anni singulis distribuantur ætatibus, sive in divinis Litteris memorabiles atque insignes quasi articulos temporum vestigemus, ut prima ætas inveniatur ab Adam usque ad Noe, inde secunda usque ad Abraham : et deinceps, sicut Matthæus evangelista distinxit, ab Abraham usque ad David, a David usque ad transmigrationem in Babyloniam, atque inde usque ad virginis partum (*Matth.* I, 17). Quæ tres ætates conjunctæ illis duabus, quinque faciunt. Proinde sextam inchoavit nativitas Domini, quæ nunc agitur usque ad occultum temporis finem. Hunc senarium numerum quamdam temporis gerere figuram, etiam in illa ratione tripartitæ dis-

[1] Editi, *in qua nos non dereliquit Deus.* At melioris notæ Mss., *in qua nos reliquit* (sive, *relinquit*) *Deus* : id est in morte et crucifixione interioris hominis nostri, doloribus videlicet pœnitentiæ ac continentiæ cruciatu.

[1] Aliquot Mss. : *Transfigurabit.*

tributionis agnoscimus, qua unum tempus computamus ante Legem; alterum, sub Lege; tertium, sub gratia. In quo tempore sacramentum renovationis accepimus: ut in fine temporis etiam resurrectione carnis omni ex parte renovati, ab universa, non solum animæ, verum etiam corporis infirmitate sanemur. Unde intelligitur illa mulier in typo Ecclesiæ a Domino sanata et erecta, quam curvaverat infirmitas alligante satana. De talibus enim occultis hostibus plangit illa vox Psalmi: *Curvaverunt animam meam* (*Psal.* LVI, 7). Hæc autem mulier decem et octo annos habebat in infirmitate, quod est ter seni. Menses autem annorum decem et octo inveniuntur in numero solidi quadrati senarii, quod est sexies seni, et hoc sexies. Juxta quippe est in eodem Evangelii loco, arbor quoque illa ficulnea, cujus miseram sterilitatem etiam tertius annus arguebat. Sed ita pro illa intercessum est, ut dimitteretur illo anno, ut si fructum ferret, bene; sin aliter, excideretur (*Luc.* XIII, 6 17). Nam et tres anni ad eamdem tripartitam distributionem pertinent, et menses trium annorum quadratum senarium faciunt, quod est sexies seni.

8. Annus etiam unus, si duodecim menses integri considerentur, quos triceni dies complent (talem quippe mensem veteres observaverunt, quem circuitus lunaris ostendit), senario numero pollet. Quod enim valent sex in primo ordine numerorum, qui constat ex unis ut perveniatur ad decem; hoc valent sexaginta in secundo ordine, qui constat ex denis ut perveniatur ad centum. Sexagenarius ergo numerus dierum, sexta pars anni est. Proinde per senarium primi versus multiplicatur[1], tanquam senarius secundi versus, et fiunt sexies sexageni, trecenti et sexaginta dies, qui sunt integri duodecim menses. Sed quoniam sicut mensem circuitus lunæ ostendit hominibus, sic annus circuitu solis animadversus est; restant autem quinque dies et quadrans diei, ut sol impleat cursum suum annumque concludat: quatuor enim quadrantes faciunt unum diem, quem necesse est intercalari excurso quadriennio, quod bissextum vocant, ne temporum ordo turbetur: etiam ipsos dies quinque et quadrantem si consideremus, senarius numerus in eis plurimum valet. Primum, quia sicut fieri solet ut a parte totum computetur, non sunt jam dies quinque, sed potius sex, ut quadrans ille accipiatur pro die. Deinde, quia in ipsis quinque diebus sexta pars mensis est: ipse autem quadrans sex horas habet. Totus enim dies, id est, cum sua nocte, viginti quatuor horæ sunt, quarum pars quarta, quæ est quadrans diei, sex horæ inveniuntur: ita in anni cursu senarius numerus plurimum valet.

CAPUT V. — 9. *Senarius item in ædificatione corporis Christi ac templi Jerosolymitani commendatus.* Nec immerito in ædificatione corporis Dominici, in cujus figura templum a Judæis destructum triduo se resuscitaturum esse dicebat, numerus ipse senarius pro anno positus intelligitur. Dixerunt enim: *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum.* Et quadragies sexies seni, fiunt ducenti septuaginta sex. Qui numerus dierum complet novem menses et sex dies, qui tanquam decem menses parientibus feminis imputantur: non quia omnes ad sextum diem post nonum mensem perveniunt, sed quia ipsa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur, sicut a majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas. Octavo enim calendas aprilis conceptus creditur, quo et passus: ita monumento novo quo sepultus est, ubi nullus erat mortuorum positus (*Joan.* XIX, 41, 42), nec ante, nec postea, congruit uterus virginis quo conceptus est, ubi nullus seminatus est mortalium. Natus autem traditur octavo calendas januarias. Ab illo ergo die usque ad istum computati[1], ducenti septuaginta et sex reperiuntur dies, qui senarium numerum quadragies sexies habent. Quo numero annorum templum ædificatum est, quia eo numero senariorum corpus Domini perfectum est, quod mortis passione destructum, triduo resuscitavit. *Dicebat* enim hoc *de templo corporis sui* (*Id.* II, 19-21), sicut evidentissimo et robustissimo Evangelii testimonio declaratur, quo ait: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus* (*Matth.* XII, 40).

CAPUT VI. — 10. *Triduum resurrectionis, in quo etiam apparet ratio simpli ad duplum.* Ipsum autem triduum non totum et plenum fuisse, Scriptura testis est: sed primus dies a parte extrema totus annumeratus est; dies vero tertius a parte prima, et ipse totus; medius autem inter eos, id est, secundus dies absolute totus viginti quatuor horis suis, duodecim nocturnis et duodecim diurnis. Crucifixus est enim primo Judæorum vocibus hora tertia, cum esset dies sexta sabbati. Deinde in ipsa cruce suspensus est hora sexta, et spiritum tradidit hora nona (*Id.* XXVII, 23-50). Sepultus est autem *cum jam sero factum esset*, sicut sese habent verba Evangelii (*Marc.* XV, 42-46); quod intelligitur, in fine diei. Undelibet ergo incipias, etiam si alia ratio reddi potest, quomodo non sit contra Evangelium Joannis (*Joan.* XIX, 14), ut hora tertia ligno suspensus intelligatur; totum diem [2] primum non comprehendis. Ergo a parte extrema totus computabitur, sicut tertius a parte prima. Nox enim usque ad diluculum, quo Domini resurrectio declarata est, ad tertium diem pertinet: quia Deus qui dixit de tenebris lucem clarescere (II *Cor.* IV, 6), ut per gratiam Novi Testamenti et participationem resurrectionis Christi audiremus, *Fuistis enim aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8); insinuat nobis quodam modo quod a nocte dies sumat initium. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum a luce in noctem (*Gen.* I, 4, 5); ita isti propter hominis reparationem a tenebris ad lucem computantur. Ab hora ergo mortis usque ad diluculum resur-

[1] Editi, *multiplicantur*. Melius Mss., *multiplicatur*: numerus videlicet senarius.

[1] Editio Ven., *computari*. M.

[2] Lov., *si totum diem*. Abest, *si*, ab aliis libris, et abesse debet.

rectionis horæ sunt quadraginta, ut etiam ipsa hora nona connumeretur. Cui numero congruit etiam vita ejus super terram post resurrectionem in quadraginta diebus. Et est iste numerus frequentissimus in Scripturis ad insinuandum mysterium perfectionis in quadripartito mundo [1]. Habent enim quamdam perfectionem decem, et ea quater multiplicata faciunt quadraginta. A vespere autem sepulturæ usque ad diluculum resurrectionis triginta sex horæ sunt, qui est quadratus senarius. Refertur autem ad illam rationem simpli ad duplum, ubi est coaptationis maxima consonantia. Duodecim enim ad viginti quatuor simplo ad duplum conveniunt, et fiunt triginta sex : nox tota cum die toto et nocte tota, neque hoc sine illo sacramento quod supra memoravi. Non absurde quippe spiritum diei comparamus; corpus autem, nocti. Dominicum enim corpus in morte ac resurrectione, et spiritus nostri figuram, et corporis gerebat exemplum. Etiam sic ergo apparet illa ratio simpli ad duplum in horis triginta sex, cum duodecim conferuntur ad viginti quatuor. Et horum quidem numerorum causas, cur in Scripturis sanctis positi sint [2], potest alius alias indagare, vel quibus istæ quas ego reddidi, præponendæ sint, vel æque probabiles, vel istis etiam probabiliores : frustra tamen eos esse in Scripturis positos, et nullas causas esse mysticas cur illic isti numeri commemorentur, nemo tam stultus ineptusque contenderit. Ego autem quas reddidi, vel ex Ecclesiæ auctoritate a majoribus traditas [3], vel ex divinarum testimonio Scripturarum, vel ex ratione numerorum similitudinumque collegi. Contra rationem nemo sobrius, contra Scripturas nemo christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.

CAPUT VII. — 11. *Quomodo per unum Mediatorem ex multis colligamur in unum.* Hoc sacramentum, hoc sacrificium, hic sacerdos, hic Deus, antequam missus veniret, factus ex femina, omnia quæ sacrate atque mystice patribus nostris per angelica miracula apparuerunt, sive quæ per ipsos facta sunt, similitudines hujus fuerunt, ut omnis creatura factis quodam modo loqueretur unum futurum in quo esset salus universorum a morte reparandorum. Quia enim ab uno vero Deo et summo per impietatis iniquitatem resilientes et dissonantes defluxeramus, et evanueramus in multa, discissi per multa et inhærentes in multis : oportebat nutu et imperio Dei miserantis, ut ipsa multa venturum conclamarent unum; et a multis conclamatus veniret unus, et multa contestarentur venisse unum; et a multis exonerati veniremus ad unum, et multis peccatis in anima mortui, et propter peccatum in carne morituri, amaremus sine peccato mortuum in carne pro nobis unum; et in resuscitatum credentes, et cum illo per fidem spiritu resurgentes, justificaremur in uno justo facti unum : nec in ipsa carne nos resurrecturos desperaremus, cum multa membra intueremur præcessisse nos caput unum; in quo nunc per fidem mundati, et tunc per speciem redintegrati, et per Mediatorem Deo reconciliati hæreamus uni, fruamur uno, permaneamus unum.

CAPUT VIII. — 12. *Quomodo Christus vult omnes in se unum esse.* Sic ipse Filius Dei, Verbum Dei, et idem ipse mediator Dei et hominum Filius hominis (I *Tim.* II, 5), æqualis Patri per divinitatis unitatem, et particeps noster [4] per humanitatis susceptionem, Patrem interpellans pro nobis per id quod homo erat (*Rom.* VIII, 34), nec tamen tacens quod Deus cum Patre unum erat, inter cætera ita loquitur : *Non pro his autem rogo*, inquit, *tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me : ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut mundus credat, quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus* (*Joan.* XVII, 20-22).

CAPUT IX. — *Sequitur de eodem argumento.* Non dixit, Ego et ipsi unum; quamvis per id quod Ecclesiæ caput est et corpus ejus Ecclesia (*Ephes.* I, 22, 23), posset dicere, Ego et ipsi, non unum, sed unus, quia caput et corpus unus est Christus : sed divinitatem suam consubstantialem Patri ostendens [5] (propter quod et alio loco dicit, *Ego et Pater unum sumus* [*Joan.* X, 30]), in suo genere, hoc est, in ejusdem naturæ consubstantiali paritate, vult esse suos unum, sed in ipso; quia in se ipsis non possent, dissociati ab invicem per diversas voluptates [6] et cupiditates et immunditias peccatorum : unde mundantur per Mediatorem, ut sint in illo unum; non tantum per eamdem naturam qua omnes ex hominibus [7] mortalibus æquales Angelis fiunt, sed etiam per eamdem in eamdem beatitudinem conspirantem concordissimam voluntatem [8], in unum spiritum quodam modo igne charitatis conflatam [9]. Ad hoc enim valet quod ait, *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus* : ut quemadmodum Pater et Filius, non tantum æqualitate substantiæ, sed etiam voluntate unum sunt; ita et ii inter quos et Deum mediator est Filius, non tantum per id quod ejusdem naturæ sunt, sed etiam per eamdem dilectionis societatem unum sint. Deinde idipsum quod Mediator est, per quem reconciliamur Deo, sic indicat, *Ego*, inquit, *in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum* (*Id.* XVII, 23).

CAPUT X. — 13. *Ut Christus mediator vitæ, ita diabolus mediator mortis.* Hæc est vera pax, et cum Creatore nostro nobis firma connexio, purgatis et reconciliatis per Mediatorem vitæ, sicut maculati et alienati ab eo recesseramus per mediatorem mortis. Sicut enim diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem; ita Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam : quia sicut ille elatus cecidit, et dejecit consentientem; sic iste humiliatus surrexit, et erexit credentem. Quia enim non perverenat diabolus quo ipse perduxerat

[1] Editi, *in quadripartito modo.* Mendose.
[2] Sic Mss. At editi, *positæ sint.*
[3] Plures Mss., *tradita.*
[4] Sic Am. et plerique Mss. At Er. et Lov., *particeps nostri.*
[5] Editi, *ostendens, hoc ait.* Abest, *hoc ait*, a Mss.
[6] Plures Mss., *voluntates*
[7] Editi, *hominibus ex hominibus.* Minus bene.
[8] Sic Vss. Editi autem, *per eamdem charitatem in eamdem beatitudinem conspirantes concordissima voluntate.*
[9] Quidam Mss., *conflati.*

(mortem quippe spiritus in impietate gestabat, sed mortem carnis non subierat, quia nec indumentum susceperat), magnus homini videbatur princeps in legionibus dæmonum, per quos fallaciarum regnum exercet, sic hominem per elationis typhum, potentiæ quam justitiæ cupidiorem, aut per falsam philosophiam magis inflans; aut per sacra sacrilega irretiens, in quibus etiam magicæ fallaciæ, curiosiores superbioresque animas deceptas illusasque præcipitans, subditum tenet [1]; pollicens etiam purgationem animæ, per eas quas τελετάς appellant, transfigurando se in angelum lucis (II *Cor.* XI, 14) per multiformem machinationem in signis et prodigiis mendacii.

CAPUT XI. — 14. *Miracula quæ a dæmonibus fiunt, spernenda.* Facile est enim spiritibus nequissimis per aerea corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggravatæ, etiam melioris affectus. Si enim corpora ipsa terrena nonnullis artibus et exercitationibus modificata, in spectaculis theatricis tanta miracula hominibus exhibent, ut ii qui nunquam viderunt talia, narrata vix credant: quid magnum est diabolo et angelis ejus, de corporeis elementis per aerea corpora facere quæ caro miretur; aut etiam occultis inspirationibus ad illudendos humanos sensus phantasmata imaginum machinari, quibus vigilantes dormientesve decipiat, vel furentes exagitet? Sed sicut fieri potest ut homo vita ac moribus melior spectet nequissimos homines, vel in fune ambulantes, vel multimodis motibus corporum multa incredibilia facientes, nec ullo modo facere talia concupiscat, nec eos propterea sibi præponendos existimet: sic anima fidelis et pia, non solum si videat, verum etiam si propter fragilitatem carnis exhorreat miracula dæmonum, non ideo tamen aut non se posse talia dolebit, aut ob hoc illos meliores esse judicabit; cum sit [2] præsertim in societate sanctorum, qui per virtutem Dei cui cuncta subjecta sunt, et minime fallacia, et multo majora fecerunt, sive homines, sive Angeli boni.

CAPUT XII. — 15. *Diabolus mortis, Christus vitæ mediator.* Nequaquam igitur per sacrilegas similitudines et impias curiositates et magicas consecrationes animæ purgantur et reconciliantur Deo: quia falsus mediator non trajicit ad superiora, sed potius obsidens intercludit viam per affectus, quos tanto maligniores, quanto superbiores suæ societati [3] inspirat; qui non possunt ad evolandum pennas nutrire virtutum, sed potius ad demergendum pondera exaggerare vitiorum, tanto gravius anima ruitura, quanto sibi videtur evecta sublimius. Proinde, sicut Magi fecerunt divinitus moniti (*Matth.* II, 12), quos ad humilitatem Domini adorandam stella perduxit; ita et nos, non qua venimus, sed per aliam viam in patriam redire debemus, quam rex humilis docuit, et quam rex superbus humili regi adversarius obsidere non possit. Et nobis enim, ut adoremus humilem Christum, cœli enarraverunt gloriam Dei, cum in in omnem terram exlit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 2, 5). Via nobis fuit ad mortem per peccatum in Adam. *Per unum* quippe *hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12). Hujus viæ mediator diabolus fuit, persuasor peccati, et præcipitator in mortem. Nam et ipse ad operandam duplam mortem nostram, simplam attulit suam. Per impietatem namque mortuus est in spiritu, carne utique mortuus non est: nobis autem et impietatem persuasit, et per hanc [1] ut in mortem carnis venire mereremur effecit. Unum ergo appetivimus iniqua suasione, alterum nos secutum est justa damnatione: propterea quippe scriptum est, *Deus mortem non fecit* (*Sap.* I, 13), quia causa mortis ipse non fuit; sed tamen per ejus retributionem justissimam mors [2] irrogata est peccatori. Sicut supplicium judex irrogat reo, causa tamen supplicii non est justitia judicis, sed meritum criminis. Quo ergo nos mediator mortis transmisit, et ipse non venit, id est, ad mortem carnis; ibi nobis Dominus Deus noster medicinam emendationis inseruit, quam ille non meruit, occulta et nimis arcana ordinatione divinæ altæque justitiæ. Ut ergo sicut per unum hominem mors, ita et per unum hominem fieret resurrectio mortuorum (I *Cor.* XV, 21, 22), quia magis vitabant homines quod evitare non poterant, mortem carnis, quam mortem spiritus, id est, magis pœnam quam meritum pœnæ (nam non peccare, aut non curatur, aut parum curatur; non mori autem quamvis non obtineatur, vehementer satagitur); vitæ Mediator ostendens, quam non sit mors timenda, quæ per humanam conditionem jam evadi non potest, sed potius impietas, quæ per fidem caveri potest, occurrit nobis ad finem quo venimus, sed non qua venimus. Nos enim ad mortem per peccatum venimus; ille, per justitiam: et ideo cum sit mors nostra pœna peccati, mors illius facta est hostia pro peccato.

CAPUT XIII. — 16. *Mors Christi spontanea. Quomodo vitæ Mediator mediatorem mortis expugnarit. Quomodo diabolus suos inducat in contemptum mortis Christi.* Quapropter cum spiritus corpori præponatur, morsque sit spiritus a Deo deseri, mors autem corporis a spiritu deseri; eaque sit pœna in morte corporis, ut spiritus quia volens deseruit Deum, deserat corpus invitus; ut cum spiritus Deum deseruerit quia voluit, deserat corpus etiamsi noluerit; nec deserat cum voluerit, nisi aliquam sibi vim, qua ipsum corpus perimatur, intulerit: demonstravit spiritus Mediatoris, quam nulla pœna peccati usque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. Quippe Dei Verbo ad unitatem commixtus hinc ait [3]: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono*

[1] Sic plures Mss. Alii vero cum Am., *præcipitant, subditum tenens.* Er. et Lov., *præcipitat, subditum tenens.*
[2] Editi, *cum sint.* At Mss., *cum sit*: anima scilicet pia.
[3] Er. et plerique Mss., *societatis.*

[1] Omnes prope Mss, *et propter hanc.*
[2] Sic plerique Mss. Editi vero, *justissima mors.*
[3] Sic Mss. Editi vero, *commixtus est homo. Hinc ait.* Male.

eam a me, et iterum sumo eam (*Joan.* x, 18). Et hoc maxime mirati sunt, sicut Evangelium loquitur, qui præsentes erant, cum post illam vocem, in qua figuram peccati nostri edidit, continuo tradidit spiritum. Longa enim morte cruciabantur ligno suspensi. Unde latronibus, ut jam morerentur, et de ligno ante sabbatum deponerentur, crura confracta sunt. Ille autem quia mortuus inventus est, miraculo fuit. Hoc etiam Pilatum legimus fuisse miratum, cum ab ipso sepeliendum corpus Domini peteretur (*Marc.* xv, 37, 39, 43, 44, *et Joan.* xix, 30-34).

17. Ille itaque deceptor, qui fuit homini mediator ad mortem, falsoque se opponit ad vitam nomine purgationis per sacra et sacrificia sacrilega, quibus superbi seducuntur, quia nec participationem mortis nostræ habere potuit, nec resurrectionem suæ, simplam quidem suam mortem ad duplam nostram potuit afferre : simplam vero resurrectionem, in qua et sacramentum esset renovationis nostræ, et ejus quæ in fine futura est evigilationis exemplum, non utique potuit. Ille proinde qui spiritu vivus carnem suam mortuam resuscitavit, verus vitæ Mediator, illum spiritu mortuum et mortis mediatorem a spiritibus in se credentium foras misit, ut non regnaret intrinsecus, sed forinsecus oppugnaret, nec tamen expugnaret. Cui se ipse quoque tentandum præbuit, ut ad superandas etiam tentationes ejus mediator esset, non solum per adjutorium, verum etiam per exemplum. At ille primitus ubi per omnes aditus ad interiora moliens irrepere, expulsus est, post baptisma in eremo completa omni tentatione illecebrosa (*Matth.* iv, 1 11), quia vivum spiritu, spiritu mortuus non invasit, quoquo modo avidus mortis humanæ convertit se ad faciendam mortem quam potuit, et permissus est in illud quod ex nobis mortale vivus Mediator[1] acceperat. Et ubi potuit aliquid facere, ibi ex omni parte devictus est; et unde accepit exterius potestatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interior ejus potestas, qua nos tenebat, occisa est. Factum est enim ut vincula peccatorum multorum in multis mortibus, per unius unam mortem quam peccatum nullum præcesserat, solverentur. Quam propterea Dominus pro nobis indebitam reddidit, ut nobis debita non noceret. Neque enim jure cujusquam potestatis exutus est carne, sed ipse se exuit. Nam qui posset non mori si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est : et ideo principatus et potestates exemplavit, fiducialiter triumphans eas in semetipso (*Coloss.* ii, 15). Morte sua quippe uno verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat unde nos principatus et potestates ad luenda supplicia jure detinebant, purgavit, abolevit, exstinxit; et sua resurrectione in novam vitam nos prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit (*Rom.* viii, 30). Ita diabolus hominem, quem per consensionem seductum, tanquam jure integro possidebat, et ipse nulla corruptione carnis et sanguinis septus, per istam corporis mortalis fragilitatem, nimis egeno et infirmo, tanto superbior, quanto velut ditior et fortior, quasi pannoso et ærumnoso dominabatur, in ipsa morte carnis amisit. Quo enim cadentem non secutus impulit peccatorem, illuc descendentem persecutus compulit Redemptorem. Sic in mortis consortio Filius Dei nobis fieri dignatus est amicus, quo non perveniendo meliorem se nobis atque majorem putabat inimicus. Dicit enim Redemptor noster : *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* xv, 13). Quocirca etiam ipso Domino se credebat diabolus superiorem, in quantum illi Dominus in passionibus cessit; quia et de ipso intellectum est quod in Psalmo legitur, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* (*Psal.* viii, 6) : ut ab iniquo velut æquo jure adversum nos agente, ipse occisus innocens cum jure æquissimo superaret, atque ita captivitatem propter peccatum factam captivaret (*Ephes.* iv, 8), nosque liberaret a captivitate propter peccatum justa, suo justo sanguine injuste fuso mortis chirographum delens, et justificandos redimens peccatores[1].

18. Hinc etiam diabolus adhuc suos illudit, quibus se per sua sacra velut purgandis, et potius implicandis atque mergendis, falsus mediator opponit, quod superbis facillime persuadet irridere atque contemnere mortem Christi, a qua ipse quanto est alienior, tanto ab eis creditur sanctior atque divinior. Qui tamen apud eum paucissimi remanserunt, agnoscentibus gentibus et pia humilitate bibentibus pretium suum, ejusque fiducia desercntibus hostem suum, et concurrentibus ad redemptorem suum. Nescit enim diabolus quomodo illo et insidiante et furente utatur ad salutem fidelium suorum excellentissima sapientia Dei, a fine superiore, quod est initium spiritualis creaturæ, usque ad finem inferiorem, quod est mors corporis, pertendens fortiter et disponens omnia suaviter (*Sap.* viii, 1). Attingit enim ubique propter suam mundítiam, et nihil inquinatum in eam incurrit (*Id.* vii, 24, 25). A morte autem carnis alieno diabolo, unde nimium superbus incedit, mors alterius generis præparatur in æterno igne tartari, quo non solum cum terrenis, sed etiam cum aereis corporibus excruciari spiritus possint. Superbi autem homines, quibus Christus, quia mortuus est, viluit, ubi nos tam magno emit (1 *Cor.* vi, 20), et istam mortem reddunt cum hominibus conditioni ærumnosæ naturæ, quæ trahitur a primo peccato, et in illam cum illo præcipitabuntur. Quem propterea Christo præposuerunt, quia eos in istam dejecit, quo per distantem naturam ipse non cecidit, et quo propter eos per ingentem misericordiam ille descendit : et tamen se dæmonibus esse meliores non dubitant credere, eosque maledictis omnibus insectari detestarique non cessant, quos certe alienos ab hujus mortis passione noverunt, propter quam Christum contemnunt. Nec sic volunt considerare, quam fieri potuerit ut in se manens, nec per se ipsum ex ulla parte mutabile Dei Verbum,

[1] Unus e Vaticanis Mss., *vitæ Mediator*.

[1] Sic Mss. At editi, *suo proprio sanguine.... justificando redimens peccatores*.

per inferiorem tamen naturæ susceptionem aliquid inferius pati posset, quod immundus dæmon, quia terrenum corpus non habet, pati non possit. Sic cum sint ipsi dæmonibus meliores, tamen quia carnem portant, mori sic possunt, quemadmodum mori dæmones, qui non eam portant, non utique possunt. Et cum de mortibus sacrificiorum suorum [1] multum præsumant, quæ se fallacibus superbisque spiritibus immolare non sentiunt, aut si jam [2] sentiunt, aliquid sibi prodesse arbitrantur perfidorum et invidorum amicitiam, quorum intentionis nullum negotium est, nisi impeditio reditus nostri.

CAPUT XIV.—19 *Christus perfectissima victima pro mundandis vitiis nostris. In omni sacrificio quatuor consideranda.* Non intelligunt ne ipsos quidem superbissimos spiritus honoribus sacrificiorum gaudere potuisse, nisi uni vero Deo pro quo colivolunt, verum sacrificium deberetur : neque id posse rite offerri, nisi per sacerdotem sanctum et justum : nec nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur, atque id sine vitio sit, ut pro vitiosis mundandis possit offerri. Hoc certe omnes cupiunt, qui pro se offerri sacrificium Deo volunt. Quis ergo tam justus et sanctus sacerdos, quam unicus Filius Dei, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita quæ adduntur (*Hebr.* VII)? Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur quod pro eis offerretur, quam humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero et ex utero virginali? Et quid tam grate offerri et suscipi posset, quam caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri? Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio; cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse unus verusque Mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat, et quod offerebat.

CAPUT XV. — 20. *Superbi putantes se propria virtute posse purgari ad videndum Deum.* Sunt autem quidam qui se putant ad contemplandum Deum et inhærendum Deo virtute propria posse purgari : quos ipsa superbia maxime maculat. Nullum enim vitium est cui magis divina lege resistatur, et in quod majus accipiat [3] dominandi jus ille superbissimus spiritus, ad ima mediator, ad summa interclusor : nisi occulte insidians alia via devitetur; aut per populum deficientem, quod interpretatur Amalec, aperte seviens, et ad terram promissionis repugnando transitum negans, per crucem Domini quæ Moysi manibus extensis est præfigurata, superetur (*Exod.* XVII, 8-16). Hinc enim purgationem sibi isti virtute propria pollicentur, quia nonnulli eorum potuerunt aciem mentis ultra omnem creaturam transmittere, et lucem incommutabilis veritatis quantulacumque ex parte contingere : quod christianos multos ex fide interim sola viventes, nondum potuisse deridemt. Sed quid prodest superbienti, et ob hoc erubescenti lignum conscendere, de longinquo prospicere patriam transmarinam? Aut quid obest humili de tanto intervallo non eam videre, in illo ligno ad eam venienti, quo dedignatur ille portari?

CAPUT XVI. — 21. *Philosophi veteres de resurrectione ac rebus futuris non consulendi.* Ili etiam resurrectionem carnis nos credere reprehendunt, sibique potius etiam de his rebus credi volunt. Quasi vero, quia præcelsam incommutabilemque substantiam per illa quæ facta sunt intelligere potuerunt (*Rom.* I, 20), propterea de conversione rerum mutabilium, aut de contexto sæculorum ordine consulendi sint. Numquid enim quia verissime disputant, et documentis certissimis persuadent, æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea potuerunt in ipsis rationibus perspicere, vel ex ipsis colligere quot sint animalium genera, quæ semina singulorum in exordiis, qui modus in incrementis, qui numeri per conceptus, per ortus, per ætates, per occasus, qui motus in appetendis quæ secundum naturam sunt, fugiendisque contrariis? Nonne ista omnia, non per illam incommutabilem sapientiam, sed per locorum ac temporum historiam quæsierunt, et ab aliis experta atque conscripta crediderunt? Quo minus mirandum est, nullo modo eos potuisse prolixiorum sæculorum seriem vestigare, et quamdam metam hujus excursus, quo tanquam fluvio genus decurrit humanum, atque inde conversionem ad suum cuique debitum terminum. Ista enim nec historici scribere potuerunt longe futura et a nullo experta atque narrata. Nec isti philosophi cæteris meliores in illis summis æternisque rationibus intellectu talia contemplati sunt : alioquin non ejusdem generis præterita quæ potuerunt historici [4] inquirerent, sed potius et futura prænoscerent; quod qui potuerunt, ab eis vates, a nostris Prophetæ appellati sunt.

CAPUT XVII. — 22. *Futura quot modis præscientur Philosophi nec illi qui inter antiquos excelluerunt consulendi sunt de resurrectione mortuorum.* Quanquam et Prophetarum nomen non omnino alienum est a litteris eorum : sed plurimum interest, utrum experimento præteritorum futura conjiciantur; sicut medici multa prævidendo, etiam litteris mandaverunt, quæ ipsi experta notaverunt; sicut denique agricolæ vel etiam nautæ multa prænuntiant (talia enim si ex longis intervallis temporum fiant, divinationes putantur): an vero jam ventura processerint, et longe visa venientia nuntientur [5] pro acuto sensu videntium, quod cum faciunt aereæ potestates divinare creduntur; tanquam si quisquam de montis vertice aliquem longe videat venientem, et proxime in campo habitantibus

[1] Editi, *et de ritibus sacrificiorum suorum.*
[2] In Mss., *aut si etiam.*
[3] In editis, *magis accipiat.*
[4] Editi, *historice.* Melius Mss., *historici.*
[5] Sola fere editio Lov., *præcenserint, et longe visa venientia nuntient.* Minus bene.

ante nuntiet : an ab Angelis sanctis, quibus ea Deus per Verbum Sapientiamque suam indicat, ubi et futura et præterita stant, vel quibusdam prænuntientur hominibus, vel ab eis audita rursus ad alios homines transmittantur : an ipsorum hominum quorumdam mentes in tantum evehantur Spiritu sancto, ut non per Angelos, sed per se ipsas futurorum stantes causas [1] in ipsa summa rerum arce conspiciant. Audiunt enim ista et aereæ potestates, sive Angelis ea nuntiantibus, sive hominibus : et tantum audiunt, quantum opus esse ille judicat, cui subjecta sunt omnia. Multa etiam prædicuntur instinctu quodam et impulse spiritu [2] nescientium : sicut Caiphas nescivit quid dixit, sed cum esset pontifex prophetavit (*Joan.* xi, 51).

23. Ergo de successionibus sæculorum et de resurrectione mortuorum philosophos nec illos consulere debemus, qui Creatoris æternitatem, in quo vivimus, movemur et sumus (*Act.* xvii, 28), quantum potuerunt intellexerunt. Quia per ea quæ facta sunt cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt (*Rom.* i, 20-22). Et cum idonei non essent, in æternitatem [3] spiritualis incommutabilisque naturæ aciem mentis tam constanter infigere, ut in ipsa sapientia Creatoris atque Rectoris universitátis viderent volumina sæculorum, quæ ibi jam essent et semper essent, hic autem futura essent ut non essent; atque ut ibi viderent conversiones in melius, non solum animorum, sed etiam corporum humanorum usque ad sui modi perfectionem : cum ergo ad hæc ibi videnda nullo modo essent idonei, ne ad illud quidem digni habiti sunt, ut eis ista per sanctos Angelos nuntiarentur; sive forinsecus per sensus corporis, sive interioribus revelationibus in spiritu expressis : sicut patribus nostris vera pietate præditis hæc demonstrata sunt, qui ea prædicentes, vel de præsentibus signis vel de proximis rebus, ita ut prædixerant, factis fidem facientes, auctoritatem cui de longe futuris usque in sæculi finem crederetur, habere meruerunt. Potestates autem aereæ superbæ atque fallaces, etiam si quædam de societate et civitate sanctorum et de vero Mediatore a sanctis Prophetis vel Angelis audita per suos vates dixisse reperiuntur, id egerunt, ut per hæc aliena vera etiam fideles Dei, si possent, ad sua falsa traducerent. Deus autem per nescientes id egit, ut veritas undique resonaret, fidelibus in adjutorium, impiis in testimonium.

CAPUT XVIII. — 24. *Filius Dei incarnatus est ut per fidem mundati evehamur ad incommutabilem veritatem.* Quia igitur ad æterna capessenda idonei non eramus, sordesque peccatorum nos prægravabant temporalium rerum amore contractæ, et de propagine mortalitatis tanquam naturaliter inolitæ, purgandi eramus. Purgari autem ut contemperaremur æternis, non nisi per temporalia possemus, qualibus jam contemperati tenebamur. Sanitas enim a morbo plurimum distat : sed media curatio [1], nisi morbo congruat, non perducit ad sanitatem. Inutilia temporalia decipiunt ægrotos, utilia temporalia suscipiunt sanandos, et trajiciunt ad æterna sanatos. Mens autem rationalis sicut purgata contemplationem debet rebus æternis; sic purganda, temporalibus fidem. Dixit quidam et illorum qui quondam apud Græcos sapientes habiti sunt : *Quantum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas.* Et profecto est vera sententia. Quod enim nos temporale dicimus, hoc ille quod ortum est appellavit. Ex quo genere etiam nos sumus, non tantum secundum corpus, sed etiam secundum animi mutabilitatem. Non enim proprie vocatur æternum, quod aliqua ex parte mutatur. In quantum igitur mutabiles sumus, in tantum ab æternitate distamus. Promittitur autem nobis vita æterna per veritatem, a cujus perspicuitate rursus tantum distat fides nostra, quantum ab æternitate mortalitas. Nunc ergo adhibemus fidem rebus temporaliter gestis propter nos, et per ipsam mundamur; ut cum ad speciem venerimus, quemadmodum succedit fidei veritas, ita mortalitati succedat æternitas. Quapropter quoniam fides nostra fiet veritas, cum ad id quod nobis credentibus promittitur pervenerimus : promittitur autem nobis vita æterna; et dixit Veritas, non quæ fiet sicut futura est fides nostra, sed quæ semper est Veritas, quia ibi est æternitas; dixit ergo Veritas, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3): cum fides nostra videndo fiet veritas, tunc mortalitatem nostram commutatam tenebit æternitas. Quod donec fiat, et ut fiat, quia rebus ortis accommodamus fidem credulitatis, sicut in æternis speramus veritatem contemplationis, ne fides mortalis vitæ dissonaret a veritate æternæ vitæ, ipsa Veritas Patri coæterna de terra orta est (*Psal.* lxxxiv, 12), cum Filius Dei sic venit ut fieret filius hominis, et ipse in se exciperet fidem nostram, qua nos perduceret ad veritatem suam, qui sic suscepit mortalitatem nostram, ut non amitteret æternitatem suam. Quantum enim ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas. Ita ergo nos purgari oportebat, ut ille nobis fieret ortus qui maneret æternus, ne alter [2] nobis esset in fide, alter in veritate. Nec ab eo quod orti sumus ad æterna transire possemus, nisi æterno per ortum nostrum nobis sociato ad æternitatem ipsius trajiceremur. Nunc itaque illuc quodam modo secuta est fides nostra, quo ascendit in quem credidimus, ortus, mortuus, resuscitatus, assumptus. Horum quatuor, duo priora noveramus in nobis; scimus enim homines et oriri et mori : duo autem reliqua, id est resuscitari et assumi, juste in nobis futura speramus, quia in illo facta credidimus. Itaque in illo quia et id quod ortum erat transiit ad æternitatem, transiturum est et nostrum, cum fides pervenerit ad veritatem. Jam enim

[1] Editi, *instantes causas.* Melius Mss., *stantes causas.* Ex his Vaticanus quidam postea habet, *in ipsa summa rerum arte conspiciant.*

[2] Plures Mss., *impulsu spiritus.*

[3] Aliquot Mss., *in æternitate.*

[1] Editi, *medici curatio.* Castigantur ex manuscriptis.

[2] Lov., *nec alter.*

credentibus, ut in verbo fidei manerent, et inde ad veritatem, ac per hoc ad æternitatem perducti a morte liberarentur, ita loquitur: *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis* [1]. Et quasi quærerent, Quo fructu? secutus ait: *Et cognoscetis veritatem.* Et rursus quasi dicerent, Quid prodest mortalibus veritas? *Et veritas*, inquit, *liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31, 32). Unde, nisi a morte, a corruptione, a mutabilitate? Veritas quippe immortalis, incorrupta, incommutabilis permanet. Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas, ipsa est æternitas.

CAPUT XIX. — 25. *Filius quomodo missus et prænuntiatus. Quomodo missione nativitatis in carne factus minor sine detrimento æqualitatis cum Patre.* Ecce ad quod missus est Filius Dei; imo vero ecce quid est missum esse Filium Dei? Quæcumque propter faciendam fidem, qua mundaremur ad contemplandam veritatem, in rebus ortis ab æternitate prolatis et ad æternitatem relatis temporaliter gesta sunt, aut testimonia missionis hujus fuerunt, aut ipsa missio Filii Dei. Sed testimonia quædam venturum prænuntiaverunt, quædam venisse testata sunt. Factum quippe creaturam per quem facta est omnis creatura, omnem creaturam testem habere oportebat. Nisi enim multis missis prædicaretur unus, non multis dimissis teneretur unus. Et nisi talia essent testimonia quæ parvis magna esse viderentur, non crederetur [2], ut magnos faceret magnus, qui ad parvos missus est parvus. Incomparabiliter enim majora Filii Dei facta sunt cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, quia omnia per ipsum facta sunt, quam signa et portenta quæ in ejus testimonium proruperunt. Sed tamen homines, ut hæc magna per eum facta parvi crederent [3], illa parva tanquam magna tremuerunt.

26. *Cum* ergo *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege* (*Galat.* IV, 4); usque adeo parvum, ut *factum*; eo itaque missum, quo *factum*. Si ergo major mittit minorem, fatemur et nos factum minorem, et in tantum minorem in quantum factum, et in tantum factum in quantum missum. *Misit* enim *Filium suum factum ex muliere*, per quem tamen quia facta sunt omnia, non solum priusquam factus mitteretur, sed priusquam essent omnia, eumdem mittenti confitemur æqualem, quem dicimus missum minorem. Quomodo ergo ante istam plenitudinem temporis, qua eum mitti oportebat, priusquam missus esset videri a Patribus potuit, cum eis angelica quædam visa demonstrarentur, quando nec jam missus sicut æqualis est Patri videbatur? Unde enim dicit Philippo, a quo utique sicut a cæteris, et ab ipsis a quibus crucifixus est in carne videbatur, *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui me vidit, vidit et Patrem*; nisi quia videbatur, et non videbatur? Videbatur sicut missus factus fuerat, non videbatur sicut per eum omnia facta erant. Aut unde etiam illud dicit, *Qui habet mandata mea et servat ea, ipse est qui diligit me; et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum* (*Joan.* XIV, 9, 21); cum esset manifestus ante oculos hominum: nisi quia carnem, quod Verbum in plenitudine temporis factum erat, suscipiendam [4] nostræ fidei porrigebat; ipsum autem Verbum per quod omnia facta erant, purgatæ per fidem menti contemplandum in æternitate servabat?

CAPUT XX. — 27. *Mittens et missus æqualis. Filius cur dicitur missus a Patre. De missione Spiritus sancti, quomodo et a quo missus sit. Pater totius deitatis principium.* Si autem secundum hoc missus a Patre Filius dicitur, quia ille Pater est, ille Filius, nullo modo impedit ut credamus æqualem Patri esse Filium et consubstantialem et coæternum, et tamen a Patre missum Filium. Non quia ille major est, ille minor: sed quia ille Pater, ille Filius; ille genitor, ille genitus; illo a quo est qui mittitur, ille qui est ab eo qui mittit. Filius enim a Patre est, non Pater a Filio. Secundum hoc jam potest intelligi, non tantum ideo dici missus Filius quia Verbum caro factum est (*Id.* I, 3, 18, 14), sed ideo missus ut Verbum caro fieret, et per præsentiam corporalem illa quæ scripta sunt operaretur; id est, ut non tantum homo missus intelligatur quod Verbum factum est [5], sed et Verbum missum ut homo fieret: quia non secundum imparem potestatem vel substantiam vel aliquid quod in eo Patri non sit æquale missus est; sed secundum id quod Filius a Patre est, non Pater a Filio. Verbum enim Patris est Filius, quod et Sapientia ejus dicitur. Quid ergo mirum si mittitur, non quia inæqualis est Patri, sed quia est *manatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera* [6]? Ibi autem quod manat et de quo manat unius ejusdemque substantiæ est. Neque enim sicut aqua de foramine terræ aut lapidis manat; sed sicut lux de luce. Nam quod dictum est, *Candor est enim lucis æternæ*; quid aliud dictum est, quam, Lux est lucis æternæ? Candor quippe lucis, quid nisi lux est? Et ideo coæterna luci, de qua lux est. Maluit autem dicere, *Candor lucis*, quam, Lux lucis; ne obscurior putaretur ista quæ manat quam illa de qua manat. Cum enim auditur candor ejus esse ista, facilius est ut per hanc lucere illa, quam hæc minus lucere credatur. Sed quia cavendum non erat, ne minor lux illa putaretur quæ istam genuit (hoc enim nullus unquam hæreticus ausus est dicere, nec credendum est aliquem ausurum), illi cogitationi occurrit Scriptura, qua posset videri obscurior lux ista quæ manat, quam illa de qua manat: quam suspicionem tulit, cum ait, *Candor est illius*, id est, lucis æternæ; atque ita ostendit æqualem. Si enim hæc minor est, obscuritas illius est, non candor illius. Si autem major est, non ex ea manat: non enim vinceret de qua genita est. Quia ergo ex illa manat, non est major quam illa: quia vero non obscuritas illius, sed candor illius est, non est minor;

[1] In Mss., *estis*.
[2] Post, *non crederetur*, editi addunt, *ille ita magnus*; quod merito abest a Mss.
[3] Am. Er. et prope omnes Mss., *crederentur*.
[4] In Mss., *susciplendæ*.
[5] Er. et Lov., *caro factum est*. Abest, *caro*, ab aliis libris.
[6] Mss. hic et infra constanter habent, *sinceris*.

æqualis est ergo. Neque hoc movere debet, quia dicta est *manatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera:* tanquam ipsa non sit omnipotens, sed omnipotentis manatio. Mox enim de illa dicitur, *Et cum sit una, omnia potest* (*Sap.* VII, 25 27). Quis est autem omnipotens, nisi qui omnia potest? Ab illo itaque mittitur, a quo emanat. Sic enim expetitur [1] ab illo qui amabat eam et desiderabat. *Emitte*, inquit, *illam de sanctis cœlis tuis, et mitte illam a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret* (*Id.* IX, 10), id est, Doceat me laborare, ne laborem. Labores enim ejus virtutes sunt [2]. Sed aliter mittitur ut sit cum homine, aliter missa est ut ipsa sit homo. *In animas* enim *sanctas se transfert, atque amicos Dei et Prophetas constituit* (*Id.* VII, 27), sicut etiam implet sanctos Angelos, et omnia talibus ministeriis congrua per eos operatur. Cum autem venit plenitudo temporis missa est (*Galat.* IV, 4), non ut impleret Angelos, nec ut esset Angelus, nisi in quantum consilium Patris annuntiabat, quod et ipsius erat; nec ut esset cum hominibus aut in hominibus, hoc enim et antea in Patribus et Prophetis: sed ut ipsum Verbum caro fieret, id est, homo fieret: in quo futuro revelato sacramento, etiam eorum sapientium atque sanctorum salus esset, qui priusquam ipse de virgine nasceretur, de mulieribus nati sunt, et in quo facto atque prædicato salus sit omnium credentium, sperantium, diligentium. Hoc enim *magnum pietatis est sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (I *Tim.* III, 16).

28. Ab illo ergo mittitur Dei Verbum, cujus est Verbum; ab illo mittitur de quo natum est: mittit qui genuit, mittitur quod genitum est. Et tunc unicuique mittitur, cum a quoquam cognoscitur atque percipitur, quantum cognosci et percipi potest pro captu vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis. Non ergo eo ipso quo de Patre natus est, missus dicitur Filius: sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum; unde dicit, *Exivi a Patre, et veni in hunc mundum* (*Joan.* XVI, 28): vel eo quod ex tempore cujusquam mente percipitur, sicut dictum est, *Mitte illam, ut mecum sit, et mecum laboret.* Quod ergo natum est ab æterno, æternum est: *Candor est enim lucis æternæ.* Quod autem mittitur ex tempore, a quoquam cognoscitur. Sed cum in carne manifestatus est Filius Dei, in hunc mundum missus est, in plenitudine temporis, factus ex femina. *Quia enim in sapientia Dei non poterat mundus cognoscere per sapientiam Deum;* quoniam *lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (I *Cor.* I, 21); ut Verbum caro fieret, et habitaret in nobis (*Joan.* I, 5, 14). Cum autem ex tempore cujusque profectus mente percipitur, mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum: neque enim sensibiliter apparet, id est, corporeis sensibus præsto est. Quia et nos secundum quod mente aliquid æternum, quantum possumus, capimus, non in hoc mundo sumus: et omnium justorum spiritus, etiam adhuc in hac carne viventium, in quantum divina sapiunt, non sunt in hoc mundo. Sed Pater cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet de quo sit [1], aut ex quo procedat. Sapientia quippe dicit, *Ego ex ore Altissimi prodivi* (*Eccli.* XXIV, 5); et de Spiritu sancto dicitur, *A Patre procedit* (*Joan.* XV, 26): Pater vero, a nullo.

29. Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus est: ita Pater misit, Filius missus est. Sed quemadmodum qui genuit et qui genitus est, ita et qui misit et qui missus est unum sunt; quia Pater et Filius unum sunt (*Id.* X, 30). Ita etiam Spiritus sanctus unum cum eis est; quia hæc tria unum sunt. Sicut enim natum esse est Filio, a Patre esse; ita mitti est Filio, cognosci quod ab illo sit. Et sicut Spiritui sancto donum Dei esse, est a Patre procedere; ita mitti, est cognosci quia ab illo procedat [2]. Nec possumus dicere quod Spiritus sanctus et a Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec video quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem discipulorum [3] ait: *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 22). Neque enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus sancti fuit; sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a Patre, sed et a Filio procedere Spiritum sanctum. Quis enim dementissimus dixerit, alium fuisse Spiritum [4] quem sufflans dedit, et alium quem post ascensionem suam misit (*Act.* II, 1-4)? Unus enim est Spiritus Dei, Spiritus Patris et Filii, Spiritus sanctus, qui operatur omnia in omnibus (I *Cor.* XII, 6). Sed quod bis datus est, dispensatio certe significationis fuit, de qua suo loco, quantum Dominus dederit, disseremus. Quod ergo ait Dominus, *Quem ego mittam vobis a Patre* (*Joan.* XV, 26); ostendit Spiritum et Patris et Filii. Quia etiam cum dixisset, *Quem mittet Pater*, addidit, *in nomine meo* (*Id.* XIV, 26); non tamen dixit, Quem mittet Pater a me: quemadmodum dixit, *Quem ego mittam vobis a Patre:* videlicet ostendens quod totius divinitatis, vel, si melius dicitur, deitatis, principium Pater est. Qui ergo a Patre procedit et Filio, ad eum refertur a quo natus est Filius. Et quod dicit evangelista, *Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (*Id.* VII, 39): quomodo intelligitur, nisi quia certa illa Spiritus sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat, qualis nunquam antea fuerat? Neque enim antea nulla erat, sed talis non fuerat. Si enim antea Spiritus sanctus non dabatur, quo impleti Prophetæ locuti sunt? cum aperte Scriptura dicat, et multis locis ostendat, Spiritu sancto eos locutos fuisse: cum et

[1] Am. et Mss., *Sic enim et petitur.*
[2] Hic apud Lov. additur, *de quibus jam dictum est.*

[1] Editi, *de quo missus sit.* Abest, *missus*, a manuscriptis.
[2] Er. Ven. Lov., *ita mitti, est cognosci quod ab illo procedat.* M.
[3] Mss. non habent, *in faciem discipulorum.*
[4] Plerique Mss., *alium fuisse Spiritum sanctum quem.*

de Joanne Baptista dictum sit, *Spiritu sancto replebitur jam inde ab utero matris suæ :* et Spiritu sancto repletus Zacharias invenitur pater ejus, ut de illo talia diceret ; et Spiritu sancto Maria, ut talia de Domino quem gestabat utero, prædicaret (*Luc.* I, 15, 41-79) ; Spiritu sancto Simeon et Anna, ut magnitudinem Christi parvuli agnoscerent (*Id.* II, 25-38) : quomodo ergo *Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus ;* nisi quia illa datio, vel donatio, vel missio Spiritus sancti habitura erat quamdam proprietatem suam in ipso adventu, qualis antea nunquam fuit? Nusquam enim legimus, linguis quas non noverant homines locutos, veniente in se Spiritu sancto, sicut tunc factum est, cum oporteret ejus adventum signis sensibilibus demonstrari, ut ostenderetur totum orbem terrarum atque omnes gentes in linguis variis constitutas, crediturus in Christum per donum Spiritus sancti ; ut impleretur quod in Psalmo canitur, *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum ; in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 4, 5).

30. Verbo itaque Dei ad unitatem personæ copulatus, et quodam modo commixtus est homo, cum veniente plenitudine temporis missus est in hunc mundum factus ex femina Filius Dei, ut esset et filius hominis propter filios hominum. Hanc personam angelica natura figurare antea potuit, ut prænuntiaret ; non expropriare, ut ipsa esset.

CAPUT XXI. — *De sensibili demonstratione sancti Spiritus, et de coæternitate Trinitatis. Quid dictum sit et quid dicendum restet.* De sensibili autem demonstratione Spiritus sancti, sive per columbæ speciem (*Matth.* III, 16), sive per linguas igneas (*Act.* II, 3), cum ejus substantiam Patri et Filio coæternam pariterque incommutabilem subdita et serviens creatura temporalibus motibus et formis ostenderet, cum ad ejus personæ unitatem, sicut caro quod Verbum factum est (*Joan.* I, 14), non copularetur, non audeo dicere nihil tale factum esse antea Sed plane fidenter dixerim, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius ejusdemque substantiæ, Deum creatorem, Trinitatem omnipotentem inseparabiliter operari : sed ita non posse per longe imparem maximeque corpoream creaturam inseparabiliter demonstrari ; sicut per voces nostras, quæ utique corporaliter sonant, non possunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, nisi suis et propriis intervallis temporum certa separatione distinctis, quæ suæ cujusque vocabuli syllabæ occupant, nominari. In sua quippe substantia qua sunt, tria unum sunt, Pater et Filius et Spiritus sanctus, nullo temporali motu super omnem creaturam idipsum sine ullis intervallis temporum vel locorum, et simul unum atque idem ab æternitate in æternitatem, tanquam ipsa æternitas quæ sine veritate et charitate non est : in meis autem vocibus separati sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, nec simul dici potuerunt, et in litteris visibilibus sua separatim locorum spatia tenuerunt. Et quemadmodum cum memoriam meam et intellectum et voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur, sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt ; nullum enim horum trium nominum est, quod non et memoria et intellectus et voluntas mea simul operata sint : ita Trinitas simul operata est et vocem Patris, et carnem Filii, et columbam Spiritus sancti, cum ad personas singulas singula hæc referantur. Qua similitudine utcumque cognoscitur inseparabilem in se ipsa Trinitatem per visibilis creaturæ speciem separabiliter demonstrari, et inseparabilem Trinitatis operationem etiam in singulis esse rebus, quæ vel ad Patrem, vel ad Filium, vel ad Spiritum sanctum demonstrandum proprie pertinere dicuntur.

31. Si ergo a me quæritur, quomodo factæ sint vel voces vel sensibiles formæ atque species ante incarnationem Verbi Dei, quæ hoc futurum præfigurarent : per Angelos ea Deum operatum esse respondeo ; quod etiam Scripturarum sanctarum testimoniis, quantum existimo, satis ostendi. Si autem quæritur, ipsa incarnatio quomodo facta sit : ipsum Verbum Dei dico carnem factum, id est, hominem factum, non tamen in hoc quod factum est conversum atque mutatum ; ita sane factum, ut ibi sit non tantum Verbum Dei et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum et homo propter hominem. Quod si difficile intelligitur, mens fide purgetur, magis magisque abstinendo a peccatis, et bene operando, et orando cum gemitu desideriorum sanctorum, ut per divinum adjutorium proficiendo, et intelligat, et amet. Si autem quæritur, post incarnationem Verbi, quomodo facta sit vel vox Patris, vel species corporalis qua Spiritus sanctus demonstratus est : per creaturam quidem facta ista non dubito ; sed utrum tantummodo corporalem atque sensibilem, an adhibito spiritu etiam rationali vel intellectuali (hoc enim quibusdam placuit appellare, quod Græci dicunt νοερόν), non quidem ad unitatem personæ, (quis enim hoc dixerit, ut quidquid illud est creaturæ per quod sonuit vox Patris, ita sit Deus Pater, aut quidquid illud est creaturæ in quo per columbæ speciem vel per igneas linguas Spiritus sanctus demonstratus est, ita sit Spiritus sanctus, sicut est Dei Filius homo ille qui ex virgine factus est?) sed tandummodo ad ministerium peragendæ significationis, sicut oportuisse Deus judicavit : an aliquid aliud intelligendum sit, invenire difficile est, et temere affirmare non expedit. Quomodo tamen ista sine rationali vel intellectuali creatura potuerint fieri, non video. Neque adhuc locus est explicare cur ita sentiam, quantum vires Dominus dederit. Prius enim sunt discutienda et refellenda hæreticorum argumenta, quæ non ex divinis Libris, sed ex rationibus suis proferunt, quibus se vehementer cogere arbitrantur, testimonia Scripturarum quæ de Patre et Filio et Spiritu sancto sunt, ita esse intelligenda ut ipsi volunt.

32. Nunc autem non ideo minorem Filium quia missus est a Patre, nec ideo minorem Spiritum san-

ctum quia et Pater eum misit et Filius, sufficienter, quantum arbitror, demonstratum est. Sive enim propter visibilem creaturam, sive potius propter principii commendationem, non propter inæqualitatem vel imparilitatem vel dissimilitudinem substantiæ in Scripturis hæc posita intelliguntur : quia etiam si voluisset Deus Pater per subjectam creaturam visibiliter apparere, absurdissime tamen ant a Filio quem genuit, aut a Spiritu sancto qui de illo procedit, missus diceretur. Iste igitur sit hujus voluminis modus : deinceps in cæteris, adjuvante Domino, illa hæreticorum versutissima argumenta qualia sint, et quemadmodum redarguantur videbimus.

LIBER QUINTUS.

Venit ad hæreticorum argumenta illa quæ non ex divinis Libris, sed ex rationibus suis proferunt : et eos refellit, quibus ideo videtur non eamdem Patris ac Filii esse substantiam, quia omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dici putant; et propterea et gignere et gigni, vel genitum esse et ingenitum, quoniam diversa sunt, contendunt substantias esse diversas; demonstrans, non omne quod de Deo dicitur secundum substantiam dici, sicut secundum substantiam dicitur bonus et magnus, et si quid aliud ad se dicitur; sed dici etiam relative, id est non ad se, sed ad aliquid quod ipse non est, sicut Pater ad Filium dicitur, vel Dominus ad creaturam sibi servientem : ubi si quid relative, id est ad aliquid quod ipse non est, etiam ex tempore dicitur, sicuti est, *Domine, refugium factus es nobis;* nihil ei accidere quo mutetur, sed omnino ipsum in natura vel essentia sua immutabilem permanere.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Quid a Deo, quid a lectore auctor exposcat. In Deo nihil mutabilis et corporei cogitandum.* Hinc jam exordiens ea dicere, quæ dici ut cogitantur vel ab homine aliquo, vel certe a nobis non omni modo possunt : quamvis et ipsa nostra cogitatio, cum de Deo Trinitate cogitamus [1], longe se illi de quo cogitat, imparem sentiat, neque ut est eum capiat, sed, ut scriptum est, etiam a tantis quantus Paulus apostolus hic erat, *per speculum et in ænigmate* videatur (I *Cor.* XIII, 12), primum ab ipso Domino Deo nostro, de quo semper cogitare debemus, et de quo digne cogitare non possumus, cui laudando reddenda est omni tempore benedictio (*Psal.* XXXIII, 1), et cui enuntiando nulla competit dictio, et adjutorium ad intelligenda atque explicanda quæ intendo, et veniam precor sicubi offendo. Memor sum enim, non solum voluntatis, verum etiam infirmitatis meæ. Ab his etiam qui ista lecturi sunt, ut ignoscant peto, ubi me magis voluisse quam potuisse dicere adverterint, quod vel ipsi melius intelligunt, vel propter mei eloquii difficultatem non intelligunt : sicut ego eis ignosco, ubi propter suam tarditatem intelligere non possunt.

2. Facilius autem nobis invicem ignoscimus, si noverimus, aut certe credendo firmum tenuerimus, ea quæ de natura incommutabili et invisibili summeque vivente ac sibi sufficiente dicuntur, non ex consuetudine visibilium atque mutabilium et mortalium vel egenarum rerum esse metienda. Sed cum in his etiam quæ nostris corporalibus adjacent sensibus, vel quod nos ipsi in interiore homine sumus, scientia comprehendendis laboremus, nec sufficiamus : non tamen impudenter in illa quæ supra sunt divina et ineffabilia, pietas fidelis ardescit; non quam suarum virium inflat arrogantia, sed quam gratia ipsius Creatoris et Salvatoris inflammat. Nam quo intellectu Deum capit homo, qui ipsum intellectum suum quo eum vult capere nondum capit? Si autem hunc jam capit, attendat diligenter nihil eo esse in sua natura melius, et videat utrum ibi videat ulla lineamenta formarum, nitores colorum, spatiosam granditatem, partium distantiam, molis distensionem, aliquas per locorum intervalla motiones, vel quid ejusmodi. Nihil certe istorum invenimus in eo, quo in natura nostra nihil melius invenimus, id est, in nostro intellectu, quo sapientiam capimus quantum capaces sumus. Quod ergo non invenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere, quod longe melius est meliore nostro : ut sic intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsidentem [1], sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omni modo invenire quid sit; pie tamen cavet, quantum potest, aliquid de eo sentire quod non sit.

CAPUT II. — 3. *Deus sola incommutabilis essentia.* Est tamen sine dubitatione substantia, vel, si melius hoc appellatur, essentia, quam Græci οὐσίαν vocant. Sicut enim ab eo quod est sapere dicta est sapientia, et ab eo quod est scire dicta est scientia; ita ab eo quod est esse dicta est essentia. Et quis magis est, quam ille qui dixit famulo suo Moysi, *Ego sum qui sum;* et, *Dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14)? Sed aliæ quæ dicuntur essentiæ sive substantiæ, capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacumque mutatio : Deo autem aliquid ejusmodi accidere non potest; et ideo sola est incommutabilis substantia vel essentia, qui Deus est, cui profectio ipsum esse, unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit. Quod enim mutatur, non servat ipsum esse; et quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest quod fuerat non esse : ac per hoc illud solum quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit quod verissime dicatur esse.

CAPUT III. — 4. *Arianorum argumentum ex voce geniti et ingeniti desumptum diluitur.* Quamobrem ut

[1] Fr. Lugd. Ven. Lov., *cum de Dei Trinitate cogitamus.* M.

[1] Sic Mss. At editi, *præsentem.*

jam etiam de iis quæ nec dicuntur ut cogitantur, nec cogitantur ut sunt, respondere incipiamus fidei nostræ adversariis : inter multa quæ Ariani adversus catholicam fidem solent disputare, hoc sibi maxime callidissimum machinamentum proponere videntur, cum dicunt : Quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Quapropter ingenitum esse Patri secundum substantiam est, et genitum esse Filio secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse, et genitum esse : diversa est ergo substantia Patris et Filii. Quibus respondemus : Si quidquid de Deo dicitur, secundum substantiam dicitur; ergo quod dictum est, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30), secundum substantiam dictum est. Una est igitur substantia Patris et Filii. Aut si hoc non secundum substantiam dictum est, dicitur ergo aliquid de Deo non secundum substantiam ; et ideo jam non cogimur secundum substantiam intelligere ingenitum et genitum. Item dictum est de Filio, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* II, 6) : quærimus secundum quid æqualis. Si enim non secundum substantiam dicitur æqualis, admittunt ut dicatur aliquid de Deo, non secundum substantiam : admittant ergo non secundum substantiam dici ingenitum et genitum. Quod si propterea non admittunt, quia omnia de Deo secundum substantiam dici volunt, secundum substantiam Filius æqualis est Patri.

CAPUT IV. — 5. *Accidens arguit semper aliquam rei mutationem.* Accidens autem non solet dici, nisi quod aliqua mutatione ejus rei cui accidit amitti potest. Nam etsi quædam dicuntur accidentia inseparabilia, quæ græce appellantur ἀχώριστα, sicut est plumæ corvi color niger ; amittit eum tamen, non quidem quamdiu pluma est, sed quia non semper est pluma. Quapropter ipsa materies mutabilis est, et ex eo quod desinit esse illud animal vel illa pluma, totumque illud corpus in terram mutatur et vertitur, amittit utique etiam illum colorem. Quamvis et accidens quod separabile dicitur, non separatione, sed mutatione amittatur ; sicuti est capillis hominum nigritudo, quoniam dum capilli sunt possunt albescere, separabile accidens dicitur : sed diligenter intuentibus satis apparet, non separatione quasi emigrare aliquid a capite dum canescit, ut nigritudo inde candore succedente discedat et aliquo eat, sed illam qualitatem coloris ibi verti atque mutari. Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile aut amissibile. Quod si et illud dici accidens placet, quod licet non amittatur, minuitur tamen vel augetur, sicuti est animæ vita : nam et quamdiu anima est, tamdiu vivit, et quia semper anima est, semper vivit ; sed quia magis vivit cum sapit, minusque cum desipit, fit etiam hic aliqua mutatio, non ut desit vita, sicuti deest insipienti sapientia, sed ut minus sit : nec tale aliquid in Deo fit, quia omnino incommutabilis manet.

CAPUT V. — 6. *In Deo nihil secundum accidens dicitur, sed secundum substantiam aut secundum relationem.* Quamobrem nihil in eo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit ; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. In rebus enim creatis atque mutabilibus quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur : omnia enim accidunt eis, quæ vel amitti possunt vel minui, et magnitudines et qualitates ; et quod dicitur ad aliquid, sicut amicitiæ, propinquitates, servitutes, similitudines, æqualitates, et si qua hujusmodi ; et situs et habitus, et loca et tempora, et opera atque passiones. In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est ; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens : quia et ille semper Pater, et ille semper Filius ; et non ita semper quasi ex quo natus est Filius, ut ex eo quod nunquam desinat esse Filius, Pater non desinat esse Pater ; sed ex eo quod semper natus est Filius, nec cœpit unquam esse Filius. Quod si aliquando esse cœpisset, aut aliquando esse desineret Filius, secundum accidens diceretur. Si vero quod dicitur Pater, ad se ipsum diceretur, non ad Filium ; et quod dicitur Filius, ad se ipsum diceretur, non ad Patrem ; secundum substantiam diceretur et ille Pater, et ille Filius : sed quia et Pater non dicitur Pater nisi ex eo quod est ei Filius, et Filius non dicitur nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur : quia non quisque eorum ad se ipsum, sed ad invicem atque ad alterutrum ista dicuntur : neque secundum accidens, quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, æternum atque incommutabile est eis. Quamobrem quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia : quia hoc [1] non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum ; quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile.

CAPUT VI. — 7. *Occurrit hæreticorum cavillationibus in eadem voce geniti et ingeniti.* Si autem huic sic putant resistendum esse sermoni, quod Pater quidem ad Filium dicitur et Filius ad Patrem, ingenitus tamen et genitus ad se ipsos dicuntur, non ad alterutrum : non enim hoc est dicere ingenitum, quod est Patrem dicere ; quia et si Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dicere ingenitum : et si gignat quisque filium, non ex eo ipse ingenitus est, quia geniti homines ex aliis hominibus, gignunt et ipsi alios : inquiunt ergo : Pater ad Filium dicitur, et Filius ad Patrem, ingenitus autem ad se ipsum, et genitus ad se ipsum dicitur : et ideo si quidquid ad se ipsum dicitur, secundum substantiam dicitur, diversum est autem ingenitum esse et genitum esse ; diversa igitur substantia est : hoc si dicunt, non intelligunt de ingenito quidem aliquid se dicere, quod diligentius pertractandum sit, quia nec ideo quisque pater quia ingenitus, nec ingenitus ideo quia pater, et propterea non ad aliquid, sed ad se dici putatur ingenitus : genitum vero mira cæcitate non advertunt dici non posse, nisi ad aliquid. Ideo quippe filius quia genitus,

[1] Editi, *hæc*. At Mss., *hoc*.

et quia filius utique genitus. Sicut autem filius ad patrem, sic genitus ad genitorem refertur; et sicut pater ad filium, ita genitor ad genitum. Ideoque alia notio est qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus. Nam quamvis de Patre Deo utrumque dicatur, illud tamen ad genitum, id est, ad Filium dicitur; quod nec illi negant: hoc autem quod ingenitus dicitur, ad se ipsum dici perhibent. Dicunt ergo: Si aliquid ad se ipsum dicitur Pater, quod ad se ipsum dici non potest Filius, et quidquid ad se ipsum dicitur, secundum substantiam dicitur, et ad se ipsum dicitur ingenitus, quod dici non potest Filius; ergo secundum substantiam dicitur ingenitus, quod Filius quia dici non potest, non ejusdem est substantiæ. Cui versutiæ respondetur ita, ut ipsi cogantur dicere secundum quid sit æqualis Patri Filius; utrum secundum id quod ad se dicitur, an secundum id quod ad Patrem dicitur. Non enim secundum id quod ad Patrem dicitur, quoniam ad patrem filius dicitur, ille autem non filius, sed pater est. Quia non sic ad se dicuntur pater et filius, quomodo amici aut vicini. Relative quippe amicus dicitur ad amicum; et si æqualiter se diligunt, eadem in utroque amicitia est: et relative vicinus dicitur ad vicinum; et quia æqualiter sibi vicini sunt (quantum enim iste illi, tantum et ille huic vicinatur), eadem in utroque vicinitas. Quia vero Filius non ad Filium relative dicitur, sed ad Patrem; non secundum hoc quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri: restat ut secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quidquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur: restat ergo ut secundum substantiam sit æqualis. Eadem est igitur utriusque substantia. Cum vero ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur. Cum autem relativum negatur, non secundum substantiam negatur, quia ipsum relativum non secundum substantiam dicitur.

CAPUT VII. — 8. *Negatio addita non mutat prædicamentum.* Hoc exemplis planum faciendum est. Ac primum videndum est hoc significari cum dicitur genitus, quod significatur cum dicitur filius. Ideo enim filius, quia genitus; et quia filius, utique genitus. Quod ergo dicitur ingenitus, hoc ostenditur, quod non sit filius: sed genitus et ingenitus commode dicuntur; filius autem latine dicitur, sed infilius ut dicatur non admittit loquendi consuetudo. Nihil tamen intellectui demitur, si dicatur non filius; quemadmodum etiam si dicatur non genitus, pro eo quod dicitur ingenitus, nihil aliud dicitur. Sic enim et vicinus et amicus relative dicuntur, nec tamen potest invicinus dici quomodo dicitur inimicus. Quamobrem non est in rebus considerandum quid vel sinat vel non sinat dici usus sermonis nostri, sed quis rerum ipsarum intellectus eluceat. Non ergo jam dicamus ingenitum, quamvis dici latine possit; sed pro eo dicamus non genitum, quod tantum valet. Num ergo aliud dicimus quam non filium? Negativa porro ista particula non id efficit, ut quod sine illa relative dicitur, eadem præposita substantialiter dicatur; sed id tantum negatur, quod sine illa aiebatur, sicut in cæteris prædicamentis. Velut cum dicimus, Homo est, substantiam designamus. Qui ergo dicit, Non homo est, non aliud genus prædicamenti enuntiat, sed tantum illud negat. Sicut ergo secundum substantiam aio, Homo est: sic secundum substantiam nego, cum dico, Non homo est. Et cum quæritur, quantus sit; et aio, Quadrupedalis est, id est, quatuor pedum, secundum quantitatem aio: qui dicit, Non quadrupedalis est, secundum quantitatem negat. Candidus est, secundum qualitatem aio: Non candidus est, secundum qualitatem nego. Propinquus est, secundum relativum aio: Non propinquus est, secundum relativum nego. Secundum situm aio, cum dico, Jacet: secundum situm nego, cum dico, Non jacet. Secundum habitum aio, cum dico, Armatus est: secundum habitum nego, cum dico, Non armatus est. Tantumdem autem valet si dicam, Inermis est. Secundum tempus aio, cum dico, Hesternus est: secundum tempus nego, cum dico, Non hesternus est. Et cum dico, Romæ est, secundum locum aio: et secundum locum nego, cum dico, Non Romæ est. Secundum id quod est facere aio, cum dico, Cædit: si autem dicam, Non cædit, secundum id quod est facere nego, ut ostendam non hoc facere. Et cum dico, Vapulat, secundum prædicamentum aio quod pati vocatur: et secundum id nego, cum dico, non vapulat. Et omnino nullum prædicamenti genus est, secundum quod aliquid aiere volumus, nisi ut secundum idipsum prædicamentum negare convincamur, si præponere negativam particulam voluerimus. Quæ cum ita sint, si substantialiter aierem, dicendo, Filius; substantialiter negarem, dicendo, Non Filius. Quia vero relative aio, cum dico, Filius est; ad patrem enim refero: relative nego, si dicam, Non filius est; ad parentem enim eamdem negationem refero, volens ostendere quod ei parens non sit. At si quantum valet quod dicitur filius, tantumdem valet quod dicitur genitus, sicut prælocuti sumus; tantumdem ergo valet quod dicitur non genitus, quantum valet quod dicitur non filius. Relative autem negamus dicendo, Non filius: relative igitur negamus dicendo, Non genitus. Ingenitus porro quid est, nisi non genitus? Non ergo receditur a relativo prædicamento, cum ingenitus dicitur. Sicut enim genitus non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore sit: ita cum dicitur ingenitus, non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore non sit ostenditur. In eodem tamen prædicamento, quod Relativum vocatur, utraque significatio vertitur: quod autem relative pronuntiatur, non indicat substantiam: ita quamvis diversum sit genitus et ingenitus, non indicat diversam substantiam: quia sicut filius ad patrem, et non filius ad non patrem refertur; ita genitus ad genitorem, et non genitus ad non genitorem referatur necesse est.

CAPUT VIII. — 9. *Quidquid substantialiter de Deo dicitur, de singulis personis singulariter et simul de ipsa Trinitate dicitur. In Deo una essentia, tres Græcis hypostases, Latinis tres personæ.* Quapropter illud præcipue teneamus, quidquid ad se dicitur præstantissima

illa et divina sublimitas, substantialiter dici; quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relative: tantamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre et Filio et Spiritu sancto, ut quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Quemadmodum enim Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, quod secundum substantiam dici nemo dubitat: non tamen tres deos, sed unum Deum dicimus eam ipsam præstantissimam Trinitatem. Ita magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus sanctus: non tamen tres magni, sed unus magnus. Non enim de Patre solo, sicut illi perverse sentiunt; sed de Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est, *Tu es Deus solus magnus* (*Psal.* LXXXV, 10). Et bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus: nec tres boni, sed unus est bonus, de quo dictum est, *Nemo bonus, nisi unus Deus*. Etenim Dominus Jesus, ne ab illo qui dixerat, *Magister bone* (*Luc.* XVIII, 19, 18), tanquam hominem compellans, secundum hominem tantummodo intelligeretur, ideo non ait, Nemo bonus, nisi solus Pater; sed, *Nemo bonus, nisi unus Deus*. In Patris enim nomine, ipse per se Pater pronuntiatur: in Dei vero, et ipse et Filius et Spiritus sanctus, quia Trinitas unus Deus. Situs vero, et habitus, et loca, et tempora, non proprie, sed translate ac per similitudines dicuntur in Deo. Nam et sedere super Cherubim dicitur (*Psal.* LXXIX, 2); quod ad situm dicitur: et abyssum tanquam vestimentum amictus (*Psal.* CIII, 6); quod ad habitum: et, *Anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28); quod ad tempus: et, *Si ascendero in cœlum, tu ibi es* (*Psal.* CXXXVIII, 8); quod ad locum. Quod autem ad faciendum attinet, fortassis de solo Deo verissime dicatur: solus enim Deus facit et ipse non fit, neque patitur quantum ad ejus substantiam pertinet qua Deus est. Itaque omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus: nec tamen tres omnipotentes, sed unus Omnipotens, *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; ipsi gloria* (*Rom.* XI, 36). Quidquid ergo ad se ipsum dicitur Deus, et de singulis personis singulariter dicitur [1], id est, de Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicitur. Quoniam quippe non aliud est Deo esse, et aliud magnum esse, sed hoc idem illi est esse quod magnum esse: propterea sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, sed unam essentiam et unam magnitudinem. Essentiam dico, quæ οὐσία græce dicitur, quam usitatius substantiam vocamus.

10. Dicunt quidem et illi hypostasim; sed nescio quid volunt interesse inter usiam et hypostasim: ita ut plerique nostri qui hæc græco tractant eloquio, dicere consueverint, μία οὐσία, τρεῖς ὑποστάσεις, quod est latine, unam essentiam, tres substantias.

CAPUT IX. — *Personæ tres non proprie dictæ.* Sed quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur cum dicimus essentiam, quod intelligitur cum dicimus substantiam: non audemus dicere unam essentiam tres substantias; sed unam essentiam vel substantiam, tres autem personas; quemadmodum multi Latini ista tractantes et digni auctoritate dixerunt, cum alium modum aptiorem non invenirent, quo enuntiarent verbis quod sine verbis intelligebant. Revera enim cum Pater non sit Filius, et Filius non sit Pater, et Spiritus sanctus ille qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater sit nec Filius, tres utique sunt. Ideoque pluraliter dictum est, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan* X, 30). Non enim dixit, Unum est, quod Sabelliani dicunt; sed, *unum sumus*. Tamen cum quæritur quid tres, magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen, Tres personæ, non ut illud diceretur, sed ne taceretur.

CAPUT X. — 11. *Quæ Deo absolute conveniunt ut essentia, de Trinitate singulariter dicuntur, non pluraliter.* Sicut ergo non dicimus tres essentias; ita non dicimus tres magnitudines, neque tres magnos. In rebus enim quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus est aliud esse, aliud magnas esse, sicut magna domus, et magnus mons, et magnus animus; in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est, et prorsus non hoc est magnitudo quod est magna domus. Sed illa est vera magnitudo, qua non solum magna est domus quæ magna est, et qua magnus est mons quisquis magnus est; sed etiam qua magnum est quidquid aliud magnum dicitur: ut aliud sit ipsa magnitudo, aliud ea quæ ab illa magna dicuntur. Quæ magnitudo utique primitus magna est, multoque excellentius quam ea quæ participatione ejus magna sunt. Deus autem quia non ea magnitudine magnus est quæ non est quod est ipse, ut quasi particeps ejus sit Deus cum magnus est; alioquin illa erit major magnitudo quam Deus, Deo autem non est aliquid majus: ea igitur magnitudine magnus est qua ipse est eadem magnitudo. Et ideo sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines: hoc est enim Deo esse, quod est magnum esse. Eadem causa nec magnos tres dicimus, sed unum magnum: quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed se ipso magno magnus est; quia ipse sua est magnitudo. Hoc et de bonitate, et de æternitate, et de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis quæ de Deo possunt pronuntiari, quod ad se ipsum dicitur, non translate ac per similitudinem, sed proprie: si tamen de illo proprie aliquid dici ore hominis potest.

CAPUT XI. — 12. *Quid in Trinitate relative dicatur.* Quod [1] autem proprie singula in eadem Trinitate dicuntur, nullo modo ad se ipsa, sed ad invicem, aut ad creaturam dicuntur; et ideo relative, non substantialiter ea dici manifestum est. Sicut enim Trinitas unus Deus dicitur, magnus, bonus, æternus, omnipotens, idemque ipse sua sic dici potest deitas, ipse sua magnitudo, ipse sua bonitas, ipse sua æternitas, ipse sua omnipotentia: non sic potest dici Tri-

[1] Plures Mss., *similiter dicitur*. Nonnulli, *ter dicitur*.

[1] Sola fere editio Lov., *Quæ*.

nitas Pater, nisi forte translate ad creaturam propter adoptionem filiorum. Quod enim scriptum est, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4), non utique excepto Filio, aut excepto Spiritu sancto oportet intelligi, quem unum Dominum Deum nostrum recte dicimus etiam patrem nostrum per gratiam suam nos regenerantem. Trinitas autem Filius nullo modo dici potest. Spiritus vero sanctus secundum id quod scriptum est, *Quoniam Deus spiritus est* (*Joan.* IV, 24), potest quidem universaliter dici, quia et Pater spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus. Itaque Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, quoniam unus Deus, et utique Deus sanctus est, et Deus spiritus est, potest appellari Trinitas et Spiritus sanctus. Sed tamen ille Spiritus sanctus qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus sanctus, relative dicitur, cum et ad Patrem et ad Filium refertur, quia Spiritus sanctus et Patris et Filii Spiritus est. Sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine; apparet autem cum dicitur donum Dei (*Act.* VIII, 20) : donum enim est Patris et Filii, quia et *a Patre procedit* (*Joan.* XV, 26), sicut Dominus dicit; et quod Apostolus ait, *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9), de ipso utique sancto Spiritu ait. Donum ergo donatoris, et donator doni, cum dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus. Ergo Spiritus sanctus ineffabilis est quædam Patris Filiique communio; et ideo fortasse sic appellatur, quia Patri et Filio potest eadem appellatio convenire. Nam hoc ipse proprie dicitur, quod illi communiter : quia et Pater spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus. Ut ergo ex nomine quod utrique convenit, utriusque communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus. Et hæc Trinitas unus Deus, solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens : ipse sibi unitas, deitas, magnitudo, bonitas, æternitas, omnipotentia.

CAPUT XII. — 13. *In relativis mutuis interdum desunt vocabula.* Nec movere debet, quoniam diximus relative dici Spiritum sanctum, non ipsam Trinitatem, sed eum qui est in Trinitate, quia non ei videtur vicissim respondere vocabulum ejus ad quem refertur. Non enim, sicut dicimus servum domini et dominum servi, filium patris et patrem filii, quoniam ista relative dicuntur, ita etiam hic possumus dicere. Dicimus enim Spiritum sanctum Patris, sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus sancti, ne filius ejus intelligatur Spiritus sanctus. Item dicimus Spiritum sanctum Filii, sed non dicimus Filium Spiritus sancti, ne pater ejus intelligatur Spiritus sanctus. In multis enim relativis hoc contingit, ut non inveniatur vocabulum, quo sibi vicissim respondeant quæ ad se referuntur. Quid enim tam manifeste relative dicitur quam pignus? Ad id quippe refertur cujus est pignus, et semper pignus alicujus rei pignus est. Num ergo cum dicimus pignus Patris et Filii (II *Cor.* V, 5, *et Ephes.* I, 14), possumus vicissim dicere Patrem pignoris aut Filium pignoris? At vero cum dicimus donum Patris et Filii, non quidem dicere possumus Patrem doni, aut Filium doni; sed ut hæc sibi vicissim respondeant, dicimus donum donatoris, et donatorem doni : quia hic potuit inveniri unitatum vocabulum, illic non potuit.

CAPUT XIII. — 14. *Principium quomodo in Trinitate relative dicatur.* Dicitur ergo relative Pater, idemque relative dicitur principium, et si quid forte aliud : sed Pater ad Filium dicitur, principium vero ad omnia quæ ab ipso sunt. Item dicitur relative Filius, relative dicitur et Verbum et Imago; et in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur : nihil autem horum Pater dicitur. Et principium dicitur Filius : cum enim diceretur ei, *Tu quis es?* respondit, *Principium, qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25). Sed numquid Patris principium? Creatorem se quippe ostendere voluit, cum se dixit esse principium; sicut et Pater principium est creaturæ, eo quod ab ipso sunt omnia. Nam et creator relative dicitur ad creaturam, sicut dominus ad servum. Et ideo cum dicimus, et Patrem principium, et Filium principium, non duo principia creaturæ dicimus; quia et Pater et Filius simul ad creaturam unum principium est, sicut unus creator, sicut unus Deus. Si autem quidquid in se manet et gignit aliquid vel operatur, principium est ei rei quam gignit, vel ei quam operatur; non possumus negare etiam Spiritum sanctum recte dici principium; quia non cum separamus ab appellatione creatoris : et scriptum est de illo quod operetur, et in se utique manens operatur; non enim in aliquid eorum quæ operatur, ipse mutatur et vertitur. Et quæ operatur, vide : *Unicuique autem*, inquit, *datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum; alteri autem fides in eodem Spiritu; alii donatio curationum in uno Spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii dijudicatio spirituum; alii genera linguarum. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult*, utique sicut Deus. Quis enim tanta illa potest operari nisi Deus? *Idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus* (I *Cor.* XII, 6-11). Nam et sigillatim si interrogemur de Spiritu sancto, verissime respondemus quod Deus sit; et cum Patre et Filio simul unus Deus est. Unum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo vel tria principia.

CAPUT XIV. — 15. *Pater et Filius unicum principium Spiritus sancti.* Ad se autem invicem in Trinitate, si gignens ad id quod gignit principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum [1]. Utrum autem et ad Spiritum sanctum principium sit Pater, quoniam dictum est, *De Patre procedit*, non parva quæstio est. Quia si ita est, non jam principium ei tantum rei erit quam gignit aut facit, sed etiam ei quam dat. Ubi et illud elucescit, ut potest [2], quod solet multos movere, cur non Filius sit etiam Spiritus sanctus, cum et ipse a Patre exeat, sicut in Evangelio

[1] In Mss., *quia genuit eum.*
[2] Editi, *utpote.* At Mss., *ut potest.*

legitur (*Joan.* xv, 26). Exiit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus; et ideo non dicitur filius, quia neque natus est sicut Unigenitus, neque factus ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicuti nos. Quod enim de Patre natum est, ad Patrem solum refertur cum dicitur Filius, et ideo Filius Patris, non et noster [1]: quod autem datum est, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit; itaque Spiritus sanctus, non tantum Patris et Filii qui dederunt, sed etiam noster dicitur qui accepimus: sicut dicitur, *Domini salus* qui dat salutem (*Psal.* III, 9), eadem etiam nostra salus est qui accepimus. Spiritus ergo et Dei est qui dedit, et noster qui accepimus. Non ille spiritus noster quo sumus, quia ipse spiritus est hominis qui in ipso est: sed alio modo iste noster est, quo dicimus et, *Panem nostrum da nobis* (*Matth.* VI, 11). Quanquam et illum spiritum qui hominis dicitur, utique accepimus. *Quid enim habes*, inquit [2], *quod non accepisti* (I *Cor.* IV, 7)? Sed aliud est quod accepimus ut essemus, aliud quod accepimus ut sancti essemus. Unde scriptum est et de Joanne, quod in spiritu et virtute Eliæ veniret (*Luc.* I, 17): dictus est Eliæ spiritus, scilicet Spiritus sanctus quem accepit Elias. Hoc et de Moyse intelligendum est, cum ait ei Dominus, *Tollam de spiritu tuo, et dabo eis* (*Num.* XI, 17): hoc est, dabo illis de Spiritu sancto, quem jam tibi dedi. Si ergo et quod datur, principium habet cum a quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit; fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia: sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum sanctum unum principium; ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus sanctus unum principium, sicut unus creator et unus Dominus.

CAPUT XV. — 16. *An Spiritus sanctus esset donum et antequam daretur.* Ulterius [3] autem quæritur, utrum quemadmodum Filius non hoc tantum habet nascendo ut Filius sit, sed omnino ut sit; sic et Spiritus sanctus eo quo datur habeat non tantum ut donum sit, sed omnino ut sit: utrum ergo erat antequam daretur, sed nondum erat donum, an eo ipso quo daturus erat cum Deus, jam donum erat et antequam daretur. Sed si non procedit nisi cum datur, nec procederet utique priusquam esset cui daretur; quomodo jam erat ipsa substantia, si non est nisi quia datur: sicut Filius non tantum ut sit Filius, quod relative dicitur, sed omnino ut sit ipsam substantiam [4] nascendo habet? An semper procedit Spiritus sanctus, et non ex tempore, sed ab æternitate procedit; sed quia sic procedebat ut esset donabile; jam donum erat, et antequam esset cui daretur? Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse et antequam detur; donatum autem nisi datum fuerit nullo modo dici potest.

CAPUT XVI. — 17. *Quod de Deo ex tempore dicitur, relative dicitur, non accidentaliter.* Nec moveat quod Spiritus sanctus cum sit coæternus Patri et Filio, dicitur tamen aliquid ex tempore, veluti hoc ipsum quod donatum diximus. Nam sempiterne Spiritus donum, temporaliter autem donatum. Nam et si dominus non dicitur, nisi cum habere incipit servum, etiam ista appellatio relativa ex tempore est Deo: non enim sempiterna creatura est, cujus est ille Dominus. Quomodo ergo obtinebimus nec ipsa relativa esse accidentia, quoniam nihil accidit Deo temporaliter, quia non est mutabilis, sicut in exordio hujus disputationis tractavimus. Ecce Dominum esse non sempiternum habet, ne cogamur etiam sempiternam creaturam dicere, quia ille sempiterne non dominaretur, nisi etiam ista sempiterne famularetur. Sicut autem non potest esse servus qui non habet dominum, sic nec dominus qui non habet servum. Et quisquis exstiterit qui æternum quidem Deum solum dicat, tempora autem non esse æterna propter varietatem et mutabilitatem, sed tempora tamen non in tempore esse cœpisse (non enim erat tempus antequam inciperent tempora, et ideo non in tempore accidit Deo ut Dominus esset, quia ipsorum temporum Dominus erat, quæ utique non in tempore esse cœperunt); quid respondebit de homine, qui in tempore factus est, cujus utique Dominus non erat antequam esset cui esset? Certe vel ut Dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo: et ut omnis auferri videatur controversia, certe ut tuus Dominus esset, aut meus, qui modo esse cœpimus, ex tempore accidit Deo. Aut si et hoc propter obscuram quæstionem animæ videtur incertum, quid ut esset Dominus populi Israel? Quia etsi jam erat animæ natura, quam ille populus habebat, quod modo non quærimus; tamen ille populus nondum erat, et quando esse cœpit apparet. Postremo ut Dominus esset hujus arboris et hujus segetis, ex tempore accidit, quæ modo esse cœperunt. Quia etsi materies ipsa jam erat, aliud est tamen dominum esse materiæ, aliud esse dominum jam factæ naturæ. Alio enim tempore est etiam homo dominus ligni, et alio tempore dominus est arcæ, quamvis ex ipso ligno fabricatæ, quod utique non erat, cum ligni dominus jam esset. Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici Deum, nisi quia ipsius naturæ nihil accidit quo mutetur, ut ea sint accidentia relativa, quæ cum aliqua mutatione rerum de quibus dicuntur, accidunt. Sicut amicus relative dicitur; neque enim esse incipit, nisi cum amare cœperit: fit ergo aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicatur. Nummus autem cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mutatus est cum esse cœpit pretium: neque cum dicitur pignus, et si qua sunt similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relative, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat; quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita dicatur relative aliquid ad

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *et non noster*. M.
[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *inquit Apostolus*. M.
[3] Am. et plures Mss., *Interius*. Tres alii Mss., *Interim*.
[4] Plerique Mss., *ipsa substantia*.

creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ ad quam dicitur? *Domine*, inquit, *refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX, 1). Refugium ergo nostrum Deus relative dicitur, ad nos enim refertur, et tunc refugium nostrum fit, cum ad eum refugimus : numquid tunc fit aliquid in ejus natura, quod antequam ad eum refugeremus non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio : deteriores enim fuimus antequam ad eum refugeremus, et efficimur ad eum refugiendo meliores : in illo autem nulla. Sic et pater noster esse incipit, cum per ejus gratiam regeneramur, quoniam dedit nobis potestatem filios Dei fieri (*Joan.*, 12). Substantia itaque nostra mutatur in melius, cum filii ejus efficimur : simul et ille pater noster esse incipit, sed nulla commutatione suæ substantiæ. Quod ergo temporaliter dici incipit Deus quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici : non tamen secundum accidens Dei quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens ejus ad quod dici aliquid Deus incipit relative. Et quod amicus Dei justus esse incipit, ipse mutatur : Deus autem absit ut temporaliter aliquem diligat [1], quasi nova dilectione quæ in illo ante non erat, apud quem nec præterita transierunt, et futura jam facta sunt. Itaque omnes sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit, sicut prædestinavit : sed cum convertuntur et inveniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur, ut eo modo dicatur quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam cum iratus malis dicitur, et placidus bonis ; illi mutantur, non ipse : sicut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis est ; ipsorum scilicet mutatione, non sua.

[1] Sic Mss. Editi autem, *aliquando diligat*.

LIBER SEXTUS.

In quo proposita quæstione, quomodo dictus sit Christus ore apostolico, *Dei virtus et Dei sapientia*, dis- utatur utrum Pater non sit ipse sapientia, sed tantum sapientiæ Pater, an sapientia sapientiam genuerit : et dilata paulisper solutione, probatur unitas et æqualitas Patris et Filii ac Spiritus sancti : et non Deum triplicem, sed Trinitatem credi oportere. Illud postremo loco explicatur Hilarii dictum : « Æternitas in Patre, species in imagine, usus in Munere. »

CAPUT PRIMUM. — 1. *Filius secundum Apostolum virtus et sapientia Dei Patris. Hinc ratiocinatio Catholicorum contra priores Arianos. Difficultas an Pater non sit ipse sapientia, sed tantum sapientiæ Pater.* Æqualitatem Patris et Filii et Spiritus sancti putant nonnulli ex hoc impediri quominus intelligatur, quia scriptum est, *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam :* ut ideo non videatur æqualitas, quia non est Pater ipse virtus et sapientia, sed genitor virtutis et sapientiæ. Et revera non mediocri intentione quæri solet, quomodo dicatur Deus virtutis et sapientiæ Pater. Ait enim Apostolus, *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (1 *Cor.* I, 24). Et hinc nonnulli nostri adversum Arianos hoc modo ratiocinati sunt, eos duntaxat qui prius se adversum catholicam fidem extulerunt. Nam ipse Arius dixisse fertur, Si filius est, natus est ; si natus est, erat tempus quando non erat filius : non intelligens etiam natum esse Deo sempiternum esse, ut sit coæternus Patri Filius, sicut splendor qui gignitur ab igne atque diffunditur, coævus est illi, et esset coæternus, si esset ignis æternus. Unde quidam posteriores Ariani abjecerunt istam sententiam, fassique sunt, non ex tempore cœpisse Filium Dei. Sed inter disputationes quas habebant nostri adversum eos qui dicebant, Erat tempus quando non erat Filius, hanc etiam nonnulli ratiocinationem inserebant : Si Dei Filius virtus et sapientia Dei est, nec unquam Deus sine virtute et sapientia fuit, coæternus est Deo Patri Filius : dicit autem Apostolus, *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam ;* et Deum aliquando non habuisse virtutem aut sapientiam, dementis est dicere : non igitur erat tempus quando non erat Filius.

2. Quæ ratiocinatio ad id cogit, ut dicamus Deum Patrem non esse sapientem, nisi habendo sapientiam quam genuit, non existendo per se Pater ipsa [1] sapientia. Deinde si ita est, Filius quoque ipse sicut dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, videndum est utrum possit sapientia de sapientia dici, si non est Deus Pater ipsa sapientia, sed tantum genitor sapientiæ. Quod si tenemus, cur non et magnitudinis suæ, et bonitatis, et æternitatis, et omnipotentiæ suæ genitor sit, ut non ipse sit sua magnitudo, et sua bonitas, et sua æternitas, et sua omnipotentia, sed ea magnitudine magnus sit quam genuit, et ea bonitate bonus, et ea æternitate æternus, et ea omnipotentia omnipotens quæ de illo nata est, sicut non ipse sua sapientia est [2], sed ea sapientia sapiens est quæ de illo nata est? Nam illud non est formidandum, ne cogamur multos filios Dei dicere, præter adoptionem creaturæ, coæternos Patri, si magnitudinis suæ genitor est, et bonitatis, et æternitatis, et omnipotentiæ. Huic enim calumniæ facile respondetur, sic non effici, quia multa nominata sunt, ut ille multorum filiorum coæternorum sit pater ; quemadmodum non efficitur ut duorum sit, cum dicitur Christus Dei virtus et Dei sapientia. Eadem quippe virtus quæ sapientia, et eadem sapientia quæ virtus est : ita igitur [3] etiam de cæteris, ut eadem sit magnitudo quæ virtus, et si qua alia, quæ vel supra commemorata sunt, vel commemorari adhuc possunt.

CAPUT II. — 3. *Quæ de Patre et Filio simul dicuntur, quæ non.* Sed si non dicitur in se ipso nisi quod ad Filium dicitur, id est, pater, vel genitor, vel principium ejus ; si etiam gignens ei quod de se gignit, i

[1] Plures Mss., *ipse*.
[2] Aliquot Mss., *sicut non ipse ipsa sua sapientia est*.
[3] Editi, *itane igitur ?* Castigantur ex Mss.

consequenter principium est; quidquid autem [1] aliud dicitur, cum Filio dicitur, vel potius in Filio, sive magnus ea magnitudine quam genuit, sive justus ea justitia quam genuit, sive bonus ea bonitate quam genuit, sive potens ea potentia vel virtute quam genuit, sive sapiens ea sapientia quam genuit : magnitudo autem ipsa non dicitur Pater, sed magnitudinis generator : Filius vero sicut in se ipso dicitur Filius, quod non cum Patre dicitur, sed ad Patrem, non sic et in se ipso magnus, sed cum Patre cujus ipse magnitudo est : sic et sapiens cum Patre dicitur, cujus ipse sapientia est ; sicut ille sapiens cum Filio, quia ea sapientia sapiens est quam genuit : quidquid ergo ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero, id est, quidquid dicuntur quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur. Si hæc ita sunt, jam ergo nec Deus est Pater sine Filio, nec Filius Deus sine Patre, sed ambo simul Deus. Et quod dictum est, *In principio erat Verbum ;* in Patre erat Verbum, intelligitur : aut si *in principio* sic dictum est, ac si diceretur, Ante omnia ; quod sequitur, *Et Verbum erat apud Deum*, Verbum quidem solus Filius accipitur, non simul Pater et Filius, tanquam ambo unum Verbum (sic enim Verbum quomodo Imago, non autem Pater et Filius simul ambo imago, sed Filius solus imago Patris, quemadmodum et Filius : non enim ambo simul filius) : quod vero adjungitur, *Et Verbum erat apud Deum ;* multum est ut sic intelligatur, *Verbum*, quod solus est Filius, *erat apud Deum*, quod non solus est Pater, sed Pater et Filius simul Deus. Sed quid mirum, si in duabus quibusdam rebus longe inter se diversis potest hoc dici ? Quid enim tam diversum, quam animus et corpus ? Potest tamen dici, Animus erat apud hominem, id est, in homine : cum animus non sit corpus, homo autem animus simul et corpus sit. Ut etiam quod consequenter scriptum est, *Et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1), sic intelligatur : Verbum quod non est Pater, Deus erat simul cum Patre. Itane ergo dicimus, ut Pater sit generator magnitudinis, hoc est generator virtutis, vel generator sapientiæ suæ : Filius autem magnitudo, virtus, et sapientia : Deus vero magnus, omnipotens, sapiens, ambo simul ? Quomodo ergo Deus de Deo, lumen de lumine ? Non enim simul ambo Deus de Deo, sed solus Filius de Deo, scilicet Patre : nec ambo simul lumen de lumine, sed solus Filius de lumine Patre. Nisi forte ad insinuandum et brevissime inculcandum quod coæternus est Patri Filius, ita dictum est, Deus de Deo, et lumen de lumine, et si quid hoc modo dicitur, ac si diceretur, Hoc quod non est Filius sine Patre, de hoc quod non est Pater sine Filio, id est, hoc lumen quod lumen non est sine Patre, de hoc lumine Patre quod lumen non est sine Filio : ut cum dicitur, Deus quod non est Filius sine Patre, et de Deo quod non est Pater sine Filio, perfecte intelligatur quod non præcessit genitor illud quod genuit. Quod si ita est, hoc solum de eis dici non potest, illud de illo, quod simul ambo non sunt. Sicut Verbum de verbo dici non potest, quia non simul ambo verbum, sed solus Filius : nec imago de imagine, quia non simul ambo imago : nec Filius de Filio, quia non simul ambo filius, secundum quod dicitur, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). *Unum sumus* enim dictum est, Quod ille, hoc et ego secundum essentiam, non secundum relativum.

CAPUT III. — 4. *Unitatem essentiæ Patris et Filii haberi ex verbis*, Unum sumus. *Filius et in sapientia et in cæteris æqualis Patri.* Et nescio utrum inveniatur in Scripturis dictum, *unum sunt*, quorum est diversa natura. Si autem aliqua plura ejusdem naturæ sint, et diversa sentiant, non sunt unum et quantum diversa sentiunt. Nam si jam unum essent ex eo quod homines erant, non diceret, *Ut sint unum, sicut nos unum* (*Id.* XVII, 11), cum suos discipulos Patri commendaret. At vero Paulus et Apollo, quia et ambo homines, et idem sentiebant : *Qui plantat*, inquit, *et qui rigat, unum sunt* (I *Cor.* III, 8). Cum ergo sic dicitur unum, ut non addatur quid unum, et plura unum dicantur, eadem natura atque essentia, non dissidens nec dissentiens significatur. Cum vero additur quid unum, potest aliquid significari ex pluribus unum factum, quamvis diversis natura. Sicut anima et corpus non sunt utique unum ; quid enim tam diversum ? nisi addatur aut subintelligatur quid unum, id est, unus homo, aut unum animal. Inde Apostolus : *Qui adhæret meretrici*, inquit, *unum corpus est :* non dixit, Unum sunt, aut, Unum est ; sed addidit, *corpus*, tanquam ex duobus diversis masculino et feminino unum corpus adjunctione compositum. Et, *Qui adhæret Domino*, inquit, *unus spiritus est* (*Id.* VI, 16, 17) : non dixit, Qui adhæret Domino, unus est, aut, unum sunt ; sed addidit, *spiritus*. Diversi sunt enim natura, spiritus hominis et spiritus Dei [1] ; sed inhærendo fit unus spiritus ex diversis duobus, ita ut sine humano spiritu beatus sit Dei spiritus atque perfectus, beatus autem hominis spiritus non nisi cum Deo. Nec frustra, ut existimo, cum tanta in Evangelio secundum Joannem et totics diceret Dominus de ipsa unitate, vel sua cum Patre, vel nostra invicem nobiscum ; nusquam dixit, Ut nos et ipsi unum : sed, *Ut unum sint, sicut et nos unum sumus* (*Joan.* XVII). Pater ergo et Filius unum sunt, utique secundum unitatem substantiæ, et unus Deus est, et unus magnus, et unus sapiens, sicut tractatum est.

5. Unde ergo major Pater ? Si enim major, magnitudine major : cum autem magnitudo Filius ejus sit, nec ille utique major est eo qui se genuit, nec ille major est ea magnitudine qua magnus est : ergo æqualis. Nam unde æqualis, si non eo quo est, cui non est aliud esse, et aliud magnum esse ? Aut si æternitate Pater major est, non est æqualis Filius quacumque re. Unde enim æqualis ? Si magnitudine dixeris, non est par magnitudo, quæ minus æterna est, atque ita cætera. An forte in virtute æqualis est, in sapientia vero non est æqualis ? Sed quomodo est æqualis vir-

[1] Hoc revocamus particulam, *autem*, quæ in ante editis temere expuncta fuerat.

[1] Plures Mss., *et Spiritus Deus.*

tus quæ minus sapit? An in sapientia æqualis est, in virtute autem non est æqualis? Sed quomodo æqualis est sapientia, quæ minus potens est? Restat ergo ut si in ulla re æqualis non est, in omnibus non sit æqualis. At Scriptura clamat, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* II, 6). Cogitur ergo quivis adversarius veritatis, qui modo [1] tenetur apostolica auctoritate, in qualibet vel una re æqualem Deo Filium confiteri. Eligat quam voluerit : hinc ei ostendetur in omnibus esse æqualem, quæ de substantia ejus dicuntur.

CAPUT IV. — 6. *Sequitur de eodem argumento.* Sic enim virtutes quæ sunt in animo humano, quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur, nullo modo tamen separantur ab invicem, ut quicumque fuerint æquales, verbi gratia, in fortitudine, æquales sint et prudentia, et temperantia, et justitia. Si enim dixeris æquales esse istos fortitudine, sed illum præstare prudentia ; sequitur ut hujus fortitudo minus prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sunt, quando est illius fortitudo prudentior. Atque ita de cæteris virtutibus invenies, si omnes eadem consideratione percurras. Non enim de viribus corporis agitur, sed de animi fortitudine. Quanto ergo magis in illa incommutabili æternaque substantia incomparabiliter simpliciore quam est animus humanus, hæc ita se habent? Humano quippe animo non hoc est esse quod est fortem esse, aut prudentem, aut justum, aut temperantem : potest enim esse animus, et nullam istarum habere virtutem. Deo autem hoc est esse quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, et si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significetur. Quamobrem, sive ita dicatur Deus de Deo, ut et singulis hoc nomen conveniat, non tamen ut ambo simul duo dii, sed unus Deus sit. Ita enim sibi cohærent, quemadmodum et in distantibus [2] diversisque substantiis fieri Apostolus testis est. Nam et solus Dominus spiritus est, et solus hominis spiritus utique spiritus est, tamen si hæreat Domino *unus spiritus est* : quanto magis ibi, ubi est omnino inseparabilis atque æterna connexio, ne absurde dici videatur quasi filius amborum, cum dicitur Filius Dei, si id quod dicitur Deus, non nisi de ambobus dicitur simul : sive quidquid de Deo dicitur quod substantiam ejus indicet, non nisi de ambobus simul, imo de ipsa simul Trinitate dicitur? Sive ergo hoc, sive illud sit, quod diligentius discutiendum est, nunc unde agitur satis est videre, nullo modo Filium æqualem esse Patri, si in aliquo scilicet quod pertineat ad significandam ejus substantiam inæqualis invenitur, sicut jam ostendimus. Apostolus autem dixit æqualem. In omnibus ergo æqualis est Patri Filius, et est unius ejusdemque substantiæ.

CAPUT V. — 7. *Spiritus sanctus etiam Patri et Filio æqualis in omnibus.* Quapropter etiam Spiritus sanctus in eadem unitate substantiæ et æqualitate consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive charitas, sive ideo unitas quia charitas, et ideo charitas quia sanctitas, manifestum est quod nos aliquis duorum est quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicujus, sed suo proprio servantes unitatem spiritus in vinculo pacis (*Ephes.* IV, 3). Quod imitari per gratiam, et ad Deum, et ad nos ipsos jubemur. In quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40). Ita sunt illa tria, Deus unus, solus, magnus, sapiens, sanctus, beatus. Nos autem ex ipso, et per ipsum, et in ipso beati ; quia ipsius munere inter nos unum, cum illo autem unus spiritus, quia agglutinatur anima nostra post eum. Et nobis hærere Deo bonum est, quia perdet omnem qui fornicatur ab eo (*Psal.* LXXVII, 28, 27). Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris et Filii, quidquid illud est. At ipsa communio, consubstantialis et coæterna : quæ si amicitia convenienter dici potest, dicatur ; sed aptius dicitur charitas. Et hæcquoque substantia, quia Deus substantia, et *Deus charitas*, sicut scriptum est (I *Joan.* IV, 16). Sicut autem substantia simul cum Patre et Filio, ita simul magna, et simul bona, et simul sancta, et quidquid aliud ad se dicitur : quoniam non aliud est Deo esse, et aliud magnum esse vel bonum esse, et cætera, sicut supra ostendimus. Si enim minus magna est ibi charitas quam sapientia, minus quam est diligitur sapientia : æqualis est igitur, ut quanta est sapientia tantum diligatur : est autem sapientia æqualis Patri, sicut supra disputavimus : æqualis est igitur etiam Spiritus sanctus ; et si æqualis, in omnibus æqualis propter summam simplicitatem quæ in illa substantia est. Et ideo non amplius quam tria sunt ; unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo est, et ipsa dilectio. Quæ si nihil est, quomodo *Deus dilectio est?* Si non est substantia, quomodo Deus substantia est?

CAPUT VI. — 8. *Quomodo Deus substantia simplex et multiplex.* Si autem quæritur quomodo simplex et multiplex sit illa substantia ; animadvertenda est primo creatura quare sit multiplex, nullo autem modo vere simplex. Et prius corpus universum utique partibus constat ; ita ut sit ibi alia pars major, alia minor, et majus sit universum quam pars quælibet aut quantalibet. Nam et cœlum et terra partes sunt universæ mundanæ molis : et sola terra, et solum cœlum innumerabilibus partibus constat, et in tertia sui parte minor est quam in cætera, et in dimidia minor quam in tota ; et totum mundi corpus quod duabus plerumque partibus appellari solet, id est, cœlum et terra, utique majus est quam solum cœlum aut sola terra. Et in unoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura. Potest enim et diminuta magnitudine manere idem color et eadem figura, et colore mutato manere eadem figura et eadem magnitudo, et figura eadem non manente tam magnum esse et eodem modo coloratum : et quæcumque alia simul

[1] Editi, *qui aliquo modo.* At Mss., *qui modo*, id est saltem.

[2] Plerique Mss., *quod etiam in distantibus.*

dicuntur de corpore, possunt et simul et plura sine cæteris commutari. Ac per hoc multiplex esse convincitur natura corporis, simplex autem nullo modo. Creatura quoque spiritualis, sicut est anima, est quidem in corporis comparatione simplicior : sine comparatione autem corporis multiplex est, etiam ipsa non simplex. Nam ideo simplicior est corpore, quia non mole diffunditur per spatium loci, sed in unoquoque corpore, et in toto tota est, et in qualibet ejus parte tota est ; et ideo cum fit aliquid in quavis exigua particula corporis quod sentiat anima, quamvis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet : sed tamen etiam in anima cum aliud sit artificiosum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud tristitia, possintque et alia sine aliis, et alia magis, alia minus, innumerabilia et innumerabiliter in animæ natura inveniri ; manifestum est non simplicem, sed multiplicem esse naturam. Nihil enim simplex mutabile est ; omnis autem creatura mutabilis.

CAPUT VII.—*Deus Trinitas, sed non triplex.* Deus vero multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, et quidquid aliud non indigne dici videtur : sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia ; non enim mole magnus est, sed virtute : et eadem bonitas quæ sapientia et magnitudo, et eadem veritas quæ illa omnia : et non est ibi aliud beatum esse, et aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.

9. Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est : alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater et Filius. Quanquam non inveniatur quomodo dici possit, aut Pater solus, aut Filius solus ; cum semper atque inseparabiliter et ille cum Filio sit, et ille cum Patre : non ut ambo sint Pater, aut ambo Filius ; sed quia semper in invicem, neuter solus. Quia vero dicimus et Deum solum ipsam Trinitatem, quamvis semper sit cum spiritibus et animabus sanctis ; sed solum dicimus quod Deus est, quia non et illi cum illo Deus sunt : ita solum Patrem dicimus Patrem, non quia separatur a Filio, sed quia non simul ambo Pater sunt.

CAPUT VIII. — *Dei naturæ nulla fit accessio.* Cum itaque tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater et Filius et Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus est. Corpora quippe adjunctione sua crescunt. Quamvis enim qui adhæret uxori suæ, unum corpus sit ; majus tamen corpus fit, quam si solius viri esset, aut solius uxoris. In rebus autem spiritualibus, cum minor majori adhærescit, sicut creatura Creatori, illa fit major quam erat, non ille. In iis enim quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse quod est melius esse. Melior autem fit spiritus alicujus creaturæ, cum adhæret Creatori, quam si non adhæreat : et ideo etiam major quia melior. *Qui* ergo *adhæret Domino, unus spiritus est* (1 *Cor.* VI, 17) : sed tamen Dominus non ideo fit major, quamvis fiat ille qui adhæret Domino. In ipso igitur Deo cum adhæret æquali Patri Filius æqualis, aut Spiritus sanctus Patri et Filio æqualis, non fit major Deus quam singuli eorum ; quia non est quo crescat illa perfectio. Perfectus autem sive Pater, sive Filius, sive Spiritus sanctus, et perfectus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus : et ideo Trinitas potius quam triplex.

CAPUT IX. — 10. *An una vel tres simul personæ dicantur solus Deus.* Et quoniam ostendimus quomodo possit dici solus Pater, quia non nisi ipse ibi Pater ; consideranda est illa sententia qua dicitur, Deum verum solum non esse Patrem solum, sed Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Si quis enim interroget, Pater solus utrum sit Deus : quomodo respondebitur non esse, nisi forte ita dicamus, esse quidem Patrem Deum, sed non eum esse solum Deum ; esse autem solum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum? Sed quid agimus de illo testimonio Domini? Patri enim dicebat, et Patrem nominaverat ad quem loquebatur, cum ait : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum* (*Joan.* XVII, 3). Quod quidem Ariani sic solent accipere, quasi non sit Filius verus Deus. Quibus exclusis videndum est an intelligere cogamur, cum dictum est Patri, *Ut cognoscant te unum* (*a*) *verum Deum ;* tanquam hoc insinuare voluerit, quia et solus Pater Deus verus est, ne non intelligeremus Deum, nisi ipsa tria simul, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Num ergo ex Domini testimonio, et Patrem unum verum Deum dicimus, et Filium unum verum Deum, et Spiritum sanctum unum verum Deum, et simul Patrem et Filium et Spiritum sanctum, id est, simul ipsam Trinitatem, non tres veros deos, sed unum verum Deum? An quoniam addidit, *Et quem misisti Jesum Christum ;* subaudiendum est, *unum verum Deum ;* et ordo verborum est, *Ut te et quem misisti Jesum Christum, cognoscant unum verum Deum?* Cur ergo tacuit de Spiritu sancto? An quoniam consequens est ut ubicumque nominatur unum tanta pace uni adhærens, ut per hanc utrumque unum sit, jam ex hoc intelligatur etiam ipsa pax, quamvis non commemoretur? Nam et illo loco Apostolus videtur quasi prætermittere Spiritum sanctum, et tamen etiam ibi intelligitur, ubi ait, *Omnia sunt vestra ; vos autem, Christi ; Christus autem, Dei* (1 *Cor.* III, 22, 23) : et iterum, *Caput mulieris, vir ; caput viri, Christus ; caput autem Christi, Deus* (*Id.* XI, 3). Sed rursus si Deus non nisi omnia simul tria, quomodo caput Christi Deus, id est, caput Christi Trinitas, cum in Trinitate sit Christus ut sit Trinitas? An quod est Pater cum Filio, caput est ei quod est solus Filius? Cum Filio enim Pater Deus, solus autem Filius Christus est : maxime quia jam Verbum caro factum loquitur, secundum quam humilitatem[1] ejus etiam major est Pater, sicut dicit, *Quoniam Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28) ; ut hoc ipsum Deum esse, quod illi cum Patre unum est, caput sit hominis Mediatoris, quod ipse solus est (1 *Tim.* II, 5). Si enim mentem

[1] Ita plerique Mss. At editi, *humanitatem.*
(*a*) Græce est, *monon.*

recte dicimus principale hominis, id est, tanquam caput humanæ substantiæ, cum ipse homo cum mente sit homo; cur non multo congruentius, multoque magis Verbum cum Patre quod simul Deus est, caput est Christi, quamvis Christus homo nisi cum Verbo quod caro factum est, intelligi non possit? Sed hoc, ut jam diximus, aliquanto diligentius postea considerabimus. Nunc autem æqualitas Trinitatis et una eademque substantia, quantum breviter potuimus, demonstrata est, ut quoquo modo se habet ista quæstio, quam discutiendam acriore intentione distulimus, nihil impediat quominus fateamur summam æqualitatem Patris et Filii et Spiritus sancti.

CAPUT X. — 11. *Attributa per Hilarium singulis personis. Trinitas in rebus factis repræsentatur.* Quidam cum vellet brevissime singularum in Trinitate personarum insinuare propria, *Æternitas*, inquit, *in Patre, species in Imagine, usus in Munere.* Et quia non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum, et assertione fidei vir exstitit; Hilarius enim hoc in libris suis posuit (*Lib. 2 de Trinitate*); horum verborum, id est, Patris, et Imaginis, et Muneris, æternitatis, et speciei, et usus, abditam scrutatus intelligentiam quantum valeo, non eum secutum arbitror in æternitatis vocabulo, nisi quod Pater non habet Patrem de quo sit, Filius autem de Patre est ut sit, atque ut illi coæternus sit. Imago enim si perfecte implet illud cujus imago est, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ. In qua imagine speciem nominavit, credo, propter pulchritudinem, ubi jam est tanta congruentia, et prima æqualitas, et prima similitudo, nulla in re dissidens, et nullo modo inæqualis, et nulla ex parte dissimilis, sed ad identidem respondens ei cujus imago est. Ubi est prima et summa vita, cui non est aliud vivere et aliud esse, sed idem est esse et vivere : et primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere et aliud intelligere, sed id quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse est, unum omnia : tanquam Verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium [1]; et omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum. Ibi novit omnia Deus quæ fecit per ipsam, et ideo cum decedant et succedant tempora, non decedit aliquid vel succedit scientiæ Dei. Non enim hæc quæ creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt : ac non potius ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter ab eo sciuntur. Ille igitur ineffabilis quidam complexus Patris et imaginis non est sine perfruitione [2], sine charitate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo, si tamen aliqua humana voce digne dicitur, usus ab illo appellatus est breviter, et est in Trinitate Spiritus sanctus, non genitus, sed genitoris, genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro capta earum, ut ordinem suum teneant et locis suis acquiescant.

12. Hæc igitur omnia, quæ arte divina facta sunt, et unitatem quamdam in se ostendunt, et speciem, et ordinem. Quidquid enim horum est, et unum aliquid est, sicut sunt naturæ corporum, et ingenia animarum; et aliqua specie formatur, sicut sunt figuræ vel qualitates corporum, ac doctrinæ vel artes animarum; et ordinem aliquem petit aut tenet, sicut sunt pondera vel collocationes corporum, atque amores aut delectationes animarum. Oportet igitur ut Creatorem, per ea quæ facta sunt, intellectum conspicientes (*Rom.* I, 20), Trinitatem intelligamus, cujus in creatura, quomodo dignum est, apparet vestigium. In illa enim Trinitate summa origo est rerum omnium, et perfectissima pulchritudo, et beatissima delectatio. Itaque illa tria, et ad se [3] invicem determinari videntur, et in se infinita sunt. Sed hic in rebus corporeis, non tantum est res una quantum tres simul, et plus aliquid sunt duæ quam una res : cæterum in illa summa Trinitate tantum est una quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duæ quam una. Et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. Qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum et in ænigmate (1 *Cor.* XIII, 12), gaudeat cognoscens Deum, et sicut Deum honoret, et gratias agat : qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum; non per cæcitatem ad calumniandum. Quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas. Nec confuse accipiendum est, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia :* nec diis multis, sed *ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* (*Rom.* XI, 36).

[1] Plures Mss., *et incommutabilium.*

[2] In Mss., *perfectione;* vel, *perfunctione.*

[3] Mss., *a se.*

LIBER SEPTIMUS.

In quo superioris libri quæstio, quæ dilata fuerat, explicatur; quod videlicet Deus Pater qui genuit Filium virtutem et sapientiam, non solum sit virtutis et sapientiæ Pater, sed etiam ipse virtus et sapientia : similiter et Spiritus sanctus. Nec tamen tres esse virtutes aut tres sapientias, sed unam virtutem et unam sapientiam, sicut unum Deum et unam essentiam ostenditur. Deinde quæritur quomodo dicatur in Deo, a Latinis una essentia, tres personæ; a Græcis, una essentia, tres substantiæ vel hypostases : et utrumque elocutionis necessitate dici monstratur, ut ne omnino taceremus interrogati quid tres sint, quos tres esse veraciter confitemur, Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum sanctum.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Redit ad quæstionem, an quælibet Trinitatis persona per se sit sapientia. Quam difficile, quave ratione solvatur quæstio proposita.* Jam nunc quæramus diligentius, quantum dat Deus, quod paulo ante distulimus : Utrum et singula quæque in Trinitate persona possit et per se ipsam non cum cæteris duabus dici Deus, aut magnus, aut sapiens, aut verus, aut omnipotens, aut justus, et si quid aliud dici de Deo potest, non relative, sed ad se ipsum; an vero non dicantur ista, nisi cum Trinitas intelligitur.

Hoc enim quæstionem facit, quia scriptum est, *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam* (I *Cor.* I, 24) : utrum ita sit pater sapientiæ atque virtutis suæ, ut hac sapientia sapiens sit quam genuit, et hac virtute potens quam genuit; et quia semper potens et sapiens, semper genuit virtutem et sapientiam. Dixeramus enim si ita est, cur non et magnitudinis suæ pater sit qua magnus est, et bonitatis qua bonus, et justitiæ qua justus, et alia si qua sunt? Aut si hæc omnia pluribus vocabulis in eadem sapientia et virtute intelliguntur, ut ea sit magnitudo quæ virtus, ea bonitas quæ sapientia, et ea rursus sapientia quæ virtus, sicut jam tractavimus; meminerimus, cum aliquid horum nomino, sic accipiendum esse, ac si omnia commemorem. Quæritur ergo an Pater etiam singulus sit sapiens, atque ipsa sibi ipse sapientia, an ita sit sapiens quomodo dicens. Verbo enim quod genuit dicens est; non verbo quod profertur, et sonat, et transit; sed Verbo quod erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I, 1, 3) : Verbo æquali sibi, quo semper atque incommutabiliter dicit se ipsum. Non est enim ipse verbum, sicut nec filius, nec imago. Dicens autem : exceptis illis temporalibus vocibus Dei, quæ in creatura fiunt; nam sonant, et transeunt : dicens ergo illo coæterno Verbo, non singulus intelligitur, sed cum ipso Verbo, sine quo non est utique dicens. Itane et sapiens sicut dicens, ut ita sit sapientia, sicut Verbum, et hoc sit Verbum esse quod est esse sapientiam; hoc etiam esse virtutem, ut virtus et sapientia et Verbum idem sit, et relative dicatur, sicut Filius et imago : atque ille non singulus potens, vel sapiens, sed cum ipsa virtute et sapientia quam genuit; sicut non singulus dicens, sed eo Verbo, et cum eo Verbo quod genuit; atque ita magnus ea et cum ea magnitudine quam genuit? Et si non alio magnus, alio Deus, sed eo magnus quo Deus, quia non aliud illi est magnum esse, aliud Deum esse; consequens est ut nec Deus singulus, sed ea et cum ea deitate quam genuit, ut sic sit Filius deitas Patris, sicut sapientia et virtus Patris, et sicuti est Verbum et imago Patris. Et quia non aliud illi est esse, aliud Deum esse, ita sit etiam essentia Patris Filius, sicuti est Verbum et imago ejus. Ac per hoc etiam excepto eo quod Pater est, non sit aliquid Pater, nisi quia est ei Filius : ut non tantum id quod dicitur Pater, quod manifestum est eum non ad se ipsum, sed ad Filium relative dici, et ideo Patrem quia est ei Filius; sed omnino ut sit quod ad se ipsum est, ideo sit quia genuit essentiam suam. Sicut enim magnus est, non nisi ea quam genuit magnitudine; ita et est non nisi ea quam genuit essentia; quia non est aliud illi esse, aliud magnum esse. Itane igitur pater est essentiæ suæ, sicut pater est magnitudinis suæ, sicut pater est virtutis ac sapientiæ suæ? Eadem quippe ejus magnitudo quæ virtus, et eadem essentia quæ magnitudo.

2. Hæc disputatio nata est ex eo quod scriptum est, *Christum* esse *Dei virtutem et Dei sapientiam*. Quapropter in eas angustias sermo coarctatur, cum ineffabilia fari cupimus, ut aut dicamus Christum non esse Dei virtutem et Dei sapientiam, atque ita impudenter et impie resistamus Apostolo : aut Christum quidem Dei virtutem et Dei sapientiam esse fateamur, sed ejus Patrem non esse patrem virtutis et sapientiæ suæ, quod non minus impium est; sic enim nec Christi erit pater, quia Christus Dei virtus et Dei sapientia est : aut non esse Patrem virtute sua potentem, neque sapientia sua sapientem; quod quis audeat dicere? aut aliud in Patre intelligi esse, aliud sapientem esse, ut non hoc ipso sit quo sapiens est; quod de anima intelligi solet, quæ alias insipiens, alias sapiens est, velut natura mutabilis, et non summe perfecteque simplex : aut Patrem non esse aliquid ad se ipsum, et non solum quod Pater est, sed omnino quod est, ad Filium relative dici. Quomodo ergo ejusdem essentiæ Filius cujus Pater, quandoquidem ad se ipsum, nec essentia est, nec omnino est ad se ipsum, sed etiam esse ad Filium illi est? At enim multo magis unius ejusdemque essentiæ, quia una eademque essentia Pater et Filius; quandoquidem Patri non ad se ipsum est ipsum esse, sed ad Filium, quam[1] essentiam genuit, et qua essentia est quidquid est. Neuter ergo ad se est, et uterque ad invicem relative dicitur : an Pater solus non solum quod Pater dicitur, sed omnino quidquid dicitur relative ad Filium dicitur; ille autem dicitur et ad se? et si ita est, quid dicitur ad se[2]? an ipsa essentia? sed Patris essentia est Filius, sicut Patris virtus et sapientia, sicut Verbum Patris et imago Patris : aut si essentia dicitur ad se Filius, Pater autem non est essentia, sed genitor essentiæ, non est autem ad se ipsum, sed hac ipsa essentia quam genuit, sicut hac ipsa magnitudine magnus quam genuit; ergo et magnitudo dicitur ad se Filius, ergo et virtus, et sapientia, et Verbum, et imago. Quid autem absurdius, quam imaginem ad se dici? Aut si non idipsum est imago et Verbum, quod est virtus et sapientia, sed illa relative dicuntur, hæc autem ad se, non ad aliud; incipit non ea sapientia quam genuit, sapiens esse Pater, quia non potest ipse ad eam relative dici, et illa ad eum relative non dici. Omnia enim quæ relative dicuntur, ad invicem dicuntur. Restat itaque ut etiam essentia Filius relative dicatur ad Patrem. Ex quo conficitur inopinatissimus sensus, ut ipsa essentia non sit essentia; vel certe cum dicitur essentia, non essentia, sed relativum indicetur. Quomodo cum dicitur dominus, non essentia indicatur, sed relativum quod[3] refertur ad servum; cum autem homo dicitur, vel aliquid tale, quod ad se, non ad aliud dicitur, tunc indicatur essentia. Homo ergo cum dominus dicitur, ipse homo essentia est, dominus vero relative dicitur : homo enim ad se dicitur, dominus ad servum; hoc autem unde agimus, si essentia ipsa relative dicitur, essentia ipsa non est

[1] Duo Mss., *quem*.

[2] Editi, *ad Patrem et ad se? et si ita est, quid dicitur in Filio ad se?* At Mss. carent verbis, *ad Patrem, et, in Filio*.

[3] Editi, *quo*. At Mss., *quod*.

essentia. Hoc accedit, quia omnis essentia quæ relative dicitur, est etiam aliquid excepto relativo : sicut homo dominus, et homo servus, et equus jumentum, et nummus arrha, homo et equus et nummus ad se dicuntur, et substantiæ sunt vel essentiæ; dominus vero et servus et jumentum et arrha, ad aliquid relative dicuntur. Sed si non esset homo, id est aliqua substantia, non esset qui relative dominus diceretur : et si non esset equus quædam essentia, non esset quod jumentum relative diceretur : ita si nummus non esset aliqua substantia, nec arrha posset relative dici. Quapropter si et Pater non est aliquid ad se ipsum, non est omnino qui relative dicatur ad aliquid. Non enim, sicut ad aliquid coloratum refertur color ejus, nec omnino ad se dicitur color, sed semper alicujus colorati est; illud autem cujus color est, etiam si eo quod coloratum dicitur, ad colorem refertur, tamen id quod corpus dicitur, ad se dicitur : ullo modo ita putandum est Patrem non dici aliquid ad se ipsum, sed quidquid dicitur ad Filium dici ; eumdem vero Filium et ad se ipsum dici, et ad Patrem, cum dicitur magnitudo magna[1] et virtus potens, utique ad se ipsum, et magnitudo atque virtus magni et potentis Patris, qua Pater magnus et potens est. Non ergo ita, sed utrumque substantia, et utrumque una substantia. Sicut autem absurdum est dicere, candidum non esse candorem; sic absurdum est dicere, sapientem non esse sapientiam : et sicut candor ad se ipsum candidus dicitur, ita et sapientia ad se ipsam dicitur sapiens. Sed candor corporis non est essentia; quoniam ipsum corpus essentia est, et illa ejus qualitas : unde et ab ea dicitur candidum corpus, cui non hoc est esse quod candidum esse. Aliud enim ibi forma, et aliud color; et utrumque non in se ipso, sed in aliqua mole, quæ moles nec forma, nec color est, sed formata et colorata. Sapientia vera et sapiens est, et se ipsa sapiens est. Et quoniam quæcumque anima participatione sapientiæ fit sapiens, si rursus desipiat, manet tamen in se sapientia, nec cum anima fuerit in stultitiam[2] commutata, illa mutatur : non ita est in eo qui ex ea fit sapiens, quemadmodum candor in corpore quod ex illo candidum est. Cum enim corpus in alium colorem fuerit mutatum, non manebit candor ille, sed omnino esse desinet. Quod si et Pater qui genuit sapientiam, ex ea fit sapiens, neque hoc est illi esse quod sapere, qualitas ejus est Filius; non proles ejus, et non ibi erit jam summa simplicitas. Sed absit ut ita sit; quia vere ibi est summe simplex essentia : hoc ergo est ibi esse quod sapere. Quod si hoc est ibi esse quod sapere, non per illam sapientiam quam genuit sapiens est Pater; alioquin non ipse illam, sed illa eum genuit. Quid enim aliud dicimus, cum dicimus, Hoc illi est esse quod sapere, nisi, Eo est quo sapiens est ? Quapropter quæ causa illi est ut sapiens sit, ipsa illi causa est ut sit : proinde si sapientia quam genuit, causa illi est ut sapiens sit, etiam ut sit ipsa illi causa est. Quod fieri non potest, nisi gignendo eam aut faciendo. Sed neque genitricem, neque conditricem Patris ullo modo quisquam dixerit sapientiam. Quid enim insanius? Ergo et Pater ipse [1] sapientia est : et ita dicitur Filius sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris; id est, ut quemadmodum lumen de lumine, et utrumque unum lumen ; sic intelligatur sapientia de sapientia, et utrumque una sapientia : ergo et una essentia; quia hoc est ibi esse quod sapere. Quod enim est sapientiæ sapere, et potentiæ posse, et æternitati æternam esse, justitiæ justam esse, magnitudini magnam esse; hoc est essentiæ ipsum esse. Et quia in illa simplicitate non est aliud sapere quam esse, eadem ibi sapientia est quæ essentia.

CAPUT II. — 3. *Pater et Filius simul una sapientia, sicut una essentia, tametsi non simul unum Verbum.* Pater igitur et Filius simul una essentia, et una magnitudo, et una veritas, et una sapientia. Sed non Pater et Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius. Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad se ipsum dicitur; ita et Verbum ad eum cujus Verbum est refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe Filius quo Verbum, et eo Verbum quo Filius. Quoniam igitur Pater et Filius simul non utique unus Filius, consequens est ut Pater et Filius simul non amborum unum Verbum. Et propterea non eo Verbum quo sapientia; quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cujus Verbum est, sicut Filius ad Patrem : sapientia vero eo quo essentia. Et ideo quia una essentia, una sapientia. Quoniam vero et Verbum [2] sapientia est, sed non eo Verbum quo sapientia; Verbum enim relative, sapientia essentialiter intelligitur : id dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac si dicatur, nata sapientia, ut sit et Filius et imago. Et hæc duo cum dicuntur, id est, *nata sapientia*, in uno eorum eo quod est *nata*, et Verbum, et imago, et Filius intelligatur, et in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur : at in altero quod est *sapientia*, quoniam et ad se dicitur, se ipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstretur, et hoc ejus esse quod sapere. Unde Pater et Filius simul una sapientia, quia una essentia, et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia. Quapropter, non quia Pater non est Filius, et Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideo non una essentia : quia his nominibus relativa eorum ostenduntur. Uterque autem simul una sapientia, et una essentia, ubi hoc est esse quod sapere : non autem simul uterque Verbum aut Filius, quia non hoc est esse quod Verbum aut Filium esse : sicut jam satis ostendimus ista relative dici.

CAPUT III. — 4. *Sapientiæ nomine cur Filius potissimum insinuetur in Scripturis cum et Pater et Spiri-*

[1] Apud Er. et Lov. corrumpitur sensus addita particula, *ergo*, et prava inducta vocum interpunctione in hunc modum : *et ad se ipsum dici, et ad Patrem. Cum ergo dicitur magnitudo magna.*

[2] Forte, *in stultam.*

[1] Sic bene multi Mss. At editi, *ipsa.*

[2] Hic apud Lov. additum, *et.*

tus sanctus sit sapientia. Spiritum sanctum simul cum Patre et Filio unam sapientiam esse. Cur ergo in Scripturis nunquam fere de sapientia quidquam dicitur, nisi ut ostendatur a Deo genita vel creata? genita scilicet, per quam facta sunt omnia : creata vero vel facta, sicut in hominibus, cum ad eam quæ non creata et facta, sed genita est, convertuntur et illustrantur; in ipsis enim fit aliquid quod vocetur eorum sapientia : vel illud Scripturis prænuntiantibus aut narrantibus, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14); hoc modo enim Christus facta sapientia est, quia factus est homo. An propterea non loquitur in illis Libris sapientia, vel de illa dicitur aliquid, nisi quod eam de Deo natam ostendat, aut factam, quamvis sit et Pater ipse [1] sapientia, quia illa nobis sapientia commendanda erat et imitanda, cujus imitatione formamur? Pater enim eam dicit, ut Verbum ejus sit; non quomodo profertur ex ore verbum sonans, aut ante pronuntiationem cogitatur : spatiis enim temporum hoc completur, illud autem æternum est, et illuminando dicit nobis et de se et de Patre, quod dicendum est hominibus. Ideoque ait, *Nemo novit Filium, nisi Pater; et nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27) : quia per Filium revelat Pater, id est, per Verbum suum. Si enim hoc verbum quod nos proferimus temporale et transitorium, et se ipsum ostendit, et illud de quo loquimur; quanto magis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia? Quod ita ostendit Patrem sicuti est Pater : quia et ipsum ita est, et hoc est quod Pater, secundum quod sapientia est et essentia. Nam secundum quod Verbum, non hoc est quod Pater : quia Verbum non est Pater, et Verbum relative dicitur, sicut Filius, quod utique non est Pater. Et ideo Christus virtus et sapientia Dei, quia de Patre virtute et sapientia etiam ipse virtus et sapientia est, sicut lumen [2] de Patre lumine, et fons vitæ apud Deum Patrem, utique fontem vitæ. *Quoniam apud te,* inquit, *est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 10) : quia *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* V, 26) : et *erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* et lumen hoc *Verbum erat apud Deum;* sed *et Deus erat Verbum* (*Id.* I, 9, 1). *Deus* autem *lumen est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (I *Joan.* I, 5) : lumen vero non corporale, sed spirituale : neque ita spirituale, ut illuminatione factum sit, quemadmodum dictum est Apostolis, *Vos estis lumen mundi* (*Matth.* V, 14); sed *lumen quod illuminat omnem hominem*, ea ipsa et summa sapientia Deus, unde nunc agimus. Sapientia ergo Filius de sapientia Patre, sicut lumen de lumine, et Deus de Deo, ut et singulus Pater lumen, et singulus Filius lumen; et singulus Pater Deus, et singulus Filius Deus : ergo et singulus Pater sapientia, et singulus Filius sapientia. Et sicut utrumque simul unum lumen, et unus Deus, sic utrumque una sapientia. Sed Filius *factus est nobis sapientia a Deo, et justitia et sanctificatio* (I *Cor* I, 30), quia temporaliter nos ad eum convertimus, id est, ex aliquo tempore, ut cum illo maneamus in æternum. Et ipse ex quodam tempore *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

5. Propterea igitur cum pronuntiatur in Scripturis, aut enarratur aliquid de sapientia, sive dicente ipsa sive cum de illa dicitur, Filius nobis potissimum insinuatur. Cujus imaginis exemplo et nos non discedamus a Deo, quia et nos imago Dei sumus : non quidem æqualis, facta quippe a Patre per Filium, non nata de Patre sicut illa. Et nos [1], quia illuminamur lumine; illa vero, quia lumen illuminans : et ideo illa sine exemplo nobis exemplum est. Neque enim imitatur præcedentem aliquem ad Patrem a quo nunquam est omnino separabilis, quia idipsum est quod ille de quo est. Nos autem nitentes imitamur manentem, et sequimur stantem, et in ipso ambulantes tendimus ad ipsum : quia factus est nobis via temporalis per humilitatem [2], quæ mansio nobis æterna est per divinitatem. Quoniam quippe spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt, in forma Dei et Deo æqualis et Deus præbet exemplum : ut se idem exemplum redeundi etiam lapso præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum pœnamque mortalitatis Deum videre non poterat, *semetipsum exinanivit*, non mutando divinitatem suam, sed nostram mutabilitatem assumendo; *et formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 7), *venit* ad nos *in hunc mundum* (I *Tim.* I, 15), qui *in hoc mundo erat*, quia *mundus per eum factus est* (*Joan.* I, 10); ut exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem, exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum esset, *in omnibus ipse primatum tenens* (*Coloss.* I, 18). Quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, et sentire non poterat Deum; sequendo Deum hominem factum, sequeretur simul et quem sentire poterat, et quem sequi debebat. Amemus ergo eum et inhæreamus illi, charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 5). Non igitur mirum, si propter exemplum quod nobis ut reformemur ad imaginem Dei præbet imago æqualis Patri, cum de sapientia Scriptura loquitur, de Filio loquitur, quem sequimur vivendo sapienter : quamvis et Pater sit sapientia, sicut lumen et Deus.

6. Spiritus quoque sanctus sive sit summa charitas utrumque conjungens nosque subjungens, quod ideo non indigne dicitur quia scriptum est, *Deus charitas est* (I *Joan.* IV, 8) : quomodo non est etiam ipse sapientia; cum sit lumen, quoniam *Deus lumen est?* sive alio modo [3], essentia Spiritus sancti singillatim ac proprie nominanda est : quoniam Deus est, utique lumen est : et quoniam lumen est, utique sapientia est : Deum autem esse Spiritum sanctum, Scriptura cla-

[1] Sola fere editio Lov., *ipsa.*
[2] Lov., *lumen Pat.* Abest, *Dei*, ab aliis libris.

[1] Unus e Vaticanis Mss., *Et nos lumen, quia.*
[2] Lov. ad marginem : « Alias, *humanitatem.* »
[3] Lov., *Sive ergo hoc modo, sive alio modo.*

mat apud Apostolum qui dicit, *Nescitis quia templum Dei estis?* Statimque subjicit, *Et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16). Deus enim habitat in templo suo. Non enim tanquam minister habitat Spiritus Dei in templo Dei, cum alio loco evidentius dicat : *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno : glorificate ergo* [1] *Deum in corpore vestro* (*Id.* VI, 19, 20) Quid est autem sapientia, nisi lumen spirituale et incommutabile? Est enim et sol iste lumen, sed corporale est; et spiritualis creatura lumen, sed non incommutabile. Lumen ergo Pater, lumen Filius, lumen Spiritus sanctus : simul autem non tria lumina, sed unum lumen. Et ideo sapientia Pater, sapientia Filius, sapientia Spiritus sanctus; et simul non tres sapientiæ, sed una sapientia : et quia hoc est ibi esse quod sapere, una essentia Pater et Filius et Spiritus sanctus. Nec aliud est ibi esse quam Deum esse : unus ergo Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus.

CAPUT IV. — 7. *Qua necessitate Græci tres hypostases dixerint ; Latini, tres personas. Scriptura nullibi dicit tres personas in Deo.* Itaque loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris Græcis una essentia, tres substantiæ : a Latinis autem, una essentia vel substantia, tres personæ; quia, sicut jam diximus, non aliter in sermone nostro, id est, latino, essentia quam substantia solet intelligi (*Lib.* 5, *capp.* 2, 8). Et dum intelligatur saltem in ænigmate quod dicitur, placuit ita dici, ut diceretur aliquid cum quæreretur quid tria sint, quæ tria esse fides vera pronuntiat, cum et Patrem non dicit esse Filium, et Spiritum sanctum quod est donum Dei nec Patrem dicit esse nec Filium. Cum ergo quæritur quid tria, vel quid tres, conferimus nos ad inveniendum aliquod speciale vel generale nomen, quo complectamur hæc tria, neque occurrit animo, quia excedit supereminentia divinitatis usitati eloquii facultatem. Verius enim cogitatur Deus quam dicitur, et verius est quam cogitatur. Cum enim dicimus non eumdem esse Jacob qui est Abraham, Isaac autem nec Abraham esse nec Jacob, tres esse utique fatemur, Abraham, Isaac et Jacob. Sed cum quæritur quid tres, respondemus tres homines, nomine speciali eos pluraliter appellantes; generali autem, si dicamus tria animalia : homo enim, sicut veteres definierunt, animal est rationale, mortale : aut sicut Scripturæ nostræ loqui solent, tres animas, cum a parte meliore totum appellari placet, id est, ab anima, et corpus et animam, quod est totus homo [2]. Ita quippe dictum est in Ægyptum descendisse cum Jacob animas septuaginta quinque, pro tot hominibus (*Gen.* XLVI, 27, *et Deut.* X, 22). Item cum dicimus equum tuum non eum esse qui meus est, et tertium alicujus alterius nec meum esse nec tuum, fatemur tres esse : et interroganti quid tres, respondemus tres equos nomine speciali, generali autem tria animalia. Item cum dicimus bovem non esse equum, canem vero nec bovem esse nec equum, tria quædam dicimus : et percontantibus quid tria, non jam speciali nomine dicimus tres equos, aut tres boves, aut tres canes, quia non eadem specie continentur; sed generali, tria animalia; sive superiore genere, tres substantias, vel tres creaturas, vel tres naturas. Quæcumque autem plurali numero enuntiantur specialiter uno nomine, etiam generaliter enuntiari possunt uno nomine. Non autem omnia quæ generaliter nomine uno appellantur, etiam specialiter appellare uno nomine possumus. Nam tres equos, quod est nomen speciale, etiam animalia tria dicimus : equum vero et bovem et canem, animalia tria tantum dicimus vel substantias, quæ sunt generalia nomina, et si quid aliud de his generaliter dici potest; tres vero equos, aut boves, aut canes, quæ specialia vocabula sunt, non ea possumus dicere. Ea quippe uno nomine quamvis pluraliter enuntiamus quæ communiter habent illud quod eo nomine significatur. Abraham quippe et Isaac et Jacob commune habent id quod est homo; itaque dicuntur tres homines : equus quoque et bos et canis, commune habent id quod est animal; dicuntur ergo tria animalia. Ita tres aliquas lauros, etiam tres arbores dicimus; laurum vero et myrtum et oleam, tantum tres arbores vel tres substantias, aut tres naturas : atque ita tres lapides, etiam tria corpora; lapidem vero et lignum et ferrum, tantum tria corpora, vel si quo etiam superiore generali nomine dici possunt. Pater ergo et Filius et Spiritus sanctus, quoniam tres sunt, quæramus quid tres sint, et quid commune habeant. Non enim commune illis est id quod Pater est, ut invicem sibi sint patres; sicut amici, cum relative ad alterutrum dicantur, possunt dici tres amici, quod invicem sibi sunt. Non autem hoc ibi, quia tantum Pater ibi pater; nec duorum pater, sed unici Filii. Nec tres filii, cum Pater ibi non sit filius, nec Spiritus sanctus. Nec tres spiritus sancti, quia et spiritus sanctus propria significatione qua etiam donum Dei dicitur, nec Pater nec Filius. Quid igitur tres? Si enim tres personæ, commune est eis id quod persona est : ergo speciale hoc aut generale nomen est eis, si consuetudinem loquendi respicimus. Sed ubi est naturæ nulla diversitas, ita generaliter enuntiantur aliqua plura, ut etiam specialiter enuntiari possint. Naturæ enim differentia facit ut laurus et myrtus et olea, aut equus et bos et canis, non dicantur speciali nomine, istæ, tres lauri; aut illi, tres boves : sed generali, et istæ, tres arbores; et illa, tria animalia. Ilic vero ubi nulla est essentiæ diversitas, oportet ut speciale nomen habeant hæc tria, quod tamen non invenitur. Nam persona generale nomen est, in tantum ut etiam homo possit hoc dici, cum tantum intersit inter hominem et Deum.

8. Deinde in ipso generali vocabulo, si propterea dicimus tres personas, quia commune est eis id quod persona est (alioquin nullo modo possunt ita dici,

[1] Editi addunt hic, *et portate*; quod abest a Mss.

[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *cum corpus et anima sit totus homo.* M.

quemadmodum non dicuntur tres filii, quia non commune est eis id quod est filius); cur non etiam tres deos dicimus? Certe enim quia Pater persona, et Filius persona, et Spiritus sanctus persona, ideo tres personæ : quia ergo Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, cur non tres dii? Aut quoniam propter ineffabilem conjunctionem hæc tria simul unus Deus; cur non etiam una persona, ut ita non possimus dicere tres personas, quamvis singulam quamque appellemus personam, quemadmodum non possumus dicere tres deos, quamvis quemque singulum appellemus Deum, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum sanctum? An quia Scriptura non dicit tres deos? Sed nec tres personas alicubi Scripturam commemorare invenimus. An quia nec tres, nec unam personam Scriptura dicit hæc tria (legimus enim personam Domini, non personam Dominum), propterea licuit loquendi et disputandi necessitate tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit : si autem diceremus tres deos, contradiceret Scriptura, dicens, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4)? Cur ergo et tres essentias non licet dicere, quod similiter Scriptura, sicut non dicit, ita nec contradicit? Nam essentia si speciale nomen est commune tribus, cur non dicantur tres essentiæ, sicut Abraham, Isaac, et Jacob, tres homines, quia homo speciale nomen est commune omnibus hominibus? Si autem speciale nomen non est essentia, sed generale, quia homo, et pecus, et arbor, et sidus, et angelus essentia dicitur; cur non dicuntur istæ tres essentiæ, sicut tres equi dicuntur tria animalia, et tres lauri dicuntur tres arbores, et tres lapides tria corpora? Aut si propter unitatem Trinitatis non dicuntur tres essentiæ, sed una essentia; cur non propter eamdem unitatem Trinitatis non dicuntur tres substantiæ vel tres personæ, sed una substantia et una persona? Quam enim est illis commune nomen essentiæ, ita ut singulus quisque dicatur essentia, tam illis commune est vel substantiæ vel personæ vocabulum. Quod enim de personis secundum nostram, hoc de substantiis secundum Græcorum consuetudinem, ea quæ diximus, oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres substantias, unam essentiam, quemadmodum nos dicimus tres personas, unam essentiam vel substantiam.

9. Quid igitur restat, nisi ut fateamur loquendi necessitate parta[1] hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversum insidias vel errores hæreticorum? Cum enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro captu tenet de Domino Deo creatore suo, sive per piam fidem, sive per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate ulla diversitas. Rursus non esse tria quædam, non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in hæresim lapsus est. Certissime quippe de Scripturis cognoscitur quod pie credendum est, et aspectu mentis[1] indubitata perceptione perstringitur, et Patrem esse, et Filium, et Spiritum sanctum; nec Filium esse eumdem qui Pater est, nec Spiritum sanctum eumdem esse vel Patrem vel Filium. Quæsivit quid tria diceret : et dixit substantias sive personas, quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit; ut non solum ibi unitas intelligatur ex eo quod dicitur una essentia, sed et trinitas ex eo quod dicuntur tres substantiæ vel personæ. Nam si hoc est Deo esse quod subsistere, ita non erant dicendæ tres substantiæ, ut non dicuntur tres essentiæ : quemadmodum quia hoc est Deo esse quod sapere, sicut non tres essentias, ita nec tres sapientias dicimus. Sic enim quia hoc illi est Deum esse quod est esse, tam tres essentias quam tres deos dici fas non est. Si autem aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse vel Dominum esse; quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium et Dominus ad servientem creaturam dicitur : relative ergo subsistit, sicut relative gignit et relative dominatur. Ita jam substantia non erit substantia, quia relativum erit. Sicut enim ab eo quod est esse appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere substantiam dicimus. Absurdum est autem ut substantia relative dicatur : omnis enim res ad se ipsam subsistit; quanto magis Deus?

CAPUT V. — 10. *In Deo substantia abusive dicitur, essentia proprie.* Si tamen dignum est ut Deus dicatur subsistere : de his enim rebus recte intelligitur, in quibus subjectis sunt ea quæ in aliquo subjecto esse dicuntur, sicut color aut forma in corpore. Corpus enim subsistit, et ideo substantia est : illa vero in subsistente atque subjecto corpore, quæ non substantiæ sunt, sed in substantia; et ideo si esse desinat, vel ille color, vel illa forma, non adimunt corpori esse corpus, quia non hoc ei est esse, quod illam vel illam formam coloremve retinere. Res ergo mutabiles neque simplices, proprie dicuntur substantiæ. Deus autem si subsistit ut substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid tanquam in subjecto, et non est simplex, cui hoc sit esse quod illi est quidquid aliud[2] de illo ad illum dicitur, sicut magnus, omnipotens, bonus, et si quid hujusmodi de Deo non incongrue dicitur : nefas est autem dicere ut subsistat et subsit Deus bonitati suæ, atque illa bonitas non substantia sit vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in subjecto : unde manifestum est Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiore intelligatur essentia, quod vere ac proprie dicitur; ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis est, idque nomen suum famulo suo Moysi enuntiavit, cum ait, *Ego sum qui sum*; et, *dices ad eos : Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Sed tamen sive essentia dicatur quod proprie dicitur, sive substantia quod abusive; utrumque ad se dici-

[1] Aliquot Mss., *partita*.

[1] Sic Mss. Editi autem, *et aspectus mentis*.
[2] Editi, *et quidquid aliud*. Abest, *et*, a manuscriptis.

tur, non relative ad aliquid. Unde hoc est Deo esse quod subsistere, et ideo si una essentia Trinitas, una etiam substantia. Fortassis igitur commodius dicuntur tres personæ, quam tres substantiæ.

CAPUT VI. — 11. *Cur in Trinitate non dicatur una persona, et tres essentiæ. De Trinitate quid credere debet qui supra dicta non capit. Homo et ad imaginem et imago Dei.* Sed ne nobis videar[1] suffragari, hoc quoque requiramus. Quanquam et illi, si vellent, sicut dicunt tres substantias, tres hypostases, possent dicere tres personas tria prosopa. Illud autem maluerunt, quod forte secundum linguæ suæ consuetudinem aptius diceretur. Nam et in personis eadem ratio est : non enim aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem. Nam si esse ad se dicitur, persona vero relative; sic dicamus tres personas, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, aut tres vicini, quod sint ad invicem, non quod unusquisque eorum sit ad se ipsum. Quapropter quilibet ex eis amicus est duorum cæterorum, aut propinquus aut vicinus, quia hæc nomina relativam significationem habent. Quid ergo? num placet ut dicamus Patrem personam esse Filii et Spiritus sancti, aut Filium personam esse Patris et Spiritus sancti, aut Spiritum sanctum personam esse Patris et Filii? Sed neque persona ita dici alicubi solet, neque in hac Trinitate cum dicimus personam Patris, aliud dicimus quam substantiam Patris. Quocirca, ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ita et persona Patris, non aliud quam ipse Pater est : ad se quippe dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum sanctum ; sicut ad se dicitur Deus et magnus, et bonus, et justus, et si quid aliud hujus modi. Et quemadmodum hoc illi est esse quod Deum esse, quod magnum, quod bonum esse; ita hoc illi est esse, quod personam esse. Cur ergo non hæc tria simul unam personam dicimus, sicut unam essentiam et unum Deum, sed tres dicimus personas, cum tres Deos aut tres essentias non dicamus ; nisi quia volumus vel unum aliquod vocabulum servire[2] huic significationi qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati, quid tres, cum tres esse fateremur? Nam si genus est essentia, species autem substantia sive persona, ut nonnulli sentiunt, omitto illud quod jam dixi, oportere appellari tres essentias, ut appellantur tres substantiæ vel personæ, sicut appellantur tres equi, eademque animalia tria, cum sit species equus, animal genus. Neque enim species ibi pluraliter dicta est, et genus singulariter, tanquam diceretur tres equi unum animal : sed sicut tres equi speciali nomine, ita tria animalia generali nomine. Quod si dicunt substantiæ vel personæ nomine non speciem significari, sed aliquid singulare atque individuum; ut substantia vel persona non ita dicatur sicut dicitur homo, quod commune est omnibus hominibus, sed quomodo dicitur hic homo, velut Abraham, velut Isaac, velut Jacob, vel si quis alius qui etiam digito præsens demonstrari possit : sic quoque illos eadem ratio consequetur. Sicut enim dicuntur Abraham, Isaac et Jacob tria individua, ita tres homines, et tres animæ. Cur ergo et Pater et Filius et Spiritus sanctus, si secundum genus et speciem et individuum etiam ista disserimus, non ita dicuntur tres essentiæ, ut tres substantiæ seu personæ? Sed hoc, ut dixi, omitto : illud dico, si essentia genus est, una essentia jam non habet species ; sicut quia genus est animal, unum animal jam non habet species. Non sunt ergo tres species unius essentiæ, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Si autem species est essentia, sicut species est homo, tres vero illæ quas appellamus substantias sive personas, sic eamdem speciem communiter habent, quemadmodum Abraham, Isaac et Jacob speciem quæ homo dicitur, communiter habent; non sicut homo subdividitur in Abraham, Isaac et Jacob, ita unus homo et in aliquos singulos homines subdividi potest : omnino enim non potest, quia unus homo jam singulus homo est. Cur ergo una essentia in tres substantias, vel personas subdividitur? Nam si essentia species est sicut homo, sic est una essentia sicut unus homo : an sicut dicimus aliquos tres homines ejusdem sexus, ejusdem temperationis corporis, ejusdemque animi, unam esse naturam ; tres enim sunt homines, sed una natura : sic etiam ibi dicimus tres substantias unam essentiam, aut tres personas unam substantiam vel essentiam? Hoc vero utcumque simile est, quia et veteres qui latine locuti sunt, antequam haberent ista nomina, quæ non diu est ut in usum venerunt, id est essentiam vel substantiam, pro his naturam dicebant. Non itaque secundum genus et species ista dicimus; sed quasi secundum communem eamdemque materiam. Sicut ex eodem auro si fierent tres statuæ, diceremus tres statuas unum aurum, nec tamen diceremus genus aurum, species autem statuas ; nec aurum speciem, statuas vero individua. Nulla quippe species individua sua transgreditur, ut aliquid extra comprehendat. Cum enim definiero quid sit homo, quod est nomen speciale, singuli quique homines qui sunt individua eadem definitione continentur, nec aliquid ad eam pertinet quod homo non sit. Cum vero aurum definiero, non solæ statuæ, si aureæ fuerint, sed et annuli, et si quid aliud de auro fuerit, ad aurum pertinebit, etsi nihil inde fiat, aurum dicitur, quia etiamsi non sint aureæ, non ideo non erunt statuæ. Item nulla species excedit definitionem generis sui. Cum enim definiero animal, quoniam generis hujus species est equus, omnis equus animal est, non autem statua omnis aurum est. Ideo quamvis in tribus statuis aureis, recte dicamus tres statuas unum aurum; non tamen ita dicimus, ut genus aurum, species vero statuas intelligamus. Nec sic ergo Trinitatem dicimus tres personas vel substantias, unam essentiam et unum Deum, tanquam ex una materia tria quædam subsistant, etiamsi quidquid illud est, in his

[1] Sic Am. Er. et aliquot Mss. At Lov., *videat*. Nonnulli Mss., *videatur*.

[2] Plures Mss., *servare*.

tribus explicatum sit. Non enim aliquid aliud ejus essentiæ est præter istam Trinitatem : tamen tres personas ejusdem essentiæ, vel tres personas unam essentiam dicimus : tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona; sicut tres statuas ex eodem auro possumus dicere; aliud enim illuc est esse aurum, aliud esse statuas. Et cum dicuntur tres homines una natura, vel tres homines ejusdem naturæ, possunt etiam dici tres homines ex eadem natura, quia ex eadem natura et alii tres tales homines possunt existere; in illa vero essentia Trinitatis, nullo modo alia quælibet persona ex eadem essentia potest existere. Deinde in his rebus non tantum est unus homo, quantum tres homines simul; et plus sunt aliquid homines duo, quam unus homo : et in statuis æqualibus plus auri est tres simul quam singulæ, et minus auri est una quam duæ. At in Deo non ita est : non enim major essentia est Pater et Filius et Spiritus sanctus simul, quam solus Pater aut solus Filius; sed tres simul illæ substantiæ sive personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singulis : quod animalis homo non percipit. Non enim potest cogitare nisi moles et spatia, vel minuta vel grandia, volitantibus in animo ejus phantasmatibus tanquam imaginibus corporum.

12. Ex qua immunditia donec purgetur, credat in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, solum, magnum, omnipotentem, bonum, justum, misericordem, omnium visibilium et invisibilium conditorem, et quidquid de illo pro humana facultate digne vereque dici potest. Neque cum audierit Patrem solum Deum, separet inde Filium, aut Spiritum sanctum : cum eo quippe solus Deus, cum quo et unus Deus est; quia et Filium cum audimus solum Deum, sine ulla separatione Patris aut Spiritus sancti oportet accipere. Atque ita dicat unam essentiam, ut non existimet aliud alio, vel majus, vel melius[1], vel aliqua ex parte diversum. Non tamen ut Pater ipse sit et Filius et Spiritus sanctus, et quidquid aliud ad alterutrum singula dicuntur; sicut Verbum quod non dicitur nisi Filius, aut Donum quod non dicitur nisi Spiritus sanctus : propter quod etiam pluralem numerum admittunt, sicut in Evangelio scriptum est : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Et *unum* dixit; et, *sumus : unum*, secundum essentiam, quod idem Deus; *sumus*, secundum relativum, quod ille Pater, hic Filius. Aliquando et tacetur unitas essentiæ, et sola pluraliter relativa commemorantur : *Veniemus ad eum ego et Pater, et habitabimus apud eum* (*Id.* xiv, 23). *Veniemus* et *habitabimus*, pluralis numerus est, quia prædictum est, *Ego et Pater*, id est, Filius et Pater, quæ relative ad invicem dicuntur. Aliquando latenter omnino, sicut in Genesi : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* i, 26). Et *faciamus*, et *nostram*, pluraliter dictum est, et nisi ex relativis accipi non oportet[1]. Non enim ut facerent dii, aut ad imaginem et similitudinem deorum; sed ut facerent Pater et Filius et Spiritus sanctus, ad imaginem Patris et Filii et Spiritus sancti, ut subsisteret homo imago Dei. Deus autem Trinitas. Sed quia non omnino æqualis fiebat illa imago Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata, hujus rei significandæ causa, ita imago est ut ad imaginem sit : id est, non æquatur parilitate, sed quadam similitudine accedit. Non enim locorum intervallis, sed similitudine acceditur ad Deum, et dissimilitudine recceditur ab eo. Sunt enim qui ita distinguunt, ut imaginem velint esse Filium : hominem vero non imaginem, sed ad imaginem. Refellit autem eos Apostolus dicens : *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei* (I *Cor.* xi, 7). Non dixit, Ad imaginem; sed *imago*. Quæ tamen imago, cum alibi dicitur, *Ad imaginem*, non quasi ad Filium dicitur, quæ imago æqualis est Patri; alioquin non diceret, *ad imaginem nostram*. Quomodo enim *nostram*, cum Filius solius Patris imago sit? Sed propter imparem, ut diximus, similitudinem dictus est homo *ad imaginem :* et ideo *nostram*, ut imago Trinitatis esset homo; non Trinitati æqualis sicut Filius Patri, sed accedens, ut dictum est, quadam similitudine; sicut in distantibus significatur quædam vicinitas, non loci, sed cujusdam imitationis. Ad hoc enim et dicitur, *Reformamini in novitate mentis vestræ* (*Rom.* xii, 2) : quibus item dicit, *Estote itaque imitatores Dei, sicut filii charissimi* (*Ephes.* v, 1). Novo enim homini dicitur : *Qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss.* iii, 10). Aut si jam placet propter disputandi necessitatem, etiam exceptis nominibus relativis, pluralem numerum admittere, ut uno nomine respondeatur, cum quæritur, quid tria, et dicere tres substantias sive tres personas; nullæ moles aut intervalla cogitentur, nulla distantia quantulæcumque dissimilitudinis, ut ibi[2] intelligatur aliud alio vel paulo minus, quocumque modo minus esse aliud alio potest : ut neque personarum sit confusio, nec talis distinctio qua sit impar aliquid. Quod si intellectu capi non potest, fide teneatur, donec illucescat in cordibus ille qui ait per prophetam, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* vii, 9).

[1] Quidam Mss., *vel majus, vel minus*. Plures vero, *vel majus, vel minus, vel melius*.

[1] Sic Mss. Editi vero, *non potest*.
[2] Plures Mss., *aut ibi*. Et quidam, *aut ubi*.

LIBER OCTAVUS.

In quo ratione reddita monstrat, non solum Patrem Filio non esse majorem, sed nec ambos simul aliquid majus esse quam Spiritum sanctum, nec quoslibet duos simul in eadem Trinitate majus esse aliquid quam unum, nec omnes simul tres majus aliquid esse quam singulos. Deinde agit ut et ex veritatis intellectione, et ex notitia summi boni, et ex insito amore justitiæ, propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum justo, intelligatur ipsa natura Dei : maxime vero admonet ut Dei cognitio quæratur per charitatem, quæ in Scripturis Deus dicitur; qua in charitate etiam Trinitatis vestigium quoddam inesse observat.

Prooemium. — 1. *Epilogus superius dictorum. Regula in difficilioribus fidei quæstionibus servanda.* Dixi-

mus alibi, ea dici proprie in illa Trinitate distincte ad singulas personas pertinentia, quæ relative dicuntur ad invicem, sicut Pater et Filius, et utriusque Donum Spiritus sanctus : non enim Pater Trinitas, aut Filius Trinitas, aut Trinitas Donum. Quod vero ad se dicuntur singuli, non dici pluraliter tres, sed unum ipsa n Trinitatem [1] : sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; et bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus; et omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus : nec tamen tres dii, aut tres boni, aut tres omnipotentes; sed unus Deus, bonus, omnipotens ipsa Trinitas; et quidquid aliud non ad invicem relative, sed ad se singuli dicuntur. Hoc enim secundum essentiam dicuntur, quia hoc est ibi esse, quod magnum esse, quod bonum esse, quod sapientem esse, et quidquid aliud ad se unaquæque ibi persona, vel ipsa Trinitas dicitur. Ideoque dici tres personas, vel tres substantias, non ut aliqua intelligatur diversitas essentiæ, sed ut vel uno aliquo vocabulo responderi possit, cum dicitur quid tres, vel quid tria; tantamque esse æqualitatem in ea Trinitate, ut non solum Pater non sit major quam Filius, quod attinet ad divinitatem, sed nec Pater et Filius simul majus aliquid sint quam Spiritus sanctus, aut singula quæque persona quælibet trium minus aliquid sit quam ipsa Trinitas. Dicta sunt hæc, et si sæpius versando repetantur, familiarius quidem innotescunt : sed et modus aliquis adhibendus est, Deoque supplicandum devotissima pietate, ut intellectum aperiat, et studium contentionis absumat, quo possit mente cerni essentia veritatis, sine ulla mole, sine ulla mobilitate [2]. Nunc itaque, in quantum ipse adjuvat Creator mire misericors, attendamus hæc, quæ modo interiore quam superiora [3] tractabimus, cum sint eadem : servata illa regula, ut quod intellectui nostro nondum eluxerit, a firmitate fidei non dimittatur.

CAPUT PRIMUM. — 2. *In Deo non esse majus quid tres quam unam personam, ratione monstratur.* Dicimus enim non esse in hac Trinitate majus aliquid duas aut tres personas quam unam earum : quod non capit consuetudo carnalis, non ob aliud, nisi quia vera quæ creata sunt sentit ut potest; veritatem autem ipsam qua creata sunt non potest intueri : nam si posset, nullo modo esset lux ista corporea manifestior quam hoc quod diximus. In substantia quippe veritatis, quoniam sola vere est, non est major aliqua, nisi quæ verius est [4]. Quidquid autem intelligibile atque incommutabile est, non aliud alio verius est, quia æque incommutabiliter æternum est : nec quod ibi magnum dicitur, aliunde magnum est, quam eo quo vere est [5]. Quapropter ubi magnitudo ipsa veritas est, quidquid plus habet magnitudinis, necesse est ut plus habeat veritatis : quidquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiam magnitudinis. Porro, quidquid plus habet veritatis, profecto verius est, sicut majus est quod plus habet magnitudinis : hoc ergo ibi est majus quod verius. Non autem verius est Pater et Filius simul, quam singulus Pater, aut singulus Filius. Non igitur majus aliquid utrumque simul, quam singulum eorum. Et quoniam æque vere est etiam Spiritus sanctus, nec Pater et Filius simul majus aliquid est quam ipse, quia nec verius est. Pater quoque et Spiritus sanctus simul, quoniam veritate non superant Filium; non enim verius sunt; nec magnitudine superant. Atque ita Filius et Spiritus sanctus simul tam magnum aliquid sunt quam Pater solus, quia tam vere sunt. Sic et ipsa Trinitas tam magnum est, quam unaquæque ibi persona. Non enim ibi major est, quæ verior non est, ubi est ipsa veritas magnitudo. Quia in essentia veritatis, hoc est verum esse quod est esse; et hoc est esse quod est magnum esse : hoc est ergo magnum esse, quod verum esse. Quod igitur ibi æque verum est, etiam æque magnum sit necesse est.

CAPUT II. — 3. *Respuenda omnis corporalis cogitatio, ut Deus capiatur quomodo Deus est veritas.* In corporibus autem fieri potest ut æque verum sit hoc aurum atque illud, sed majus hoc sit quam illud, quia non eadem ibi est magnitudo quæ veritas; aliudque illi est aurum esse, aliud magnum esse. Sic et in animi natura, secundum quod dicitur magnus animus, non secundum hoc dicitur verus animus. Animum enim verum habet etiam qui non est magnanimus : quandoquidem corporis et animi essentia, non est ipsius veritatis essentia, sicut est Trinitas Deus unus, solus, magnus, verus, verax, veritas. Quem si cogitare conamur, quantum sinit et donat, nullus cogitetur per locorum spatia contactus aut complexus, quasi trium corporum; nulla compago junctureæ, sicut tricorporem Geryonem fabulæ ferunt : sed quidquid animo tale occurrerit, ut majus sit in tribus quam in singulis, minusque in uno quam in duobus, sine ulla dubitatione respuatur : ita enim respuitur omne corporeum. In spiritualibus autem omne mutabile quod occurrerit, non putetur Deus. Non enim parvæ notitiæ pars est, cum de profundo isto in illam summitatem respiramus, si antequam scire possimus quid sit Deus, possumus jam scire quid non sit. Non est enim certe, nec terra, nec cœlum, nec quasi terra et cœlum, nec tale aliquid quale videmus in cœlo, nec quidquid tale non videmus [1] et est fortassis in cœlo. Nec si augeas imaginatione cogitationis lucem solis, quantum potes, sive quo sit major, sive quo sit clarior, millies tantum, aut innumerabiliter, neque hoc est Deus. Nec sicut cogitantur [2] Angeli mundi spiritus cœlestia corpora inspirantes, atque ad arbitrium quo serviunt Deo mutantes atque versantes, nec si omnes,

[1] Sic plerique Mss. At editi, *sed unam ipsam Trinitatem.*
[2] In Mss., *mutabilitate.*
[3] Editi, *quæ modo tam interiora.* At Mss., *quæ modo interiore;* id est, ratione magis intima atque subtiliore. Remensis codex habet, *quæ modo interiore quam superiore.*
[4] Quatuor Mss., *verior est.*
[5] Plerique Mss., *quod vere est.*

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *nec tale aliquid quidquid non videmus.*
[2] Forte, *Nec si cogitentur.*

cum sint millia millium (I *Apoc.* v, 11), in unum collati unus fiant, nec tale aliquid Deus est. Nec si eosdem spiritus sine corporibus cogites, quod quidem carnali cogitationi difficillimum est. Ecce vide, si potes, o anima prægravata corpore quod corrumpitur, et onusta terrenis cogitationibus multis et variis; ecce vide, si potes : Deus Veritas est (*Sap.* IX, 15). Hoc enim scriptum est, *Quoniam Deus lux est* (I *Joan.* I, 5) : non quomodo isti oculi vident, sed quomodo videt cor, cum audis [1], Veritas est. Noli quærere quid sit veritas; statim enim se opponent caligines imaginum corporalium et nubila phantasmatum, et perturbabunt serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem, Veritas. Ecce in ipso primo ictu quo velut coruscatione perstringeris, cum dicitur, Veritas, mane si potes : sed non potes; relaberis in ista solita atque terrena. Quo tandem pondere, quæso, relaberis, nisi sordium contractarum cupiditatis visco et peregrinationis erroribus?

CAPUT III. — 4. *Quomodo cognoscatur Deum esse summum bonum. Animus nonnisi conversione ad Deum fit bonus.* Ecce iterum vide, si potes. Non amas certe nisi bonum, quia bona est terra altitudine montium et temperamento collium et planitie camporum, et bonum prædium amœnum ac fertile, et bona domus paribus membris disposita et ampla et lucida, et bona animalia animata corpora, et bonus aer modestus et salubris, et bonus cibus suavis atque aptus valetudini, et bona valetudo sine doloribus et lassitudine, et bona facies hominis dimensa pariliter et affecta hilariter et luculenter colorata, et bonus animus amici consensionis dulcedine et amoris fide, et bonus vir justus, et bonæ divitiæ, quia facile expediunt, et bonum cœlum cum sole et luna et stellis suis, et boni Angeli sancta obedientia, et bona locutio suaviter docens et congruenter monens [2] audientem, et bonum carmen canorum numeris et sententiis grave. Quid plura et plura? Bonum hoc et bonum illud : tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum, si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoravi, vel quæ alia cernuntur sive cogitantur, diceremus aliud alio melius cum vere judicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod et probaremus aliquid, et aliud alii præponeremus. Sic amandus est Deus, non hoc et illud bonum, sed ipsum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui supervolitet judicando, sed cui hæreat amando : et quid hoc, nisi Deus? Non bonus animus, aut bonus angelus, aut bonum cœlum; sed bonum bonum. Sic enim forte facilius advertitur quid velim dicere. Cum enim audio, verbi gratia, quod dicitur animus bonus, sicut duo verba sunt, ita ex eis verbis duo quædam intelligo : aliud quo animus est, aliud quo bonus. Et quidem ut animus esset, non egit ipse aliquid; non enim jam erat quod ageret ut esset : ut autem sit bonus animus, video agendum esse voluntate; non quia idipsum quo animus est, non est aliquid boni; nam unde jam dicitur, et verissime dicitur corpore melior? sed ideo, nondum dicitur bonus animus, quoniam restat ei actio voluntatis, qua sit præstantior; quam si neglexerit, jure culpatur, recteque dicitur non bonus animus. Distat enim ab eo qui hoc agit : et quia ille laudabilis, profecto iste qui hoc non agit, vituperabilis est. Cum vero agit hoc studio, et fit bonus animus, nisi se ad aliquid convertat quod ipse non est, non potest hoc assequi. Quo se autem convertat ut fiat bonus animus, nisi ad bonum, cum hoc amat et appetit et adipiscitur? Unde se si rursus avertat, fiatque non bonus, hoc ipso quo se avertit a bono, nisi maneat in se illud bonum unde se avertit, non est quo se iterum, si voluerit emendare, convertat.

5. Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonum. Cum itaque audis bonum hoc et bonum illud, quæ possunt alias dici etiam non bona, si potueris sine illis quæ participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum cujus participatione bona sunt; simul enim et ipsum intelligis, cum audis hoc aut illud bonum : si ergo potueris illis detractis per se ipsum perspicere bonum, perspexeris Deum. Et si amore inhæseris, continuo beatificaberis. Pudeat autem, cum alia non amentur nisi quia bona sunt, eis inhærendo non amare bonum ipsum unde bona sunt. Illud etiam, quod animus, tantum quia est animus, etiam nondum eo modo bonus quo se convertit ad incommutabile bonum; sed, ut dixi, tantum animus, cum ita nobis placet ut eum omni etiam luci corporeæ cum bene intelligimus, præferamus, non in se ipso nobis placet, sed in illa arte qua factus est. Inde enim approbatur factus, ubi videtur fuisse faciendus. Hæc est veritas, et simplex bonum : non enim est aliud aliquid quam ipsum bonum, ac per hoc etiam summum bonum. Non enim minui vel augeri bonum potest, nisi quod ex alio bono bonum est. Ad hoc se igitur animus convertit ut bonus sit, a quo habet ut animus sit. Tunc ergo voluntas naturæ congruit ut perficiatur in bono animus, cum illud bonum diligitur [1] conversione voluntatis, unde est et illud quod non amittitur nec aversione voluntatis. Avertendo enim se a summo bono, amittit animus ut sit bonus animus; non autem amittit ut sit animus, cum et hoc jam bonum sit corpore melius : hoc ergo amittit voluntas, quod voluntas adipiscitur. Jam enim erat animus, qui converti ad id vellet a quo erat : qui autem vellet esse antequam esset nondum erat. Et hoc est bonum nostrum, ubi videmus utrum esse debuerit aut debeat, quidquid esse debuisse aut debere comprehendimus; et ubi videmus esse non potuisse nisi esse debuisset, quidquid etiam quomodo esse debuerit non comprehendimus [2]. Hoc ergo bonum non longe positum est ab unoquoque nostrum : in illo enim vivimus, et move-

[1] Editi, *cum audit*. At Mss., *cum audis*. Germanensis codex, *Cum enim audis*, etc.
[2] Plures Mss., *morens*.

[1] Aliquot Mss., *cum ad illud bonum diriqitur*.
[2] Editi, *comprehendimus;* omissa particula negante, quæ reperitur in Mss.

mur, et sumus (*Act.* XVII, 27, 28).

CAPUT IV. — 6. *Deus prius fide non errante cognoscendus, ut amari possit.* Sed dilectione standum est ad illud et inhærendum illi, ut præsente perfruamur a quo sumus, quo absente nec esse possemus. Cum enim *per fidem adhuc ambulamus, non per speciem* (II *Cor.* V, 7), nondum utique videmus Deum, sicut idem ait, *facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12) : quem tamen nisi nunc jam diligamus, nunquam videbimus. Sed quis diligit quod ignorat? Sciri enim aliquid et non diligi potest : diligi autem quod nescitur, quæro utrum possit; quia si non potest, nemo diligit Deum antequam sciat. Et quid est Deum scire, nisi eum mente conspicere, firmeque percipere? Non enim corpus est, ut carneis oculis inquiratur. Sed et priusquam valeamus conspicere atque percipere Deum, sicut conspici et percipi potest, quod mundicordibus licet; *Beati* enim *mundicordes, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8) : nisi per fidem diligatur, non poterit cor mundari, quo ad eum videndum sit aptum et idoneum. Ubi sunt enim illa tria, propter quæ in animo ædificanda omnium divinorum Librorum machinamenta consurgunt, fides, spes, charitas (I *Cor.* XIII, 13); nisi in animo credente quod nondum videt, et sperante atque amante quod credit? Amatur ergo et qui [1] ignoratur; sed tamen creditur. Nimirum autem cavendum est, ne credens animus id quod non videt, fingat sibi aliquid quod non est, et speret diligatque quod falsum est. Quod si fit, non erit charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, quæ finis præcepti est, sicut idem apostolus dicit (I *Tim.* I, 5).

7. Necesse est autem, cum aliqua corporalia lecta vel audita quæ non vidimus, credimus, fingat sibi aliquid animus in lineamentis formisque corporum, sicut occurrerit cogitanti, quod aut verum non sit, aut etiam si verum est, quod rarissime potest accidere : non hoc tamen fide ut teneamus quidquam prodest, sed ad aliud aliquid utile, quod per hoc insinuatur. Quis enim legentium vel audientium quæ scripsit apostolus Paulus, vel quæ de illo scripta sunt, non fingat animo et ipsius Apostoli faciem, et omnium quorum ibi nomina commemorantur? Et cum in tanta hominum multitudine quibus illæ Litteræ notæ sunt, alius aliter lineamenta figuramque illorum corporum cogitet, quis propinquius et similius cogitet, utique incertum est. Neque ibi occupatur fides nostra, qua facie corporis fuerint illi homines; sed tantum quia per Dei gratiam ita vixerunt, et ea gesserunt quæ Scriptura illa testatur : hoc et utile est credere, et non desperandum, et appetendum. Nam et ipsius Dominicæ facies carnis, innumerabilium cogitationum diversitate variatur et fingitur, quæ tamen una erat, quæcumque erat. Neque in fide nostra quam de Domino Jesu Christo habemus, illud salubre est quod sibi animus fingit, longe fortasse aliter quam res se habet, sed illud quod secundum speciem de homine cogitamus : habemus enim quasi regulariter informem humanæ naturæ notitiam, secundum quam quidquid tale aspicimus, statim hominem esse cognoscimus vel hominis formam.

CAPUT V. — *Quomodo Trinitas diligatur incognita.* Secundum hanc notitiam cogitatio nostra informatur, cum credimus pro nobis Deum hominem factum, ad humilitatis exemplum, et ad demonstrandam erga nos dilectionem Dei. Hoc enim nobis prodest credere, et firmum atque inconcussum corde retinere, humilitatem qua natus est Deus ex femina et a mortalibus per tantas contumelias perductus ad mortem, summum esse medicamentum quo superbiæ nostræ sanaretur tumor, et altum sacramentum quo peccati vinculum solveretur. Sic et virtutem miraculorum ipsius et resurrectionis ejus, quoniam novimus quid sit omnipotentia, de omnipotente Deo credimus, et secundum species et genera rerum vel natura insita vel experientia collecta, de factis hujuscemodi cogitamus, ut non ficta sit fides nostra. Neque enim novimus faciem virginis Mariæ, ex qua ille a viro intacta neque in ipso partu corrupta mirabiliter natus est. Nec quibus membrorum lineamentis fuerit Lazarus, nec Bethaniam, nec sepulcrum lapidemque illum quem removeri jussit cum eum resuscitaret, vidimus, nec monumentum novum excisum in petra unde ipse resurrexit, nec montem Oliveti unde ascendit in cœlum : neque omnino scimus, quicumque ista non vidimus, an ita sint ut ea cogitamus, imo vero probabilius existimamus non esse ita. Namque cum alicujus facies vel loci vel hominis vel cujuslibet corporis eadem occurrerit oculis nostris, quæ occurrebat animo, cum eam priusquam videremus cogitabamus, non parvo miraculo movemur; ita raro et pene nunquam accidit : et tamen ea firmissime credimus, quia secundum specialem generalemque notitiam quæ certa nobis est, cogitamus. Credimus enim Dominum Jesum Christum natum de virgine quæ Maria vocabatur. Quid sit autem virgo, et quid sit nasci, et quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus. Utrum autem illa facies Mariæ fuerit quæ occurrerit animo cum ista loquimur aut recordamur, nec novimus omnino, nec credimus. Itaque hic salva fide licet dicere, Forte talem habebat faciem, forte non talem : Forte autem de virgine natus est Christus, nemo salva fide christiana dixerit.

8. Quamobrem quoniam Trinitatis æternitatem, et æqualitatem, et unitatem, quantum datur, intelligere cupimus, prius autem quam intelligamus credere debemus, vigilandumque nobis est, ne ficta sit fides nostra : eadem quippe Trinitate fruendum est, ut beate vivamus; si autem falsum de illa crediderimus, inanis erit spes, et non casta charitas : quomodo igitur eam Trinitatem quam non novimus, credendo diligimus? An secundum specialem generalemve notitiam, secundum quam diligimus apostolum Paulum? Qui etiam si non ea facie fuit quæ nobis occurrit de illo cogitantibus, et hoc penitus ignoramus, novimus

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *et quod*. M.

tamen quid sit homo. Ut enim longe non eamus, hoc sumus : et illum hoc fuisse, et animam ejus corpori copulatam mortaliter vixisse manifestum est. Hoc ergo de illo credimus, quod invenimus in nobis, juxta speciem vel genus, quo humana omnis natura pariter continetur. Quid igitur de illa excellentia Trinitatis sive specialiter sive generaliter novimus, quasi multæ sint tales trinitates, quarum aliquas experti sumus, ut per regulam similitudinis impressam vel specialem vel generalem notitiam, illam quoque talem esse credamus ; atque ita rem quam credimus et nondum novimus, ex parilitate rei quam novimus diligamus ? Quod utique non ita est. An quemadmodum diligimus in Domino Jesu Christo, quod resurrexit a mortuis, quamvis inde neminem unquam resurrexisse viderimus, ita Trinitatem quam non videmus, et qualem nullam unquam vidimus, possumus credendo diligere ? Sed quid sit mori, et quid sit vivere, utique scimus : quia et vivimus et mortuos ac morientes aliquando vidimus et experti sumus. Quid est autem aliud resurgere, nisi revivisccre, id est, ex morte ad vitam redire ? Cum ergo dicimus et credimus esse Trinitatem, novimus quid sit Trinitas, quia novimus quid sint tria ; sed non hoc diligimus. Nam id ubi volumus, facile habemus, ut alia omittam, vel micando digitis tribus. An vero diligimus, non quod omnis trinitas, sed quod Trinitas, Deus ? Hoc ergo diligimus in Trinitate, quod Deus est : sed Deum nullum alium vidimus, aut novimus, quia unus est Deus, ille solus quem nondum vidimus, et credendo diligimus. Sed ex qua rerum notarum similitudine vel comparatione credamus, quo etiam nondum notum Deum diligamus, hoc quæritur.

CAPUT VI. — 9. *Quomodo nondum justus justum cognoscat quem diligit.* Redi ergo mecum, et consideremus cur diligamus Apostolum. Numquidnam propter humanam speciem, quam notissimam habemus, eo quod credimus eum hominem fuisse ? Non utique : alioquin nunc non est quem diligamus, quandoquidem homo ille jam non est ; anima enim ejus a corpore separata est. Sed id quod in illo amamus, etiam nunc vivere credimus : amamus enim animum justum. Ex qua ergo generali aut speciali regula, nisi quia scimus et quid sit animus, et quid sit justus ? Et animus quidem quid sit, non incongrue nos dicimus ideo nosse, quia et nos habemus animum. Neque enim unquam oculis vidimus, et ex similitudine visorum plurium notionem generalem specialemve percepimus ; sed potius, ut dixi, quia et nos habemus. Quid enim tam intime scitur, seque ipsum esse sentit ; quam id quo etiam cætera sentiuntur, id est, ipse animus ? Nam et motus corporum, quibus præter nos alios vivere sentimus, ex nostra similitudine agnoscimus : quia et nos ita movemus corpus vivendo, sicut illa corpora moveri advertimus. Neque enim cum corpus vivum movetur, aperitur ulla via oculis nostris ad videndum animum, rem quæ oculis videri non potest : sed illi moli aliquid inesse sentimus quale nobis inest ad movendum similiter molem nostram, quod est vita et anima. Neque quasi humanæ prudentiæ rationisque proprium est. Et bestiæ quippe sentiunt vivere, non tantum se ipsas, sed etiam se invicem atque alterutrum, et nos ipsos. Nec animas nostras vident, sed ex motibus corporis, idque statim et facillime quadam conspiratione naturali. Animum igitur cujuslibet et ex nostro novimus, et ex nostro credimus quem non novimus. Non enim tantum sentimus animum, sed etiam scire possumus quid sit animus consideratione nostri : habemus enim animum. Sed quid sit justus, unde novimus ? Dixeramus enim nos Apostolum non alia causa diligere, nisi quod sit justus animus. Novimus ergo et quid sit justus, sicut et quid sit animus. Sed quid sit animus, ut dictum est, novimus ex nobis : inest enim animus nobis. Quid autem sit justus unde novimus, si justi non sumus ? Quod si nemo novit quid sit justus nisi qui justus est, nemo diligit justum nisi justus : non enim potest diligere quem justum esse credit, ob hoc ipsum quia justum esse credit, si quid sit justus ignorat ; secundum quod superius demonstravimus, neminem diligere quod credit et non videt, nisi ex aliqua regula notitiæ generalis sive specialis. Ac per hoc si non diligit justum nisi justus, quomodo volet quisque justus esse qui nondum est ? Non enim vult quisquam esse quod non diligit. Ut autem sit justus qui nondum est, volet utique justus esse : ut autem velit, diligit justum. Diligit ergo justum et qui nondum justus est. Diligere autem justum non potest, qui quid sit justus, ignorat. Proinde novit quid sit justus, etiam qui nondum est : ubi ergo novit ? num oculis vidit ? An ullum corpus justum, velut album, aut nigrum, aut quadrum, aut rotundum ? Quis hoc dixerit ? At oculis non vidit nisi corpora. Justus autem in homine non est, nisi animus : et cum homo justus dicitur, ex animo dicitur, non ex corpore. Est enim quædam pulchritudo animi justitia, qua pulchri sunt homines, plerique etiam qui corpore distorti atque deformes sunt. Sicut autem animus non videtur oculis, ita nec pulchritudo ejus. Ubi ergo novit quid sit justus, qui nondum est, atque ut sit diligit justum ? An signa quædam per motum corporis emicant, quibus ille aut ille homo esse justus apparet ? Sed unde novit illa signa esse animi justi, nesciens quid omnino sit justus ? Novit ergo. Sed ubi novimus quid sit justus, etiam cum justi nondum sumus ? Si extra nos novimus [1], in corpore aliquo novimus. Sed non est ista res corporis. In nobis igitur novimus quid sit justus. Non enim alibi hoc invenio, cum quæro ut hoc eloquar, nisi apud me ipsum : et si interrogem alium quid sit justus, apud se ipsum quærit quid respondeat ; et quisquis hinc verum respondere potuit, apud se ipsum quid responderet invenit. Et Carthaginem quidem cum eloqui volo, apud me ipsum quæro ut eloquar, et apud me ipsum invenio phantasiam Carthaginis : sed eam per corpus accepi, id est per corporis sensum, quoniam præsens in ea corpore

[1] Plerique Mss. : *Si extra quam nos novimus*.

fui, et eam vidi atque sensi, memoriaque retinui, ut apud me invenirem de illa verbum, cum eam vellem dicere. Ipsa enim phantasia ejus in memoria mea verbum ejus, non sonus iste trisyllabus cum Carthago nominatur, vel etiam tacite nomen ipsum per spatia temporum cogitatur; sed illud quod in animo meo cerno, cum hoc trisyllabum voce profero, vel antequam proferam. Sic et Alexandriam cum eloqui volo, quam nunquam vidi, præsto est apud me phantasma ejus. Cum enim a multis audissem et credidissem magnam esse illam urbem, sicut mihi narrari potuit, finxi animo meo imaginem ejus quam potui : et hoc est apud me verbum ejus, cum eam volo dicere, antequam voce quinque syllabas proferam, quod nomen ejus fere omnibus notum est. Quam tamen imaginem si ex animo meo proferre possem ad oculos hominum qui Alexandriam noverunt, profecto aut omnes dicerent, Non est ipsa; aut si dicerent, Ipsa est, multum mirarer, atque intuens in animo meo ipsam, id est imaginem quasi picturam ejus, ipsam tamen esse nescirem, sed eis crederem qui visam tenerent. Non autem ita quæro quid sit justus, nec ita invenio, nec ita intueor, cum id eloquor; nec ita probor, cum audior; nec ita probo, cum audio; quasi tale aliquid oculis viderim, aut ullo corporis sensu didicerim, aut ab eis qui ita didicissent audierim. Cum enim dico et sciens dico, Justus est animus qui scientia atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit; non aliquam rem absentem cogito, sicut Carthaginem, aut fingo ut possum, sicut Alexandriam, sive ita sit, sive non ita : sed præsens quiddam cerno, et cerno apud me, etsi non sum ipse quod cerno, et multi si audiant approbabunt. Et quisquis me audit atque scienter approbat, apud se et ipse hoc idem cernit, etiamsi non sit et ipse quod cernit. Justus vero cum id dicit, id quod ipse est cernit et dicit. Et ubi etiam ipse cernit, nisi apud se ipsum? Sed hoc mirum non est : ubi enim se cerneret, nisi apud se ipsum? Illud mirabile est ut apud se animus videat quod alibi nusquam vidit, et verum videat, et ipsum verum justum animum videat, et sit ipse animus et non sit justus animus, quem apud se ipsum videt. Num est alius animus justus in animo nondum justo? Aut si non est, quem ibi videt, cum videt et dicit quid sit animus justus, nec alibi quam in se ipso videt, cum ipse non sit animus justus? An illud quod videt, veritas est interior præsens animo qui eam valet intueri? Neque omnes valent : et qui intueri valent, hoc etiam quod intuentur non omnes sunt, hoc est, non sunt etiam ipsi justi animi, sicut possunt videre ac dicere quid sit justus animus. Quod unde esse poterunt[1], nisi inhærendo eidem ipsi formæ quam intuentur, ut inde formentur et sint justi animi; non tantum cernentes et dicentes justum esse animum qui scientia atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit, sed etiam ut ipsi juste vivant justeque morati sint, sua cuique distribuendo, ut nemini quidquam debeant, nisi ut invicem diligant (*Rom.* XIII, 8). Et unde inhæreretur illi formæ, nisi amando? Cur ergo alium diligimus quem credimus justum, et non diligimus ipsam formam ubi videmus quid sit justus animus, ut et nos justi esse possimus? An vero nisi et istam diligeremus, nullo modo eum diligeremus quem diligimus ex ista, sed dum justi non sumus, minus eam diligimus quam ut justi esse valeamus? Homo ergo qui creditur justus, ex ea forma et veritate diligitur, quam cernit et intelligit apud se ille qui diligit : ipsa vero forma et veritas non est quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam, cum incognita est, credendo diligamus, ex eo quod jam tale aliquid novimus. Quidquid enim tale aspexeris, ipsa est : et non est quidquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est. Qui ergo amat homines, aut quia justi sunt, aut ut justi sint, amare debet. Sic enim et semetipsum amare debet, aut quia justus est, aut ut justus sit: sic enim diligit proximum tanquam se ipsum sine ullo periculo. Qui enim aliter se diligit, injuste se diligit, quoniam se ad hoc diligit ut sit injustus : ad hoc ergo ut sit malus, ac per hoc jam non se diligit. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X, 6).

CAPUT VII. — 10. *De vera dilectione, per quam ad Trinitatis cognitionem pervenitur. Quærendus Deus, non exterius, appetendo mira facere cum Angelis; sed interius, imitando bonorum Angelorum pietatem.* Quapropter non est præcipue videndum in hac quæstione, quæ de Trinitate nobis est, et de cognoscendo Deo, nisi quid sit vera dilectio, imo vero quid sit dilectio. Ea quippe dilectio dicenda est, quæ vera est; alioquin cupiditas est : atque ita cupidi abusive dicuntur diligere, quemadmodum cupere abusive dicuntur qui diligunt. Hæc est autem vera dilectio, ut inhærentes veritati juste vivamus : et ideo contemnamus omnia mortalia[1] præ amore hominum, quo eos volumus juste vivere. Ita enim et mori pro fratribus utiliter parati esse poterimus, quod nos Dominus Jesus Christus exemplo suo docuit. Cum enim duo præcepta sint in quibus tota Lex pendet et Prophetæ, dilectio Dei et dilectio proximi (*Matth.* XXII, 37-40); non immerito plerumque Scriptura pro utroque unum ponit: sive tantum Dei, sicuti est illud, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28); et iterum, *Quisquis autem diligit Deum, hic cognitus est ab illo* (I *Cor.* VIII, 3); et illud, *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5); et alia multa: quia et qui diligit Deum consequens est ut faciat quod præcepit Deus, et in tantum diligit in quantum facit; consequens ergo est ut et proximum diligat, quia hoc præcepit Deus : sive tantum proximi dilectionem Scriptura commemorat, sicut est illud, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2); et illud, *Omnis enim lex in uno sermone impletur, in eo quod scriptum est, Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (*Id.* V, 14); et in Evangelio, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos*

[1] Editi, *potuerunt*. At melius Mss, *poterunt*.

[1] In Mss., *temporalia*.

facite illis; hæc enim est Lex et Prophetæ (*Matth.* VII, 12). Et pleraque alia reperimus in Litteris sanctis, in quibus sola dilectio proximi ad perfectionem præcipi videtur, et taceri de dilectione Dei; cum in utroque præcepto Lex pendeat et Prophetæ. Sed et hoc ideo, quia et qui proximum diligit, consequens est ut et ipsam præcipue dilectionem diligat. *Deus* autem *dilectio est, et qui manet in dilectione, in Deo manet* (I *Joan.* IV, 16). Consequens ergo est ut præcipue Deum diligat.

11. Quapropter, qui quærunt Deum per istas Potestates, quæ mundo præsunt vel partibus mundi, auferuntur ab eo longeque jactantur; non intervallis locorum, sed diversitate affectuum : exterius enim conantur ire, et interiora sua deserunt, quibus interior est Deus. Itaque etiamsi aliquam sanctam cœlestem Potestatem vel audierint, vel utcumque cogitaverint, facta magis ejus appetunt quæ humana miratur infirmitas, non imitantur pietatem qua divina requies comparatur. Malunt enim superbe hoc posse quod angelus, quam devote hoc esse quod angelus. Non enim sanctus quisquam potestate sua gaudet, sed ejus a quo habet posse quidquid congruenter potest : et novit potentius esse conjungi Omnipotenti pia voluntate, quam propria potestate et[1] voluntate posse, quod contremiscant qui talia non possunt. Itaque ipse Dominus Jesus Christus talia faciens, ut mirantes doceret ampliora, et temporalibus insolitis intentos atque suspensos ad æterna atque interiora converteret : *Venite*, inquit, *ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et reficiam vos; tollite jugum meum super vos.* Et non ait, Discite a me quia quatriduanos mortuos suscito; sed ait, *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Potentior est enim et tutior solidissima humilitas, quam ventosissima celsitudo. Et ideo sequitur dicens: *Et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 28, 29). *Dilectio* enim *non inflatur* (I *Cor.* XIII, 4) : et *Deus dilectio est* (I *Joan.* IV, 8) : et *fideles in dilectione acquiescent illi* (*Sap.* III, 9), revocati a strepitu qui foris est ad gaudia silentia[2]. Ecce *Deus dilectio est :* utquid imus et currimus in sublimia cœlorum et ima terrarum, quærentes eum qui est apud nos, si nos velimus esse apud eum?

CAPUT VIII. — 12. *Quod qui fratrem diligit, Deum diligat; quia amat ipsam dilectionem quæ ex Deo est, et Deus est.* Nemo dicat : Non novi quid diligam. Diligat fratrem, et diliget eamdem dilectionem. Magis enim novit dilectionem qua diligit, quam fratrem quem diligit. Ecce jam potest notiorem Deum habere quam fratrem : plane notiorem, quia præsentiorem; notiorem, quia interiorem; notiorem, quia certiorem. Amplectere dilectionem Deum, et dilectione amplectere Deum. Ipsa est dilectio quæ omnes bonos Angelos, et omnes Dei servos consociat vinculo sanctitatis, nosque et illos conjungit invicem nobis, et subjungit sibi. Quanto igitur saniores sumus a tumore superbiæ, tanto sumus dilectione pleniores : et quo, nisi Deo plenus est, qui plenus est dilectione? At enim charitatem video, et quantum possum eam mente conspicio, et credo Scripturæ dicenti quoniam *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet* (I *Joan.* IV, 16) : sed cum illam video, non in ea video Trinitatem. Imo vero vides Trinitatem, si charitatem vides. Sed commonebo, si potero, ut videre te videas : adsit tantum ipsa, ut moveamur charitate ad aliquod bonum. Quia cum diligimus charitatem, aliquid diligentem diligimus, propter hoc ipsum quia diligit aliquid. Ergo quid diligit charitas, ut possit etiam ipsa charitas diligi? Charitas enim non est, quæ nihil diligit. Si autem se ipsam diligit, diligat aliquid oportet, ut charitatem[1] se diligat. Sicut enim verbum indicat aliquid, indicat etiam se ipsum, sed non se verbum indicat, nisi se aliquid indicare indicet : sic et charitas diligit quidem se, sed nisi se aliquid diligentem diligat, non charitatem se diligit. Quid ergo diligit charitas, nisi quod charitate diligimus? Id autem, ut a proximo provehamur, frater est. Dilectionem autem fraternam quantum commendet Joannes apostolus, attendamus : *Qui diligit*, inquit, *fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est* (*Id.* II, 10). Manifestum est quod justitiæ perfectionem in fratris dilectione posuerit : nam in quo scandalum non est, utique perfectus est. Et tamen videtur dilectionem Dei tacuisse : quod nunquam faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum. Apertissime enim in eadem Epistola paulo post ita dicit : *Dilectissimi, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est; et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non cognovit Deum; quia Deus dilectio est.* Ista contextio satis aperteque declarat, eamdem ipsam fraternam dilectionem (nam fraterna dilectio est, qua diligimus invicem) non solum ex Deo, sed etiam Deum esse[2] tanta auctoritate prædicari. Cum ergo de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus fratrem : nec fieri potest ut eamdem dilectionem non præcipue diligamus, qua fratrem diligimus. Unde colligitur, duo illa præcepta non posse esse sine invicem. Quoniam quippe *Deus dilectio est;* Deum certe diligit, qui diligit dilectionem : dilectionem autem necesse est ut diligat, qui diligit fratrem. Et ideo paulo post ait, *Non potest Deum diligere quem non videt, qui fratrem quem videt non diligit* (*Id.* IV, 7, 8, 20) : quia hæc illi causa est non videndi Deum, quod non diligit fratrem. Qui enim non diligit fratrem, non est in dilectione : et qui non est in dilectione, non est in Deo, quia Deus dilectio est. Porro qui non est in Deo, non est in lumine : quia *Deus lumen est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (*Id.* I, 5). Qui ergo non est in lumine, quid mirum si non videt lumen, id est, non videt Deum, quia in tenebris est? Fratrem autem videt humano visu, quo videri Deus non potest. Sed si eum quem

[1] In ante editis omissum erat, *potestate et.*

[2] Editi, *ad gaudia silentii.* At Mss. plures, *ad gaudia silentia.* Alii, *ad gaudii silentia.*

[1] Sola fere eamio Lov., *ut charitate.*

[2] Editi, post, *Deum esse*, inserunt, *quem videmus.* Sed hæ duæ voces a Mss. absunt.

videt humano visu, spirituali charitate diligeret, videret Deum, qui est ipsa charitas, visu interiore quo videri potest. Itaque qui fratrem quem videt non diligit, Deum, quem propterea non videt, quia Deus dilectio est, qua caret qui fratrem non diligit, quomodo potest diligere? Nec illa jam quæstio moveat, quantum fratri charitatis debeamus impendere, quantum Deo: incomparabiliter plus quam nobis Deo, fratri autem quantum nobis ipsis: nos autem ipsos tanto magis diligimus, quanto magis diligimus Deum. Ex una igitur eademque charitate Deum proximumque diligimus: sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum.

CAPUT IX. — 13. *In dilectionem justorum accendimur ex ipsa dilectione incommutabilis formæ justitiæ.* Quid enim est, quæso, quod exardescimus, cum audimus et legimus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: nullam in quoquam dantes offensionem, ut non reprehendatur ministerium nostrum; sed in omnibus commendantes nosmetipsos ut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in bonitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma justitiæ, a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; ut seductores, et veraces; ut qui ignoramur, et cognoscimur; quasi morientes, et ecce vivimus; ut coerciti, et non mortificati; ut tristes, semper autem gaudentes; sicut egeni, multos autem ditantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor.* VI, 2-10)? Quid est quod accendimur in dilectionem Pauli apostoli, cum ista legimus, nisi quod credimus eum ita vixisse? Vivendum tamen sic esse Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potius supra nos in ipsa veritate conspicimus. Illum ergo quem sic vixisse credimus, ex hoc quod videmus diligimus. Et nisi hanc formam, quam semper stabilem atque incommutabilem cernimus, præcipue diligeremus, non ideo diligeremus illum, quia ejus vitam, cum in carne viveret, huic formæ coaptatam et congruentem fuisse, fide retinemus. Sed unde quomodo amplius et in ipsius formæ charitatem excitamur, per fidem qua credimus vixisse sic aliquem; et spem, qua nos quoque ita posse vivere, qui homines sumus, ex eo quod aliqui homines ita vixerunt, minime desperamus, ut hoc et desideremus ardentius, et fidentius precemur. Ita et ipsorum vitam facit a nobis diligi formæ illius dilectio, secundum quam vixisse creduntur, et illorum vita credita in eamdem formam flagrantiorem excitat charitatem: ut quanto flagrantius diligimus Deum, tanto certius serenius que videamus; quia in Deo conspicimus incommutabilem formam justitiæ, secundum quam hominem vivere oportere judicamus. Valet ergo fides ad cognitionem et ad dilectionem Dei, non tanquam omnino incogniti, aut omnino non dilecti; sed quo cognoscatur manifestius, et quo firmius diligatur.

CAPUT X. — 14. *Tria quædam in charitate, velut vestigium Trinitatis.* Quid est autem dilectio vel charitas, quam tantopere Scriptura divina laudat et prædicat, nisi amor boni? Amor autem alicujus amantis est, et amore aliquid amatur. Ecce tria sunt amans, et quod amatur, et amor. Quid est ergo amor nisi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, et quod amatur? Et hæc etiam in externis [1] carnalibusque amoribus ita est: sed ut aliquid purius et liquidius hauriamus, calcata carne ascendamus ad animum. Quid amat animus in amico, nisi animum? Et illic igitur tria sunt: amans et quod amatur, et amor. Restat etiam hinc ascendere, et superius ista quærere, quantum homini datur. Sed hic paululum requiescat intentio, non ut jam existimet invenisse quod quærit, sed sicut sol inveniri locus, ubi quærendum est aliquid; nondum illud inventum est, sed jam inventum est ubi quæratur: ita hoc dixisse sufficerit, ut tanquam ab articulo alicujus exordii cætera contexamus.

[1] Am. Er. et Mss., *in extremis.*

LIBER NONUS.

Trinitatem in homine, qui imago Dei est, quandam inesse; mentem scilicet, et notitiam qua se novit, et amorem quo notitiamque suam diligit: atque hæc tria æqualia inter se, et unius ostenduntur esse essentiæ.

CAPUT PRIMUM. — 1. *De Trinitate quomodo inquirendum.* Trinitatem certe quærimus, non quamlibet, sed illam Trinitatem quæ Deus est, verusque ac summus et solus Deus. Exspecta ergo, quisquis hæc audis: adhuc enim quærimus, et talia quærentem nemo juste reprehendit; si tamen in fide firmissimus quærat, quod aut nosse aut eloqui difficillimum est. Affirmantem vero cito justeque reprehendit, quisquis melius vel videt vel docet. *Quærite,* inquit, *Deum, et vivet anima vestra* (*Psal.* LXVIII, 33). Et ne quisquam se tanquam apprehendisse temere gaudeat: *Quærite,* inquit, *faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 4). Et Apostolus: *Si quis se,* inquit, *putat aliquid scire, nondum scit quemadmodum scire oporteat. Quisquis autem diligit Deum, hic cognitus est ab illo* (I *Cor.* VIII, 2, 3). Non sic quidem dixit, Cognovit illum; quæ periculosa præsumptio est: sed, *cognitus est ab illo.* Sic et alibi cum dixisset, *Nunc autem cognoscentes Deum;* statim corrigens, *imo cogniti,* inquit, *a Deo* (*Galat.* IV, 9). Et maximeque illo loco, *Fratres,* inquit, *ego me ipsum non arbitror apprehendisse: unum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus* (*Philipp.* III, 13-15). Perfectionem in hac vita dicit, non aliud quam ea quæ retro sunt oblivisci, et in ea quæ ante

sunt extendi secundum intentionem. Tutissima est enim quærentis intentio, donec apprehendatur illud quo tendimus et quo extendimur. Sed ea recta intentio est, quæ proficiscitur a fide. Certa enim fides utcumque inchoat cognitionem : cognitio vero certa non perficietur, nisi post hanc vitam, cum videbimus facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12). Hoc ergo sapiamus, ut noverimus tutiorem esse affectum vera quærendi, quam incognita pro cognitis præsumendi. Sic ergo quæramus tanquam inventuri : et sic inveniamus, tanquam quæsituri. *Cum* enim *consummaverit homo, tunc incipit* (*Eccli.* XVIII, 6). De credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus : in illis auctoritas tenenda est, in his veritas exquirenda. Quod ergo ad istam quæstionem attinet, credamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse unum Deum, universæ creaturæ conditorem atque rectorem : nec Patrem esse Filium, nec Spiritum sanctum vel Patrem esse vel Filium; sed Trinitatem relatarum ad invicem personarum, et unitatem æqualis essentiæ. Hoc autem quæramus intelligere, ab eo ipso quem intelligere volumus, auxilium precantes, et quantum tribuit quod intelligimus explicare tanta cura et sollicitudine pietatis cupientes [1], ut etiam si aliquid aliud pro alio dicimus, nihil tamen indignum dicamus. Ut si quid, verbi gratia, de Patre dicimus, quod Patri proprie non conveniat, aut Filio conveniat, aut Spiritui sancto, aut ipsi Trinitati : et si quid de Filio, quod Filio proprie non congruat, saltem congruat Patri, aut Spiritui sancto, aut Trinitati : item si quid de Spiritu sancto, quod proprietatem Spiritus sancti non deceat, non tamen alienum sit a Patre aut a Filio, aut ab uno Deo ipsa Trinitate. Veluti nunc cupimus videre utrum illa excellentissima charitas proprie Spiritus sanctus sit : quod si non est, aut Pater est charitas, aut Filius, aut ipsa Trinitas; quoniam resistere non possumus certissimæ fidei, et validissimæ auctoritati Scripturæ dicentis, *Deus charitas est* (I *Joan.* IV, 16) : non tamen debemus deviare sacrilego errore, ut aliquid de Trinitate dicamus quod non Creatori, sed creaturæ potius conveniat, aut inani cogitatione fingatur.

CAPUT II. — 2. *Consideranda tria illa quæ reperiuntur in charitate.* Quæ cum ita sint, attendamus ista tria, quæ invenisse nobis videmur. Nondum de supernis loquimur, nondum de Deo Patre et Filio et Spiritu sancto; sed de hac impari imagine, attamen imagine, id est homine : familiarius enim eam et facilius fortassis intuetur mentis nostræ infirmitas. Ecce ego qui hoc quæro, cum aliquid amo tria sunt : ego et quod amo, et ipse amor. Non enim amo amorem, nisi amantem amem : nam non est amor, ubi nihil amatur. Tria ergo sunt; amans, et quod amatur, et amor. Quid, si non amem nisi me ipsum? nonne duo erunt; quod amo, et amor? Amans enim et quod amatur, hoc idem est, quando se ipse amat : sicut amare et amari, eodem modo idipsum est, cum se quisque amat. Eadem quippe res his dicitur, cum dicitur, Amat se, et amatur a se. Tunc enim non est aliud atque aliud, amare et amari; sicut non est alius atque alius, amans et amatus. At vero amor, et quod amatur, etiam sic duo sunt. Non enim cum quisque se amat amor est, nisi cum amatur ipse amor. Aliud est autem amare se, aliud est amare amorem suum. Non enim amatur amor, nisi jam aliquid amans : quia ubi nihil amatur, nullus est amor. Duo ergo sunt, cum se quisque amat; amor, et quod amatur. Tunc enim amans et quod amatur unum est. Unde videtur non esse consequens ut ubicumque amor fuerit, jam tria intelligantur. Auferamus enim ab hac consideratione cætera quæ multa sunt, quibus homo constat : atque ut hæc quæ nunc requirimus, quantum in his rebus possumus, liquido reperiamus, de sola mente tractemus. Mens igitur cum amat se ipsam, duo quædam ostendit, mentem, et amorem. Quid est autem amare se, nisi sibi præsto esse velle ad fruendum se? Et cum tantum se vult esse, quantum est, par menti voluntas est, et amanti amor æqualis. Et si aliqua substantia est amor, non est utique corpus, sed spiritus : nec mens corpus, sed spiritus est. Neque tamen amor et mens duo spiritus, sed unus spiritus; nec essentiæ duæ, sed una : et tamen duo quædam unum sunt, amans et amor; sive sic dicas, quod amatur et amor. Et hæc quidem duo relative ad invicem dicuntur. Amans quippe ad amorem refertur, et amor ad amantem. Amans enim aliquo amore amat, et amor alicujus amantis est. Mens vero et spiritus non relative dicuntur, sed essentiam demonstrant. Non enim quia mens et spiritus alicujus hominis est, ideo mens et spiritus est [1]. Retracto enim eo quod homo est, quod adjuncto corpore dicitur; retracto ergo corpore, mens et spiritus manet : retracto autem amante, nullus est amor; et retracto amore, nullus est amans. Ideoque quantum ad invicem referuntur, duo sunt : quod autem ad se ipsa dicuntur, et singula spiritus, et simul utrumque unus spiritus; et singula mens, et simul utrumque una mens. Ubi ergo trinitas? Attendamus quantum possumus, et invocemus lucem sempiternam, ut illuminet tenebras nostras, et videamus in nobis, quantum sinimur, imaginem Dei.

CAPUT III. — 3. *Trinitatis imago in mente hominis noscentis se et amantis. Mens se ipsam per se ipsam novit.* Mens enim amare se ipsam non potest, nisi etiam se noverit : nam quomodo amat quod nescit? Aut si quisquam dicit ex notitia generali vel speciali mentem credere se esse talem, quales alias experta est, et ideo amare se ipsam, insipientissime loquitur. Unde enim mens aliquam mentem novit, si se non novit? Neque enim ut oculus corporis videt alios oculos, et se non videt; ita mens novit alias mentes, et ignorat semetipsam. Per oculos enim corporis corpora videmus, quia radios qui per eos emicant et quidquid cernimus tangunt, refringere ac retorquere in ipsos non possumus, nisi cum specula intuemur.

[1] Verbum, *cupientes*, addidimus ex sexdecim Mss.

[1] Sic Mss. At editi, *et spiritus manet.*

Quod subtilissime obscurissimeque disseritur, donec apertissime demonstretur, vel ita se rem habere, vel non ita. Sed quoquo modo se habeat vis qua per oculos cernimus; ipsam certe vim, sive sint radii, sive aliud aliquid, oculis cernere non valemus; sed mente quærimus, et si fieri potest, etiam hoc mente comprehendimus. Mens ergo ipsa sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semetipsam. Ergo et semetipsam per se ipsam novit, quoniam est incorporea. Nam si non se novit, non se amat.

CAPUT IV. — 4. *Tria unum et æqualia, mens ipsa, et amor, et notitia ejus. Tria eadem substantialiter esse, ac relative dici. Tria eadem esse inseparabilia. Tria eadem non partium instar juncta et commixta esse; sed esse unius essentiæ, ac relativa.* Sicut autem duo quædam sunt, mens et amor ejus, cum se amat; ita quædam duo sunt, mens et notitia ejus, cum se novit. Igitur ipsa mens et amor et notitia ejus, tria quædam sunt, et hæc tria unum sunt; et cum perfecta sunt, æqualia sunt. Si enim minus se amat quam est, ut verbi gratia, tantum se amet hominis mens, quantum amandum est corpus hominis, cum plus sit ipsa quam corpus; peccat, et non est perfectus amor ejus. Item si amplius se amat quam est, velut si tantum se amet, quantum amandus est Deus, cum incomparabiliter minus sit ipsa quam Deus; etiam sic nimium peccat, et non perfectum habet amorem sui. Majore autem perversitate et iniquitate peccat, cum corpus tantum amat, quantum amandus est Deus. Item notitia si minor est, quam est illud quod noscitur, et plene nosci potest, perfecta non est. Si autem major est, jam superior est natura quæ novit, quam illa quæ nota est: sicut major est notitia corporis, quam ipsum corpus quod ea notitia notum est. Illa enim vita quædam est in ratione cognoscentis: corpus autem non est vita. Et vita quælibet quolibet corpore major est, non mole, sed vi. Mens vero cum se ipsam cognoscit; non se superat notitia sua; quia ipsa cognoscit, ipsa cognoscitur. Cum ergo se totam cognoscit, neque secum quidquam aliud, par illi est cognitio sua: quia neque ex alia natura est ejus cognitio, cum se ipsam cognoscit. Et cum se totam nihilque amplius percipit, nec minor nec major est. Recte igitur diximus, hæc tria cum perfecta sunt, esse consequenter æqualia.

5. Simul etiam admonemur, si utcumque videre possumus, hæc in anima existere, et tanquam involuta evolvi ut sentiantur et dinumerentur substantialiter, vel, ut ita dicam, essentialiter, non tanquam in subjecto, ut color, aut figura in corpore, aut ulla alia qualitas aut quantitas. Quidquid enim tale est, non excedit subjectum in quo est. Non enim color iste aut figura hujus corporis potest esse et alterius corporis. Mens autem amore quo se amat, potest amare et aliud præter se. Item non se solum cognoscit mens, sed et alia multa. Quamobrem non amor et cognitio tanquam in subjecto insunt menti; sed substantialiter etiam ista sunt, sicut ipsa mens: quia et si relative dicuntur ad invicem, in sua tamen sunt singula quæque substantia. Nec sicut color coloratum relative ita dicuntur ad invicem, ut alius in subjecto colorato sit, non habens in se ipse proprium substantiam; quoniam coloratum corpus substantia est, ille autem in substantia: sed sicut duo amici etiam duo sunt homines, quæ sunt substantiæ; cum homines non relative dicantur, amici autem relative.

6. Sed item quamvis substantia sit amans vel sciens, substantia sit scientia, substantia, sit amor, sed amans et amor, aut sciens et scientia relative se dicantur sicut amici; mens vero aut spiritus non sint relativa, sicut nec homines relativa sunt: non tamen sicut amici homines possunt seorsum esse ab invicem, sic amans et amor, aut sciens et scientia. Quanquam et amici corpore videntur separari posse non animo, in quantum amici sunt: verumtamen fieri potest ut amicus amicum etiam odisse incipiat et eo ipso amicus esse desinat, nesciente illo, et adhuc amante. Amor autem quo se mens amat, si esse desinat, simul et illa desinet esse amans. Item notitia qua se mens novit, si esse desinat, simul et illa non se desinet. Sicut caput capitati alicujus utique caput est, et relative ad se dicuntur, quamvis etiam substantiæ sint: nam et caput corpus est, et capitatum et si non sit caput [1], nec capitatum erit. Sed hæ præcisione ab invicem separari possunt, illa non possunt.

7. Quod si sunt aliqua corpora quæ secari omnino et dividi nequeunt; tamen nisi partibus suis constarent, corpora non essent. Pars ergo ad totum relative dicitur, quia omnis pars alicujus totius pars est, totum omnibus partibus totum est. Sed quoniam et pars corpus est, et totum; non tantum ista relative dicuntur sed etiam substantialiter sunt. Fortassi ergo mens tota est, et ejus quasi partes amor quo se amat, et scientia qua se novit, quibus duabus partibus illud totum constat? An tres sunt æquales partes, quibus totum unum completur? Sed nulla pars totum, cujus pars est, complectitur: mens vero cum se totam novit, hoc est perfecte novit, per totum ejus est notitia ejus, et cum se perfecte amat, totam se amat, et per totum ejus est amor ejus. Num ergo sicut ex vino et aqua et melle una fit potio, et singula per totum sunt, et tamen tria sunt (nulla enim pars est potionis quæ non habeat hæc tria; non enim juncta, velut si aqua et oleum essent, sed omnino commixta sunt, et substantiæ sunt omnes, et totus ille liquor unus quædam est ex tribus confecta substantia); tale aliquid arbitrandum est esse simul hæc tria, mentem, amorem, notitiam? Sed non unius substantiæ sunt aqua, vinum, et mel, quamvis ex eorum commixtione fiat una substantia potionis. Quomodo autem illa tria non sint ejusdem substantiæ, non video; cum mens ipsa se amet, atque ipsa se noverit; atque ita sint hæc tria, ut non alteri alicui rerum mens vel amat

[1] Editi, *et si non sit corpus*. At Mss., *caput*.

vel nota sit. Unius ergo ejusdemque essentiæ necesse est hæc tria sint : et ideo si tanquam commixtione confusa essent ; nullo modo essent tria, nec referri ad invicem possent. Quemadmodum si ex uno eodemque auro tres annulos similes facias, quamvis connexos sibi, referuntur ad invicem, quod similes sunt ; omnis enim similis alicui similis est ; et trinitas annulorum est, et unum aurum : at si misceantur sibi, et per totam singuli massam suam conspergantur, interciet illa trinitas, et omnino non erit ; ac non solum unum aurum dicetur, sicut in illis tribus annulis dicebatur, sed jam nulla aurea tria.

CAPUT V. — 8. *Ea tria esse singula in se ipsis, et invicem tota in totis.* At in illis tribus, cum se novit mens et amat se, manet trinitas, mens, amor, notitia ; et nulla commixtione confunditur : quamvis et singula sint in semetipsis, et invicem tota in totis, sive singula in binis, sive bina in singulis. Itaque omnia in omnibus. Nam et mens est utique in se ipsa, quoniam ad se ipsam mens dicitur : quamvis noscens, vel nota, vel noscibilis ad suam notitiam relative dicatur ; amans quoque et amata vel amabilis ad amorem referatur, quo se amat. Et notitia quamvis referatur ad mentem cognoscentem vel cognitam, tamen et ad se ipsam nota et noscens dicitur : non enim sibi est incognita notitia, qua se mens ipsa cognoscit. Et amor quamvis referatur ad mentem amantem, cujus amor est ; tamen et ad se ipsum est amor, ut sit etiam in se ipso : quia et amor amatur, nec alio nisi amore amari potest, id est se ipso. Ita sunt hæc singula in se ipsis. In alternis autem ita sunt, quia et mens amans in amore est, et amor in amantis notitia, et notitia in mente noscente. Singula in binis ita sunt, quia mens quæ se novit et amat, in amore et notitia sua est ; et amor amantis mentis seseque scientis, in mente notitiaque ejus est ; et notitia mentis se scientis et amantis in mente atque in amore ejus est, quia scientem se amat, et amantem se novit. Ac per hoc et bina in singulis, quia mens quæ se novit et amat, cum sua notitia est in amore, et cum suo amore in notitia : amor quoque [1] ipse et notitia simul sunt in mente, quæ se amat et novit. Tota vero in totis quemadmodum sint, jam supra ostendimus, cum se totam mens amat, et totam novit, et totum amorem suum novit, totamque amat notitiam suam, quando tria ista ad se ipsa perfecta sunt. Miro itaque modo tria ista inseparabilia sunt a semetipsis, et tamen eorum singulum quodque substantia est, et simul omnia una substantia vel essentia, cum relative dicantur ad invicem.

CAPUT VI. — 9. *Alia notitia rei in ipsa re, alia in ipsa æterna veritate. Quod ex æternæ veritatis regulis judicium de rebus etiam corporeis fiat.* Sed cum se ipsam novit humana mens et amat se ipsam, non aliquid incommutabile novit et amat : aliterque unusquisque homo loquendo enuntiat mentem suam, quid in se ipso agatur attendens ; aliter autem humanam mentem speculi aut generali cognitione definit. Itaque cum mihi de sua propria loquitur, utrum intelligat hoc aut illud, an non intelligat, et utrum velit, an nolit hoc aut illud, credo : cum vero de humana specialiter aut generaliter verum dicit, agnosco et approbo. Unde manifestum est, aliud unumquemque videre in se, quod sibi alius dicenti credat, non tamen videat ; aliud autem in ipsa veritate, quod alius quoque possit intueri : quorum alterum mutari per tempora, alterum incommutabili æternitate consistere. Neque enim oculis corporeis multas mentes videndo, per similitudinem colligimus generalem vel specialem mentis humanæ notitiam : sed intuemur inviolabilem veritatem, ex qua perfecte, quantum possumus, definiamus, non qualis sit uniuscujusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat.

10. Unde etiam phantasias rerum corporalium per corporis sensum haustas, et quodam modo infusas memoriæ, ex quibus etiam ea quæ non visa sunt, ficto phantasmate cogitantur, sive aliter quam sunt, sive fortuitu sicuti sunt, aliis omnino regulis supra mentem nostram incommutabiliter manentibus, vel approbare apud nosmetipsos, vel improbare convincimur, cum recte aliquid approbamus aut improbamus. Nam et cum recolo Carthaginis mœnia quæ vidi, et cum fingo Alexandriæ [1] quæ non vidi, easdemque imaginarias formas quasdam quibusdam præferens, rationabiliter præfero ; viget et claret desuper judicium veritatis, ac sui juris incorruptissimis regulis firmum est : et si corporalium imaginum quasi quodam nubilo subtexitur, non tamen involvitur atque confunditur.

11. Sed interest utrum ego sub illa vel in illa caligine, tanquam a cœlo perspicuo secludar ; an sicut in altissimis montibus accidere solet, inter utrumque aere libero fruens, et serenissimam lucem supra, et densissimas nebulas subter aspiciam. Nam unde in me fraterni amoris inflammatur ardor, cum audio virum aliquem pro fidei pulchritudine et firmitate acria tormenta tolerasse ? Et si mihi digito ostendatur ipse homo, studeo mihi conjungere, notum facere, amicitia colligare. Itaque si facultas datur, accedo, alloquor, sermonem confero, affectum meum in illum quibus verbis possum exprimo, vicissimque in eo fieri quem in me habeat atque exprimi volo, spiritualemque complexum credendo molior, quia pervestigare tam cito et cernere penitus ejus interiora non possum. Amo itaque fidelem et fortem virum amore casto atque germano. Quod si mihi inter nostras loquelas fateatur, aut incautus [2] aliquo modo sese indicet, quod vel de Deo credat incongrua, atque in illo quoque carnale aliquid desideret, et pro tali errore illa pertulerit, vel speratæ pecuniæ cupiditate, vel inani aviditate laudis humanæ ; statim amor ille, quo in eum ferebar, offensus, et quasi repercussus, atque ab indigno homine ablatus, in ea forma permanet [3], ex qua eum talem credens ama-

[1] Editi, *amor quippe.* Concinnius Mss., *amor quoque.*

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. addunt, *mœnia.* In B. deest hæc vox, de qua ad marginem notatur : « Subaudi, *mœnia.* » M.

[2] Apud Lov., *incautius.*

[3] Editi, *non in ea forma permanet ;* addita contra mentem

veram. Nisi forte ad hoc amo jam, ut talis sit, cum talem non esse comperero. At in illo homine nihil mutatum est : mutari tamen potest, ut fiat quod eum jam esse crediderat. In mente autem mea mutata est utique ipsa existimatio, quæ de illo aliter se habebat, et aliter habet : idemque amor ab intentione perfruendi ad intentionem consulendi, incommutabili desuper justitia jubente deflexus est. Ipsa vero forma inconcussæ ac stabilis veritatis, et in qua fruerer homine bonum eum credens, et in qua consulo ut bonus sit, eadem luce incorruptibilis sincerissimæque rationis et meæ mentis aspectum, et illam phantasiæ nubem, quam desuper cerno, cum eumdem hominem quem videram cogito, imperturbabili æternitate perfundit [1]. Item cum arcum pulchre ac æquabiliter intortum, quem vidi, verbi gratia, Carthagine, animo revolvo, res quædam menti nuntiata per oculos, memoriæque transfusa, imaginarium conspectum facit. Sed aliud mente conspicio, secundum quod mihi opus illud placet; unde etiam, si displiceret, corrigerem. Itaque de istis secundum illam (*a*) judicamus, et illam cernimus rationalis mentis intuitu. Ista vero aut præsentia sensu corporis tangimus, aut imagines absentium fixas in memoria recordamur, aut ex earum similitudine talia fingimus, qualia nos ipsi, si vellemus atque possemus, etiam opere moliremur : aliter figurantes animo imagines corporum, aut per corpus corpora videntes; aliter autem rationes artemque ineffabiliter pulchram talium figurarum super aciem mentis simplici intelligentia capientes.

CAPUT VII. — 12. *Verbum intus ex rebus in æterna veritate conspectis concipimus et gignimus. Verbum amore concipitur sive creaturæ sive Creatoris.* In illa igitur æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam secundum quam sumus, et secundum quam vel in nobis vel in corporibus vera et recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus : atque inde conceptam rerum veracem notitiam, tanquam verbum apud nos habemus, et dicendo intus gignimus; nec a nobis nascendo discedit. Cum autem ad alios loquimur, verbo intus manenti ministerium vocis adhibemus, aut alicujus signi corporalis, ut per quamdam commemorationem sensibilem tale aliquid fiat etiam in animo audientis, quale de loquentis animo non recedit. Nihil itaque agimus per membra corporis in factis dictisque nostris, quibus vel approbantur vel improbantur mores hominum, quod non verbo apud nos intus edito prævenimus. Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit.

13. Quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris, id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis.

CAPUT VIII. — *Cupiditas et charitas quo differunt.* Ergo aut cupiditate, aut charitate : non quo non sit [1] amanda creatura; sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura. Tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem. Cum ergo aut par nobis, aut inferior creatura sit, inferiore utendum est ad Deum; pari autem fruendum, sed in Deo. Sicut enim te ipso, non in te ipso frui debes, sed in eo qui fecit te; sic etiam illo quem diligis tanquam te ipsum. Et nobis ergo et fratribus in Domino fruamur, et inde nos nec ad nosmetipsos remittere, et quasi relaxare deorsum versus audeamus. Nascitur autem verbum, cum excogitatum placet, aut ad peccandum, aut ad recte faciendum. Verbum ergo nostrum et mentem de qua gignitur, quasi medius amor conjungit, seque cum eis tertium complexu incorporeo, sine ulla confusione constringit.

CAPUT IX. — 14. *In amore spiritualium verbum natum idem quod conceptum : secus in amore carnalium.* Conceptum autem verbum et natum idipsum est, cum voluntas in ipsa notitia conquiescit, quod fit in amore spiritualium. Qui enim, verbi gratia, perfecte novit, perfecteque amat justitiam, jam justus est, etiamsi nulla existat secundum eam forinsecus per membra corporis operandi necessitas. In amore autem carnalium temporaliumque rerum, sicut in ipsis animalium fetibus, alius est conceptus verbi, alius partus. Illic enim quod cupiendo concipitur, adipiscendo nascitur. Quoniam non sufficit avaritiæ nosse et amare aurum, nisi et habeat; neque nosse et amare vesci, aut concumbere, nisi etiam id agat; neque nosse et amare honores et imperia, nisi proveniant. Quæ tamen omnia, nec adepta sufficiunt. *Qui enim biberit ex hac*, inquit, *aqua, sitiet iterum* (*Joan.* IV, 13). Ideoque et in Psalmo : *Concepit*, inquit, *dolorem, et peperit iniquitatem* (*Psal.* VII, 15). Dolorem vel laborem dicit concipi, cum ea concipiuntur quæ nosse ac velle non sufficit, et inardescit atque ægrotat animus indigentia, donec ad ea perveniat, et quasi pariat ea. Unde eleganter in latina lingua parta dicuntur et reperta atque comperta, quæ verba quasi a partu ducta resonant. Quia *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum* (*Jacobi* I, 15). Unde Dominus clamat, *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis* (*Matth.* XI, 28) : et alio loco, *Væ prægnantibus et mammantibus in illis diebus* (*Id.* XXIV, 19). Cum itaque ad partum verbi referret omnia vel recte facta vel peccata, *Ex ore*, inquit, *tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis* (*Id.* XII, 37) : os volens intelligi, non hoc visibile, sed interius invisibile cogitationis et cordis.

CAPUT X. — 15. *An sola notitia amata sit verbum mentis.* Recte ergo quæritur, utrum omnis notitia verbum, an tantum amata notitia. Novimus enim et ea quæ odimus : sed nec concepta, nec parta dicenda sunt animo, quæ nobis displicent. Non enim omnia quæ quoquo modo tangunt, concipiuntur : sed alia [2]

Augustini particula negante, qua nostri omnes carebant Mss.

[1] Sic Am. et Mss. magno consensu. At Er. et Lov., *aquitate perfundit.*

(*a*) Subaudi, *formam æternæ veritatis.*

[1] Lov., *non quod non sit.*

[2] In editis male omissum erat, *sed alia.*

ut tantum nota sint, non tamen verba dicantur; sicut ista de quibus nunc agimus. Aliter enim dicuntur verba quæ spatia temporum syllabis tenent, sive pronuntientur, sive cogitentur; aliter omne quod notum est, verbum dicitur animo impressum, quamdiu de memoria proferri et definiri potest, quamvis res ipsa displiceat; aliter cum placet quod mente concipitur. Secundum quod genus verbi accipiendum est quod ait Apostolus, *Nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3) : cum secundum aliam verbi notionem dicant hoc et illi, de quibus ipse Dominus ait, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 21). Verumtamen cum et illa quæ odimus, recte displicent, recteque improbantur, approbatur eorum improbatio, et placet, et verbum est. Neque vitiorum notitia nobis displicet, sed ipsa vitia. Nam placet mihi quod novi et definio quid sit intemperantia; et hoc est verbum ejus. Sicuti sunt in arte nota vitia, et recte approbatur eorum notitia, cum discernit cognitor speciem privationemque virtutis, sicut aiere et negare, esse et non esse : attamen virtute privari atque in vitium deficere, damnabile est. Et definire intemperantiam, verbumque ejus dicere, pertinet ad artem morum : esse autem intemperantem, ad id pertinet quod illa arte culpatur. Sicut nosse ac definire quid sit solœcismus, pertinet ad artem loquendi : facere autem, vitium est quod eadem arte reprehenditur. Verbum est igitur, quod nunc discernere ac insinuare volumus, cum amore notitia. Cum itaque se mens novit et amat, jungitur ei amore verbum ejus. Et quoniam amat notitiam et novit amorem, et verbum in amore est, et amor in verbo, et utrumque in amante atque dicente.

CAPUT XI. — 16. *Mentis se ipsam noscentis imaginem seu verbum genitum ipsi æquale esse.* Sed omnis secundum speciem notitia, similis est ei rei quam novit. Est enim alia notitia secundum privationem, quam cum improbamus, loquimur. Et hæc privationis improbatio speciem laudat, ideoque approbatur. Habet ergo animus nonnullam speciei notæ similitudinem, sive cum ea placet, sive cum ejus privatio displicet. Quocirca in quantum Deum novimus, similes sumus : sed non ad æqualitatem similes, quia nec tantum eum novimus, quantum ipse se. Et quemadmodum cum per sensum corporis dicimus corpora, fit eorum aliqua similitudo in animo nostro, quæ phantasia memoriæ est : non enim omnino ipsa corpora in animo sunt, cum ea cogitamus; sed eorum similitudines : itaque cum eas pro illis approbamus, erramus; error namque est pro alio alterius approbatio : melior est tamen imaginatio corporis in animo, quam illa species corporis, in quantum hæc in meliore natura est, id est, in substantia vitali, sicuti animus est : ita cum Deum novimus, quamvis meliores efficiamur quam eramus antequam nossemus, maximeque cum eadem notitia etiam placita digneque amata verbum est, fitque aliqua Dei similitudo illa notitia : tamen inferior est, quia in inferiore natura est; creatura quippe animus, Creator autem Deus. Ex quo colligitur, quia cum se mens ipsa novit atque approbat, sic est eadem notitia verbum ejus, ut ei sit par omnino et æquale, atque identidem : quia neque inferioris essentiæ notitia est, sicut corporis; neque superioris, sicut Dei. Et cum habeat notitia similitudinem ad eam rem quam novit, hoc est, cujus notitia est; hæc habet perfectam et æqualem, qua mens ipsa [1], quæ novit, est nota. Ideoque et imago et verbum est, quia de illa exprimitur, cum cognoscendo eidem coæquatur, et est gignenti æquale quod genitum est.

CAPUT XII. — 17. *Cur sicut notitia mentis est proles, non etiam amor partus ejusdem sit. Solutio quæstionis. Trinitatis imago, mens cum sua ipsius notitia et amore.* Quid ergo amor? non erit imago? non verbum? non genitus? Cur enim mens notitiam suam gignit, cum se novit; et amorem suum non gignit, cum se amat? Nam si propterea est notionis suæ causa, quia noscibilis est; amoris etiam sui causa est, quia est amabilis. Cur utrumque itaque non genuerit, difficile est dicere. Hæc enim quæstio etiam de ipsa summa Trinitate, omnipotentissimo creatore Deo, ad cujus imaginem homo factus est, solet movere homines, quos veritas Dei per humanam locutionem invitat ad fidem, cur non Spiritus quoque sanctus a Patre Deo genitus vel creditur vel intelligitur, ut filius etiam ipse dicatur? Quod nunc in mente humana utcumque investigare conamur, ut ex inferiore imagine, in qua nobis familiarius natura ipsa nostra, quasi interrogata respondet, exercitatiorem mentis aciem ab illuminata creatura ad lumen incommutabile dirigamus : si tamen veritas ipsa persuaserit, sicut Dei Verbum Filium esse nullus christianus dubitat, ita charitatem esse Spiritum sanctum. Ergo ad imaginem illam, quæ creatura est, hoc est, ad rationalem mentem diligentius de hac re interrogandam considerandamque redeamus, ubi temporaliter existens nonnullarum rerum notitia, quæ antea non erat, et aliquarum rerum amor, quæ antea non amabantur, distinctius nobis aperit quid dicamus : quia et ipsi locutioni temporaliter dirigendæ [2], facilior est ad explicandum res quæ in ordine temporum comprehenditur.

18. Primo itaque manifestum sit, posse fieri ut sit aliquid scibile, id est, quod sciri possit, et tamen nesciatur : illud autem fieri non posse, ut sciatur quod scibile non fuerit. Unde liquido tenendum est quod omnis res quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente et cognito. Itaque mens cum se ipsam cognoscit, sola parens est notitiæ suæ : et cognitum enim et cognitor ipsa est. Erat autem sibi ipsa noscibilis, et antequam se nosset : sed notitia sui non erat in ea, cum se ipsa non noverat. Quod ergo cognoscit se, parem sibi notitiam sui gignit : quia non minus se novit quam est, nec alterius essentiæ est notitia ejus, non solum quia ipsa novit, sed etiam quia se ipsam,

[1] Lov., *quia mens ipsa.* Male.
[2] Plerique Mss., *digerendæ.*

sicut supra diximus. Quid ergo de amore dicendum est, cur non etiam cum se amat, ipsum quoque amorem sui genuisse videatur? Erat enim amabilis sibi, et antequam se amaret, quia poterat se amare : sicut erat sibi noscibilis, et antequam se nosset, quia poterat se nosse. Nam si non sibi esset noscibilis, nunquam se nosse potuisset : ita si non sibi esset amabilis, nunquam se amare potuisset. Cur itaque amando se non genuisse dicatur amorem suum ; sicut cognoscendo se genuit notitiam suam? An eo [1] quidem manifeste ostenditur hoc amoris esse principium, unde procedit : ab ipsa quippe mente procedit : quæ sibi est amabilis antequam se amet; atque ita principium est amoris sui, quo se amat : sed ideo non recte dicitur genitus ab ea, sicut notitia sui qua se novit, quia notitia jam inventum est, quod partum vel repertum dicitur, quod sæpe præcedit inquisitio eo fine quietura? Nam inquisitio est appetitus inveniendi, quod idem valet si dicas, reperiendi. Quæ autem reperiuntur, quasi pariuntur : unde proli similia sunt; ubi, nisi in ipsa notitia? Ibi enim quasi expressa formantur. Nam etsi jam erant res quas quærendo invenimus, notitia tamen ipsa non erat, quam sicut prolem nascentem deputamus. Porro appetitus ille, qui est in quærendo, procedit a quærente, et pendet quodam modo, neque requiescit fine quo intenditur, nisi id quod quæritur inventum quærenti copuletur. Qui appetitus, id est inquisitio, quamvis amor esse non videatur, quo id quod notum est [1], amatur; hoc enim adhuc ut cognoscatur agitur : tamen ex eodem genere quiddam est. Nam voluntas jam dici potest, quia omnis qui quærit invenire vult; et si id quæritur quod ad notitiam pertineat, omnis qui quærit nosse vult. Quod si ardenter atque instanter vult, studere dicitur : quod maxime in assequendis atque adipiscendis quibusque doctrinis dici solet. Partum ergo mentis antecedit appetitus quidam, quo id quod nosse volumus quærendo et inveniendo, nascitur proles ipsa notitia : ac per hoc appetitus ille quo concipitur pariturque notitia, partus et proles recte dici non potest; idemque appetitus quo inhiatur rei cognoscendæ, fit amor cognitæ, dum tenet atque amplectitur placitam prolem, id est, notitiam, gignentique conjungit. Et est quædam imago Trinitatis, ipsa mens, et notitia ejus, quod est proles ejus ac de se ipsa verbum ejus, et amor tertius, et hæc tria unum atque una substantia. Nec minor proles, dum tantam se novit mens quanta est : nec minor amor, dum tantum se diligit quantum novit et quanta est.

[1] Editi, *in eo*. Emendantur ex Mss.

[1] Plures Mss., *qua quod notum est*.

LIBER DECIMUS,

In quo trinitatem aliam in hominis mente inesse ostenditur, eamque longe evidentiorem apparere in memoria, intelligentia et voluntate.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Amorem studentis animi, id est, scire cupientis, non esse amorem ejus rei quam nescit.* Nunc ad ea ipsa consequenter enodatius explicanda limatior accedat intentio. Ac primum, quia rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest, diligenter intuendum est cujusmodi sit amor studentium, id est, non jam scientium, sed adhuc scire cupientium quamque doctrinam. Et in his quippe rebus in quibus non usitate dicitur studium, solent existere amores ex auditu, dum cujusque pulchritudinis fama ad videndum ac fruendum animus accenditur, quia generaliter novit corporum pulchritudines, ex eo quod plurimas vidit, et inest intrinsecus unde approbetur, cui forinsecus inhiatur. Quod cum fit, non rei penitus incognitæ amor excitatur, cujus genus ita notum est. Cum autem virum bonum amamus, cujus faciem non vidimus, ex notitia virtutum amamus, quas novimus in ipsa veritate. Ad doctrinas autem cognoscendas, plerumque nos laudantium atque prædicantium accendit auctoritas : et tamen nisi breviter impressam cujusque doctrinæ haberemus in animo notionem, nullo ad eam discendam studio flagraremus. Quis enim sciendæ, verbi gratia, rhetoricæ ullam curam et operam impenderet, nisi ante sciret eam dicendi esse scientiam? Aliquando etiam ipsarum doctrinarum fines auditos expertosve miramur, et ex hoc inardescimus facultatem comparare discendo, qua ad eos pervenire possimus. Tanquam si litteras nescienti dicatur quamdam esse doctrinam, qua quisque valeat, quamvis longe absenti, verba mittere manu facta in silentio, quæ rursus ille cui mittuntur, non auribus, sed oculis colligat, idque fieri videat; nonne, dum concupiscit nosse quo id possit, omni studio circa illum finem movetur, quem jam notum tenet? Sic accenduntur studia discentium : nam quod quisque prorsus ignorat, amare nullo pacto potest.

2. Ita etiam signum si quis audiat incognitum, veluti verbi alicujus sonum, quo quid significetur ignorat, cupit scire quidnam sit, id est, sonus ille cui rei commemorandæ institutus sit : veluti si audiat cum dicitur temetum, et ignorans quid sit requirat. Jam itaque oportet ut noverit signum esse, id est, non esse inanem illam vocem, sed aliquid ea significari : alioquin jam notum est hoc trisyllabum, et articulatam speciem suam impressit animo per sensum aurium : quid amplius in eo requiratur, quo [1] magis innotescat, cujus omnes litteræ omniaque soni spatia nota sunt; nisi quia simul innotuit signum esse, movitque sciendi cupiditatem, cujus rei signum sit? Quo igitur amplius notum est, sed non plene notum est, eo cupit animus de illo nosse quod reliquum est. Si enim tantummodo esse istam vocem nosset, eamque

[1] Aliquot Mss., *quod*.

alicujus rei signum esse non nosset, nihil jam quæreret, sensibili re, quantum poterat, sentiendo percepta. Quia vero non solum esse vocem, sed et signum esse jam novit, perfecte id nosse vult. Neque ullum perfecte signum noscitur, nisi cujus rei signum sit cognoscatur. Hoc ergo qui ardenti cura quærit ut noverit, studioque accensus insistit, num potest dici esse sine amore? Quid igitur amat? Certe enim amari aliquid nisi notum non potest. Neque enim ille istas tres syllabas amat, quas jam notas habet. Quod si hoc in eis amat, quia scit eas significare aliquid; non inde nunc agitur, non enim hoc nosse quærit: sed in eo quod scire studet, quid amet inquirimus, quod profecto nondum novit: et propterea miramur cur amet, quoniam firmissime novimus amari nisi nota non posse. Quid ergo amat, nisi quia novit atque intuetur in rationibus rerum quæ sit pulchritudo doctrinæ, qua continentur notitiæ signorum omnium; et quæ sit utilitas in ea peritia, qua inter se humana societas sensa communicat, ne sibi hominum cœtus deteriores sint quavis solitudine, si cogitationes suas colloquendo non misceant. Hanc ergo speciem decoram et utilem cernit anima, et novit, et amat; eamque in se perfici studet, quantum potest, quisquis vocum significantium quæcumque ignorat [1], inquirit. Aliud est enim quod eam in veritatis luce conspicit, aliud quod in sua facultate concupiscit. Conspicit namque in luce veritatis quam magnum et quam bonum sit omnes omnium gentium linguas intelligere ac loqui, nullamque ut alienigena [2] audire, et a nullo ita audiri. Cujus notitiæ decus cogitatione jam cernitur, amaturque res nota; quæ ita conspicitur, atque inflammat studia discentium, ut circa eam moveantur, eique inhient in omni opera quam impendunt consequendæ tali facultati, ut etiam usu amplectantur quod ratione prænoscunt: atque ita quisque, cui facultati spe propinquat, ei ferventius amore inardescit. Eis doctrinis quippe studetur vehementius, quæ capi posse non desperantur. Nam cujus rei adipiscendæ spem quisque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quam pulchra sit videat. Quocirca, quia omnium linguarum scientia fere ab omnibus desperatur, suæ gentis quisque maxime studet, ut noverit. Quod si et illi ad perfectum percipiendæ se non sufficere sentit, nemo tamen tam desidiosus est hujus notitiæ, qui non, cum audierit incognitum verbum, velit nosse quid illud sit, et si potest, quærat ac discat. Quod dum quærit, utique in studio discendi est, et videtur amare rem incognitam; quod non ita est. Species namque illa tangit animum, quam novit et cogitat, in qua elucet decus consociandorum animorum in vocibus notis audiendis atque reddendis: eaque accendit studio quærentem quidem quod ignorat, sed notam formam, quo id pertineat, intuentem et amantem. Itaque si quærenti, verbi gratia, quid sit temetum (hoc enim exempli causa posueram), dicatur, Quid ad te pertinet? respondebit, Ne forte audiam loquentem, et non intelligam, aut uspiam forte id legam, et quid scriptor senserit, nesciam. Quis tandem huic dicat, Noli intelligere quod audis, noli nosse quod legis? Omnibus enim fere animis rationalibus in promptu est ad videndum hujus peritiæ pulchritudo, qua hominum inter se cogitata, significantium vocum enuntiatione noscuntur: propter hoc notum decus, et ob hoc amatum quia notum, studiose quæritur verbum illud ignotum. Itaque cum audierit atque cognoverit temetum a veteribus vinum appellatum, sed jam ex usu loquendi quem nunc habemus, hoc vocabulum emortuum, propter nonnullos fortasse veterum libros sibi necessarium deputabit. Si autem et illos supervacaneos habet, forte jam nec dignum quod memoriæ commendet existimat, quia videt ad illam speciem doctrinæ quam notam mente intuetur atque amat, minime pertinere.

3. Quamobrem omnis amor studentis animi, hoc est volentis scire quod nescit, non est amor ejus rei quam nescit, sed ejus quam scit, propter quam vult scire quod nescit. Aut si tam curiosus est, ut non propter causam aliam notam, sed solo amore rapiatur incognita sciendi; discernendus quidem est ab studiosi nomine iste curiosus, sed nec ipse amat incognita, imo congruentius dicitur, Odit incognita, quæ nulla esse vult, dum vult omnia cognita. Sed ne quisquam nobis difficiliorem referat quæstionem, asserens tam non posse quemquam odisse quod nescit, quam non potest amare quod nescit, non resistimus veris [1]: sed intelligendum est, non hoc idem dici cum dicitur, Amat scire incognita, ac si diceretur, Amat incognita. Illud enim fieri potest, ut amet quisque scire incognita: ut autem amet incognita, non potest. Non enim frustra ibi est positum scire: quoniam qui scire amat incognita, non ipsa incognita, sed ipsum scire amat. Quod nisi haberet cognitum, neque scire se quisquam posset fidenter dicere, neque nescire. Non solum enim qui dicit, Scio et verum dicit, necesse est ut quid sit scire sciat: sed etiam qui dicit, Nescio, idque fidenter et verum dicit, et scit verum se dicere, scit utique quid sit scire: quia et discernit ab sciente nescientem, cum veraciter se intuens dicit, Nescio; et cum id se scit verum dicere, unde sciret, si quid sit scire nesciret?

CAPUT II. — 4. *Nemo prorsus amat incognita.* Quilibet igitur studiosus, quilibet curiosus non amat incognita, etiam cum ardentissimo appetitu instat scire quod nescit. Aut enim jam genere notum habet quod amat, idque nosse expetit, etiam in aliqua re singula, vel in singulis rebus, quæ illi nondum notæ forte laudantur, fingitque animo imaginariam formam qua excitetur in amorem. Unde autem fingit, nisi ex iis quæ jam noverat? Cujus tamen formæ animo figuratæ atque in cogitatione notissimæ, si eam quæ laudabatur dissimilem invenerit, fortasse non amabit. Quod si amaverit, ex illo amare incipiet ex quo didicit. Paulo ante quippe alia erat quæ amabatur,

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *significantium quamcumque ignorat.*

[2] Ita Am. et Mss. At Er. et Lov., *ut alienigenam.* Forte legendum, *nullumque ut alienigenam.*

[1] Sic plerique Mss. Editi vero, *non resistimus verbis.*

quam sibi animus formans exhibere consueverat. Si autem illi formæ similem invenerit quam fama prædicaverat, cui vere possit dicere, Jam te amabam; nec tunc utique amabat incognitam, quam in illa similitudine noverat. Aut in specie sempiternæ rationis videmus aliquid et ibi amamus, quod cum expressum in aliqua rei temporalis effigie, illis qui experti sunt laudantibus et credimus, et amamus, non aliquid amamus incognitum, unde jam supra satis disseruimus: aut aliquid notum amamus, propter quod ignotum aliquid quærimus: cujus ignoti amor nequaquam nos tenet, sed illius cogniti, quo pertinere novimus, ut illud etiam quod adhuc ignotum quærimus, noverimus; sicut de incognito verbo paulo ante locutus sum. Aut ipsum scire quisque amat, quod nulli scire aliquid cupienti esse incognitum potest. Iis causis videntur amare incognita, qui scire aliquid volunt quod nesciunt, et propter ardentiorem quærendi appetitum sine amore esse dici non possunt. Sed quam se res aliter habeat, neque omnino quidquam ametur incognitum, arbitror me persuasisse verum diligenter intuentibus. Sed quia exempla quæ dedimus, eorum sunt, qui aliquid quod ipsi non sunt nosse cupiunt; videndum est ne forte aliquod novum genus appareat, cum se ipsa mens nosse desiderat.

CAPUT III. — 5. *Quod mens amet se ipsam non incognitam sibi.* Quid ergo amat mens, cum ardenter se ipsam quærit ut noverit, dum incognita sibi est? Ecce enim mens semetipsam quærit ut noverit, et inflammatur hoc studio. Amat igitur: sed quid amat? Se ipsam? Quomodo, cum se nondum noverit, nec quisquam possit amare quod nescit? An ei fama prædicavit speciem suam, sicut de absentibus solemus audire? Forte ergo se non amat, sed quod de se fingit, hoc amat, longe fortasse aliud quam ipsa est: aut si se mens sui similem fingit, et ideo cum hoc figmentum amat, se amat antequam noverit; quia id quod sui simile est intuetur: novit igitur alias mentes ex quibus se fingat, et genere ipso sibi nota est. Cur ergo cum alias mentes novit, se non novit, cum se ipsa nihil sibi possit esse præsentius? Quod si ut oculis corporis magis alii oculi noti sunt, quam ipsi sibi; non se ergo quærat nunquam inventura. Nunquam enim se oculi præter specula videbunt: nec ullo modo putandum est etiam rebus incorporeis contemplandis tale aliquid adhiberi, ut mens tanquam in speculo se noverit. An in ratione veritatis æternæ videt quam speciosum sit nosse semetipsam, et hoc amat quod videt, studetque in se fieri? quia quamvis sibi nota non sit, notum tamen ei est quam bonum sit, ut sibi nota sit. Et hoc quidem permirabile est, nondum se nosse, et quam pulchrum sit se nosse, jam nosse. An aliquem finem optimum, id est securitatem et beatitudinem suam videt, per quamdam occultam memoriam, quæ in longinqua [1] eam progressam non deseruit, et credit ad eumdem finem, nisi se ipsam cognoverit, se pervenire non posse? Ita dum illud amat, hoc quærit: et notum amat illud, propter quod quærit ignotum. Sed cur memoria beatitudinis suæ potuit, et memoria sui cum ea perdurare non potuit, ut tam se nosset quæ vult pervenire, quam novit illud quo vult pervenire? An cum se nosse amat, non se quam nondum novit, sed ipsum nosse amat; acerbiusque tolerat se ipsam deesse scientiæ suæ, qua vult cuncta comprehendere? Novit autem quid sit nosse, et dum hoc amat quod novit, etiam se cupit nosse. Ubi ergo nosse suum novit, si se non novit? Nam novit quod alia noverit, se autem non noverit: hinc enim novit et quid sit nosse. Quo pacto igitur se aliquid scientem scit, quæ se ipsam nescit? Neque enim alteram mentem scientem scit, sed se ipsam. Scit igitur se ipsam. Deinde cum se quærit ut noverit, quærentem se jam novit. Jam se ergo novit. Quapropter non potest omnino nescire se, quæ dum se nescientem scit, se utique scit. Si autem se nescientem nesciat, non se quærit ut sciat. Quapropter eo ipso quo se quærit, magis se sibi notam quam ignotam esse convincitur. Novit enim se quærentem atque nescientem, dum se quærit ut noverit.

CAPUT IV. — 6. *Quomodo mens non ex parte, sed totam se cognoscat.* Quid ergo dicemus? an quod ex parte se novit, ex parte non novit? Sed absurdum est dicere, non eam totam scire quod scit. Non dico, Totum scit; sed quod scit, tota scit. Cum itaque aliquid de se scit, quod nisi tota non potest, totam se scit [1]. Scit autem se aliquid scientem, nec potest quidquam scire nisi tota. Scit se igitur totam. Deinde quid ejus ei tam notum est, quam se vivere? Non potest autem et mens esse, et non vivere, quando habet etiam amplius ut intelligat: nam et animæ bestiarum vivunt, sed non intelligunt. Sicut ergo mens tota mens est, sic tota vivit. Novit autem vivere se. Totam se igitur novit. Postremo cum se nosse mens quærit, mentem se esse jam novit: alioquin utrum se quærat ignorat, et aliud pro alio forsitan quærat [2]. Fieri enim potest ut ipsa non sit mens, atque ita dum mentem nosse quærit, non se ipsam quærat. Quapropter, quoniam cum quærit mens quid sit mens, novit quod se quærat, profecto novit quod ipsa sit mens. Porro si hoc in se novit quod mens est, et tota mens est, totam se novit. Sed ecce non se noverit esse mentem, cum autem se quærit, hoc tantummodo noverit quod se quærat. Potest enim etiam sic aliud pro alio quærere, si hoc nescit: ut autem non quærat aliud pro alio, procul dubio novit quid quærat. At si novit quid quærat, et se ipsam quærit, se ipsam utique novit. Quid ergo adhuc quærit? Quod si ex parte se novit, ex parte autem adhuc quærit, non se ipsam, sed partem suam quærit. Cum enim ea ipsa dicitur, tota dicitur. Deinde quia novit nondum se a se inventam totam, novit quanta sit tota. Atque ita quærit quod deest, quemadmodum solemus quærere, ut veniat in mentem quod excidit, nec tamen penitus excedit; quia potest recognosci, cum venerit, hoc esse quod quærebatur.

[1] Plerique Mss., *in longinquum.*

[1] Nonnulli Mss., *tota se scit.*
[2] Juxta Lov., *quærit.* M.

Sed quomodo mens veniat in mentem, quasi possit mens in mente non esse? Illuc accedit, quia si parte inventa, non se totam quærit, tamen tota se quærit. Tota ergo sibi præsto est, et quid adhuc quæratur non est: hoc enim deest quod quæritur, non illa quæ quærit. Cum itaque tota se quærit, nihil ejus deest. Aut si non tota se quærit, sed pars quæ inventa est quærit partem quæ nondum inventa est; non se ergo mens quærit, cujus se nulla pars quærit. Pars enim quæ inventa est, non se quærit: pars autem quæ nondum inventa est, nec ipsa se quærit, quoniam ab ea quæ jam inventa est parte quæritur. Quocirca, quia nec tota se mens quærit, nec pars ejus ulla se quærit, se mens omnino non quærit.

CAPUT V. — 7. *Animæ cur præceptum ut se cognoscat. Unde errores mentis de sua ipsius substantia.* Utquid ergo ei præceptum est, ut se ipsam cognoscat? Credo, ut se ipsam cogitet, et secundum naturam suam vivat, id est, ut secundum naturam suam ordinari appetat, sub eo scilicet cui subdenda est, supra ea quibus præponenda est; sub illo a quo regi debet, supra ea quæ regere debet. Multa enim per cupiditatem pravam, tanquam sui sit oblita, sic agit. Videt enim quædam intrinsecus pulchra, in præstantiore natura quæ Deus est: et cum stare debeat [1] ut eis fruatur, volens ea sibi tribuere, et non ex illo similis illius, sed ex se ipsa esse quod ille est, avertitur ab eo, moveturque et labitur in minus et minus, quod putat amplius et amplius; quia nec ipsa sibi, nec ei quidquam sufficit recedenti ab illo qui solus sufficit: ideoque per egestatem ac difficultatem fit nimis intenta in actiones suas et inquietas delectationes quas per eas colligit; atque ita cupiditate acquirendi notitias ex iis quæ foris sunt, quorum cognitum genus amat et sentit amitti posse, nisi impensa cura tenea-tur, perdit securitatem, tantoque se ipsam minus cogitat, quanto magis secura est quod se non possit amittere. Ita cum aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare (neque enim multarum doctrinarum peritum, ignorare grammaticam dicimus, cum eam non cogitat, quia de medicinæ arte tunc cogitat): cum ergo aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare, tanta vis est amoris, ut ea quæ cum amore diu cogitaverit, eisque curæ glutino inhæserit, attrahat secum etiam cum ad se cogitandam quodam modo redit. Et quia illa corpora sunt, quæ foris per sensus carnis adamavit, eorumque diuturna quadam familiaritate implicata est, nec secum potest introrsum tanquam in regionem incorporeæ naturæ ipsa corpora inferre, imagines eorum convolvit, et rapit factas in semetipsa de semetipsa. Dat enim eis formandis quiddam substantiæ suæ: servat autem aliquid quo libere de specie talium imaginum judicet, et hoc est magis mens, id est rationalis intelligentia, quæ servatur ut judicet. Nam illas animæ partes quæ corporum similitudinibus informantur, etiam cum bestiis nos communes habere sentimus.

CAPUT VI. — 8. *Fallax mentis de se ipsa existimatio.* Errat autem mens, cum se istis imaginibus tanto amore conjungit, ut etiam se esse aliquid hujusmodi existimet. Ita enim conformatur eis quodam modo, non id existendo, sed putando: non quo se imaginem putet; sed omnino illud ipsum cujus imaginem secum habet. Viget quippe in ea judicium discernendi corpus quod foris relinquit, ab imagine quam de illo secum gerit: nisi cum ita exprimuntur eædem imagines tanquam foris sentiantur, non intus cogitentur, sicut dormientibus, aut furentibus, aut in aliqua ecstasi accidere solet.

CAPUT VII. — 9. *Philosophorum opiniones de animæ substantia. Error opinantium animam esse corpoream, non venit ex eo quod anima eorum notitiæ desit, sed quod alienum quiddam adjungant. Invenire quid.* Cum itaque se tale aliquid putat, corpus esse se putat. Et quia sibi bene conscia est principatus sui quo corpus regit; hinc factum est ut quidam quærerent quid corporis amplius valeret in corpore, et hoc esse mentem, vel omnino totam animam existimarent [1]. Itaque alii sanguinem, alii cerebrum, alii cor, non sicut Scriptura dicit, *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo;* et, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (*Psal.* IX, CX, *et* CXXXVII; *Deut.* VI, 5, *et Matth.* XXII, 37): hoc enim abutendo vel transferendo vocabulum ducitur a corpore ad animam: sed ipsam omnino particulam corporis quam in visceribus dilaniatis videmus, eam esse putaverunt. Alii ex minutissimis individuisque corpusculis, quas atomos dicunt, concurrentibus in se atque cohærentibus, eam confici crediderunt. Alii aerem, alii ignem substantiam ejus esse dixerunt. Alii eam nullam esse substantiam, quia nisi corpus nullam substantiam poterant cogitare, et eam corpus esse non inveniebant: sed ipsam temperationem corporis nostri vel compagem primordiorum, quibus ista caro tanquam connectitur, esse opinati sunt. Eoque hi omnes eam mortalem esse senserunt, quia sive corpus esset, sive aliqua compositio corporis, non posset utique immortaliter permanere. Qui vero ejus substantiam vitam quamdam nequaquam corpoream; quandoquidem vitam omne vivum corpus animantem ac vivificantem esse repererunt; consequenter et immortalem, quia vita carere vita non potest, ut quisque potuit, probare conati sunt. Nam de quinto illo nescio quo corpore, quod notissimis quatuor hujus mundi elementis quidam conjungentes, hinc animam esse dixerunt, hoc loco diu disserendum non puto. Aut enim hoc vocant corpus quod nos, cujus in loci spatio pars toto minor est, et in illis annumerandi sunt qui mentem corpoream esse crediderunt: aut si vel omnem substantiam, vel omnem mutabilem substantiam corpus appellant, cum sciant non omnem locorum spatiis aliqua longitudine et latitudine et altitudine contineri, non cum eis de vocabuli quæstione pugnandum est.

[1] Editi, *instare debeat.* At Mss., *stare*; cui verbo mox illud infra respondet, *et labitur in minus.*

[1] Hic editi addunt, *ut Empedocles et Ericates opinati sunt*; quod omnino abest a manuscriptis.

10. In his omnibus sententiis quisquis videt mentis naturam et esse substantiam, et non esse corpoream, id est, non minore sui parte minus occupare loci spatium, majusque majore; simul oportet videat eos qui opinantur esse corpoream, non ob hoc errare, quod mens desit eorum notitiæ, sed quod adjungunt ea sine quibus nullam possunt cogitare naturam. Sine phantasiis enim corporum quidquid jussi fuerint [1] cogitare, nihil omnino esse arbitrantur. Ideoque non se, tanquam sibi desit, mens requirat. Quid enim tam cognitioni adest, quam id quod menti adest? aut quid tam menti adest, quam ipsa mens? Unde et ipsa quæ appellatur inventio, si verbi originem retractemus, quid aliud resonat, nisi quia invenire est in id venire quod quæritur? Propterea, quæ quasi ultro in mentem veniunt, non usitate dicuntur inventa, quamvis cognita dici possint; quia non in ea quærendo tendebamus, ut in ea veniremus, hoc est, ea inveniremus. Quapropter, sicut ea quæ oculis aut ullo alio corporis sensu requiruntur, ipsa mens quærit (ipsa enim etiam sensum carnis intendit, tunc autem invenit, cum in ea quæ requiruntur idem sensus venit): sic alia quæ non corporeo sensu internuntio, sed per se ipsam nosse debet, cum in ea venit, invenit; aut in superiore substantia, id est in Deo, aut in cæteris animæ partibus, sicut de ipsis imaginibus corporum cum judicat; intus enim in anima eas invenit per corpus impressas.

CAPUT VIII. — 11. *Quomodo se ipsam anima inquirat. Error animæ de se ipsa unde.* Ergo se ipsam quemadmodum quærat et inveniat, mirabilis quæstio est, quo tendat ut quærat, aut quo veniat ut inveniat. Quid enim tam in mente quam mens est? Sed quia in iis est quæ cum amore cogitat, sensibilibus autem, id est corporalibus, cum amore assuefacta est, non valet sine imaginibus eorum esse in semetipsa. Hinc ei oboritur erroris dedecus, dum rerum sensarum imagines secernere a se non potest, ut se solam videat. Cohæserunt enim mirabiliter glutino amoris: et hæc est ejus immunditia, quoniam dum se solam nititur cogitare, hoc se putat esse sine quo se non potest cogitare. Cum igitur ei præcipitur ut se ipsam cognoscat, non se tanquam sibi detracta sit quærat; sed id quod sibi addidit detrahat. Interior est enim ipsa, non solum quam ista sensibilia quæ manifeste foris sunt, sed etiam quam imagines eorum quæ in parte quadam sunt animæ, quam habent et bestiæ, quamvis intelligentia careant, quæ mentis est propria. Cum ergo sit mens interior, quodam modo exit a semetipsa, cum in hæc quasi vestigia multarum intentionum exserit amoris affectum. Quæ vestigia tanquam imprimuntur memoriæ, quando hæc quæ foris sunt corporalia sentiuntur, ut etiam cum absunt ista, præsto sint tamen imagines eorum cogitantibus. Cognoscat ergo semetipsam, nec quasi absentem se quærat, sed intentionem voluntatis qua per alia vagabatur, statuat in semetipsam [2], et se cognitet. Ita videbit quod nunquam se non amaverit, nunquam nescierit: sed aliud secum amando cum eo se confudit et concrevit quodam modo; atque ita dum sicut unum diversa complectitur, unum putavit esse quæ diversa sunt.

CAPUT IX. — 12. *Mens eo ipso se cognoscit, quo intelligit præceptum se cognoscendi.* Non itaque velut absentem se quærat cernere, sed præsentem se curet discernere. Nec se quasi non norit cognoscat, sed ab eo quod [1] alterum novit dignoscat. Ipsum enim quod audit, Cognosce te ipsam, quomodo agere curabit, si nescit, aut quid sit, Cognosce; aut quid sit, Te ipsam? Si autem utrumque novit, novit et se ipsam: quia non ita dicitur menti, Cognosce te ipsam, sicut dicitur, Cognosce Cherubim et Seraphim: de absentibus enim illis credimus, secundum quod cœlestes quædam potestates esse prædicantur. Neque sicut dicitur, Cognosce voluntatem illius hominis: quæ nobis nec ad sentiendum ullo modo, nec ad intelligendum præsto est, nisi corporalibus signis editis; et hoc ita, ut magis credamus, quam intelligamus. Neque ita ut dicitur homini, Vide faciem tuam: quod nisi in speculo fieri non potest. Nam et ipsa nostra facies absens ab aspectu nostro est, quia non ibi est quo ille dirigi potest. Sed cum dicitur menti, Cognosce te ipsam, eo ictu quo intelligit quod dictum est, Te ipsam, cognoscit se ipsam; nec ob aliud, quam eo quod sibi præsens est. Si autem quod dictum est non intelligit, non utique facit. Hoc igitur ei præcipitur ut faciat, quod cum ipsum præceptum intelligit, facit.

CAPUT X. — 13. *Mens omnis tria de se ipsa certo scit, intelligere, esse, et vivere.* Non ergo adjungat aliud ad id quod se ipsam cognoscit, cum audit ut se ipsam cognoscat. Certe enim novit sibi dici, sibi scilicet quæ est, et vivit, et intelligit. Sed est et cadaver, vivit et pecus: intelligit autem nec cadaver, nec pecus. Sic ergo se esse et vivere scit, quomodo est et vivit intelligentia. Cum ergo, verbi gratia, mens aerem se putat, aerem intelligere putat, se tamen intelligere scit: aerem autem se esse non scit, sed putat. Secernat quod se putat, cernat quod scit: hoc ei remaneat, unde ne illi quidem dubitaverunt, qui aliud atque aliud corpus esse mentem putaverunt. Neque enim omnis mens aerem se esse existimat, sed aliæ ignem, aliæ cerebrum, aliæque aliud corpus, et aliud aliæ, sicut supra commemoravi: omnes tamen se intelligere noverunt, et esse et vivere; sed intelligere ad id quod intelligunt referunt, esse autem et vivere ad se ipsas. Et nulli est dubium, nec quemquam intelligere qui non vivat, nec quemquam vivere qui non sit. Ergo consequenter et esse et vivere id quod intelligit, non sicuti est cadaver quod non vivit, nec sicuti vivit anima quæ non intelligit, sed proprio quodam eodemque præstantiore modo. Item velle se sciunt, neque hoc posse quemquam qui non sit et qui non vivat, pariter sciunt: itemque ipsam voluntatem referunt ad aliquid, quod

[1] Editi, *visi fuerint*. At Mss., *jussi fuerint*.
[2] Plerique Mss., *in se ipsa*.

[1] Sic Mss. At editi, *eo quo*.

ea voluntate volunt. Meminisse etiam se sciunt ; simulque sciunt quod nemo meminisset, nisi esset ac viveret : sed et ipsam memoriam ad aliquid referimus, quod ea meminimus. Duobus igitur horum trium, memoria et intelligentia, multarum rerum notitia atque scientia continentur : voluntas autem adest, per quam fruamur eis vel utamur. Fruimur enim cognitis, in quibus voluntas ipsis propter se ipsa delectata conquiescit : utimur vero eis quæ ad aliud referimus quo fruendum est. Nec est alia vita hominum vitiosa atque culpabilis, quam male utens et male fruens. De qua re non est nunc disserendi locus.

14. Sed quoniam de natura mentis agitur, removeamus a consideratione nostra omnes notitias quæ capiuntur extrinsecus per sensus corporis ; et ea quæ posuimus, omnes mentes de se ipsis nosse certasque esse, diligentius attendamus. Utrum enim aeris sit vis vivendi, reminiscendi, intelligendi, volendi, cogitandi, sciendi, judicandi ; an ignis, an cerebri, an sanguinis, an atomorum, an præter usitata quatuor elementa quinti nescio cujus corporis, an ipsius carnis nostræ compago vel temperamentum hæc efficere valeat, dubitaverunt homines : et alius hoc, alius aliud affirmare conatus est. Vivere se tamen et meminisse, et intelligere, et velle, et cogitare, et scire, et judicare quis dubitet ? Quandoquidem etiam si dubitat, vivit : si dubitat unde dubitet, meminit ; si dubitat, dubitare se intelligit ; si dubitat, certus esse vult ; si dubitat, cogitat ; si dubitat, scit se nescire ; si dubitat, judicat non se temere consentire oportere. Quisquis igitur aliunde dubitat, de his omnibus dubitare non debet : quæ si non essent, de ulla re dubitare non posset.

15. Hæc omnia, qui vel corpus vel compositionem seu temperationem corporis esse mentem putant, in subjecto esse volunt videri, ut substantia sit aer, vel ignis, sive aliquod aliud corpus, quod mentem putant ; intelligentia vero ita insit huic corpori, sicut qualitas ejus : ut illud subjectum sit, hæc in subjecto ; subjectum scilicet mens quam corpus esse arbitrantur, in subjecto autem intelligentia, sive quid aliud eorum quæ certa nobis esse commemoravimus. Juxta opinantur etiam illi qui mentem ipsam negant esse corpus, sed compaginem aut temperationem corporis. Hoc enim interest, quod illi mentem ipsam dicunt esse substantiam, in quo subjecto sit intelligentia : isti autem ipsam mentem in subjecto esse dicunt, corpore scilicet cujus compositio vel temperatio est. Unde consequenter etiam intelligentiam quid aliud quam in eodem subjecto corpore existimant ?

16. Qui omnes non advertunt, mentem nosse se etiam cum quærit se, sicut jam ostendimus. Nullo modo autem recte dicitur sciri aliqua res, dum ejus ignoratur substantia. Quapropter, cum se mens novit, substantiam suam novit ; et cum de se certa est, de substantia sua certa est. Certa est autem de se, sicut convincunt ea quæ supra dicta sunt. Nec omnino certa est, utrum aer, an ignis sit, an aliquod corpus, vel aliquid corporis. Non est igitur aliquid eorum : totumque illud quod se jubetur ut noverit, ad hoc pertinet ut certa sit non se esse aliquid eorum de quibus incerta est, idque solum esse se certa sit, quod solum esse se certa est. Sic enim cogitat ignem aut aerem, et quidquid aliud corporis cogitat. Neque ullo modo fieri posset ut ita cogitaret id quod ipsa est, quemadmodum cogitat, id quod ipsa non est. Per phantasiam quippe imaginariam cogitat hæc omnia, sive ignem, sive aerem, sive illud vel illud corpus, partemve illam, seu compaginem temperationemque corporis ; nec utique ista omnia, sed aliquid horum esse dicitur. Si quid autem horum esset, aliter id quam cætera cogitaret, non scilicet per imaginale figmentum, sicut cogitantur absentia, quæ sensu corporis tacta sunt, sive omnino ipsa, sive ejusdem generis aliqua ; sed quadam interiore, non simulata, sed vera præsentia (non enim quidquam illi est se ipsa præsentius) : sicut cogitat vivere se, et meminisse, et intelligere, et velle se. Novit enim hæc in se, nec imaginatur quasi extra se illa sensu tetigerit, sicut corporalia quæque tanguntur. Ex quorum cogitationibus si nihil sibi affingat, ut tale aliquid esse se putet, quidquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est.

CAPUT XI. — 17. *In memoria, intelligentia, et voluntate observatur ingenium, doctrina et usus. Memoria, intelligentia et voluntas unum sunt essentialiter, et tria relative.* Remotis igitur paulisper cæteris, quorum mens de se ipsa certa est, tria hæc potissimum considerata tractemus, memoriam, intelligentiam, voluntatem. In his enim tribus inspici solent etiam ingenia parvulorum cujusmodi præferant indolem. Quanto quippe tenacius et facilius puer meminit, quantoque acutius intelligit [1], et studet ardentius, tanto est laudabilioris ingenii. Cum vero de cujusque doctrina quæritur, non quanta firmitate ac facilitate meminerit, vel quanto acumine intelligat ; sed quid meminerit, et quid intelligat quæritur. Et quia non tantum quam doctus sit, consideratur laudabilis animus, sed etiam quam bonus : non tantum quid meminerit et quid intelligat, verum etiam quid velit attenditur ; non quanta flagrantia velit, sed quid velit prius, deinde quantum velit. Tunc enim laudandus est animus vehementer amans, cum id quod amat vehementer amandum est. Cum ergo dicuntur hæc tria, ingenium, doctrina, usus, primum horum consideratur in illis tribus, quid possit quisque memoria, intelligentia, et voluntate [2]. Secundum eorum consideratur, quid habeat quisque in memoria, et intelligentia, quo studiosa voluntate pervenerit. Jam vero usus tertius in voluntate est, pertractante illa quæ in memoria et intelligentia continentur, sive ad aliquid ea referat, sive eorum fine delectata conquiescat. Uti enim, est assumere aliquid in facultatem voluntatis : frui est autem, uti cum gaudio, non adhuc spei, sed jam rei. Proinde omnis qui fruitur, utitur ; assumit enim aliquid in facultatem voluntatis, cum fine delectationis ;

[1] Mss., *quantoque acrius intelligit.*
[2] Septem Mss. omittunt, *intelligentia et voluntate.*

non autem omnis qui utitur, fruitur; si id [1] quod in facultatem voluntatis assumit, non propter illud ipsum, sed propter aliud appetivit.

18. Hæc igitur tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens: consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia. Memoria quippe, quæ vita et mens et substantia dicitur, ad se ipsam dicitur: quod vero memoria dicitur, ad aliquid relative dicitur. Hoc de intelligentia quoque et de voluntate dixerim: et intelligentia quippe et voluntas ad aliquid dicuntur. Vita est autem unaquæque ad se ipsam, et mens, et essentia. Quocirca tria hæc eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia: et quidquid aliud ad se ipsa singula dicuntur, etiam simul, non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo vero tria, quo ad se invicem referuntur: quæ si æqualia non essent, non solum singula singulis, sed etiam omnibus singula; non utique se invicem caperent. Neque enim tantum a singulis singula, verum etiam a singulis omnia capiuntur. Memini enim me habere memoriam, et intelligentiam, et voluntatem; et intelligo me intelligere, et velle, atque meminisse; et volo me velle, et meminisse, et intelligere, totamque meam memoriam, et intelligentiam, et voluntatem simul memini. Quod enim memoriæ meæ non memini, non est in memoria mea. Nihil autem tam in memoria, quam ipsa memoria est. Totam igitur memini. Item quidquid intelligo, intelligere me scio, et scio me velle quidquid volo: quidquid autem scio memini. Totam igitur intelligentiam, totamque voluntatem meam memini. Similiter cum hæc tria intelligo, tota simul intelligo. Neque enim quidquam intelligibilium non intelligo, nisi quod ignoro. Quod autem ignoro, nec memini, nec volo. Quidquid itaque intelligibilium non intelligo, consequenter etiam nec memini, nec volo. Quidquid autem intelligibilium memini et volo, consequenter intelligo. Voluntas etiam mea totam intelligentiam totamque memoriam meam capit, dum toto utor quod intelligo et memini. Quapropter quando invicem a singulis et tota omnia capiuntur, æqualia sunt tota singula totis singulis, et tota singula simul omnibus totis; et hæc tria unum, una vita, una mens, una essentia.

CAPUT XII.—19. *Mens imago Trinitatis in sui ipsius memoria, intelligentia et voluntate.* Jamne igitur ascendendum est qualibuscumque intentionis viribus ad illam summam et altissimam essentiam, cujus impar imago est humana mens, sed tamen imago? an adhuc eadem tria distinctius declaranda sunt in anima, per illa quæ extrinsecus sensu corporis capimus, ubi temporaliter imprimitur rerum corporearum notitia? Mentem quippe ipsam in memoria et intelligentia et voluntate suimetipsius talem reperiebamus, ut quoniam semper se nosse semperque se ipsam velle comprehendebatur, simul etiam semper sui meminisse, semperque se ipsam intelligere et amare comprehenderetur; quamvis non semper se cogitare discretam ab eis quæ non sunt, quod ipsa est: ac per hoc difficile in ea dignoscitur memoria sui, et intelligentia sui. Quasi enim non sint hæc duo, sed unum duobus vocabulis appelletur, sic apparet in ea re ubi valde ista conjuncta sunt, et aliud alio nullo præceditur tempore: amorque ipse non ita sentitur esse, cum enim non prodit indigentia, quoniam semper [1] præsto est quod amatur. Quapropter etiam tardioribus dilucescere hæc possunt, dum ea tractantur quæ ad animum tempore accedunt et quæ illi temporaliter accidunt, cum meminit quod antea non meminerat, et cum videt quod antea non videbat, et cum amat quod antea non amabat. Sed aliud hæc tractatio jam poscit exordium, propter hujus libelli modum.

[1] Sic Mss. At editi, *sed id*.

[1] Editi, *non semper*. Delenda particula negans, quæ abest a Mss.

LIBER UNDECIMUS.

Trinitatis imago quædam monstratur etiam in exteriore homine: primo quidem in his quæ cernuntur extrinsecus; ex corpore scilicet quod videtur, et forma quæ inde in acie cernentis imprimitur, et utrumque copulantis intentione voluntatis: tametsi hæc tria neque inter se æqualia sint, neque unius substantiæ. Deinde in ipso animo ab his quæ extrinsecus sensa sunt, velut introducta observatur altera trinitas, seu tria quædam unius substantiæ; imaginatio corporis quæ in memoria est, et inde informatio cum ad eam convertitur acies cogitantis, et utrumque conjungens intentio voluntatis: quæ nimirum altera trinitas ad exteriorem quoque hominem pertinere dicitur quod de corporibus illata sit, quæ sentiuntur extrinsecus.

CAPUT PRIMUM.—1. *Vestigium Trinitatis etiam in exteriore homine.* Nemini dubium est, sicut interiorem hominem intelligentia, sic exteriorem sensu corporis præditum. Nitamur igitur, si possumus, in hoc quoque exteriore indagare qualecumque vestigium Trinitatis, non quia et ipse eodem modo sit imago Dei. Manifesta est quippe apostolica sententia, quæ interiorem hominem renovari in Dei agnitione [1] (*Coloss.* III, 10) declarat secundum imaginem ejus qui creavit eum: cum et alio loco dicat, *Et si exterior homo noster corrumpitur, tamen interior renovatur de die in diem* (II *Cor.* IV, 16).

[1] Nonnulli Mss., *in Dei agnitionem*.

In hoc ergo qui corrumpitur, quæramus, quemadmodum possumus, quamdam Trinitatis effigiem, et si non expressiorem, tamen fortassis ad dignoscendum faciliorem. Neque enim frustra et iste homo dicitur, nisi quia inest ei nonnulla interioris similitudo. Et illo ipso ordine conditionis nostræ quo mortales atque carnales effecti sumus, facilius et quasi familiarius visibilia quam intelligibilia pertractamus: cum ista sint exterius, illa interius, et ista sensu corporis sentiamus, illa mente intelligamus; nosque ipsi animi non sensibiles simus, id est, corpora, sed intelligibiles, quoniam vita sumus: tamen, ut dixi, tanta facta

est in corporibus consuetudo, et ita in hæc miro modo relabens foras se nostra projecit intentio, ut cum ab incerto corporum ablata fuerit, ut in spiritum [1] multo certiore ac stabiliore cognitione figatur, refugiat ad ista, et ibi appetat requiem unde traxit infirmitatem. Cujus ægritudini congruendum est : ut si quando interiora spiritualia accommodatius distinguere atque facilius insinuare conamur, de corporalibus exterioribus similitudinum documenta capiamus. Sensu igitur corporis exterior homo præditus sentit corpora : et iste sensus, quod facile advertitur, quinquepartitus est ; videndo, audiendo, olfaciendo, gustando, tangendo. Sed et multum est, et non necessarium, ut omnes hos quinque sensus id quod quærimus interrogemus. Quod enim nobis unus eorum renuntiat, etiam in cæteris valet. Itaque potissimum testimonio utamur oculorum. Is enim sensus corporis maxime excellit, et est visioni mentis pro sui generis diversitate vicinior.

CAPUT II. — 2. *Trinitas quædam in visione. Tria quæ in visione sunt, natura sua differre. Quomodo ex re visibili gignatur visio, seu imago ejus rei quæ videtur. Exemplo clarius res demonstratur. Quomodo tria illa in unum coeunt.* Cum igitur aliquod corpus videmus, hæc tria, quod facillimum est, consideranda sunt et dignoscenda. Primo, ipsa res quam videmus, sive lapidem, sive aliquam flammam, sive quid aliud quod videri oculis potest ; quod utique jam esse poterat, et antequam videretur : deinde, visio, quæ non erat priusquam rem illam objectam sensui sentiremus : tertio, quod in ea re quæ videtur, quamdiu videtur sensum detinet oculorum, id est, animi intentio. In his igitur tribus, non solum est manifesta distinctio, sed etiam discreta natura. Primum quippe illud corpus visibile longe alterius naturæ est, quam sensus oculorum, quo sibimet incidente fit visio. Ipsaque visio quid aliud, quam sensus ex ea re quæ sentitur informatus apparet ? Quamvis re visibili detracta nulla sit, nec ulla omnino esse possit talis visio, si corpus non sit quod videri queat : nullo modo tamen ejusdem substantiæ est corpus quo formatur sensus oculorum, cum idem corpus videtur, et ipsa forma quæ ab eodem imprimitur sensui, quæ visio vocatur. Corpus enim visum [2] in sua natura separabile est : sensus autem qui jam erat in animante, etiam priusquam videret quod videre posset, cum in aliquid visibile incurreret, vel visio quæ fit in sensu ex visibili corpore, cum jam conjunctum est et videtur ; sensus ergo vel visio, id est sensus formatus extrinsecus ad animantis naturam pertinet, omnino aliam quam est illud corpus quod videndo sentimus, quo sensus non ita formatur ut sensus sit, sed ut visio sit. Nam sensus et ante objectum rei sensibilis nisi esset in nobis, non distaremus a cæcis, dum nihil videmus, sive in tenebris, sive clausis luminibus. Hoc autem distamus, quod nobis inest et non videntibus, quo videre possimus, qui sensus vocatur : illis vero non inest ; nec aliunde, nisi quod eo carent, cæci appellantur. Itemque illa animi intentio, quæ in ea re quam videmus sensum tenet, atque utrumque conjungit, non tantum ab ea re visibili natura differt ; quandoquidem iste animus, illud corpus est : sed ab ipso quoque sensu atque visione : quoniam solius animi est hæc intentio : sensus autem oculorum non ob aliud sensus corporis dicitur, nisi quia et ipsi oculi membra sunt corporis : et quamvis non sentiat corpus exanime, anima tamen commixta corpori per instrumentum sentit corporeum, et idem instrumentum sensus vocatur. Qui etiam passione corporis, cum quisque excæcatur, interceptus exstinguitur, cum idem maneat animus, et ejus intentio, luminibus amissis, non habeat quidem sensum corporis quem videndo extrinsecus corpori adjungat atque in eo viso figat aspectum, nisu tamen ipso indicet se adempto corporis sensu, nec perire potuisse, nec minui. Manet enim quidam videndi appetitus integer, sive id possit fieri, sive non possit. Hæc igitur tria, corpus quod videtur, et ipsa visio, et quæ utrumque conjungit intentio, manifesta sunt ad dignoscendum, non solum propter propria singulorum, verum etiam propter differentiam naturarum.

3. Atque in his cum sensus non procedat ex corpore illo quod videtur, sed ex corpore sentientis animantis, cui anima suo quodam miro modo contemperatur : tamen ex corpore quod videtur gignitur visio, id est, sensus ipse formatur ; ut jam non tantum sensus qui etiam in tenebris esse integer potest, dum est incolumitas oculorum, sed etiam sensus informatus sit, quæ visio vocatur. Gignitur ergo ex re visibili visio, sed non ex sola, nisi adsit et videns. Quocirca ex visibili et vidente gignitur visio, ita sane ut ex vidente sit sensus oculorum, et aspicientis atque intuentis intentio : illa tamen informatio sensus, quæ visio dicitur, a solo imprimatur corpore quod videtur, id est, a re aliqua visibili : qua detracta, nulla remanet forma quæ inerat sensui, dum adesset illud quod videbatur : sensus tamen ipse remanet qui erat et priusquam aliquid sentiretur ; velut in aqua vestigium tamdiu est, donec ipsum corpus quod imprimitur inest ; quo ablato nullum erit, cum remaneat aqua, quæ erat et antequam illam formam corporis caperet. Ideoque non possumus quidem dicere quod sensum gignat res visibilis : gignit tamen formam velut similitudinem suam, quæ fit in sensu, cum aliquid videndo sentimus. Sed formam corporis quod videmus, et formam quæ ab illa in sensu videntis fit, per eumdem sensum non discernimus ; quoniam tanta conjunctio est, ut non pateat discernendi locus. Sed ratione colligimus nequaquam nos potuisse sentire, nisi fieret in sensu nostro aliqua similitudo conspecti corporis. Neque enim cum annulus ceræ imprimitur, ideo nulla imago facta est, quia non discernitur, nisi cum fuerit separata. Sed quoniam post ceram separatam manet quod factum est ut videri possit, propterea facile persuadetur, quod inerat jam ceræ forma impressa ex annulo et antequam ab illa separaretur. Si autem liquido

[1] Plerique Mss., *ut in spiritu.*
[2] Codices aliquot, *a visu.*

humori adjungeretur annulus, eo detracto nihil imaginis appareret : nec ideo tamen discernere ratio non [1] deberet, fuisse in illo humore, antequam detraheretur, annuli formam factam ex annulo, quæ distinguenda est ab ea forma quæ in annulo est, unde ista facta est quæ detracto annulo non erit, quamvis illa in annulo maneat unde ista facta est. Sic sensus oculorum non ideo non habet imaginem corporis quod videtur quamdiu videtur, quia eo detracto non remanet. Ac per hoc tardioribus ingeniis difficillime persuaderi potest, formari in sensu nostro imaginem rei visibilis, cum eam videmus, et eamdem formam esse visionem.

4. Sed qui forte adverterint quod commemorabo, non ita in hac inquisitione laborabunt. Plerumque cum diuscule attenderimus quæque luminaria, et deinde oculos clauserimus, quasi versantur in conspectu quidam lucidi colores varie sese commutantes, et minus minusque fulgentes, donec omnino desistant : quos intelligendum est reliquias esse formæ illius quæ facta erat in sensu, cum corpus lucidum videretur, paulatimque et quodam modo gradatim deficiendo variari. Nam et insertarum fenestrarum cancelli, si eos forte intuebamur, sæpe in illis apparuere coloribus : ut manifestum sit, hanc affectionem nostro sensui ex ea re quæ videbatur impressam. Erat ergo etiam cum videremus, et illa erat clarior et expressior; sed multum conjuncta cum specie rei ejus quæ cernebatur, ut discerni omnino non posset; et ipsa erat visio. Quin etiam cum lucernæ flammula modo quodam divaricatis radiis oculorum quasi geminatur, duæ visiones fiunt, cum sit res una quæ videtur. Singillatim quippe afficiuntur idem radii de suo quisque oculo emicantes, dum non sinuntur in illud corpus intuendum pariter conjuncteque concurrere, ut unus fiat ex utroque contuitus. Et ideo si unum oculum clauserimus, non geminum ignem, sed sicuti est unum videbimus. Cur autem sinistro clauso illa species desinit videri quæ ad dextrum erat, vicissimque dextro clauso illa intermoritur quæ ad sinistrum erat, et longum est et rei præsenti non necessarium modo quærere atque disserere. Quod enim ad susceptam quæstionem satis est; nisi fieret in sensu nostro quædam imago simillima rei ejus quam cernimus, non secundum oculorum numerum flammæ species geminaretur, cum quidam cernendi modus adhibitus fuerit, qui possit concursum separare radiorum. Ex uno quippe oculo quolibet modo deducto, aut impresso, aut intorto, si alter clausus est, dupliciter videri aliquid quod sit unum nullo pacto potest.

5. Quæ cum ita sint, tria hæc quamvis diversa natura, quemadmodum in quamdam unitatem contemperentur meminerimus; id est, species corporis quæ videtur, et impressa ejus imago sensui quod est visio sensusve formatus, et voluntas animi quæ rei sensibili sensum admovet, in eoque ipsam visionem tenet. Horum primum, id est, res ipsa visibilis non pertinet ad animantis naturam, nisi cum corpus nostrum cernimus. Alterum autem ita pertinet, ut in corpore fiat, et per corpus in anima : fit enim in sensu, qui neque sine corpore est, neque sine anima. Tertium vero solius animæ est, quia voluntas est. Cum igitur horum trium tam diversæ substantiæ sint, tamen in tantam coeunt unitatem, ut duo priora vix intercedente judice ratione discerni valeant, species videlicet corporis quod videtur, et imago ejus quæ fit in sensu, id est, visio. Voluntas autem tantam vim habet copulandi hæc duo, ut et sensum formandum admoveat ei rei quæ cernitur, et in ea formatum teneat. Et si tam violenta est, ut possit vocari amor, aut cupiditas, aut libido, etiam cæterum corpus animantis vehementer afficit : et ubi non resistit pigrior duriorque materies, in similem speciem coloremque commutat. Licet videre corpusculum chamæleontis ad colores quos videt facillima conversione variari. Aliorum autem animalium quia non est ad conversionem facilis corpulentia, fetus plerumque produnt libidines matrum, quid cum magna delectatione consuerint. Quam enim teneriora, atque, ut ita dixerim, formabiliora sunt primordia seminum, tam efficaciter et capaciter sequuntur intentionem maternæ animæ, et quæ in ea facta est phantasiam per corpus quod cupide aspexit. Sunt exempla quæ copiose commemorari possint : sed unum sufficit de fidelissimis Libris, quod fecit Jacob, ut oves et capræ varios coloribus parerent, supponendo eis variata virgulta in canalibus aquarum, quæ potantes intuerentur eo tempore quo conceperant (*Gen.* xxx, 37-41).

CAPUT III. — 6. *Trium unitas in cogitatione fit memoriæ, internæ visionis, et voluntatis utrumque copulantis.* Sed anima rationalis deformiter vivit, cum secundum trinitatem exterioris hominis vivit; id est, cum ad ea quæ forinsecus sensum corporis formant, non laudabilem voluntatem, qua hæc ad utile aliquid referat, sed turpem cupiditatem qua his inhærescat, accommodat. Quia etiam detracta specie corporis quæ corporaliter sentiebatur, remanet in memoria similitudo ejus, quo rursus voluntas convertat aciem, ut inde formetur intrinsecus, sicut ex corpore objecto sensibili sensus extrinsecus formabatur. Atque ita fit illa trinitas ex memoria, et interna visione, et quæ utrumque copulat voluntate. Quæ tria cum in unum coguntur, ab ipso coactu cogitatio dicitur. Nec jam in his tribus diversa substantia est. Neque enim aut corpus illud sensibile ibi est, quod omnino discretum est ab animantis natura, aut sensus corporis ibi formatur ut fiat visio, aut ipsa voluntas id agit ut formandum sensum sensibili corpori admoveat, in eoque formatum detineat : sed pro illa specie corporis quæ sentiebatur extrinsecus, succedit memoria retinens illam speciem quam per corporis sensum combibit anima; proque illa visione quæ foris erat cum sensus ex corpore sensibili formaretur, succedit intus similis visio, cum ex eo quod memoria tenet, formatur acies animi, et absentia corpora cogitantur : voluntasque ipsa

[1] Vox, *non*, redundare videtur. Forte sic, transpositis vocibus, *nec*, et, *non*, legendus est hic locus : *Non ideo tamen discernere ratio deberet, fuisse in illo humore, antequam detraheretur, nec annuli formam factam ex annulo*, etc. M.

quomodo foris corpori objecto formandum sensum admovebat, formatumque jungebat, sic aciem recordantis animi convertit ad memoriam, ut ex eo quod illa retinuit, ista formetur, et sit [1] in cogitatione similis visio. Sicut autem ratione discernebatur species visibilis qua sensus corporis formabatur, et ejus similitudo quæ fiebat in sensu formato ut esset visio (alioquin ita erant conjunctæ, ut omnino una eademque putaretur) : sic illa phantasia, cum animus cogitat speciem visi corporis, cum constet ex corporis similitudine quam memoria tenet, et ex ea quæ inde formatur in acie recordantis animi; tamen sic una et singularis apparet, ut duo quædam esse non inveniantur nisi judicante ratione, qua intelligimus aliud esse illud quod in memoria manet, etiam cum aliunde cogitamus, et aliud fieri cum recordamur, id est, ad memoriam redimus, et illic invenimus eamdem speciem. Quæ si jam non ibi esset, ita oblitos nos esse diceremus, ut omnino recolere non possemus. Si autem acies recordantis non formaretur ex ea re quæ erat in memoria, nullo modo fieret visio cogitantis : sed utriusque conjunctio, id est, ejus quam memoria tenet, et ejus quæ inde exprimitur ut formetur acies recordantis, quia simillimæ sunt, veluti unam facit apparere. Cum autem cogitantis acies aversa inde fuerit, atque id quod in memoria cernebatur destiterit intueri, nihil formæ quæ impressa erat in eadem acie remanebit : atque inde formabitur, quo rursus conversa fuerit ut alia cogitatio fiat. Manet tamen illud quod reliquit in memoria, quo rursus cum id recordamur convertatur, et conversa formetur, atque unum cum eo fiat unde formatur.

CAPUT IV. — 7. *Quomodo fit hæc unitas.* Voluntas vero illa quæ hac atque illac fert et refert aciem formandam, conjungitque formatam, si ad interiorem phantasiam tota confluxerit, atque a præsentia corporum quæ circumjacent sensibus, atque ab ipsis sensibus corporis, animi aciem omnino averterit, atque ad eam quæ intus cernitur imaginem penitus converterit; tanta offenditur [2] similitudo speciei corporalis expressa ex memoria, ut nec ipsa ratio discernere sinatur, utrum foris corpus ipsum videatur, an intus tale aliquid cogitetur. Nam interdum homines nimia cogitatione rerum visibilium vel illecti, vel territi, etiam ejusmodi repente voces ediderunt, quasi revera in mediis talibus actionibus sive passionibus versarentur. Et memini me audisse a quodam, quod tam expressam et quasi solidam speciem feminei corporis in cogitando cernere soleret, ut ei se quasi misceri sentiens, etiam genitalibus flueret. Tantum habet virium anima in corpus suum, et tantum valet ad indumenti qualitatem vertendam atque mutandam, quomodo homo afficiatur indutus, qui cohæret indumento suo. Ex eodem genere affectionis etiam illud est, quod in somnis per imagines ludimur. Sed plurimum differt, utrum sopitis sensibus corporis, sicuti sunt dormientium, aut ab interiore compage turbatis, sicuti sunt furentium, aut alio quodam modo alienatis, sicuti sunt divinantium, vel prophetantium, animi intentio quadam necessitate incurrat in eas quæ occurrunt imagines, sive ex memoria, sive alia aliqua occulta vi, per quasdam spirituales mixturas similiter spiritualis substantiæ; an sicut sanis atque vigilantibus interdum contingit, ut cogitatione occupata voluntas se avertat a sensibus, atque ita formet animi aciem variis imaginibus sensibilium rerum, tanquam ipsa sensibilia sentiantur. Non tantum autem cum appetendo in talia voluntas intenditur, fiunt istæ impressiones imaginum; sed etiam cum devitandi et cavendi causa rapitur animus in ea contuenda quæ fugiat. Unde non solum cupiendo, sed etiam metuendo, infertur vel sensus ipsis sensibilibus, vel acies animi formanda imaginibus sensibilium. Itaque aut metus aut cupiditas quanto vehementior fuerit, tanto expressius formatur acies, sive sentientis ex corpore quod in loco adjacet, sive cogitantis ex imagine corporis quæ memoria continetur. Quod ergo est ad corporis sensum aliquod corpus in loco; hoc est ad animi aciem similitudo corporis in memoria : et quod est aspicientis visio ad eam speciem corporis ex qua sensus formatur; hoc est visio cogitantis ad imaginem corporis in memoria constitutam ex qua formatur acies animi : et quod est intentio voluntatis ad corpus visum visionemque copulandam, ut fiat ibi quædam unitas trium, quamvis eorum sit diversa natura; hoc est eadem voluntatis intentio ad copulandam imaginem corporis quæ est in memoria, et visionem cogitantis, id est, formam quam capit acies animi rediens ad memoriam : ut fiat et hic quædam unitas ex tribus, non jam naturæ diversitate discretis, sed unius ejusdemque substantiæ; quia hoc totum intus est, et totum unus animus.

CAPUT V. — 8. *Trinitas hominis exterioris, seu visionis externæ, non est imago Dei. Dei similitudo etiam in peccatis appetitur. In externa visione est quasi pareus forma corporis, proles visio, ea vero conjungens voluntas insinuat Spiritum sanctum.* Sicut autem cum forma et species corporis interierit, non potest ad eam voluntas sensum revocare cernentis : ita cum imago quam memoria gerit, oblivione deleta est, non erit quo aciem animi formandam voluntas recordando retorqueat. Sed quia prævalet animus, non solum oblita, verum etiam non sensa nec experta confingere, ea quæ non exciderunt augendo, minuendo, commutando, et pro arbitrio componendo, sæpe imaginatur quasi ita aliquid sit, quod aut scit non ita esse, aut nescit ita esse. In quo genere cavendum est, ne aut mentiatur ut decipiat, aut opinetur ut decipiatur. Quibus duobus malis evitatis, nihil ei obsunt imaginata phantasmata : sicut nihil obsunt experta sensibilia et retenta memoriter, si neque cupide appetantur si juvant, neque turpiter fugiantur si offendunt. Cum autem in his voluntas relictis melioribus avida volutatur, immunda fit : atque ita et cum adsunt perniciose, et cum absunt perniciosius cogitantur. Male itaque vivitur et deformiter secundum

[1] Plerique Mss., *et fit.*
[2] Plures Mss., *offenditur.* Et nonnulli, *confunditur.*

trinitatem hominis exterioris : quia et illam trinitatem, quæ licet interius imaginetur, exteriora tamen imaginatur, sensibilium corporaliumque utendorum causa peperit. Nullus enim eis uti posset etiam bene, nisi sensarum rerum imagines memoria tenerentur : et nisi pars maxima voluntatis in superioribus atque interioribus habitet, eaque ipsa quæ commodatur, sive foris corporibus, sive intus imaginibus eorum, nisi quidquid in eis capit ad meliorem verioremque vitam referat, atque in eo fine cujus intuitu hæc agenda judicat, acquiescat, quid aliud facimus, nisi quod nos Apostolus facere prohibet, dicens, *Nolite conformari huic sæculo* (*Rom.* XII, 2)? Quapropter non est ista trinitas imago Dei : ex ultima quippe, id est corporea creatura, qua superior est anima, in ipsa anima fit per sensum corporis. Nec tamen est omnino dissimilis : quid enim non pro suo genere ac pro suo modulo habet similitudinem Dei, quandoquidem Deus fecit omnia bona valde (*Eccli.* XXXIX, 21), non ob aliud nisi quia ipse summe bonus est? In quantum ergo bonum est quidquid est, in tantum scilicet, quamvis longe distantem, habet tamen nonnullam similitudinem summi boni; et si naturalem, utique rectam et ordinatam; si autem vitiosam, utique turpem atque perversam. Nam et animæ in ipsis peccatis suis non nisi quamdam similitudinem Dei, superba et præpostera, et, ut ita dicam, servili libertate sectantur. Ita nec primis parentibus nostris persuaderi peccatum posset, nisi diceretur, *Eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5). Non sane omne quod in creaturis aliquo modo simile est Deo, etiam ejus imago dicenda est : sed illa sola qua superior ipse solus est. Ea quippe de illo prorsus exprimitur, inter quam et ipsum nulla interjecta natura est.

9. Visionis igitur illius, id est formæ quæ fit in sensu cernentis, quasi parens est forma corporis ex qua fit. Sed parens illa non vera; unde nec ista vera proles est : neque enim omnino inde gignitur, quoniam aliquid aliud adhibetur corpori, ut ex illo formetur, id est sensus videntis. Quocirca id amare, alienari est (*a*). Itaque voluntas quæ utrumque conjungit quasi parentem et quasi prolem, magis spiritualis est quam utrumlibet illorum. Nam corpus illud quod cernitur, omnino spirituale non est. Visio vero quæ fit in sensu habet admixtum aliquid spirituale, quia sine anima fieri non potest. Sed non totum ita est : quoniam ille qui formatur, corporis sensus est. Voluntas ergo quæ utrumque conjungit, magis, ut dixi, spiritualis agnoscitur, et ideo tanquam personam Spiritus insinuare incipit in illa trinitate. Sed magis pertinet ad sensum formatum, quam ad illud corpus unde formatur. Sensus enim animantis et voluntas animæ est, non lapidis aut alicujus corporis quod videtur. Non ergo ab illo quasi parente procedit; sed nec ab ista quasi prole, hoc est, visione ac forma quæ in sensu est. Prius enim quam visio fieret, jam erat voluntas, quæ formandum sensum cernendo corpori admovit : sed nondum erat placitum. Quomodo enim placeret, quod nondum erat visum? Placitum autem quieta voluntas est. Ideoque nec quasi prolem visionis possumus dicere voluntatem, quia erat ante visionem; nec quasi parentem, quia non ex voluntate, sed ex viso corpore formata et expressa est.

CAPUT VI. — 10. *Requies et finis voluntatis in visione qualis censeri debeat.* Finem fortasse voluntatis et requiem possumus recte dicere visionem, ad hoc duntaxat unum [1]. Neque enim propterea nihil aliud volet, quia videt aliquid quod volebat. Non itaque omnino ipsa voluntas hominis, cujus finis non est nisi beatitudo, sed ad hoc unum interim [2] voluntas videndi finem non habet nisi visionem, sive id referat ad aliud, sive non referat. Si enim non refert ad aliud visionem, sed tantum voluit ut videret; non est disputandum quomodo ostendatur finem voluntatis esse visionem : manifestum est enim. Si autem refert ad aliud, vult utique aliud, nec jam videndi voluntas erit : aut si videndi, non hoc videndi. Tanquam si velit quisque videre cicatricem, ut inde doceat vulnus fuisse; aut si velit videre fenestram, ut per fenestram videat transeuntes : omnes istæ atque aliæ tales voluntates suos proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis qua volumus beate vivere, et ad eam pervenire vitam quæ non referatur ad aliud, sed amanti per se ipsam sufficiat. Voluntas ergo videndi, finem habet visionem : et voluntas hanc rem videndi, finem habet hujus rei visionem. Voluntas itaque videndi cicatricem, finem suum expetit, hoc est visionem cicatricis, et ad eam ultra non pertinet : voluntas enim probandi vulnus fuisse, alia voluntas est, quamvis ex illa religetur, cujus item finis est probatio vulneris. Et voluntas videndi fenestram, finem habet fenestræ visionem : altera est enim quæ ex ista nectitur voluntas, per fenestram videndi transeuntes, cujus item finis est visio transeuntium. Rectæ autem sunt voluntates et omnes sibimet religatæ [3], si bona est illa quo cunctæ referuntur : si autem prava est, pravæ sunt omnes. Et ideo rectarum voluntatum connexio iter est quoddam ascendentium ad beatitudinem, quod certis velut passibus agitur : pravarum autem atque distortarum voluntatum implicatio, vinculum est quo alligabitur qui hoc agit, ut projiciatur in tenebras exteriores (*Matth.* XXII, 13). Beati ergo qui factis et moribus cantant canticum graduum : et væ iis qui trahunt peccata, sicut restem longam (*Isai.* V, 18). Sic est autem requies voluntatis quem dicimus finem, si adhuc refertur ad aliud, quemadmodum possumus dicere requiem pedis esse in ambulando, cum ponitur unde alius innitatur quo passibus pergitur [4]. Si autem aliquid ita placet, ut in eo cum aliqua delectatione voluntas acquiescat; nondum est tamen illud quo tenditur, sed et hoc refertur ad aliud, ut deputetur non tanquam patria civis; sed tanquam refectio, vel etiam mansio viatoris.

(*a*) II Retract., cap. 15.

[1] Hic editi addunt, *scilicet videndum corpus.*
[2] Addunt editi, *scilicet subjectum*; quod a Mss. abest.
[3] Sic Mss. At editi: *Recte autem sunt voluntates omnes sibimet religatæ.*
[4] In Mss., *cum passibus pergitur.*

CAPUT VII. — 11. *Trinitas alia in memoria recogitantis de visione.* Jam vero in alia trinitate, interiore quidem, quam est ista in sensibilibus et sensibus, sed tamen quæ inde concepta est, cum jam non ex corpore sensus corporis, sed ex memoria formatur acies animi, cum in ipsa memoria species inhæserit corporis quod forinsecus sensimus, illam speciem quæ in memoria est, quasi parentem dicimus ejus quæ fit in phantasia cogitantis. Erat enim in memoria et priusquam cogitaretur a nobis, sicut erat corpus in loco et priusquam sentiretur, ut visio fieret. Sed cum cogitatur, ex illa quam memoria tenet, exprimitur in acie cogitantis, et reminiscendo formatur ea species, quæ quasi proles est ejus quam memoria tenet. Sed neque illa vera parens, neque ista vera proles est. Acies quippe animi quæ formatur ex memoria cum recordando aliquid cogitamus, non ex ea specie procedit quam meminimus visam; quandoquidem eorum [1] meminisse non possemus, nisi vidissemus: acies autem animi quæ reminiscendo formatur, erat etiam priusquam corpus quod meminimus videremus; quanto magis priusquam id memoriæ mandaremus? Quanquam itaque forma quæ fit in acie recordantis, ex ea fiat quæ inest memoriæ; ipsa tamen acies non inde existit, sed erat ante istam [2]. Consequens est autem, ut si non est illa vera parens, nec ista vera sit proles. Sed et illa quasi parens, et ista quasi proles aliquid insinuant, unde interiora atque veriora exercitatius certiusque videantur.

12. Difficilius jam plane discernitur, utrum voluntas quæ memoriæ copulat visionem, non sit alicujus eorum sive parens sive proles: et hanc discretionis difficultatem facit ejusdem naturæ atque substantiæ parilitas et æqualitas. Neque enim, sicut foris facile discernebatur formatus sensus a sensibili corpore, et voluntas ab utroque, propter naturæ diversitatem quæ inest ab invicem omnibus tribus, de qua satis supra disseruimus, ita et hic potest. Quamvis enim hæc trinitas, de qua nunc quæritur, forinsecus invecta est animo; intus tamen agitur, et non est quidquam ejus præter ipsius animi naturam. Quo igitur pacto demonstrari potest, voluntatem nec quasi parentem, nec quasi prolem esse, sive corporeæ similitudinis quæ memoria continetur, sive ejus quæ inde cum recordamur exprimitur, quando utrumque in cogitando ita copulat, ut tanquam unum singulariter appareat, et discerni nisi ratione non possit? Atque illud primum videndum est, non esse posse voluntatem reminiscendi, nisi vel totum, vel aliquid rei ejus quam reminisci volumus, in penetralibus memoriæ teneamus. Quod enim omni modo et omni ex parte obliti fuerimus, nec reminiscendi voluntas exoritur: quoniam quidquid recordari volumus, recordati jam sumus in memoria nostra esse vel fuisse. Verbi gratia, si recordari voto quid heri cœnaverim, aut recordatus jam sum cœnasse me, aut si et hoc nondum, certe circa ipsum tempus aliquid recordatus sum, si nihil aliud, ipsum saltem hesternum diem, et ejus eam partem qua cœnari solet, et quid sit cœnare. Nam si nihil tale recordatus essem, quid heri cœnaverim, recordari velle non possem. Unde intelligi potest, voluntatem reminiscendi ab iis quidem rebus quæ memoria continentur procedere, adjunctis simul eis quæ inde per recordationem cernendo exprimuntur, id est, ex copulatione rei cujusdam quam recordati sumus, et visionis quæ inde facta est in acie cogitantis cum recordati sumus. Sed ipsa quæ utrumque copulat voluntas, requirit et aliud quod quasi vicinum est atque contiguum recordanti. Tot igitur hujus generis trinitates, quot recordationes, quia nulla est earum ubi non hæc tria sint; illud quod in memoria reconditum est etiam antequam cogitetur, et illud quod fit in cogitatione cum cernitur, et voluntas utrumque conjungens, et ex utroque ac tertia se ipsa unum aliquid complens. An potius ita cognoscitur una quædam in hoc genere trinitas, ut unum aliquid generaliter dicamus quidquid corporalium specierum in memoria latet, et rursus unum aliquid generalem visionem animi talia recordantis atque cogitantis, quorum duorum copulationi tertia conjungitur copulatrix voluntas, ut sit hoc totum unum quiddam ex quibusdam tribus?

CAPUT VIII. — *Varia cogitandi ratio* Sed quoniam non potest acies animi simul omnia quæ memoria tenet, uno aspectu contueri, alternant [1] vicissim cedendo ac succedendo trinitates cogitationum, atque ita fit ista innumerabiliter numerosissima trinitas: nec tamen infinita, si numerus in memoria reconditarum rerum non excedatur. Ex quo enim cœpit unusquisque sentire corpora quolibet corporis sensu, etiam si posset adjungere quorum oblitus est, certus ac determinatus profecto numerus foret, quamvis innumerabilis. Dicimus enim innumerabilia, non solum infinita, sed etiam quæ ita finita sunt, ut facultatem numerantis excedant.

13. Sed hinc adverti aliquanto manifestius potest, aliud esse quod reconditum memoria tenet, et aliud quod inde in cogitatione recordantis exprimitur, quamvis cum fit utriusque copulatio, unum idemque videatur: quia meminisse non possumus corporum species, nisi tot quot sensimus, et quantas sensimus, et sicut sensimus: ex corporis enim sensu eas in memoriam [2] combibit animus: visiones tamen illæ cogitantium [3] ex iis quidem rebus quæ sunt in memoria, sed tamen innumerabiliter atque omnino infinite multiplicantur atque variantur. Unum quippe solem memini, quia sicuti est, unum vidi: si voluero autem, duos cogito, vel tres, vel quotquot volo; sed ex eadem memoria qua unum memini formatur acies multos cogitantis. Et tantum memini, quantum vidi. Si enim majorem vel minorem memini, quam vidi, jam non memini quod vidi, et ideo nec memini. Quia vero

[1] Lov., *ejus.* At editi alii et Mss., *eorum*, id est, et corporis visi et speciei memoriæ commendatæ.
[2] Aliquot Mss., *ante ista.*

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *alternet.* M.
[2] Nonnulli Mss, *in memoria.*
[3] Juxta Lov., *cogitationum.* M.

memini, tantum memini quantum vidi, vel majorem tamen pro voluntate cogito, vel minorem : et ita memini, ut vidi ; cogito autem sicut volo currentem, et ubi volo stantem, unde volo et quo volo venientem. Quadrum etiam mihi cogitare, in promptu est, cum meminerim rotundum ; et cujuslibet coloris, cum solem viridem nunquam viderim, et ideo nec meminerim : atque ut solem, ita cætera. Hæ autem rerum formæ, quoniam corporales atque sensibiles sunt, errat quidem animus, cum eas opinatur eo modo foris esse, quomodo intus cogitat, vel cum jam intericrunt foris, et adhuc in memoria retinentur, vel cum aliter etiam, quod meminimus, non recordandi fide, sed cogitandi varietate formatur.

14. Quanquam sæpissime credamus etiam vera narrantibus, quæ ipsi sensibus perceperunt. Quæ cum in ipso auditu quando narrantur cogitamus, non videtur ad memoriam retorqueri acies, ut fiant visiones cogitantium : neque enim ea nobis recordantibus, sed alio narrante cogitamus : atque illa trinitas non hic videtur expleri, quæ fit cum species in memoria latens et visio recordantis tertia voluntate copulantur. Non enim quod latebat in memoria mea, sed quod audio, cogito, cum aliquid mihi narratur. Non ipsas voces loquentis dico, ne quisquam putet in illam me exisse trinitatem, quæ foris in sensibilibus et in sensibus agitur : sed eas cogito corporum species, quas narrans verbis sonisque significat ; quas utique non reminiscens, sed audiens cogito. Sed si diligentius consideremus, nec tunc exceditur memoriæ modus. Neque enim vel intelligere possem narrantem, si ea quæ dicit, et si contexta tunc primum audirem, non tamen generaliter singula meminissem. Qui enim mihi narrat, verbi gratia, aliquem montem silva exutum, et oleis indutum, ei narrat qui meminerim species et montium et silvarum et olearum ; quas si oblitus essem, quid diceret omnino nescirem, et ideo narrationem illam cogitare non possem. Ita fit ut omnis qui corporalia cogitat, sive ipse aliquid confingat, sive audiat, aut legat vel præterita narrantem, vel futura prænuntiantem, ad memoriam suam recurrat, et ibi reperiat modum atque mensuram omnium formarum quas cogitans intuetur. Nam neque colorem quem nunquam vidit, neque figuram corporis, nec sonum quem nunquam audivit, nec saporem quem nunquam gustavit, nec odorem quem nunquam olfecit, nec ullam contrectationem corporis quam nunquam sensit, potest quisquam omnino cogitare. At si propterea nemo aliquid corporale cogitat nisi quod sensit, quia nemo meminit corporale aliquid nisi quod sensit, sicut in corporibus sentiendi, sic in memoria est cogitandi modus. Sensus enim accipit speciem ab eo corpore quod sentimus, et a sensu memoria, a memoria vero acies cogitantis.

15. Voluntas porro sicut adjungit sensum corpori, sic memoriam sensui, sic cogitantis aciem memoriæ. Quæ autem conciliat ista atque conjungit, ipsa etiam disjungit ac separat, id est, voluntas. Sed a sentiendis corporibus motu corporis separat corporis sensus, ne aliquid sentiamus, aut ut sentire desinamus : veluti cum oculos, ab eo quod videre nolumus, avertimus, vel claudimus : sic aures a sonis, sic nares ab odoribus. Ita etiam vel os claudendo, vel aliquid ex ore respuendo a saporibus aversamur. In tactu quoque vel subtrahimus corpus ne tangamus quod nolumus, vel si jam tangebamus, abjicimus aut repellimus. Ita motu corporis agit voluntas, ne sensus corporis rebus sensibilibus copuletur. Et agit hoc quantum potest : nam cum in hac actione propter conditionem servilis mortalitatis difficultatem patitur, cruciatus est consequens, ut voluntati nihil reliqui fiat, nisi tolerantia. Memoriam vero a sensu voluntas avertit, cum in aliud intenta non ei sinit inhærere præsentia. Quod animadvertere facile est, cum sæpe coram loquentem nobis aliquem aliud cogitando non audisse nobis videmur. Falsum est autem : audivimus enim, sed non meminimus, subinde per aurium sensum labentibus vocibus alienato nutu voluntatis, per quem solent infigi memoriæ. Verius itaque dixerimus, cum tale aliquid accidit, Non meminimus, quam, Non audivimus. Nam et legentibus evenit, et mihi sæpissime, ut perlecta pagina vel epistola, nesciam quid legerim, et repetam. In aliud quippe intento nutu voluntatis, non sic est adhibita memoria sensui corporis, quomodo ipse sensus adhibitus est litteris. Ita et ambulantes intenta in aliud voluntate, nesciunt qua transierint : quod si non vidissent, non ambulassent, aut majore intentione palpando ambulassent, præsertim si per incognita pergerent : sed quia facile ambulaverunt, utique viderunt : quia vero non sicut sensus oculorum locis quacumque pergebant, ita ipsi sensui memoria jungebatur, nullo modo id quod viderunt etiam recentissimum meminisse potuerunt. Jam porro ab eo quod in memoria est, animi aciem velle avertere, nihil est aliud quam non inde cogitare.

CAPUT IX. — 16. *Species a specie vicissim gignitur.* In hac igitur distributione cum incipimus a specie corporis, et pervenimus usque ad speciem quæ fit in contuitu cogitantis, quatuor species reperiuntur quasi gradatim natæ altera ex altera : secunda, de prima ; tertia, de secunda ; quarta, de tertia. A specie quippe corporis quod cernitur, exoritur ea quæ fit in sensu cernentis ; et ab hac, ea quæ fit in memoria ; et ab hac, ea quæ fit in acie cogitantis. Quapropter voluntas quasi parentem cum prole ter copulat : primo speciem corporis cum ea quam gignit in corporis sensu ; et ipsam rursus cum ea quæ fit ex illa in memoria ; atque istam quoque tertio cum ea quæ ex illa paritur in cogitantis intuitu. Sed media copula quæ secunda est, cum sit vicinior, non tam similis est primæ quam tertia[1]. Visiones enim duæ sunt ; una, sentientis ; altera, cogitantis : ut autem possit esse visio cogitantis, ideo fit in memoria de visione sentientis simile aliquid, quo se ita convertat in cogitando acies animi, sicut se in cernendo convertit

[1] Plures Mss., *tertiæ*.

ad corpus acies oculorum. Propterea duas in hoc genere trinitates volui commendare : unam, cum visio sentientis formatur ex corpore ; aliam, cum visio cogitantis formatur ex memoria. Mediam vero nolui, quia ibi non solet visio dici, cum memoriæ commendatur forma, quæ fit in sensu cernentis. Ubique tamen voluntas non apparet, nisi copulatrix quasi parentis et prolis. Et ideo undecumque procedat, nec parens nec proles dici potest.

CAPUT X. — 17. *Etiam non visis addit imaginatio quæ in aliis vidimus.* At enim si non meminimus nisi quod sensimus, neque cogitamus nisi quod meminimus ; cur plerumque falsa cogitamus, cum ea quæ sensimus non utique falso meminerimus : nisi quia voluntas illa quam conjunctricem ac separatricem hujuscemodi rerum jam quantum potui demonstrare curavi, formandam cogitantis aciem per abscondita memoriæ ducit ut libitum est, et ad cogitanda ea quæ non meminimus, ex eis quæ meminimus, aliud hinc, aliud inde, ut sumat impellit ; quæ in unam visionem coeuntia faciunt aliquid quod ideo falsum dicatur, quia vel non est foris in rerum corporearum natura, vel non de memoria videtur expressum, cum tale nihil nos sensisse meminimus ? Quis enim vidit cycnum nigrum ? et propterea nemo meminit : cogitare tamen quis non potest ? Facile est enim illam figuram, quam videndo cognovimus, nigro colore perfundere, quem nihilominus in aliis corporibus vidimus : et quia utrumque sensimus, utrumque meminimus. Nec avem quadrupedem memini, quia non vidi : sed phantasiam talem facillime intueor, dum alicui formæ volatili qualem vidi, adjungo alios duos pedes quales itidem vidi (*Retract. lib.* 2, *cap.* 15, *n.* 2). Quapropter, dum conjuncta cogitamus, quæ singillatim sensa meminimus, videmur non id quod meminimus cogitare ; cum id agamus moderante memoria, unde sumimus omnia quæ multipliciter ac varie pro nostra voluntate componimus. Nam neque ipsas magnitudines corporum, quas nunquam vidimus, sine ope memoriæ cogitamus. Quantum enim spatii solet occupare per magnitudinem mundi noster obtutus, in tantum extendimus quaslibet corporum moles, cum eas maximas cogitamus. Et ratio quidem pergit in ampliora, sed phantasia non sequitur. Quippe cum infinitatem quoque numeri ratio renuntiet, quam nulla visio corporalia cogitantis apprehendit. Eadem ratio docet minutissima etiam corpuscula infinite dividi ; cum tamen ad eas tenuitates vel minutias perventum fuerit, quas visas meminimus, exiliores minutioresque phantasias jam non possumus intueri, quamvis ratio non desinat persequi ac dividere. Ita nulla corporalia, nisi aut ea quæ meminimus, aut ex iis quæ meminimus, cogitamus.

CAPUT XI. — 8. *Numerus, pondus, mensura.* Sed quia numerose cogitari possunt quæ singillatim sunt impressa memoriæ, videtur ad memoriam mensura, ad visionem vero numerus pertinere. Quia licet innumerabilis sit multiplicitas talium visionum, singulis tamen in memoria præscriptus est intransgressibilis modus. Mensura igitur in memoria, in visionibus numerus apparet : sicut in ipsis corporibus visibilibus mensura quædam est, cui numerosissime coaptatur sensus videntium [1], et ex uno visibili multorum cernentium formatur aspectus : ita ut etiam unus propter duorum oculorum numerum plerumque unam rem geminata specie videat, sicut supra docuimus. In his ergo rebus unde visiones exprimuntur, quædam mensura est : in ipsis autem visionibus, numerus. Voluntas vero quæ ista conjungit et ordinat, et quadam unitate copulat, nec sentiendi aut cogitandi appetitum nisi in his rebus unde visiones formantur, acquiescens collocat, ponderi similis est. Quapropter hæc tria, mensuram, numerum, pondus, etiam in cæteris omnibus rebus animadvertenda prælibaverim. Nunc interim voluntatem copulatricem rei visibilis atque visionis quasi parentis et prolis, sive in sentiendo, sive in cogitando, nec parentem nec prolem dici posse, quomodo valui et quibus valui demonstravi. Unde tempus admonet, hanc eamdem trinitatem in interiore homine requirere, atque ab isto de quo tamdiu locutus sum animali atque carnali, qui exterior dicitur, introrsus tendere. Ubi speramus invenire nos posse secundum trinitatem imaginem Dei, conatus nostros illo ipso adjuvante, quem omnia, sicut res ipsæ indicant, ita etiam sancta Scriptura in mensura et numero et pondere disposuisse testatur (*Sap.* xi, 21).

[1] Plerique Mss., *sensus videndi.*

LIBER DUODECIMUS.

In quo præmissa distinctione sapientiæ a scientia, in ea quæ proprie scientia nuncupatur, quæve inferior est, prius quædam sui generis trinitas ostenditur : quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei vel appellanda vel putanda.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Homo exterior et interior qualis.* Age nunc, videamus ubi sit quasi quoddam hominis exterioris interiorisque confinium. Quidquid enim habemus in animo commune cum pecore, recte adhuc dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim solum corpus homo exterior deputabitur, sed adjuncta quadam vita sua, qua compages corporis et omnes sensus vigent, quibus instructus est ad exteriora sentienda : quorum sensorum imagines infixæ in memoria, cum recordando revisuntur, res adhuc agitur ad exteriorem hominem pertinens. Atque in his omnibus non distamus a pecore, nisi quod figura corporis non proni, sed erecti sumus. Qua in re admonemur ab eo qui nos fecit, ne meliore nostri parte, id est animo, similes pecoribus simus, a quibus corporis erectione distamus. Non ut in ea quæ sublimia sunt in corporibus animum projiciamus ; nam vel in talibus quietem voluntatis appetere, prosternere est animum. Sed

sicut corpus ad ea quæ sunt excelsa corporum, id est, ad cœlestia naturaliter erectum est; sic animus, qui substantia spiritualis est, ad ea quæ sunt in spiritualibus excelsa erigendus est, non elatione superbiæ, sed pietate justitiæ.

CAPUT II. — 2. *Æternas rationes in corporalibus homo solus animantium percipit.* Possunt autem et pecora et sentire per corporis sensus extrinsecus corporalia, et ea memoriæ fixa reminisci, atque in eis appetere conducibilia, fugere incommoda : verum ea notare, ac non solum naturaliter rapta, sed etiam de industria memoriæ commendata retinere, et in oblivionem jamjamque labentia recordando atque cogitando rursus imprimere; ut quemadmodum ex eo quod gerit memoria cogitatio formatur, sic et hoc ipsum quod in memoria est cogitatione firmetur : fictas etiam visiones, hinc atque inde recordata quælibet sumendo et quasi assuendo, componere, inspicere, quemadmodum in hoc rerum genere quæ verisimilia sunt discernantur a veris, non spiritualibus, sed ipsis corporalibus : hæc atque hujusmodi quamvis in sensibilibus, atque in eis quæ inde animus per sensum corporis traxit agantur atque versentur, non sunt tamen rationis expertia, nec hominibus pecoribusque communia. Sed sublimioris rationis est judicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales et sempiternas : quæ nisi supra mentem humanam essent, incommutabiles profecto non essent; atque his [1] nisi subjungeretur aliquid nostrum, non secundum eas possemus judicare de corporalibus. Judicamus autem de corporalibus ex ratione dimensionum atque figurarum, quam incommutabiliter manere mens novit.

CAPUT III. — 3. *Ratio superior quæ ad contemplationem, et interior quæ ad actionem pertinet, in mente una.* Illud vero nostrum quod in actione corporalium atque temporalium tractandorum ita versatur, ut non sit nobis commune cum pecore, rationale quidem est, sed ex illa rationali nostræ mentis substantia, qua subhæremus intelligibili atque incommutabili veritati, tanquam ductum et inferioribus tractandis gubernandisque deputatum est. Sicut enim in omnibus pecoribus non inventum est viro adjutorium simile illi, nisi detractum de illo in conjugium formaretur; ita menti nostræ qua supernam et internam consulimus veritatem, nullum est ad usum rerum corporalium, quantum naturæ hominis satis est, simile adjutorium ex animæ partibus quas communes cum pecoribus habemus. Et ideo quiddam rationale nostrum, non ad unitatis divortium separatum, sed in auxilium societatis quasi derivatum, in sui operis dispertitur officium [2]. Et sicut una caro est duorum in masculo et femina, sic intellectum nostrum et actionem, vel consilium et exsecutionem, vel rationem et appetitum rationalem, vel si quo alio modo significantius dici possunt, una mentis natura complectitur : ut quemadmodum de illis dictum est, *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24); sic de his dici possit, Duo in mente una.

CAPUT IV. — 4. *Trinitas et imago Dei in ea sola parte mentis quæ pertinet ad contemplationem æternorum.* Cum igitur disserimus de natura mentis humanæ, de una quadam re disserimus, nec eam in hæc duo quæ commemoravi, nisi per officia geminamus. Itaque cum in ea quærimus trinitatem, in tota quærimus, non separantes actionem rationalem in temporalibus a contemplatione æternorum, ut tertium aliquid jam quæramus quo trinitas impleatur. Sed in tota natura mentis ita trinitatem reperiri opus est, ut si desit actio temporalium, cui operi necessarium sit adjutorium, propter quod ad hæc inferiora administranda derivetur aliquid mentis, in una nusquam dispertita mente trinitas inveniatur : et facta jam ista distributione, in eo solo quod ad contemplationem pertinet æternorum, non solum trinitas, sed etiam imago Dei; in hoc autem quod derivatum est in actione temporalium, etiamsi trinitas possit, non tamen imago Dei possit inveniri.

CAPUT V. — 5. *Opinio fingens imaginem Trinitatis in conjugio masculi et feminæ ac eorum prole.* Proinde non mihi videntur probabilem afferre sententiam, qui sic arbitrantur trinitatem imaginis Dei in tribus personis, quod attinet ad humanam naturam, posse reperiri, ut in conjugio masculi et feminæ atque in eorum prole compleatur : quod quasi vir ipse Patris personam intimet; Filii vero, quod de illo ita processit ut nasceretur; atque ita tertiam [1] personam velut Spiritus dicunt esse mulierem, quæ ita de viro processit, ut non ipsa esset filius aut filia (*Gen.* II, 22), quamvis ea concipiente proles nasceretur. Dixit enim Dominus de Spiritu Sancto, quod a Patre procedat (*Joan.* XV, 26), et tamen Filius non est. In hujus igitur opinionis errore, hoc solum probabiliter affertur, quod in origine factæ feminæ, secundum sanctæ Scripturæ fidem satis ostenditur, non omne quod de aliqua persona ita existit, ut personam alteram faciat, filium posse dici; quandoquidem de viri persona exstitit persona mulieris, nec tamen ejus filia dicta est. Cætera sane ita sunt absurda, imo vero ita falsa, ut facillime redarguantur. Omitto enim quale sit, Spiritum sanctum matrem Filii Dei putare et conjugem Patris : fortassis quippe respondeatur hæc in carnalibus habere offensionem, dum corporei conceptus partusque cogitantur. Quanquam et hæc ipsa castissime cogitent, quibus mundis omnia munda sunt : immundis autem et infidelibus, quorum polluta sunt et mens et conscientia, ita nihil est mundum (*Tit.* I, 15), ut quosdam eorum etiam de virgine secundum carnem natus Christus offendat. Sed tamen in spiritualibus illis summis, ubi non est aliquid violabile aut corruptibile, nec natum ex tempore, nec ex informi formatum, si qua dicuntur talia, ad quorum similitudinem etiam ista inferioris creaturæ genera, quamvis longe remotissime facta sunt, non debent cujusquam so-

[1] Editi, *in his*. Abest, *in*, a plerisque manuscriptis.
[2] Omnes prope Mss. *officio*. Quidam, *officia*.

[1] Editi, *ad tertiam*. At Mss. carent particula, *ad*.

briam perturbare prudentiam, ne cum vanum devitat horrorem, in perniciosum incurrat errorem. Assuescat in corporalibus ita spiritualium reperire vestigia, ut cum inde sursum versus duce ratione ascendere creperit, ut ad ipsam incommutabilem veritatem per quam sunt facta ista perveniat, non secum ad summa pertrahat quod contemnit in infimis. Nec enim erubuit quidam, uxorem sibi eligere sapientiam, quia nomen uxoris in prole gignenda corruptibilem concubitum ingerit cogitanti : aut vero ipsa sapientia sexu femina est [1], quia feminini generis vocabulo et in græca et in latina lingua enuntiatur.

CAPUT VI. — 6. *Cur illa opinio respuenda.* Non ergo propterea respuimus istam sententiam, quia timemus sanctam et inviolabilem atque incommutabilem charitatem, tanquam conjugem Dei Patris, de illo existentem, sed non sicut prolem ad gignendum Verbum per quod facta sunt omnia cogitare : sed quia eam falsam divina Scriptura evidenter ostendit. Dixit enim Deus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram :* paulo post autem dictum est, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei* (*Gen.* I, 26, 27). *Nostram* certe, quia pluralis est numerus, non recte diceretur, si homo ad unius personæ imaginem fieret, sive Patris, sive Filii, sive Spiritus sancti : sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est, *ad imaginem nostram.* Rursus autem ne in Trinitate credendos arbitraremur tres deos, cum sit eadem Trinitas unus Deus, *Et fecit,* inquit, *Deus hominem ad imaginem Dei :* pro eo ac si diceret, Ad imaginem suam.

7. Sunt enim tales usitatæ in Litteris illis locutiones, quas nonnulli etiamsi catholicam fidem asserunt, non tamen diligenter advertunt, ut patent ita dictum, *Fecit Deus*[2] *ad imaginem Dei;* quasi diceretur, Fecit Pater ad imaginem Filii : sic volentes asserere in Scripturis sanctis Deum dictum etiam Filium, quasi desint alia verissima et manifestissima documenta, ubi non solum Deus, sed etiam verus Deus dictus est Filius. In hoc enim testimonio dum aliud solvere intendunt, sic se implicant, ut expedire non possint. Si enim Pater fecit ad imaginem Filii, ita ut non sit homo imago Patris, sed Filii, dissimilis est Patri Filius. Si autem pia fides docet, sicuti docet, Filium esse ad æqualitatem essentiæ similem Patri, quod ad similitudinem Filii factum est, necesse est etiam ad similitudinem Patris factum sit. Deinde, si hominem Pater non ad suam, sed ad Filii fecit imaginem, cur non ait, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem* tuam, sed ait, *nostram;* nisi quia Trinitatis imago fiebat in homine, ut hoc modo esset homo imago unius veri Dei, quia ipsa Trinitas unus verus Deus est? Locutiones autem sunt innumerabiles tales in Scripturis, sed has protulisse sufficerit. Est in Psalmis ita dictum, *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (*Psal.* III, 9) : quasi alteri dictum sit, non ei de quo dixerat, *Domini est salus.* Et iterum, *A te,* inquit, *eruar a tentatione, et in Deo meo sperans*[1] *transgrediar murum* (*Psal.* XVII, 30) : quasi alteri dixerit, *A te eruar a tentatione.* Et iterum, *Populi sub te cadent in corde*[2] *inimicorum regis* (*Psal.* XLIV, 6) : ac si diceret, In corde inimicorum tuorum. Ei quippe regi dixerat, id est, Domino nostro Jesu Christo, *Populi sub te cadent;* quem regem intelligi voluit, cum diceret, *in corde inimicorum regis.* Rarius ista in Novi Testamenti litteris inveniuntur. Sed tamen ad Romanos Apostolus, *De Filio suo,* inquit, *qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri* (*Rom.* I, 3, 4) : tanquam de alio supra diceret. Quid est enim Filius Dei prædestinatus ex resurrectione mortuorum Jesu Christi, nisi ejusdem Jesu Christi qui prædestinatus est Filius Dei in virtute? Ergo quomodo hic cum audivimus, *Filius Dei in virtute Jesu Christi,* aut, *Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis Jesu Christi,* aut, *Filius Dei ex resurrectione mortuorum Jesu Christi;* cum dici potuisset usitate, In virtute sua, aut, Secundum Spiritum sanctificationis suæ, aut, Ex resurrectione mortuorum ejus, vel mortuorum suorum; non cogimur intelligere aliam personam, sed unam eamdemque, scilicet Filii Dei Domini nostri Jesu Christi. Ita cum audimus, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei :* quamvis posset usitatius dici, Ad imaginem suam; non tamen cogimur aliam personam intelligere in Trinitate, sed ipsam unam eamdemque Trinitatem, qui est unus Deus, et ad cujus imaginem factus est homo.

8. Quæ cum ita sint, si eamdem Trinitatis imaginem, non in uno, sed in tribus hominibus acceperimus, patre et matre et filio, non erat ergo ad imaginem Dei factus homo antequam uxor ei fieret, et antequam filium propagarent; quia nondum erat trinitas. An dicit aliquis : Jam trinitas erat, quia etsi nondum forma propria, jam tamen originali natura et mulier erat in latere viri et filius in lumbis patris? Cur ergo, cum Scriptura dixisset, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei;* contexuit dicens, *Fecit Deus eum; masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos* (*Gen.* I, 27, 28)? Vel si ita distinguendum est, *Et fecit Deus hominem;* ut deinde inferatur, *ad imaginem Dei fecit illum;* et tertia subjunctio sit, *masculum et feminam fecit eos.* Quidam enim timuerunt dicere, Fecit eum masculum et feminam, ne quasi monstruosum aliquid intelligeretur, sicuti sunt quos hermaphroditos vocant : cum etiam sic non mendaciter possit intelligi utrumque in numero singulari, propter id quod dictum est, *Duo in carne una.* Cur ergo, ut dicere cœperam, in natura hominis ad imaginem Dei facta, præter masculum et feminam non commemorat Scriptura? Ad implendam quippe imaginem Trinitatis debuit addere et filium, quamvis adhuc in lumbis patris constitutum, sicut

[1] Editi, *femina est.*
[2] Hic editi addunt, *hominem.*

[1] Plures Mss. omittunt, *sperans.*
[2] Editi, *in corda.* At Mss., *in corde :* et sic Augustinus, enarr. in eumdem psalmum 44.

mulier erat in latere. An forte jam facta erat et mulier; et Scriptura brevi complexione constrinxerat, quod postea quemadmodum sit factum, diligentius explicaret; et propterea filius commemorari non potuit, quia nondum erat natus? quasi et hoc non poterat ea brevitate complecti Spiritus sanctus, suo loco postea natum filium narraturus, sicut mulierem de viri latere assumptam suo postmodum loco narravit (*Gen.* II, 24, 22), et tamen hic eam nominare non prætermisit.

CAPUT VII. — 9. *Homo imago Dei, quomodo. Annon et mulier imago Dei. Dictum Apostoli, quod vir imago Dei sit, mulier autem gloria viri, quomodo figurate ac mystice intelligendum.* Non itaque ita debemus intelligere hominem factum ad imaginem summæ Trinitatis, hoc est ad imaginem Dei, ut eadem imago in tribus intelligatur hominibus : præsertim cum Apostolus virum dicat esse imaginem Dei, et propterea velamentum ei capitis demat, quod mulieri adhibendum monet, ita loquens : *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei. Mulier autem gloria viri est.* Quid ergo dicemus ad hæc? Si pro sua persona mulier adimplet imaginem Trinitatis, cur ea detracta de latere viri adhuc ille imago dicitur? Aut si et una persona hominis ex tribus potest dici imago Dei, sicut in ipsa summa Trinitate, et unaquæque persona Deus est, cur et mulier non est imago Dei? Nam et propterea caput velare præcipitur, quod ille quia imago Dei est prohibetur (I *Cor.* XI, 7, 5).

10. Sed videndum est quomodo non sit contrarium quod dicit Apostolus, non mulierem, sed virum esse imaginem Dei, huic quod scriptum est in Genesi, *Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum; masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos.* Ad imaginem Dei quippe naturam ipsam humanam factam dicit, quæ sexu utroque completur, nec ab intelligenda imagine Dei separat feminam. Dicto enim quod fecit Deus hominem ad imaginem Dei, *Fecit eum*, inquit, *masculum et feminam :* vel certe alia distinctione, *masculum et feminam fecit eos.* Quomodo ergo per Apostolum audivimus virum esse imaginem Dei, unde caput velare prohibetur, mulierem autem non, et ideo ipsa hoc facere jubetur? nisi, credo, illud quod jam dixi [1], cum de natura humanæ mentis agerem, mulierem cum viro suo esse imaginem Dei, ut una imago sit tota illa substantia : cum autem ad adjutorium distribuitur, quod ad eam ipsam solam attinet, non est imago Dei; quod autem ad virum solum attinet, imago Dei est, tam plena atque integra, quam in unum conjuncta muliere. Sicut de natura humanæ mentis diximus, quia et si tota contempletur veritatem, imago Dei est; et cum ex ea distribuitur aliquid, et quadam intentione derivatur ad actionem rerum temporalium, nihilominus ex qua parte conspectam consulit veritatem, imago Dei est; ex qua vero intenditur in agenda inferiora, non est imago Dei. Et quoniam quantumcumque se extenderit in id quod æternum est, tanto magis inde formatur ad imaginem Dei, et propterea non est cohibenda, ut se inde contineat ac temperet; ideo vir non debet velare caput. Quia vero illi rationali actioni quæ in rebus corporalibus temporalibusque versatur, periculosa est nimia in inferiora progressio; debet habere potestatem super caput, quod indicat velamentum quo significatur esse cohibenda. Grata est enim sanctis Angelis sacrata et pia significatio. Nam Deus non ad tempus videt, nec aliquid novi fit in ejus visione atque scientia, cum aliquid temporaliter ac transitorie geritur, sicut inde afficiuntur sensus vel carnales animalium et hominum, vel etiam cœlestes Angelorum.

11. In isto quippe manifesto sexu masculi et feminæ apostolus Paulus occultioris cujusdam rei figuras se mysterium, vel hinc intelligi potest, quod cum alio loco dicat, veram viduam esse desolatam, sine filiis et nepotibus, et tamen eam sperare debere in Dominum, et persistere in orationibus nocte et die (1*Tim.* V, 5), hic indicat mulierem seductam in prævaricatione factam, salvam fieri per filiorum generationem : et addidit, *si permanserint in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate* (*Id.* II, 15). Quasi vero possit obesse bonæ viduæ, si vel filios non habuerit, vel ii quos habuerit, in bonis operibus permanere noluerint. Sed quia ea quæ dicuntur opera bona, tanquam filii sunt vitæ nostræ, secundum quam quæritur cujus vitæ sit quisque, id est, quomodo agat hæc temporalia, quam vitam Græci non ζωὴν, sed βίον vocant; et hæc opera bona maxime in officiis misericordiæ frequentari solent; opera vero misericordiæ nihil prosunt, sive Paganis, sive Judæis qui Christo non credunt, sive quibuscumque hæreticis vel schismaticis ubi fides et dilectio et sobria sanctificatio non invenitur : manifestum est quid Apostolus significare voluerit; ideo figurate ac mystice, quia de velando mulieris capite loquebatur, quod nisi ad aliquod secretum sacramenti referatur, inane remanebit.

12. Sicut enim non solum veracissima ratio, sed etiam ipsius Apostoli declarat auctoritas, non secundum formam corporis homo factus est ad imaginem Dei, sed secundum rationalem mentem. Cogitatio quippe turpiter vana est, quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circumscribi atque finiri. Porro autem nonne idem beatus apostolus dicit, *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, eum qui secundum Deum creatus est* (*Ephes.* IV, 23, 24); et alibi apertius, *Exuentes vos*, inquit, *veterem hominem cum actibus ejus, induite novum qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss.* III, 9, 10)? Si ergo spiritu mentis nostræ renovamur, et ipse est novus homo qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum; nulli dubium est, non secundum corpus, neque secundum quamlibet animi partem, sed secundum rationalem mentem, ubi potest

[1] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *nisi credo illud esse quod jam dixi.* M.

esse agnitio Dei, hominem factum ad imaginem ejus qui creavit eum. Secundum hanc autem [1] renovationem efficimur etiam filii Dei per baptismum Christi, et induentes novum hominem, Christum utique induimus per fidem. Quis est ergo qui ab hoc consortio feminas alienet, cum sint nobiscum gratiæ cohæredes; et alio loco idem apostolus dicat, *Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina : omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (*Galat.* III, 26-28)? Numquidnam igitur fideles feminæ sexum corporis amiserunt? Sed quia ibi renovantur ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, ibi factus est homo ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, hoc est in spiritu mentis suæ. Cur ergo vir propterea non debet caput velare, quia imago est et gloria Dei; mulier autem debet, quia gloria viri est, quasi mulier non renovetur spiritu mentis suæ, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit illum? Sed quia sexu corporis distat a viro, rite potuit in ejus corporali velamento figurari pars illa rationis, quæ ad temporalia gubernanda deflectitur; ut non maneat imago Dei, nisi ex qua parte mens hominis æternis rationibus conspiciendis vel consulendis adhærescit [2], quam non solum masculos, sed etiam feminas habere manifestum est.

CAPUT VIII. — 13. *Deflexus ab imagine Dei.* Ergo in eorum mentibus communis natura cognoscitur; in eorum vero corporibus ipsius unius mentis distributio figuratur. Ascendentibus itaque introrsus quibusdam gradibus considerationis per animæ partes, unde incipit aliquid occurrere, quod non sit nobis commune cum bestiis, inde incipit ratio, ubi homo interior jam possit agnosci. Qui etiam ipse si per illam rationem cui temporalium rerum administratio delegata est, immoderato progressu nimis in exteriora prolabitur, consentiente sibi capite suo, id est, non eam cohibente atque refrenante illa quæ in specula consilii præsidet quasi virili portione, inveteratur inter inimicos suos (*Psal.* VI, 8) virtutis invidos dæmones cum suo principe diabolo : æternorumque illa visio ab ipso etiam capite cum conjuge vetitum manducante subtrahitur, ut lumen oculorum ejus non sit cum illo (*Psal.* XXXVII, 11); ac sic ab illa illustratione veritatis ambo nudati, atque apertis oculis conscientiæ ad videndum quam inhonesti atque indecori remanserint, tanquam folia dulcium fructuum, sed sine ipsis fructibus, ita sine fructu boni operis bona verba contexunt, ut male viventes quasi bene loquendo contegant turpitudinem suam (*Gen.* III).

CAPUT IX. — 14. *Sequitur de eodem argumento.* Potestatem quippe suam diligens anima, a communi universo ad privatam partem prolabitur: et apostatica illa superbia, quod *initium peccati* dicitur (*Eccli.* X, 15), cum in universitate creaturæ Deum rectorem secuta, legibus ejus optime gubernari potuisset, plus aliquid universo appetens, atque id sua lege gubernare molita, quia nihil est amplius universitate, in curam partilem truditur, et sic aliquid amplius concupiscendo minuitur; unde et avaritia dicitur *radix omnium malorum* (1 *Tim.* VI, 10) : totumque illud ubi aliquid proprium contra leges, quibus universitas administratur, agere nititur, per corpus proprium gerit, quod partiliter possidet; atque ita formis et motibus corporalibus delectata, quia intus ea secum non habet, cum eorum imaginibus, quas memoriæ fixit, involvitur, et phantastica fornicatione turpiter inquinatur, omnia officia sua ad eos fines referens, quibus curiose corporalia ac temporalia per corporis sensus quærit, aut tumido fastu aliis animis corporeis sensibus deditis esse affectat excelsior, aut cœnoso gurgite carnalis voluptatis immergitur.

CAPUT X. — 15. *Gradus ad turpissima.* Cum ergo bona voluntate ad interiora et superiora percipienda, quæ non privatim, sed communiter ab omnibus qui talia diligunt, sine ulla angustia vel invidia casto possidentur amplexu, vel sibi vel aliis consulit; et si fallatur in aliquo per ignorantiam temporalium, quia et hoc temporaliter gerit, et modum agendi non teneat quem debebat, humana tentatio est. Et magnum est hanc vitam sic degere, quam velut viam redeuntes carpimus, ut tentatio nos non apprehendat nisi humana (1 *Cor.* X, 13). Hoc enim peccatum extra corpus est, nec fornicationi deputatur, et propterea facillime ignoscitur. Cum vero propter adipiscenda ea quæ per corpus sentiuntur, propter experiendi vel excellendi vel contrectandi cupiditatem, ut in his finem boni sui ponat, aliquid agit, quiquid agit, turpiter agit; et fornicatur in corpus proprium peccans (*Id.* VI, 18), et corporearum rerum fallacia simulacra introrsus rapiens et vana meditatione componens, ut ei nec divinum aliquid nisi tale, videatur [1], privatim avara fetatur erroribus, et privatim prodiga inanitur viribus (*a*). Nec ad tam turpem et miserabilem fornicationem simul [2] ab exordio prosiliret: sed, sicut scriptum est, *Qui modica spernit, paulatim decidet* (*Eccli.* XIX, 1).

CAPUT XI — 16. *Imago pecudis in homine.* Quomodo enim coluber non apertis passibus, sed squamarum minutissimis nisibus repit; sic lubricus deficiendi motus negligentes minutatim occupat, et incipiens a perverso appetitu similitudinis Dei, pervenit ad similitudinem pecorum. Inde est quod nudati stola prima, pelliceas tunicas mortalitate meruerunt. (*Gen.* III, 21). Honor enim hominis verus est imago et similitudo Dei, quæ non custoditur nisi ad ipsum [3] a quo imprimitur. Tanto magis itaque inhæretur Deo, quanto minus diligitur proprium. Cupiditate vero experiendæ potestatis suæ, quodam nutu suo ad se ipsum tanquam ad medium proruit. Ita cum vult esse sicut ille sub

[1] Fr. et Lov., *igitur*. At Am. et Mss., *autem*; concinnius.
[2] Editio Lov., *adhæserit*.

[1] Er. et Lov., *ut ei nec divinum aliquid placeat, nisi tale videatur*. Melius Am. et Mss. verbo, *placeat*, exuncio, *ut et nec divinum aliquid, nisi tale* (id est, nisi quod ejus generis est de quo dicit) *videatur*.
[2] Sic Am. et plures Mss. Alii vero cum Er. et Lov., *semel*.
[3] Aliquot Mss., *nisi ab ipso*.
(*a*) II Retract., cap. 15, n. 3.

nullo, et ab ipsa sui medietate pœnaliter ad ima propellitur, id est, ad ea quibus pecora lætantur : atque ita cum sit honor ejus similitudo Dei, dedecus autem ejus similitudo pecoris, *homo in honore positus non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est eis* (*Psal.* XLVIII, 13). Qua igitur tam longe transiret a summis ad infima, nisi per medium sui? Cum enim neglecta charitate sapientiæ, quæ semper eodem modo manet, concupiscitur scientia ex mutabilium temporaliumque experimento, inflat, non ædificat (I *Cor.* VIII, 1) : ita prægravatus animus quasi pondere suo a beatitudine expellitur, et per illud suæ medietatis experimentum pœna sua discit, quid intersit inter bonum desertum malumque commissum, nec redire potest effusis ac perditis viribus, nisi gratia Conditoris sui ad pœnitentiam vocantis et peccata donantis. Quis enim infelicem animam liberabit a corpore mortis hujus, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* VII, 24, 25)? De qua gratia suo loco, quantum [1] ipse præstiterit, disseremus.

CAPUT XII. — 17. *In interiore homine quoddam secretum conjugium. Cogitationum delectationes illicitæ.* Nunc de illa parte rationis ad quam pertinet scientia, id est, cognitio rerum temporalium atque mutabilium navandis vitæ hujus actionibus necessaria, susceptam considerationem, quantum Dominus adjuvat, peragamus. Sicut enim in illo manifesto conjugio duorum hominum qui primi facti sunt, non manducavit serpens de arbore vetita, sed tantummodo manducandum persuasit : mulier autem non manducavit sola, sed viro suo dedit, et simul manducaverunt; quamvis cum serpente sola locuta, et ab eo sola seducta sit (*Gen.* III, 1-6) : ita et in hoc quod etiam in homine uno geritur et dignoscitur, occulto quodam secretoque conjugio carnalis, vel, ut ita dicam, qui in corporis sensus intenditur, sensualis animæ motus, qui nobis pecoribusque communis est, seclusus est a ratione sapientiæ. Sensu quippe corporis corporalia sentiuntur : æterna vero et incommutabilia spiritualia ratione sapientiæ intelliguntur. Rationi autem scientiæ appetitus vicinus est : quandoquidem de ipsis corporalibus quæ sensu corporis sentiuntur, ratiocinatur ea quæ scientia dicitur actionis; si bene, ut eam notitiam referat ad finem summi boni; si autem male, ut eis fruatur tanquam bonis talibus in quibus falsa beatitudine conquiescat. Cum ergo huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus et corporalibus propter actionis officium ratiocinandi vivacitate versatur, carnalis ille sensus vel animalis ingerit quamdam illecebram fruendi se, id est tanquam bono quodam privato et proprio, non tanquam publico atque communi quod est incommutabile bonum, tunc velut serpens alloquitur feminam. Huic autem illecebræ consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus si sola cogitationis delectatione contentus est, superioris vero auctoritate consilii ita membra retinentur, ut non exhibeantur iniquitatis arma peccato (*Rom.* VI, 13); sic habendum existimo velut cibum vetitum mulier sola comederit. Si autem in consensione [1] male utendi rebus quæ per sensum corporis sentiuntur, ita decernitur quodcumque peccatum, ut si potestas sit, etiam corpore compleatur; intelligenda est illa mulier dedisse viro suo secum simul edendum illicitum cibum. Neque enim potest peccatum non solum cogitandum suaviter, verum etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi et illa mentis intentio, penes quam summa potestas est membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat et serviat.

18. Nec sane, cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen et volvens libenter quæ statim ut attigerunt animum respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longe minus quam si et opere statuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum, *Dimitte nobis debita nostra* : faciendumque quod sequitur, atque in oratione jungendum, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, et ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur; ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari : absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata per Mediatoris gratiam remittantur.

19. Hæc itaque disputatio qua in mente uniuscujusque hominis quæsivimus quoddam rationale conjugium contemplationis et actionis, officiis per quædam singula distributis, tamen in utroque mentis unitate servata, salva illius veritatis historia, quam de duobus primis hominibus, viro scilicet ejusque muliere, de quibus propagatum est genus humanum, divina tradit auctoritas, ad hoc tantummodo audienda est, ut intelligatur Apostolus imaginem Dei viro tantum tribuendo, non etiam feminæ, quamvis in diverso sexu duorum hominum, aliquid tamen significare voluisse quod in uno homine quæreretur.

CAPUT XIII. — 20. *Opinio eorum qui viro mentem, muliere sensum corporis significari senserunt.* Nec me fugit, quosdam qui fuerunt ante nos egregii defensores catholicæ fidei et divini eloquii tractatores, cum in homine uno, cujus universam animam bonam quemdam paradisum esse senserunt, duo ista requirerent, virum mentem, mulierem vero dixisse corporis sensum. Et secundum hanc distributionem qua vir ponitur mens, sensus vero corporis mulier, vi-

[1] Plerique Mss. et editio Am., *quando*.

[1] Editio Lov., *in consensionem*

dentur apte omnia convenire, si considerata tractentur : nisi quod in omnibus bestiis et volatilibus scriptum est non esse inventum viro adjutorium simile illi, et tunc est ei mulier facta de latere (*Gen.* II, 20-22). Propter quod ego non putavi pro muliere sensum corporis esse ponendum, quem videmus nobis et bestiis esse communem; sed aliquid volui quod bestiæ non haberent : sensumque corporis magis pro serpente intelligendum existimavi, qui legitur sapientior omnibus pecoribus terræ (*Id.* III, 1). In eis quippe naturalibus bonis, quæ nobis et irrationabilibus animantibus videmus esse communia, vivacitate quadam sensus excellit : non ille de quo scriptum est in Epistola quæ est ad Hebræos, ubi legitur, *perfectorum* esse solidum cibum, *qui per habitum exercitatos habent sensus ad separandum bonum a malo* (*Hebr.* V, 14); illi quippe sensus naturæ rationalis sunt ad intelligentiam pertinentes : sed iste sensus quinquepartitus in corpore, per quem non solum a nobis, verum etiam a bestiis corporalis species motusque sentitur.

21. Sed sive isto, sive illo, sive aliquo alio modo accipiendum sit, quod Apostolus virum dixit imaginem et gloriam Dei, mulierem autem gloriam viri (I *Cor.* XI, 7); apparet tamen cum secundum Deum vivimus, mentem nostram in invisibilia ejus intentam, ex ejus æternitate, veritate, charitate, proficienter debere formari : quiddam vero rationalis intentionis nostræ, hoc est ejusdem mentis, in usum mutabilium corporaliumque rerum, sine quo hæc vita non agitur, dirigendum; non ut conformemur [1] huic sæculo (*Rom.* XII, 2), finem constituendo in bonis talibus, et in ea detorquendo beatitudinis appetitum; sed ut quidquid in usu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiscendorum contemplatione faciamus, per ista transeuntes, illis inhærentes.

CAPUT XIV. — *Inter sapientiam et scientiam quid distet. Cultus Dei, amor ejus. Quomodo per sapientiam fiat cognitio intellectualis rerum æternarum.* Habet enim et scientia modum suum bonum, si quod in ea inflat vel inflare assolet, æternorum charitate vincatur, quæ non inflat, sed, ut scimus, ædificat (I *Cor.* VIII, 1). Sine scientia quippe nec virtutes ipsæ, quibus recte vivitur, possunt haberi, per quas hæc vita misera sic gubernetur, ut ad illam quæ vere beata est, perveniatur æternam.

22. Distat tamen ab æternorum contemplatione actio qua bene utimur temporalibus rebus, et illa sapientiæ, hæc scientiæ deputatur. Quamvis enim et illa quæ sapientia est, possit scientia nuncupari, sicut et Apostolus loquitur, ubi dicit, *Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (*Id.* XIII, 12); quam scientiam profecto contemplationis Dei vult intelligi, quod sanctorum erit præmium summum : tamen ubi dicit, *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum* (*Id.*, XII, 8); hæc utique duo sine dubitatione distinguit, licet non ibi explicet quid intersit, et unde possit utrumque dignosci. Verum Scripturarum sanctarum multiplicem copiam scrutatus, invenio scriptum esse in libro Job, eodem sancto viro loquente : *Ecce pietas est sapientia; abstinere autem a malis est scientia* (*Job* XXVIII, 28). In hac differentia intelligendum est ad contemplationem sapientiam, ad actionem scientiam pertinere. Pietatem quippe hoc loco posuit Dei cultum, quæ græce dicitur θεοσέβεια. Nam hoc verbum habet ista sententia in codicibus græcis. Et quid est in æternis excellentius quam Deus, cujus solius immutabilis est natura? Et quis cultus ejus, nisi amor ejus, quo nunc desideramus eum videre, credimusque et speramus nos esse visuros; et quantum proficimus *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem* in manifestatione? Hoc est enim quod ait apostolus Paulus, *facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12) : hoc etiam quod Joannes, *Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). De his atque hujusmodi sermo [1] ipse mihi videtur esse sermo sapientiæ. Abstinere autem a malis, quam Job scientiam dixit esse, rerum procul dubio temporalium est. Quoniam secundum tempus in malis sumus, a quibus abstinere debemus, ut ad illa bona æterna veniamus. Quamobrem quidquid prudenter, fortiter, temperanter et juste agimus, ad eam pertinet scientiam sive disciplinam, qua in evitandis malis bonisque appetendis actio nostra versatur; et quidquid propter exempla vel cavenda, vel imitanda, et propter quarumque rerum quæ nostris accommodata sunt usibus necessaria documenta, historica cognitione colligimus.

23. De his ergo sermo cum sit, cum scientiæ sermonem puto, discernendum a sermone sapientiæ, ad quam pertinent ea quæ nec fuerunt, nec futura sunt, sed sunt, et propter eam æternitatem in qua sunt, et fuisse et esse et futura esse dicuntur, sine ulla mutabilitate temporum. Non enim sic fuerunt ut esse desinerent, aut sic futura sunt quasi nunc non sint : sed idipsum esse semper habuerunt, semper habitura sunt. Manent autem, non tanquam in spatiis locorum fixa veluti corpora : sed in natura incorporali sic intelligibilia præsto sunt mentis aspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectabilia corporis sensibus. Non autem solum rerum sensibilium in locis positarum sine spatiis localibus manent intelligibiles incorporalesque rationes; verum etiam motionum in temporibus transeuntium sine temporali transitu stant etiam ipsæ utique intelligibiles, non sensibiles. Ad quas mentis acie pervenire paucorum est; et cum pervenitur, quantum fieri potest, non in eis manet ipse perventor, sed veluti acie [2] ipsa reverberata repellitur, et fit rei non transitoriæ transitoria cogitatio. Quæ tamen cogitatio transiens per disciplinas

[1] Plures Mss., *conformetur*.

[1] Codices quidam, *De his atque hujusmodi sermonibus*.

[2] Plures Mss., *acies*.

quibus erudītur animus, memoriæ commendatur, ut sit quo redire possit, quæ cogitur inde transire : quamvis si ad memoriam cogitatio non rediret, atque quod commendaverat ibi inveniret, velut rudis ad hoc sicut ducta fuerat duceretur, idque inveniret ubi primum invenerat, in illa scilicet incorporea veritate, unde rursus quasi descriptum in memoria figeretur. Neque enim sicut manet, verbi gratia, quadrati corporis incorporalis et incommutabilis ratio, sic in ea manet hominis cogitatio ; si tamen ad eam sine phantasia spatii localis potuit pervenire. Aut si alicujus artificiosi et musici soni per moras temporis transeuntis numerositas comprehendatur, sine tempore stans in quodam secreto altoque silentio, tamdiu saltem cogitari potest quamdiu potest ille cantus audiri : tamen quod inde rapuerit etsi transiens mentis aspectus, et quasi glutiens in ventrem [1] ita in memoria reposuerit, poterit recordando quodam modo ruminare, et in disciplinam quod sic didicerit trajicere. Quod si fuerit omnimoda oblivione deletum, rursus doctrina duce ad id venietur quod penitus exciderat, et sic invenietur ut erat.

CAPUT XV.—24. *Contra reminiscentiam Platonis et Pythagoræ. Samius Pythagoras. De differentia sapientiæ a scientia, et de quærenda trinitate in scientia temporalium.* Unde Plato ille philosophus nobilis persuadere conatus est vixisse hic animas hominum, et antequam ista corpora gererent : et hinc esse quod ea quæ discuntur, reminiscuntur potius cognita, quam cognoscuntur nova. Retulit enim, puerum quemdam nescio quæ de geometrica [2] interrogatum, sic respondisse, tanquam esset illius peritissimus disciplinæ. Gradatim quippe atque artificiose interrogatus, videbat quod videndum erat, dicebatque quod viderat. Sed si recordatio hæc esset rerum antea cognitarum, non utique omnes vel pene omnes, cum illo modo interrogarentur, hoc possent. Non enim omnes in priore vita geometræ fuerunt, cum tam rari sint in genere humano, ut vix possit aliquis inveniri : sed potius credendum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente Conditore, subjuncta sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quæ in hac corporea luce circumadjacent, cujus lucis capax eique congruens est creatus. Non enim et ipse ideo sine magistro alba et nigra discernit, quia ista jam noverat antequam in hac carne crearetur. Denique cur de solis rebus intelligibilibus id fieri potest, ut bene interrogatus quisque respondeat quod ad quamque pertinet disciplinam, etiamsi ejus gnarus est? Cur hoc facere de rebus sensibilibus nullus potest, nisi quas isto vidit in corpore constitutus, aut eis quæ noverant indicantibus credidit, seu litteris cujusque, seu verbis? Non enim acquiescendum est eis qui Samium Pythagoram ferunt recordatum fuisse talia nonnulla quæ fuerat expertus [1], cum hic alio jam fuisset in corpore : et alios nonnullos narrant alii, ejusmodi aliquid in suis mentibus passos : quas falsas fuisse memorias, quales plerumque experimur in somnis, quando nobis videmur reminisci quasi egerimus aut viderimus, quod nec egimus omnino nec vidimus ; et eo modo affectas esse illorum mentes etiam vigilantium, instinctu spirituum malignorum atque fallacium, quibus curæ est de revolutionibus animarum falsam opinionem ad decipiendos homines firmare vel serere, ex hoc conjici potest, quia si vere illa recordarentur quæ hic in aliis antea positi corporibus viderant, multis ac pene omnibus id contingeret : quandoquidem ut de vivis mortuos, ita de mortuis vivos, tanquam de vigilantibus dormientes, et de dormientibus vigilantes, sine cessatione fieri suspicantur.

25. Si ergo hæc est sapientiæ et scientiæ recta distinctio, ut ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis ; ad scientiam vero, temporalium rerum cognitio rationalis : quid cui præponendum sive postponendum sit, non est difficile judicare. Si autem alia est adhibenda discretio, qua dignoscantur hæc duo, quæ procul dubio distare Apostolus docet, dicens, *Alii datur quidem per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum ;* tamen etiam istorum duorum quæ nos posuimus evidentissima differentia est, quod alia sit intellectualis cognitio æternarum rerum, alia rationalis temporalium, et huic illam præponendam esse ambigit nemo. Relinquentibus itaque nobis ea quæ sunt exterioris hominis, et ab eis quæ communia cum pecoribus habemus introrsum ascendere cupientibus, antequam ad cognitionem rerum intelligibilium atque summarum quæ sempiternæ sunt veniremus, temporalium rerum cognitio rationalis occurrit. Etiam in hac igitur inveniamus, si possumus, aliquam trinitatem, sicut invenicbamus in sensibus corporis, et in iis quæ per eos in animam vel spiritum nostrum imaginaliter intraverunt ; ut pro corporalibus rebus quas corporeo foris positas attingimus sensu, intus corporum similitudines haberemus impressas memoriæ, ex quibus cogitatio formaretur, tertia voluntate utrumque jungente : sicut formabatur foris acies oculorum, quam voluntas, ut visio fieret, adhibebat rei visibili, et utrumque jungebat, etiam illic ipsa se admovens tertiam. Sed non est hoc coarctandum in hunc librum, ut in eo qui sequitur, si Deus adjuverit, convenienter possit inquiri, et quod inventum fuerit explicari.

[1] Mss., *in ventre*.
[2] Sic Mss. Editi vero, *de geometria*.

[1] Editi, *non fuerat*. Abest, *non*, a manuscriptis.

LIBER TERTIUS DECIMUS.

Prosequitur de sapientia, in qua videlicet, etiam ut a sapientia distinguitur, trinitatem quamdam inquirere libro superiore cœpit, qua occasione hic fidem christianam commendans, explicat quomodo credentium sit fides una et communis. Tum beatitudinem omnes velle, nec tamen omnium esse fidem qua ad beatitudinem pervenitur. Hanc autem fidem in Christo esse definitam qui in carne resurrexit a mortuis, nec nisi per illum liberari quemquam a diaboli dominatu per remissionem peccatorum : et fuse ostendit diabolum non potentia, sed justitia vinci a Christo debuisse. Tandem hujus verbæ fidei dum memoriæ mandantur, inesse quamdam in animo trinitatem, quia et in memoria sunt verborum soni, etiam quando homo inde non cogitat ; et inde formatur acies recordationis ejus, quando de his cogitat ; et demum voluntas recordantis atque cogitantis utrumque conjungit.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Sapientiæ et scientiæ officia ex Scripturis discernere aggreditur. Ex Joannis exordio alia dicta ad sapientiam, alia ad scientiam pertinere. Quædam ibi fidei tantum auxilio cognita. Quomodo fidem quæ in nobis est videmus. In eadem Joannis narratione, alia sunt corporis sensu, alia tantum animi ratione cognita.* In libro superiore hujus operis duodecimo satis egimus discernere rationalis mentis officium in temporalibus rebus, ubi non sola cognitio, verum et actio nostra versatur, ab excellentiore ejusdem mentis officio, quod contemplandis æternis rebus impenditur, ac sola cognitione finitur. Commodius autem fieri puto, ut de Scripturis sanctis aliquid interseram, quo facilius possit utrumque dignosci.

2. Evangelium suum Joannes evangelista sic exorsus est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est : in ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes : hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 1-14). Hoc totum quod ex Evangelio posui, in præcedentibus suis partibus habet quod immutabile ac sempiternum est, cujus contemplatio nos beatos facit : in consequentibus vero permixta cum temporalibus commemorantur æterna. Ac per hoc aliqua ibi ad scientiam pertinent, aliqua ad sapientiam, sicut in libro duodecimo nostra præcessit distinctio. Nam, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil : quod factum est in ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt ;* contemplativam vitam requirit, et intellectuali mente cernendum est. Qua in re quanto magis quisque profecerit, tanto fiet sine dubitatione sapientior. Sed propter id quod ait, *Lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt ;* fide utique opus erat, qua crederetur quod non videretur. Tenebras quippe intelligi voluit, aversa ab hujusmodi luce eamque minus idonea contueri corda mortalium : propter quod adjungit et dicit, *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes : hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Hoc jam temporaliter gestum est, et ad scientiam pertinet, quæ cognitione historica continetur. Hominem autem Joannem in phantasia cogitamus, quæ de humanæ naturæ notitia impressa est nostræ memoriæ. Et hoc eodem modo cogitant, sive qui ista non credunt, sive qui credunt. Utrisque enim notum est quid sit homo, cujus exteriorem partem, id est, corpus per corporis lumina didicerunt : interiorem vero, id est, animam in se ipsis, quia et ipsi homines sunt, et per humanam conversationem cognitam tenent : ut possint cogitare quod dicitur, *Fuit homo cui nomen erat Joannes :* quia et nomina sciunt loquendo et audiendo. Quod autem ibi est, *missus a Deo ;* fide tenent qui tenent : et qui fide non tenent, aut dubitatione ambigunt, aut infidelitate derident. Utrique tamen, si non sunt ex numero nimis insipientium, qui dicunt in corde suo, *Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1), hæc audientes verba, utrumque cogitant, et quid sit Deus, et quid sit mitti a Deo ; et si non sicut res se habent, at certe sicut valent.

3. Fidem porro ipsam quam videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit ; aliter novimus : non sicut corpora quæ videmus oculis corporeis, et per ipsorum imagines quas memoria tenemus, etiam absentia cogitamus ; nec sicut ea quæ non vidimus, et ex iis quæ vidimus cogitatione utcumque formamus, et memoriæ commendamus, quo recurramus cum voluerimus, ut illic ea, vel potius qualescumque imagines eorum quas ibi fiximus, similiter recordatione cernamus ; nec sicut hominem vivum, cujus animam etiamsi non videmus, ex nostra conjicimus, et ex motibus corporalibus hominem vivum, sicut videndo [1] didicimus, intuemur etiam cogitando. Non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo cujus est : sed eam tenet certissima scientia, clamatque conscientia. Cum itaque propterea credere jubeamur, quia id quod credere jubemur, vi-

[1] Plures Mss., *vivendo*.

dere non possumus; ipsam tamen fidem quando inest in nobis, videmus in nobis : quia et rerum absentium præsens est fides, et rerum quæ foris sunt intus est fides, et rerum quæ non videntur videtur fides, et ipsa tamen temporaliter fit in cordibus hominum; et si ex fidelibus, infideles fiunt, perit ab eis. Aliquando autem et rebus falsis accommodatur fides : loquimur enim sic, ut dicamus, Habita est ei fides, et decepit. Qualis fides, si tamen et ipsa dicenda est fides, non culpabiliter de cordibus perit, quando eam inventa veritas pellit. Optabiliter autem rerum verarum in easdem res fides transit. Non enim dicendum est, Perit, quando ea, quæ credebantur, videntur. Numquid enim adhuc fides dicenda est, cum definita sit in Epistola ad Hebræos fides, dictumque sit eam esse convictionem rerum quæ non videntur (*Hebr.* XI, 1)?

4. Deinde quod sequitur, *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum;* actio, ut diximus, temporalis est. Temporaliter enim testimonium perhibetur etiam de re sempiterna, quod est intelligibile lumen. De quo ut testimonium perhiberet venit Joannes, qui *non erat lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Adjungit enim : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt.* Hæc verba omnia qui latinam linguam sciunt, ex rebus intelligunt quas noverunt. Quarum aliquæ nobis innotuerunt per corporis sensus, sicut homo, sicut ipse mundus, cujus tam evidentem magnitudinem cernimus, sicut eorumdem verborum soni; nam et auditus sensus est corporis : aliquæ autem per animi rationem, sicut id quod dictum est, *Et sui eum non receperunt :* intelligitur enim, Non in eum crediderunt, quod quid sit, nullo corporis sensu, sed animi ratione cognovimus. Ipsorum etiam verborum, non sonos [1], sed significationes, partim per corporis sensum, partim per animi rationem didicimus. Nec ea verba nunc primum audivimus : sed quæ jam audieramus; et non solum ipsa, verum etiam quæ significarent, cognita memoria tenebamus, et hic agnovimus. Hoc enim nomen dissyllabum cum dicitur, *mundus*, quoniam sonus est, res utique corporalis per corpus innotuit, id est, per aurem : sed etiam quod significat per corpus innotuit, id est, per oculos carnis. Mundus quippe in quantum notus est, videntibus notus est. At hoc verbum quatuor syllabarum quod est, Crediderunt, sono suo, quoniam corpus est, per aurem carnis illabitur : quod autem significat, nullo corporis sensu, sed animi ratione cognoscitur. Nisi enim quid sit, Crediderunt, per animum nossemus, non intelligeremus quid non fecerint illi de quibus dictum est, *Et sui eum non receperunt.* Sonus ergo verbi forinsecus instrepit auribus corporis, et attingit sensum qui vocatur auditus. Species quoque hominis et in nobis ipsis nobis nota est, et forinsecus in aliis adest corporis sensibus; oculis, cum videtur; auribus, cum auditur; tactui, cum tenetur et tangitur : habet etiam in memoria nostra imaginem suam, incorporalem quidem, sed corpori similem. Mundi denique ipsius mirabilis pulchritudo forinsecus præsto est, et aspectibus nostris, et ei sensui qui dicitur tactus, si quid ejus attingimus : habet etiam ipse intus in memoria nostra imaginem suam, ad quam recurrimus, cum eum vel septi parietibus, vel etiam in tenebris cogitamus. Sed de his imaginibus rerum corporalium, incorporalibus quidem, habentibus tamen similitudines corporum, et ad vitam exterioris hominis pertinentibus, jam satis in undecimo libro locuti sumus. Nunc autem agimus de homine interiore, et ejus scientia, ea quæ rerum est temporalium et mutabilium : in cujus intentionem cum assumitur aliquid, etiam de rebus ad exteriorem hominem pertinentibus, ad hoc assumendum est ut aliquid inde doceatur quod rationalem adjuvet scientiam : ac per hoc rerum quas communes cum animantibus irrationalibus habemus, rationalis usus ad interiorem hominem pertinet; nec recte dici potest cum irrationalibus animantibus eum nobis esse communem.

CAPUT II. — 5. *Fides res cordis, non corporis, quomodo communis et una omnium credentium. Fides credentium una non secus ac volentium voluntas una.* Fides vero de qua in hoc libro aliquanto diutius disputare certa dispositionis nostræ ratione compellimur, quam qui habent, fideles vocantur, et qui non habent, infideles, sicut il qui venientem in propria Dei Filium non receperunt, quamvis ex auditu in nobis facta sit, non tamen ad eum sensum corporis pertinet qui appellatur auditus, quoniam non est sonus; nec ad oculos hujus carnis, quoniam non est color aut corporis forma; nec ad eum qui dicitur tactus, quoniam corpulentiæ nihil habet; nec ad ullum omnino sensum corporis, quoniam cordis est res ista, non corporis; nec foris est a nobis, sed in intimis nobis [1]; nec eam quisquam hominum videt in alio, sed unusquisque in semetipso. Denique potest et simulatione confingi, et putari esse in quo non est. Suam igitur quisque fidem apud se ipsum videt : in altero autem credit esse eam, non videt; et tanto firmius credit, quanto fructus ejus magis novit, quos operari solet fides per dilectionem (*Galat.* v, 6). Quamobrem omnibus de quibus Evangelista subjungit et dicit, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, fides ista communis est : non sicut aliqua corporis forma communis est ad videndum omnium oculis quibus præsto est; ex ipsa quippe una omnium cernentium quodam modo informatur aspectus : sed sicut dici potest omnibus hominibus esse facies humana communis; nam hoc ita dicitur, ut tamen singuli suas habeant. Ex una sane doctrina impressam fidem credentium cordibus singulorum qui hoc idem credunt verissime dicimus : sed aliud sunt

[1] Editi, *non solum sonos*. Abest, *solum*, a Mss.

[1] Sic Mss. At editi, *in intimis nostris*.

et quæ creduntur, aliud fides qua creduntur. Illa quippe in rebus sunt quæ vel esse vel fuisse vel futuræ esse dicuntur : hæc autem in animo credentis est, ei tantum conspicua cujus est ; quamvis sit et in aliis, non ipsa, sed similis. Non enim numero est una, sed genere : propter similitudinem tamen et nullam diversitatem magis unam dicimus esse quam multas. Nam et duos homines simillimos cum videmus, unam faciem dicimus et miramur amborum. Facilius itaque dicitur multas animas fuisse singulas utique singulorum, de quibus legimus in Actibus Apostolorum quod eis fuerit anima una (*Act.* IV, 32) ; quam ubi dixit Apostolus, *Una fides* (*Ephes.* IV, 5), tot eas audet quisquam dicere quot fideles. Et tamen qui dicit, *O mulier, magna est fides tua* (*Matth.* XV, 28) ; et alteri, *Modicæ fidei, quare dubitasti* (*Id.* XIV, 31) ? suam cuique esse significat. Sed ita dicitur eadem credentium fides una, quemadmodum eadem volentium voluntas una : cum et in ipsis qui hoc idem volunt, sua voluntas sit cuique conspicua, alterius autem latet, quamvis idem velit ; et si aliquibus signis sese indicet, creditur potius quam videtur. Unusquisque autem sui animi conscius non credit utique hanc esse suam, sed plane pervidet voluntatem.

CAPUT III. — 6. *Voluntates quædam eadem omnium singulis notæ. Ennius poeta.* Est quædam sane ejusdem naturæ viventis et ratione utentis tanta conspiratio, ut cum lateat alterum quid alter velit, nonnullæ tamen sint voluntates omnium etiam singulis notæ : et cum quisque homo nesciat quid homo alius unus velit, in quibusdam rebus possit scire quid omnes velint. Unde illa cujusdam mimi facetissima prædicatur urbanitas, qui cum se promisisset in theatro quid in animo haberent, et quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum ingenti exspectatione major multitudo conflueret, suspensis et silentibus omnibus, dixisse perhibetur : Vili vultis emere, et caro vendere. In quo dicto levissimi scenici, omnes tamen conscientias invenerunt suas, eique vera ante oculos omnium constituta, et tamen improvisa dicenti, admirabili favore plauserunt. Cur autem tam magna exspectatio facta est illo promittente omnium voluntatem se esse dicturum, nisi quia latent hominem aliorum hominum voluntates? Sed numquid ista latuit istum? Numquid quemquam latet? Qua tandem causa, nisi quia sunt quædam quæ non inconvenienter in aliis de se quisque conjiciat, compatiente vel conspirante vitio seu natura? Sed aliud est videre voluntatem suam, aliud, quamvis certissima conjectura, conjicere alienam. Nam conditam Romam tam certum habeo in rebus humanis quam Constantinopolim, cum Romam viderim oculis meis, de illa vero nihil noverim, nisi quod aliis testibus credidi. Et mimus quidem ille vel se ipsum intuendo, vel alios quoque experiendo, vili velle emere, et caro vendere, omnibus id credidit esse commune. Sed quoniam revera vitium est, potest quisque adipisci ejusmodi justitiam, vel alicujus alterius vitii quod huic contrarium est incurrere pestilentiam, qua huic resistat et vincat. Nam scio ipse hominem, cum venalis codex ei fuisset oblatus, pretiique ejus ignarum et ideo quiddam exiguum poscentem cerneret venditorem, justum pretium quod multo amplius erat, nec opinanti dedisse. Quid, si etiam sit quisquam nequitia tanta possessus, ut vili vendat quæ dimiserunt pareptes, et caro emat quæ consumant libidines ? Non est, ut opinor, incredibilis ista luxuries : et si quærantur tales, reperiantur, aut etiam non quæsiti fortasse occurrant, qui nequitia majore quam theatrica, propositioni vel pronuntiationi theatricæ insultent, magno pretio stupra emendo, parvo autem rura vendendo. Largitionis etiam gratia novimus quosdam emisse frumenta carius, et vilius vendidisse suis civibus. Illud etiam quod vetus poeta dixit Ennius,

Omnes mortales sese laudarier optant[1] ;

profecto et de se ipso et de iis quos expertus fuerat, conjecit in aliis, et videtur pronuntiasse hominum omnium voluntates. Denique si et mimus ille dixisset, Laudari omnes vultis, nemo vestrum vult vituperari ; similiter quod esset omnium voluntatis dixisse videretur. Sunt tamen qui vitia sua oderint, et in quibus sibi displicent ipsi, nec ab aliis se laudari velint, gratiasque agant objurgantium benevolentiæ, cum ideo vituperantur ut corrigantur. At si dixisset, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis ; dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate quæ omnibus et in omnibus hominibus satis nota est, non recedit.

CAPUT IV. — 7. *Beatitudinis habendæ voluntas una omnium, sed de ipsa beatitudine varietas magna voluntatum.* Mirum est autem cum capessendæ atque retinendæ beatitudinis voluntas una sit omnium, unde tanta existat de ipsa beatitudine rursus varietas atque diversitas voluntatum, non quod aliquis eam nolit, sed quod non omnes eam norint. Si enim omnes eam nossent, non ab aliis putaretur esse in virtute animi ; aliis, in corporis voluptate ; aliis, in utraque ; et aliis atque aliis, alibi atque alibi. Ut enim eos quaque res maxime delectavit, ita in ea constituerunt vitam beatam. Quomodo igitur ferventissime amant omnes, quod non omnes sciunt ? Quis potest amare quod nescit ? sicut jam de hac re in libris superioribus disputavi (*Lib.* 8, *capp.* 4 *et seqq.*, *et lib.* 10, *cap.* 1, *etc.*). Cur ergo beatitudo amatur ab omnibus, nec tamen scitur ab omnibus ? An forte sciunt omnes ipsa quæ sit, sed non omnes sciunt ubi sit, et inde contentio est? Quasi vero de aliquo mundi hujus agatur loco, ubi debeat quisque velle vivere, qui vult beate vivere, ac non ita quæratur ubi sit beatitudo, sicut quæritur quæ sit. Nam utique si in corporis voluptate est, ille beatus est qui fruitur corporis voluptate : si in virtute animi, ille qui hac fruitur : si in utraque, ille qui fruitur utraque. Cum itaque alius dicit, Beate vivere est voluptate corporis frui ; alius autem, Beate vivere est virtute animi frui : nonne aut ambo ne-

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov., *laudari exoptant*. male. M.

sciunt quæ sit beata vita, aut non ambo sciunt? Quomodo ergo ambo amant eam, si nemo potest amare quod nescit? An forte falsum est quod pro verissimo certissimoque posuimus, beate vivere omnes homines velle? Si enim beate vivere est, verbi gratia, secundum animi virtutem vivere; quomodo beate vivere vult, qui hoc non vult? Nonne verius dixerimus: Homo iste non vult beate vivere, quia non vult secundum virtutem vivere, quod solum est beate vivere? Non igitur omnes beate vivere volunt, imo pauci hoc volunt, si non est beate vivere, nisi secundum virtutem animi vivere, quod multi nolunt. Itane falsum erit, unde nec ipse (cum Academicis omnia dubia sint) Academicus ille Cicero dubitavit, qui cum vellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suæ disputationis exordium, *Beati certe*, inquit, *omnes esse volumus?* Absit ut hoc falsum esse dicamus. Quid igitur? an dicendum est etiamsi nihil sit aliud beate vivere, quam secundum virtutem animi vivere, tamen et qui hoc non vult, beate vult vivere? Nimis quidem hoc videtur absurdum. Tale est enim ac si dicamus: Et qui non vult beate vivere, beate vult vivere. Istam repugnantiam quis audiat, quis ferat? Et tamen ad hanc contrudit necessitas, si et omnes beate velle vivere verum est, et non omnes sic volunt vivere, quomodo solum beate vivitur.

CAPUT V. — 8. *De eadem re.* An forte illud est quod nos ab his angustiis possit eruere, ut quoniam diximus ibi quosque posuisse beatam vitam quod eos maxime delectavit, ut voluptas Epicurum, virtus Zenonem; sic alium aliquid aliud, nihil dicamus esse beate vivere, nisi vivere secundum delectationem suam, et ideo falsum non esse quod omnes beate vivere velint, quia omnes ita volunt ut quemque delectat? Nam et hoc populo si pronuntiatum esset in theatro, omnes id in suis voluntatibus invenirent. Sed hoc quoque Cicero cum sibi ex adverso proposuisset, ita redarguit, ut qui hoc sentiunt, erubescant. Ait enim: *Ecce autem non philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum, omnes aiunt esse beatos, qui vivant ut ipsi velint:* hoc est quod nos diximus, Ut quosque delectat. Sed mox ille subjecit: *Falsum id quidem. Velle enim quod non deceat, idipsum miserrimum est: nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat.* Præclarissime omnino atque verissime. Quis namque ita sit mente cæcus, et ab omni luce decoris alienus ac tenebris dedecoris involutus, ut eum qui nequiter vivit ac turpiter, et nullo prohibente, nullo ulciscente, et nullo saltem reprehendere audente, insuper et laudantibus plurimis, quoniam sicut ait Scriptura divina, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ; et qui iniqua gerit, benedicitur* (*Psal.* IX, 3), implet omnes suas facinorosissimas et flagitiosissimas voluntates [1], ideo beatum dicat, quia vivit ut vult: cum profecto quamvis et sic miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum quæ perperam voluisset, habere potuisset? Etiam mala enim voluntate vel sola quisque miser efficitur: sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur. Quapropter, quoniam verum est quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, et propter hoc cætera quæcumque appetunt; nec quisquam potest amare quod omnino quid vel quale sit nescit, nec potest nescire quid sit quod velle se scit; sequitur ut omnes beatam vitam sciant. Omnes autem beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt continuo sint beati: continuo autem miseri, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non recte volunt. Beatus igitur non est, nisi qui et habet omnia quæ vult, et nihil vult male.

CAPUT VI. — 9. *Cur cum omnes velint beatitudinem, id eligatur potius, quo ab ea receditur.* Cum ergo ex his duobus beata vita constet, atque omnibus nota, omnibus chara sit; quid putamus esse causæ cur horum duorum, quando utrumque non possunt, magis eligant homines, ut omnia quæ volunt habeant, quam ut omnia bene velint etiamsi non habeant? An ipsa est pravitas generis humani, ut cum eos non lateat, nec illum beatum esse qui quod vult non habet, nec illum qui quod male vult habet; sed illum qui et habet quæcumque vult bona, et nulla vult mala, ex his duobus quibus beata vita perficitur, quando utrumque non datur, id eligatur potius, unde magis a beata vita receditur (longius quippe ab illa est quicumque adipiscitur male concupita, quam qui non adipiscitur concupita); cum potius eligi debuerit voluntas bona, atque præponi, etiam non adepta quæ appetit? Propinquat enim beato, qui bene vult quæcumque vult, et quæ adeptus cum fuerit beatus erit. Et utique non mala, sed bona beatum faciunt, quando faciunt: quorum bonorum habet aliquid jam, idque non parvi æstimandum, eam ipsam scilicet voluntatem bonam, qui de bonis quorum capax est humana natura, non de ullius mali perpetratione vel adeptione gaudere desiderat; et bona, qualia et in hac misera vita esse possunt, prudenti, temperanti, forti, et justa mente sectatur, et quantum datur assequitur; ut etiam in malis sit bonus, et finitis malis omnibus atque impletis bonis omnibus sit beatus.

CAPUT VII. — 10. *Fides necessaria, ut aliquando sit homo beatus, quod nonnisi in futura vita consequetur. Philosophorum superborum ridenda et miseranda beatitudo.* Ac per hoc in ista mortali vita erroribus ærumnisque plenissima, præcipue fides est necessaria, qua in Deum creditur. Non enim quæcumque bona, maximeque illa quibus quisque fit bonus, et illa quibus fiet beatus, unde nisi a Deo in hominem veniant, et homini accedant, inveniri potest. Cum autem ex hac vita ab eo qui in his miseriis fidelis et bonus est, ventum fuerit ad beatam, tunc erit vere quod nunc esse nullo modo potest, ut sic homo vivat quomodo vult. Non enim volet male vivere in illa felicitate, aut volet aliquid quod deerit, aut deerit quod voluerit. Quidquid amabitur, aderit: nec desiderabitur quod

[1] sic Am. Er. et aliquot Mss. At editio Lov., *voluptates.*

non aderit. Omne quod ibi erit, bonum erit, et summus Deus summum bonum erit, atque ad fruendum amantibus præsto erit; et quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit. Nunc vero fecerunt quidem [1] sibi philosophi, sicut eorum cuique placuit, vitas beatas suas, ut quasi propria virtute possent, quod communi mortalium conditione non poterant, sic scilicet vivere ut vellent. Sentiebant enim aliter beatum esse neminem posse, nisi habendo quod vellet, et nihil patiendo quod nollet. Quis autem non qualemcumque vitam qua delectatur, et ideo beatam vocat, vellet sic esse in sua potestate, ut eam posset habere perpetuam? Et tamen quis ita est? Quis vult pati molestias quas fortiter toleret, quamvis eas velit possitque tolerare si patitur? Quis velit in tormentis vivere, etiam qui potest in eis per patientiam tenendo justitiam laudabiliter vivere? Transitura cogitaverunt hæc mala, qui ea pertulerunt, vel cupiendo habere, vel timendo amittere quod amabant, sive nequiter sive laudabiliter. Nam multi per transitoria mala, ad bona permanura fortiter tetenderunt. Qui profecto spe beati sunt, etiam cum sunt in transitoriis malis, per quæ ad bona non transitura perveniunt. Sed qui spe beatus est, nondum beatus est: exspectat namque per patientiam beatitudinem quam nondum tenet. Qui vero sine ulla spe tali, sine ulla tali mercede cruciatur, quantamlibet adhibeat tolerantiam, non est beatus veraciter, sed miser fortiter. Neque enim propterea miser non est, quia miserior esset, si etiam impatienter miseriam sustineret. Porro si ista non patitur, quæ nollet pati in suo corpore, nec tunc quidem beatus habendus est, quoniam non vivit ut vult. Ut enim alia omittam, quæ corpore illæso ad animi pertinent offensiones, sine quibus vivere vellemus, et sunt innumerabilia; vellet utique si posset ita salvum atque incolume habere corpus, et nullas ex eo pati molestias, ut id haberet in potestate, aut in ipsius incorruptione corporis: quod quia non habet, ac pendet in incerto [2], profecto non vivit ut vult. Quamvis enim per fortitudinem sit paratus excipere, et æquo ferre animo quidquid adversitatis acciderit; mavult tamen ut non accidat, et si possit facit; atque ita paratus est in utrumque, ut quantum in ipso est alterum optet, alterum vitet, et si quod vitat, incurrerit, ideo volens ferat, quia fieri non potuit quod volebat. Ne opprimatur ergo sustinet: sed premi nollet. Quomodo ergo vivit ut vult? An quia volens fortis est ad ferenda quæ nollet illata? Ideo igitur id vult quod potest, quoniam quod vult non potest. Hæc est tota, utrum ridenda, an potius miseranda, superborum beatitudo mortalium, gloriantium se vivere ut volunt, quia volentes patienter ferunt quæ accidere sibi nolunt. Hoc est enim, aiunt, quod sapienter dixit Terentius,

Quoniam non potest id fieri quod vis,
Id velis quod possis [3].
(*In Andreia, act.* 2, *scen.* 1, *vers.* 5, 6.)

[1] Editi, loco, *quidem*, habebant, *quidam*.
[2] Mss., *pendet incerto*; omissa particula, *in*.
[3] Terentius fert, *possit*. M.

Commode hoc dictum esse, quis negat? Sed consilium est datum misero, ne esset miserior. Beate autem, quales se esse omnes volunt, non recte nec vere dicitur, Non potest fieri quod vis. Si enim beatus est, quidquid vult fieri potest; quia non vult quod fieri non potest. Sed non est mortalitatis hujus hæc vita, nec erit nisi quando et immortalitas erit. Quæ si nullo modo dari homini posset, frustra etiam beatitudo quæreretur; quia sine immortalitate non potest esse.

CAPUT VIII. — 11. *Beatitudo sine immortalitate non potest esse.* Cum ergo beati esse omnes homines velint, si vere volunt [1], profecto et esse immortales volunt: aliter enim beati esse non possent. Denique et de immortalitate interrogati, sicut et de beatitudine, omnes eam se velle respondent. Sed qualiscumque beatitudo, quæ potius vocetur quam sit, in hac vita quæritur, imo vero fingitur, dum immortalitas desperatur, sine qua vera beatitudo esse non potest. Ille quippe beate vivit, quod jam superius diximus, et astruendo satis fiximus, qui vivit ut vult, nec male aliquid vult. Nemo autem male vult immortalitatem, si ejus humana capax est Deo donante natura: cujus si non capax est, nec beatitudinis capax est. Ut enim homo beate vivat, oportet ut vivat. Quem porro morientem vita ipsa deserit, beata vita cum illo manere qui potest? Cum autem deserit, aut nolentem deserit procul dubio, aut volentem, aut neutrum. Si nolentem, quomodo beata vita est, quæ ita est in voluntate, ut non sit in potestate? Cumque beatus nemo sit aliquid volendo nec habendo, quanto minus est beatus qui non honore, non possessione, non qualibet alia re, sed ipsa beata vita nolens deseritur, quando ei nulla vita erit? Unde etsi nullus sensus relinquitur, quo sit misera (propterea enim beata vita discedit, quoniam tota vita discedit), miser est tamen, quamdiu sentit, quia scit se nolente [2] consumi propter quod cætera et quod præ cæteris diligit. Non igitur potest vita et beata esse, et nolentem deserere [3]: quia beatus nolens nemo fit; ac per hoc quanto magis nolentem deserendo miserum facit, quæ si nolenti præsto esset miserum faceret? Si autem volentem deserit, etiam sic quomodo beata vita erat, quam perire [4] voluit qui habebat? Restat ut dicant neutrum esse in animo beati; id est, eum deseri a beata vita, cum per mortem deserit tota vita, nec nolle nec velle, ad utrumque enim parato et æquo corde [5] consistere. Sed nec ista beata est vita, quæ talis est, ut quem beatum facit, amore ejus indigna sit. Quomodo enim est beata vita, quam non amat beatus? Aut quomodo amatur, quod utrum vigeat, an pereat, indifferenter accipitur? Nisi forte virtutes, quas propter solam beatitudinem sic amamus, persuadere nobis audent, ut ipsam beatitudi-

[1] Am. et Mss., *si verum volunt*.
[2] Sic Mss. At editi, *nolentem*; minus recte.
[3] Editio Lov., *volentem deserere*. Castigatur ex editis aliis et Mss.
[4] In Mss., *finire*.
[5] Editi, *animo*. At Mss., *corde*.

nem non amemus. Quod si faciunt, etiam ipsas utique amare desistimus, quando illam propter quam solam istas amavimus, non amamus. Deinde quomodo erit vera tam illa perspecta [1], tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia, beatos esse omnes homines velle, si ipsi qui jam beati sunt, beati esse nec nolunt, nec volunt? Aut si volunt, ut veritas clamat, ut natura compellit, cui summe bonus et immutabiliter beatus Creator indidit hoc; si volunt, inquam, beati esse qui beati sunt, beati non esse utique nolunt. Si autem beati non esse nolunt, procul dubio nolunt consumi et perire quod beati sunt. Nec nisi viventes beati esse possunt: nolunt igitur perire quod vivunt. Immortales ergo esse volunt, quicumque vere beati vel sunt vel esse cupiunt. Non autem vivit beate, cui non adest quod vult: nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.

CAPUT IX. — 12. *Non humanis argumentationibus, sed fidei auxilio dicimus beatitudinem futuram esse vere sempiternam. Ex Filii Dei incarnatione credibilis fit immortalitas beatitudinis.* Hanc utrum capiat humana natura, quam tamen desiderabilem confitetur, non parva quæstio est. Sed si fides adsit, quæ inest eis quibus dedit potestatem Jesus filios Dei fieri, nulla quæstio est. Humanis quippe argumentationibus hæc invenire conantes, vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem pervenire potuerunt. Cui tamen animæ beatam vitam non invenerunt stabilem, id est veram: ad miserias eam quippe vitæ hujus etiam post beatitudinem redire dixerunt. Et qui eorum de hac erubuerunt sententia, et animam purgatam in sempiterna beatitudine [2] sine corpore collocandam putaverunt, talia de mundi retrorsus æternitate sentiunt, ut hanc de anima sententiam suam ipsi redarguant: quod hic longum est demonstrare, sed in libro duodecimo de Civitate Dei, satis a nobis est, quantum arbitror, explicatum (*Cap.* 20). Fides autem ista totum hominem immortalem futurum, qui utique constat ex anima et corpore, et ob hoc vere beatum, non argumentatione humana, sed divina auctoritate promittit. Et ideo cum dictum esset in Evangelio, quod Jesus dederit *potestatem filios Dei fieri iis qui eum receperunt*; et quid sit recepisse eum, breviter fuisset expositum, dicendo, *Credentibus in nomine ejus*; quoque modo filii Dei fierent, esset adjunctum, *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*: ne ista hominum quam videmus et gestamus infirmitas tantam excellentiam desperaret, illico annexum est, *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 12-14); ut a contrario suaderetur quod incredibile videbatur. Si enim natura Dei Filius propter filios hominum misericordia factus est hominis filius; hoc est enim, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* hominibus: quanto est credibilius, natura filios hominis gratia Dei filios Dei fieri, et habitare in Deo, in quo solo et de quo solo esse possunt beati participes immortalitatis ejus effecti; propter quod persuadendum Dei Filius particeps nostræ mortalitatis effectus est?

CAPUT X. — 13. *Incarnatione Verbi convenientior non fuit modus alius liberandi hominis a mortalitatis miseria. Merita quæ dicuntur nostra, dona sunt Dei.* Eos itaque qui dicunt, Itane defuit Deo modus alius quo liberaret homines a miseria mortalitatis hujus, ut unigenitum Filium Deum sibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam et carnem, mortalemque factum mortem perpeti? parum est sic refellere, ut istum modum quo nos per Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum Deus liberare dignatur, asseramus bonum et divinæ congruum dignitati: verum etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent; sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse. Quid enim tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium conditione ipsius mortalitatis abjectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quam ut demonstraretur nobis quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret? Quid vero hujus rei tanto isto indicio manifestius atque præclarius, quam ut Dei Filius immutabiliter bonus, in se manens quod erat, et a nobis pro nobis accipiens quod non erat, præter suæ naturæ detrimentum [1], nostræ dignatus inire consortium, prius sine ullo malo suo merito mala nostra perferret; ac sic jam credentibus quantum nos diligat Deus, et quod desperabamus jam sperantibus, dona in nos sua sine ullis bonis meritis nostris, imo præcedentibus et malis meritis nostris, indebita largitate conferret?

14. Quia et ea quæ dicuntur merita nostra, dona sunt ejus. Ut enim fides per dilectionem operetur (*Galat.* v, 6), *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5). Tunc est autem datus, quando est Jesus resurrectione clarificatus. Tunc enim cum se missurum esse promisit et misit (*Joan.* xx, 22; vii, 39, *et* xv, 26): quia tunc, sicut de illo scriptum est, et ante prædictum, *Ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ephes.* iv, 8, *et Psal.* lxvii, 19). Hæc dona sunt merita nostra, quibus ad summum bonum immortalis beatitudinis [2] pervenimus. *Commendat autem*, inquit Apostolus, *charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* Adhuc addit, et dicit, *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Quos peccatores

[1] Editi, *perfecta*. Melius Mss., *perspecta*.
[2] Editi, *in sempiternam beatitudinem*.

[1] Er. et Lov., *præter animæ suæ naturæ detrimentum*. Abest, *animæ*, a Mss. et editione Am.
[2] Sic Mss. Editi vero, *immortalitatis et beatitudinis*.

dixit prius, hos posterius inimicos Dei; et quos prius justificatos in sanguine Jesu Christi, eos posterius reconciliatos per mortem Filii Dei; et quos prius salvos ab ira per ipsum, eos postea salvos in vita ipsius. Non ergo ante istam gratiam quoquo modo peccatores, sed in talibus peccatis fuimus, ut inimici essemus Dei. Superius autem idem apostolus nos peccatores et inimicos Dei, duobus identidem nominibus appellavit, uno velut mitissimo, alio plane atrocissimo, dicens, *Si enim Christus, cum infirmi essemus adhuc, juxta tempus pro impiis mortuus est* (*Rom.* v, 6-10). Quos infirmos, eosdem impios nuncupavit. Leve aliquid videtur infirmitas; sed aliquando talis est, ut impietas nominetur. Nisi tamen infirmitas esset, medicum necessarium non haberet: qui est hebraice Jesus, græce Σωτὴρ, nostra autem locutione Salvator. Quod verbum latina lingua antea non habebat, sed habere poterat, sicut potuit quando voluit. Hæc autem Apostoli sententia præcedens, ubi ait, *Adhuc cum infirmi essemus, juxta tempus pro impiis mortuus est*, cohæret his duabus sequentibus, quarum in una dixit peccatores, in alia inimicos Dei, tanquam illis singulis reddiderit singula, peccatores ad infirmos, inimicos Dei referens ad impios.

CAPUT XI. — 15. *Difficultas, quomodo justificati sumus in sanguine Filii Dei.* Sed quid est, *justificati in sanguine ipsius?* Quæ vis est sanguinis hujus, obsecro, ut in eo justificentur credentes? Et quid est, *reconciliati per mortem Filii ejus?* Itane vero, cum irasceretur nobis Deus Pater, vidit mortem Filii sui pro nobis, et placatus est nobis? Numquid ergo Filius ejus usque adeo nobis jam placatus erat, ut pro nobis etiam dignaretur mori: Pater vero usque adeo adhuc irascebatur, ut nisi Filius pro nobis moreretur, non placaretur? Et quid est quod alio loco idem ipse doctor Gentium: *Quid*, inquit, *ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* (*Id.* VIII, 31, 32)? Numquid nisi jam placatus esset Pater, proprio Filio non parcens pro nobis eum traderet? Nonne videtur hæc illi velut adversa esse sententia? In illa moritur pro nobis Filius, et reconciliatur nobis Pater per mortem ejus: in hac autem tanquam prior nos dilexerit Pater, ipse propter nos Filio non parcit, ipse pro nobis eum tradit ad mortem. Sed video quod et antea Pater dilexit nos, non solum antequam pro nobis Filius moreretur, sed antequam conderet mundum, ipso teste Apostolo qui dicit: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I, 4). Nec Filius Patre sibi non parcente pro nobis velut invitus est traditus, quia et de ipso dictum est, *Qui me dilexit, et tradidit semetipsum pro me* (*Galat.* II, 20). Omnia ergo simul et Pater et Filius et amborum Spiritus pariter et concorditer operantur: tamen justificati sumus in Christi sanguine, et reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; et quomodo id factum sit, ut potero, etiam hic quantum satis videbitur explicabo.

CAPUT XII. — 16. *Omnes propter Adæ peccatum traditi in potestatem diaboli.* Quadam justitia Dei in potestatem diaboli traditum est genus humanum, peccato primi hominis in omnes utriusque sexus commixtione nascentes originaliter transeunte, et parentum primorum debito universos posteros obligante. Hæc traditio prius in Genesi significata est, ubi cum serpenti dictum esset, *Terram manducabis;* homini dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 14, 19). Eo quod dictum est, *in terram ibis;* mors corporis prænuntiata est, quia nec ipsam fuerat experturus, si permansisset ut factus est rectus: quod vero viventi ait, *Terra es;* ostendit totum hominem in deterius commutatum. Tale est enim, *Terra es;* quale istud, *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis quoniam caro sunt* (*Id.* VI, 3). Tunc ergo demonstravit cum ei traditum, cui dictum fuerat, *Terram manducabis.* Apostolus autem apertius hoc prædicat, ubi dicit: *Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris, spiritus hujus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntates carnis et affectionum: et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 1-3). Filii diffidentiæ sunt infideles; et quis hoc non est antequam fidelis fiat? Quocirca omnes homines ab origine sub principe sunt potestatis aeris, *qui operatur in filiis diffidentiæ.* Et quod dixi, Ab origine, hoc est quod dicit Apostolus, *natura* et se fuisse sicut cæteros: natura scilicet ut est depravata peccato, non ut recta creata est ab initio. Modus autem iste quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit: sed quod tantum permiserit, juste tamen. Illo enim deserente peccantem, peccati auctor illico invasit. Nec ita sane Deus deseruit creaturam suam, ut non se illi exhiberet Deum creantem et vivificantem, et inter pœnalia mala etiam bona malis multa præstantem. Non enim continuit in ira sua miserationes suas (*Psal.* LXXVI, 10). Nec hominem a lege suæ potestatis amisit, quando in diaboli potestate esse permisit: quia nec ipse diabolus a potestate Omnipotentis alienus est, sicut neque a bonitate. Nam et maligni angeli unde qualicumque subsisterent vita, nisi per eum qui vivificat omnia? Si ergo commissio peccatorum per iram Dei justam hominem subdidit diabolo, profecto remissio peccatorum per reconciliationem Dei benignam eruit hominem a diabolo.

CAPUT XIII. — 17. *Non potentia, sed justitia eruendus homo fuit a diaboli potestate.* Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit. Nam quid Omnipotente potentius? Aut cujus creaturæ potestas potestati Creatoris comparari potest? Sed cum diabolus vitio perversitatis suæ factus sit amator potentiæ, et desertor oppugnatorque justitiæ; sic enim et homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam perosa justitia, potentiæ student, ejusque vel adeptione lætantur, vel inflammun-

tur cupiditate : placuit Deo, ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia vinceretur ; atque ita et homines imitantes Christum, justitia quærerent diabolum vincere, non potentia. Non quod potentia quasi mali aliquid fugienda sit ; sed ordo servandus est, quo prior est justitia. Nam quanta potentia potest esse mortalium? Teneant ergo mortales justitiam, potentia immortalibus dabitur. Cui comparata quantalibet eorum hominum qui potentes vocantur in terra, ridicula infirmitas invenitur, et ibi foditur peccatori fovea, ubi videntur mali plurimum posse. Cantat autem justus et dicit : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum : ut mitiges ei a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea. Quoniam non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet : quoadusque justitia convertatur in judicium, et qui habent eam, omnes recto sunt corde* (*Psal.* XCIII, 12-15). Hoc ergo tempore quo differtur potentia populi Dei, *non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet ;* quantalibet acerba et indigna ipsa humilis atque infirma patiatur, *quoadusque justitia* quam nunc habet infirmitas piorum, *convertatur in judicium*, hoc est, judicandi accipiat potestatem : quod justis in fine servatur, cum præcedentem justitiam ordine suo fuerit potentia subsecuta. Potentia quippe adjuncta justitiæ, vel justitia accedens potentiæ [1], judiciariam potestatem facit. Pertinet autem justitia ad voluntatem bonam : unde dictum est ab Angelis nato Christo, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Potentia vero sequi debet justitiam, non præire : ideo et in rebus secundis ponitur, id est prosperis : secundæ autem a sequendo sunt dictæ. Cum enim beatum faciant, sicut superius disputavimus, duæ res, bene velle, et posse quod velis, non debet esse illa perversitas, quæ in eadem disputatione notata est, ut ex duabus rebus quæ faciunt beatum, posse quod velit homo eligat, et velle quod oportet negligat ; cum prius debeat habere voluntatem bonam, magnam vero postea potestatem. Bona porro voluntas purganda est a vitiis, a quibus si vincitur homo, ad hoc vincitur ut male velit, et bona jam voluntas ejus quomodo erit ? Optandum est itaque ut potestas nunc detur, sed contra vitia, propter quæ vincenda potentes nolunt esse homines, et volunt propter vincendos homines ; utquid hoc, nisi ut vere victi falso vincant, nec sint veritate, sed opinione victores? Velit homo prudens esse, velit fortis, velit temperans, velit justus, atque ut hæc veraciter possit, potentiam plane optet, atque appetat ut potens sit in seipso, et miro modo adversus se ipsum pro se ipso. Cætera vero quæ bene vult, et tamen non potest, sicut est immortalitas, et vera ac plena felicitas, desiderare non cesset, et patienter exspectet.

CAPUT XIV. — 18. *Christi mors indebita liberavit obnoxios morti.* Quæ est igitur justitia, qua victus est diabolus? Quæ, nisi justitia Jesu Christi ? Et quomodo victus est ? Quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit cum tamen. Et utique justum est ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes quem sine ullo debito occidit. Hoc est quod justificari dicimur in Christi sanguine (*Rom.* V, 9). Sic quippe in remissionem peccatorum nostrorum innocens sanguis ille effusus est. Unde se dicit in Psalmis in mortuis liberum (*Psal.* LXXXVII, 6). Solus enim a debito mortis liber est mortuus. Hinc et in alio Psalmo dicit, *Quæ non rapui, tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII, 5) : rapinam volens intelligi peccatum, quia usurpatum est contra licitum. Unde per os etiam carnis suæ, sicut in Evangelio legitur, dicit, *Ecce venit princeps mundi hujus, et in me nihil invenit*, id est, nullum peccatum : *sed ut sciant omnes*, inquit, *quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc* (*Joan.* XIV, 30, 31). Et pergit inde ad passionem, ut pro debitoribus nobis quod ipse non debebat exsolveret. Numquid isto jure æquissimo diabolus vinceretur, si potentia Christus cum illo agere, non justitia voluisset ? Sed postposuit quod potuit, ut prius ageret quod oportuit. Ideo autem illum esse opus erat, et hominem, et Deum. Nisi enim homo esset, non posset occidi : nisi Deus esset, non crederetur noluisse quod potuit, sed non potuisse quod voluit ; nec ab eo justitiam potentiæ prælatam fuisse, sed ei defuisse potentiam putaremus. Nunc vero humana pro nobis passus est, quia homo erat ; sed si noluisset [1], etiam hoc non pati potuisset, quia et Deus erat. Ideo gratior facta est in humilitate justitia, quia posset si noluisset humilitatem non perpeti tanta in divinitate potentia : ac sic a moriente tam potente, nobis mortalibus impotentibus, et commendata est justitia, et promissa potentia. Horum enim duorum unum fecit moriendo, alterum resurgendo Quid enim justius, quam usque ad mortem crucis pro justitia pervenire ? et quid potentius, quam resurgere a mortuis, et in cœlum cum ipsa carne in qua est occisus ascendere ? Et justitia ergo prius, et potentia postea diabolum vicit : justitia scilicet, quia nullum peccatum habuit, et ab illo injustissime est occisus ; potentia vero, quia revixit mortuus, nunquam postea moriturus (*Rom.* VI, 9). Sed potentia diabolum vicisset, etiamsi ab illo non potuisset occidi : quamvis majoris sit potentiæ etiam ipsam mortem vincere resurgendo, quam vitare vivendo. Sed aliud est propter quod justificamur in Christi sanguine, cum per remissionem peccatorum eruimur a diaboli potestate : hoc ad id pertinet, quod a Christo justitia diabolus vincitur, non potentia. Ex infirmitate quippe quam suscepit in carne mortali, non ex immortali potentia crucifixus est Christus : de qua tamen infirmitate ait Apostolus, *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I *Cor.* I, 25).

CAPUT XV. — 19. *De eodem.* Non est itaque difficile videre diabolum victum, quando qui ab illo occisus est resurrexit. Illud est majus, et ad intelligendum profundius, videre diabolum victum, quando sibi

[1] Am. et plerique Mss., *accedente potentiæ*. Et nonnulli, *accedente potentia*.

[1] Sic Mss. At editi, *voluisset*.

vicisse videbatur, id est, quando Christus occisus est. Tunc enim sanguis ille, quoniam ejus erat qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum fusus est peccatorum, ut quia eos diabolus merito tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit. Hac justitia victus, et hoc vinculo vinctus est fortis, ut vasa ejus eriperentur (*Marc.* III, 27), quæ apud eum cum ipso et angelis ejus fuerant vasa iræ, et in vasa misericordiæ verterentur (*Rom.* IX, 22, 23). Hæc quippe verba ipsius Domini nostri Jesu Christi de cœlo ad se facta, cum primum vocatus est, narrat apostolus Paulus. Nam inter cætera quæ audivit, etiam hoc sibi dictum sic loquitur : *Ad hoc enim tibi apparui, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ a me vides, quibus etiam præeo tibi, liberans te de populo et de gentibus, in quas ego mitto te aperire oculos cæcorum, ut avertantur a tenebris, et a potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem quæ in sanctis, et fidem quæ in me est* (*Act.* XXVI, 16-18). Unde et exhortans idem apostolus credentes ad gratiarum actionem Deo Patri : *Qui eruit nos*, inquit, *de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suæ, in quo habemus redemptionem in remissionem peccatorum* (*Coloss.* I, 13, 14). In hac redemptione tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto diabolus non ditatus est, sed ligatus : ut nos ab ejus nexibus solveremur, nec quemquam secum eorum quos Christus ab omni debito liber indebite fuso suo sanguine redemisset, peccatorum reibus involutum traheret ad secundæ ac sempiternæ mortis exitium (*Apoc.* XXI, 8); sed hactenus morerentur ad Christi gratiam pertinentes, præcogniti et prædestinati et electi ante constitutionem mundi (I *Petr.* I, 20), quatenus pro illis ipse mortuus est Christus, carnis tantum morte, non spiritus.

CAPUT XVI. — 20. *Reliquiæ mortis et sæculi mala cedunt in bonum electis. Quam convenienter electa mors Christi, ut justificaremur in sanguine ipsius. Ira Dei quæ sit.* Quamvis enim et ipsa mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit, tamen bonus ejus usus gloriosissimos martyres fecit. Et ideo non solum ipsa, sed omnia sæculi hujus mala, dolores laboresque hominum, quanquam de peccatorum, et maxime de peccati originalis meritis veniant, unde facta est et ipsa vita vinculo mortis obstricta, tamen et remissis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro veritate certaret, et unde exerceretur virtus fidelium : ut novus homo per testamentum novum, inter mala hujus sæculi novo sæculo præpararetur, miseriam quam meruit vita ista damnata sapienter tolerans, et quia finietur prudenter gratulans; beatitudinem vero quam liberata vita futura sine fine habitura est, fideliter et patienter exspectans. Diabolus enim a dominatu et a cordibus fidelium foras missus, in quorum damnatione atque infidelitate licet damnatus etiam ipse regnabat, tantum pro conditione mortalitatis hujus adversari sinitur, quantum eis expedire novit, de quo sacræ Litteræ personant per os apostolicum : *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* X, 13). Prosunt autem ista mala quæ fideles pie perferunt, vel ad emendanda peccata, vel ad exercendam probandamque justitiam, vel ad demonstrandam vitæ hujus miseriam, ut illa ubi erit beatitudo vera atque perpetua, et desideretur ardentius, et instantius inquiratur. Sed circa eos ista servantur, de quibus Apostolus dicit : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Quoniam quos ante præscivit, et prædestinavit conformes*[1] *imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos et vocavit; et quos vocavit, illos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit.* Illorum prædestinatorum nemo cum diabolo peribit[2]; nemo usque ad mortem sub diaboli potestate remanebit. Deinde sequitur quod jam supra commemoravi (*Cap.* 11) : *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non et cum illo omnia nobis donavit* (*Rom.* VIII, 28-32).

21. Cur ergo non fieret mors Christi? Imo cur non prætermissis aliis innumerabilibus modis, quibus ad nos liberandos uti posset Omnipotens, ipsa potissimum eligeretur ut fieret; ubi nec de divinitate ejus aliquid imminutum est aut mutatum, et de humanitate suscepta tantum beneficii collatum est hominibus, ut a Dei Filio sempiterno eodemque hominis filio mors temporalis indebita redderetur, qua eos a sempiterna morte debita liberaret? Peccata nostra diabolus tenebat, et per illa nos merito figebat in morte. Dimisit ea ille qui sua non habebat, et ab illo immerito est perductus ad mortem. Tanti valuit sanguis ille, ut neminem Christo indutum in æterna morte debita detinere debuerit, qui Christum morte indebita vel ad tempus occidit. *Commendat* ergo *charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Justificati*, inquit, *in sanguine ipsius* : justificati plane in eo quod a peccatis omnibus liberati; liberati autem a peccatis omnibus, quoniam pro nobis est Dei Filius, qui nullum habebat, occisus. *Salvi* ergo *erimus ab ira per ipsum* : ab ira utique Dei, quæ nihil est aliud quam justa vindicta. Non enim sicut hominis, animi perturbatio est ira Dei : sed illius ira est, cui dicit alio loco sancta Scriptura, *Tu autem, Domine virtutum, cum tranquillitate judicas* (*Sap.* XII, 18). Si ergo justa divina vindicta tale nomen accepit, etiam reconciliatio Dei quæ recte intelligitur[3], nisi cum talis ira finitur? Nec inimici eramus Deo, nisi quemadmodum justitiæ sunt inimica peccata, quibus remis

[1] Hic editi addunt, *fieri;* quod a Mss. et a græco textu Apostoli abest.

[2] Mss., *perit.*

[3] Editio Lov., *non intelligitur;* perperam addita negante particula, qua editiones aliæ et Mss. carent.

sis tales inimicitiæ finiuntur, et reconciliantur justo [1] quos ipse justificat. Quos tamen etiam inimicos utique dilexit : quandoquidem *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus*, cum adhuc inimici essemus, *tradidit eum*. Recte ergo Apostolus secutus adjunxit, *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*, per quam facta est illa remissio peccatorum ; *multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius*. In vita salvi, qui per mortem reconciliati. Quis enim dubitet daturum amicis vitam suam, pro quibus inimicis dedit mortem suam? *Non solum autem*, inquit, *sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Non solum*, ait, salvi erimus, *sed et gloriamur* : nec in nobis, sed *in Deo* ; nec per nos, sed *per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus*, secundum ea quæ superius disputata sunt. Deinde subjungit Apostolus, *Propter hoc sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* v, 8 12) : et cætera, in quibus prolixius de duobus hominibus disputat ; uno eodemque primo Adam, per cujus peccatum et mortem tanquam hæreditariis malis posteri ejus obligati sumus ; altero autem secundo Adam, qui non homo tantum, sed etiam Deus est, quo pro nobis solvente quod non debebat, a debitis et paternis et propriis liberati sumus. Proinde quoniam propter unum illum tenebat diabolus omnes per ejus vitiatam carnalem concupiscentiam generatos, justum est ut propter hunc unum dimittat omnes per ipsius immaculatam gratiam spiritualem regeneratos.

CAPUT XVII.—22. *Alia incarnationis commoda*. Sunt et alia multa quæ in Christi incarnatione, quæ superbis displicet, salubriter intuenda atque cogitanda sunt. Quorum est unum, quod demonstratum est homini, quem locum haberet in rebus quas condidit Deus : quandoquidem sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus, Deo, anima et carne : ut superbi illi maligni spiritus, qui se ad decipiendum quasi ad adjuvandum medios interponunt, non ideo se audeant homini præponere, quia non habent carnem ; et maxime quia et mori in eadem carne dignatus est Filius Dei, ne ideo illi tanquam deos se coli persuadeant, quia videntur esse immortales. Deinde, ut gratia Dei nobis [2] sine ullis præcedentibus meritis in homine Christo commendaretur : quia nec ipse ut tanta unitate Deo vero conjunctus una cum illo persona [3] Filius Dei fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus ; sed ex quo homo esse cœpit, ex illo est et Deus : unde dictum est, *Verbum caro factum est* (*Joan.* i, 14). Etiam illud est, ut superbia hominis quæ maxime impedimento est ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui posset atque sanari. Discit quoque homo quam longe recesserit a Deo, et quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem Mediatorem redit, qui hominibus et Deus divinitate subvenit, et homo infirmitate convenit. Quod autem majus obedientiæ nobis præberetur exemplum, qui per inobedientiam perieramus, quam Deo Patri Deus Filius obediens usque ad mortem crucis (*Philipp.* ii, 8)? Quid, præmium ipsius obedientiæ ubi ostenderetur melius [1], quam in carne tanti Mediatoris, quæ ad vitam resurrexit æternam? Pertinebat etiam ad justitiam bonitatemque Creatoris, ut per eamdem rationalem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat, et de ipso genere venientem, quod genus origine vitiata per unum tenebat universum.

CAPUT XVIII. — 23. *Cur Filius Dei hominem suscepit de genere Adæ, et ex virgine*. Poterat enim utique Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei et hominum, non de genere illius Adam, qui peccato suo genus obligavit humanum ; sicut ipsum quem primum creavit, non de genere creavit alicujus. Poterat ergo vel sic, vel alio quo vellet modo creare unum alium de quo vinceretur victor prioris : sed melius judicavit, et de ipso quod victum fuerat genere assumere [2] hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum ; et tamen ex virgine, cujus conceptum spiritus, non caro : fides, non libido prævenit (*Luc.* i, 26-38). Nec interfuit carnis concupiscentia, per quam seminantur et concipiuntur cæteri, qui trahunt originale peccatum : sed ea penitus remotissima, credendo, non concumbendo sancta est fecundata virginitas ; ut illud quod nascebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non etiam criminis originem duceret. Nascebatur namque non transgressionis contagione vitiata natura, sed omnium talium vitiorum sola medicina. Nascebatur homo, inquam, nullum habens, nullum habiturus omnino peccatum, per quem renascerentur liberandi a peccato, qui nasci non possent sine peccato. Quamvis enim carnali concupiscentia, quæ inest genitalibus membris, bene utatur castitas conjugalis ; habet tamen motus non voluntarios, quibus ostendit vel nullam se in paradiso ante peccatum esse potuisse, vel non talem fuisse si fuit, ut aliquando resisteret voluntati. Nunc autem illam talem esse sentimus, ut repugnans legi mentis, etiam si nulla est causa generandi, stimulos ingerat cocundi : ubi si ei ceditur, peccando satietur ; si non ceditur, dissentiendo frenetur : quæ duo aliena fuisse a paradiso ante peccatum, dubitare quis possit? Nam neque illa honestas faciebat aliquid indecorum, nec illa felicitas patiebatur aliquid impacatum. Oportebat itaque ut ista carnalis concupiscentia nulla ibi esset omnino, quando concipiebatur virginis partus, in quo nihil dignum morte fuerat inventurus, et eum tamen occisurus auctor mortis, auctoris vitæ morte vincendus : victor

[1] Sic Mss. At editi, pro, *justo*, habent, *Deo*.
[2] Editi, *in nobis*. Emendantur ex Mss.
[3] Hic editi addunt, *id est, ipse homo assumptus, mox ut homo etiam Deus* ; quæ verba non sunt in Mss.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *Quod præmium tantæ obedientiæ ubi ostenderetur melius*. M.
[2] Er. Lugd. Ven. Lov. sic legunt hunc locum, *ut de ipso quod victum fuerat genere assumeret*. M.

primi Adam et tenens genus humanum, victus a secundo Adam et amittens genus christianum, liberatum ex humano genere ab humano crimine, per eum qui non erat in crimine, quamvis esset ex genere; ut deceptor ille ab eo vinceretur genere, quod vicerat crimine. Et hoc ita gestum est, ut homo non extollatur; sed *qui gloriatur, in Domino glorietur* (II *Cor.* x, 17). Qui enim victus est, homo tantum erat; et ideo victus est, quia superbe deus esse cupiebat: qui autem vicit, et homo erat et Deus; et ideo sic vicit natus ex virgine, quia Deus humiliter, non quomodo alios sanctos, regebat illum hominem, sed gerebat. Hæc tanta Dei dona, et si qua alia sunt, quæ de hac re nobis et quærere nunc et disserere longum est, nisi Verbum caro fieret, nulla essent.

CAPUT XIX. — 24. *Quid ad scientiam, quid ad sapientiam pertineat in Verbo incarnato.* Hæc autem omnia quæ pro nobis Verbum caro factum temporaliter et localiter fecit et pertulit, secundum distinctionem quam demonstrare suscepimus, ad scientiam pertinent, non ad sapientiam. Quod autem Verbum est sine tempore et sine loco, est Patri coæternum et ubique totum; de quo si quisquam potest, quantum potest, veracem proferre sermonem, sermo ille erit sapientiæ: ac per hoc Verbum caro factum, quod est Christus Jesus, et sapientiæ thesauros habet et scientiæ. Nam scribens Apostolus ad Colossenses: *Volo enim vos scire*, inquit, *quantum certamen habeam pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiciæ, et quicumque non viderunt faciem meam in carne; ut consolentur corda eorum, copulati in charitate et in omnibus divitiis plenitudinis intellectus, ad cognoscendum mysterium Dei, quod est Christus Jesus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II, 1-3). Quatenus noverat Apostolus thesauros istos, quantum eorum penetraverat, et in eis ad quanta pervenerat, quis potest nosse? Ego tamen secundum id quod scriptum est, *Unicuique autem nostrum datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum* (I *Cor.* XII, 7, 8), si ita inter se distant hæc duo, ut sapientia divinis, scientia humanis attributa sit rebus, utrumque agnosco in Christo, et mecum omnis ejus fidelis. Et cum lego, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* in Verbo intelligo verum Dei Filium, in carne agnosco verum hominis filium, et utrumque simul in unam personam Dei [1] et hominis ineffabili gratiæ largitate conjunctum. Propter quod sequitur et dicit, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Si gratiam referamus ad scientiam, veritatem ad sapientiam, puto nos ab illa duarum istarum rerum distinctione, quam commendavimus, non abhorrere. In rebus enim per tempus ortis, illa summa gratia est, quod homo in unitate personæ conjunctus est Deo: in rebus vero æternis summa veritas recte tribuitur Dei Verbo. Quod vero idem ipse est Unigenitus a Patre plenus [1] gratiæ et veritatis, id actum est ut idem ipse sit in rebus pro nobis temporaliter gestis, cui per eamdem fidem mundamur, ut eum stabiliter contemplemur in rebus æternis. Illi autem præcipui gentium philosophi, qui invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere potuerunt, tamen quia sine Mediatore, id est, sine homine Christo philosophati sunt, quem nec venturum Prophetis, nec venisse Apostolis crediderunt, veritatem detinuerunt, sicut de illis dictum est, in iniquitate. Non potuerunt enim in his rerum [2] infimis constituti, nisi quærere aliqua media per quæ ad illa quæ intellexerant sublimia pervenirent: atque ita in deceptores dæmones inciderunt, per quos factum est ut immutarent gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium (*Rom.* I, 20, 18, 23). In talibus enim formis etiam idola instituerunt, sive coluerunt. Scientia ergo nostra Christus est, sapientia quoque nostra idem Christus est. Ipse nobis fidem de rebus temporalibus inserit, ipse de sempiternis exhibet veritatem. Per ipsum pergimus ad ipsum, tendimus per scientiam ad sapientiam: ab uno tamen eodemque Christo non recedimus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Sed nunc de scientia loquimur, post de sapientia, quantum ipse donaverit, locuturi. Nec ista duo sic accipiamus, quasi non liceat dicere, vel istam sapientiam quæ in rebus humanis est, vel illam scientiam quæ in divinis. Loquendi enim latiore consuetudine, utraque sapientia, utraque scientia dici potest. Nullo modo tamen scriptum esset apud Apostolum, *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ;* nisi et proprie singulis nominibus hæc singula vocarentur, de quorum distinctione nunc agimus.

CAPUT XX. — 25. *Quid actum in hoc libro. Quomodo gradatim perventum est ad trinitatem quamdam quæ in scientia activa et vera fide reperitur.* Jam itaque videamus quid sermo iste prolixus effecerit, quid collegerit, quo pervenerit. Beatos esse se velle, omnium hominum est: nec tamen omnium est fides, qua cor mundante ad beatitudinem pervenitur. Ita fit ut per istam quam non omnes volunt, ad illam tendendum sit quam nemo potest esse qui nolit. Beatos esse se velle, omnes in corde suo vident, tantaque est in hac re naturæ humanæ conspiratio, ut non fallatur homo qui hoc ex animo suo de animo conjicit alieno; denique omnes id velle nos novimus. Multi vero immortales se esse posse desperant, cum id quod omnes volunt, id est beatus, nullus esse aliter possit [3]: volunt tamen etiam immortales esse, si possent: sed non credendo quod possint, non ita vivunt ut possint. Necessaria ergo est fides ut beatitudinem consequamur, omnibus humanæ naturæ bonis, id est, et animi et corporis. Hanc autem fidem in Christo esse definitam, qui in carne resurrexit a mortuis, non moriturus

[1] Editi, *in una persona Dei.* At Mss., *in unam personam Dei.*

[1] Nonnulli editi, et ipsa Bened. Antuerpiana editio, *plenum.* M.

[2] Plures Mss., *rebus.*

[3] Er. Lugd. Ven. Lov., sic legunt hunc locum, *cum id quod omnes volunt, nullus aliter possit.* M.

ulterius : nec nisi per illum quemquam liberari a diaboli dominatu, per remissionem peccatorum : in cujus diaboli partibus necesse est miseram esse vitam, eamdemque perpetuam, quæ mors est potius dicenda quam vita, eadem fides habet. De qua et in hoc libro, sicut potui, pro spatio temporis disputavi, cum jam et in quarto libro hujus operis multa de hac re dixerim (*Cap.* 19-21); sed ibi propter aliud, hic propter aliud : ibi scilicet ut ostenderem cur et quomodo Christus in plenitudine temporis a Patre sit missus (*Galat.* IV, 4), propter eos qui dicunt, eum qui misit, et eum qui missus est, æquales natura esse non posse; hic autem, ad distinguendam activam scientiam a contemplativa sapientia.

26. Placuit quippe velut gradatim ascendentibus in utraque requirere apud interiorem hominem quamdam sui cujusque generis trinitatem, sicut prius apud exteriorem quæsivimus; ut ad illam Trinitatem quæ Deus est, pro nostro modulo, si tamen vel hoc possumus, saltem in ænigmate et per speculum contuendam (I *Cor.* XIII, 12) exercitatiore in his inferioribus rebus mente veniamus. Hujus igitur verba fidei quisquis in solis vocibus memoriæ commendaverit, nesciens quid significent; sicut solent qui græce nesciunt, græca verba tenere memoriter, vel latina similiter, vel cujusque alterius linguæ, qui ejus ignari sunt : nonne habet quamdam in suo animo trinitatem, quia et in memoria sunt illi verborum soni, etiam quando inde non cogitat; et inde formatur acies recordationis ejus, quando de his cogitat; et voluntas recordantis atque cogitantis utrumque conjungit? Nullo modo tamen dixerimus istum, cum hoc agit, secundum trinitatem interioris hominis agere, sed potius exterioris : quia id solum meminit, et quando vult, quantum vult [1] intuetur, quod ad sensum corporis pertinet, qui vocatur auditus, nec aliud quam corporalium rerum, id est sonorum, tali cogitatione imagines versat. Si autem quod verba illa significant, teneat et recolat; jam quidem aliquid interioris hominis agit : sed nondum dicendus vel putandus est vivere secundum interioris hominis trinitatem, si ea non diligat quæ ibi prædicantur, præcipiuntur, promittuntur. Potest enim etiam ad hoc tenere atque cogitare, ut falsa esse existimans, conetur etiam redarguere. Voluntas ergo illa, quæ ibi conjungit ea quæ memoria tenebantur, et ea quæ inde in acie cogitationis impressa sunt, implet quidem aliquam trinitatem, cum ipsa sit tertia : sed non secundum eam vivitur, quando illa quæ cogitantur velut falsa non placent. Cum autem vera esse creduntur, et quæ ibi diligenda sunt diliguntur, jam secundum trinitatem interioris hominis vivitur : secundum hoc enim vivit quisque quod diligit. Quomodo autem diligantur quæ nesciuntur, sed tantum [1] creduntur? Jam quæstio ista tractata est in superioribus libris (*Lib.* 8, *capp.* 8 *et seqq.*, *et lib.* 18, *cap.* 1, *etc.*), et inventum neminem diligere quod penitus ignorat; ex iis autem quæ nota sunt diligi, quando diligi dicuntur ignota. Nunc librum istum ita claudimus, ut admoneamus quod justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17) : quæ fides per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6), ita ut virtutes quoque ipsæ quibus prudenter, fortiter, temperanter, justeque vivitur, omnes ad eamdem referantur fidem : non enim aliter poterunt veræ esse virtutes. Quæ tamen in hac vita non valent tantum, ut aliquando non sit hic necessaria qualiumcumque remissio peccatorum; quæ non fit nisi per eum qui sanguine suo vicit principem peccatorum. Ex hac fide et tali vita quæcumque notiones sunt in animo fidelis hominis, cum memoria continentur, et recordatione inspiciuntur, et voluntati placent, reddunt quamdam sui generis trinitatem. Sed imago Dei, de qua in ejus adjutorio post loquemur, nondum in ipsa est : quod tunc melius apparebit, cum demonstratum fuerit ubi sit : quod in futuro volumine lector exspectet.

[1] Lov., *et quantum vult.*

[1] Sic Mss. At Er. et Lov., *sed tamen.*

LIBER QUARTUS DECIMUS.

De sapientia hominis vera dicit, ostendens imaginem Dei, quod est homo secundum mentem, non proprie in transeuntibus, veluti in memoria, intellectu et amore, sive ipsius temporalis fidei, sive etiam mentis circa se ipsam versantis, sed in permanentibus rebus collocatam; ac eam tunc perfici, cum mens renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit hominem ad imaginem suam, et sic percipit sapientiam, ubi contemplatio est æternorum.

CAPUT PRIMUM. —1. *Quæ sit sapientia de qua hic agendum. Philosophi nomen unde exortum. De scientiæ ac sapientiæ distinctione quid jam dictum.* Nunc de sapientia nobis est disserendum : non de illa Dei, quæ procul dubio Deus est; nam sapientia Dei Filius ejus unigenitus dicitur (*Eccli.* XXIV, 5, *et* I *Cor.* I, 24) : sed loquemur de hominis sapientia, vera tamen quæ secundum Deum est, et verus ac præcipuus cultus ejus est, quæ uno nomine θεοσέβεια græce appellatur. Quod nomen nostri, sicut jam commemoravimus, volentes et ipsi uno nomine interpretari, pietatem dixerunt, cum pietas apud Græcos εὐσέβεια usitatius nuncupetur : θεοσέβεια vero quia uno verbo perfecte non potest, melius duobus interpretatur, ut dicatur potius Dei cultus. Hanc esse hominis sapientiam, quod et in duodecimo hujus operis volumine jam posuimus (*Cap.* 14), Scripturæ sanctæ auctoritate monstratur, in libro Dei servi Job, ubi legitur Dei sapientiam dixisse homini, *Ecce pietas est sapientia; abstinere autem a malis, scientia* (*Job* XXVIII, 28); sive etiam, ut non nulli de græco ἐπιστήμην interpretati sunt, *disciplina* quæ utique a discendo nomen accepit, unde et scientia dici potest. Ad hoc enim quæque res discitur, ut sciatur. Quamvis alia notione, in iis quæ pro peccatis

suis mala quisque patitur ut corrigatur, dici solcat disciplina. Unde illud est in Epistola ad Hebræos, *Quis enim est filius, cui non det disciplinam pater ejus?* et illud evidentius in eadem, *Omnis enim ad tempus disciplina non gaudii videtur esse, sed tristitiæ : postea vero fructum pacificum iis qui per eam certarunt, reddet justitiæ* (*Hebr.* XII, 7, 11). Deus ergo ipse summa sapientia, cultus autem Dei sapientia est hominis, de qua nunc loquimur. Nam *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (I *Cor.* III, 19). Secundum hanc itaque sapientiam, quæ Dei cultus est, ait sancta Scriptura : *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum* (*Sap.* VI, 26).

2. Sed si de sapientia disputare sapientium est, quid agemus? Numquidnam profiteri audebimus sapientiam, ne sit nostra de illa impudens disputatio? Nonne terrebimur exemplo Pythagoræ? qui cum ausus non fuisset sapientem [1] profiteri, philosophum potius, id est amatorem sapientiæ se esse respondit : a quo id nomen exortum ita deinceps posteris placuit, ut quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi vel aliis videretur excellere, non nisi philosophus vocaretur. An ideo sapientem profiteri talium hominum nullus audebat, quia sine ullo peccato putabant esse sapientem? Hoc autem nostra Scriptura non dicit, quæ dicit : *Argue sapientem, et amabit te* (*Prov.* IX, 8). Profecto enim judicat habere peccatum, quem censet arguendum. Sed ego nec sic quidem sapientem me audeo profiteri : satis est mihi, quod etiam ipsi negare non possunt, esse etiam philosophi, id est amatoris sapientiæ, de sapientia disputare. Non enim hoc illi facere destiterunt, qui se amatores sapientiæ potius quam sapientes esse professi sunt.

3. Disputantes autem de sapientia, definierunt eam dicentes : Sapientia est rerum humanarum divinarumque scientia. Unde ego quoque in libro superiore utrarumque rerum cognitionem, id est divinarum atque humanarum, et sapientiam et scientiam dici posse non tacui (*Lib.* XIII, *capp.* 1, 19). Verum secundum hanc distinctionem qua dixit Apostolus, *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (I *Cor.* XII, 8); ista definitio dividenda est, ut rerum divinarum scientia proprie sapientia nuncupetur, humanarum autem proprie scientiæ nomen obtineat : de qua volumine tertio decimo disputavi, non utique quidquid sciri ab homine potest in rebus humanis, ubi plurimum supervacaneæ vanitatis et noxiæ curiositatis est, huic scientiæ tribuens, sed illud tantummodo quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur : qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi æterna est : aliud autem, scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus. De qua prius cum loquerer, ipsam præcipue fidem commendare curavi, a temporalibus æterna breviter ante distinguens, atque ibi de temporalibus disserens : æterna vero in hunc librum differens, etiam de rebus æternis fidem temporalem quidem, et temporaliter in credentium cordibus habitare, necessariam tamen propter adipiscenda ipsa æterna esse monstravi (*Lib.* XIII, *cap.* 7). Fidem quoque de temporalibus rebus, quas pro nobis æternus fecit, et passus est in homine, quem temporaliter gessit, atque ad æterna provexit, ad eamdem æternorum adeptionem prodesse disserui : virtutesque ipsas, quibus in hac temporali mortalitate prudenter, fortiter, temperanter, et juste vivitur, nisi ad eamdem, licet temporalem fidem, quæ tamen ad æterna perducit, referantur, veras non esse virtutes (*Ibid.*, *cap.* 20).

CAPUT II. — 4. *In fidei temporalis retentione, contemplatione ac dilectione trinitas quædam, sed nondum proprie imago Dei.* Quapropter, quoniam sicut scriptum est, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem* (II *Cor.* V, 6, 7); profecto quamdiu justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17), quamvis secundum hominem interiorem vivat, licet per eamdem temporalem fidem ad veritatem nitatur, et tendat ad æterna, tamen in ejusdem fidei temporalis retentione, contemplatione, dilectione, nondum talis est trinitas, ut Dei jam imago dicenda sit : ne in rebus temporalibus constituta videatur, quæ constituenda est in æternis. Mens quippe humana cum fidem suam videt, qua credit quod non videt, non aliquid sempiternum videt. Non enim semper hoc erit, quod utique non erit, quando ista peregrinatione finita, qua peregrinamur a Domino, ut per fidem ambulare necesse sit, species illa succedet, per quam videbimus facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12) : sicut modo non videntes, tamen quia credimus, videre merebimur, atque ad speciem nos per fidem perductos esse gaudebimus. Neque enim jam fides erit, qua credantur quæ non videntur; sed species, qua videantur quæ credebantur. Tunc ergo etsi vitæ hujus mortalis transactæ meminerimus, et credidisse nos aliquando quæ non videbamus, memoriter recoluerimus, in præteritis atque transactis deputabitur fides ista, non in præsentibus rebus semperque manentibus : ac per hoc etiam trinitas ista quæ nunc in ejusdem fidei præsentis ac manentis memoria, contuitu, dilectione consistit, tunc transacta et præterita reperietur esse, non permanens. Ex quo colligitur, ut si jam imago Dei est ista trinitas, etiam ipsa non in eis quæ semper sunt, sed in rebus sit habenda transeuntibus.

CAPUT III. — *Difficultas contra id quod mox dictum est, diluitur.* Absit autem ut cum animæ natura sit immortalis, nec ab initio quo creata est, unquam deinceps esse desistat, id quo nihil melius habet, non cum ejus immortalitate perduret. Quid vero melius in ejus natura creatum est, quam quod ad sui Creatoris imaginem facta est (*Gen.* I, 27)? Non igitur in fidei retentione, contemplatione, dilectione, quæ non erit semper, sed in eo quod semper erit, invenienda est quam dici oporteat imaginem Dei.

5. An adhuc utrum ita se res habeat, aliquanto diligentius atque abstrusius perscrutabimur? Dici enim

[1] Editi, *sapientiam*. At Mss., *sapientem*.

potest, non perire istam trinitatem, etiam cum fides ipsa transierit : quia sicut nunc eam et memoria tenemus, et cogitatione cernimus, et voluntate diligimus ; ita etiam tunc cum eam nos habuisse memoria tenebimus, et recolemus, et hoc utrumque tertia voluntate jungemus, eadem trinitas permanebit. Quoniam si nullum in nobis quasi vestigium transiens reliquerit, profecto nec in memoria nostra ejus aliquid habebimus quo recurramus eam præteritam recordantes, atque id utrumque intentione tertia copulantes, et quod erat scilicet in memoria, non inde cogitantibus nobis, et quod inde cogitatione formatur. Sed qui hoc dicit, non discernit aliam nunc esse trinitatem, quando præsentem fidem tenemus, videmus, amamus in nobis; aliam tunc futuram, quando non ipsam, sed ejus velut imaginarium vestigium in memoria reconditum, recordatione contuebimur, et duo hæc, id est, quod erat in memoria retinentis, et quod inde imprimitur in acie recordantis, tertia voluntate jungemus. Quod ut possit intelligi, sumamus exemplum de corporalibus rebus, de quibus in libro undecimo satis locuti sumus (*Cap.* 2 *et seqq.*). Nempe ab inferioribus ad superiora ascendentes, vel ab exterioribus ad interiora ingredientes, primam reperimus trinitatem in corpore quod videtur, et acie videntis quæ cum videt, inde formatur, et in voluntatis intentione quæ utrumque conjungit. Huic trinitati similem constituamus, cum fides quæ nunc inest nobis, tanquam corpus illud in loco, ita in nostra memoria constituta est, de qua informatur cogitatio recordantis, sicut ex illo corpore acies intuentis : quibus duobus, ut trinitas impleatur, annumeratur tertia voluntas, quæ fidem in memoria constitutam et quamdam ejus effigiem in contuitu recordationis impressam connectit et conjungit ; sicut in illa corporalis trinitate visionis, formam corporis quod videtur, et conformationem quæ fit in cernentis aspectu, conjungit intentio voluntatis. Faciamus ergo corpus illud quod cernebatur, interisse dilapsum, nec ejus remansisse aliquid in ullo loco, ad quod videndum recurrat aspectus : numquid quia imago rei corporalis jam transactæ atque præteritæ remanet in memoria, unde informetur recordantis obtutus [1], atque id utrumque tertia voluntate jungatur, eadem trinitas esse dicenda est, quæ fuerat quando species in loco positi corporis videbatur? Non utique, sed prorsus alia : nam præter quod illa erat extrinsecus, hæc intrinsecus ; illam profecto faciebat species præsentis corporis ; hanc, imago præteriti. Sic et in hac re, de qua nunc agimus, et propter quam putavimus adhibendum illud exemplum, fides quæ nunc in animo nostro est, velut illud corpus in loco, dum tenetur, aspicitur, amatur, quamdam efficit trinitatem : sed non ipsa erit, quando fides hæc in animo, sicut corpus illud in loco jam non erit. Quæ vero tunc erit, quando eam recordabimur in nobis fuisse, non esse, alia profecto erit. Illanc enim quæ nunc est, facit res ipsa præsens et animo credentis affixa : at illam quæ tunc erit, faciet rei præteritæ imaginatio in recordantis memoria derelicta.

CAPUT IV. — 6. *In immortalitate animæ ratio nalis quærenda imago Dei. Trinitas in mente quo modo monstrata sit.* Nec illa igitur trinitas, quæ nunc non est, imago Dei erit ; nec ista imago Dei est, quæ tunc non erit : sed ea est invenienda in anima hominis, id est rationali, sive intellectuali, imago Creatoris, quæ immortaliter immortalitati ejus est insita. Nam sicut ipsa immortalitas animæ secundum quemdam modum dicitur ; habet quippe et anima mortem suam, cum vita beata caret, quæ vera animæ vita dicenda est ; sed immortalis ideo nuncupatur, quoniam qualicumque vita, etiam cum miserrima est, nunquam desinit vivere : ita quamvis ratio vel intellectus nunc in ea sit sopitus, nunc parvus, nunc magnus appareat, nunquam nisi rationalis et intellectualis est anima humana ; ac per hoc si secundum hoc facta est ad imaginem Dei quod uti ratione atque intellectu ad intelligendum et conspiciendum Deum potest, profecto ab initio quo esse cœpit ista tam magna et mira natura, sive ita obsoleta sit hæc imago, ut pene nulla sit, sive obscura atque deformis, sive clara et pulchra sit, semper est. Denique deformitatem dignitatis ejus miserans divina Scriptura, *Quanquam*, inquit, *in imagine* [1] *ambulat homo, tamen vane conturbatur : thesaurizat, et nescit cui congregabit ea* (*Psal.* XXXVIII, 7). Non itaque vanitatem imagini Dei tribueret, nisi deformem cerneret factam. Nec tantum valere illam deformitatem, ut auferat quod imago est, satis ostendit, dicendo, *Quanquam in imagine ambulat homo.* Quapropter ex utraque parte veraciter pronuntiari potest ista sententia, ut quemadmodum dictum est, *Quanquam in imagine ambulat homo, tamen vane conturbatur ;* ita dicatur, Quanquam vane conturbatur homo, tamen in imagine ambulat. Quanquam enim magna natura sit, tamen vitiari potuit, quia summa non est : et quanquam vitiari potuerit, quia summa non est, tamen quia summæ naturæ capax est, et esse particeps potest, magna natura est. Quæramus igitur in hac imagine Dei quamdam sui generis trinitatem, adjuvante ipso qui nos fecit ad imaginem suam. Non enim aliter possumus hæc salubriter investigare, et secundum sapientiam quæ ab illo est aliquid invenire : sed ea quæ in superioribus libris, et maxime in decimo, de anima humana vel mente diximus, si lectoris vel memoria teneantur atque recolantur, vel diligentia in eisdem locis in quibus conscripta sunt, recenseantur, non hic desiderabit prolixiorem de rei tantæ inquisitione sermonem.

7. Inter cætera ergo in libro decimo diximus, hominis mentem nosse semetipsam (*Cap.* 7). Nihil enim tam novit mens, quam id quod sibi præsto est : nec menti magis quidquam præsto est, quam ipsa sibi. Et alia, quantum satis visum est, adhibuimus documenta, quibus hoc certissime probaretur.

CAPUT V. — *Infantium mens an se noverit.* Quid itaque dicendum est de infantis mente, ita adhuc par-

[1] Mss., *cogitantis obtutus.*

[1] Editi, *in imagine Dei.* Abest, *Dei*, a manuscriptis.

vuli et in tam magna demersi rerum ignorantia, ut illius mentis tenebras mens hominis quæ aliquid novit exhorreat? An etiam ipsa se nosse credenda est, sed intenta nimis in eas res quas per corporis sensus tanto majore, quanto noviore cœpit delectatione sentire, non ignorare se potest, sed cogitare se non potest? Quanta porro intentione in ista quæ foris sunt sensibilia feratur, vel hinc solum conjici potest, quod lucis hujus hauriendæ sic avida est, ut si quisquam minus cautus aut nesciens quid inde possit accidere, nocturnum lumen posuerit ubi jacet infans, in ea parte ad quam jacentis oculi possint retorqueri, nec cervix possit inflecti, sic ejus inde non removeatur aspectus, ut nonnullos ex hoc etiam strabones fieri noverimus, eam formam tenentibus oculis, quam teneris et mollibus consuetudo quodam modo infixit. Ita et in alios corporis sensus, quantum sinit illa ætas, intentione se quasi coarctant animæ parvulorum, ut quidquid per carnem offendit aut allicit, hoc solum abhorreant vehementer aut appetant : sua vero interiora non cogitent, nec possint admoneri ut hoc faciant; quia nondum admonentis signa noverunt, ubi præcipuum locum verba obtinent, quæ sicut alia prorsus nesciunt. Quod autem aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare, jam in eodem volumine ostendimus (*Lib.* 10, *cap.* 5).

8. Sed hanc ætatem omittamus, quæ nec interrogari potest quid in se agatur, et nos ipsi ejus valde obliti sumus. Hinc tantum certos nos esse suffecerit, quod cum homo de animi sui natura cogitare potuerit, atque invenire quod verum est, alibi non inveniet, quam penes se ipsum. Inveniet autem, non quod nesciebat, sed unde non cogitabat. Quid enim scimus, si quod est in nostra mente nescimus; cum omnia quæ scimus, non nisi mente scire possimus?

CAPUT VI. — *In mente se ipsam cogitante trinitas quædam quomodo existat. Quid in hac trinitate præstet cogitatio.* Tanta est tamen cogitationis vis, ut nec ipsa mens quodam modo se in conspectu suo ponat, nisi quando se cogitat : ac per hoc ita nihil in conspectu mentis est, nisi unde cogitatur, ut nec ipsa mens, qua cogitatur quidquid cogitatur, aliter possit esse in conspectu suo, nisi se ipsam cogitando. Quomodo autem, quando se non cogitat, in conspectu suo non sit, cum sine se ipsa nunquam esse possit, quasi aliud sit ipsa, aliud conspectus ejus, invenire non possum. Hoc quippe de oculo corporis non absurde dicitur : ipse quippe oculus loco suo fixus est in corpore, aspectus autem ejus in ea quæ extra sunt tenditur, et usque in sidera extenditur. Nec est oculus in conspectu suo; quandoquidem non conspicit se ipsum, nisi speculo objecto, unde jam locuti sumus (*Lib.* 10, *cap.* 3) : quod non fit utique quando se mens in suo conspectu sui cogitatione constituit. Numquid ergo alia sua parte aliam partem suam videt, cum se conspicit cogitando, sicut aliis membris nostris, qui sunt oculi, alia membra nostra conspicimus, quæ in nostro possunt esse conspectu? Quid dici absurdius vel sentiri potest? Unde igitur auferatur mens, nisi a se ipsa? et ubi ponitur in conspectu suo, nisi ante se ipsam? Non ergo ibi erit ubi erat, quando in conspectu suo non erat; quia hic posita, inde sublata est. Sed si conspicienda migravit [1], conspectura ubi manebit? An quasi geminatur, ut et illic sit et hic, id est, et ubi conspicere, et ubi conspici possit; ut in se sit conspiciens, ante se conspicua? Nihil horum nobis veritas consulta respondet : quoniam quando isto modo cogitamus, non nisi corporum fictas imagines cogitamus, quod mentem non esse paucis certissimum est mentibus, a quibus potest de hac re veritas consuli. Proinde restat ut aliquid pertinens ad ejus naturam sit conspectus ejus, et in eam, quando se cogitat, non quasi per loci spatium, sed incorporea conversione revocetur : cum vero non se cogitat, non sit quidem in conspectu suo, nec de illa suus formetur obtutus, sed tamen noverit se tanquam ipsa sit sibi memoria sui. Sicut multarum disciplinarum peritus ea quæ novit, ejus memoria continentur, nec est inde aliquid in conspectu mentis ejus, nisi unde cogitat; cætera in arcana quadam notitia sunt recondita, quæ memoria nuncupatur. Ideo trinitatem sic commendabamus, ut illud unde formatur cogitantis obtutus, in memoria poneremus; ipsam vero conformationem, tanquam imaginem quæ inde imprimitur; et illud quo utrumque conjungitur, amorem seu voluntatem. Mens igitur quando cogitatione se conspicit, intelligit se et recognoscit : gignit ergo hunc intellectum et cognitionem suam. Res quippe incorporea intellecta conspicitur, et intelligendo cognoscitur. Nec ita sane gignit istam notitiam suam mens, quando cogitando intellectam se conspicit, tanquam sibi ante incognita fuerit : sed ita sibi nota erat, quemadmodum notæ sunt res quæ memoria continentur, etiamsi non cogitentur : quoniam dicimus hominem nosse litteras, etiam cum de aliis rebus, non de litteris cogitat. Hæc autem duo, gignens et genitum, dilectione tertia copulantur, quæ nihil est aliud quam voluntas fruendum aliquid appetens vel tenens. Ideoque etiam illis tribus nominibus insinuandam mentis putavimus trinitatem, memoria, intelligentia, voluntate.

9. Sed quoniam mentem semper sui meminisse, semperque se ipsam intelligere et amare, quamvis non semper se cogitare discretam ab eis quæ non sunt quod ipsa est, circa ejusdem libri decimi finem diximus : quærendum est quonam modo ad cogitationem pertineat intellectus; notitia vero cujusque rei, quæ inest menti, etiam quando non de ipsa cogitatur, ad solam dicatur memoriam pertinere. Si enim hoc ita est, non habebat hæc tria, ut et sui meminisset, et se intelligeret, et amaret : sed meminerat tantum sui, et postea cum cogitare se cœpit, tunc se intellexit atque dilexit.

CAPUT VII. — *Exemplo res declaratur. Quomodo res ad juvandos lectores tractata sit.* Quapropter diligentius illud consideremus exemplum, quod adhibuimus, ubi [2] ostenderetur aliud esse rem quamque non nosse, aliud non cogitare; fierique posse ut noverit

[1] Editi, *migrabit*. Aptius vero Mss., *migravit*.
[2] Aliquot Mss. Lugd. Ven. Lov., *ut*. M.

homo aliquid quod non cogitat, quando aliunde, non inde cogitat. Duarum ergo vel plurium disciplinarum peritus, quando unam cogitat, aliam vel alias etiam si non cogitat, novit tamen. Sed numquid recte possumus dicere, Iste musicus novit quidem musicam, sed nunc eam non intelligit, quia eam non cogitat; intelligit autem nunc geometricam, hanc enim nunc cogitat? Absurda est, quantum apparet, ista sententia. Quid etiam illa, si dicamus, Iste musicus novit quidem musicam, sed nunc eam non amat, quando eam non cogitat; amat autem nunc geometricam [1], quoniam nunc ipsam cogitat: nonne similiter absurda est? Rectissime vero dicimus, Iste quem perspicis de geometrica disputantem, etiam perfectus est musicus; nam et meminit disciplinæ ejus, et intelligit eam et diligit: sed quamvis eam noverit et amet, nunc illam non cogitat, quoniam geometricam de qua disputat, cogitat. Hinc admonemur esse nobis in abdito mentis quarumdam rerum quasdam notitias, et tunc quodam modo procedere in medium, atque in conspectu mentis velut apertius constitui, quando cogitantur: tunc enim se ipsa mens, et meminisse, et intelligere, et amare invenit, etiam unde non cogitabat, quando aliud cogitabat. Sed unde diu non cogitaverimus, et unde cogitare nisi commoniti non valemus, id nos nescio quo eodemque miro modo, si potest dici, scire nescimus. Denique recte ab ec qui commemorat, ei quem [2] commemorat dicitur: Scis hoc, sed scire te nescis; commemorabo, et invenies te scientem quod te nescire putaveras. Id agunt et litteræ, quæ de his rebus conscriptæ sunt, quas res duce ratione veras esse invenit lector: non quas veras esse credit ei qui scripsit, sicut legitur historia; sed quas veras esse etiam ipse invenit, sive apud se, sive in ipsa mentis luce veritate. Qui vero nec admonitus valet ista contueri, magna cæcitate cordis, tenebris ignorantiæ demersus est altius, et mirabiliore divina ope indiget, ut possit ad veram sapientiam pervenire.

10. Propter hoc itaque volui de cogitatione adhibere qualecumque documentum, quo posset ostendi quomodo ex iis quæ memoria continentur, recordantis acies informetur, et tale aliquid gignatur ubi homo cogitat, quale in illo erat ubi ante cogitationem meminerat: quia facilius dignoscitur, quod tempore accedit, et ubi parens prolem spatio temporis antecedit. Nam si nos referamus ad interiorem mentis memoriam qua sui meminit, et interiorem intelligentiam qua se intelligit, et interiorem voluntatem qua se diligit, ubi hæc tria simul semper sunt, et semper simul fuerunt ex quo esse cœperunt, sive cogitarentur, sive non cogitarentur; vjdebitur quidem imago illius trinitatis et ad solam memoriam pertinere: sed quia ibi verbum esse sine cogitatione non potest (cogitamus enim omne quod dicimus, etiam illo interiore verbo quod ad nullius gentis pertinet linguam), in tribus potius illis imago ista cognoscitur, memoria scilicet, intelligentia, voluntate. Hanc autem nunc dico intelligentiam, qua intelligimus cogitantes, id est, quando eis repertis quæ memoriæ præsto fuerant, sed non cogitabantur, cogitatio nostra formatur; et eam voluntatem, sive amorem, vel dilectionem, quæ istam prolem parentemque conjungit, et quodam modo utrisque [1] communis est. Hinc factum est ut etiam per exteriora sensibilia quæ per oculos carnis videntur, legentium ducerem tarditatem, in undecimo scilicet libro; atque inde cum eis ingrederer ad hominis interioris eam potentiam qua ratiocinatur de temporalibus rebus, differens [2] illam principaliter dominantem qua contemplatur æternas: atque id duobus voluminibus egi, duodecimo utrumque discernens, quorum unum est superius, alterum inferius, quod superiori subditum esse debet; tertio decimo autem de munere inferioris, quo humanarum rerum scientia salubris continetur, ut in hac temporali vita id agamus quo consequamur æternam, quanta potui veritate ac brevitate disserui: quandoquidem rem tam multiplicem atque copiosam, multorum atque magnorum disputationibus multis magnisque celebratam, uno strictim volumine inclusi, ostendens etiam in ipsa trinitatem, sed nondum quæ Dei sit imago dicenda.

CAPUT VIII. — 11. *Trinitas quæ imago Dei, jam quærenda in principali mentis parte.* Nunc vero ad eam jam pervenimus disputationem, ubi principale mentis humanæ, quo novit Deum vel potest nosse, considerandum suscepimus, ut in eo reperiamus imaginem Dei. Quamvis enim mens humana non sit ejus naturæ cujus est Deus: imago tamen naturæ ejus qua natura melior nulla est, ibi quærenda et invenienda est in nobis, quo etiam natura nostra nihil habet melius. Sed prius mens in se ipsa consideranda est antequam sit particeps Dei, et in ea reperienda est imago ejus. Diximus enim eam etsi amissa Dei participatione obsoletam atque deformem, Dei tamen imaginem permanere (*Supra*, *cap.* 4). Eo quippe ipso imago ejus est, quo ejus capax est, ejusque particeps esse potest; quod tam magnum bonum, nisi per hoc quod imago ejus est, non potest [3]. Ecce ergo mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus trinitatem; nondum quidem Deum, sed jam imaginem Dei. Non forinsecus accepit memoria quod teneret, nec foris invenit quod aspiceret intellectus, sicut corporis oculus: nec ista duo, velut formam corporis, et eam quæ inde facta est in acie contuentis, voluntas foris junxit: nec imaginem rei quæ foris visa est, quodam modo raptam et in memoria reconditam cogitatio cum ad eam converteretur, invenit, et inde formatus est [4] recordantis obtutus, jungente utrumque tertia voluntate: sicut in eis ostendebamus trinitatibus fieri, quæ in rebus corporalibus reperiebantur, vel ex corporibus per sensum corporis introrsus quodam modo trahebantur; de quibus omnibus in li-

[1] Editi, loco, *geometricam*, habebant, *geometram*.
[2] Ita Mss. Editi vero, *cui*. At Mss., *quem*.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. legunt, *utrique*. M.
[2] Editi, *disserens*. Castigantur ex Mss.
[3] Editi, *intelligi non potest*. Abest, *intelligi*, a Mss.
[4] Plures Mss., *inde informatus est*.

bro undecimo disseruimus (*Capp.* 2 *et seqq.*) : nec sicut fiebat vel apparebat, quando de illa scientia dissercbamus, jam in hominis interioris operibus constituta, quæ distinguenda fuit a sapientia; unde quæ sciuntur, velut adventitia sunt in animo, sive cognitione historica illata, ut sunt facta et dicta, quæ tempore peraguntur et transeunt, vel in natura rerum suis locis et regionibus constituta sunt, sive in ipso homine quæ non erant oriuntur, aut aliis docentibus aut cogitationibus propriis, sicut fides, quam plurimum in libro tertio decimo commendavimus; sicut virtutes, quibus, si veræ sunt, in hac mortalitate ideo bene vivitur, ut beate in illa quæ divinitus promittitur immortalitate vivatur. Hæc atque hujusmodi habent in tempore ordinem suum, in quo nobis trinitas memoriæ visionis et amoris facilius apparebat. Nam quædam eorum præveniunt cognitionem discentium. Sunt enim cognoscibilia, et antequam cognoscantur, suique cognitionem in discentibus gignunt. Sunt autem vel in locis suis, vel quæ tempore præterierunt : quamvis quæ præterierunt, non ipsa sint, sed eorum quædam signa præteritorum, quibus visis vel auditis cognoscantur fuisse atque transisse. Quæ signa vel in locis sita sunt, sicut monumenta mortuorum, et quæcumque similia : vel in litteris fide dignis, sicut est omnis gravis et approbandæ auctoritatis historia : vel in animis eorum qui ea jam noverunt; eis quippe jam nota, et aliis utique sunt noscibilia, quorum scientiam prævenerunt, et qui ea nosse, illis quibus nota sunt docentibus, possunt. Quæ omnia, et quando discuntur, quamdam faciunt trinitatem, specie sua quæ noscibilis fuit etiam antequam nosceretur, eique adjuncta cognitione discentis quæ tunc esse incipit quando discitur, ac tertia voluntate quæ utrumque conjungit. Et cum cognita fuerint, alia trinitas, dum recoluntur, fit jam interius in ipso animo, ex iis imaginibus quæ cum discerentur sunt impressæ in memoria, et informatione cogitationis ad ea converso recordantis aspectu, et ex voluntate quæ tertia duo ista conjungit. Ea vero quæ oriuntur in animo ubi non fuerunt, sicut fides, et cætera hujusmodi, etsi adventitia videntur, cum doctrina inseruntur; non tamen foris posita vel foris peracta sunt, sicut illa quæ creduntur; sed intus omnino in ipso animo esse cœperunt. Fides enim non est quod creditur, sed qua creditur : et illud creditur, illa conspicitur. Tamen quia esse cœpit in animo, qui jam erat animus antequam in illo ista esse cœpisset, adventitium quiddam videtur, et in præteritis habebitur, quando succedente specie jam esse destiterit : aliamque nunc trinitatem facit per suam præsentiam, retenta, conspecta, dilecta; aliam tunc faciet per quoddam sui vestigium, quod in memoria præteriens dereliquerit, sicut jam supra dictum est.

CAPUT IX. — 12. *An justitia et cæteræ virtutes desinant in futura vita.* Utrum autem tunc etiam virtutes, quibus in hac mortalitate bene vivitur, quia et ipsæ incipiunt esse in animo, qui cum sine illis prius esset, tamen animus erat, desinant esse cum ad æterna perduxerint, nonnulla quæstio est. Quibusdam enim visum est desituras : et de tribus quidem, prudentia, fortitudine, temperantia, cum hoc dicitur, non nihil dici videtur; justitia vero immortalis est, et magis tunc perficietur in nobis, quam esse cessabit. De omnibus tamen quatuor magnus auctor eloquentiæ Tullius in Hortensio dialogo disputans : *Si nobis*, inquit, *cum ex hac vita emigraverimus, in beatorum insulis immortale ævum, ut fabulæ ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia, cum judicia nulla fierent; aut ipsis etiam virtutibus? Nec enim fortitudine egeremus, nullo proposito aut labore aut periculo; nec justitia, cum esset nihil quod appeteretur alieni; nec temperantia, quæ regeret eas quæ nullæ essent libidines; nec prudentia quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum et malorum. Una igitur essemus beati cognitione naturæ et scientia, qua sola etiam deorum est vita laudanda. Ex quo intelligi potest, cætera necessitatis esse, unum hoc voluntatis.* Ita ille tantus orator, cum philosophiam prædicaret, recolens ea quæ a philosophis acceperat, et præclare ac suaviter explicans, in hac tantum vita, quam videmus ærumnis et erroribus plenam, omnes quatuor necessarias dixit esse virtutes : nullam vero carum, cum ex hac vita emigraverimus, si liceat ibi vivere ubi vivitur beate; sed bonos animos sola beatos esse cognitione et scientia, hoc est contemplatione naturæ qua nihil est melius et amabilius : ea est natura [1], quæ creavit omnes cæteras, instituitque naturas. Cui regenti esse subditum, si justitiæ est, immortalis est omnino justitia : nec in illa esse beatitudine desinet, sed talis ac tanta erit, ut perfectior et major esse non possit. Fortassis et aliæ tres virtutes, prudentia sine ullo jam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate : ut prudentiæ sit nullum bonum in Deo præponere vel æquare; fortitudinis, ei firmissime cohærere; temperantiæ, nullo defectu noxio delectari. Nunc autem quod agit justitia in subveniendo miseris, quod prudentia in præcavendis insidiis, quod fortitudo in perferendis molestiis, quod temperantia in coercendis delectationibus pravis, non ibi erit, ubi nihil omnino mali erit. Ac per hoc ista virtutum opera, quæ huic mortali vitæ sunt necessaria, sicut fides ad quam referenda sunt, in præteritis habebuntur : et aliam nunc faciunt trinitatem, cum ea præsentia tenemus, aspicimus, amamus; aliam tunc factura sunt, cum ea non esse, sed fuisse, per quædam eorum vestigia, quæ prætereundo in memoria derelinquent, reperiemus : quia et tunc trinitas erit, cum illud qualecumque vestigium et memoriter retinebitur, et agnoscetur veraciter, et hoc utrumque tertia voluntate jungetur.

CAPUT X. — 13. *Quomodo mente sui recordante seque intelligente ac diligente trinitas fiat.* In omnium istarum, quas commemoravimus, temporalium rerum scientia, quædam cognoscibilia cognitionem interpositione temporis antecedunt; sicut sunt ea sensibili-

[1] Plerique Mss., *in qua nihil est melius et amabilius quam natura, quæ creavit.* Quidam, *quia nihil est melius quam*

quæ jam erant in rebus, antequam cognoscerentur; vel ea omnia quæ per historiam cognoscuntur : quædam vero simul esse incipiunt; velut si aliquid visibile, quod omnino non erat, ante nostros oculos oriatur, cognitionem nostram utique non præcedit; aut si aliquid sonet, ubi adest auditor, simul profecto incipiunt esse, simulque desinunt et sonus et ejus auditus. Verumtamen sive tempore præcedentia, sive simul esse incipientia cognoscibilia cognitionem gignunt, non cognitione gignuntur. Cognitione vero facta, cum ea quæ cognovimus, posita in memoria recordatione revisuntur; quis non videat priorem esse tempore in memoria retentionem, quam in recordatione visionem, et hujus utriusque tertia voluntate junctionem? Porro autem in mente non sic est : neque enim adventitia sibi ipsa est, quasi ad se ipsam quæ jam erat, venerit aliunde eadem ipsa quæ non erat; aut non aliunde venerit, sed in se ipsa quæ jam erat, nata sit ea ipsa quæ non erat [1]; sicut in mente quæ jam erat, oritur fides quæ non erat : aut post cognitionem sui recordando se ipsam velut in memoria sua constitutam videt, quasi non ibi fuerit antequam se ipsam cognosceret; cum profecto ex quo esse cœpit, nunquam sui meminisse, nunquam se intelligere, nunquam se amare destiterit, sicut jam ostendimus. Ac per hoc quando ad se ipsam cogitatione convertitur, fit trinitas, in qua jam et verbum possit intelligi : formatur quippe ex ipsa cogitatione [2], voluntate utrumque jungente. Ibi ergo magis agnoscenda est imago quam quærimus.

CAPUT XI. — 14. *An et præsentium sit memoria.* Sed dicet aliquis : Non est ista memoria, qua mens sui meminisse perhibetur, quæ sibi semper est præsens. Memoria enim præteritorum est, non præsentium : nam quidam cum de virtutibus agerent, in quibus est etiam Tullius, in tria ista prudentiam diviserunt, memoriam, intelligentiam, providentiam : memoriam scilicet præteritis, intelligentiam præsentibus, providentiam rebus tribuentes futuris, quam non habent certam nisi præscii futurorum; quod non est munus hominum, nisi detur desuper, ut Prophetis. Unde Scriptura sapientiæ de hominibus aiens [3] : *Cogitationes*, inquit, *mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ* (*Sap.* IX, 14). Memoria vero de præteritis, et intelligentia de præsentibus certa est, sed præsentibus utique incorporalibus [4] rebus : nam corporales corporalium præsentes sunt aspectibus oculorum. Sed qui dicit memoriam non esse præsentium, attendat quemadmodum dictum sit in ipsis sæcularibus litteris, ubi majoris fuit curæ verborum integritas quam veritas rerum :

Nec talia passus Ulysses,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
(*Æneid. lib.* 3, *vers.* 628, 629.)

Virgilius enim cum sui non oblitum diceret Ulyssem, quid aliud intelligi voluit, nisi quod meminerit sui? Cum ergo sibi præsens esset, nullo modo sui meminisset, nisi ad res præsentes memoria pertineret. Quapropter sicut in rebus præteritis ea memoria dicitur, qua fit ut valeant recoli et recordari : sic in re præsenti quod sibi est mens, memoria sine absurditate dicenda est, qua sibi præsto est ut sua cogitatione possit intelligi, et utrumque sui amore [4] conjungi.

CAPUT XII. — 15. *Trinitas in mente eo est imago Dei, quo meminit, intelligit et diligit Deum, quod est sapientia.* Hæc igitur trinitas mentis non propterea Dei est imago, quia sui meminit mens, et intelligit ac diligit se : sed quia potest etiam meminisse, et intelligere, et amare a quo facta est. Quod cum facit, sapiens ipsa fit. Si autem non facit, etiam cum sui meminit, seseque intelligit ac diligit, stulta est. Meminerit itaque Dei sui, ad cujus imaginem facta est, eumque intelligat atque diligat. Quod ut brevius dicam, colat Deum non factum, cujus ab eo capax est facta, et cujus particeps esse potest; propter quod scriptum est, *Ecce Dei cultus est sapientia* (*Job* XXVIII, 28) : et non sua luce, sed summæ illius lucis participatione sapiens erit, atque ubi æterna, ibi beata regnabit. Sic enim dicitur ista hominis sapientia, ut etiam Dei sit. Tunc enim vera est : nam si humana est, vana est. Verum non ita Dei qua sapiens est Deus. Neque enim participatione sui sapiens est, sicut mens participatione Dei. Sed quemadmodum dicitur etiam justitia Dei, non solum illa qua ipse justus est, sed quam dat homini cum justificat impium, quam commendans Apostolus ait de quibusdam, *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3) : sic etiam dici potest de quibusdam, Ignorantes Dei sapientiam, et suam volentes constituere, sapientiæ Dei non sunt subjecti.

16. Est igitur natura non facta, quæ fecit omnes cæteras magnas parvasque naturas, eis quas fecit sine dubitatione præstantior, ac per hoc hac etiam de qua loquimur, rationali et intellectuali, quæ hominis mens est, ad ejus qui eam fecit imaginem facta. Illa autem cæteris natura præstantior Deus est. Et quidem *non longe positus ab unoquoque nostrum*, sicut Apostolus dicit; adjungens, *In illo enim vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 27, 28). Quod si secundum corpus diceret, etiam de isto corporeo mundo posset intelligi. Nam et in illo secundum corpus vivimus, movemur, et sumus. Unde secundum mentem quæ facta est ad ejus imaginem, debet hoc accipi, excellentiore quodam, eodemque non visibili, sed intelligibili modo. Nam quid non est in ipso, de quo divine scriptum est, *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 36)? Proinde si in ipso sunt omnia, in quo tandem possunt vivere quæ vivunt, et moveri quæ moventur, nisi in quo sunt? Non tamen omnes cum illo sunt eo modo quo ei dictum

[1] Hic editi addunt : *sicut in ipso homine quæ non erant oriuntur, aut aliis docentibus, aut cogitationibus propriis, sicut fides, sicut virtutes.* Verba huc male translata ex capite octavo, supra, num. 11, col. 1045, lin. 8-12.
[2] Sic plerique Mss. Editi vero, *ex ipsa cognito.*
[3] Plures Mss., *agens.*
[4] Am. Er. et plerique Mss., *corporalibus.*

[4] Sola fere editio Lov., *amori.*

est, *Ego semper tecum* (*Psal.* LXXII, 23). Nec ipse cum omnibus eo modo quo dicimus, Dominus vobiscum. Magna itaque hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, procul dubio sine illo non est : et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, nec diligit, cum illo non est. Quod autem quisque penitus obliviscitur, nec commoneri ejus utique potest.

CAPUT XIII. — 17. *Quomodo Dei oblivisci et meminisse quis possit.* De visibilibus rebus ad hanc rem sumamus exemplum. Dicit tibi quispiam quem non recognoscis, Nosti me : et ut commoneat, dicit ubi, quando, quomodo tibi innotuerit : omnibusque adhibitis signis quibus in memoriam revoceris, si non recognoscis, ita jam oblitus es, ut omnis illa notitia penitus deleta sit animo ; nihilque aliud restat, nisi ut credas ei qui tibi hoc dicit, quod aliquando eum noveras ; aut ne hoc quidem, si fide dignus tibi esse qui loquitur non videtur. Si autem reminisceris, profecto redis in memoriam tuam, et in ea invenis quod non fuerat penitus oblivione deletum. Redeamus ad illud propter quod adhibuimus humanæ conversationis exemplum. Inter cætera psalmus nonus : *Convertantur*, inquit, *peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum* (*Psal.* IX, 18). Porro autem vigesimus primus : *Commemorabuntur*, inquit, *et convertentur ad Dominum universi fines terræ* (*Psal.* XXI, 28). Non igitur sic erant oblitæ istæ gentes Deum, ut ejus nec commemoratæ recordarentur. Obliviscendo autem Deum, tanquam obliviscendo vitam suam, conversæ fuerant in mortem, hoc est, in infernum. Commemoratæ vero convertuntur ad Dominum, tanquam reviviscentes reminiscendo vitam suam, cujus eas habebat oblivio [1]. Item legitur in nonagesimo tertio : *Intelligite nunc, qui insipientes estis in populo ; et stulti, aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet* (*Psal.* XCIII, 8, 9)? et cætera. Eis enim dictum est, qui Deum non intelligendo, de illo vana dixerunt.

CAPUT XIV. — 18. *Mens se recte diligendo diligit Deum, quem si non diligat, se ipsam odisse dicenda est. Mens etiam infirma et errans pollet semper memoria et intellectu et amore sui. Ad Deum convertatur, ut ipsius recordando, eumque intelligendo et diligendo beata sit.* De dilectione autem Dei plura reperiuntur in divinis eloquiis testimonia. Ibi enim et illa duo consequenter intelliguntur, quia nemo diligit cujus non meminit, et quod penitus nescit. Unde illud est notissimum præcipuumque præceptum : *Diliges Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI, 5). Sic itaque condita est mens humana, ut nunquam sui non meminerit, nunquam se non intelligat, nunquam se non diligat. Sed quoniam qui odit aliquem, nocere illi studet ; non immerito et mens hominis, quando sibi nocet, odisse se dicitur. Nesciens enim sibi vult male, dum non putat sibi obesse quod vult : sed tamen male sibi vult, quando id vult quod obsit sibi, unde illud scriptum est, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X, 6). Qui ergo se diligere novit, Deum diligit : qui vero non diligit Deum, etiam si se diligit, quod ei naturaliter inditum est, tamen non inconvenienter odisse se dicitur, cum id agit quod sibi adversatur, et se ipsum tanquam suus inimicus insequitur. Qui profecto est error horrendus, ut cum sibi omnes prodesse velint, multi non faciant nisi quod eis perniciosissimum sit. Similem morbum mutorum animalium cum poeta describeret :

> At (inquit) meliora pii, erroremque hostibus illum !
> Discissos nudis laniabant dentibus artus.
> (*Virgil. Georg. lib.* 3, *vers.* 513, 514.)

Cum morbus ille corporis fuerit, cur dixit errorem, nisi quia omne animal cum sibi natura conciliatum sit ut se custodiat quantum potest, talis ille erat morbus, ut ea quorum salutem appetebant, sua membra laniarent? Cum autem Deum diligit mens, et sicut dictum est, consequenter ejus meminit, eumque intelligit, recte illi de proximo suo præcipitur, ut eum sicut se diligat. Jam enim se non diligit perverse, sed recte, cum Deum diligit, cujus participatione imago illa non solum est, verum etiam ex vetustate renovatur, ex deformitate reformatur, ex infelicitate beatificatur. Quamvis enim se ita diligat, ut si alterutrum proponatur, malit omnia quæ infra se diligit perdere, quam perire : tamen superiorem deserendo, ad quem solum posset custodire fortitudinem suam, eoque frui lumine suo, cui canitur in Psalmo, *Fortitudinem meam ad te custodiam* (*Psal.* LVIII, 10) ; et in alio, *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6) ; sic infirma et tenebrosa facta est, ut a se quoque ipsa, in ea quæ non sunt quod ipsa, et quibus superior est ipsa, infelicius laberetur per amores quos non valet vincere, et errores a quibus non videt qua redire. Unde jam Deo miserante pœnitens clamat in Psalmis : *Deserut me fortitudo mea, et lumen oculorum meorum non est mecum* (*Psal.* XXXVII, 11).

19. Non tamen in his tantis infirmitatis et erroris malis amittere potuit naturalem memoriam, intellectum, et amorem sui : propter quod merito dici potuit quod supra commemoravi (*Cap.* 4), *Quanquam in imagine ambulat homo, tamen vane conturbatur. Thesaurizat, et nescit cui congregabit ea* (*Psal.* XXXVIII, 7). Cur enim thesaurizat, nisi quia fortitudo ejus deseruit eum, per quam Deum habens, rei nullius indigeret? Et cur nescit cui congregabit ea, nisi quia lumen oculorum ejus non est cum eo? Et ideo non videt quod Veritas ait : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt abs te ; hæc quæ præparasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? Verumtamen, quia etiam talis in imagine ambulat homo, et habet memoriam, et intellectum, et amorem sui, hominis mens : si ei manifestaretur quod utrumque habere non posset, et unum e duobus permitteretur eligere, alterum perditurus, aut thesauros quos congregavit, aut mentem ; quis usque adeo non habet mentem, ut thesauros mallet habere quam mentem? Thesauri enim mentem possunt plerumque subvertere : at mens quæ non thesauris

[1] Post, *cujus eas habebat oblivio*, in excusis additum erat, *id est, cujus obliviæ fuerant.*

subvertitur sine ullis thesauris facilius et expeditius potest vivere. Quis vero ullos thesauros, nisi per mentem poterit possidere? Si enim puer infans, quamvis ditissimus natus, cum sit dominus omnium quæ jure sunt ejus, nihil possidet mente sopita; quonam tandem modo quisquam quidquam mente possidebit amissa? Sed de thesauris quid loquor, quod eis quilibet hominum, si talis optio proponatur, mavult carere quam mente; cum eos nemo præponat, nemo comparet luminibus corporis, quibus non ut aurum rarus quisque homo, sed omnis homo possidet cœlum : per lumina enim corporis quisque possidet quidquid libenter videt? Quis ergo si tenere utrumque non possit, et alterutrum cogatur amittere, non thesauros quam oculos malit? Et tamen si ab eo simili conditione quæratur, utrum oculos malit amittere, an mentem; quis mente non videat, eum oculos malle quam mentem? Mens quippe sine oculis carnis humana est, oculi autem carnis sine mente belluini sunt. Quis porro non hominem se malit esse etiam carne cæcum, quam belluam videntem?

20. Hæc dixi, ut etiam tardiores, quamvis breviter, commonerentur a me, in quorum oculos vel aures hæ litteræ venerint, quantum mens diligat se ipsam etiam infirma et errans, male diligendo atque sectando quæ sunt infra ipsam. Diligere porro se ipsam non posset, si se omnino nesciret, id est, si sui non meminisset; nec se intelligeret : qua in se imagine Dei tam potens est, ut ei cujus imago est valeat inhærere. Sic enim ordinata est naturarum ordine, non locorum, ut supra illam non sit nisi ille. Denique cum illi penitus adhæserit, unus erit spiritus : cui rei attestatur Apostolus, dicens, *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* (1 *Cor.* VI, 17) : accedente quidem ista ad participationem naturæ, veritatis, et beatitudinis illius, non tamen crescente illo in natura, veritate et beatitudine sua. In illa itaque natura, cum feliciter adhæserit, immutabiliter vivet[1], et immutabile videbit omne quod viderit. Tunc, sicut ei divina Scriptura promittit, satiabitur in bonis desiderium ejus (*Psal.* CII, 5), bonis immutabilibus, ipsa Trinitate Deo suo cujus imago est : et ne uspiam deinceps violetur, erit in abscondito vultus ejus (*Psal.* XXX, 21), tanta ubertate ejus impleta, ut eam nunquam peccare delectet. Se ipsam vero nunc quando videt, non aliquid immutabile videt.

CAPUT XV. — 21. *Anima tametsi beatitudinem speret, non tamen reminiscitur beatitudinis amissæ, sed Dei reminiscitur et regularum justitiæ. Regulæ immutabiles bene vivendi, etiam impiis notæ.* Quod ideo certe non dubitat, quoniam misera est, et beata esse desiderat : nec ob aliud fieri sperat hoc posse, nisi quia est mutabilis. Nam si mutabilis non esset, sicut ex beata[2] misera, sic ex misera beata esse non posset. Et quid eam fecisset miseram sub omnipotente et bono Domino, nisi peccatum suum et justitia Domini sui? Et quid eam faciet beatam, nisi meritum suum et præmium Domini sui? Sed et meritum ejus gratia est illius, cujus præmium erit beatitudo ejus. Justitiam quippe dare sibi non potest quam perditam non habet. Hanc enim, cum homo conderetur, accepit; et peccando utique perdidit. Accipit ergo justitiam, propter quam beatitudinem accipere mereatur. Unde veraciter ei dicitur ab Apostolo, quasi de suo bono superbire incipienti : *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (1 *Cor.* IV, 7)? Quando autem bene recordatur Domini sui, Spiritu ejus accepto, sentit omnino, quia hoc discit intimo magisterio, nonnisi ejus gratuito affectu posse se surgere, nonnisi suo voluntario defectu cadere potuisse. Non sane reminiscitur beatitudinis suæ : fuit quippe illa et non est, ejusque ista penitus oblita est; ideoque nec commemorari potest. Credit autem de illa fide dignis Litteris Dei sui, per ejus prophetam conscriptis, narrantibus de felicitate paradisi, atque illud primum et bonum hominis et malum historica traditione indicantibus. Domini autem Dei sui reminiscitur. Ille quippe semper est, nec fuit et non est, nec est et non fuit : sed sicut nunquam non erit, ita nunquam non erat. Et ubique totus est : propter quod ista in illo et vivit, et movetur, et est (*Act.* XVII, 28) : et ideo reminisci ejus potest. Non quia hoc recordatur, quod eum noverat in Adam, aut alibi alicubi ante hujus corporis vitam, aut cum primum facta est ut insereretur huic corpori : nihil enim horum omnino reminiscitur; quidquid horum est, oblivione deletum est. Sed commemoratur, ut convertatur ad Dominum, tanquam ad eam lucem qua etiam cum ab illo averteretur quodam modo tangebatur. Nam hinc est quod etiam impii cogitant æternitatem, et multa recte reprehendunt recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has vero regulas immutabiles videat, quisquis in eis et hoc videre potuerit; nec in habitu suæ mentis, cum illæ regulæ sint justitiæ, mentes vero eorum constet esse injustas. Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ, ubi quid sit justum et injustus agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ veritas dicitur? unde omnis lex justa describitur, et in cor hominis qui operatur justitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur; sicut imago ex annulo et in ceram transit, et annulum non relinquit. Qui vero non operatur, et tamen videt quid operandum sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, a qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodum sit vivendum, excusabilius quidem peccat, quia non est transgressor cognitæ[1] legis : sed etiam ipse splendore aliquoties ubique præsentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur.

CAPUT XVI. — 22. *Imago Dei quomodo reformatur*

[1] Mss. omittunt, *immutabiliter vivet*.

[2] In editis, *ex beata vita*. Abest, *vita*, a manuscriptis.

[1] Sic Am. Fr. et plures Mss. At Lov., *incognitæ*.

in homine. Qui vero commemorati convertuntur ad Dominum ab ea deformitate, qua per cupiditates sæculares conformabantur huic sæculo, reformantur ex illo, audientes Apostolum dicentem, *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate mentis vestræ* (*Rom.* XII, 2) : ut incipiat illa imago ab illo reformari, a quo formata est. Non enim reformare se ipsam potest, sicut potuit deformare. Dicit etiam alibi : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, eum qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV, 23, 24). Quod ait, *secundum Deum* creatum ; hoc alio loco dicitur, *ad imaginem Dei* (*Gen.* I, 27). Sed peccando, justitiam et sanctitatem veritatis amisit ; propter quod hæc imago deformis et decolor facta est : hanc recipit, cum reformatur et renovatur. Quod autem ait, *spiritu mentis vestræ ;* non ibi duas res intelligi voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis : sed quia omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus mens est. Est enim Spiritus et Deus (*Joan.* IV, 24), qui renovari non potest, quia nec veterascere potest. Dicitur etiam spiritus in homine, qui mens non sit, ad quem pertinent imaginationes similes corporum : de quo dicit ad Corinthios, ubi dicit, *Si autem oravero lingua, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est* (I *Cor.* XIV, 14). Hoc enim ait, quando id quod dicitur, non intelligitur : quia nec dici potest, nisi corporalium vocum imagines sonum oris spiritus cogitatione [1] præveniant. Dicitur et hominis anima spiritus : unde est in Evangelio, *Et inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 30) ; quo significata est mors corporis, anima exeunte [2]. Dicitur spiritus etiam pecoris, quod in Ecclesiaste libro Salomonis apertissime scriptum est, ubi ait : *Quis scit spiritus filiorum hominum si ascendet ipse sursum, et spiritus pecoris si descendet ipse deorsum in terram* (*Eccle.* III, 21) ? Scriptum est etiam in Genesi, ubi dicit diluvio mortuam universam carnem, *quæ habebat in se spiritum vitæ* (*Gen.* VII, 22). Dicitur spiritus etiam ventus, res apertissime corporalis : unde illud in Psalmis, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis* (*Psal.* CXLVIII, 8). Quia ergo tot modis dicitur spiritus, spiritum mentis dicere voluit eum spiritum, quæ mens vocatur. Sicut ait etiam idem apostolus, *In exspoliatione corporis carnis* (*Coloss.* II, 11). Non duas utique res intelligi voluit, quasi aliud sit caro, aliud corpus carnis : sed quia corpus multarum rerum nomen est quarum nulla caro est (nam multa sunt excepta carne corpora cœlestia, et corpora terrestria), corpus carnis dixit, corpus quæ caro est. Sic itaque spiritum mentis eum spiritum quæ mens est. Alibi quoque apertius etiam imaginem nominavit, scilicet aliis verbis idipsum præcipiens : *Exspoliantes vos,* inquit, *veterem hominem cum actibus ejus, induite novum hominem, qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Id.* III, 9, 10). Quod ergo ibi legitur, *induite novum hominem qui secundum Deum creatus est ;* hoc isto loco, *Induite novum hominem, qui renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum.* Ibi autem ait, *secundum Deum ;* hic vero, *secundum imaginem ejus qui creavit eum.* Pro eo vero quod ibi posuit, *in justitia et sanctitate veritatis ;* hoc posuit hic, *in agnitione Dei.* Fit ergo ista renovatio reformatioque mentis secundum Deum, vel secundum imaginem Dei. Sed ideo dicitur *secundum Deum,* ne secundum aliam creaturam fieri putetur ; ideo autem, *secundum imaginem* Dei, ut in ea re intelligatur fieri hæc renovatio, ubi est imago Dei, id est in mente. Quemadmodum dicimus, secundum corpus mortuum, non secundum spiritum, eum qui de corpore fidelis et justus abscedit. Quid enim dicimus secundum corpus mortuum, nisi corpore vel in corpore, non anima vel in anima mortuum ? Aut si dicamus, Secundum corpus est pulcher ; aut, Secundum corpus fortis, non secundum animum : quid est aliud, quam, Corpore, non animo pulcher aut fortis est ? Et innumerabiliter ita loquimur. Non itaque sic intelligamus, *secundum imaginem ejus qui creavit eum,* quasi alia sit imago secundum quam renovatur, non ipsa quæ renovatur.

CAPUT XVII. — 23. *Imago Dei in mente quomodo renovetur, donec perfecta sit in ea similitudo Dei in beatitudine.* Sane ista renovatio non momento uno fit ipsius conversionis, sicut momento uno fit illa in Baptismo renovatio remissione omnium peccatorum : neque enim vel unum quantulumcumque remanet quod non remittatur. Sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, revalescere ; itemque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est secunda curatione sanare : ita prima curatio est causam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum ; secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis : quæ duo demonstrantur in Psalmo, ubi legitur, *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis ;* quod fit in Baptismo : deinde sequitur, *Qui sanat omnes languores tuos* (*Psal.* CII, 3) ; quod fit quotidianis accessibus, cum hæc imago renovatur. De qua re Apostolus apertissime locutus est, dicens : *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (II *Cor.* IV, 16). *Renovatur* autem *in agnitione Dei,* hoc est, *in justitia et sanctitate veritatis ;* sicut sese habent apostolica testimonia quæ paulo ante commemoravi. In agnitione igitur Dei, justitiaque et sanctitate veritatis, qui de die in diem proficiendo renovatur, transfert amorem a temporalibus ad æterna, a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritualia ; atque ab istis cupiditatem frenare atque minuere, illisque se charitate alligare diligenter insistit. Tantum autem facit, quantum divinitus adjuvatur. Dei quippe sententia est : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). In quo profectu et accessu tenentem Mediatoris fidem cum dies vitæ hujus ultimus quemque comperierit, perducendus ad

[1] Editi, *in spiritus cogitatione.* Abest, *in,* a manuscriptis.

[2] Editi rursum post, *anima exeunte,* addebant, *de corpore.*

Deum quem coluit, et ab eo perficiendus excipietur ab Angelis sanctis, incorruptibile corpus in fine sæculi non ad pœnam, sed ad gloriam recepturus. In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio. De qua dicit apostolus Paulus : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12). Item dicit, *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu* (II *Cor.* III, 18) : hoc est quod fit de die in diem bene proficientibus.

CAPUT XVIII. — 24. *Sententia Joannis an intelligenda de futura nostra similitudine cum Filio Dei ipsa etiam immortalitate corporis.* Apostolus autem Joannes : *Dilectissimi*, inquit, *nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus : scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Hinc apparet tunc in ista imagine Dei fieri ejus plenam similitudinem, quando ejus plenam perceperit visionem. Quanquam possit hoc a Joanne apostolo etiam de immortalitate corporis dictum videri. Et in hac quippe similes erimus Deo, sed tantummodo Filio, quia solus in Trinitate corpus accepit, in quo mortuus resurrexit, atque id ad superna pervexit. Nam dicitur etiam ista imago Filii Dei, in qua sicut ille immortale corpus habebimus, conformes facti in hac parte, non Patris imaginis aut Spiritus sancti, sed tantummodo Filii, quia de hoc solo legitur, et fide sanissima [1] accipitur, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14). Propter quod Apostolus : *Quos ante*, inquit, *præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII, 29). *Primogenitus* utique *a mortuis* secundum eumdem apostolum (*Coloss.* I, 18), qua morte seminata est caro ejus in contumelia, resurrexit in gloria. Secundum hanc imaginem Filii, cui per immortalitatem conformamur in corpore, etiam illud agimus quod dicit idem apostolus, *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est* (I *Cor.* XV, 43, 49) : ut scilicet qui secundum Adam mortales fuimus, secundum Christum immortales nos futuros, fide vera et spe certa firmaque teneamus. Sic enim nunc eamdem imaginem portare possumus, nondum in visione, sed in fide ; nondum in re, sed in spe. De corporis quippe resurrectione tunc loquebatur Apostolus, cum hæc diceret.

CAPUT XIX. — 25. *Joannes potius intelligendus de perfecta nostra similitudine cum Trinitate in vita æterna. Sapientia perfecta in beatitudine.* At vero illa imago, de qua dictum est, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26) ; quia non dictum est, Ad meam, vel, Ad tuam : ad imaginem Trinitatis factum hominem credimus, et quanta potuimus investigatione comprehendimus. Et ideo secundum hanc potius et illud intelligendum est quod ait apostolus Joannes, *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est :* quia et de illo dixit, de quo dixerat *Filii Dei sumus* (I *Joan.* III, 2). Et immortalitas carnis illo perficietur momento resurrectionis, de quo ait apostolus Paulus, *In ictu oculi, in novissima tuba, et mortui resurgent incorrupti ; et nos immutabimur* (I *Cor.* XV, 52). In ipso namque ictu oculi ante judicium resurget in virtute, in incorruptione, in gloria corpus spirituale, quod nunc seminatur in infirmitate, corruptione, contumelia corpus animale. Imago vero quæ renovatur in spiritu mentis in agnitione Dei, non exterius, sed interius de die in diem, ipsa perficietur visione, quæ tunc erit post judicium facie ad faciem, nunc autem proficit per speculum in ænigmate (*Id.* XIII, 12). Propter cujus perfectionem dictum intelligendum est, *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Hoc enim donum [1] tunc nobis dabitur, cum dictum fuerit, *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (*Matth.* XXV, 34). Tunc quippe tolletur impius, ut non videat claritatem Domini (*Isai.* XXVI, 10), quando ibunt sinistri in supplicium æternum, euntibus dextris in vitam æternam (*Matth.* XXV, 46). *Hæc est autem*, sicut ait Veritas, *vita æterna, ut cognoscant te*, inquit, *unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3).

26. Hanc contemplativam sapientiam, quam proprie puto in Litteris sanctis a scientia distinctam sapientiam nuncupari, duntaxat hominis, quæ quidem illi non est, nisi ab illo cujus participatione vere sapiens fieri mens rationalis et intellectualis potest, Cicero commendans in fine dialogi Hortensii : *Quæ nobis*, inquit, *dies noctesque considerantibus, acuentibusque intelligentiam, quæ est mentis acies, caventibusque ne quando illa hebescat, id est, in philosophia viventibus magna spes est, aut si hoc quod sentimus et sapimus mortale et caducum est, jucundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum, neque molestam exstinctionem, et quasi quietem vitæ fore : aut si, ut antiquis philosophis hisque maximis longeque clarissimis placuit, æternos animos ac divinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est, in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis et erroribus, hoc his faciliorem ascensum et reditum in cœlum fore.* Deinde addens hanc ipsam clausulam, repetendoque sermonem finiens [2] : *Quapropter*, inquit, *ut aliquando terminetur oratio, si aut exstingui tranquille volumus, cum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paulo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera et cura ponenda est.* Hic miror hominem tanti ingenii, perfunctis muneribus humanis, hominibus in philosophia viventibus, quæ contemplatione veritatis beatos facit, jucundum promittere occasum, si hoc quod sentimus et sapimus mortale et caducum est : quasi hoc moriatur et intercidat quod non diligebamus, vel potius quod atrociter oderamus, ut jucundus nobis sit ejus occasus. Verum hoc non didicerat a philosophis, quos magnis laudibus prædicat ; sed ex illa nova Academia, ubi ei dubitare

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *sanctissima.*

[1] Nonnulli Mss., *bonum.*

[2] Mss., *repetendo, sermonemque finiens.*

etiam de rebus manifestissimis placuit, ista sententia redolebat. A philosophis autem, sicut ipse confitetur, *maximis longeque clarissimis*, æternos animos esse acceperat. Æterni quippe animi non inconvenienter hac exhortatione excitantur, ut in suo cursu reperiantur, cum venerit vitæ hujus extremum, id est, in ratione et investigandi cupiditate, minusque se admisceant atque implicent hominum vitiis et erroribus, ut eis facilior sit regressus ad Deum. Sed iste cursus qui constituitur in amore atque investigatione veritatis, non sufficit miseris, id est, omnibus cum ista sola ratione mortalibus sine fide Mediatoris : quod in libris superioribus hujus operis, maxime in quarto et tertio decimo, quantum potui, demonstrare curavi.

LIBER QUINTUS DECIMUS.

Principio, quid in singulis quatuordecim superioribus libris dictum sit, exponit breviter ac summatim, eoque demum pervenisse disputationem docet, ut Trinitas quæ Deus est, jam in ipsis rebus æternis, incorporalibus et immutabilibus, in quarum perfecta contemplatione nobis beata vita promittitur, inquiratur. Hanc vero Trinitatem ostendit hic videri a nobis tanquam per speculum et in ænigmate, dum videtur per imaginem Dei, quod nos sumus, ut in similitudine obscura et ad perspiciendum difficili. Sic et ex verbo mentis nostræ verbi divini generationem, nonnisi difficulter, propter eam quæ inter utrumque verbum interesse observatur disparitas quam maxima; et ex dilectione quæ a voluntate adjungitur, Spiritus sancti processionem conjici utcumque et explicari posse demonstrat.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Supra mentem Deus.* Volentes in rebus quæ factæ sunt ad cognoscendum eum a quo factæ sunt, exercere lectorem, jam pervenimus ad ejus imaginem, quod est homo, in eo quo cæteris animalibus antecellit, id est ratione vel intelligentia, et quidquid aliud de anima rationali vel intellectuali dici potest, quod pertineat ad eam rem quæ mens vocatur vel animus. Quo nomine nonnulli auctores linguæ latinæ, id quod excellit in homine, et non est in pecore, ab anima quæ inest et pecori, suo quodam loquendi more distinguunt. Supra hanc ergo naturam, si quærimus aliquid, et verum quærimus, Deus est, natura scilicet non creata, sed creatrix. Quæ utrum sit Trinitas, non solum credentibus, divinæ Scripturæ auctoritate; verum etiam intelligentibus, aliqua, si possumus, ratione jam demonstrare debemus. Cur autem, Si possumus dixerim, res ipsa cum quæri disputando cœperit, melius indicabit.

CAPUT II. — 2. *Deus incomprehensibilis semper quærendus. Trinitatis vestigia non frustra quæsita in creatura.* Deus quippe ipse quem quærimus adjuvabit, ut spero, ne sit infructuosus labor noster, et intelligamus quemadmodum dictum sit in Psalmo sacro : *Lætetur cor quærentium Dominum : quærite Dominum, et confirmamini ; quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 3, 4). Videtur enim, quod semper quæritur, nunquam inveniri : et quomodo jam lætabitur, et non potius contristabitur cor quærentium, si non potuerint invenire quod quærunt? Non enim ait, *Lætetur cor* invenientium ; sed, *quærentium Dominum.* Et tamen Dominum Deum inveniri posse dum quæritur, testatur Isaias propheta, dum dicit : *Quærite Dominum, et mox ut inveneritis, invocate eum : et cum appropinquaverit vobis, derelinquat impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas* (*Isai.* LV, 6, 7). Si ergo quæsitus inveniri potest, cur dictum est, *Quærite faciem ejus semper?* An et inventus forte quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil invenisse, qui quam sit incomprehensibile quod quærebat, potuerit invenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse quod quærit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, et melior meliorque fit quærens tam magnum bonum, quod et inveniendum quæritur, et quærendum invenitur? Nam et quæritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quæratur avidius. Secundum hoc accipi potest, quod dictum est in libro Ecclesiastico dicere sapientiam : *Qui me manducant, adhuc esurient ; et qui bibunt me, adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV, 29). Manducant enim et bibunt, quia inveniunt ; et quia esuriunt ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit : propter quod ait propheta, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9). Et rursus intellectus eum quem invenit adhuc quærit : *Deus* enim *respexit super filios hominum*, sicut in Psalmo sacro canitur, *ut videret si est intelligens, aut requirens Deum* (*Psal.* XIII, 2). Ad hoc ergo debet homo esse intelligens, ut requirat Deum.

3. Satis itaque remorati fuerimus [1] in iis quæ Deus fecit, ut per ea cognosceretur ipse qui fecit : *Invisibilia enim ejus, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I, 20). Unde arguuntur in libro Sapientiæ, qui *de iis quæ videntur bona, non potuerunt scire eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt artificem ; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut violentiam aquarum, aut luminaria cœli, rectores orbis terrarum deos putaverunt : quorum quidem si specie delectati hæc deos putaverunt, sciant quanto Dominator eorum melior est. Speciei enim generator ea creavit. Aut si virtutem et operationem eorum mirati sunt, intelligant ab his quanto qui hæc constituit fortior est. A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterat horum Creator videri* (*Sap.* XIII, 1-5). Hæc de libro Sapientiæ propterea posui, ne me fidelium quispiam frustra et inaniter existimet in creatura prius per quasdam sui generis trinitates quodam modo gradatim, donec ad mentem hominis pervenirem, quæsisse indicia summæ illius Trinitatis, quam quærimus cum Deum quærimus.

CAPUT III. — 4. *Omnium superiorum librorum bre-*

[1] Ita Mss. Editi vero, *rememorati fuimus.*

tiarum. Sed quoniam disserendi et ratiocinandi necessitas per quatuordecim libros multa nos dicere compulit, quæ cuncta simul aspicere non valemus, ut ad id quod apprehendere volumus, ea celeri cogitatione referamus; faciam quantum Domino adjuvante potuero, ut quidquid in singulis voluminibus ad cognitionem disputatione perduxi, remota disputatione breviter congeram, et tanquam sub uno mentis aspectu, non quemadmodum res quæque persuasit, sed ipsa quæ persuasa sunt ponam : ne tam longe sint a præcedentibus consequentia, ut oblivionem præcedentium faciat inspectio consequentium; aut certe si fecerit, cito possit quod exciderit relegendo recolligi.

5. In primo libro secundum Scripturas sacras unitas et æqualitas summæ illius Trinitatis ostenditur. In secundo et tertio et quarto, eadem : sed de Filii missione et Spiritus sancti diligenter quæstio pertractata tres libros fecit; demonstratumque est non ideo minorem mittente qui missus est, quia ille misit, hic missus est, cum Trinitas quæ per omnia æqualis est, pariter quoque in sua natura immutabilis et invisibilis et ubique præsens inseparabiliter operetur. In quinto, propter eos quibus ideo videtur non eamdem Patris et Filii esse substantiam, quia omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dici putant, et propterea gignere et gigni, vel genitum esse et ingenitum, quoniam diversa sunt, contendunt substantias esse diversas, demonstratur non omne quod de Deo dicitur secundum substantiam dici, sicut secundum substantiam dicitur bonus et magnus, et si quid aliud ad se dicitur; sed dici etiam relative, id est non ad se, sed ad aliquid quod ipse non est; sicut Pater ad Filium dicitur, vel Dominus ad creaturam sibi servientem : ubi si quid relative, id est ad aliquid quod ipse non est, etiam ex tempore dicitur, sicuti est, *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX, 1), nihil ei accidere quo mutetur, sed omnino ipsum in natura vel essentia sua immutabilem permanere. In sexto, quomodo dictus sit Christus ore apostolico, Dei virtus et Dei sapientia (I *Cor.* I, 24), sic disputatur, ut differatur eadem quæstio diligentius retractanda : utrum a quo est genitus Christus, non sit ipse sapientia [1], sed tantum sapientiæ suæ pater, an sapientia sapientiam genuerit. Sed quodlibet horum esset, etiam in hoc libro apparuit Trinitatis æqualitas, et non Deus triplex, sed Trinitas : nec quasi aliquid duplum esse Patrem et Filium ad simplum Spiritum sanctum; ubi nec tria plus aliquid sunt quam unum horum. Disputatum est etiam quomodo possit intelligi quod ait Hilarius episcopus [2] : *Æternitas in Patre, species in Imagine, usus in Munere.* In septimo, quæstio quæ dilata fuerat, explicatur, ita ut Deus qui genuit Filium, non solum sit Pater virtutis et sapientiæ suæ, sed etiam ipse virtus atque sapientia; sic et Spiritus sanctus : nec tamen simul tres sint virtutes aut tres sapientiæ, sed una virtus et una sapientia, sicut unus Deus et una essentia. Deinde quæsitum est, quomodo dicantur una essentia, tres personæ, vel a quibusdam [1] Græcis una essentia, tres substantiæ : et inventum est elocutionis necessitate dici, ut aliquo uno nomine enuntiarentur, cum quæritur quid tres sint, quos tres esse veraciter confitemur, Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum sanctum. In octavo, ratione etiam reddita intelligentibus clarum est, in substantia veritatis non solum Patrem Filio non esse majorem, sed nec ambos simul aliquid majus esse quam solum Spiritum sanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate majus esse aliquid quam unum, aut omnes simul tres majus aliquid esse quam singulos. Deinde per veritatem quæ intellecta conspicitur, et per bonum summum a quo est omne bonum, et per justitiam propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum justo, ut natura non solum incorporalis, verum etiam incommutabilis quod est Deus, quantum fieri potest, intelligeretur admonui : et per charitatem, quæ in Scripturis sanctis Deus dicta est (I *Joan.* IV, 16), per quam cœpit utcumque etiam Trinitas intelligentibus apparere, sicut sunt amans, et quod amatur, et amor. In nono, ad imaginem Dei, quod est homo secundum mentem, pervenit disputatio : et in ea quædam trinitas invenitur, id est, mens, et notitia qua se novit, et amor quo se notitiamque suam diligit; et hæc tria æqualia inter se, et unius ostenduntur esse essentiæ. In decimo hoc idem diligentius subtiliusque tractatum est, atque ad id perductum, ut inveniretur in mente evidentior trinitas ejus, in memoria scilicet et intelligentia et voluntate. Sed quoniam et hoc compertum est, quod mens nunquam esse ita potuerit, ut non sui meminisset, non se intelligeret, et diligeret, quamvis non semper se cogitaret, cum autem cogitaret, non se a corporalibus rebus eadem cogitatione discerneret; dilata est de Trinitate, cujus hæc imago est, disputatio, ut in ipsis etiam corporalibus visis inveniretur trinitas, et distinctius in ea lectoris exerceretur intentio. In undecimo ergo electus est sensus oculorum, in quo id quod inventum esset, etiam in cæteris quatuor sensibus corporis et non dictum posset agnosci : atque ita exterioris hominis trinitas, primo in iis quæ cernuntur extrinsecus, ex corpore scilicet quod videtur, et forma quæ inde in acie cernentis imprimitur, et utrumque copulantis intentione voluntatis, apparuit. Sed hæc tria non inter se æqualia, nec unius esse substantiæ claruerunt. Deinde in ipso animo, ab iis quæ extrinsecus sensa sunt velut introducta inventa est altera trinitas, ubi apparerent eadem tria unius esse substantiæ, imaginatio corporis quæ in memoria est, et inde informatio cum ad eam convertitur acies cogitantis, et utrumque conjungens intentio voluntatis. Sed ideo ista trinitas ad exteriorem hominem reperta est pertinere, quia de corporibus illata est quæ sentiuntur extrinsecus. In duodecimo discernenda visa est sapientia ab scientia, et in ea quæ proprie scientia nuncupatur, quia inferior est, prius quædam sui generis trinitas inquirenda : quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei vel

[1] Quidam codex, *eadem non sit ipse sapientia.*
[2] Sola editio Lov., *episcopus sanctus.*

[1] In Mss., *vel, ut a quibusdam.*

appellanda sit vel putanda. Et hoc agitur in tertio decimo libro per commendationem fidei christianæ. In quarto decimo autem de sapientia hominis vera, id est, Dei munere in ejus ipsius [1] Dei participatione donata, quæ ab scientia distincta est, disputatur : et eo pervenit disputatio, ut trinitas appareat in imagine Dei, quod est homo secundum mentem, quæ renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit hominem (*Coloss.* III, 10) ad imaginem suam (*Gen.* I, 27), et sic percipit sapientiam ubi contemplatio est æternorum.

CAPUT IV. — 6. *Quid universa natura nos de Deo doceat.* Jam ergo in ipsis rebus æternis, incorporalibus et incommutabilibus, in quarum perfecta contemplatione nobis beata, quæ nonnisi æterna est, vita promittitur, Trinitatem quæ Deus est inquiramus. Neque enim divinorum Librorum tantummodo auctoritas esse Deum prædicat, sed omnis quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum Conditorem, qui nobis mentem rationemque naturalem dedit, qua viventia non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, injustis justa, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis Creatorem sine dubitatione præponimus, oportet ut eum et summe vivere, et cuncta sentire atque intelligere; et mori, corrumpi, mutarique non posse; nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum fateamur.

CAPUT V. — 7. *Quam difficile demonstrare ratione naturali Trinitatem.* Sed hæc omnia quæ dixi, et quæcumque alia simili more locutionis humanæ digne de Deo dici videntur, et universæ Trinitati quæ est unus Deus, et personis singulis in eadem Trinitate conveniunt. Quis enim vel unum Deum, quod est ipsa Trinitas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum; audeat dicere, aut non viventem, aut nihil sentientem vel intelligentem, aut in ea natura qua inter se prædicantur æquales, quemquam esse eorum mortalem sive corruptibilem, sive mutabilem, sive corporeum; aut quisquam ibi neget aliquem potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum? Si ergo hæc atque hujusmodi omnia, et ipsa Trinitas, et in ea singuli dici possunt; ubi aut quomodo Trinitas apparebit? Redigamus itaque prius hæc plurima ad aliquam paucitatem. Quæ vita enim dicitur in Deo, ipsa est essentia ejus atque natura. Non itaque Deus vivit nisi vita quod ipse sibi est. Hæc autem vita non talis est qualis inest arbori, ubi nullus est intellectus, nullus est sensus. Nec talis qualis inest pecori : habet enim vita pecoris sensum quinquepartitum, sed intellectum habet nullum : at illa vita quæ Deus est, sentit atque intelligit omnia; et sentit mente, non corpore, quia spiritus est Deus (*Joan.* IV, 24). Non autem sicut animalia quæ habent corpora, per corpus sentit Deus; non enim ex anima constat et corpore : ac per hoc simplex illa natura sicut intelligit sentit, sicut sentit intelligit; idemque sensus qui intellectus est illi. Nec ita ut aliquando esse desistat aut cœperit : immortalis est enim. Nec frustra de illo dictum est quod solus habeat immortalitatem (I *Tim.* VI, 16) : nam immortalitas ejus vere immortalitas est, in cujus natura nulla est commutatio. Ipsa est etiam vera æternitas qua est immutabilis Deus, sine initio, sine fine; consequenter et incorruptibilis. Una ergo eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis : itemque cum dicitur, vivens, et intelligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percepit sapientiam qua esset sapiens [1], sed ipse sapientia est. Et hæc vita, eademque virtus sive potentia, eademque species, qua potens, atque speciosus dicitur. Quid enim potentius et speciosius sapientia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1)? Bonitas etiam atque justitia, numquid inter se in natura Dei, sicut in ejus operibus distant, tanquam duæ diversæ sint qualitates Dei; una, bonitas; alia, justitia? Non utique : sed quæ justitia, ipsa bonitas; et quæ bonitas, ipsa beatitudo. Incorporalis autem vel incorporeus ideo dicitur Deus, ut spiritus credatur vel intelligatur esse, non corpus.

8. Proinde si dicamus, Æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus; horum omnium novissimum quod posui quasi tantummodo videtur significare substantiam, cætera vero hujus substantiæ qualitates : sed non ita est in illa ineffabili simplicique natura. Quidquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit enim ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, et bonus secundum qualitatem : sed utrumque secundum substantiam. Sic omnia cætera quæ commemoravimus, unde in superioribus libris multa jam diximus. De quatuor igitur primis quæ modo a nobis enumerata atque digesta sunt, id est, æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, unum aliquid eligamus; quia unum quatuor ista significant, sicut jam disserui; ne per multa distendatur intentio, et illud potius quod positum est prius, id est, æternus. Hoc faciamus et de quatuor secundis, quæ sunt, vivus, sapiens, potens, speciosus. Et quoniam vita qualiscumque inest et pecori, cui sapientia non inest; duo vero ista, sapientia scilicet atque potentia, ita sunt inter se in homine comparata, ut sancta Scriptura diceret, *Melior est sapiens quam fortis* (*Id.* VI, 1); speciosa porro etiam corpora dici solent : unum ex his quatuor [2] quod eligimus, sapiens eligatur:

[1] Sic Mss. At Er. et Lov., *id est de munere ejus in ipsius*, etc. Am., *id est de munere in ejus ipsius*, etc.

[1] Sic Mss. At editi, *Non enim percipit sapientiam qua fit* (vel, *qua sit*) *sapiens.*

[2] Loco, *quatuor*, forte legendum, *æqualibus.*

quamvis hæc quatuor in Deo non inæqualia [1] dicenda sint; nomina enim quatuor, rei autem una est. De tertiis vero ultimis quatuor, quamvis in Deo idem sit justum esse quod bonum, quod beatum, idemque spiritum esse quod justum et bonum et beatum esse: tamen quia in hominibus potest esse spiritus non beatus, potest et justus et bonus nondum beatus; qui vero beatus est, profecto et justus et bonus et spiritus est: hoc potius eligamus quod nec in hominibus esse sine illis tribus potest, quod est beatus.

CAPUT VI. — 9. *Quomodo in ipsa simplicitate Dei sit Trinitas. An et quomodo ex monstratis trinitatibus in homine ostendatur Trinitas Deus.* Num igitur [2] cum dicimus, Æternus, sapiens, beatus, hæc tria sunt Trinitas, quæ appellatur Deus? Redigimus [3] quidem illa duodecim in istam paucitatem trium: sed eo modo forsitan possumus et hæc tria in unum aliquod horum. Nam si una eademque res in Dei natura potest esse sapientia et potentia, aut vita et sapientia; cur non una eademque res esse possit in Dei natura æternitas et sapientia, aut beatitudo et sapientia? Ac per hoc sicut nihil intererat utrum illa duodecim, an ista tria diceremus, quando illa multa in istam redegimus paucitatem; ita nihil interest utrum tria ista dicamus, an illud unum in cujus singularitatem duo cætera similiter redigi posse monstravimus [4]. Quis itaque disputandi modus, quænam tandem vis intelligendi atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis ostendet, ut alia jam taceam, hoc unum quod sapientia dicitur Deus, quomodo sit Trinitas? Neque enim sicut nos de illo percipimus sapientiam, ita Deus de aliquo: sed sua est ipse sapientia; quia non est aliud sapientia ejus, aliud essentia, cui hoc est esse quod sapientem esse. Dicitur quidem in Scripturis sanctis Christus Dei virtus, et Dei sapientia (I *Cor.* I, 24): sed quemadmodum sit intelligendum, ne Patrem Filius videatur facere sapientem, in libro septimo disputatum est (*Cap.* 1-3); et ad hoc ratio pervenit, ut sic sit Filius sapientia de sapientia, quemadmodum lumen de lumine, Deus de Deo. Nec aliud potuimus invenire Spiritum sanctum, nisi et ipsum esse sapientiam, et simul omnes unam sapientiam, sicut unum Deum, unam essentiam. Hanc ergo sapientiam quod est Deus, quomodo intelligimus esse Trinitatem? Non dixi, Quomodo credimus? nam hoc inter fideles non debet habere quæstionem: sed si aliquo modo per intelligentiam possumus videre quod credimus, quis iste erit modus?

10. Si enim recolamus ubi nostro intellectui cœperit in his libris Trinitas apparere, octavus occurrit. Ibi quippe, ut potuimus, disputando erigere tentavimus mentis intentionem ad intelligendam illam præstantissimam immutabilemque naturam, quod nostra mens non est. Quam tamen sic intuebamur, ut nec longe a nobis esset, et supra nos esset, non loco, sed ipsa sui venerabili mirabilique præstantia, ita ut apud nos esse suo præsenti lumine videretur. In qua tamen nobis adhuc nulla Trinitas apparebat, quia non ad eam quærendam in fulgore illo firmam mentis aciem tenebamus [1]: tantum quia non erat aliqua moles, ubi credi oporteret magnitudinem duorum vel trium plus esse quam unius, cernebamus utcumque. Sed ubi ventum est ad charitatem, quæ in sancta Scriptura Deus dicta est (I *Joan.* IV, 16), eluxit paululum Trinitas, id est, amans, et quod amatur, et amor. Sed quia lux illa ineffabilis nostrum reverberabat obtutum, et ei nondum posse obtemperari nostræ mentis quodam modo convincebatur infirmitas, ad ipsius nostræ mentis, secundum quam factus est homo ad imaginem Dei (*Gen.* I, 27), velut familiariorem considerationem, reficiendæ laborantis intentionis causa, inter cœptum dispositumque refleximus: et inde in creatura, quod nos sumus, ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, conspicere intellecta possemus (*Rom.* I, 20), immorati sumus a nono usque ad quartum decimum librum. Et ecce jam quantum necesse fuerat, aut forte plus quam necesse fuerat, exercitata in inferioribus intelligentia, ad summam Trinitatem quæ Deus est, conspiciendam nos erigere volumus, nec valemus. Num enim sicut certissimas videmus trinitates, sive quæ forinsecus de rebus corporalibus fiunt, sive cum ea ipsa quæ forinsecus sensa sunt cogitantur; sive cum illa quæ oriuntur in animo, nec pertinent ad corporis sensus, sicut fides, sicut virtutes quæ sunt artes agendæ vitæ, manifesta ratione cernuntur et scientia continentur; sive cum mens ipsa qua novimus quidquid nosse nos veraciter dicimus, sibi cognita est, vel se cogitat, sive cum aliquid quod ipsa non est, æternum atque incommutabile conspicit: num ergo sicut in his omnibus certissimas videmus trinitates, quia in nobis fiunt vel in nobis sunt, cum ista meminimus, aspicimus, volumus, ita videmus etiam Trinitatem Deum, quia et illic intelligendo conspicimus tanquam dicentem, et verbum ejus, id est, Patrem et Filium, atque inde procedentem charitatem utrique communem, scilicet Spiritum sanctum? An trinitates istas ad sensus nostros vel ad animum pertinentes videmus potius quam credimus, Deum vero esse Trinitatem credimus potius quam videmus? Quod si ita est, profecto aut invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, nulla intellecta conspicimus; aut si ulla conspicimus; non in eis conspicimus Trinitatem, et est illic quod conspiciamus, est quod etiam non conspectum credere debeamus. Conspicere autem nos immutabile bonum, quod nos non sumus, liber octavus ostendit; et quartus decimus, cum de sapientia quæ homini ex Deo est loqueremur, admonuit. Cur itaque ibi non agnoscimus Trinitatem? An hæc sapientia quæ Deus dicitur, non se intelligit, non se diligit? Quis hoc dixerit? Aut quis est qui non videat, ubi nulla scientia est, nullo modo esse sapientiam? Aut vero putandum est, sapientiam quæ Deus est, scire alia et nescire se ipsam, vel diligere alia nec diligere se

[1] Plures Mss., *non æqualia*. Melius, si tamen supra pro, *quod eligimus*, legendum sit, *æqualibus*.
[2] Ita Mss. At editi, *nunc igitur*.
[3] Er. Lugd. Ven. et Lov., *redegimus*. M.
[4] Plures Mss., *memoravimus*.

[1] Aliquot Mss., *tendebamus*.

ipsam? Quæ si dici sive credi stultum et impium est; ecce ergo Trinitas, sapientia scilicet, et notitia sui, et dilectio sui. Sic enim et in homine invenimus trinitatem, id est, mentem, et notitiam qua se novit, et dilectionem qua se diligit.

CAPUT VII. — 11. *Haud facile posse ex dictis trinitatibus deprehendi Trinitatem Deum.* Sed hæc tria ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo. Homo est enim, sicut veteres definierunt, animal rationale mortale. Illa ergo excellunt in homine, non ipsa sunt homo. Et una persona, id est singulus quisque homo, habet illa tria in mente [1]. Quod si etiam sic definiamus hominem, ut dicamus, Homo est substantia rationalis constans ex anima et corpore; non est dubium hominem habere animam quæ non est corpus, habere corpus quod non est anima. Ac per hoc illa tria non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt. Detracto etiam corpore, si sola anima cogitetur, aliquid ejus est mens, tanquam caput ejus, vel oculus, vel facies: sed non hæc ut corpora cogitanda sunt. Non igitur anima, sed quod excellit in anima mens vocatur. Num quid autem possumus dicere Trinitatem sic esse in Deo, ut aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus? Quapropter singulus quisque homo, qui non secundum omnia quæ ad naturam pertinent ejus, sed secundum solam mentem imago Dei dicitur, una persona est, et imago est Trinitatis in mente. Trinitas vero illa cujus imago est, nihil aliud est tota quam Deus, nihil est aliud tota quam Trinitas. Nec aliquid ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat Trinitatem: et tres personæ sunt unius essentiæ, non sicut singulus quisque homo una persona.

12. Itemque in hoc magna distantia est, quod sive mentem dicamus in homine, ejusque notitiam, et dilectionem, sive memoriam, intelligentiam, voluntatem, nihil mentis meminimus nisi per memoriam, nec intelligimus nisi per intelligentiam, nec amamus nisi per voluntatem. At vero in illa Trinitate quis audeat dicere Patrem, nec se ipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum intelligere nisi per Filium, vel diligere nisi per Spiritum sanctum, per se autem meminisse tantummodo vel sui vel Filii vel Spiritus sancti; eodemque modo Filium nec sui nec Patris meminisse nisi per Patrem, nec diligere nisi per Spiritum sanctum, per se autem non nisi intelligere et Patrem et se ipsum et Spiritum sanctum; similiter et Spiritum sanctum per Patrem meminisse et Patris et Filii et sui, et per Filium intelligere et Patrem et Filium et se ipsum, per se autem non nisi diligere et se et Patrem et Filium: tanquam memoria sit Pater et sua et Filii et Spiritus sancti, Filius autem intelligentia et sua et Patris et Spiritus sancti, Spiritus vero sanctus charitas et sua et Patris et Filii? Quis hæc in illa Trinitate opinari vel affirmare præsumat? Si enim solus ibi Filius intelligit [2], et sibi et Patri et Spiritui sancto, ad illam reditur absurditatem, ut Pater non sit sapiens de se ipso, sed de Filio; nec sapientia sapientiam genuerit, sed ea sapientia Pater dicatur sapiens esse quam genuit. Ubi enim non est intelligentia, nec sapientia potest esse: ac per hoc si Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri, profecto Filius Patrem sapientem facit. Et si hoc est Deo esse quod sapere, et ea illi essentia est quæ sapientia, non Filius a Patre, quod verum est; sed a Filio potius habet Pater essentiam, quod absurdissimum atque falsissimum est. Hanc absurditatem nos in libro septimo discussisse, convicisse, abjecisse certissimum est (*Capp.* I, 3). Est ergo Deus Pater sapiens, ea qua ipse sua est sapientia, et Filius sapientia Patris de sapientia quod est Pater, de quo genitus est Filius. Quocirca consequenter est et intelligens Pater ea qua ipse sua est intelligentia; neque enim esset sapiens qui non esset intelligens: Filius autem intelligentia Patris de intelligentia genitus quod est Pater. Hoc et de memoria non inconvenienter dici potest. Quomodo est enim sapiens qui nihil meminit, vel sui non meminit? Proinde, quia sapientia Pater, sapientia Filius, sicut sui meminit [1] Pater, ita et Filius: et sicut sui et Filii meminit Pater, memoria non Filii, sed sua; ita sui et Patris meminit Filius, memoria non Patris, sed sua. Dilectio quoque ubi nulla est, quis ullam dicat esse sapientiam? Ex quo colligitur ita esse Patrem dilectionem suam, ut intelligentiam et memoriam suam. Ecce ergo tria illa, id est, memoria, intelligentia, dilectio sive voluntas in illa summa et immutabili essentia quod est Deus, non Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt, sed Pater solus. Et quia Filius quoque sapientia est genita de sapientia, sicut nec Pater ei, nec Spiritus sanctus ei intelligit, sed ipse sibi; ita nec Pater ei meminit, nec Spiritus sanctus ei diligit, sed ipse sibi: sua enim est et ipse memoria, sua intelligentia, sua dilectio; sed ita se habere, de Patre illi est, de quo natus est. Spiritus etiam sanctus quia sapientia est procedens de sapientia, non Patrem habet memoriam, et Filium intelligentiam, et se dilectionem; neque enim sapientia esset, si alius ei meminisset, eique alius intelligeret, ac tantummodo sibi ipse diligeret: sed ipse habet hæc tria, et ea sic habet, ut hæc ipsa ipse sit. Verumtamen ut ita sit, inde illi est unde procedit.

13. Quis ergo hominum potest istam sapientiam qua novit Deus omnia, ita ut nec ea quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, nec ea quæ dicuntur futura, quasi desint exspectentur ut veniant, sed et præterita et futura cum præsentibus sint cuncta præsentia; nec singula cogitentur, et ab aliis ad alia cogitando transeatur, sed in uno conspectu simul præsto sint universa: quis, inquam, hominum comprehendit istam sapientiam, eamdemque prudentiam, eamdemque scientiam; quandoquidem a nobis nec nostra comprehenditur [2]? Ea quippe quæ vel sensibus

[1] In Mss. additur, *vel mentem.*
[2] Hic editi addunt, *ut intelligentia sit*; quod abest a Mss.

[1] Sic Mss. At editi, *sibi meminit.*
[2] Editi, *comprehendantur.* Melius Mss. *comprehenditur.*

vel intelligentiæ nostræ adsunt, possumus utcumque conspicere : ea vero quæ absunt, et tamen adfuerunt, per memoriam novimus, quæ obliti non sumus. Nec ex futuris præterita, sed futura ex præteritis, non tamen firma cognitione conjicimus. Nam quasdam cogitationes nostras, quas futuras velut manifestius atque certius proximas quasi [1] prospicimus, memoria faciente id agimus, cum agere valemus quantum valemus, quæ videtur non ad ea quæ futura sunt [2], sed ad præterita pertinere. Quod licet experiri in eis dictis vel canticis, quorum seriem memoriter reddimus. Nisi enim prævideremus cogitatione quod sequitur, non utique diceremus. Et tamen ut prævideamus, non providentia nos instruit, sed memoria. Nam donec finiatur omne quod dicimus, sive canimus, nihil est quod non provisum prospectumque proferatur. Et tamen cum id agimus, non dicimur provìdenter, sed memoriter canere vel dicere ; et qui hoc in multis ita proferendis valent plurimum, non solet eorum providentia, sed memoria prædicari. Fieri ista in animo vel ab animo nostro novimus, et certissimi sumus : quomodo autem fiant, quanto attentius voluerimus advertere, tanto magis noster et sermo succumbit, et ipsa non perdurat intentio, ut ad liquidum aliquid nostra intelligentia, et si non lingua, perveniat. Et putamus nos, utrum Dei providentia eadem sit quæ memoria et intelligentia, qui non singula cogitando aspicit, sed una, æterna et immutabili atque ineffabili visione complectitur cuncta quæ novit, tanta mentis infirmitate posse comprehendere? In hac igitur difficultate et angustiis libet exclamare ad Deum vivum : *Mirificata est scientia tua ex me; invaluit, et non potero ad illam* (*Psal.* CXXXVIII, 6). Ex me quippe intelligo quam sit mirabilis et incomprehensibilis scientia tua, qua me fecisti ; quando nec me ipsum comprehendere valeo quem fecisti : et tamen in meditatione mea exardescit ignis (*Psal.* XXXVIII, 4), ut quæram faciem tuam semper (*Psal.* CIV, 4).

CAPUT VIII. — 14. *Deum nunc videri a nobis per speculum quomodo dicat Apostolus.* Incorporalem substantiam scio esse sapientiam, et lumen esse in quo videntur quæ oculis carnalibus non videntur : et tamen vir tantus tamque spiritualis, *Videmus nunc*, inquit, *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12). Quale sit et quod sit hoc speculum si quæramus, profecto illud occurrit, quod in speculo nisi imago non cernitur. Hoc ergo facere conati sumus, ut per imaginem hanc quod nos sumus, videremus utcumque a quo facti sumus, tanquam per speculum. Hoc significat etiam illud quod ait idem apostolus : *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu* (II *Cor.* III, 18). *Speculantes* dixit, per speculum videntes, non de specula prospicientes. Quod in græca lingua non est ambiguum, unde in latinam translatæ sunt apostolicæ Litteræ. Ibi quippe speculum ubi apparent imagines rerum, a specula de cujus altitudine longius aliquid intuemur, etiam sono verbi distat omnino ; satisque apparet Apostolum a speculo, non a specula dixisse, *gloriam Domini speculantes.* Quod vero ait, *In eamdem imaginem transformamur :* utique imaginem Dei vult intelligi, eamdem dicens, istam ipsam scilicet, id est, quam speculamur; quia eadem imago est et gloria Dei, sicut alibi dicit, *Vir quidem non debet velare caput suum, cum sit imago et gloria Dei* (I *Cor.* XI, 7) : de quibus verbis jam in libro duodecimo disseruimus. *Transformamur* ergo dicit, de forma in formam mutamur, atque transimus de forma obscura in formam lucidam; quia et ipsa obscura, imago Dei est; et si imago, profecto etiam gloria, in qua homines creati sumus, præstantes cæteris animalibus. De ipsa quippe natura humana dictum est, *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei.* Quæ natura in rebus creatis excellentissima, cum a suo Creatore ab impietate justificatur, a deformi forma formosam transfertur in formam. Est quippe et in ipsa impietate, quanto magis damnabile vitium, tanto certius natura laudabilis. Et propter hoc addidit, *de gloria in gloriam :* de gloria creationis in gloriam justificationis. Quamvis possit hoc et aliis modis intelligi, quod dictum est, *de gloria in gloriam :* de gloria fidei in gloriam speciei ; de gloria qua filii Dei sumus, in gloriam qua similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2). Quod vero adjunxit, *tanquam a Domini Spiritu ;* ostendit gratia Dei nobis conferri tam optabilis transformationis donum.

CAPUT IX. — 15. *De ænigmate et tropicis locutionibus.* Hæc dicta sunt propter quod ait Apostolus, *nunc per speculum* nos videre. Quia vero addidit, *in ænigmate ;* multis hoc incognitum est qui eas litteras nesciunt, in quibus est doctrina quædam de locutionum modis, quos Græci tropos vocant, eoque græco vocabulo etiam nos utimur pro latino. Sicut enim schemata usitatius dicimus quam figuras, ita usitatius dicimus tropos quam modos. Singulorum autem modorum sive troporum nomina, ut singula singulis referantur, difficillimum est et insolentissimum latinè enuntiare. Unde quidam interpretes nostri, quod ait Apostolus, *Quæ sunt in allegoria* (*Galat.* IV, 24), nolentes græcum vocabulum ponere, circumloquendo interpretati sunt dicentes, *Quæ sunt aliud ex alio significantia.* Hujus autem tropi, id est allegoriæ, plures sunt species, in quibus est etiam quod dicitur ænigma. Definitio autem ipsius nominis generalis, omnes etiam species complectatur necesse est. Ac per hoc sicut omnis equus animal est, non omne animal equus est : ita omne ænigma allegoria est, non omnis allegoria ænigma est. Quid ergo est allegoria, nisi tropus ubi ex alio aliud intelligitur, quale illud est ad Thessalonicenses : *Itaque non dormiamus sicut et cæteri : sed vigilemus, et sobrii simus. Nam qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui inebriantur, nocte ebrii sunt : nos au-*

[1] Am., *proximas quasdam.* Nonnulli Mss., *proximas quasque.*

[2] Er. et Lov., *quæ ad ea non videntur quæ futura sunt.* Ten., *quæ ad eam non videntur quæ futura sunt.* M.

tem qui dici sumus, sobrii simus (1 *Thess.* v, 6-8)? Sed hæc allegoria non est ænigma. Nam nisi multum tardis iste sensus in promptu est. Ænigma est autem, ut breviter explicem, obscura allegoria, sicuti est, *Sanguisugæ erant tres filiæ*[1] (*Prov.* xxx, 15); et quæcumque similia. Sed ubi allegoriam nominavit Apostolus, non in verbis eam reperit, sed in facto, cum e duobus filiis Abrahæ, uno de ancilla, altero de libera, quod non dictum, sed etiam factum fuit, duo Testamenta intelligenda monstravit; quod antequam exponeret, obscurum fuit : proinde allegoria talis, quod est generale nomen, posset specialiter ænigma nominari.

16. Sed quia non soli qui eas litteras nesciunt, quibus discuntur tropi, quærunt quid dixerit Apostolus, nunc in ænigmate nos videre; verum etiam qui sciunt, tamen quod sit illud ænigma ubi nunc videmus, nosse desiderant : ex utroque invenienda una est sententia; et ex illo scilicet quod ait, *Videmus nunc per speculum;* et ex isto quod addit, *in ænigmate.* Una est enim cum tota sic dicitur, *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Proinde, quantum mihi videtur, sicut nomine speculi imaginem voluit intelligi; ita nomine ænigmatis quamvis similitudinem, tamen obscuram, et ad perspiciendum difficilem. Cum igitur speculi et ænigmatis nomine quæcumque similitudines ab Apostolo significatæ intelligi possint, quæ accommodatæ sunt ad intelligendum Deum, eo modo quo potest; nihil tamen est accommodatius quam id quod imago ejus non frustra dicitur. Nemo itaque miretur etiam in isto modo videndi qui concessus est huic vitæ, per speculum scilicet in ænigmate, laborare nos ut quomodocumque videamus. Nomen quippe hic non sonaret ænigmatis, si esset facilitas visionis. Et hoc est grandius ænigma, ut non videamus quod non videre non possumus. Quis enim non videt cogitationem suam? et quis videt cogitationem suam, non oculis carnalibus dico, sed ipso interiore conspectu? Quis non eam videt, et quis eam videt? Quandoquidem cogitatio visio est animi quædam, sive adsint ea quæ oculis quoque corporalibus videantur, vel cæteris sentiantur sensibus, sive non adsint, et eorum similitudines cogitatione cernantur; sive nihil eorum, sed ea cogitentur quæ nec corporalia sunt, nec corporalium similitudines, sicut virtutes et vitia, sicut ipsa denique cogitatio cogitatur; sive illa quæ per disciplinas traduntur liberalesque doctrinas; sive istorum omnium causæ superiores atque rationes in natura immutabili cogitentur; sive etiam mala et vana, ac falsa cogitemus, vel non consentiente sensu, vel errante consensu.

CAPUT X. — 17. *De verbo mentis, in quo tanquam speculo et ænigmate videmus Verbum Dei.* Sed nunc de iis loquamur quæ nota cogitamus, et habemus in notitia etiam si non cogitemus, sive ad contemplativam scientiam pertineant, quam proprie sapientiam[2], sive ad activam, quam proprie scientiam nuncupandam esse disserui. Simul enim utrumque mentis est unius, et imago Dei una. Cum vero de inferiore distinctius et seorsum agitur, tunc non est vocanda imago Dei, quamvis et tunc in ea nonnulla reperiatur similitudo illius Trinitatis; quod in tertio decimo volumine ostendimus (*Capp.* 1, 20). Nunc ergo simul de universa scientia hominis loquimur, in qua nobis nota sunt quæcumque sunt nota : quæ utique vera sunt, alioquin nota non essent. Nemo enim falsa novit, nisi cum falsa esse novit : quod si novit, verum novit; verum est enim quod illa falsa sint. De his ergo nunc disserimus quæ nota cogitamus, et nota sunt nobis etiam si non cogitentur a nobis. Sed certe si ea dicere velimus, nisi cogitata non possumus. Nam etsi verba non sonent, in corde suo dicit utique qui cogitat. Unde illud est in libro Sapientiæ : *Dixerunt apud se cogitantes non recte* (*Sap.* II, 1). Exposuit enim quid sit, *Dixerunt apud se*, cum addidit, *cogitantes.* Huic simile est in Evangelio, quod quidam Scribæ cum audissent a Domino dictum paralytico, *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua; dixerunt intra se, Hic blasphemat* Quid est enim, *dixerunt intra se*, nisi cogitando? Denique sequitur, *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Utquid cogitatis mala in cordibus vestris* (*Matth.* IX, 2-4)? Sic Matthæus. Lucas autem hoc idem ita narrat : *Cœperunt cogitare Scribæ et Pharisæi, dicentes : Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Ut cognovit autem cogitationes eorum Jesus, respondens dixit ad illos : Quid cogitatis in cordibus vestris* (*Luc.* V, 21, 22)? Quale est in libro Sapientiæ, *Dixerunt cogitantes;* tale hic est, *Cogitaverunt dicentes.* Et illic enim et hic ostenditur, intra se atque in corde suo dicere, id est, cogitando dicere. Dixerunt quippe intra se, et dictum est eis, *Quid cogitatis?* Et de illo divite cujus uberes fructus ager attulit, ait ipse Dominus, *Et cogitabat intra se, dicens* (*Id.* XII, 17).

18. Quædam ergo cogitationes locutiones sunt cordis, ubi et os esse Dominus ostendit, cum ait : *Non quod intrat in os coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Una sententia duo quædam hominis ora complexus est, unum corporis, alterum cordis. Nam utique unde illi hominem putaverant inquinari, in os intrat corporis : unde autem Dominus dixit inquinari hominem, de cordis ore procedit. Ita quippe exposuit ipse quod dixerat. Nam paulo post de hac re discipulis suis : *Adhuc et vos*, inquit, *sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur?* Hic certe apertissime demonstravit os corporis. At in eo quod sequitur os cordis ostendens, *Quæ autem*, inquit, *procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ* (*Matth.* XV, 10-20), etc. Quid hac expositione lucidius? Nec tamen quia dicimus locutiones cordis esse cogitationes, ideo non sunt etiam visiones exortæ de notitiæ visionibus, quando veræ sunt. Foris enim cum per corpus hæc fiunt, aliud est

[1] Quidam codices, *duæ filiæ.*
[2] In excusis additum hic erat, *dicimus.*

locutio, aliud visio : intus autem cum cogitamus, utrumque unum est. Sicut auditio et visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis, in animo autem non est aliud atque aliud videre et audire : ac per hoc cum locutio foris non videatur, sed potius audiatur, locutiones tamen interiores, hoc est, cogitationes visas dixit a Domino sanctum Evangelium, non auditas : *Dixerunt*, inquit, *intra se, Hic blasphemat ;* deinde subjunxit, *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum.* Vidit ergo quæ dixerunt. Vidit enim cogitatione sua cogitationes eorum, quas illi soli se putabant videre.

19. Quisquis igitur potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum ejus imagines cogitatione volvantur : hoc enim est quod ad nullam pertinet linguam, earum scilicet quæ linguæ appellantur gentium, quarum nostra latina est : quisquis, inquam, hoc intelligere potest, jam potest videre per hoc speculum atque in hoc ænigmate aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Necesse est enim cum verum loquimur, id est, quod scimus loquimur, ex ipsa scientia quam memoria tenemus, nascatur verbum quod ejusmodi sit omnino, cujusmodi est illa scientia de qua nascitur. Formata quippe cogitatio ab ea re quam scimus, verbum est quod in corde dicimus : quod nec græcum est, nec latinum, nec linguæ alicujus alterius ; sed cum id opus est in eorum quibus loquimur perferre notitiam, aliquod signum quo significetur assumitur. Et plerumque sonus, aliquando etiam nutus, ille auribus, ille oculis exhibetur, ut per signa corporalia etiam corporis sensibus verbum quod mente gerimus innotescat. Nam et innuere quid est, nisi quodam modo visibiliter dicere ? Est in Scripturis sanctis hujus sententiæ testimonium ; nam in Evangelio secundum Joannem ita legitur : *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat ergo unus ex discipulis ejus recumbens in sinu Jesu, quem diligebat Jesus : innuit ergo huic Simon Petrus et dicit ei, Quis est de quo dicit* (*Id.* XIII, 21-24) ? Ecce innuendo dixit, quod sonando dicere non audebat. Sed hæc atque hujusmodi signa corporalia sive auribus sive oculis præsentibus quibus loquimur exhibemus : inventæ sunt autem litteræ, per quas possemus et cum absentibus colloqui : sed ista signa sunt vocum, cum ipsæ voces in sermone nostro earum quas cogitamus signa sint rerum.

CAPUT XI. — 20. *Verbi divini similitudo qualiscumque in verbo nostro non exteriore ac sensibili, sed in interiore ac mentali quærenda. Dissimilitudo quam maxima inter verbum ac scientiam nostram et Verbum scientiamque divinam.* Proinde verbum quod foris sonat, signum est verbi quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est : verbumque et ipsum dicitur, propter illud a quo ut foris appareret assumptum est. Ita enim verbum nostrum vox quodam modo corporis fit, assumendo eam in qua manifestetur sensibus hominum ; sicut Verbum Dei caro factum est, assumendo eam in qua et ipsum manifestaretur sensibus hominum. Et sicut verbum nostrum fit vox, nec mutatur in vocem ; ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit ut mutaretur in carnem. Assumendo quippe illam, non in eam se consumendo, et hoc nostrum vox fit, et illud caro factum est. Qua propter quicumque cupit ad qualemcumque similitudinem Verbi Dei, quamvis per multa dissimilem, pervenire, non intueatur verbum nostrum quod sonat in auribus, nec quando voce profertur, nec quando silentio cogitatur. Omnium namque sonantium verba linguarum etiam in silentio cogitantur, et carmina percurruntur animo, tacente ore corporis : nec solum numeri syllabarum, verum etiam modi cantilenarum, cum sint corporales, et ad eum, qui vocatur auditus, sensum corporis pertinentes, per incorporeas quasdam imagines suas præsto sunt cogitantibus, et tacite cuncta ista volventibus. Sed transeunda sunt hæc, ut ad illud perveniatur hominis verbum, per cujus qualemcumque similitudinem sicut in ænigmate videatur utcumque Dei Verbum : non illud quod factum est ad illum vel illum prophetam, et de quo dictum est, *Verbum autem Dei crescebat et multiplicabatur* (*Act.* VI, 7) ; et de quo iterum dictum est, *Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (*Rom.* X, 17) ; et iterum, *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis non ut verbum hominum, sed sicuti est vere verbum Dei* (I *Thess.* II, 13). Et innumerabilia similiter in Scripturis dicuntur de Dei verbo, quod in sonis multarum diversarumque linguarum per corda et ora disseminatur humana. Ideo autem verbum Dei dicitur, quia doctrina divina traditur, non humana. Sed illud Verbum Dei quærimus qualitercumque per hanc similitudinem nunc videre, de quo dictum est, *Deus erat Verbum ;* de quo dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt ;* de quo dictum est, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 1, 3, 14) ; de quo dictum est, *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis* (*Eccli.* I, 5). Perveniendum est ergo ad illud verbum hominis, ad verbum rationalis animantis, ad verbum non de Deo natæ, sed a Deo factæ imaginis Dei, quod neque prolativum est in sono, neque cogitativum in similitudine soni, quod alicujus linguæ esse necesse sit, sed quod omnia quibus significatur signa præcedit, et gignitur de scientia quæ manet in animo, quando eadem scientia intus dicitur, sicuti est. Simillima est enim visio cogitationis, visioni scientiæ. Nam quando per sonum dicitur, vel per aliquod corporale signum, non dicitur sicuti est, sed sicut potest videri audirive per corpus. Quando ergo quod in notitia est, hoc est in verbo, tunc est verum verbum, et veritas, qualis exspectatur ab homine, ut quod est in ista, hoc sit et in illo ; quod non est in ista, non sit et in illo : hic agnoscitur, *Est, est ; Non, non* (*Matth.* V, 37). Sic accedit, quantum potest, ista similitudo imaginis factæ ad illam similitudinem imaginis natæ, qua Deus Filius

Patri per omnia substantialiter similis prædicatur. Animadvertenda est in hoc ænigmate etiam ista Verbi Dei similitudo, quod sicut de illo Verbo dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt*, ubi Deus per unigenitum Verbum suum prædicatur universa fecisse; ita hominis opera nulla sunt, quæ non prius dicantur in corde : unde scriptum est, *Initium omnis operis verbum* (*Eccli.* XXXVII, 20). Sed etiam hic cum verum verbum est, tunc est initium boni operis. Verum autem verbum est, cum de scientia bene operandi gignitur, ut etiam ibi servetur, *Est, est; Non, non:* ut si est in ea scientia qua vivendum est, sit et in verbo per quod operandum est; si non, non : alioquin mendacium erit verbum tale, non veritas; et inde peccatum, non opus rectum. Est et hæc in ista similitudine verbi nostri similitudo Verbi Dei, quia potest esse verbum nostrum quod non sequatur opus; opus autem esse non potest, nisi præcedat verbum : sicut Verbum Dei potuit esse nulla existente creatura; creatura vero nulla esse posset, nisi per ipsum per quod facta sunt omnia. Ideoque non Deus Pater, non Spiritus sanctus, non ipsa Trinitas, sed solus Filius, quod est Verbum Dei, caro factum est; quamvis Trinitate faciente : ut sequente atque imitante verbo nostro ejus exemplum, recte viveremus, hoc est, nullum habentes in verbi nostri vel contemplatione vel operatione mendacium. Verum hæc hujus imaginis est quandoque futura perfectio. Ad hanc consequendam nos erudit magister bonus fide christiana pietatisque doctrina, ut *revelata facie* a Legis velamine quod est umbra futurorum, *gloriam Domini speculantes*, per speculum scilicet intuentes, *in eamdem imaginem* transformemur *de gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu* (II *Cor.* III, 18), secundum superiorem de his verbis disputationem.

21. Cum ergo hac transformatione ad perfectum fuerit hæc imago renovata, similes Deo erimus, quoniam videbimus eum, non per speculum, sed sicuti est (*Joan.* III, 2) : quod dicit apostolus Paulus, *facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12). Nunc vero in hoc speculo, in hoc ænigmate, in hac qualicumque similitudine, quanta sit etiam dissimilitudo, quis potest explicare? Attingam tamen aliqua, ut valeo, quibus id possit adverti.

CAPUT XII. — *Academica philosophia.* Primo ipsa scientia, de qua veraciter cogitatio nostra formatur, quando quæ scimus loquimur, qualis aut quanta potest homini provenire, quamlibet peritissimo atque doctissimo? Exceptis enim quæ in animum veniunt a sensibus corporis, in quibus tam multa aliter sunt quam videntur, ut eorum verisimilitudine nimium constipatus, sanus sibi esse videatur qui insanit; unde Academica philosophia sic invaluit, ut de omnibus dubitans multo miserius insaniret : his ergo exceptis quæ a corporis sensibus in animum veniunt, quantum rerum remanet quod ita sciamus, sicut nos vivere scimus? in quo prorsus non metuimus, ne aliqua verisimilitudine forte fallamur, quoniam certum est etiam eum qui fallitur vivere; nec in eis visis hoc habetur[1], quæ objiciuntur extrinsecus, ut in eo sic fallatur oculus, quemadmodum fallitur cum in aqua remus videtur infractus, et navigantibus turres moveri, et alia sexcenta quæ aliter sunt quam videntur; quia nec per oculum carnis hoc cernitur. Intima scientia est qua nos vivere scimus, ubi ne illud quidem Academicus dicere potest : Fortasse dormis, et nescis, et in somnis vides. Visa quippe somniantium simillima esse visis vigilantium quis ignorat? Sed qui certus est de vitæ suæ scientia, non in ea dicit, Scio me vigilare; sed, Scio me vivere : sive ergo dormiat, sive vigilet, vivit. Nec in ea scientia per somnia falli potest; quia et dormire et in somnis videre, viventis est. Nec illud potest Academicus adversus istam scientiam dicere, Furis fortassis et nescis; quia sanorum visis simillima sunt etiam visa furentium : sed qui furit vivit. Nec contra Academicos dicit, Scio me non furere; sed, Scio me vivere. Nunquam ergo falli nec mentiri potest, qui se vivere dixerit scire. Mille itaque fallacium visorum genera objiciantur ei qui dicit, Scio me vivere; nihil horum timebit, quando et qui fallitur vivit. Sed si talia sola pertinent ad humanam scientiam, perpauca sunt; nisi quia in unoquoque genere ita multiplicantur, ut non solum pauca non sint, verum etiam reperiantur per infinitum numerum tendere. Qui enim dicit, Scio me vivere, unum aliquid scire se dicit : proinde si dicat, Scio me scire me vivere; duo sunt jam; hoc vero quod scit hæc duo, tertium scire est : sic potest addere et quartum, et quintum, et innumerabilia, si sufficiat. Sed quia innumerabilem numerum vel comprehendere singula addendo, vel dicere innumerabiliter non potest, hoc ipsum certissime comprehendit ac dicit, et verum hoc esse, et tam innumerabile, ut vere ejus infinitum numerum non possit comprehendere ac dicere. Hoc et in voluntate certa similiter adverti potest. Quis est enim cui non impudenter respondeatur, Forte falleris, dicenti, Volo beatus esse? Et si dicat, Scio me hoc velle, et hoc me scire scio; jam his duobus et tertium potest addere, quod hæc duo sciat; et quartum, quod hæc duo scire se sciat, et similiter in infinitum numerum pergere. Item si quispiam dicat, Errare nolo; nonne sive erret sive non erret, errare tamen eum nolle verum erit? Quis est qui huic non impudentissime dicat, Forsitan falleris? cum profecto ubicumque fallatur, falli se tamen nolle non fallitur. Et si hoc scire se dicat, addit quantum vult rerum numerum cognitarum, et numerum esse perspicit infinitum. Qui enim dicit, Nolo me falli et hoc me nolle scio, et hoc me scire scio; jam et si non commoda elocutione, potest hinc infinitum numerum ostendere : et alia reperiuntur, quæ adversus Academicos valeant, qui nihil ab homine sciri posse contendunt. Sed modus adhibendus est, præsertim quia in opere isto non hoc suscepimus. Sunt inde libri tres nostri, primo nostræ conversionis tempore conscripti, quos qui poterit et voluerit legere lectosque intellexerit, nihil eum profecto quæ ab eis contra

[1] Ita Mss. At editi, *hæc habentur*. Male.

perceptionem veritatis argumenta multa inventa sunt, permovebunt (*a*). Cum enim duo sint genera rerum quæ sciuntur, unum earum quæ per sensus corporis percipit animus, alterum earum quæ per se ipsum : multa illi philosophi garrierunt contra corporis sensus; animi autem quasdam firmissimas per se ipsum perceptiones rerum verarum, quale illud est quod dixi, Scio me vivere, nequaquam in dubium vocare potuerunt. Sed absit a nobis ut ea quæ per sensus corporis didicimus, vera esse dubitemus : per eos quippe didicimus cœlum et terram, et ea qui in eis nota sunt nobis, quantum ille qui et nos et ipsa condidit, innotescere nobis voluit. Absit etiam ut scire nos negemus, quæ testimonio didicimus aliorum : alioquin esse nescimus Oceanum; nescimus esse terras atque urbes, quas celeberrima fama commendat; nescimus fuisse homines et opera eorum, quæ historica lectione didicimus; nescimus quæ quotidie undecumque nuntiantur, et indiciis consonis contestantibusque [1] firmantur; postremo nescimus in quibus locis, vel ex quibus hominibus fuerimus exorti; quia hæc omnia testimoniis credidimus aliorum. Quod si absurdissimum est dicere; non solum nostrorum, verum etiam et alienorum corporum sensus plurimum addidisse nostræ scientiæ confitendum est.

22. Hæc igitur omnia, et quæ per se ipsum, et quæ per sensus sui corporis, et quæ testimoniis aliorum percepta scit animus humanus, thesauro memoriæ condita tenet, ex quibus gignitur verbum verum, quando quod scimus loquimur, sed verbum ante omnem sonum, ante omnem cogitationem soni. Tunc enim est verbum simillimum rei notæ, de qua gignitur et imago ejus, quoniam de visione scientiæ visio cogitationis exoritur, quod est verbum linguæ nullius, verbum verum de re vera, nihil de suo habens, sed totum de illa scientia de qua nascitur. Nec interest quando id didicerit, qui quod scit loquitur; aliquando enim statim ut discit, hoc dicit; dum tamen verbum sit verum, id est, de notis rebus exortum.

CAPUT XIII. — *Item de differentia scientiæ ac verbi mentis nostræ, a scientia et Verbo Dei.* Sed numquid Deus Pater, de quo natum est Verbum de Deo Deus; numquid ergo Deus Pater in illa sapientia quod est ipse sibi, alia didicit per sensum corporis sui, alia per se ipsum? Quis hoc dicat, qui non animal rationale, sed supra animam rationalem Deum cogitat; quantum ab eis cogitari potest, qui eum omnibus animalibus et omnibus animis præferunt, quamvis per speculum et in ænigmate conjiciendo videant, nondum facie ad faciem sicuti est? Numquid Deus Pater ea ipsa, quæ non per corpus, quod est ei nullum, sed per se ipsum scit, aliunde ab aliquo didicit, aut nuntiis vel testibus, ut ea sciret, indiguit? Non utique : ad omnia quippe scienda quæ scit, sufficit sibi illa perfectio. Habet quidem nuntios, id est Angelos, non tamen qui ei quæ nescit annuntient; non enim sunt ulla quæ nesciat : sed bonum eorum est de operibus suis ejus consulere veritatem; et hoc est quod ei dicuntur nonnulla nuntiare, non ut ipse ab eis discat, sed ut ab illo ipsi per Verbum ejus sine corporali sono. Nuntiant etiam quod voluerit, ab eo missi ad quos voluerit, totum ab illo per illud Verbum ejus audientes; id est, in ejus veritate invenientes quid sibi faciendum, quid, quibus, et quando nuntiandum sit. Nam et nos oramus eum, nec tamen necessitates nostras docemus eum. *Novit enim*, ait Verbum ejus, *Pater vester quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo* (*Matth.* VI, 8). Nec ista ex aliquo tempore cognovit, ut nosset : sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid et quando ab illo petituri fueramus, et quos et de quibus rebus vel exauditurus vel non exauditurus esset, sine initio ante præscivit. Universas autem creaturas suas, et spirituales et corporales, non quia sunt ideo novit; sed ideo sunt quia novit. Non enim nescivit quæ fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit. Nec aliter ea scivit creata, quam creanda : non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis; sed illis existentibus sicut oportebat, et quando oportebat, illa mansit ut erat. Ita et scriptum est in libro Ecclesiastico : *Antequam crearentur, omnia nota sunt illi; sic et postquam consummata sunt* (*Eccli.* XXIII, 29). *Sic*, inquit, non aliter, et *antequam crearentur, et postquam consummata sunt, sic ei nota sunt.* Longe est ergo huic scientiæ scientia nostra dissimilis. Quæ autem scientia Dei est, ipsa et sapientia; et quæ sapientia, ipsa essentia sive substantia. Quia in illius naturæ simplicitate mirabili, non est aliud sapere, aliud esse; sed quod est sapere, hoc est et esse, sicut et in superioribus libris sæpe jam diximus. Nostra vero scientia in rebus plurimis propterea et amissibilis est et receptibilis, quia non hoc est nobis esse quod scire vel sapere : quoniam esse possumus, etiam si nesciamus, neque sapiamus ea quæ aliunde didicimus. Propter hoc, sicut nostra scientia illi scientiæ Dei, sic et nostrum verbum quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi Verbo Dei quod natum est de Patris essentia. Tale est autem ac si diceremus, De Patris scientia, de Patris sapientia; vel, quod est expressius, De Patre scientia, de Patre sapientia.

CAPUT XIV. — 23. *Verbum Dei per omnia æquale Patri de quo est.* Verbum ergo Dei Patris unigenitus Filius, per omnia Patri similis et æqualis, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia de sapientia, essentia de essentia; est hoc omnino quod Pater, non tamen Pater; quia iste Filius, ille Pater. Ac per hoc novit omnia quæ novit Pater : sed ei nosse de Patre est, sicut esse. Nosse enim et esse ibi unum est [1]. Et ideo Patri sicut esse non est a Filio, ita nec nosse. Proinde tanquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo quam in ipso. Ibi summe illud agnoscitur, *Est, est; Non, non* (*Matth.* V, 37). Et ideo Verbum hoc vere veritas est : quoniam quidquid est in ea scientia de qua genitum est,

[1] Plerique Mss., *constantibusque.*

(*a*) Libri tres contra Academicos, tom. I.

[1] Ita Mss. At editi, *illi unum est.*

et in ipso est; quod autem in ea non est, nec in ipso est. Et falsum habere aliquid hoc Verbum nunquam potest: quia immutabiliter sic se habet, ut se habet de quo est. *Non* enim *potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* v, 19). Potenter hoc non potest, nec est infirmitas ista, sed firmitas, qua falsa esse non potest veritas. Novit itaque omnia Deus Pater in se ipso, novit in Filio: sed in se ipso tanquam se ipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in se ipso. Omnia similiter novit et Filius, in se scilicet, tanquam ea quæ nata sunt de iis quæ Pater novit in se ipso: in Patre autem, tanquam ea de quibus nata sunt, quæ ipse Filius novit in se ipso. Sciunt ergo invicem Pater et Filius: sed ille gignendo, iste nascendo. Et omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt; non particulatim aut singillatim, velut alternante conspectu hinc illuc, et inde huc, et rursus inde vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit nisi non videns alia: sed, ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est quod non semper videt.

24. Verbum autem nostrum illud quod non habet sonum neque cogitationem soni, sed ejus rei[1] quam videndo intus dicimus, et ideo nullius linguæ est; atque inde utcumque simile est in hoc ænigmate illi Verbo Dei, quod etiam Deus est, quoniam sic et hoc de nostra nascitur, quemadmodum et illud de scientia Patris natum est: nostrum ergo tale verbum, quod invenimus esse utcumque illi simile, quantum sit etiam dissimile sicut a nobis dici potuerit, non pigeat intueri.

CAPUT XV. — *Quanta sit dissimilitudo verbi nostri et Verbi divini. Verbum nostrum sempiternum esse aut dici non potest.* Numquid verbum nostrum de sola scientia nostra nascitur? Nonne multa dicimus etiam quæ nescimus? Nec dubitantes ea dicimus, sed vera esse arbitrantes: quæ forte si vera sunt, in ipsis rebus de quibus loquimur, non in verbo nostro vera sunt; quia verbum verum non est, nisi quod de re quæ scitur, gignitur. Falsum est ergo isto modo verbum nostrum, non cum mentimur, sed cum fallimur. Cum autem dubitamus, nondum est verbum de re de qua dubitamus, sed de ipsa dubitatione verbum est. Quamvis enim non noverimus an verum sit unde dubitamus, tamen dubitare nos novimus: ac per hoc cum hoc dicimus, verum verbum est; quoniam quod novimus dicimus. Quid, quod etiam mentiri possumus? Quod cum facimus, utique volentes et scientes falsum verbum habemus: ubi verum verbum est mentiri nos; hoc enim scimus. Et cum mentitos nos esse confitemur, verum dicimus: quod scimus enim dicimus; scimus namque nos esse mentitos. Verbum autem illud quod est Deus et potentius est nobis, hoc non potest. *Non* enim *potest facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem:* et non a se ipso loquitur, sed a Patre illi est omne quod loquitur, cum ipsum Pater unice loquitur: et magna illius Verbi potentia est, non posse mentiri; quia non potest esse illic *Est et non* (II *Cor.* I, 19), sed *Est, est; Non, non.* At enim nec verbum dicendum est, quod verum non est. Si ita[1], libens assentior. Quid, cum verum est verbum nostrum, et ideo recte verbum vocatur, numquid sicut dici potest vel visio de visione, vel scientia de scientia, ita dici potest essentia de essentia, sicut illud Dei Verbum maxime dicitur maximeque dicendum est? Quid ita? quia non hoc est nobis esse, quod est nosse. Multa quippe novimus quæ per memoriam quodam modo vivunt, ita et oblivione quodam modo moriuntur: atque ideo cum illa jam non sint in notitia nostra, nos tamen sumus; et cum scientia nostra animo lapsa perierit a nobis, nos tamen vivimus.

25. Illa etiam quæ ita sciuntur, ut nunquam excidere possint, quoniam præsentia sunt, et ad ipsius animi naturam pertinent, ut est illud quod nos vivere scimus (manet enim hoc quamdiu animus manet, et quia semper manet animus, et hoc semper manet): id ergo et si qua reperiuntur similia, in quibus imago Dei potius intuenda est, etiamsi semper sciuntur, tamen quia non semper etiam cogitantur, quomodo de his dicatur verbum sempiternum, cum verbum nostrum nostra cogitatione dicatur, invenire difficile est. Sempiternum est enim animo vivere, sempiternum est scire quod vivit: nec tamen sempiternum est cogitare vitam suam, vel cogitare scientiam vitæ suæ; quoniam cum aliud atque aliud cœperit, hoc desinet cogitare, quamvis non desinat scire. Ex quo fit, ut si potest esse in animo aliqua scientia sempiterna, et sempiterna esse non potest ejusdem scientiæ cogitatio, et verbum verum nostrum intimum nisi nostra cogitatione non dicitur, solus Deus intelligatur habere Verbum sempiternum sibique coæternum. Nisi forte dicendum est, ipsam possibilitatem cogitationis, quoniam id quod scitur, etiam quando non cogitatur, potest tamen veraciter cogitari, verbum esse tam perpetuum, quam scientia ipsa perpetua est. Sed quomodo est verbum, quod nondum in cogitationis visione formatum est? Quomodo erit simile scientiæ de qua nascitur, si ejus non habet formam, et ideo jam vocatur verbum quia potest habere? Tale est enim ac si dicatur, ideo jam vocandum esse verbum quia potest esse verbum. Sed quid est quod potest esse verbum, et ideo jam dignum est verbi nomine? Quid est, inquam, hoc formabile nondumque formatum, nisi quiddam mentis nostræ, quod hac atque hac volubili quadam motione jactamus, cum a nobis nunc hoc, nunc illud, sicut inventum fuerit vel occurrerit, cogitatur? Et tunc fit verum verbum, quando illud quod nos dixi volubili motione jactare, ad id quod scimus pervenit[2], atque inde formatur, ejus omnimodam similitudinem capiens; ut quomodo res quæque scitur, sic etiam co-

[1] Hic Mss. addunt, *quod intus lucet, cui magis verbi convenit nomen* Sumptum est ex initio capitis undecimi.

[1] Sic editio PP. Benedict. Antuerpiana cum nonnullis editis; at in priori editione Benedictina legitur, *sit ita.* M.

[2] Editi, *perveneri it.* Concinnius Mss., *pervenit.*

que substantia. Si ergo hæc intellecta sunt, et quantum nobis in rebus tantis videre vel conjectare concessum est, vera esse claruerunt; nescio cur non sicut sapientia et Pater dicitur et Filius et Spiritus sanctus, et simul omnes non tres, sed una sapientia; ita et charitas et Pater dicatur et Filius et Spiritus sanctus, et simul omnes una charitas. Sic enim et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et simul omnes unus Deus.

29. Et tamen non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec Donum Dei nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est Verbum et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus nisi Deus Pater. Ideo autem addidi, Principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non jam existenti et nondum habenti: sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo Donum commune procederet, et Spiritus sanctus spiritus esset amborum. Non est igitur accipienda transeunter, sed diligenter intuenda inseparabilis Trinitatis ista distinctio. Hinc enim factum est ut proprie Dei Verbum etiam Dei sapientia diceretur, cum sit sapientia et Pater et Spiritus sanctus. Si ergo proprie aliquid horum trium charitas nuncupanda est, quid aptius quam ut hoc sit Spiritus sanctus? Ut scilicet in illa [1] simplici summaque natura, non sit aliud substantia et aliud charitas; sed substantia ipsa sit charitas, et charitas ipsa sit substantia, sive in Patre, sive in Filio, sive in Spiritu sancto, et tamen proprie Spiritus sanctus charitas nuncupetur.

30. Sicut Legis nomine aliquando simul omnia veteris Instrumenti sanctarum scripturarum significantur eloquia. Nam ex propheta Isaia testimonium ponens Apostolus, ubi ait, *In aliis linguis et in aliis labiis loquar populo huic;* præmisit tamen, *In Lege scriptum est* (*Isai.* XXVIII, 11; *et* I *Cor.* XIV, 21). Et ipse Dominus, *In Lege*, inquit, *eorum scriptum est, quia oderunt me gratis* (*Joan.* XV, 25); cum hoc legatur in Psalmo (*Psal.* XXXIV, 19). Aliquando autem proprie vocatur Lex, quæ data est per Moysen, secundum quod dictum est, *Lex et Prophetæ usque ad Joannem* (*Matth.* XI, 13); et, *In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Id.* XXII, 40). Hic utique proprie Lex appellata est, de monte Sina. Prophetarum autem nomine etiam Psalmi significati sunt: et tamen alio loco ipse Salvator, *Oportebat*, inquit, *impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, et Prophetis, et Psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 44). Hic rursus Prophetarum nomen, exceptis Psalmis, intelligi voluit. Dicitur ergo Lex universaliter cum Prophetis et Psalmis, dicitur et proprie quæ per Moysen data est. Item dicuntur communiter Prophetæ simul cum Psalmis, dicuntur et proprie præter Psalmos. Et multis aliis exemplis doceri potest, multa rerum vocabula, et universaliter poni, et proprie quibusdam rebus adhiberi, nisi in re aperta vitanda sit longitudo sermonis. Hoc ideo dixi, ne quisquam propterea nos inconvenienter existimet charitatem appellare Spiritum sanctum, quia et Deus Pater et Deus Filius potest charitas nuncupari.

31. Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiæ, cum sit universaliter et Spiritus sanctus et Pater ipse sapientia; ita Spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo charitatis, cum sit universaliter charitas et Pater et Filius. Sed Dei Verbum, id est, unigenitus Dei Filius aperte dictus est Dei sapientia, ore Apostolico, ubi ait, *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (I *Cor.* I, 24): Spiritus autem sanctus ubi sit dictus charitas invenimus, si diligenter Joannis apostoli scrutemur eloquium; qui cum dixisset, *Dilectissimi, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est;* secutus adjunxit, *Et omnis qui diligit, ex Deo natus est: qui non diligit, non cognovit Deum, quia Deus dilectio est.* Hic manifestavit eam se dixisse dilectionem Deum, quam dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio. Sed quia et Filius ex Deo Patre natus est, et Spiritus sanctus ex Deo Patre procedit, quem potius eorum hic debeamus accipere dictum esse dilectionem Deum, merito quæritur. Pater enim solus ita Deus est, ut non sit ex Deo: ac per hoc dilectio quæ ita Deus est, ut ex Deo sit, aut Filius est, aut Spiritus sanctus. Sed in consequentibus cum Dei dilectionem commemorasset, non qua nos eum, sed qua *Ipse dilexit nos, et misit Filium suum litatorem* [1] *pro peccatis nostris;* et hinc exhortatus esset ut et nos invicem diligamus, atque ita Deus in nobis maneat, quia utique dilectionem Deum dixerat, statim volens de hac re apertius aliquid eloqui, *In hoc*, inquit, *cognoscimus quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Spiritus itaque sanctus de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, et ipsum in nobis: hoc autem facit dilectio. Ipse est igitur Deus dilectio. Denique paulo post cum hoc ipsum repetiisset atque dixisset, *Deus dilectio est;* continuo subjecit, *Et qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus manet in eo:* unde supra dixerat, *In hoc cognoscimus quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Ipse ergo significatur ubi legitur, *Deus dilectio est.* Deus igitur Spiritus sanctus qui procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem Dei et proximi, et ipse dilectio est. Non enim habet homo unde Deum diligat, nisi ex Deo. Propter quod paulo post dicit: *Nos diligamus eum, quia ipse prior dilexit nos* (I *Joan.* IV, 7-19). Apostolus quoque Paulus: *Dilectio*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5).

CAPUT XVIII. — 32. *Nullum Dei donum charitate excellentius.* Nullum est isto Dei dono excellentius. Solum est quod dividit inter filios regni æterni et filios perditionis æternæ. Dantur et alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus sanctus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra non transfertur ad dexteram. Nec Spiritus proprie dicitur

[1] Editi, *in illa Trinitatis.* Vox, *Trinitatis*, abest a Mss.

[1] Editi, *liberatorem.* At Mss., *litatorem.* Græce, 1 Joannis, cap. 4, ℣. 10, ἱλασμόν.

Donum, nisi propter dilectionem : quam qui non habuerit, si linguis hominum loquatur et Angelorum, sonans æramentum est et cymbalum tinniens : et si habuerit prophetiam, et scierit omnia sacramenta, et omnem scientiam, et si habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, nihil est : et si distribuerit omnem substantiam suam, et si tradiderit corpus suum ut ardeat, nihil ei prodest (I *Cor.* XIII, 1-3). Quantum ergo bonum est, sine quo ad æternam vitam neminem bona tanta perducunt? Ipsa vero dilectio sive charitas (nam unius rei est utrumque nomen), si habeat eam qui non loquitur linguis, nec habet prophetiam, nec omnia scit sacramenta omnemque scientiam, nec distribuit omnia sua pauperibus, vel non habendo quod distribuat, vel aliqua necessitate prohibitus, nec tradit corpus suum ut ardeat, si talis passionis nulla tentatio est, perducit ad regnum, ita ut ipsam fidem non faciat utilem nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse. Propter quod et apostolus Paulus, *In Christo*, inquit, *Jesu neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6) : sic eam discernens ab ea fide, qua et dæmones credunt et contremiscunt (*Jacobi* II, 19). Dilectio igitur quæ ex Deo est et Deus est, proprie Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissime Spiritus sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam Donum Dei (*Act.* VIII, 20). Quod Donum proprie quid nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deum, et sine qua quodlibet aliud donum Dei non perducit ad Deum?

CAPUT XIX. — 33. *Spiritus sanctus dictus Dei Donum in Scripturis. Donum Spiritus sancti dictum pro Donum quod est Spiritus sanctus. Spiritus sanctus proprie Charitas dicitur, quamvis non solus in Trinitate charitas sit.* An et hoc probandum est, Dei Donum dictum esse in sacris Litteris Spiritum sanctum? Si et hoc exspectatur, habemus in Evangelio secundum Joannem Domini Jesu Christi verba dicentis : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Porro Evangelista secutus adjunxit : *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII, 37-39). Unde dicit etiam Paulus apostolus : *Et omnes unum Spiritum potavimus* (I *Cor.* XII, 13). Utrum autem donum Dei sit appellata aqua ista, quod est Spiritus sanctus, hoc quæritur. Sed sicut hic invenimus hanc aquam Spiritum sanctum esse, ita invenimus alibi in ipso Evangelio hanc aquam donum Dei appellatam. Nam Dominus idem quando cum muliere Samaritana ad puteum loquebatur, cui dixerat, *Da mihi bibere;* cum illa respondisset, quod Judæi non conterentur Samaritanis; respondit Jesus, et dixit ei : *Si scires Donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. Dicit ei mulier : Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est; unde ergo habes aquam vivam?* et cætera. *Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 7-14). Quia ergo hæc aqua viva, sicut Evangelista exposuit, Spiritus est sanctus, procul dubio Spiritus Donum Dei est, de quo hic Dominus ait : *Si scires Donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Nam quod ibi ait, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ;* hoc isto loco, *Fiet in eo*, inquit, *fons aquæ salientis in vitam æternam.*

34. Paulus quoque apostolus, *Unicuique*, inquit, *nostrum datur gratia secundum mensuram donationis Christi :* atque ut donationem Christi Spiritum sanctum ostenderet, secutus adjunxit, *Propter quod dicit : Ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV, 7, 8). Notissimum est autem, Dominum Jesum, cum post resurrectionem a mortuis ascendisset in cœlum, dedisse Spiritum sanctum, quo impleti qui crediderant, linguis omnium gentium loquebantur. Nec moveat quod ait, *dona;* non, donum : id enim testimonium de Psalmo posuit. Hoc autem in Psalmo ita legitur : *Ascendisti in altum, captivasti captivitatem, accepisti dona in hominibus* (*Psal.* LXVII, 19). Sic enim plures codices habent, et maxime græci, et ex hebræo sic interpretatum habemus. *Dona* itaque dixit Apostolus, quemadmodum Propheta, non, donum. Sed cum Propheta dixerit, *accepisti dona in hominibus;* Apostolus maluit dicere, *dedit dona hominibus :* ut ex utroque scilicet verbo, uno prophetico, apostolico altero, quia in utroque est divini sermonis auctoritas, sensus plenissimus redderetur. Utrumque enim verum est, et quia dedit hominibus, et quia accepit in hominibus. Dedit hominibus, tanquam caput membris suis : accepit in hominibus idem ipse utique membris suis, propter quæ membra sua clamavit de cœlo, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? et de quibus membris suis ait, *Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Ipse ergo Christus, et dedit de cœlo, et accepit in terra. Porro autem dona ob hoc ambo dixerunt, et Propheta et Apostolus, quia per donum, quod est Spiritus sanctus, in commune omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt quibusque propria, dividuntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, alii alia : quamvis ipsum donum a quo cuique propria dividuntur omnes habeant, id est, Spiritum sanctum. Nam et alibi cum multa dona commemorasset, *Omnia*, inquit, *hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult* (I *Cor.* XII, 11). Quod verbum et in Epistola quæ ad Hebræos est invenitur, ubi scriptum est, *Attestante Deo signis et ostentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributioni* [1], (*Hebr.* II, 4). Et hæc cum dixisset, *Ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus; Quod au-*

[1] Plerique Mss., *divisionibus*

tem ascendit, ait, *quid est, nisi quia et descendit in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam vero evangelistas, quosdam autem pastores et doctores.* Ecce quare dicta sunt dona: quia, sicut alibi dicit, *Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ* (I *Cor.* XII, 29)? et cætera. Hic autem adjunxit, *Ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* (*Ephes.* IV, 7-12). Hæc est domus, quæ, sicut Psalmus canit, ædificatur post captivitatem (*Psal.* CXXVI, 1): quoniam qui sunt a diabolo eruti, a quo captivi tenebantur, de his ædificatur domus [1] Christi, quæ domus appellatur Ecclesia. Hanc autem captivitatem, ipse captivavit, qui diabolum vicit. Et ne illa quæ futura erant sancti capitis membra in æternum supplicium secum traheret, eum justitiæ prius, deinde potentiæ vinculis alligavit. Ipse itaque diabolus est appellata captivitas, quam captivavit qui ascendit in altum, et dedit dona hominibus, vel accepit in hominibus.

35. Petrus autem apostolus, sicut in eo libro canonico legitur, ubi scripti sunt Actus Apostolorum, loquens de Christo, commotis corde Judæis et dicentibus, *Quid ergo faciemus, fratres? monstrate nobis;* dixit ad eos: *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi, in remissionem peccatorum; et accipietis donum Spiritus sancti* (*Act.* II, 37, 38). Itemque in eodem libro legitur, Simonem Magum Apostolis dare voluisse pecuniam, ut ab eis acciperet potestatem, qua per impositionem manus ejus daretur Spiritus sanctus. Cui Petrus idem: *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei æstimasti te per pecunias possidere* (*Id.* VIII, 18-20. Et alio ejusdem libri loco, cum Petrus Cornelio et eis qui cum eo fuerant loqueretur, annuntians et prædicans Christum, ait Scriptura: *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, et obstupuerunt qui ex circumcisione fideles simul cum Petro venerant, quia et in nationes donum Spiritus sancti effusum est. Audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum* (*Id.* X, 44-46). De quo facto suo quod incircumcisos baptizaverat, quia priusquam baptizarentur, ut nodum quæstionis hujus auferret, in eos venerat Spiritus sanctus, cum Petrus postea redderet rationem fratribus qui erant Jerosolymis, et hac re audita movebantur, ait post cætera: *Cum cœpissem autem loqui ad illos, cecidit Spiritus sanctus in illos, sicut et in nos in initio. Memoratusque sum verbi Domini, sicut dicebat: Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Si igitur æquale donum dedit illis, sicut et nobis qui credidimus in Dominum Jesum Christum; ego quis eram, qui possem prohibere Deum non dare illis Spiritum sanctum* (*Id.* XI, 15-17)? Et multa alia sunt testimonia Scripturarum, quæ concorditer attestantur Donum Dei esse Spiritum sanctum, in quantum datur eis qui per eum diligunt Deum. Sed nimis longum est cuncta colligere. Et quid eis satis est, quibus hæc quæ diximus satis non sunt?

36. Sane admonendi sunt, quandoquidem Donum Dei jam vident dictum Spiritum sanctum, ut cum audiunt, *Donum Spiritus sancti*, illud genus locutionis agnoscant, quod dictum est, *In exspoliatione corporis carnis* (*Coloss.* II, 11). Sicut enim corpus carnis nihil est aliud quam caro; sic Donum Spiritus sancti nihil est aliud quam Spiritus sanctus. In tantum ergo Donum Dei est, in quantum datur eis quibus datur. Apud se autem Deus est, etsi nemini detur, quia Deus erat Patri et Filio coæternus antequam cuiquam daretur. Nec quia illi dant, ipse datur, ideo minor est illis. Ita enim datur sicut Donum Dei, ut etiam se ipsum det sicut Deus. Non enim dici potest non esse suæ potestatis, de quo dictum est, *Spiritus ubi vult spirat* (*Joan.* III, 8): Et apud Apostolum quod jam supra commemoravi, *Omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult.* Non est illic conditio dati et dominatio dantium, sed concordia dati et dantium.

37. Quapropter si [1] sancta Scriptura proclamat, *Deus charitas est;* illaque ex Deo est, et in nobis id agit ut in Deo maneamus, et ipse in nobis, et hoc inde cognoscimus, quia de Spiritu suo dedit nobis, ipse Spiritus est Deus charitas. Deinde, si in donis Dei nihil majus est charitate, et nullum est majus donum Dei quam Spiritus sanctus, quid consequentius quam ut ipse sit charitas, qui dicitur et Deus et ex Deo? Et si charitas qua Pater diligit Filium, et Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonstrat amborum; quid convenientius quam ut ille dicatur charitas proprie, qui Spiritus est communis ambobus? Hoc enim sanius creditur vel intelligitur, ut non solus Spiritus sanctus charitas sit in illa Trinitate, sed non frustra proprie charitas nuncupetur, propter illa quæ dicta sunt. Sicut non solus est in illa Trinitate, vel spiritus vel sanctus, quia et Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus; quod non ambigit pietas: et tamen iste non frustra proprie dicitur Spiritus sanctus. Quia enim est communis ambobus, id vocatur ipse proprie quod ambo communiter. Alioquin si in illa Trinitate solus Spiritus sanctus est charitas, profecto et Filius non solius Patris, verum etiam Spiritus sancti Filius invenitur. Ita enim locis innumerabilibus dicitur et legitur Filius unigenitus Dei Patris, ut tamen et illud verum sit quod Apostolus ait de Deo Patre: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suæ* (*Coloss.* I, 13). Non dixit, Filii sui; quod si diceret, verissime diceret, quemadmodum quia sæpe dixit, verissime dixit: sed ait, *Filii charitatis suæ.* Filius ergo est etiam Spiritus sancti, si non est in illa Trinitate charitas Dei nisi Spiritus sanctus. Quod si absurdissimum est, restat ut non solus ibi sit charitas Spiritus sanctus, sed propter illa de qui-

[1] Mss., *corpus*.

[1] In Mss., *sicut*. Forte oro, *si ut*

bus satis disserui, pròprie sic vocetur : quod autem dictum est, *Filii charitatis suæ*, nihil aliud intelligatur, quam Filii sui dilecti, quam Filii postremo substantiæ suæ. Charitas quippe Patris quæ in natura ejus est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quam ejus ipsa natura atque substantia, ut sæpe jam diximus, et sæpe iterare non piget. Ac per hoc Filius charitatis [1] ejus nullus est alius, quam qui de substantia ejus est genitus.

CAPUT XX. — 38. *Contra Eunomium dicentem Filium Dei non naturæ, sed voluntatis esse Filium. Epilogus supradictorum.* Quocirca ridenda est dialectica Eunomii, a quo Eunomiani hæretici exorti sunt : qui cum non potuisset intelligere, nec credere voluisset, unigenitum Dei Verbum, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 3), Filium Dei esse natura, hoc est, de substantia Patris genitum ; non naturæ vel substantiæ suæ sive essentiæ dixit esse Filium, sed filium voluntatis Dei, accidentem scilicet Deo volens asserere voluntatem qua gigneret Filium : videlicet ideo quia nos aliquid aliquando volumus, quod antea non volebamus ; quasi non propter ista mutabilis intelligatur nostra natura, quod absit ut in Deo esse credamus. Neque enim ob aliud scriptum est, *Multæ cogitationes in corde viri ; consilium autem Domini manet in æternum* (*Prov.* XIX, 21) ; nisi ut intelligamus sive credamus, sicut æternum Deum, ita in æternum [2] ejus esse consilium, ac per hoc immutabile, sicut ipse est. Quod autem de cogitationibus, hoc etiam de voluntatibus verissime dici potest : Multæ voluntates in corde viri ; voluntas autem Domini manet in æternum. Quidam ne filium consilii vel voluntatis Dei dicerent unigenitum Verbum, ipsum consilium seu voluntatem Patris idem Verbum esse dixerunt. Sed melius, quantum existimo, dicitur consilium de consilio, et voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia : ne absurditate illa quam jam refellimus, Filius dicatur Patrem facere sapientem vel volentem, si non habet Pater in substantia sua consilium vel voluntatem. Acute sane quidam respondit hæretico versutissime interroganti, utrum Deus Filium volens an nolens genuerit : ut si diceret, Nolens, absurdissima Dei miseria sequeretur ; si autem, Volens, continuo quod intendebat velut invicta ratione concluderet, non naturæ esse Filium, sed voluntatis. At ille vigilantissime vicissim quæsivit ab eo, utrum Deus Pater volens an nolens sit Deus : ut si responderet, Nolens, sequeretur illa miseria quam de Deo credere magna insania est ; si autem diceret, Volens, responderetur ei, Ergo et ipse Deus est sua voluntate, non natura. Quid ergo restabat, nisi ut obmutesceret, et sua interrogatione obligatum insolubili vinculo se videret ? Sed voluntas Dei si et proprie dicenda est aliqua in Trinitate persona, magis hoc nomen Spiritui sancto competit, sicut charitas. Nam quid est aliud charitas, quam voluntas ?

39. Video me de Spiritu sancto in isto libro secundum Scripturas sanctas hoc disputasse, quod fidelibus sufficit scientibus jam Deum esse Spiritum sanctum, nec alterius substantiæ, nec minorem quam est Pater et Filius, quod in superioribus libris secundum easdem Scripturas verum esse docuimus. De creatura etiam quam fecit Deus, quantum valuimus, admonuimus eos qui rationem de rebus talibus poscunt, ut invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, sicut possent, intellecta conspicerent (*Rom.* I, 20), et maxime per rationalem vel intellectualem creaturam, quæ facta est ad imaginem Dei ; per quod velut speculum, quantum possent, si possent, cernerent Trinitatem Deum, in nostra memoria, intelligentia, voluntate. Quæ tria in sua mente naturaliter divinitus instituta quisquis vivaciter perspicit, et quam magnum sit in ea, unde potest etiam sempiterna immutabilisque natura recoli, conspici [1], concupisci, reminiscitur per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem, profecto reperit illius summæ Trinitatis imaginem. Ad quam summam Trinitatem reminiscendam, videndam, diligendam, ut eam recordetur, eam contempletur, ea delectetur, totum debet referre quod vivit. Verum ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam, et suo vitio in deterius commutatam, ita eidem comparet Trinitati, ut omni modo existimet similem ; sed potius in qualicumque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat, quantum esse satis videbatur, admonui.

CAPUT XXI. — 40. *De proposita similitudine Patris et Filii in memoria et intelligentia nostra. De similitudine Spiritus sancti in voluntate seu amore nostro.* Sane Deum Patrem, et Deum Filium, id est, Deum genitorem qui omnia quæ substantialiter habet, in coæterno sibi Verbo suo dixit quodam modo, et ipsum Verbum ejus Deum, qui nec plus nec minus aliquid habet etiam ipse substantialiter, quam quod est in illo qui Verbum non mendaciter sed veraciter genuit ; quemadmodum potui, non ut illud jam facio ad faciem, sed per hanc similitudinem in ænigmate (I *Cor.* XIII, 12) quantulumcumque conjiciendo videretur in memoria et intelligentia mentis nostræ, significare curavi : memoriæ tribuens omne quod scimus, etiamsi non inde cogitemus, intelligentiæ vero proprio modo quodam [2] cogitationis informationem. Cogitando enim quod verum invenerimus, hoc maxime intelligere dicimur, et hoc quidem in memoria rursus relinquimus. Sed illa est abstrusior profunditas nostræ memoriæ, ubi hoc etiam primum cum cogitaremus invenimus, et gignitur intimum verbum, quod nullius linguæ sit, tanquam scientia de scientia, et visio de visione, et intelligentia quæ apparet in cogitatione, de intelligentia quæ in memoria jam fuerat, sed latebat : quanquam et ipsa cogitatio quamdam suam memoriam nisi haberet, non reverteretur

[1] Apud Lov. : *charitate.*
[2] Sic nonnulli editi et ipsa PP. Benedictin. emitto Antuerpiana ; at in priori bened. editione, *in æternum.* M.

[1] Editi addunt hic verbum, *amplecti*, quod omittunt Mss.
[2] Editio Lov., *quamdam.*

ad ea quæ in memoria reliquerat, cum alia cogitaret.

41. De Spiritu autem sancto nihil in hoc ænigmate quod ei simile videretur ostendi, nisi voluntatem nostram, vel amorem seu dilectionem quæ valentior est voluntas : quoniam voluntas nostra quæ nobis naturaliter inest, sicut ei res adjacuerint vel occurrerint, quibus allicimur aut offendimur, ita varias affectiones habet. Quid ergo, est? Numquid dicturi sumus voluntatem nostram, quando recta est, nescire quid appetat, quid evitet? Porro si scit, profecto inest ei sua quædam scientia, quæ sine memoria et intelligentia esse non possit. An vero audiendus est quispiam dicens, charitatem nescire quid agat, quæ non agit perperam? Sicut ergo inest intelligentia, inest dilectio illi memoriæ principali, in qua invenimus paratum et reconditum ad quod cogitando possumus pervenire; quia et duo ista invenimus ibi, quando nos cogitando invenimus et intelligere aliquid et amare, quæ ibi erant et quando inde non cogitabamus : et sicut inest memoria, inest dilectio huic intelligentiæ quæ cogitatione formatur; quod verbum verum sine ullius gentis lingua intus dicimus, quando quod novimus dicimus; nam nisi reminiscendo non redit ad aliquid, et nisi amando redire non curat nostræ cogitationis intuitus : ita dilectio quæ visionem in memoria constitutam, et visionem cogitationis inde formatam quasi parentem prolemque conjungit, nisi haberet appetendi scientiam, quæ sine memoria et intelligentia non potest esse, quid recte diligeret ignoraret.

CAPUT XXII. — 42. *Quanta dissimilitudo inter repertam in nobis imaginem Trinitatis et ipsam Trinitatem.* Verum hæc quando in una sunt persona, sicut est homo, potest nobis quispiam dicere : Tria ista, memoria, intellectus, et amor, mea sunt, non sua; nec sibi, sed mihi agunt quod agunt, imo ego per illa. Ego enim memini per memoriam, intelligo per intelligentiam, amo per amorem : et quando ad memoriam meam [1] aciem cogitationis adverto, ac sic in corde meo dico quod scio, verbumque verum de scientia mea gignitur, utrumque meum est, et scientia utique et verbum. Ego enim scio, ego dico in meo corde quod scio. Et quando in memoria mea cogitando invenio jam me intelligere, jam me amare aliquid, qui intellectus et amor ibi erant et antequam inde cogitarem, intellectum meum et amorem meum invenio in memoria mea, quo ego intelligo, ego amo, non ipsa. Item quando cogitatio memor est, et vult redire ad ea quæ in memoria reliquerat, eaque intellecta conspicere atque intus dicere, mea memoria memor est, et mea vult voluntate, non sua. Ipse quoque amor meus cum meminit atque intelligit quid appetere debeat, quid vitare, per meam, non per suam memoriam meminit; et per intelligentiam meam, non per suam, quidquid intelligenter amat, intelligit. Quod breviter dici potest : Ego per omnia illa tria memini, ego intelligo, ego diligo, qui nec memoria sum, nec intelligentia, nec dilectio, sed hæc habeo. Ista ergo dici possunt ab una persona, quæ habet hæc tria, non ipsa est hæc tria. In illius vero summæ simplicitate naturæ quæ Deus est, quamvis unus sit Deus, tres tamen personæ sunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

CAPUT XXIII. — 43. *Prosequitur disparitatem trinitatis quæ in homine est, a Trinitate quæ Deus est. Trinitas per speculum nunc videtur auxilio fidei, ut postea clarius videri possit in promissa visione facie ad faciem.* Aliud est itaque trinitas res ipsa, aliud imago trinitatis in re alia, propter quam imaginem simul et illud in quo sunt hæc tria, imago dicitur; sicut imago dicitur simul et tabula, et quod in ea pictum est; sed propter picturam quæ in ea est, simul et tabula nomine imaginis appellatur. Verum in illa summa Trinitate, quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, ut cum trinitas hominum non possit dici unus homo; in illa unus Deus et dicatur et sit, nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus. Nec rursus quemadmodum ista imago quod est homo habens illa tria una persona est, ita est illa Trinitas : sed tres personæ sunt, Pater Filii, et Filius Patris, et Spiritus Patris et Filii. Quamvis enim memoria hominis, et maxime illa quam pecora non habent, id est, qua res intelligibiles ita continentur, ut non in eam per sensus corporis venerint, habeat pro modulo suo in hac imagine Trinitatis incomparabiliter quidem imparem, sed tamen qualemcumque similitudinem Patris; itemque intelligentia hominis, quæ per intentionem cogitationis inde formatur, quando quod scitur dicitur, et nullius linguæ cordis verbum est, habeat in sua magna disparitate nonnullam similitudinem Filii; et amor hominis de scientia procedens, et memoriam intelligentiamque conjungens, tanquam parenti proliquo communis, unde nec parens intelligitur esse, nec proles, habeat in hac imagine aliquam, licet valde imparem, similitudinem Spiritus sancti : non tamen, sicut in ista imagine Trinitatis non hæc tria unus homo, sed unius hominis sunt, ita in ipsa summa Trinitate cujus hæc imago est, unius Dei [2] sunt illa tria, sed unus Deus est, et tres sunt illæ, non una persona. Quod sane mirabiliter ineffabile est, vel ineffabiliter mirabile, cum sit una persona hæc imago Trinitatis, ipsa vero summa Trinitas tres personæ sint, inseparabilior est illa Trinitas personarum trium, quam hæc unius. Illa quippe in natura divinitatis, sive id melius dicatur deitatis [3], quod est, hoc est, atque incommutabiliter inter se ac semper æqualis est : nec aliquando non fuit, aut aliter fuit; nec aliquando non erit, aut aliter erit. Ista vero tria quæ sunt in impari imagine, etsi non locis quoniam non sunt corpora,

[1] Sola editio Lov., *per memoriam meam.*

[2] Mss., *non unius Dei*, cum negante ; articula quæ merito omissa videtur in editis.

[3] Mss., *sive, ut melius dicitur, deitatis.*

tamen inter se nunc in ista vita magnitudinibus separantur. Neque enim quia moles nullæ ibi sunt, ideo non videmus in alio majorem esse memoriam quam intelligentiam, in alio contra : in alio duo hæc amoris magnitudine superari, sive sint ipsa duo inter se æqualia, sive non sint. Atque ita a singulis bina, et a binis singula, et a singulis singula, a majoribus minora vincuntur. Et quando inter se æqualia fuerint ab omni languore sanata, nec tunc æquabitur rei natura immutabili ea res quæ per gratiam non mutabitur [1] : quia non æquatur creatura Creatori, et quando ab omni languore sanabitur, mutabitur [2].

44. Sed hanc non solum incorporalem, verum etiam summe inseparabilem vereque immutabilem Trinitatem, cum venerit visio quæ *facie ad faciem* repromittitur nobis, multo clarius certiusque videbimus, quam nunc ejus imaginem quod nos sumus : per quod tamen speculum et in quo ænigmate qui vident, sicut in hac vita videre concessum est, non illi sunt qui ea quæ digessimus et commendavimus in sua mente conspiciunt; sed illi qui eam tanquam imaginem vident, ut possint ad eum cujus imago est, quomodocumque referre quod vident, et per imaginem quam conspiciendo vident, etiam illud videre conjiciendo, quoniam nondum possunt facie ad faciem. Non enim ait Apostolus, Videmus nunc speculum; sed, *Videmus nunc per speculum* (I *Cor.* XIII, 12).

CAPUT XXIV. — *Infirmitas mentis humanæ.* Qui ergo vident suam mentem, quomodo videri potest, et in ea trinitatem istam de qua multis modis ut potui disputavi, nec tamen eam credunt vel intelligunt esse imaginem Dei; speculum quidem vident, sed usque adeo non vident per speculum qui est per speculum nunc videndus, ut nec ipsum speculum quod vident sciant esse speculum, id est, imaginem. Quod si scirent, fortassis et eum cujus est hoc speculum, per hoc quærendum et per hoc utcumque interim videndum esse sentirent, fide non ficta corda mundante (I *Tim.* I, 5), ut facie ad faciem possit videri, qui per speculum nunc videtur. Qua fide cordium mundatrice contempta, quid agunt intelligendo quæ de natura mentis humanæ subtilissime disputantur, nisi ut ipsa quoque intelligentia sua teste damnentur? In qua utique non laborarent, et vix ad certum aliquid pervenirent, nisi pœnalibus tenebris involuti et onerati corpore corruptibili quod aggravat animam (*Sap.* IX, 15). Quo tandem merito inflicto malo isto, nisi peccati? Unde tanti mali magnitudine admoniti, sequi deberent Agnum qui tollit peccatum mundi (*Joan.* I, 29).

CAPUT XXV. — *In beatitudine tantum intelligetur quæstio cur Spiritus sanctus non sit genitus, et quomodo de Patre ac Filio procedat.* Ad eum namque pertinentes etiam longe istis ingenio tardiores, quando fine hujus vitæ resolvuntur a corpore, jus in eis retinendis non habent invidæ potestates. Quas ille Agnus sine ullo ab eis peccati debito occisus, non potentia potestatis priusquam justitia sanguinis vicit. Proinde liberi a diaboli potestate, suscipiuntur ab Angelis sanctis, a malis omnibus liberati per Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum (I *Tim.* II, 5) : quoniam consonantibus divinis Scripturis, et veteribus et novis, et per quas prænuntiatus et per quas annuntiatus est Christus, *non est aliud nomen sub cælo, in quo oportet homines salvos fieri* (*Act.* IV, 12). Constituuntur autem purgati ab omni contagione corruptionis [1] in placidis sedibus, donec recipiant corpora sua, sed jam incorruptibilia, quæ ornent, non onerent. Hoc enim placuit optimo et sapientissimo Creatori, ut spiritus hominis Deo pie subditus, habeat feliciter subditum corpus, et sine fine permaneat ista felicitas.

45. Ibi veritatem sine ulla difficultate videbimus, eaque clarissima et certissima perfruemur. Nec aliquid quæremus mente ratiocinante, sed contemplante cernemus quare non sit Filius Spiritus sanctus, cum de Patre procedat. In illa luce nulla erit quæstio : hic vero ipsa experientia tam mihi apparuit esse difficilis, quod et illis qui hæc diligenter atque intelligenter legent, procul dubio similiter apparebit, ut cum me in secundo hujus operis libro alio loco inde dicturum esse promiserim (*Cap.* 3), quotiescumque in ea creatura quæ nos sumus, aliquid illi rei simile ostendere volui, qualemcumque intellectum meum sufficiens elocutio mea secuta non fuerit : quamvis et in ipso intellectu conatum me senserim magis habuisse quam effectum. Et in una quidem persona quod est homo invenisse imaginem summæ illius Trinitatis, et in re mutabili tria illa ut facilius intelligi possint, etiam per temporalia intervalla maxime in libro nono monstrare voluisse. Sed tria unius personæ, non sicut humana poscit intentio, tribus illis personis convenire potuerunt, sicut in hoc libro quinto decimo domonstravimus.

CAPUT XXVI. — *Spiritus sanctus a Christo bis datus. Processio Spiritus sancti a Patre et a Filio est sine tempore, nec amborum filius dici potest.* Deinde in illa summa Trinitate quæ Deus est, intervalla temporum nulla sunt, per quæ possit ostendi aut saltem requiri, utrum prius de Patre natus sit Filius, et postea de ambobus processerit Spiritus sanctus. Quoniam Scriptura sancta Spiritum eum dicit amborum. Ipse est enim de quo dicit Apostolus, *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra* (*Galat.* IV, 6) : et ipse est de quo dicit idem Filius, *Non enim vos estis qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 20). Et multis aliis divinorum eloquiorum testimoniis comprobatur Patris et Filii esse Spiritum, qui proprie dicitur in Trinitate Spiritus sanctus : de quo item dicit ipse Filius, *Quem ego mittam vobis a Patre* (*Joan.* XV, 26); et alio loco, *Quem mittet Pater in nomine meo* (*Id.* XIV, 26). De utroque autem proce-

[1] In excusis omissum fuerat, *mutabitur*.
[2] Mss., *mutatur*.

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *cogitationes corruptionis*.

lere sic docetur; quia ipse Filius ait, *De Patre procedit*. Et cum resurrexisset a mortuis et apparuisset discipulis suis, insufflavit et ait, *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* xx, 22), ut eum etiam de se procedere ostenderet. Et ipsa est *virtus* quæ *de illo exibat*, sicut legitur in Evangelio, *et sanabat omnes* (*Luc.* vi, 19).

46. Quid vero fuerit causæ, ut post resurrectionem suam, et in terra prius daret (*Joan.* xx, 22), et de cœlo postea mitteret Spiritum sanctum (*Act.* ii, 4); hoc ego existimo, quia per ipsum donum diffunditur charitas in cordibus nostris (*Rom.* v, 5), qua diligimus Deum et proximum, secundum duo illa præcepta in quibus tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* xxii, 37-40). Hoc significans Dominus Jesus, bis dedit Spiritum sanctum; semel in terra propter dilectionem proximi, et iterum de cœlo propter dilectionem Dei. Et si forte alia ratio reddatur de Spiritu sancto bis dato, eumdem tamen Spiritum sanctum datum, cum insufflasset Jesus, de quo mox ait, *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Id.* xxviii, 19), ubi maxime commendatur hæc Trinitas, ambigere non debemus. Ipse est igitur qui de cœlo etiam datus est die Pentecostes, id est, post dies decem quam Dominus ascendit in cœlum. Quomodo ergo Deus non est qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. Denique et Simon Magus offerens Apostolis pecuniam, non ait, *Date et mihi hanc potestatem, ut* dem Spiritum sanctum; sed, *cuicumque*, inquit, *imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum*. Quia neque Scriptura superius dixerat, Videns autem Simon quod Apostoli darent Spiritum sanctum; sed dixerat, *Videns autem Simon quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus* (*Act.* viii, 19, 18). Propter hoc et Dominus ipse Jesus Spiritum sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; propterea dictus est plenus gratia (*Joan.* i, 14) et Spiritu sancto [1] (*Luc.* xi, 52, *et* iv, 1). Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum: *Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto* (*Act.* x, 38). Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento quo baptizatos ungit Ecclesia. Nec sane tunc unctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit (*Matth.* iii, 16): tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipue baptizati accipiunt Spiritum sanctum: sed ista mystica et invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est (*Joan.* i, 14); id est, quando humana natura sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis Deo Verbo [1] est in utero virginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona. Ob hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto et virgine Maria. Absurdissimum est enim, ut credamus eum cum jam triginta esset annorum (ejus enim ætatis a Joanne baptizatus est [*Luc.* iii, 21-23]), accepisse Spiritum sanctum: sed venisse illum ad baptisma, sicut sine ullo omnino peccato, ita non sine Spiritu sancto. Si enim de famulo ejus et præcursore ipso Joanne scriptum est, *Spiritu sancto replebitur jam inde ab utero matris suæ* (*Id.* i, 15), quoniam quamvis seminatus a patre, tamen Spiritum sanctum in utero formatus accepit; quid de homine Christo intelligendum est vel credendum, cujus carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit? In eo etiam quod de illo scriptum est, quod acceperit a Patre promissionem Spiritus sancti et effuderit (*Act.* ii, 33), utraque natura monstrata est, et humana scilicet et divina: accepit quippe ut homo, effudit ut Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere autem super alios non utique possumus; sed ut hoc fiat, Deum super eos, a quo hoc efficitur, invocamus.

47. Numquid ergo possumus quærere utrum jam processerat de Patre Spiritus sanctus quando natus est Filius, an nondum processerat, et illo nato de utroque processit, ubi nulla sunt tempora; sicut potuimus quærere ubi invenimus tempora, voluntatem prius de humana mente procedere, ut quæratur quod inventum proles vocetur; qua jam parta seu genita, voluntas illa perficitur, eo fine requiescens, ut qui fuerat appetitus quærentis, sit amor fruentis, qui jam de utroque, id est, de gignente mente et de genita notione tanquam de parente ac prole procedat? Non possunt prorsus ista ibi quæri, ubi nihil ex tempore inchoatur, ut consequenti perficiatur in tempore. Quapropter, qui potest intelligere sine tempore generationem Filii de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus sancti de utroque. Et qui potest intelligere in eo quod ait Filius, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* v, 26); non sine vita existenti jam Filio vitam Patrem dedisse, sed ita eum sine tempore genuisse, ut vita quam Pater Filio gignendo dedit, coæterna sit vitæ Patris qui dedit: intelligat sicut habet Pater in semetipso ut de illo procedat Spiritus sanctus, sic dedisse Filio ut de illo procedat idem Spiritus sanctus, et utrumque sine tempore; atque ita dictum Spiritum sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quod etiam procedit de Filio, de Patre esse Filio [2]. Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius; de Patre habet utique ut et de illo procedat Spiritus sanctus. Sed nulla ibi tempora cogitentur, quæ habent prius et posterius: quia omnino nulla ibi sunt. Quomodo ergo non absurdissime filius diceretur amborum, cum sicut Filio præstat essentiam sine initio temporis, sine ulla mu-

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov., *propterea dictus est plenus gratia*: omissis verbis, *et Spiritu sancto*. M

[1] Sic Mss. At editi, *Dei Verbo*.

[2] Editi, *esse et Filio*. Expunximus, *et*, auctoritate manuscriptorum.

tabilitate naturæ de Patre generatio; ita Spiritui sancto præstet essentiam sine ullo initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de utroque processio? Ideo enim cum Spiritum sanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo vel duos patres in illa Trinitate, vel duos qui non sunt de alio quispiam suspicetur. Pater enim solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium, et de re tanta sermonem qualem valuerint proferentium. Filius autem de Patre natus est: et Spiritus sanctus de Patre principaliter, et ipso sine ullo temporis intervallo dante, communiter de utroque procedit. Diceretur autem filius Patris et Filii, si, quod abhorret ab omnium sanorum sensibus, eum ambo genuissent. Non igitur ab utroque est genitus, sed procedit ab utroque amborum Spiritus.

CAPUT XXVII. — 48. *Quid hic sufficiat ad solutionem quæstionis, cur Spiritus non dicatur genitus, et cur solus Pater ingenitus. Quid agendum iis qui hæc non intelligunt.* Verum quia in illa coæterna, et æquali, et incorporali, et ineffabiliter immutabili, atque inseparabili Trinitate difficillimum est generationem a processione distinguere, sufficiat interim eis qui extendi non valent amplius [1], id quod de hac re in sermone quodam proferendo ad aures populi christiani diximus, dictumque conscripsimus. Inter cætera enim cum per Scripturarum sanctarum testimonia docuissem de utroque procedere Spiritum sanctum: *Si ergo*, inquam, *et de Patre et de Filio procedit Spiritus sanctus; cur Filius dixit,* « *De Patre procedit* (*Joan.* xv, 26)? » *Cur, putas, nisi quemadmodum solet ad eum referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? Unde et illud est quod ait,* « *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit* » (*Id.* vii, 16). *Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait,* « *De Patre procedit,* » *ut non diceret, De me non procedit? A quo autem habet Filius ut sit Deus* (*est enim de Deo Deus*), *ab illo habet utique ut de illo etiam procedat Spiritus sanctus: ac per hoc Spiritus sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. Hic utcumque etiam illud intelligitur, quantum a talibus quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus: quoniam si et ipse Filius diceretur, amborum utique filius diceretur; quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris et matris. Absit autem ut inter Deum Patrem et Deum Filium aliquid tale suspicemur. Quia nec filius hominum simul et ex patre et ex matre procedit: sed cum in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre; et cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam; sed simul de utroque procedit: quamvis hoc Pater Filio dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat. Neque enim possumus dicere quod non sit vita Spiritus sanctus, cum vita Pater, vita sit Filius: ac per hoc sicut Pater cum habeat vitam in semetipso, dedit et Filio vitam habere in semetipso; sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut et procedit de ipso* (*In Joannis Evang. tract.* 99, *nn.* 8, 9). Hæc de illo sermone in hunc librum transtuli, sed fidelibus, non infidelibus loquens.

49. Verum si ad hanc imaginem contuendam, et ad videnda ista quam vera sint, quæ in eorum mente sunt, nec tria sic sunt ut tres personæ sint, sed omnia tria hominis sunt quæ una persona est, minus idonei sunt: cur non de illa summa Trinitate, quæ Deus est, credunt potius quod in sacris Litteris invenitur, quam poscunt liquidissimam reddi sibi rationem, quæ ab humana mente tarda scilicet infirmaque non capitur? Et certe cum inconcusse crediderint Scripturis sanctis tanquam veracissimis testibus, agant orando et quærendo et bene vivendo ut intelligant, id est, ut quantum videri potest, videatur mente quod tenetur fide. Quis hoc prohibeat? imo vero ad hoc quis non hortetur? Si autem propterea negandum putant ista esse, quia ea non valent cæcis mentibus cernere; debent et illi qui ex nativitate sua cæci sunt, esse solem negare. Lux ergo lucet in tenebris: quod si eam tenebræ non comprehendunt (*Joan.* i, 5), illuminentur Dei dono prius ut sint fideles, et incipiant esse lux in comparatione infidelium; atque hoc præmisso fundamento ædificentur ad videnda quæ credunt, ut aliquando possint videre. Sunt enim quæ ita creduntur, ut videri jam omnino non possint. Non enim Christus iterum in cruce videndus est: sed nisi hoc credatur quod ita factum atque visum est, ut futurum ac videndum jam non speretur, non pervenitur ad Christum, qualis sine fine videndus est. Quantum vero attinet ad illam summam, ineffabilem, incorporalem, immutabilemque naturam per intelligentiam utcumque cernendam, nusquam se melius, regente dumtaxat fidei regula, acies humanæ mentis exercet, quam in eo quod ipse homo in sua natura melius cæteris animalibus, melius etiam cæteris animæ suæ partibus habet, quod est ipsa mens: cui quidam rerum invisibilium tributus est visus, et cui tanquam in loco superiore atque interiore honorabiliter præsidenti, judicanda omnia nuntiant etiam corporis sensus; et qua non est superior, cui subdita regenda est, nisi Deus.

50. Verum inter hæc quæ multa jam dixi, et nihil illius summæ Trinitatis ineffabilitate dignum me dixisse audeo profiteri, sed confiteri potius mirificatam scientiam ejus ex me invaluisse, nec posse me ad illam (*Psal.* cxxxviii, 6); o tu, anima mea, ubi te esse sentis, ubi jaces, ubi stas [2], donec ab eo qui propitius factus est omnibus iniquitatibus tuis, sanentur omnes languores tui (*Psal.* ciii, 3)? Agnoscis te certe in illo esse stabulo, quo Samaritanus ille perduxit eum quem

[1] Editi, *non valent in amplius*. Abest, *in*, a manuscriptis.

[2] Mss. quidam, *ubi jaces, ubi habitas, aut ubi stas, do nec*, etc. Alii plerique, *ubi jaces, ubi habitas, donec*, etc

reperit multis a latronibus[1] inflictis vulneribus semivivum (*Luc.* x, 30 34). Et tamen multa vera vidisti, non his oculis quibus videntur corpora colorata, sed eis pro quibus orabat qui dicebat, *Oculi mei videant æquitatem* (*Psal.* xvi, 2). Nempe ergo multa vera vidisti, eaque discrevisti ab illa luce qua tibi lucente vidisti : attolle oculos in ipsam lucem, et eos in eam fige, si potes. Sic enim videbis quid distet nativitas Verbi Dei a processione Doni Dei, propter quod Filius unigenitus non de Patre genitum, alioqui frater ejus esset, sed procedere dixit Spiritum sanctum. Unde cum sit communio quædam consubstantialis Patris et Filii amborum Spiritus, non amborum, quod absit, dictus est filius. Sed ad hoc dilucide perspicueque cernendum, non potes ibi aciem figere; scio, non potes. Verum dico, mihi dico, quid non possim scio : ipsa tamen tibi ostendit in te tria illa, in quibus tu summæ ipsius, quam fixis oculis contemplari nondum vales, imaginem Trinitatis agnosceres. Ipsa ostendit tibi verbum verum esse in te, quando de scientia tua gignitur, id est, quando quod scimus dicimus; quamvis nullius gentis lingua significantem vocem vel proferamus vel cogitemus, sed ex illo quod novimus cogitatio nostra formetur; sitque in acie cogitantis imago simillima cogitationis ejus[2] quam memoriâ continebat, ista duo scilicet velut parentem ac prolem tertia voluntate sive dilectione jungente. Quam quidem voluntatem de cogitatione procedere (nemo enim vult quod omnino quid vel quale sit nescit), non tamen esse cogitationis imaginem; et ideo quamdam in hac re intelligibili nativitatis et processionis insinuari distantiam, quoniam non hoc est cogitatione conspicere quod appetere, vel etiam perfrui voluntate, cernit discernitque qui potest. Potuisti et tu, quamvis non potueris neque possis explicare sufficienti eloquio, quod inter nubila similitudinum corporalium, quæ cogitationibus humanis occursare non desinunt, vix vidisti. Sed illa lux quæ non est quod tu, et hoc tibi ostendit, aliud esse illas incorporeas similitudines corporum, et aliud esse verum, quod eis reprobatis intelligentia contuemur : hæc et alia similiter certa oculis tuis interioribus lux illa monstravit. Quæ igitur causa est cur acie fixa ipsam videre non possis, nisi utique infirmitas? Et quid tibi eam fecit, nisi iniquitas[3]? Quis ergo sanat omnes languores tuos, nisi qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis? Librum itaque istum jam tandem aliquando precatione melius quam disputatione concludam.

CAPUT XXVIII. — 51. *Conclusio libri, cum precatione et excusatione de multiloquio.* Domine Deus noster, credimus in te Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Neque enim diceret Veritas, *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii, 19), nisi Trinitas esses. Nec baptizari nos juberes, Domine Deus, in ejus nomine qui non est Dominus Deus. Neque diceretur voce divina, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* vi, 4); nisi Trinitas ita esses, ut unus Dominus Deus esses. Et si tu Deus Pater ipse esses, et Filius verbum tuum Jesus Christus ipse esses, et donum vestrum Spiritus sanctus; non legeremus in Litteris veritatis, *Misit Deus Filium suum* (*Galat.* iv, 4, et *Joan.* iii, 17) : nec tu, o Unigenite, diceres de Spiritu sancto, *Quem mittet Pater in nomine meo* (*Joan.* xiv, 26); et, *Quem ego mittam vobis a Patre* (*Id.* xv, 26). Ad hanc regulam fidei dirigens intentionem meam, quantum potui, quantum me posse fecisti, quæsivi te, et desideravi intellectu videre quod credidi, et multum disputavi, et laboravi. Domine Deus meus, una spes mea, exaudi me, ne fatigatus nolim te quærere, sed quæram faciem tuam semper ardenter (*Psal.* civ, 4). Tu da quærendi vires, qui invenire te fecisti[1], et magis magisque inveniendi te spem dedisti. Coram te est firmitas et infirmitas mea : illam serva, istam sana. Coram te est scientia et ignorantia mea : ubi mihi aperuisti, suscipe intrantem; ubi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista, donec me reformes ad integrum. Scio scriptum esse, *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* x, 19). Sed utinam prædicando verbum tuum, et laudando te tantummodo loquerer! non solum fugerem peccatum, sed meritum bonum acquirerem, quamlibet multum sic loquerer. Neque enim homo de te beatus, peccatum præciperet germano in fide filio suo, cui scripsit dicens : *Prædica verbum, insta opportune, importune* (II *Tim.* iv, 2). Numquid dicendum est istum non multum locutum, qui non solum opportune, verum etiam importune verbum tuum, Domine, non tacebat? Sed ideo non erat multum, quia tantum erat necessarium. Libera me, Deus, a multiloquio quod patior intus in anima mea, misera in conspectu tuo, et confugiente[2] ad misericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Et si quidem non cogitarem nisi quod placeret tibi, non utique rogarem ut me ab hoc multiloquio liberares. Sed multæ sunt cogitationes meæ, tales quales nosti, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt (*Psal.* xciii, 11). Dona mihi non eis consentire, et si quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeant apud me, ut aliquid in opera mea procedat ex illis; sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente. Sapiens quidam cum de te loqueretur in libro suo, qui Ecclesiasticus proprio nomine jam vocatur, *Multa*, inquit, *dicimus, et non pervenimus, et consummatio sermonum universa est ipse* (*Eccli.* xliii, 29). Cum ergo pervenerimus ad te, cessabunt *multa* ista quæ *dicimus, et non pervenimus*; et manebis unus omnia in omnibus (I *Cor.* xv, 28) : et sine fine dicemus unum laudantes te in unum, et in te facti etiam nos unum. Domine Deus une, Deus Trinitas, quæcumque dixi in his libris de tuo, agnoscam et tui : si qua de meo, et tu ignosce, et tui. Amen.

[1] Sic plures Mss. At editi, *a multis latronibus.*

[2] Omnes prope Mss., *cognitionis ejus.* Et infra, *cognitione procedere.* Ac paulo post, *cognitionis imaginem.*

[3] Plerique Mss., *Et quis tibi eam fecit, nisi utique iniquitas?*

[1] In Mss., *qui inveniri te fecisti.*

[2] Editi, *et confugientem.* Plures vero Mss., *confugiente* omissa particula, *et.*

APPENDIX

TOMI OCTAVI

OPERUM SANCTI AUGUSTINI,

IN QUO

SUBDITITIA ISTHÆC OPUSCULA EXHIBENTUR,

SCILICET:

TRACTATUS CONTRA QUINQUE HÆRESES.
SERMO CONTRA JUDÆOS, PAGANOS ET ARIANOS.
DIALOGUS DE ALTERCATIONE ECCLESIÆ ET SYNAGOGÆ.
DE FIDE CONTRA MANICHÆOS LIBER EVODIO TRIBUTUS.
COMMONITORIUM (vulgo AUGUSTINI) DE RECIPIENDIS MANICHÆIS QUI CONVERTUNTUR.
CONTRA FELICIANUM ARIANUM DE FIDE TRINITATIS, LIBER VIGILIO TAPSITANO EPISCOPO RESTITUTUS.
QUÆSTIONES DE TRINITATE ET DE GENESI EX ALCUINO DECERPTÆ.
DE INCARNATIONE VERBI AD JANUARIUM LIBRI DUO COLLECTI EX ORIGENE.
LIBER DE TRINITATE ET UNITATE DEI.
DE ESSENTIA DIVINITATIS.
DIALOGUS DE UNITATE SANCTÆ TRINITATIS.
LIBER DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS.

Comparavimus eas omnes editiones initio Retract. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM SERMONEM.

Tractatum adversus quinque Hæreses, quem Erasmus hominis eruditi quidem, et arguti et facundi esse censuerat, non tamen Augustini, *nisi forte*, ait, *juvenis scripsit*, Augustino sine cunctatione adjudicant Lovanienses et Bellarminus, aliique auctoritate Bedæ, qui ex capite ejusdem tractatus quarto et quinto citat quædam in caput primum Epistolæ Pauli ad Romanos. Ea de facto verba nomine Augustini citata reperiuntur non solum in vulgata Bedæ collectione illa auctiore, quæ verius est Flori Lugdunensis; sed etiam in altera certa Bedæ, quæ penes nos est brevior in Paulum collectio, nondum typis edita. Verum sermo iste dictus eo tempore deprehenditur, quo Africa tenebatur Arianorum dominatu, quando jam orthodoxis pastoribus, aliis exsilio seu fuga, aliis morte sublatis, hæretici Catholicos et concertationibus sollicitabant, et largitionibus pecuniave corrumpere tentabant. In capite 6, *Ubi estis*, inquit, *fontes lacrymarum? Quibus agricolis loquor? Alii sunt mortui, alii fugati.* Et cap. 7, *Adversatur* (Arianus), *clamat, litigat, pugnat, turbas congregat, contra Christum dimicat. Ille sanguinem fudit, ut redimat; iste pecuniam spargit, ut perimat.* Similia leguntur in sermone 2 ad Catechumenos, n. 24, et sermone de Tempore barbarico, n. 10; quæ tomo sexto, in tempus Vandalicæ persecutionis post Augustini mortem excitatæ convenire ob ervavimus. Præterea dictio nec satis accurata, nec tam seria est, quam solet esse Augustini. Exempli gratia, in cap. 3, Deo Patri ad gignendum Filium conjugis vice fuisse bonam voluntatem docet. Ad hæc quod Augustinus in Donatistas scripsit, id auctor in Arianos torquet, cap. 6: *Quare litigamus? Si una nobis est hæreditas, simul possideamus, fratres sumus*, etc. Credimus itaque Bedam hic, quemadmodum et in subdititia Collatione cum Pascentio, quam in secundi tomi appendicem rejecimus, deceptum esse errore veterum codicum qui hunc tractatum Augustino assignant. Hujus libri mentionem facit Hincmarus, lib. de non trina Deitate, et quia præconceptæ illius opinioni valde incommoda erant hæc capitis 7: *Gratias tibi, vera et una Trinitas, una et trina Veritas, trina et una Unitas*, ibi multis commendit, a pagina scilicet 450 ad 464, ea a falsario et impostore aliquo fuisse immissa. In Indice Possidii notatum dicit Bellarminus, in eo videlicet, quem interpolatum edidit Joannes Ulimmerius: nusquam vero in cæteris, tum editis, tum scriptis, quæ videre nobis licuit, Possidiani Indicis exemplaribus invenitur. Recognovimus Tractatum et emendavimus ad codices Vaticanos decem, ad Germanensem unum, ad Michaelinum, ad Remigianum, ad Ebrulphensem, ad Arnulphensem, ad Cisterciensem, ad Fossatensem, ad Colbertinum, ad codicem V. C. domini de Maran Tolosatis, ad Turonensem S. Gatiani, et ad alium Ecclesiæ Lugdunensis codicem, in quibus inscribitur *Libellus adversus quinque hæreses*, sive *contra quinque hostium genera*; quia nempe est contra Paganos, Judæos, Manichæos, Sabellianos et Arianos.

ADVERSUS QUINQUE HÆRESES,

SEU

CONTRA QUINQUE HOSTIUM GENERA,

TRACTATUS.

CAPUT PRIMUM. — 1. *Quinque genera hostium.* Debitor sum, fateor, non necessitate cogente, sed, quod est vehementius, charitate. Non tam ad compellendum potest esse molestus exactor, quam ad reddendum [1] devotus est debitor. Sed ut impleam quod promisi, adjuvate me sanctis orationibus vestris, ut Deus omnipotens det gratiam sermonibus meis, et satisfaciam piis mentibus et auribus vestris. Si meminisse dignamini qui in tempore adfuistis, quinque hostium genera esse diximus : contra quæ expugnanda inducias postulavimus, ut necessaria arma præparare possemus. Promissus dies illuxit, nos quoque impigre ad certamen Domino adjuvante processimus. Adjutorium nostrum a Domino, qui fecit cœlum et terram (*Psal.* CXXIII, 8). Donabit certanti victoriam, qui certandi dedit audaciam. Non nos hostium turba, non nos bellantium revocet forma, non quasi vitrea, fulgentia terreant arma [2]. Goliam magnum, robustum, armis terribilibus, ingentique turba munitum [3], David solus, puer parvus atque inermis, uno lapidis ictu prostravit, totaque Allophylorum castra turbavit atque fugavit (I *Reg.* XVII, 49). Quid autem aliud petra contra Goliam manu David missa, nisi Christum contra diabolum ex semine David venturum significavit?

2. Aggrediamur jam, et errorum quæ diximus quinque genera proponamus. Pagani dicunt, Quid est quod nos exhorretis atque abjicitis tanquam multos colentes deos? Ecce et vos Deum, quem prædicatis colendum, filium habere dicitis, cumque sine alterius commixtione sexus natum esse confingitis. Judæi dicunt, Quomodo unum colitis Deum, quando et hominem quem patres nostri crucifixerunt Dominum [4] dicentes, hominibus extorquetis ut tanquam Filium Dei vobiscum venerentur et colant? Manichæi dicunt phantasma esse, quod dicitur Dominum Christum feminineo potuisse nasci ex utero. Non enim dignum est, inquiunt, ut tanta majestas per sordes et squalores feminæ transisse credatur. Sabelliani, iidem Patripassiani, dicunt, Unus est Deus Pater et Filius; quoniam qui Pater, ipse est et Filius. Nam si aliter dixerimus, dicemur multicolæ. Ariani dicunt, Alius est Pater, alius est Filius, sed minor est Filius. Quomodo enim fieri potest, ut genitori genitus existat æqualis?

CAPUT II. — 3. *Fiducia adversus hæreticos.* Ecce sunt errorum propositæ quæstiones, quasi hostium compositæ acies. Contra istas acies pestiferas, sanctissimi fratres, assumite arma Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. Accingimini lumbos in veritate : nemo trepidet, nemo formidet. Est lorica justitiæ, est scutum fidei, in quo sagittæ malignorum ignitæ excipiantur et exstinguantur. Est galea salutis, est gladius spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI, 14-17). Quisquis fidelium Christi militum his fuerit armis munitus, non cujusquam formidabit personam, non terrore temporis a certamine revocabitur. Eia, fratres, certamen in promptu est, fervet opus, urget adversarius, spicula parat, jacere tentat, nemo expavescat. Fratres, plures sunt nobiscum quam cum illis. Nobiscum est Moyses ille magnus amicus Dei, qui ut hostem vinceret præliantem, manus ad cœlum extendit, jam tunc figuram crucis Christi ostendens : ipse divino imperio, tumentis ponti volventes flexuosis sinibus undas [1], uno virgæ percussu trajiciendo populo aridos vertit in campos. Nobiscum est Jesus post Moysen populi dux Israelitici, fortissimus prælior, cujus etiam nomen indicat Salvatorem : ipse potentia sua et divina fiducia, diem, sui cursus metas ne perageret, statuit; et nocti ne accederet imperavit. Ipse gentium reges, non singillatim, sed congregatim superavit, captivavit, humiliavit, occidit. Nobiscum est David manu fortis; quid dicam? servus Dei, electus Dei, amicus Dei, parens Dei : noverat et bene noverat, non solum parcere subjectis et debellare superbos (*Æneid. lib.* 6., *vers.* 853), verum etiam virtutes ostendere et patientiam custodire. Ipse inimicos suos cum persequeretur [2], non perniciosus, et cum vinceret, non exstitit impius. Nobiscum sunt alii atque alii sancti viri, qui omnia futura præviderunt et prædixerunt. Non est ergo quod terreat vos : et tantum exspectate, audite et orate, intentior et auctior [3] circa me vestra sit oratio. Non diutius immoremur, jam quæ proposuimus prosequamur.

CAPUT III. — 4. *Ex Hermete et Sibylla adversus Paganos.* Quid dicis, pagane? Deus, inquis, si delectatus est filio, indigult conjugio : si horruit conjugium, solus est sine filio. Quid enim poterat inveniri simile Deo, quod conjungeretur Deo, et pareret filium Deo? Deinde si, ut dicitis, habet Deus filium, jam non unum colitis Deum. Quid agimus? Ab Allophylo telum missum excepimus; quid remittemus? Quodlibet miserimus telum, licet perveniat ad illum, nihil prodest. Quare? Quia durus est. Quantum durus est? Lapideus est : idola colit; et scriptum est, *Similes illis fiant omnes qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII, 8). Sanctas Scripturas non accipit. Quæramus ergo lapidem quo percutiatur, ut percussus quassetur, quassatus comminuatur, comminutus in pulverem convertatur, conversus in pulverem compluatur, compluatus seratur, satus faciat fructum, non qui igne consumatur, sed qui in horreo recondatur. Hermes, qui latine Mercurius dicitur, scripsit librum qui Λόγος τέλειος appellatur, id est, Verbum perfectum : magnum nomen libri hujus, quia magnus est de quo scriptus est. Quid enim perfectius Verbo, qui solus est inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII, 6)? Audiamus quid loquatur Mercurius de Verbo perfecto : Dominus, inquit, et omnium factor deorum, secundum fecit Dominum. Et post pauca, ut ostenderet quid dixerit, repetit et dixit : Quoniam ergo hunc fecit primum, et solum et unum [4] : bonus autem ei visus est et plenissimus omnium bonorum. Quantum plenissimus Joannes evangelista dicat : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia* (*Joan.* I, 16). Bonus autem ei visus est, et plenissimus omnium bonorum. Et sequitur : Lætatus est. Cui, vel cum quo lætatus est? Dicat ipsa Sapientia Dei, Filius Dei : *Ego eram cui adgaudebat* (*Prov.* VIII, 30). Ergo, lætatus est, et valde dilexit tanquam unigenitum

[1] Alias : *Ad compellendum non potest esse molestus exactor, quando ad reddendum*, etc.

[2] Plures Mss., *non quasi fulgens vitrea terreat armatura.*

[3] Mss., *forma munitum.*

[4] Plures Mss., *Deum.*

[1] Antiquiores Mss. : *volventis fluctuosissimas undas.*

[2] Turonensis Ms., *ipse inimicis suis, dum persequeretur ab eis.*

[3] Aliquot Mss., *acutior.* At quidam alii, *altior.*

[4] Quidam Mss., *et verum.* Aliqui, *et bonum.*

suum. Quem primo factum dixit, postea unigenitum appellavit. Item alio loco sic dixit : Filius benedicti Dei atque bonæ voluntatis, cujus nomen non potest humano ore narrari. Quærebas, pagane, conjugem Dei? Audi Mercurium : para frontem, et excipe lapis lapidem : cade, ut erigaris; frangere, ut confirmeris; destruere, ut ædificeris : ictus lapidis non cutem dividat frontis, non venam rumpat sanguinis, non aperiat foveam vulneris; sed signum faciat crucis. Conjugem Dei quæris? Abjiciatur ex corde tuo, rogo, impura pravitas. Conjux Dei bona voluntas est. Quomodo autem pater sit Deus, et Filius Deus, nec tamen duo dii, sed unus sit Deus, tecum disputare non debeo ; quia nisi credideris, intelligere nullatenus poteris. Et tamen Filium Dei Deum [1] fatetur Mercurius. Hoc lapide percussus, lapideus desinat esse sacrilegus. Audianus quid etiam Sibylla vates eorum de eodem dicat : Alium, inquit, dedit Deus filiis hominum [2] colendum. Quantum apparet, in his sententiis Mercurii et Sibyllæ, Sabellius etiam judicatur. Mercurius et Patrem Deum dicit et Filium : et Sibylla dicit Deum alium. Sabellius dicit non alium, quia eumdem Patrem asserit esse quem Filium. Optimum valde est, si modo non unum tantum, sed etiam ad quantoscumque missus pervenire potuerit adversarios, uno ictu percutiamus. Item Sibylla dicit : Ipsum tuum cognosce Dominum [3] Dei Filium esse. Versus iste et Paganum increpat et Judæum. Alio loco Filium Dei σύμβουλον appellat, id est, consilium, vel consiliarium. Et propheta dicit, *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis et potens* (*Isai* IX, 6). Hic Arianus arguitur, qui cum dicit minorem Dei Filium, dicit aliquando Deum non habuisse filium. Et si fuit sine filio, fuit sine consilio. Ecce ad quanta pericula provocamur. Sed quia Deus nunquam fuit sine consilio, etiam contradicente Ariano, nunquam Pater potuit esse sine Filio. Quid agis, pagane? Aperi aures, noli esse sicut aspis surda, quæ obturat aurem ne audiat vocem incantantis (*Psal.* LVII, 5). Non tibi meos auctores profero; tuus est Mercurius, cui inter deos tantus honor cultusque a vobis delatus est, ut ejus nomine diem vocaretis. Ipsum audi, ipse te convincat, ipse expugnet; ut cum te vicerit, illi cedas, et mihi credas. Mercurius dixit : Dilexit Deus Unigenitum suum. Ipse dixit : Filius benedicti Dei atque bonæ voluntatis. Et ne de ejus nomine tædium interrogationis sustineret, secutus adjunxit : Cujus nomen non potest humano ore narrari. Quid tu, Mercuri, ab hominibus dicis nomen Dei Filii narrari non posse? A te narretur, qui non homo, sed deus ab hominibus æstimaris. Loquitur autem ad Filium suum dicens : Est autem. Quis? Filii inenarrabilis sermo sapientiæ Sanctus sanctus [4]. Nonne hoc est, *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1)? Dic, Hermes, sermo iste sapientiæ habet matrem? Sequitur : De solo Deo Domino est, omnibus dominante Deo mortalibus. Et quia ab hominibus indagari non potest, addit et dicit : Super homines est. Ergo quia super homines est, nomen Filii Dei narrare non possum, quia deus non sum : dicant homines quasi homines quod non sum, ego agnosco quod sum. Sermo sapientiæ de solo Deo est Non ergo ibi, pagane, humanum suspiceris aut fingas fuisse conjugium : de solo Deo est, et super homines est. Increpat te Sibylla dicens, Ipsum tuum cognosce Dominum Dei Filium esse Deum : ipsum, non alium, non Martem, non Jovem, non Mercurium; sed quem confitetur Mercurius. Quid miraris, christiane, quod talia isti de Patre et Filio dicant? *Et dæmones credunt, et contremiscunt* (*Jacobi* II, 19). Nempe in Evangelio transeunte Domino dicunt, *Novimus qui sis, Filius Dei, venisti ante tempus torquere nos* (*Marc.* I, 24). Utinam quomodo dæmones judicem, sic homines agnoscerent salvatorem!

[1] Mss., *Dominum*.
[2] Aliquot Mss., *fidelibus hominibus*.
[3] Alias, *Deum*.
[4] Alias, *Spiritus sanctus*.

CAPUT IV. — 3. *Ex Vetere Testamento adversus Judæos.* Quid dicit Judæus? Unus est nobis Deus, præter ipsum non alium novimus. Illum vero quem dicitis Christum, patres nostri non Deum, sed hominem occiderunt. Nempe hoc est quod dixi : Utinam quomodo dæmones judicem, sic homines agnoscerent salvatorem! Ecce dæmones viderunt, et tremuerunt : homines viderunt, et occiderunt. Dæmones confessi sunt : homines persecuti sunt. Quæ infelicitas est et quanta miseria, imparem etiam dæmonibus inveniri? Item homines credunt, dæmones pereunt : homines salvantur, dæmones puniuntur. Sed hæc immutatio gratia est dexteræ Excelsi (*Psal.* LXXVI, 11), non præsumptio hominis de suis viribus confidentis. Contra istum vero Judæum non laboro : pugnant contra illum codices sui, pugnant Lex et Prophetæ : et aut victus et humiliatus salvabitur, aut superbus et pertinax punietur. Dixit Dominus ad Moysen : *Ecce ego mitto angelum meum qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes.* Audisti angelum, agnosce Dominum : nec contemnendum esse putes. Audi adhuc quod metuas : *Nec*, inquit, *contemnendum putes.* Quare? *Quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo* (*Exod.* XXIII, 20, 21). Quis est ille tam magnus, cui Deus et potestatem suam dedit et nomen? *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ* (*Psal.* XXIII, 10). Et unde probamus, quod cum dicitur angelus, debeat intelligi Deus? Habes in libro qui appellatur Genesis : *Venerunt*, inquit, *duo angeli Sodomam vespere, sedente Loth præ foribus civitatis : quos cum vidisset, surrexit, et ivit obviam eis* (*Gen.* XIX, 1). Quid plura? Suscepit, et obsecutus est eis tanquam peregrinis. Consuetudine hospitalitatis liberatus a periculo civitatis, et temporale evasit incendium, et æternum consecutus est præmium. Discite, christiani, sine discretione exhibere hospitalitatem, ne forte cui domum clauseritis, cui humanitatem negaveritis, ipse sit Christus. Non amplius evagemur a proposita actione. Angeli venerunt ad Loth, et dixerunt : Videte et advertite, quia angeli loqui dicuntur. Quid dixerunt angeli? *Salva animam tuam, noli respicere post tergum* (*Ibid.*, 17). Quia *nemo ponens manum super aratrum, et retro respiciens, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62). *Neque stes in omni circa regione;* terrenis non inhæreas voluptatibus : *sed in monte salvum te fac* (*Gen.* XIX, 17); spes tua Deus sit, ne et tu simul pereas cum Sodomitis. *Dixitque Loth ad eos.* Videte hominem videntem, non cæcum, sicut Judæi et Sabelliani; non lippientem, sicut Ariani : sed oculos sanos habentem, sicut catholici Christiani. Angelos vidit, et Dominum intellexit. Quid dixit angelis? *Dixitque Loth ad eos : Domine mi, quia invenit servus tuus gratiam ante te, et magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares animam meam* (*Ibid.*, 19). Magna res, cum volo Judæum ferire sic, Moyses fortissimus vir hastam verbi sui vibravit, et misit, ut per Judæum ad Sabellianum transiret, Arianumque percuteret. Quid agis, Loth sancte? Angelos vides, et non unum, sed duos, et dicis, *Domine mi.* Ad unum verba facis, unum precaris; et non metuis ne alteri injuriam facere videaris? Absit, inquit. Recedite, Judæi; recedite, Sabelliani, quia non videtis; recedite, Ariani, quia parum videtis. Ego video; et quod video quia video, nec contemno nec erro. Duos video, æquales video. Unum rogo, nulli injuriam facio : quia Patrem a Filio non divido. Nam ut intelligatis me non falli, cum duos tanquam unum deprecor, videte utrum duo, an unus meis respondeat precibus. Petiit ut in modica civitate et proxima refugium haberet et viveret. Respondetur ei. Videamus quot sunt qui respondent. Verba libri subsequuntur, *Dixitque ad eum :* quasi responsio singularis est. Adhuc sequere, videamus : *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es. Festina, et salvare ibi : quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc* (*Ibid.*, 21, 22).

Vides, Judæe, et dici angelum, et esse Deum? Audis, Ariane, duos, Patrem et Filium, dicentem : nec tamen eumdem Patrem quem Filium, propter Sabellianos; sed Patrem et Filium? Audis quid dictum est, *Suscepi preces tuas?* Audis quid dicit, *Non subvertam urbem?* Audis, *Non potero facere quidquam?* Judæus legat angelum, intelligat Deum; Sabellianus legat duos venisse; Arianus legat unum respondisse : et non contemnant, sed errorem fugiant, ne ad ignem perveniant. Sed ut plenius ostendamus dictum angelum debere intelligi Deum, hujus lectionis sequentia recitemus : *Igitur*, inquit, *Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo* (*Gen.* XIX, 24). Quid est, *Dominus a Domino*, nisi Filius a Patre? Sicut et alio loco : *Dixit Dominus Domino meo*, id est, Pater Filio suo, *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1). Item in Exodo, *Apparuit*, inquit, *Moysi angelus Domini in flamma ignis de rubo, et vidit quoniam rubus ardebat igni, rubus autem non crematur. Et dixit Moyses : Transeo*[1], *et videbo hoc grande visum, cur utique non crematur rubus. Cum vidisset autem Dominus, quia accedit videre, vocavit eum Dominus de rubo.* Ecce ipse angelus ipse Dominus. Et sequitur dicens, *Moyses, Moyses. Et ille ait, Quis*[2] *es Domine? Ait illi Dominus, Ne accesseris huc, nisi solveris calceamenta de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Adhuc audi quid dixerit ei : *Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (*Exod.* III, 2 6). Et ideo Judæus sic audiat angelum, ut intelligat Dominum et timeat Deum : Sabellianus sic confiteatur Patrem, ut non neget Filium : Arianus sic confiteatur Patrem et Filium, ut non minuat Filium. Jesus etiam Nave, sicut liber dicit qui ejus scriptus est nomine, cum adversus hostes dimicaret, in ipso constitutus procinctu, vidit virum stantem contra se, et evaginatum tenentem gladium : perrexitque ad eum, et ait : *Noster es, an adversariorum?* Qui respondit : *Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, et nunc adveni* (*Josue* V, 13, 14). Cecidit autem Jesus pronus in terram, et adoravit. Et nunc sequere, Judæe, ducem tuum. Videt, interrogat, et adorat. Visio communionem habet : videtur enim et quod agnoscitur, et quod non cognoscitur. Ergo visio communionem habet, interrogatio ignorationem, adoratio fidem. Quem videt? Hominem. Quis est homo iste? Ipse est cujus contra inimicas gentes prænuntiabatur, desiderabatur, exspectabatur adventus. [*Et homo est*, inquit, *et quis cognoscet eum*[3]?] Quis est princeps exercitus Domini? Nonne ipse est, qui in Evangelio interrogatus quis esset, respondit, *Principium, qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25)? Quid turbaris, Jesu? *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania adversus Dominum et adversus Christum ejus* (*Psal.* II, 1)? Vides armatum, noli metuere : non contra te venio, sed pro te; quia *non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Quid est, Jesu, quod vides, interrogas, et adoras? Audi : Hominem video; interrogo quem video; audio quem non video; adoro, non quod video, sed quod credo : quia *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (*Rom.* X, 17). Quid ergo quæris? Adverte, et sequere : Hominem video, sed præ filiis hominum est quod intelligo. Nescio quid mihi coruscat, et tanquam de latebris fulgidum aliquid splendet. Vado ad eum, quia venit ad me : perscrutabor quod video hoc tam grande visum. Quem video, et homo est, et non est homo. Imo et homo est propter Manichæum; et plusquam homo est propter Judæum. Perge, Jesus meus, dux meus, perge. Quare, nisi quia cum tu me inquiris, me acquiris? Ecce venio, hominem invenio : intus nescio quid intelligo; obscurum est, nondum video : recta est facies Moysi, velamen impedit aciem (*Exod.* XXXIV, 33), latet veritas. Non agnosco quid sit, opus est interrogatione. Dic, tu homo, *Noster es an adversariorum?* Si adversariorum est, et homo est, et inimicus est : si noster est, et homo est, et Salvator est. *Post me venit, sed ante me factus est* (*Joan.* I, 30). Si Jesus est, et Salvator est. Interroget Jesus Jesum, interroget prior posteriorem, sed tamen minor majorem; interroget deficiens crescentem : figura interroget veritatem; imo figura intelligat veritatem : ut lucescat dies, et removeantur tenebræ temporales. Ecce venio, scio *quia spiritus carnem et ossa non habet* (*Luc.* XXIV, 39); palpo carnem : quæro, intueor armatum. Adhuc latet mysterium. Interrogo virum, audio verbum; removeo velum, adoro Deum. In eo quod Jesus vidit nec cognovit, furiosam gentem Judæorum significabat, quæ si videns cognovisset, nunquam Dominum gloriæ crucifixisset (I *Cor.* II, 8) : in eo autem quod audiendo credidit et adoravit, istum significabat populum de quo scriptum est, *Populus quem non cognovi, servivit mihi; in auditu auris obaudivit mihi* (*Psal.* XVII, 45). Audi adhuc qui negas Deum genuisse Filium, audi quid dicit Pater per Isaiam prophetam : *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus* (*Isai.* LXVI, 9)? Ego qui generationes cæteris tribuo, sterilis remanebo? dicit Dominus Deus tuus, cui dictum est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Quid me stimulas, Ariane, et irrides cum audis, *hodie*? Apud Deum nunquam crastinus, nunquam hesternus dies est, sed semper hodie : non mensium circulis volvitur annus, non succedentibus ac decedentibus transigitur mensis diebus, non horæ mutantur, non variantur tempora vel momenta, ubi dies nec termino concluditur, nec initio inchoatur. Audiat adhuc Judæus quid per prophetam dicat Dominus, audiat Arianus : audiant et omnes qui Filium Dei aut non esse, aut esse minorem dicunt. *Ego*, inquit, *Deus, et non est alius.* Et quid de Filio, Domine, si tu solus es Deus? Audi adhuc, quid festinas? *In memetipso juravi.* Ubi est juratio, nulla est dubitatio. *In memetipso juravi, Egredietur de ore meo justitiæ verbum.* Ecce habes Filium : *Egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur.* Quid est, *non revertetur?* Ne Sabellianus dicat quia ipse est Filius qui Pater, egressum verbum non revertetur : quia Pater, Pater est; Filius, Filius est. Sileat aliquantulum hæreticorum loquacitas, nullam habens verecundiam : impleat Dominus sententiam; et Filio Dei aut nullus adversabitur, aut qui adversarius exstiterit, confundetur. *Egredietur*, inquit, *de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur; quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua.* Et Filius quid? Audi ergo in Domino dici : *Meæ sunt summæ justitiæ et imperium.* Age ergo, et quid postea? *Ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei* (*Isai.* XLV, 22-25). Ite nunc, omnes, Pagani, Hæretici, Judæi; adversamini, et repugnate Filio Dei : ad eum venietis, et confundemini omnes qui repugnatis ei.

CAPUT V. — 6. *Contra Manichæos.* Non parum de Filio Dei secundum divinitatem locuti sumus, et resistentibus in quantum potuimus adversariis non pepercimus : nunc volo ad ejus incarnationem accedere, et Manichæus obsistit impurus. Quare? Quia Dei Filium non vult dici etiam hominis filium. Et ubi est quod scriptum est, *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem; et justitia oriatur simul, ego Dominus creavi eum* (*Ibid.*, 8)? item, *Ecce parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis : et factus est principatus super humerum ejus et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis* (*Id.* IX, 6)? item, *Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Id.* VII, 14; *Matth.* I, 23)? Dicit aliquis, Cum Manichæo certare disposueras, non cum Judæo. Contra Manichæum nova tela sunt necessaria, non antiqua. Quare? Quia novum, non Vetus accipit Testamentum,

[1] Alias, *Vadam.*
[2] Alias, *Quid.*
[3] Id uncis inclusum abest a Mss.

Sed mihi, qui contra utrosque suscepi certamen, undique arma sunt necessaria; maxime, quia ista nova ex veteribus fabricata sunt: ergo nec illa abjicienda, et ista portanda sunt. Diversis enim telis diversi concidunt adversarii. Ordo itaque iste servandus est, ut loquens de Evangelio, non sileam de Prophetis.

7. Sed ego, inquit Manichæus, nec Moysen accipio, nec Prophetas. Quid ais [1] de Paulo apostolo, qui in exordio Epistolæ suæ ad Romanos scripsit, *Paulus servus Jesu Christi vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 1-3)? Audis quia Evangelium per Apostolos [2] non exhiberetur, nisi per Prophetas ante promitteretur? Audis quia Filius Dei secundum divinitatem, factus est filius hominis ex semine David secundum carnem? Quid est enim, in quo Prophetæ contrarii sunt Evangelio? Dixit Propheta: *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum:* veniat angelus, prædicet verbum. *Aperiatur terra;* audiat Maria: *et germinet Salvatorem;* pariat Jesum. Propheta dixit, *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hoc etiam evangelista cum diceret, secutus est et exposuit dicens, *Nobiscum Deus* (*Matth.* I, 23). Frustra, Manichæe, conaris adversari Prophetis. Ecce Apostolus dicit, *De Filio suo qui factus est ei de semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). Quod Prophetæ præviderunt et prædixerunt, hoc Apostoli viderunt et prædicaverunt. Qui erat, factus est. Quid erat? quid factus est? Verbum erat, caro factus est. Deus erat, homo factus est: Filius Dei erat, Filius hominis factus est. Suscepit humanitatem, non amisit divinitatem: factus humilis, mansit sublimis: natus est homo, non destitit esse Deus: natus est parvulus, latens magnus: qui libenter amplectitur Deum natum, non horreat [3] virginis partum. Dicit tibi Deus creator hominis, filius hominis: Quid est quod te permovet in mea nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem, de qua nascerer, feci; ego viam meo itineri præparavi atque mundavi. Hanc quam despicis, Manichæe, mater est mea; sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari [4] cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic mea ibi non est maculata majestas. Si solis radius cloacarum sordes desiccare novit, eis inquinari non novit; quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti incurrit, quocumque radiaverit, mundare potest, ipse pollui non potest? Stulte, unde sordes in virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est passa dolorem? Unde sordes in domo, ad quam habitator nullus accessit? Solus ad eam fabricator et dominus ejus venit, vestem quam non habebat, induit; eamque sicut invenit, clausam reliquit. Sicut ille natus est solus inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII, 6): sic istius, ex qua natus est, matris pudor solus est integer. Eva inobediens meruit pœnam, Maria obediendo consecuta est gratiam: illa gustando prohibitum maledicta, hæc credendo angelo est benedicta: illa nobis mortem contulit, hæc vitam nobis peperit. Quid agis, Manichæe? Christianum premis, non Christum defendis. Taceat immunda vanitas, quia munda [5] nata est veritas.

CAPUT VI. — 8. *Contra Arianos.* Vellem adhuc Manichæum persequi, sed infestum patior Arianum, qui confidit in virtute sua, et gloriatur in potentia sua (*Psal.* XLVIII, 7). Jam quidem cum aliis responderemus, nec ipsi tacuimus: sed etiam nunc servato ipsius ordine, videamus quæ spicula jaciat. Nullius terreat persona potentis: *Omnis caro fenum* (*Isai.* XL, 6). Vides quotidie fenum crescere, vides florere, quid expavescis? Tales fructus deserta germinat terra. Agricolas non accuso, sed quæro. Ubi modo estis [1], o boni agricolæ? Quid agitis? quare vacatis? Videris quot malis ista plena sit terra: hinc spinæ, hinc tribuli, hinc fenum surgit. Spinas incendite, tribulos eradicate, fenum secate, bona semina spargite, non vos terreat hiems: et si abundat iniquitas, tamen vestra ferveat charitas. Serite hieme, quod metatis æstate. Sed quibus dico? Ubi estis fontes lacrymarum? Quibus agricolis loquor? Alii sunt mortui, alii fugati: terra tradita est in manus impii (*Job* IX, 24), tribulatio et necessitas invenerunt nos. Domine, da nobis auxilium de tribulatione, ut salus hominis non sit vana, sed vera (*Psal.* LIX, 13) Quid dicis, Ariane? Interroganti quæso respondeas. Nolo despicias parvulum, non te grandis forma juvat, non magna protegunt arma, unius lapidis ictus frontem penetrat galeatam (I *Reg.* XVII, 49). Dic mihi ergo quod te interrogo: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Credo, inquit. Credis in Jesum Christum Filium ejus Dominum nostrum? Credo, inquit. Credis Deum et hominem Jesum Christum natum de Spiritu sancto ex virgine Maria? Credo, inquit. Bene facis. Adhuc interrogo: Sicut Pater Deus est, ita et Filius Deus est? Ita. Alius est Pater, Alius Filius? Et maxime. Æqualis est Patri Filius? Æqualis, inquit. Quid restat? Ecce ad omnia quæ interrogavi, respondit. In eo quod credere se dicit Deum Patrem et Deum Filium, contrarius est mecum Pagano. In eo quod credit Christum Deum et hominem natum de Spiritu sancto ex virgine Maria, mecum est contra Judæum et Manichæum. In eo quod credit alium esse Patrem, alium Filium, mecum est contra Sabellianum. Age, si mecum es in omnibus, (*a*) quare litigamus? Si una nobis est hæreditas, simul possideamus; fratres sumus: *Ecce quam bonum et jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1)! Quare est nova fabrica ante murum? Simul ad custodiam nostræ hæreditatis invigilemus. Hæreditas nostra præclara est nobis (*Psal.* XV, 6). Habemus invidos, habemus inimicos: et ipsi possidere volunt, non nobiscum, sed contra nos. Nemo sibi usurpet aliquid: hæreditas ista sic est nobis dimissa, ut indivisa possideatur, non partibus dissipetur. Simul fructum colligamus, ne dividendo perdamus. Paupertas sollicitum me facit; rogo te, noli foras præter me colligere, ne incipias spargere. *Qui* enim *mecum non colligit, spargit* (*Luc.* XI, 23). Quasi oblitus sum, cum quo agebam; sed non sum oblitus, interrogo Arianum, quem desidero esse catholicum. Dicit aliquis: Ad omnia quæ voluisti respondit, in responsionibus illius nihil invenitur adversum: quid amplius quæris? Exspecta, frater, noli facile judicare, habeo adhuc quod interrogem: noli cito te illi committere, responsio claret, virus latet. Quid dixisti, frater? Æqualis est Patri Filius? Æqualis, inquis. Eia modo vigila, modo manifestabitur quod latebat. Quomodo dicis æqualem Patri Filium? operatione, an origine? potestate, an æternitate? an forte in utroque? Absit, inquis. Operatione et potestate æqualis est, non æternitate: quomodo enim fieri potest, ut genitus sit æqualis ingenito? En adest ille qui mecum quasi cohæres ambulabat, dolus apparuit qui latebat. Mecum possidere putabatur, vult dividere: sed non permitto; prorsus resisto. Leges habent ut testatoris voluntati in omnibus pareatur: si quis contra voluntatem testatoris facere voluerit, careat hæreditate. Sed silent leges inter arma (*Cicero pro Milone, n.* 40)? Non prorsus: ad hoc laboratur, ad hoc pugnatur, ut legibus serviatur. Testamentum profero, verba testatoris recito: si est quod dividatur, ibi invenio: si non est quod dividatur, de ipso testamento tibi resisto. Audi quid habet testamentum: *Pacem meam do vobis,*

[1] Beda et Mss., *et quid agis.*
[2] Beda et antiquiores Mss. omittunt, *per Apostolos.*
[3] Mss., *non abhorret.*
[4] Colbertinus codex, *fatigari.*
[5] Quidam Mss., *mundo.*

[1] Mss., *ubi mihi estis.*
(*a*) Vid. Aug. enarr. 2 in Psal. XXI, n. 30; et serm. 338, n. 2.

pacem relinquo vobis (*Joan.* XIV, 27). Hæc est hæreditas. Et quis est ipse testator? Lege Testamentum, et invenies. Cum prophetæ de Domino loqueretur, ait; *Magnificabitur usque ad terminos orbis terræ, et erit ipse pax* (*Michææ* V, 4, 5). *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus* (*Luc.* II, 14); non divisoribus sanctæ unitatis, sed *hominibus bonæ voluntatis*. Ipse est hæreditas, ipse est testator, ipsum quæris dividere. Quid partiris unum? Si unum diviseris, integrum nihil habebis. O ariana hæresis, crudelis et impia meretrix, erubesce judicante Salomone. Meretrix, ne unum vivum, ne undecumque conceptum, jamque partum perderet, non permisit dividi filium suum; et tu dividis Dominum Deum tuum? Illa etsi meretrix, tamen pia, quia mater; tu et meretrix et impia, quia non mater, quod paris præfocas, quod non paris congregas. Quomodo alienum lactas, quæ tuum necas? Viscera tua duruerunt, illius tremuerunt. Quid dixit? *Date illi puerum, et nolite dividere eum* (III *Reg.* III, 27): Filius meus est; sed melius apud illam integrum gaudeo vivum, quam divisum lugeam mortuum. Filius meus est, inquit; sed quid prodero mater puero, si vitam quam non confero, aufero? volo illius crudelis a parvulo repellere ubera, sed magis cogor judicis timere machæram. Date illi filium meum: meus est natus; sed migret ad illam totus, apud me maneat affectus. Date illi puerum totum, non auferatur vita membrorum: non dividatur integritas, mihi non eripitur pietas. Quid dixit, *Date illi puerum et nolite dividere eum?* Ecce et ego dico, totum posside, et noli dividere Deum. Non, inquit; sed si vis habere pacem sine præjudicio, divide hæreditatem. Et quomodo habeo dividere? Pater major est, Filius minor? O partes! o justitia! o æqualitas [1]! Una pars major est, alia minor. Non consentio, non facio partem; quia non divido pacem. Si enim fracta fuerit pax, jam non erit pax. Sed quomodo apud te pax illibata esse potest, apud quem fides integra non est? Unde, quia mecum non vis possidere, et pacem vis dividere, hæreditatem non potes obtinere. Postremo si more tuo non paci, sed perfidiæ studes, vade, interpella judicem, videamus quid tibi dicturus est. Habes judicem ordinarium, nolo mihi adducas ex diversis partibus alias atque alias potestates. Non mihi armiger, sed legifer necessarius est. Et ubi, inquis, istum invenio? Ubi autem eum non invenies? Audi prophetam dicentem: *Dominus judex noster, Dominus legifer noster.* Nec contemnendum judicem putes; audi quid sequitur: *Dominus rex noster, Dominus ipse salvabit nos* (*Isai.* XXXIII, 22). Ecce habes judicem. Si parum est, et rex noster ante te est. Sic est in cœlo, ut non deserat terram. *Cœlum*, inquit, *et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24). *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Et nobiscum est, et cum Patre est: quia nec Patrem dimisit, cum ad nos descendit; nec nos deseruit, cum ad Patrem ascendit. Ipsum interpella, ipsi dic: *Domine, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.* Audi responsum divinum, audi judicem justum; audi pacem, fugientem litem: quid ait? *Amice, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos* (*Luc.* XII, 13, 14)? Vis dividere pacem, et quæris habere judicem pacem? Judex tuus nolo esse; ego pax sum, litigare non novi; consentientibus assideo, litigantes fugio. Si tu cum esses inimicus Patri meo, reconciliavi te per me, quomodo ergo a Patre meo separabis me? Ego cum esses longe, veni ut reducerem te: cum inter montes et silvas errares, quæsivi te: inter lapides et ligna inveni te: in lapidibus offendebas, ipsis adhærebas, quia ligna et lapides adorabas. Et ne luporum ferarumque avido ore laniareris, collegi te, humeris meis portavi te, patri meo reddidi te, laboravi, sudavi, caput meum spinis supposui, manus meas clavis objeci, lancea latus meum aperuit: tot non dicam injuriis, sed et asperitatibus laceratus sum: sanguinem meum fudi, animam meam posui, ut mihi conjungerem te, et tu dividis me? Audi quid respondeatur discipulo, qui Filium noverat, et Patrem quærebat. Ait Philippus Domino: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Numquid non et ipse Filium separabat a Patre? Jam te, inquit, novimus, sed Patrem tuum non novimus. Et quid vis? *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Et Dominus ad eum. Si vis, Ariane, audire, errasti cum Apostolo, redi cum Apostolo: sit illius objurgatio etiam tua curatio. Quid ait Dominus? *Tanto tempore*, inquit, *vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe*, ego veni Patri meo te applicare, tu noli me separare: quid quæris quasi alterum præter me? *Qui me vidit, vidit et Patrem.* Tanta in nobis est unitas, tanta similitudo, tanta charitas, ut ego in Patre sim, et Pater in me. Sentio, Sabelliane, quid mussitas, aut in Ariano me concludere, aut ab Ariano avocare festinas. Sed in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; non trium, sed unius Dei; cum illi respondeo, te non prætereo. Quid dixit Dominus? *Qui me vidit, vidit et Patrem.* Numquid dixit, Qui vidit me, vidit Patrem; aut, Ego sum Filius simul et Pater? Sed dixit, *Ego in Patre, et Pater in me;* et *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 8-10). Interpositio unius syllabæ, quæ dicitur *Et*, discernit et Patrem, discernit et Filium; teque demonstrat nec Patrem habere, nec Filium. Dic mihi, Ariane: Patrem dicis Deum? Et maxime. Quid Filium? Ipsum quoque Deum confiteor. Unde agnoscis? Quia cum prænuntiaretur in carne venturus, de ipso prophetæ dixit, *Dicite, Pusillanimes confortamini: nolite timere, ecce Deus noster ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet, et salvabit nos* (*Isai.* XXXV, 4). Agnosce, in eo quod te agnoscere dicis, si Prophetæ non adversaris. Quid ergo dicis de Patre? Deus est. Quid Filius? Deus est. Coæternus est Patri Filius? Non. Ergo erat tempus, quando non erat Filius, secundum te. Si erat tempus quando non erat Filius, ergo fuit tempus quod non fecit Filius. Si fuit tempus quod non fecit Filius, non omnia per ipsum facta sunt: jam enim erat tempus, quando non erat Filius. Si erat tempus, quando non erat Filius, Joannes evangelista non debuerat dicere, *In principio erat Verbum*; sed, In principio erat tempus. Joannes dicit, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1, 3): sed Arianus contradicit. Dic, Ariane: unde scis quia erat tempus, quando non erat Filius? An forte dicturus es, Et Joannes unde scit, quia in principio erat Verbum? Quia super pectus Domini discumbebat, et inde hauriebat quod in convivio Christi bibebat, quia in principio erat Verbum. Tamen dic mihi, quando in principio erat Verbum (*Ibid.*, 1), vel quando Joannes super pectus Domini recumbebat (*Id.* XIII, 23), et a Verbo Domini discebat, quia Verbum erat in principio, et Verbum Deus erat: Arius ubi erat? Nescio, si audes dicere ibi erat. Notum est enim et legitur quo tempore natus est, meritoque sit damnatus. Notum est etiam quomodo vixerit, quomodo mortuus fuerit: et ideo non audes dicere de Ario, sicut de Verbo, Et fuit, et est: quia nec tunc fuit Arius, nec modo est. Sed ut in omnibus excludatur Arianus, audi quid per Salomonem dicatur: *Dominus fecit regiones et fines inhabitabiles sub cœlo. Cum pararet cœlum, aderam illi.* Et post pauca: *Eram ego apud illum cuncta disponens: ego eram quando faciebat fortia fundamenta terræ: ego eram qui adgaudebat* (*Prov.* VIII, 26, 27, 30). Sed dicis, De tempore agitur; utrum fuerit Filius antequam esset tempus. Audi ipsum per prophetam dicentem: *Ex tempore*, inquit. Quid est, *Ex tempore?* Numquid ex quo tempus esse cœpit? Non sic, impie Ariane; non sic: sed, *Ex tempore, antequam fieret, ibi eram* (*Isai.* XLVIII, 16). Ecce antequam fieret tempus, ibi erat. Quære jam quando non erat, qui ante tempora erat. *In principio erat Verbum.* Melius Græci dicunt, Λόγος. Λόγος quippe verbum significat et rationem. Vides ergo quia semper erat, de quo tu audes dicere, Non erat. Aut si dicis Deum aliquando sine verbo, aut sine ratione fuisse, jam non Filio tantum, sed et Pa-

[1] Plures Mss., *o æquitas!*

tri adversarius eris. *Ego*, inquit, *ex ore Altissimi prodii* (*Eccli.* XXIV, 5). Quis dicit? Verbum. Et Verbum hoc quid est? Joannes dicat : *Deus erat Verbum.* Et Verbum ergo, et cujus erat Verbum, non duo, sed unum sunt. Non, inquis : quia verbum posterius est eo cujus est verbum, unde apparet Filium Patre esse minorem. Negas itaque Filium Dei esse Deum. Non nego, inquis : et Patrem Deum dico, et Filium Deum ; sed Patrem majorem, Filium minorem. Quamdiu Pater major, Filius minor? Dic mihi, quia video te calculare velle æternitatem : quot annis præcedit Deus Pater Filium suum? Ubi diem nativitatis Filii Dei legisti? Filii Dei dico, non dico Filii Dei et hominis. Ubi ergo diem nativitatis ipsius legisti? Cum quo mathematico Creatoris siderum constellationem quæsisti, atque tractasti? Quæ tempora, quas horas, quæ momenta, quos numeros, quas minutas [a] momentorum nativitatis illius, qui omnia condidit, collegisti? Conquiescat rogo, conquiescat hæretica tua, non religio, sed superstitio : de Christi initio deficit calculatio. Quia cum auditur sine initio æternitas, nulla ibi quæritur ætas. Si Pater Deus, et Filius Deus, Pater major, Filius minor : jam non unus Deus, sed duo dii. Si duo dii sunt, quid est ergo quod dicit Dominus per prophetam, *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit* (*Isai.* XLIII, 10)? Quid dicis, Ariane? Cui istas deputas voces? Si Patris sunt, dicendo, *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit :* aut ipse Pater non erit, aut Filius Deus non erit. Si enim hoc tantum diceret, *Ante me non est formatus Deus ;* nec adderet, *et post me non erit :* liberum tibi erat hæc verba Patri tantummodo applicare. Cum autem sequitur et dicit, *post me non erit :* secundum te, ut dixi, et se Patrem et Filium negat Deum. Item si Filii sunt hæc verba, Patrem suum et Deum negat et Patrem. Si enim non diceret, *Ante me non est formatus Deus ;* sed tantum diceret, *post me non erit :* posset forsitan dici Filium illud fuisse locutum. Modo autem cum dicit, *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit :* Patrem suum nec Deum dicit esse, nec Patrem. Item si Patris sunt hæc verba; quis dicit, cui dicit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7)? An forte, quod absit, mendacii arguendus est Deus? Sed si Filii verba sunt, quis dicit, de quo dicit, *Pater meus usquemodo operatur* (*Joan.* V, 17)? An forte et injuriosus Patri judicandus est, et ingratus? Sed numquid ingrato diceretur, *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8)? An forte Propheta aut quid diceret nescivit, aut fallere voluit; aut ut mitius aliquid de Propheta dicamus, finxisse credendus est sibi duos confabulantes, id est, Patrem et Filium ; et Patre dicente, *Ante me non est formatus Deus*, adjunxit et Filius dicendo, *Et post me non erit?* Mimica sunt et jocularia [b] quæ agimus, an divina? O scelus! proh dolor! Parce, parce, hæretica impietas. Cum tu Deum non capias, nos quoque ad blasphemiam provocas. Non hoc docet sancta Ecclesia. Pater, Pater est; Filius, Filius est : et ille nunquam non fuit Pater, et iste nunquam non fuit Filius : ambo æterni, nec cœperunt esse, nec desistunt. Quod Pater loquitur, Filius loquitur, quia Verbum Patris est : et quod Filius loquitur, Pater loquitur, quia Pater Verbi est. Ipsum Verbum dicit, *Verba quæ ego loquor, a me ipso non loquor* (*Joan.* XIV, 10). Concedite, quæso, Creatori quod ipse præstitit creaturæ, et in creatura, si potestis, capite Creatorem. Ecce ignis et splendor duo sunt, alter ex altero est, nec sine altero alter est : ignis pater, splendor filius. Ipse, si posset, diceret, Quod luceo, non a me ipso luceo ; sed qui me misit, ipse mihi dedit ut luceam. Ignis enim splendorem mittit. Et sicut Filius de Deo Patre dicit, *Pater mecum est* (*Id.* XVI, 32) ; ita et splendor dicere posset, Ignis mecum est. Exstingue ignem, splendor nusquam parebit. Si ergo ignis et splendor, pater et filius, unus sine conjuge pater, alius sine matre filius est ; nec dividi alter ab altero potest ; et cum sit alter ex altero, initium tamen alterius esse non potest sine altero ; hoc autem posse, a Creatore tributum est creaturæ : quid potest ipse Creator? Accedat Paganus, accedat Sabellianus, accedat Arianus : contemplentur lucernam, in ipsa videant quod in Deo videre non possunt. Non facio injuriam, si aliqua ex parte tanti Creatoris cupiens ostendere potestatem, ignis sive lucernæ afferam tantillam similitudinem. Scriptum est enim, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII, 105). Et de Deo dictum est, *Ignis consumens* (*Deut.* IV, 24 ; *Hebr.* XII, 29). Accedite ergo, et lucernam diligenter considerate, vestrasque fatuas tenebras removete. Paganus intueatur, et illic sine conjugio esse Patrem discat et Filium, et quomodo natus est Filius : et si cæcus non es, ibi vide; inter ignem et splendorem quære medium. Si nullum est medium, nullum est conjugium. Noli velle perscrutari medium, ne magnum patiaris incendium. Accedat Sabellianus, videat duos in unum, ignem et splendorem. Numquid non recte dicere potest splendor, Ego in igne, et ignis in me ; sicut et Filius dicit, *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV, 10)? Accedat et Arianus, videat et ipse alterum ex altero, nec tamen nasci posse alterum sine altero : nemo eorum prior, nemo posterior; coævi sunt pater et filius, splendor et ignis : nec ignis sine splendore, nec splendor sine igne esse potest. Aut certe, si placet, mitte manum, divide alterum ab altero : ostende mihi ignem sine splendore, vel splendorem sine igne. Absit, absit : ardere tantummodo poteris, separare alterum ab altero non poteris. Sicut enim ignis et splendor alter ex altero est, nec tamen esse alter sine altero potest : ita Pater Deus et Filius Deus alter ex altero est, nec tamen esse alter sine altero potest. Non illis ortus qui non est, sed æternitas atque substantia una est. Ignis et splendor temporales sunt : Pater autem et Filius Deus æterni sunt. Sunt dico, quia Pater et Filius ; Deus dico, quia unum sunt. Dualitas in prole, unitas in deitate. Alterum facit unius nativitas, sed unum ostendit esse divinitas. Cum dico, Filius, alter est : cum dico, Deus, unus est. Alius est, quia Filius est : aliud non est, quia Deus est. Erubescite, Ariani. Tunicam hominis jam judicati in cruce pendentis carnifices Pilati non sunt ausi conscindere (*Id.* XIX, 24) : et vos conamini charitatem Dei in cœlo sedentis, imo ipsam charitatem Deum dividere? Sed conamini ; quantum potestis, conamini, vos jam in infernum ruistis : nam illam tunicam nunquam rumpetis. Item per prophetam Dominus dicit, *Non est Deus absque me : Deus justus et salvans non est præter me* (*Isai.* XLV, 21).

CAPUT VII. — 9. *Contra Sabellium.* Hic Sabellianus exsultat. Ut enim unum eumdemque Patrem ostendat et Filium, talibus se testimoniis credit muniri. Contra Ariani, ut probent alium esse Patrem, alium Filium, alia proferunt testimonia, et dicunt, In tantum alius est Pater, alius Filius, et alius major, alius minor; ut Pater dicat Filio, *Dedi te in lucem gentium* (*Id.* XLIX, 6) ; et Filius dicat, *Pater misit me* (*Joan.* VIII, 19). Quantum intelligo, lux ista gentium tam clara est atque perspicua, ut hæretici eam comprehendere non valentes atque perspicere, unde cæcati, non in eam possint ambulare, sed potius oberrare. Arianus aliud, Sabellianus aliud. Quale bellum? Quid ad hæc Catholicus? Arma, inquit, quæ portant, mea sunt : mihi militant; ambo contra se pugnant, sed pro me : utinam ambo deficiant, et non alter ad alterum transeat, sed ad me! Proferam et ego aliquid, unde utrique percutiantur. Tu, Ariane, dicis majorem esse qui mittit, minorem qui mittitur : interrogo te et ego, Quis est major, qui præcedit, an qui præceditur? Item quis est major, cui præparatur aliquid venienti, an qui præparat : cui exhibetur officium, an qui exhibet? Utique si hominum genus

[a] Plures Mss., *minutias*.
[b] Mss. omittunt, *et jocularia*.

interroges, respondebit illum esse majorem, qui præceditur, cui præparatur, vel cui officium exhibetur. Tu inde vis probare minorem Filium, quia missus est : ego ostendo eum qui misit, præcedere illum quem misit; nec alterum eorum dico majorem, quia non audeo dicere vel minorem. Isaias propheta dicit, *Hæc dicit Dominus Christo meo Domino, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes.* Ecce jam Filio misso comes est Pater. Adhuc sequere : *Et dorsa regum vertam, et aperiam ante eum januas, et portæ non claudentur* (*Isai.* XLV, 1). Ecce ille qui miserat, præcursor factus est. Quis enim major aut superior ante minorem januas aperit? vel quomodo id faciat, nisi paululum quoque præcesserit ? Audi adhuc, *Et portæ*, inquit, *non claudentur.* Quomodo? *Ego ante te ibo* (*Ibid.*, 2). Vides quia qui miserat, et comitatur, et præcedit : mittit, et non discedit. Parum est quia non discedit, insuper et præcedit. Jam tu discerne qui sit major, qui potior : ego enim nullam discretionem video, sed potius æqualitatem conspicio. Filius dicit de Patre, *Misit me* (*Joan.* VIII, 16). Pater Filio dicit, *Ego ante te ibo.* Recedat de medio discordiosa calamitas : æqualitas hoc exhibet, non disparilitas. Adhuc sequere, ut clarius appareat quis cui dicat : *Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo.* Hic esto et tu, pagane. Audi quid dicat propheta. Non mihi ego quod volui scripsi : codex, in quo hæc scripta leguntur, in armario Judæi habetur. Inimicus meus testis est meus; ab ipso quære; aperi, lege, et crede. *Dorsa*, inquit, *regum vertam, et gloriosos terræ humiliabo.* Nonne reges terræ vides, qui ante persequebantur Christianos, nunc esse christianos? Nonne vides eos qui humiliabant Ecclesiam, humiles intrare in Ecclesiam? Nonne nunc vides ipsos habere defensores, quos ante habebat persecutores? *Ego*, inquit, *ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum, ut scias quia ego sum Deus, qui voco nomen tuum, Deus Israel* (*Isai.* XLV, 2, 3). Audiat Sabellianus, Deus dicit. Deo dicit. Ergo duo sunt; qui dicit, et cui dicit. Audiat et Arianus : *Ego Deus, et non est alius extra me* (*Ibid.*, 5). Diu est ex quo contra istas duas hæreses certando laboro, et pene sum fatigatus. Veni, Domine meus, Jesu præliator fortissime, princeps exercitus Domini qui diabolum vicisti et sæculum, *Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi* (*Psal.* XXXIV, 2). Processurus ad prælium, et victurus in mundo mundum, oravit; non tanquam virtutis impotens, cum esset omnipotens; sed ut nobis, propter quod venerat, humilitatis magisterium exhiberet. Et quid dixit? *Pater, clarifica Filium tuum* (*Joan* XVII, 1). Modo Arianus maledictus dicit, Vides quia minor est, et claritatem non haberet, nisi Patrem petisset? Exspecta, homo, quid festinas? Tu hominem vides, in qua forma non solum Patre, sed et angelis minor est (*Psal.* VIII, 6) : homo paret, Deus latet. Tu mihi ostendis hominem humilem : aperi oculos, et vide Deum sublimem, non angelis minorem, sed Patri æqualem. *Pater*, inquit, *Filium tuum clarifica :* ecce minorem. Adhuc sequere, *Ut et Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII, 1) : ecce æqualem. Invenimus Filium agnoscentem Patrem, atque orantem, eique conjunctum, non ut putabatur ingratum. Videamus quid de Filio dicat et Pater. *Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus* (Evangelii verba sunt), *et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuit illis Moyses et Elias cum eo loquentes* (*Matth.* XVII, 1-3). Moyses et Elias, Lex et Prophetæ; loquebantur cum illo, quia locuti erant de illo; ostendebant quem prædixerant, manifestabant quem prophetaverant. Loquebantur : putas, quid loquebantur? Ut Judæi convincerentur, Pagani converterentur, Manichæi confunderentur, Hæretici comprimerentur, Catholici confirmarentur. Loquebatur lex et gratia, asperitas et lenitas, terror et mansuetudo, præceptum et adjutorium, ferramentum et medicus, umbra et lux, præco et judex, sententia et misericordia. Et quid post hæc? *Respondens autem Petrus dixit ad Jesum : Domine, bonum est nobis hic esse; si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum* (*Matth.* XXVII, 4). Quid dicis, sancte Petre? Mundus parturit [1], et tu secretum petis? Vides ergo tot gentes in unum [2] convenisse, et tu requiem quæris? Vides tenebras mundi, et tu lumen abscondis? *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Id.* v. 15). Ista domus totus est mundus : lucernæ accensio, Verbi est incarnatio : candelabrum autem, crucis est lignum : lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens. *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Vidisti tu, videamus et nos. Tenebræ sunt, non offendamus in Paganis, non erremus in hæreticis; luceat nobis lucerna, doceat nos Verbum in carne. Videamus quid dicit Evangelista, videamus si admissum est consilium Petri : *Adhuc*, inquit, *eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens* (*Id.* XVII, 5). Omnes audiamus, nemo aures claudat. Audiant Pagani irrisores, audiant Judæi persecutores, audiant Manichæi phantasmatum somniatores, audiant hæretici erronei litigatores; audiant, et maxime audiant etiam Catholici, fideles Dei cultores. Isti audiant ut instruantur, illi ut corrigantur : aut isti audiant ne seducantur, illi ut puniantur. Quid dicit vox de nube? *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui* (*Ibid*, et III, 17). Ubi estis qui adversamini Filio Dei? Pater dicit, *Hic est Filius meus :* et tu dicis, Non habet Filium Deus. Tu pagane, quid stas foris et murmuras? Intra huc in scholam Dei, aperi aures cordis tui, audi vocem Domini, et disce Filium Dei. Quid agetis, Judæi, qui occidistis Filium Dei? Quo fugietis, ubi vos abscondetis? Qui montes, quæ petræ super vos casuræ sunt? *Et si in cavernis petrarum vos absconderitis, inde extraham vos, dicit Dominus* (*Jerem.* XLIX, 16). Sed et vos venite, intrate, consilium meum audite, desperare nolite : *quoniam sunt reliquiæ homini pacifico* (*Psal.* XXXVI, 37). Sævistis, occidistis, sanguinem Christi fudistis, in periculo estis, Filio Dei increduli fuistis. Quid ergo facere nunc habetis, nisi ut credentes baptizemini, et bibatis sanguinem quem fudistis? Non est quod horreatis : fusus est sanguis medici, et factus est medicamentum phreneticis. Quid dubitatis? *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Quid, tu manichæe, quamdiu phantasmata somniabis? Evigila, et vide; nubila tonant [3]. Quid tonant? *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III, 17; XVII, 5). Vide in terra hominem verum, audi de cœlo Deum verum : vide in terra hominis filium, audi de cœlo Dei esse Filium. Utrumque verum esse cognosce, id est, Deum et hominem, Filium Dei et filium hominis unum eumdemque esse Deum et hominem. Agnosce hominem, et placabis Deum. Cave ne offendas in petra, et mortis patiaris ruinam : quia quod tu somnias, vanitas est; quod Deus tonat, veritas est. Audi, tu Sabelliane, audi de cœlo Patrem, vide in terra Filium, et noli dicere, Idem est Pater qui Filius. Audi, et tu Ariane, et in Patre et in Filio noli errare, sed sequere unitatem, et vide divinitatem [4]. Domine, audiamus quid dicis de Filio tuo : *Hic est*, inquit, *Filius meus.* Vide in terra hominis filium, audi de cœlo Dei esse Filium. *Meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Et quid? *Ipsum audite.* Deo gratias. Intonuit præceptum Dei, et remotum est consilium Petri. Gratias tibi, Deus Virtus; gratias tibi,

[1] Quatuor Mss., *perit.*
[2] Quidam Mss., *in malum.*
[3] Plures Mss., *nubecula tonat.*
[4] Quidam Ms., *sed quære et vide divinitatem. Sequere, Domine*, etc.

Deus Pater, qui et Filium tuum ostendisti, et mihi doctorem [1] dedisti [2]. Recedat Sabellianus, recedat Arianus, recedant cæteræ pestes, recedat omnis iniqua doctrina. Doceat Deus, non Arius : doceat Dei Filius, non Filii adversarius. Die, Domine meus Jesu, doce, discam quod doceam. Sabellianus dicit, Ipse est Pater qui Filius. Arianus dicit, Alius est Pater, alius Filius; Pater major, Filius minor. Adversatur, clamat, litigat, pugnat, turbas congregat, contra Christum dimicat. Ille sanguinem fudit, ut redimat; iste pecuniam spargit, ut perimat. Speluncam fabricat (*a*), illic catholicum præfocat, christianum vocat paganum (*b*), baptizato ingerit Baptismum, contra id quod scriptum est, *Qui semel lotus est, non indiget denuo lavari* (*Joan.* XIII, 10). Clamat homo, Christianus sum : quid me dicis esse quod non sum? Clamat, Fidelis sum : et ille dicit, Accipe a me pecuniam. Clamat, Redemptus sum : et ille dicit, Accipe a me aurum. Quid das, aut quid aufers? Das pecuniam, ut auferas gratiam : das pecuniam, ut auferas vitam : das pretium, ut auferas quod emptus sum. Quid emis ab empto? Pretium meum, non aurum, sed sanguis Christi est : non me seducis, non me decipis; quantumcumque mihi conferas, non mihi tollis pretium meum. Pecunia tua tecum sit in perditionem (*Act.* VIII, 20) : nam pretium meum non habet pretium. Clamat homo : Fidelis sum, et tu exsufflas. Clamat, In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatus sum, et exsufflas. Quid ergo Christiano reservas, in quo Patrem et Filium et Spiritum sanctum exsufflas? An forte novam fidem, novum baptisma, novum deum de transmarinis partibus advexisti? Die, meus doctor sancte Paule, doce, divini juris perite, sponsi amice : homo iste modo venit, mundum subvertit, et fidei unitatem scindit. Trinitatem dividit, non sibi consentientem rebaptizare contendit; quid facio? In ipso Jesu per Evangelium tu me genuisti (I *Cor.* IV, 15), in Christo baptizatus sum. An forte est aliud baptisma aut alia fides? Absit, inquis : *Una fides, unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium* (*Ephes.* IV, 5, 6). Si ergo una fides est, imo quia et una est fides, unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium : jam credidi, jam baptizatus sum, jam Deum habeo Patrem : quare homicidam patior Arianum? Subveni, Domine meus Jesu, et accingere gladium tuum circa femur, potentissime (*Psal.* XLIV, 4). Omnium potentissime, egredere, occide eos in se, ut vivant in te, desinant persequi me. Sabelliani te subtrahunt, Ariani te minuunt : tu quid dicis de te? Pater dixit ut te audiamus : cum te audimus, ipsum audimus : uno ictu utrosque percute adversarios. Pereant, inquit, vaniloqui, et mentis seductores, Arianus et Sabellianus : nam *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Non dixit, Ego et Pater unum sum; sed, *Ego et Pater unum sumus*. Quod dico, *unum*, audiat Arianus : quod dico, *sumus*, audiat Sabellianus. Non dividat Arianus, *unum* : non deleat Sabellianus, *sumus* : sed ambo veniant, et sint etiam ipsi in nobis unum, sicuti ego et Pater unum sumus (*Id.* XVII, 11). Ergo si Pater et Filius unum sunt, imo quia indubitanter unum sunt, non duo dii, sed unus Deus : non mimicum [1] aliquid propheta scripsit, sed verum dixit, Domino dicente, *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit* (*Isai.* XLIII, 10). Docuit veritas veritatem, et gladio bis acuto omnem peremit errorem. Si adhuc hæretici reluctantur, audiant Catholici definitivam sententiam, quam sequantur.

CAPUT VIII. — 10. *Conclusio.* Audistis Patrem quid dixerit de Filio, audistis Filium quid de Patre dixerit vel de se. *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 8). Diximus de Patre et Filio quod potuimus, et quantum potuimus, si tamen aliquid digne potuimus. De Spiritu sancto tacuimus, sed non eum separavimus; quidquid enim de Patre et Filio diximus, etiam de Spiritu sancto diximus. Est enim in illis et cum illis æqualis et unus, non minor, aut tertius deus. Quid aliud dicam fatigatis fatigatus? Qui Spiritum sanctum a Patre et Filio æternitate et substantia vel communione separat, et qui negat Spiritum sanctum non esse Patris et Filii, plenus est spiritu immundo, vacuus Spiritu sancto. Ideo enim Deus dicitur charitas (I *Joan.* IV, 8), quia non partibus dividit unitatem, sed ineffabiliter coagulat Trinitatem. Ipsa est enim Trinitas unus Deus, turris fortitudinis a facie inimici (*Psal.* LX, 4), qui in se credentes custodit in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Plures Mss., *ducem*.

[2] Plerique editi ferunt : *Gratias tibi, Deus; gratias tibi, vera et una Trinitas, una et trina Veritas, trina et una Unitas. Gratias tibi, Deus Pater, qui et Filium*, etc. Locum hunc restituimus ex Hincmaro, Remensi Archiepiscopo, qui cum pervetustissimos codices consuluisset, ait interpolationem istam nono seculo irrepsisse. Tunc eam soli exhibebant falsatus codex Carolo Calvo oblatus et noviter scripti quaterniones qui ex eodem cœnoso fonte manaverant. Vid. Hincmar. *de non Trina Deit.*, et P. Germonii Disceptationes Diplom., De Arte discern. diplomata, cap. 3 et seqq. M.

(*a*) Speluncæ hæc intelligenda Arianorum Ecclesia, ut in sequenti sermone, cap. 22.

(*b*) Quia baptizandus interrogatus an esset christianus, respondebat se non esse. Hinc Augustinus contra Donatistas enarr. in Psal. XXXIX, n. 1, et in Psal. CXLV, n. 16.

[1] Editi, *iniquum*. Melius Mss., *mimicum*. Vide supra, col 1113, lin. 52.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM SERMONEM.

Iste quoque sermo sub Arianorum dominatu habitus est, eo tempore quo hæreticis illis disputantibus, et Catholicos, alios pollicitatione ac præmio, alios vi potentiaque deducere a fide nitentibus obsistere nullus audebat. *Magnus tibi videris*, ait conscriptor, cap. 7, *quia disputas nullo tecum altercante, nullo judice præsidente. Et dum suffragatur tempus errori tuo, existimas te aliquid esse, cum nihil sis : et seductus multos seducere concupiscis, aliquos pecunia, aliquos potentia.* Id confer cum superiore sermone, cap. 7, quo etiam loco, nempe supra, col. 1115, lin. 11, Arianorum Ecclesiam *speluncam* dictam, ut hic cap. 22, observabis. De implenda professione renuntiationis baptizati admonentur capp. 3 et 4, non secus atque in subditiis sermonibus de Symbolo ad Catechumenos in tomo 6. Alia loca illis, vel superiori sermoni similia præterimus. Multa porro sunt delibata ex Augustino : illud cap. 18, *Numquid si magicis artibus fecit ut coleretur mortuus, magus erat antequam natus?* est libri 1 de Consensu Evangelistarum, cap. 11. Item illud cap. 13, *Quid est, In medio duum animalium cognosceris, nisi aut in medio duorum Testamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysi et Eliæ cum eo in monte sermocinantium?* ductum est ex libri 18 de Civitate Dei capite 32. Inde etiam, cap. 23, translati huc Sibyllini versus. Cum Gregorio in Evangel. homil. 33, id usurpat concionator in sermonis exordio, *Cum potius expediat flere magis quam aliquid dicere.* Itemque alia quædam cap. 17 habet cum ejusdem homil. 10 in Evang. convenientia. In cap. 15 dicit Virgilium poetam versu illo,

Jam nova progenies cœlo demittitur alto,

testimonium Christo perhibuisse : quod Augustinus in epistola 104 ad Nectarium, n. 11, longe verius appellat *carmen adulatorium, dictum viro nobili*, scilicet Pollioni. Dictionis barbariem monstrat Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano, et nonnulla velut inepta reprehendit, sed quæ editionum erant vitia, correcta hic ex Remigiano annorum octingentorum codice, in quo inscribitur *Sermo sancti Augustini de Symbolo*; ex Vaticanis tribus, ex uno Bellovacensi abbatiæ S. Quintini, ex Corbeiensi, etc.

CONTRA

JUDÆOS, PAGANOS ET ARIANOS

SERMO DE SYMBOLO.

CAPUT PRIMUM. — *Christianæ rigiliæ.* Inter pressuras atque angustias præsentis temporis et nostræ officia servitutis cogimur, dilectissimi, non tacere, cum potius expediat flere magis quam aliquid dicere: verumtamen ne qui l minus lucri arcæ dominicæ accedens, dicatur nobis, *Serve nequam et piger, tu erogares pecuniam meam, et ego veniens cum usuris exigerem eam* (*Matth.* xxv, 26, 27): peto Charitatem vestram, ut quæ ipse paterfamilias per nos vobis ministraverit, libenter accipere dignemini: Apostoli verba sunt, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit: deponentes ergo opera tenebrarum induite vos arma lucis* (*Rom.* xm, 12). Expulsa itaque noctis caligine, effugatisque tenebris peccatorum, radius veri luminis fulgeat in cordibus nostris. Exigit enim a nobis ratio hujus tantæ congregationis, et noctis transactæ vobis reddere rationem, et istius diei de tanto sacramento percepto veram sempiternamque demonstrare salutem. Si enim opera transactæ noctis consideremus [1], et quid egerimus, Domino donante, explicare valuerimus; inveniemus nos in nocte, non opera noctis, sed diei peregisse. Neque enim delectatione somni sopitos sensus nostros agnovimus, nec phantasmatibus animas nostras illusas, nec ipsa corpora stramentorum calore depressa in alto sopore requies inclinavit: sed vigilando, orando, psallendo, contra adversarium diabolum dimicando, et magnam lucem infusam cordibus nostris sensimus, et in nocte opera diei peregimus. Quid enim egimus in hac nocte? Diabolum fugavimus, Christum introduximus. Quid egimus in hac nocte? Captivatorem captivavimus. Quid egimus in hac nocte? Tenebras diabolicas de cordibus vestris exclusivimus, lumen verum hauriendum esse demonstravimus. Quid actum est in hac nocte? Veniens vera fortitudo alligavit fortem, et vasa domus ejus diripuit (*Matth.* xii). Quid actum est in hac nocte? Exstirpata est superbia, introducta est humilitas. Quid actum est in hac nocte? Princeps omnium vitiorum expulsus est, fons omnium bonorum susceptus est. Videtis, dilectissimi, quæ bona habeatis præparata, et ex quo onere, vel ex quibus sarcinis peccatorum relevamini ab isto qui vos vocat ut suscipiatis jugum ejus lene, et sarcinam ejus levem (*Id.* xi, 29): *Deponentes itaque opera tenebrarum, induite vos arma lucis.* Quid sit hoc, ex verbis Symboli quod modo accepistis, vobis expositum esse cognoscite. Quid est, *Deponite opera tenebrarum;* nisi, Renuntiate diabolo, pompis, et angelis ejus? Et quid est, *Induite vos arma lucis;* nisi, Credite in Deum Patrem omnipotentem?

CAPUT II. — *Diabolus qui sit.* Prius tamen, dilectissimi, discutiamus, qui sit, vel quid sit diabolus, et quæ sint pompæ ejus, quibus renuntiantes, opera deponimus tenebrarum: tunc demum de Deo Patre omnipotente, qui est vera lux, quantum ipse donaverit, Charitati vestræ dicemus. Quid est diabolus? Angelus per superbiam separatus a Deo, qui non stetit in veritate, auctor mendacii, et a semetipso deceptus, qui alterum decipere concupivit. Iste adversarius effectus humani generis, inventor mortis, superbiæ institutor, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, persuasor etiam turpium voluptatum [2]. Hic dum illum primum, Adam scificet, patrem omnium nostrum intueretur, videretque hominem ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, charitate circumdatum, immortalitate vestitum, æmulus atque invidus hæc hominem terrenum accepisse, quod ipse dum esset angelus per superbiam cognoscitur amisisse, invidit statim insatiabilis homicida, eosque nostros primos parentes illis donis ac tantis bonis exspoliavit, insuper et peremit. Namque, dilectissimi, cum tanta bona homini diabolus abstulisset, pudicitiam, continentiam, charitatem, immortalitatem, eumque nudatum ac turpem reddidisset, obsitum suis pannis deridens eum, suo dominio obstrinxit, atque ex illo vinculo omnem prolem ejus sibimet obligavit. Turpes enim pannos suscepit Adam, quando a diabolo exspoliatus pudicitia, accinctus est impudicitia; amissa temperantia, intemperans effectus est; perdita charitate, malus inventus est; exspoliatus immortalitate, morti propinatus est. Heu! quid perdidit, et quid accepit! Ad hos etiam turpissimos pannos [1] suos posteros obligavit.

CAPUT III. — *Renuntiare satanæ, quid.* Renuntiemus huic damnosæ hæreditati: pupilli effecti sumus. Antequam exactor veniat, tam pessimæ hæreditati, in qua sunt panni diaboli, pompæ scilicet et angelis ejus si quis renuntiare neglexerit; cum judex venerit, sicut Evangelium loquitur, tradetur debitor exactori, exactor autem debitorem in carcerem trudet. *Amen dico tibi*, ait Dominus, *non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* (*Matth.* v, 26). Omne itaque genus humanum tanquam pauperem et pupillum commendat Scriptura divina, dicens Deo, *Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor.* Ejusque adversarium diabolum demonstrans, secutus adjunxit, *Contere brachium peccatoris et nequam* (*Psal.* ix, 14, 15, *sec. Hebræos*). Adsit itaque aliquis homo pius, et aliquam misericordiam huic pupillo et pauperi exhibeat. Ferocem enim atque callidum adversarium patitur, et hic pupillus in causa sua deficit; quoniam eum suus adversarius pravis actibus obligavit. Adhibeamus huic pupillo idoneos defensores, et Apostolorum tanquam jurisperitorum cœlestium ei patrocinium subrogemus [2]. Quid est agendum apud tales pro tali? Apud vos itaque, Petre, Paule, Joannes, cæterique sancti consiliarii veri judicis, amici summæ potestatis, causam exponimus, quam optime nostis, hujus pauperis et pupilli, generis scilicet humani, qui ex paterno chirographo debitor inventus reus, atque constrictus ab adversario detinetur: non est aliud, quemadmodum huic subveniatur, nisi ex vestro consilio. Quid itaque in hoc negotio vestræ serenitati videatur pro hujus miseri libertate, ex communi tractatu unitam pro eo dignamini [3] proferre sententiam. Et vos enim astrinxerat hæc obligatio, nisi vobis gratia subveniret. Liberati [4] liberate: consilium quod a vero judice accepistis, promite; ut hoc sequatur qui captivus detinetur, atque ex mala servitute per vestram defensionem ad veram [5] perveniat libertatem. Et hæc est vox omnium

[1] Sic Mss. At Lov., *de opere transactæ noctis consideremus.*
[2] Sic Mss. At editi, *cogitationum.*

[1] Editi alias: *Ad hoc enim per turpissimos pannos.*
[2] Mss., *et Apostolorum chorum, tanquam jurisperitorum cœlestium, et adjutorium eorum et patrocinium subrogemus.*
[3] Alias editi, *utinam pro eo dignemini.*
[4] Sic Mss. At editi, *libertate.*
[5] Mss., *ad vestrum.*

Quod ferimus faciat. Quid, obsecro, facturus est? Renuntiet diabolo, pompis et angelis ejus : hæc est illa damnosa hæreditas, cui renuntiare compellimur. Videtis, dilectissimi, qualem sententiam protulerunt nostri defensores.

CAPUT IV. — *Relapsus a Baptismo.* Vigilet itaque unusquisque, ne non ex toto renuntians post professionem, apud eum diabolus suos pannos recognoscat : et incipiat reus semper detineri, quem Christus voluit sua gratia liberare. Nec sibi blandiantur, qui post gratiam acceptam corrigi nolunt, atque rursus ad illas suas pristinas redeunt voluptates. Exspectatur enim dies judicii, aderit ille æquissimus judex, qui nullius potentis personam accipiet, cujus palatium auro argentove nemo corrumpet. Astabunt omnes animæ, ut referat unaquæque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum (II *Cor.* v, 10). Præsto enim erit et adversarius diabolus; recitabuntur verba professionis nostræ. Et si talis inventus fuerit quisque, ut debitor ex hac vita migret; exsultabit ille adversarius in conspectu severissimi [1] judicis, superiorem se esse clamans, agens talem causam apud talem judicem : Æquissime, inquit, judex juste, judica : *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ* (*Psal.* LXXXVIII, 15). Judica meum esse, qui tuus esse noluit : meus est, mecum damnandus est. Post renuntiationem utquid invasit pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renuntiaverat? Quid intemperantia, quid avaritia, quid ira, quid superbia, quid cætera mea? Postremo, æquissime : fugientem a me, confugientem ad te, postea cum meis quibus renuntiaverat apprehendi, invasorem detinui : in ipsa quodam modo mea possessione a me apprehensus est. Quid enim in circo faciebat, atque ibi furias, lites [2], insanas voces, inanesque victorias, tum jam a se alienas sibimet dividebat? Quid in theatro faciebat renuntiator turpium voluptatum? Quid in amphitheatro crudelitates suis oculis intuendo? Thesaurizavit sibi iram in die iræ (*Rom.* II, 5). Hæc omnia mea post renuntiationem invasit, meus esse voluit, et mea concupivit. Judica, judica æquissime : quoniam quem tu dignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. Poterit, dilectissimi, os aperire is qui post professionem suam talis invenitur, ut juste diabolo addicatur? Videte quid agatis, filii mei, fratres mei; videte quid agatis, quomodo hanc professionem vestram custodiatis. Contestamur vos per ipsum judicem omnesque potestates cœlestes, quæ et nos audiunt admonentes, et vos excipiunt professentes, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis (II *Cor.* VI, 1), sed corde integro, tota virtute, perfecta fide renuntiantes atque spernentes tam damnosam diabolicam hæreditatem, ne pupilli vel pauperes remaneatis.

CAPUT V. — *Triadis unitas.* Credite in Deum Patrem omnipotentem. Mutantes Patrem, mutate hæreditatem. Quis est iste Pater omnipotens? Patrem quidem Deum, qui credimus, nostrum atque totius mundi cognoscimus esse per gratiam; sed et proprium ejus Filium quærimus per substantiam : quoniam et antequam ab illo mundus formaretur, Pater erat. Si Pater erat, cujus Pater erat? Erat ei utique Filius ex ipso cum ipso, hoc quod ipse, sed non ipse; quoniam ille Pater, hic Filius : quoniam omnipotens Pater omnipotentem Filium genuit de se, ita æqualem sibi, ut totus maneret in se, et esset Pater Filii, et Filius Patris, Deus ex Deo, dies ex die, lumen ex lumine : nec tamen duo dii, aut duo dies, aut duo luminaria; sed unus Deus, unus dies, unum lumen. Non capis videndo, intellige credendo : munda oculos cordis; imo potius ipsa lux quam desideras videre, mundet cor tuum, ut sit a peccatorum tenebris mundatum : *Beati* enim *mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Ecce extende aciem oculi cordis et vide, et aurem cordis accommoda et audi. Pater enim et Filius duo sonant, sed cum ipse Filius dicit, *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV, 10), Verbum enim Patris est Filius; Pater autem nunquam fuit sine Verbo, quoniam *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum* (*Id.* I, 1); hoc Verbum Filius cum est in Patre, et Pater in Filio suo Verbo suo : non ergo duo dii, sed unus est Deus. Dies ex die, duos videntur significare dies : sed cum ipse Filius in Evangelio dicit Judæis, *Abraham pater vester cupivit videre diem meum, et vidit, et lætatus est* (*Id.* VIII, 56); Abraham autem tres videns viros sub quercu Mambre, non tres appellavit dominos, sed unum in omnibus appellavit Dominum, tanquam tres diem unum. Unde ipse Dominus in Evangelio, unum volens intelligi diem [1] Patrem et Filium, Philippo requirenti Patrem tanquam alterum diem, quoniam jam Filium videbat diem, ostendens quo oculo quærere deberet videre Dei unitatem, quia oculum carnis fixerat in humanitatem : *Philippe*, inquit, *qui me vidit, vidit et Patrem;* ego enim et Pater non duo dies [2], sed unus. Si potes capere, cape sempiternum diem.

CAPUT VI. — *Trinitas incomprehensibilis.* Lumen de lumine duo sonare videntur luminaria : sed absit a nobis, ne nos error Manichæorum comprehendat, qui istum solem æstimant esse Christum : sed nos solem justitiæ credimus Verbum Patris, inseparabilem, æqualem, cum Patre manentem, et omnia cum illo disponentem : Patrem per Filium omnia facientem, fabricam mundi per Verbum suum construentem, Filium ad nos venientem, nec Patrem deserentem, semper cum illo, nusquam sine illo; illuminantem, et de se et de illo splendentem, radiantem, coruscantem : non duo luminaria, sed unum lumen. *Ego* enim, ait, *et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30). De ipso Verbo unigenito ait propheta David : *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi* (*Psal.* LXI, 12) Quomodo semel locutus est Deus, et secundo senuit; nisi quia Verbum intransgressibile procedens de corde Patris, susceptit carnem, ut esset homo, ex utero matris? Venit, et mansit : ad nos venit, et a Patre non recessit. Ecce per hoc quod semel locutus est Deus, surrexit omnis fabrica nostra : per hoc quod secundo sonuit, factus est pax nostra, ut solveret inimicitias in carne (*Ephes.* II, 14). Hæc Verbum, hoc lumen non respiciens Arianus, audet dicere Filium minorem, quem nos confitemur æqualem : insana contumacia vult de Verbo in corde Patris manente disputare, cum semetipsum non valeat intelligere. Insane hæretice, prius redi ad te, considera te totum, si potes comprehendere te : et tunc disputa de illo qui fecit et me et te. Vide quam non altum sapiebat, sed in simplicitate cordis Deum nosse quærebat ille humilis, qui in uno lapide superbam frontem dejecit Goliæ (I *Reg.* XVII, 49). Vide quam non altum sapiebat : consideravit enim quid in se ipso ageretur; consideravit animam suam, inspexit suam fabricam, discussit se intus quid esset, et ex qua parte molem tam pulchram gubernaret, atque in vasculo luteo quæ habitaret domina anima, plena tantis thesauris sapientiæ, scientiæ, prudentiæ : ubi illic essent tanta, tam pretiosa, tam grandia : quæ loca anima obtineret, in qua nullus est locus : atque ex uno fonte quomodo procederent singulæ virtutes sine diminutione et exeuntis et profundentis. Vidit hæc, consideravit hæc, voluit nec valuit comprehendere, exclamavit [3] Deo dicens : *Mirificata est scientia tua ex me; invaluit, et non potero ad illam* (*Psal.* CXXXVIII, 6). Hoc fuit dicere, Quando te possum comprehendere tam magnum, qui me ipsum non valeo explicare extremum et parvum? Videte et alium humilem requirentem modulum suæ infirmitatis, et non excedentem, sed ad humilia inclinantem : *Arenam*, inquit, *maris, et pluviæ guttas, et*

[1] Alias editi, *serenissimi.*
[2] Corbeiensis Ms., *atque ibi furiosas lites.*

[1] Alias hic et jor in sequentibus lineis pro, *diem*, habetur, *Deum.*
[2] Alias, *dii.*
[3] Sic Mss. At editi, *comprehendere se, et exclamavit.*

dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis mensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit (*Eccli.* I, 2, 3)? Ecce propheta dicit, imo ipse Dominus qui loquebatur per prophetam, quod sapientiam Dei nullus investigavit. Christus est enim Dei virtus et Dei sapientia (I *Cor.* I, 24). Nullus secundum divinitatem potuit investigare Dei sapientiam : quia secundum id quod Filius natus est de Patre sine matre, *nativitatem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8)?

CAPUT VII. — *Contra Arianos.* Dic mihi, hæretice, qui audes dicere quod minor sit Dei Sapientia : dic mihi, altitudo cœli quanta sit, latitudo terræ, profundum abyssi? Numera si potes pluviæ guttas, arenam maris, et dies sæculi : horum etiam numerum capillorum, quoniam *omnes capilli capitis vestri numerati sunt* (*Matth.* X, 30), demonstra mihi, atque explica parva ista inferiora, et tunc tibi credam posse te investigare superiora. Sed non potes, non vales. Spiritus Dei te convincit, qui vos hæreticos ante prævidit. Qui enim ista quæ superius diximus, conscripserunt atque senserunt, spiritu agebantur veritatis, non erroris. Tu autem, hæretice, cum hæc non vales explicare, audes de ipsa quæ investigari non potest, Dei Sapientia disputare : et magnus tibi videris, quia disputas nullo altercante tecum, nullo judice præsidente. Et dum suffragatur tempus errori tuo, existimas te aliquid esse, cum nihil sis : et seductus multos seducere concupiscis; aliquos pecunia, aliquos potentia : tales tibi congregas, quos plurimos tecum perdas. Non est hic tibi labor utilis ad salutem, sed potius ad perniciem. Talia enim docendo, imo non docendo, sed potius blasphemando, non cuilibet potenti, sed ipsi Deo Patri in ejus Filio facere demonstraris injurias. Major est Pater, minor est Filius : melior est Pater, inferior Filius. Has contumelias nec homo quilibet sapiens libenter accipiat, qui filium meliorem se ipso, aut parem habere contendit. Unde est etiam illud dictum propheticum : *Lætatus est pater in filio sapiente, in vita sua vidit, et in obitu ejus non est contristatus. Mortuus enim est pater, et tanquam non est mortuus : similem enim reliquit post se* (*Eccli.* XXX, 5, 4). Ecce propheta dicit sapientem filium hominis esse similem patri; et tu, hæretice, audes dicere ipsam Sapientiam, id est Dei Filium Patri esse dissimilem? Propheta dicit mortuum hominem patrem in eo quod filium similem reliquit, vivere in filio; et tu audes ipsam sempiternam Vitam, quod est Dei Filius, separare ab illo qui nunquam moritur Patre?

CAPUT VIII. — *Æqualitas personarum.* Et quid, inquis, facturus sum? Ipse dixit, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Quia non intelligis, ideo tibi male sonat quod bene dixit. Nam ipse dixit; imo et confirmavit. Prorsus ipse dixit, *Pater major me est :* ipse Filius dixit. Sed vide quando hoc dixit : in susceptione humanæ naturæ positus hoc dixit. Tunc dixit, *Pater major me est*, quando dixit, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Tunc dixit, *Pater major me est*, quando flevit, quando lassatus est, quando esurivit, quando sitivit. Tunc dixit, *Pater major me est*, quando eum dicit Scriptura minoratum paulo minus ab Angelis (*Psal.* VIII, 6). Numquid enim etiam hic insana superbia ita irreverens progreditur vestra, ut Verbum Dei manens apud Patrem, audeat in ipsa illa divinitate dicere Angelis esse minorem? Si non audes, hæretice, hoc dicere, serva hos gradus, et perit error tuus : Filius apud Patrem, et cum Patre æqualis, quoniam sempiternus cum sempiterno, semper manens cum semper manente : æqualis missus, et veniens : in susceptione hominis minor [1], non solum Patre, verum etiam Angelis : æqualis in forma Dei, minor in forma servi : æqualis cum Patre creans Angelos; minor Patre homines faciens angelos : æqualis cum Patre novum construens mundum [1]; minor Patre perditum reparans mundum : æqualis cum Patre vitam largiens æternam; minor Patre mortem suscipiens nostram.

CAPUT IX. — *Christi nativitas.* Hunc itaque Filium credimus Dei in susceptione hominis minorem, in divinitate Patri æqualem, factum, sicut Apostolus dicit, ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 3). Ex semine enim David virgo Maria, qua de Spiritu sancto concipiente, et in cujus utero Verbum carne suscepta, nobis factus est mediator homo totus et Deus (I *Tim.* II, 5), Verbum, et anima, et caro unus Christus. Hoc quippe nobis etiam ordo hujus sacramenti declarat, quod posteaquam credimus in Deum Patrem omnipotentem, credimus et in Filium ejus Jesum Christum [2], de Spiritu sancto natum ex virgine Maria. Et hæc nativitas perturbat omnem cogitationem humanam; quoniam virtus est eam operata divina. Nam quando admittit ratio nostræ generationis, ut virgo concipiens, virgo post partum permanens, Filius videatur, et integritas inviolata servetur? Hoc non potest implere quilibet homo natus : ille autem potuit, quia non erat solus homo, sed Deus et homo; qui propterea voluit nasci homo, quia perierat omnis homo. Primum itaque miraculum magnum hujus Mediatoris ac singulare fuit, quod sic natus est : ut ille qui veniebat multos docere facere miracula, quæ ipse per se et per illos faciebat, haberet tamen aliquid proprium qui nihil usurpaverat alienum. Solus enim de virgine natus est, quia solus sine amplexu maris et feminæ de Spiritu sancto conceptus est : solus sine corruptione implevit uterum matris, quia solus pro nobis super cœlos ascendit, ut sederet ad dexteram Patris. Acceperunt ab illo discipuli ut facerent multa et magna miracula, et fecerunt : nec tamen quispiam prædicatur aut creditur de virgine natus, aut de Spiritu sancto conceptus, nisi ille unus qui creator temporum inventus in tempore est etiam ipse creatus, suscipiens quam integram formaverat humanam naturam, ut per ipsam quodam modo redemptor [3] nostram repararet ruinam. Et hic Dei Filius, et hominis filius; Dei Filius in corde Patris, hominis filius in utero matris : idem ipse unus Christus, qui processit ex utero virginali tanquam sponsus de thalamo suo (*Psal.* XVIII, 6). In quo utero spirituales nuptiæ sunt celebratæ, Deusque conjunctus est carni, et caro cohæsit Deo, ut esset unus Christus Deus et homo.

CAPUT X. — *Crudelitas Herodis.* Hinc ergo procedens velut sponsus de thalamo suo, ad cujus nuptias commota universa exsultare visa est creatura. Namque angelorum chorus ex his nuptiis pacem designat hominibus bonæ voluntatis : quia qui erat Dei Filius, factus est et hominis Filius; suscipiens quod non erat, non amittens quod erat. His nuptiis cœli novam stellam, novum atque splendidum lumen illo ipso sponso in se operante producunt, ut lumen verum sedentibus in umbra mortis nuntiarent natum, et veluti lingua sua laudarent hunc sponsum procedentem, quem sciebant ad hoc suscepisse hominem mortalem, ut faceret immortalem. Ad hunc sponsum Magi ab extremo terræ veniunt, commoniti requirunt, vocati munera offerunt, infantem natum necdum quidem videntes, sed stella indice regem adorare [4] cupientes. Ex his nuptiis regis nati turbatus Herodes, perturbati et Judæi regem totius creaturæ non intelligentes; quærit Herodes quem audit regem natum infantem perdere, ne illo crescente posset regnum amittere; Judæi nolentes habere Dei Filium regem, ubi Christus nasceretur Herodi produnt, atque de unius infantis nece utrorumque voluntas astringitur. Postquam Herodes Judæis narrantibus didicit, ubi Christus occidendus posset inveniri, vocans ad se Magos, tempus ab eis inquisi-

[1] Mss., *et veniens in susceptionem.*

[1] Quidam Mss., *minor Patre novum construens mundum.*

[2] Editi addunt hic, *conceptum*, quod abest a Mss.

[3] Mss. omittunt, *redemptor.*

[4] Mss., *videre.*

vit stellæ, missisque in Bethlehem ait : *Ite, diligenter inquirite de puero, ut et ego veniens adorem eum* (*Matth.* II, 8). O labia dolosa ! utquid in corde et corde loqueris mala? Aliud enim habet tua lingua, aliud clamat conscientia. Te ipsum decipis talia cogitando, erras, fallis et falleris. Frustra in malo vigilat falsitas [1] : non a te, sicut decet, inquiritur veritas. Ecce audiunt te Magi, aliud quidem foris dicentem, sed nesciunt te intus aliud cogitantem, et pergunt ita ut ad te amplius non revertantur. Ille enim eos admonebat, qui insipientiam tuam deridens, hoc Magos facere præcepit quod rex jusserat verus, non quod subdole persuaserat falsus. *Per aliam*, inquit Evangelista, *viam regressi sunt in regionem suam* (*Ibid.*, 12). Verum cum a Magis te delusum sensisses, Herodes, voluisti omnes infantes terræ illius perdere, ut unum quem quærebas posses occidere. Sed ille sponsus noster, qui processit de thalamo suo, ut ex ore infantium et lactentium perficeret laudem, sivit te implere voluntatem tuam, ut ætas quæ lingua propria Christum non poterat confiteri, testimonio mortis suæ confiteretur, et crudelitas immanis [2] demonstraretur tua, et ad nuptias cœlestis sponsi infantium congregaretur turba. Dic, Herodes, si te Christus ideo offendit, quia ejus Magis annuntiantibus audisti regnum ; quid te offenderunt hi qui tecum adversus Christum sentiebant principes Judæorum, quorum filios interficiens ipsos magis atrocissima pœna in suis illiis afflixisti? Nam Christum minime invenire potuisti. Sed quid tecum diutius agam? Ipsos, ipsos conveniam Judæos, qui dum infantem Christum noluerunt agnoscere, filios suos cum illo [3] compulsi sunt amittere : quos quidem occidit mortique propinavit Herodes vester amicus; sed his mortalitatem æternamque vitam donavit Christus, quem vestrum etiam nunc dicitis inimicum.

CAPUT XI. — *Contra Judæos, ex Isaia et Jeremia.* Vos, inquam, convenio, o Judæi, qui usque in hodiernum diem negatis Filium Dei. Nonne vox vestra illa est, quando eum videbatis miracula facientem, atque tentantes dicebatis, *Quousque animas nostras suspendis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Ille autem ad considerationem miraculorum vos mittebat dicens, *Opera quæ ego facio, ipsa testimonium de me perhibent* (*Joan.* X, 24, 25) : ut Christo testimonium dicerent, non verba, sed facta. Vos autem non agnoscentes Salvatorem, qui operabatur salutem in medio terræ vestræ (*Psal.* LXXIII, 12), adjicientes in malo aistis, *Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum.* Sed ad hæc ille quid vobis responderit, advertere noluistis. *Nonne scriptum est*, inquit, *in Lege vestra, quod duorum hominum verum sit testimonium* (*Joan.* VIII, 13, 17)? Prævaricatores Legis, intendite Legem. Testimonium quæritis de Christo : in Lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum sit (*Deut.* XVII, 6 ; XIX, 15) ; procedant de Lege vestra, non tantum duo, sed etiam plures testes Christi, et convincant auditores Legis, nec factores. Dic, Isaia, testimonium Christo. *Ecce*, inquit, *virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14). Accedat et alius testis : dic et tu, Jeremia, testimonium Christo. *Hic est*, inquit, *Deus noster, et non æstimabitur alius absque illo, qui invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch* III, 36-38). Ecce duo testes idonei ex Lege vestra, ex quorum testimonio non sunt compuncta corda vestra.

CAPUT XII. — *Ex Daniele.* Sed alii atque alii ex Lege Christi testes introducantur, ut frontes durissimæ inimicorum conterantur. Veniat et ille Daniel sanctus, juvenis quidem ætate, senior vero scientia ac mansuetudine, convincat omnes falsos testes : sicut convicit senlores impudicos (*Dan.* XIII, 47), ita suo testimonio Christi conterat inimicos. Dic, sancte Daniel, dic de Christo quod nosti. *Cum venerit*, inquit, *Sanctus sanctorum, cessabit unctio* (*Id.* IX, 24). Quare illo præsente cui insultantes dicebatis, *Tu de te ipse testimonium dicis, testimonium tuum non est verum* (*Joan.* VIII, 13), cessavit unctio vestra, nisi quia ipse est qui venerat Sanctus sanctorum? Si, ut vos dicitis, nondum venit, sed exspectatur ut veniat Sanctus sanctorum, demonstrate unctionem : si autem, quod verum est, cessavit unctio vestra, agnoscite venisse Sanctum sanctorum. Ipse est enim et lapis ille abscissus de monte sine manibus concidentium, id est, Christus natus de virgine sine manibus complectentium : qui tantum crevit, ut mons magnus fieret, et impleret universam faciem terræ (*Dan.* II, 34, 35). De quo monte dicit propheta, *Venite ascendamus in montem Domini* (*Isai.* II, 3). Et de quo David dicit, *Mons Dei, mons uber : utquid suspicamini montes incuscatos, montem in quo placuit Deo habitare in ipso* (*Psal.* LXVII, 16, 17)? Cum enim ipse Dominus Christus discipulos suos interrogaret, quem eum dicerent esse homines Filium hominis ; responderunt : *Alii Eliam, alii Jeremiam, alii Joannem Baptistam, aut unum ex Prophetis* (*Matth.* XVI, 14). Et ille : *Utquid suspicamini montes incuscatos, montem in quo placuit Deo habitare in ipso?* Hunc agnovit Petrus dicens, *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Ibid.*, 17). Agnovit montem, et ascendit in montem : testimonium dixit Veritati, et dilectus est a Veritate. Supra petram fundatus est Petrus, ut mortem susciperet illum amando, quem ter negaverat timendo.

CAPUT XIII. — *Testimonia cætera ex Lege et Prophetis.* Dic et tu, Moyses legislator, dux populi Israel, testimonium Christo. *Prophetam vobis excitabit Deus de fratribus vestris. Omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo* (*Deut.* XVIII, 15, 19). Prophetam autem dictum Christum, ipsum audi in Evangelio Christum : *Non est*, inquit, *propheta sine honore, nisi in patria sua* (*Matth.* XIII, 57). Accedat etiam David sanctus, testis fidelis, ex cujus semine processit ille, cui Lex et Prophetæ testimonium dicunt ; dicat et ipse de Christo *Adorabunt*, inquit, *eum omnes reges terræ ; omnes gentes servient illi* (*Psal.* LXXI, 11). Cui servient? Dic, cui servient? Vis audire cui? *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1). Et expressius atque nominatim : *Quare*, inquit, *tumultuatæ sunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus* (*Psal.* II, 1). Accedat et alius testis, die et tu Habacuc propheta testimonium Christo. *Domine*, inquit, *audivi auditum tuum, et timui ; consideravi opera tua, Deus, et expavi* (*Habacuc* III, 2). Quæ opera Dei iste miratus expavit? Numquid fabricam mundi iste miratus expavit? Absit : sed audi ad quid expavit. *In medio*, inquit, *duum animalium cognosceris. Opera tua Deus. Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14). *In medio duum animalium cognosceris.* Quis, quousque descendisti? Expavescere me fecisti : quia Verbum per quod facta sunt omnia, in præsepio jacuisti. *Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* (*Isai.* I, 3). *In medio duum animalium cognosceris.* Quid est, *In medio duum animalium cognosceris ;* nisi aut in medio duorum Testamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysi et Eliæ cum eo in monte sermocinantium? *Ambulavit*, inquit, *Verbum, et exivit in campos* (*Habacuc* III, 3). *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Hoc et Jeremias ait : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch* III, 38). Ecce quomodo conveniunt sibi testes veritatis : ecce quomodo convincunt filios falsitatis. Sufficiunt vobis ista, o Judæi, an adhuc ad vestram confusionem ex Lege et ex gente vestra alios introducemus testes, ut illi testimonium perhibeant, cui perdita mente insultantes dicebatis, *Tu de te ipso testimonium perhibes testimonium tuum*

[1] Corbeiensis Ms., *vigilas, falsitas.*
[2] Quidam Mss., *testimonium mortis suæ* (vel, *morte sua*) *præberet, et incredulitas immanis*, etc.
[3] Editi, *pro illo.*

non est verum? Quod si velim ex Lege et ex Prophetis omnia quæ de Christo dicta sunt colligere, facilius me tempus quam copia deserit.

CAPUT XIV. — *Simeonis et Zachariæ testimonium.* Verumtamen senem illum ex gente vestra natum, sed in errore vestro non relictum, Simeonem sanctum in medium introducam : qui meruit decrepitus teneri in hac luce quousque videret veram lucem. Quem quidem jam ætas compellebat ire : sed exspectabat suscipere, quem sciebat venire. Cum iste senex admonitus esset a sancto Spiritu, quod non ante moreretur quam videret Christum Dei, natumque cognoscens, perrexit ad templum. Ubi vero eum portari matris manibus vidit, et divinam infantiam pia senectus agnovit, tulit infantem in manibus suis. Ille quidem Christum infantem ferebat, sed senem Christus regebat. Regebat qui portabatur, ne ille ante promissum a corpore solveretur. Quid tamen dixerit, quem confessus fuerit, advertite inimici, non Christi, sed vestri. Benedicens Deum exclamavit senex ille, et dixit : *Nunc dimittis, Domine, servum tuum secundum verbum tuum in pace ; quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 26-32). Illi etiam parentes Joannis, Zacharias et Elisabeth, juvenes steriles, in senecta fecundi, dicant etiam ipsi testimonium Christo. Dicant de Christo quid sentiant, et testem idoneum Christo nutriant. Aiunt enim suo parvulo nato, *Tu puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* (*Id.* I, 17). Ipsique matri et virgini Elisabeth ait : *Unde mihi hoc, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo* (*Ibid.*, 43, 44). Intelligens enim Joannes matrem Domini sui venisse ad suam matrem, inter ipsas angustias uteri adhuc positus, motu salutavit, quem voce non poterat. Quid postea ipse Joannes præcursor et amicus, humilis et fidelissimus servus, testis idoneus effectus, tanto major in natis mulierum, quanto existimabatur esse quod non erat? Christum enim eum esse Judæi credebant : sed ille non se esse clamabat, dicens : *Quem me suspicamini esse, non sum ego ; sed ecce venit post me, de cujus pedibus non sum ego dignus solvere corrigiam calceamenti ejus* (*Marc.* I, 7 ; *Luc.* III, 16 ; *Act.* XIII, 25). O fidelis testis, et amice veri sponsi, quantum te humiliavisses si ad corrigiam calceamenti ejus solvendam dignum te esse dixisses? Sed dum ad hoc non te dignum dicis, Judæis falsis testibus contradicis. Et hæc a te dicta sunt antequam Christum videres : qui cum ad te ipse venit excelsus humilis implendæ dispensationis suæ gratia ut a te baptizaretur qui nullum habebat omnino peccatum, quid responderis, quem cognoveris, quale testimonium protuleris, audiant inimici qui audire nolunt : *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* I, 29, 36). Et adjecit : *Tu ad me venis baptizari ; ego a te debeo baptizari* (*Matth.* III, 14). Agnovit servus Dominum : agnovit peccati originalis vinculis obligatus ab omni nexu peccati liberum : agnovit præco judicem, agnovit creatura Creatorem, agnovit paranymphus sponsum. Nam et hæc vox Joannis est : *Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III, 29).

CAPUT XV. — *Ex libris Ethnicorum.* Sufficiunt vobis ista, o Judæi, sufficiunt vobis tanti testes, testimonia ex Lege vestra, ex gente vestra? An adhuc impudenti animo [1] audebitis dicere, quod alterius gentis vel nationis homines Christo deberent testimonium perhibere? Sed si hoc dicitis, respondet quidem ille vobis, *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Sed sicut vos in Actibus Apostolorum increpat Paulus, *Vobis primum oportuerat annuntiari verbum Dei, sed quia repulistis illud, nec vos dignos vitæ æternæ judicastis, ecce*, inquit, *convertimur ad Gentes* (*Act.* XIII, 46) : demonstremus etiam nos ex Gentibus testimonium Christo fuisse prolatum ; quoniam veritas non tacuit clamando etiam per linguas inimicorum suorum. Nonne quando poeta ille facundissimus inter sua carmina,

> Jam nova progenies cœlo demittitur alto,
> (*Virgil. Eclog.* 4, *vers.* 7.)

dicebat, Christo testimonium perhibebat? In dubium hoc veniat, nisi alios ex Gentibus idoneos testes pluraque dicentes in medium introducam. Illum regem qui vestram superbiam captivando perdomuit, Nabuchodonosor, regem scilicet Babylonis non prætermittam. Dic, Nabuchodonosor, quid in fornace, quo tres viros justos injuste immiseras, vidisti ; dic, dic quid tibi fuerit revelatum. *Nonne*, inquit, *tres viros misimus in fornacem ligatos? Et aiunt ei : Vere rex. Ecce, inquit, ego video quatuor viros solutos deambulantes in medio ignis, et corruptio nulla est in eis, et aspectus quarti similis est Filio Dei* (*Dan.* III, 91). O alienigena, unde tibi hoc? Quis tibi annuntiavit Filium Dei? quæ lex, quis propheta? Nondum quidem mundo nascitur, et similitudo nascentis a te cognoscitur. Unde tibi hoc? Quis tibi istud annuntiavit, nisi quia sic te divinus ignis intus illuminavit, ut cum illic apud te captivi tenerentur inimici Judæi, sic diceres testimonium Filio Dei?

CAPUT XVI. — *Ex Sibyllinis vaticiniis. Vaticinium Sibyllæ.* Sed quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, sicut ipse Dominus confutans vestram contumaciam, *In lege*, inquit, *vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum sit* (*Deut.* XVII, 6 ; *Joan.* VIII, 17) : etiam ex Gentibus tertius testis introducatur, ut testimonium veritatis omni ex parte roboretur. Quid Sibylla vaticinando etiam de Christo clamaverit, in medium proferamus, ut ex uno lapide utrorumque frontes percutiantur, Judæorum scilicet atque Paganorum, atque suo gladio, sicut Golias (I *Reg.* XVII, 50), Christi omnes percutiantur inimici : audite quid dixerit (*a*) :

Ι Judicii signum, tellus sudore madescet.
Η E cœlo Rex adveniet per sæcla futurus.
Μ Scilicet in carne præsens ut judicet orbem.
Ο Unde Deum cernent, incredulus atque fidelis
Υ Celsum cum sanctis, ævi jam termino in ipso.
Μ Sic animæ cum carne aderunt, quas judicat ipse.
Χ Cum jacet incultus densis in vepribus orbis.
Α Rejicient simulacra viri, cunctam quoque gazam.
Π Exuret terras ignis, pontumque, polumque
Ι Inquirens tetri portas effringet Averni.
Μ Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
Η Tradetur, sontes æternaque flamma cremabit.
Ο Occultos actus retegens, tunc quisque loquetur
Μ Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.
Φ Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.
Β Eripitur solis jubar, et chorus interit astris.
Ο Volvetur cœlum, lunaris splendor obibit.
Υ Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
Ν Non erit in rebus hominum sublime vel altum.
Ο Jam æquantur campis montes et cærula ponti.
Μ Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
Μ Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.
Ω Sed tuba tunc sonitum tristem demittet ab alto
Ρ Orbe gemens facinus miserum variosque labores,
Η Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
Π Et coram hic Domino reges sistentur ad unum.
Σ Recidet e cœlis igniscque et sulphuris amnis.

Hæc de Christi nativitate, passione et resurrectione, atque secundo ejus adventu ita dicta sunt, ut si quis in græco capita horum versuum discernere voluerit, inveniat Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ : id est, Jesus Christus Dei Filius Salvator. Quod et in latinum translatis eisdem versibus apparet, præterquam quod græcarum litterarum proprietas non adeo potuit observari.

Alios versus Sibyllinos Christi passionem apertius

[1] Mss., *impudentia animi.*

[1] Edit., *Filius Theos.* Emendantur ex Mss.

(*a*) Vid. lib. 18 de Civit. Dei, cap. 23.

demonstrantes, intentissime audite (*a*) :

In manus iniquas infidelium postea veniet.
Dabunt autem Deo alapas manibus incestis.
Et impurato ore expuent venenatos sputus.
Dabit vero ad verbera simpliciter sanctum dorsum.
Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat
Quod Verbum, vel unde venit, ut inferis loquatur.
Et corona spinea coronabitur.
Ad cibum autem fel, et ad sitim acetum dederunt.
Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam.
Ipsa enim insipiens tuum Deum non intellexisti,
Ludentem mortalium mentibus [1], sed spinis
Coronasti, et horridum fel miscuisti.
Templi vero velum scindetur, et die
Medio nox erit tenebrosa nimis tribus horis.
Et morte morietur, tribusque diebus somno suscepto,
Et tunc a mortuis [2] regressus ad lucem veniet.
Primus resurrectionis initium revocatus ostendet [3].

CAPUT XVII. — *Testimonia ex cœlo, ex mari, ex terra, ex infernis.* Credo jam vos, o inimici Judæi tantis testibus ita obrutos confutatosque, ut nihil ultra quærere debeatis : qui ipsi veritati nimia insipientia vel potius amentia, cum omnia nosse tis quæ de Christo essent dicta atque conscripta, inverecunda fronte dicebatis, *Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum* (*Joan.* VIII, 13). Veruntamen ut divinæ majestatis veritas lucescat, supra tot testium præclaras voces, suo Creatori universa creatura testimonium se dixisse proclamet. Nonne cœlum testimonium dixit, quando novum sidus in nova hominis progenie, velut lingua et digito, quo potuit, natum Deum hominem gentibus demonstravit? Nonne mare testimonium dixit, quando oblitus quodam modo naturæ suæ liquidus humor, soliditate suscepta, sui Domini portavit impressa vestigia : ut impleretur illud quod dictum est, *In mari est via tua et semitæ tuæ in aquis multis* (*Psal.* LXXVI, 20)? Quod elementum servum Christi supra se ambulare cupientem, ut demonstraret quantum interesset inter creaturam et Creatorem, labili unda Petrum absorbuisset, nisi Dominus rerum, mergenti Petro manum porrexisset (*Matth.* XIV, 31). Nonne terra testimonium dixit, quando ejus conspersa saliva, ex ea cæci nati oculos inungens, lumen non videnti restituit [4] (*Joan.* IX, 7) : et fabrica quod minus habuit, ex limo terræ artifex reparavit, qui totum hominem de terra ante formavit (*Gen.* II, 8)? Nonne inferna Christo testimonium perhibuerunt, quando jure suo perdito, Lazarum quem dissolvendum acceperant, integrum per quatriduum reservarunt, ut incolumem redderent, cum vocem Domini sui jubentis audirent (*Joan.* XI, 43)? Quid in ipsa ejus passione, nonne contra vestram impudentiam ferocemque amentiam ipsam quodam modo publicam lucem testem citabo? Sicut putabatis, homo tantum a vobis interficiebatur Christus : quod et si tantum esset, vobis parcere debuistis, ut manus veteras alienas redderetis a sanguine innocentis. Quæ cæcitas infusa est cordibus vestris, ut nec illa vos tanta deterreret medio die solis obscuritas, et inter ejus radios claros amputata lux? Nox recondita in diem [5] : imo nox usurpavit diem, nec cursum sui ordinis natura servavit; sed obtenebratur cœlum, luget terra, velum templi conscinditur, petræ scinduntur, inferna reserantur (*Matth.* XXVII, 45, 51, 52), omnis pene creatura expavescit mortem Christi. Nec tamen in his tantis aperti sunt oculi cordis vestri. O Judæi, dæmones qui vestra corda possederunt, dixerunt, *Scimus qui sis; quid venisti ante tempus perdere nos* (*Marc.* I, 24)? et vos, *Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum* (*Joan.* VIII, 13)!

CAPUT XVIII. — *Ex eventu.* Sed non intelligentes actiones vestras, egistis causas nostras. Denique nostræ saluti militavit vestra malitia : ille enim qui ad hoc venerat ut pro nobis moreretur, insanis voces, *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 21), clamantium ut homo non expavit, quia ut Deus eas ante prævidit. Quantum laborastis, ut discipulum Judam pecunia corrumperetis (*Matth.* XXVI, 15), et a malo venditore mali emptores Christum non possidendum compararetis, nundinas malas agentes animæ vestræ, quando fundebatis pretium salutis nostræ? Quantum laborastis, ut judicem a vestro scelere manus lavantem, calumniis, Cæsaris nomine opposito, opprimeretis, ut id impleret quod fieri volebatis (*Id.* XXVII, 24)? Quantum laborastis, ut Christus occideretur, et latro dimitteretur (*Ibid.*, 20-26)? Quantum laborastis, ut Christus contumelias pateretur, spinis coronaretur (*Marc.* XV, 17), in ligno suspenderetur, lancea perfoderetur (*Joan.* XIX, 34)? Quantum clamastis, quantum sudastis, quantum laborastis? Sed omnis iste labor vester, fructus est noster. Denique a vobis Christus occiditur, nobis resurgit : a vobis in ligno suspenditur, clavisque confixus in cruce detinetur, et a ducibus nostris discipulis suis in medio eorum clausis januis invenitur (*Id.* XX, 19). Pecunia milites corrumpendo Christi resurrectionem opprimere voluistis (*Matth.* XXVIII, 12, 13). et ecce ejus resurrectio toto mundo jam celebratur, et quod dedistis, totum perdidistis. Implere non potuistis quod voluistis : audite jam quod audire non vultis. Die tertio a mortuis resurgens, assumptus in cœlum, sedet ad dexteram Patris (*Marc.* XVI, 19; *Luc.* XXIV, 51) : dispersit vos per universas terras, ut ubique prophetias de ejus nativitate, passione, resurrectione, ascensione, quæcumque dicta sunt, vos perferatis, atque lucernam Legis, tanquam lignea candelabra sensu carentia, gentibus ministretis. Quod propterea factum esse cognoscite, ne gentes hæc omnia quæ aguntur, dum prædicantur, a nobis dicerent fuisse conficta. Hanc etiam ipsam vestram dispersionem fuisse prædictam, David propheta declarat dicens : *Ne occideris eos, ne quando obliviscantur legis tuæ, sed disperge eos in virtute tua* (*Psal.* LVIII, 12). Dispersio ergo hæc vestra testimonium perhibet Christo, cui dixistis, *Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum* (*Joan.* VIII, 13) : ut ex vestro testimonio inimicorum, alii inimici confundantur, qui Christum magicis artibus fecisse dicunt quæcumque fecit miracula. Nam et hoc quod mortuus colitur, magicæ potentiæ deputandum esse contendunt. Proferte codices propheticos, o Judæi Christi inimici, ut ex ipsis alii Pagani convincantur inimici. Prophetas longe antequam nasceretur ante se præmisit, qui omnia quæ superius diximus, prædixerunt. Hinc jam judicate qui recta sapitis : numquid si magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, magus erat antequam natus [1]? Confundimini, corrigimini qui talia de Christo vel sentitis, vel creditis, vel dicitis. Confundimini et vos, Judæi, qui lucernam Legis in manibus habentes, aliis lumen præbetis, et vos in eam intendere non curatis, sed exspectatis quidem et vos ut veniat qui venturus est. Et veniet; sed non sicut vultis veniet : veniet excelsus ille qui a vobis interfectus est, nullius criminis reus; manifestus veniet Deus, et videbitis judicantem, quem contempsistis, miracula facientem. Qualis erit tunc vestra conscientia, cum vobis ille nullam jam exhibebit patientiam, quia vos invenit in anima mortuos, qui venturus est judicare vivos et mortuos?

CAPUT XIX. — *Contra Arianos.* Credimus in Spiritum sanctum, quem nos credimus Deum, æqualem Patri et Filio, manentem in Patre et Filio, inseparabilem a Patre

[1] Mss., *sensibus.*
[2] Mss., *ab inferis.*
[3] Mss., *Primus resurrectionis principio revocatus ostenso.*
[4] Quidam Mss., *exhibuit.*
[5] Mss., *Nox respondit in diem.*
(*a*) Ut in superioribus, ita et in his versibus sequimur veteres codices, a quibus longe recedebant editi.

[1] Sic Mss. juxta Augustinum, libro I de Consensu Evangelistarum, cap. 11. At editi, *magos miserat antequam natus.*

et Filio, regnantem cum Patre et Filio. Trinitas una, et tertia in unitate persona Spiritus sanctus, qui operatur omnia in omnibus. Hunc et Ariani blasphemantes, Patre Filioque volunt esse minorem. Nec eorum errorem ille evangelicus revocat timor dicens, *Si quis dixerit verbum in Filium hominis, remittetur illi : si quis autem dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur illi, nec hic, nec in futuro sæculo* (*Matth.* XII, 32). Quid est, Ariane? sentisne quo progressa fuerit immanitas tua? Dicis verbum in Filium hominis, quia secundum divinitatem Filium Dei asseris esse minorem. Dicis verbum in Spiritum sanctum, in ipsa illa individua unitate etiam Filio esse minorem. Dicendo tale verbum de Verbo, tale verbum de Spiritu sancto, non remittuntur nec hic nec in futuro sæculo peccata tua, et tu rebaptizando polliceris dimittere aliena? Nos donum Spiritus sancti agnoscimus esse remissionem omnium peccatorum, suffragante nobis ipsa Veritate ; quæ post resurrectionem suam ait discipulis suis, *Accipite Spiritum sanctum ; si cui remiseritis peccata, remittuntur illi* (*Joan.* XX, 23). Vos autem sacrilego ausu, quibus jam Christus dono Spiritus sancti per Baptismum et originalia et propria cuncta demisit omnino peccata, in jam baptizatis exsufflatis Christum, respuitis Spiritum sanctum ; et renatum non abluere, sed sordidare ; non liberare, sed obligare ; non vivificare, sed mortificare contenditis. Nec mirum si has ruinas quotidie fabricatis, qui petram integram Christum in fundamento habere noluistis. A vestro errore separat Veritas filios suos; quos sic fovet ut nutriat, non sicut tu blandiendo decipit ut occidat.

CAPUT XX. — *Resurrectio.* Apud Catholicam, dilectissimi, noveritis tantum esse veram fidem, germanam pacem, perpetuam salutem. Non enim in angulo est, sed ubique tota est. Si quis ab ea discesserit, atque hæreticorum se errori tradiderit, ut fugitivus servus judicabitur, non ut filius adoptivus : nec ad vitam æternam resurget, sed potius ad damnationem. Quoniam bonis malisque promittitur resurrectio : *Omnes quidem resurgemus*, ait Apostolus, *sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* XV, 51). Et quid prodest, fratres mei, resurgere, et non immutari? Qui enim in illa vita non fuerit immutatus, a justo judice invenitur esse damnatus. Damnatus autem æternam non consequitur vitam, qui de adversario diabolo victricem noluit[1] accipere palmam. Quid enim prodest, dilectissimi, quod non illis vinculis in idolorum cultu quempiam diabolus tenet, et visco hæreticorum captum detentumque possidet? Qui vult ad æternam vitam pervenire, contra omnes diaboli laqueos debet fortiter invigilare. Non enim qualis est ista vita, ita invenietur et illa.

CAPUT XXI. — *Differentia temporalis vitæ et æternæ.* Quantum autem distat inter hanc et illam, debet nosse Charitas vestra. Hic falsitas, ibi veritas : hic perturbatio, illic fida possessio : hic pessima amaritudo, illic sempiterna dulcedo : hic periculosa elatio, illic secura exsultatio : hic timetur ne qui erat amicus, efficiatur subitò inimicus ; illic semper manet amicus, quia nullus illuc admittitur inimicus : hic quidquid est bonum, timetur ne pereat ; illic quidquid acceperis, ab illo servabitur qui facit ut nec tu transeas, et quod acceperis non amittas : hic mors, ibi vita : hic luctus, ibi gaudium : hic omnia quæ creavit Deus, illic ipse pro omnibus et in omnibus Deus : et quæ digna dicuntur, si tamen aliqua dicuntur. Non enim sufficit humana lingua laudare, quod sensus mortalium non valet comprehendere. Veniemus illuc, fratres mei ; et ibi videbimus quod oculus hic non vidit, ibi audiemus quod auris hic non audivit, ibi intelligemus quod cor humanum comprehendere hic non valuit (*I Cor.* II, 9), videntes fruentesque exsultabimus inenarrabili gaudio (*I Petr.* I, 8). Et quale gaudium erit, ubi nullus timor erit? Quale gaudium erit, cum te videris socium esse Angelorum, participem regni cœlorum, regnare cum Rege, nihil concupiscendo omnia possidere, sine avaritia divitem, sine pecunia administrantem, sine successore judicantem, sine metu Barbarorum regnantem, sine morte in æterna vita viventem?

CAPUT XXII. — *De via ad patriam.* Sed ut ad ista veniamus, viam tutissimam quæ illuc perducit non dimittamus. Quæ est hæc via? Christus ex toto se, ex capite et ex corpore. Ex capite, æqualis Filius, in manente manens : ex corpore minor, viam istam ut gigas velociter transiens (*Psal.* XVIII, 6). Caput et corpus, Christus et Ecclesia. Nec ab illo separemur, aliquid aliud de illo, sicut hæretici, credendo ; nec ab ista, pravis nostris moribus declinando. Hæc est mater vera, pia mater et casta, intrinsecus sui viri dignitate ornata, non forinsecus mendacio fallente turpiter colorata. Non vos ab ista matre nomen confictum seducat alienum, non vos Ecclesiæ species aliena decipiat. Sponsa Christi non est quæ virum suum non cognoscit : turpis est quæ tanti viri speciem suis sermonibus fuscare contendit : frustra sibi Ecclesiæ nomen imponit. Video equidem te, o spelunca subdola[1], decipiens, quia decepta : video quidem quod apes formam tuam sub specie aliena. Quid te componis? quid tantum te exornas? quid fimbrias tuas expandis? quid te contra veram sponsam æquare contendis? Non te recipit sponsus, quia non es sponsa. Sed pulchram te esse dicis, et de auro atque ornamentis plurimis gloriaris. Respondet tibi sponsus, respondet tibi speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3, 4) : *Species fornicariæ facta est tibi, irreverens facta es in omnibus.* Quod si dixeris, Quare? Respondet, Quia sub specie sponsæ componis te, et mentiris sponsum tuum esse me. *Species fornicariæ facta est tibi, irreverens facta es in omnibus.* Non sicut Patrem appellasti me : *Ego enim et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Non sicut Patrem appellasti me, et principem virginitatis tuæ (*Jerem.* III, 3, 4). Verba sunt Christi per prophetam. Si enim ego essem princeps virginitatis tuæ, servarem integritatem tuam, sicut integram servavi matrem meam. Quia ergo nec principem virginitatis tuæ, nec Patri me agnoscis æqualem, nec ego te agnosco virginem. Noli te amplius jactare esse quod non es : agnosce turpitudinem tuam : Arius abstulit integritatem tuam. Non es igitur sponsa, quia non es integra. Frustra enim illum sponsum vocas, qui non est tuus : turpem enim viduam non accipit Christus. Redi, redi repudiata, redi confusa, redi serpentinis fraudibus violata ; redi, non in divinitate cœlesti composita, sed humanis assertionibus circumventa, redi : fallere temetipsam potes, fallere sponsum non potes. Novit enim ille quam quærit, agnoscit ille quam vocat. Semper vivit mater : noverca, quid te supponis? Non potes excludere pulchram dominam, cum sis ipsa turpis ancilla. *Species fornicariæ facta est tibi.* Non enim servasti uni viro fidem, quæ catholicam non tenes unitatem. Ille enim sponsus matrem quærit veram, quæ pie suos filios nutriat ; non turpem, quæ alienos fraudulenter occidat. Vide quæ est hæc mater vera, quæ adhuc te tolerat suos filios præfocantem, suo viro injurias irrogantem. Tolerat, quia patientiam exhibet sui sponsi, et exspectat auras libertatis, ut vindicetur ab eo ejus humilitas, quoniam eam viri sui obtinet chari as. Ipse est enim qui vivit et regnat cum Deo Patre et cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Am. Er. et quidam Mss., *non valuit.*

[1] Editio Am., *frustra sibi Ecclesiæ nomen imposuit Judæo spelunca subdolosa.* Editio Er., *frustra tunc Ecclesiæ nomen imponet, Judæa specie subdola.* Editio Lov., *frustra tibi Ecclesiæ nomen imponis, Judæa subdola.* Castigantur ex Mss. Porro *spelunca* hic Arianorum Ecclesia vocatur, ut etiam in superiore tractatu, cap. 7.

DE ALTERCATIONE
ECCLESIÆ ET SYNAGOGÆ
DIALOGUS (*a*).

Duarum matronarum vobis censoribus causam videor suscepisse : utraque negotia magnis lateribus panditurus, ut quidquid ex judicio vestro veritas expostulata diremerit, id una de duabus observet. Idcirco in hoc cœtu vestro jus recito, tabulas offero. Lege agatur, quia de possessione contentio est : et revolvere imperiali sanctione sententias non morabor, ut quidquid veritatis ordo perspexerit, juxta legem divinitus datam consessus vestri sententia promulgetur. Una quibusdam temporibus adulterio deprehensa possessionis nostræ præcoqua pervasione jura temeraverat : alia merito castitatis per sententiam donatoris, possidentem illam quæ auribus vestris videtur exacta, nonnulla apud sæculum prius clandestina fraude privaverat : redhibitione compellitur quotidie reddere ; et adhuc quantum reddiderat debet. Totum enim, quidquid possessioni defenderat, abjuramus. Ergo si causæ faciem, si frontem parabolæ vultis audire : Gentes hæreditatem nostram, possessionem, et terminos terræ nobis augustali jure concessam, potens quondam, dives auro mulier Synagoga pervasit. Mox supplicavimus, preces retinemus in manibus, introductio protinus fundi, habita possessio in nostro jure consistit. Resolvi nolumus tamen, quidquid ornamentorum mulier inquieta pervasit. Quæ cum postularetur ut redderet, lentius quam deberet exsolvit. Nunc ergo ad hanc matremfamilias et viduam, nostra materfamilias, hoc est ad Synagogam,

Ecclesia dixit : Recita quid meruerit, et ego quid meruero, recitabo.

Synagoga respondit : Prophetæ ad me omnes venerunt, quod tu diffiteri non poteris.

Ecclesia dixit : Certum est quod Prophetæ, dum ad te veniunt, remorandi pro tempore velut ad hospitam cucurrerunt : nam probo eosdem sponsi mei juvenes metatores, scilicet Christi gerulos litterarum, mandatorum etiam portitores, invidiæ causa a te fuisse interfectos. Numquid si ad te venissent, a te quispiam eorum potuisset occidi ? Sed quia ad me veniebant, causa zeli homines meos recipi cum non sustineres, gladio et fustibus affecisti.

Synagoga respondit : Etiam si istud quod asseris feci, recte et honeste peccavi : quia ego regem noveram, cujus litteras frequenter acceperam : et tu silvicola quærebaris, quæ Barbarorum ritu, rure, collibus, intra invia vel secreta agresti quondam tugurio commanebas. Nam quid te aliquando rusticius fuit ? Tu cum gentibus, cum quibus ego sæpe pugnavi, pastorali more balantia, credo, pecora sequebaris : ego sceptro et legionibus fulta, apud Jerosolymam purpureo amictu regnabam ; ego Romanum possidebam imperium ; ego reges, milites, et alienigenarum gentium duces occidi : mihi Persa et Indus aurum, gemmas, cbur, argentum et sericum, totasque opes advexit : tu montana, rustica, apta pecoribus ; tu pressis in vallibus tantum diversabare sollicita ; tu ex vasta rupe condensior [1], cui rimosus lapis timidum quondam præstabat hospitium, lac de caseo, vaccinia cum glande mandebas : ego Pharaonem in suis curribus, ego Ægyptios, ego Chananæos, Jebusæos, et Cethæos, et Pheresæos reges occidi.

Ecclesia dixit : Recognosco quæ loqueris, et laudes tuas diffiteri non possum. Scio quia urbis tuæ et ambitiosa fora et Capitolia celsa vidisti : armorum tuorum impressio, et fulgentia clypeorum signa, spicula, enses, jacula missorum telorum, expressus equestrium exercituum gemitus, magnos ornatus duces et tyrannos stravit. Scio potentiam tuam, quam Jerosolyma illa pompatili fastu ructuabat. Scio enim quia tibi quondam Romanus orbis intremuit, et terra gentium palpitavit. Sed memor esse debes quid propter unam mulierem Dinam feceris in Sichem : imbelles homines, et innocentiæ suæ honore fulgentes, latronum ritu vastasti (*Gen.* xxxiv, 26).

Synagoga respondit : Potestas regni permissæ libertatis accepit audaciam. Numquid in eo peccasse me credis, si sub imperio meo maculavi quos volui, aut meos forsitan rebelles occidi ? Qui potestatem regnandi dederat, faciendi utique quidquid vellem indulserat dignitati. Aut dic mihi : si legem non habet qui proprio regnat imperio, et qui possidet totum, necesse est ut regni potentiam quocumque volet extendat.

Ecclesia dixit : In eo gaudeo me sublimatam, quod celsis celsior sum facta, et regna regnantium disjeci : et ecce sub pedibus meis purpurata quondam regina versaris. Ille est enim rex regum, qui eidem imperare cœperit, quæ se viderit aliquando regnasse. Regnasti, fateor : Romana tibi terra subjacuit, reges et principes ecciderunt ; et si quando conflixeras, captivus hostis succubuit. Noli irasci, si tu quæ fueras domina, mihi facta videaris ancilla.

Synagoga respondit : Quia te tanto præconio declarasti, proba ancillam, et dominam recognosco.

Ecclesia dixit : Habeo tabulas, recito testamentum, quod scriba quondam tuus vates scripsit, et Aaron magistratu præsente signavit.

Synagoga respondit : Scio Testamentum sub regno meo conscriptum, sed volo discere ubi me dictator voluminis servire mandavit.

Ecclesia dixit : Lege quid Rebeccæ sit dictum, cum pareret : *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo dividentur, et populus populum superabit, et major serviet minori* (*Id.* xxv, 23). Certe majorem te paulo ante dixisti regnasse, triumphasse, sceptrum tenuisse, purpuram possedisse ; me minusculam vallibus delituisse quondam, vel in collibus habitasse saxorum : te auro, ornamento, bysso, serico, gemmis claruisse nobilibus ; me minorem pecorum lacte vixisse. Ego oves et pecora, tu militem possidebas. Inde est quod ego minor atque pauperior, tu major et dives subjugata mihi, eligas [1] populo servitura minori.

Synagoga respondit : Recognosco titulum Testamenti, video litteras quas ipsa in thesauro meo et in bibliotheca servavi. Sed dicito mihi, quomodo tibi servio, quæ adhuc filios meos liberos esse recognosco. Vacant negotiis, navigandi potestas est libera, compedes nesciunt, nullus vineam laboriosæ necessitatis fossura discerpit, nescio an tibi sim servitute subjecta.

Ecclesia dixit : Testamentum recolis, apices recognoscis, et adhuc non recipis servitutem !

Synagoga respondit : Dic tu mihi quod asseris. Recognosco Moysen, audio, et refugere non possum : sed qualiter tibi serviam scire non possum.

Ecclesia dixit : Mutare te non potes ; semper negas et fallis, semper de falsitate contendis. Certe regnasse te ante dixisti, cum populus Israel locum tenuisset imperii [2]. Si adhuc regnas, liberam te esse cognosco, et necdum mihi servitute subjectam. Alioquin si recto populo Israel christianus populus regnat, constat te

[1] Forte, *condensaque* ; aut, *contemptior*.

[1] Forte, *degas*.

[2] Alias, *latum tenuisset imperium*.

(*a*) Nihil habet phraseos Augustinianæ. Auctor videtur aulicus aut jureconsultus quispiam fuisse.

ancillam esse, non liberam, quam video servituti subjectam. Respice in legionibus signa, nomen Salvatoris intende, christicolas imperatores adverte, et considera te de regno esse discussam : et nobis juxta Testamenti fidem quod servas, confitere : tributum mihi solvis, ad imperium non accedis, habere non potes præfecturam. Judæum esse Comitem non licet ; senatum tibi introire prohibetur ; præfecturam nescis ; ad militiam non admitteris ; mensas divitum non attingis ; charismatis ordinem perdidisti : totum tibi non licet ; cui etiam ad manducandum, ut vel male vivere res, paucula condonamus. Ergo si iis quæ summa, quæ prima sunt, caruisti, lege quid Rebeccæ sit dictum, cum geminos pareret : *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo dividentur, et populus populum superabit, et major serviet minori.*

Synagoga respondit : Quid tamen feceram, ut me divinitas de regno discuteret, et privaret imperio?

Ecclesia dixit : Si tu ut graviter peccasti, tam gravis pœna sit servitutis sub interitu mortis debitæ, nec ancilla potes esse, nec libera. Nam cum primum Moyses in monte Sina charaxatas (*a*) decalogo duplices tabulas accepisset, vos contra Deum idola poposcistis, dicentes ad Aaron : *Fac nobis deos qui nos antecedant* (*Exod.* xxxii, 1).

Synagoga respondit : Hic me miseram errasse cognosco : sed mox eos qui idola poposcerunt, usque ad ultimam mortem damnationis pervasit interitus. Quid ergo posteri fecerunt, si mox illi seniores qui istud admiserant, pœnæ suæ merita susceperunt?

Ecclesia dixit : Certum habeo quod legisti : sed quæ legeris retinere non poteris, et ipsum agnosco. Sed recole scriptum, *Et annuntient filii filiorum suorum, quoniam peccata parentum eorum in filiis creverunt, et non laxabo illis, dicit Dominus* (*Jerem.* xxxii, 29). Et alibi ait, *Parentes uvas acerbas manducaverunt, et filiis dentes stupuerunt* (*Ezech.* xviii, 2).

Synagoga respondit : In quo tibi plaudis, sub cujus regno imperium tenes, prius ad me, vel in populo meo Christus advenit.

Ecclesia dixit : Sic erat dignum, ut totum quidquid fuerat astruendum, divina sapientia præveniret. Si enim ad me Christus principaliter advenisset, et te sub adventu ipso primæ nativitatis repudiare voluisset, hodie diceres, Non venit ad me, nescivi quid colerem ; nam si et in populo meo dignatus fuisset accedere, quem Prophetæ Deum dixerant, confiterer. Ad te venit, mortuos tuos virtutum imperio suscitavit, loquaces præstitit mutos, gressibus reddidit claudos, cæcos oculavit, paralyticos absolutis artubus expedivit, leprosos sanitati restituit : et non esse Deum, quem Deum legeras, profana mente dixisti. Idcirco, quia dixisti Salvatorem et Dominum prius ad te venisse recolo, et elogio tuo cursus contendo. Lege quid tibi Esdras ex persona Salvatoris scripsit : *Ad meos veni, et me mei non receperunt. Quid tibi faciam, Jacob? Noluit me audire Juda, transferam me ad alteram gentem* (IV *Esdr.* i, 24). Unde vides te non debere gloriari quod videris Christum. Major enim causa criminis est videre cui servias, et contemnere cui debeas servitutem. Defenderes forsitan te, si diceres, Non novi Dominum, nescivi Prophetas fuisse mentitos. Attamen et Prophetæ dixerunt, et ipsum Dominum quem Prophetæ cecinerant, cum suis mirabilibus agnovisses, et miserabili refutatiuncula blasphemasses: vides te sub tanti criminis reatu excusare non posse.

Synagoga respondit : Dixerant quidem Prophetæ esse venturum, sed unctum Dei, sed puerum sanctum de virgine. Unde an ipse Dominus venire velit, penitus ignorabam.

Ecclesia dixit : Recte ergo Isaias ait, *Vade et dic populo isti, Aure audietis, et non intelligetis ; et videntes videbitis, et non cognoscetis. Incrassavit enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos claudierunt, ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et revertantur, et curem illos* (*Isai.* vi, 9). Nam et Jeremias ait, *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, effoderunt sibi lacus detritos, et non potuerunt aquam portare* (*Jerem.* ii, 13). Et quid adjecit idem propheta? *Milvus cognovit tempus suum; turtur et hirundo, grues, passeres custodierunt tempora introitus sui : populus autem meus me non cognovit* (*Id.* viii, 7). Nam et in Salomone credo quod legeris, qui ait, *Quærunt me mali, et non inveniunt : odio enim habuerunt sapientiam, sermonem autem Domini non receperunt* (*Prov.* i, 28, 29). Vides ergo te Deum Dei Filium blasphemis oculis et profano pectore rejecisse. Ergo si legis Isaiam, legis Prophetas, Deum Christum frequenter audisti : sic enim ait, ut tibi et de virgine, et de filio, sicuti ipsa dixisti, respondeam : *Pariet virgo filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus* (*Isai.* vii, 14). Et David ait, *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus* (*Psal.* xliv, 8). Et in Genesi sic ait : *Et fecit Deus hominem ad imaginem suam* (*Gen.* i, 27).

Synagoga respondit : Nolo te in tanto plausu efferant lectiones ; sed ad illud convertere, quod mihi arbitror profuturum. Respice te nec Legem accepisse, nec circumcisionem meruisse, in quo signo Gentilitas segregatur. Inde est quod et signum meum habeo, et legem quam Moyses protulit, non amitto.

Ecclesia dixit : Legem te accepisse testaris, sed legem Veteris Testamenti : ego autem Evangeliorum novam legem accepi. Et ut scias veterem novitate compressam, lege Isaiam qui tibi ait : *Illa vetera transierunt, ecce facta sunt nova, nunc orientur* (*Isai.* xliii, 19). Nam quod dicis te in salutem populi circumcisionis signaculum accepisse, hodie probo stultitiam tuam fuisse deceptam. Si ergo per circumcisionem æternitas donabatur, vides te caput accepisse, non pedes, et uno oculo vel una manu fuisse truncatam ; mediam vixisse, et mediam fuisse emortuam. Nam si dicis populum tuum in signo tuæ passionis esse salvandum, quid facient virgines tuæ, quid facient viduæ, quid matres etiam Synagogæ, si circumcisionis signum populo ad æternam vitam profecisse testaris? Ergo Judæas feminas habere non decet ; viri enim circumciduntur, mulieres autem præputium non admittunt : ergo salvæ esse non possunt, si circumcisione salvamini. Vides ergo te viros, hoc est circumcisos habere posse Judæos ; mulieres autem, quæ circumcidi non possunt, nec Judæas, nec Christianas, sed paganas esse profiteor. Audi, doceo te clarissime circumcisionis insignia, quam circumcisionem si accipere potuisses, nunquam prodigium de regno perpeti cecidisses. Respice quod Jeremias ait : *Hæc dicit Dominus viris Judæis qui habitatis in Jerusalem, Renovamini inter vos novitate, et ne seminaveritis in spinis : circumcidite vos Deo vestro, et circumcidite præputium cordis vestri* (*Jerem.* iv, 3, 4). Quod et ipse Moyses ait, quem tu similiter sequebaris, licet mihi mandata portaret : *Erit*, inquit, *in novissimis diebus, circumcidet Deus cor tuum, et cor seminis tui ad Dominum Deum tuum amandum* (*Deut.* xxx, 6). Et apostolus Paulus ait, *Circumcisi estis circumcisione non manu facta, non in exspoliatione carnis, sed in circumcisione Christi* (*Coloss.* ii, 11). Quid ad hæc dicimus, Synagoga? Ecce non carnis, sed cordis circumcisio mandabatur, scilicet ut vitia cordis incideres, ut libidinem desecares, ut idololatriæ caput auferres, ut tunicam fornicationis scinderes. Quia ait propheta, *In lapide mœchata es et in ligno* (*Jerem.* iii, 9). Vides ergo te non accepisse in signum salutis circumcisionem, sed in signum potius pudoris et turpitudinis. Nam putas signum esse quod vestitu tegitur, quod præ verecundia non profertur, quod uxori tantummodo debitum esse cognoscitur ; quia officina et mulieres tuas depilato capite ac decalvato in asinis sæpe vidi damnatas? Utique si signum salutis est illud quod adulteram stupravit, quod virginem vitiando compressit ; mulier quæ de circumcisionis salute sibi turpiter lusit, damnari non debet ;

(*a*) Ex græco, *charattô*.

nec ille puniri, qui adulteram de salutifero circumcisionis signo compressam vel in mortem rejecit. Nescio an illic signum salutis esse potuisset, unde facinoris admissa damnantur. Populus autem meus signum salutis in fronte gestando, totum hominem, viros ac mulieres, de alto signaculi, casta de sublimibus et publica libertate defendit.

SYNAGOGA respondit : Vellem addiscere ubi signum frontis acceperis, vel quis propheta signum istud quod dicis, hoc est signum frontis, signaculo sanctificationis inciderit.

ECCLESIA dixit : Habes Ezechielem prophetam, qui ex præsentia majestatis exclamat : *Ite et cædite, et nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri senioribus; juvenes, virgines, parvulos et mulieres interficite usque ad internecionem : omnem autem super quem signum scriptum est in fronte, ne tetigeritis* (*Ezech.* IX, 5, 6). Idem quoque ipse propheta sic ait : *Vade per mediam Jerusalem, et notabis signum super frontem virorum, qui ingemiscunt et mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum* (*Ibid.* 4). Item in Apocalypsi : *Vidi Agnum stantem in monte Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, et habebant nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis* (*Apoc.* XIV, 1). Vides ergo signum mihi datum, et insigne crucis, quam, dimissa te atque derelicta, passio Salvatoris ornavit.

SYNAGOGA respondit : De signo frontis interrogata, crucis signaculum proposuisti, quasi vero antequam Salvator venerit, vates antiquissimi insignia prædicaverint. Et ideo dicito mihi, si legisti quod Christus passurus esset, et in cruce penderet.

ECCLESIA dixit : Audi, Synagoga, et non ut docearis, sed ut puniaris, adverte legem, et invenies ubi Salvator manibus extensis crucem figuraliter prophetavit. Et sic enim Isaias ex persona Salvatoris ait : *Expandi manus meas tota die ad plebem contumacem et contradicentem mihi, quæ ambulavit vias non bonas, sed post peccata sua* (*Isai.* LXV, 2). Nam et Jeremias ait : *Venite, mittamus lignum in panem ejus* (*Jerem.* XI, 19). Et in Deuteronomio, quia Pentateucho utebaris : *Et erit*, inquit, *Vita tua pendens ante oculos tuos die et nocte* (*Deut.* XXVIII, 66). Sic et Psalmidicus refert : *Exclamavi ad te, Domine; tota die expandi ad te manus meas* (*Psal.* LXXXVII, 10). Nam in Numeris, hoc est, in Lege tua, quam tu prior acceperas, quod Christus suspensus esset et in cruce penderet, sic ait : *Non quasi homo Deus suspenditur, neque quasi filius hominis minas patitur* (*Num.* III, 19). Et alibi propheta ait : *Dominus regnavit a ligno* (*Psal.* XCV, 10). Ecce miracula passionis, ecce speculum lucis, ecce populi tui iniqua commenta, ut Deum Dei Filium in crucem suspenderent.

SYNAGOGA respondit : Facta recolo, et dicta similiter recognosco, sed quæ tu es quæ me increpare videaris? Tu rustica, tu aliquando montana, tu Dei legibus aliena, quæ gentilico more vivebas : ego in lege versabar, ad me Prophetæ venerunt, mihique jussa et præcepta portabant.

ECCLESIA dixit : Audi, Synagoga, audi vidua, audi derelicta : ego sum quod tu esse non potuisti, ego sum regina quæ te de regno deposui, ego sum sponsa quæ derelictis idolis, de silva et de monte descendi : ut ait Patriarcha tuus, *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni quem benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII, 27). Unde venis virgo cum lacte, cum floribus intemerata juvencula, opaco de nemore, civis simplex, læta, pallio nivali composita? Sponsus meus speciosus præ filiis hominum, rex regum, qui caput meum mitra composuit, ac me protinus purpuravit, venientem excepit.

SYNAGOGA respondit : Qualiter istud poteris comprobare, quod et tu sponsa sis, et Christus in Lege videatur sponsus?

ECCLESIA dixit : Si ad me principaliter Prophetæ cucurrissent, hodie diceres ignorasse Legem, non habuisse Prophetas, nescire te quid esset scriptum. De tuis igitur Prophetis revincendam te recognosce. Audi ergo quid Prophetæ de sponso et sponsa mandaverint. Nam sic Joel propheta ait : *Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, et indicite orationem, aggregate populum, sanctificate Ecclesiam, exciplte majores natu, colligite parvulos et lactentes : procedat sponsus de cubiculo suo, et sponsa de thalamo suo* (*Joel* II, 15, 16). Nam certum habeo quod tu illa es Jerusalem, de qua et sponsus et sponsa, ut ait David : *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam. A summo cœlo egressio ejus; et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 6, 7). Et in Apocalypsi Joannes ait : *Veni, ostendam tibi novam nuptam, sponsam Agni. Et eduxit me in spiritu in montem magnum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo, habentem claritatem Dei* (*Apoc.* XXI, 9-11). Sic etiam ipse Joannes ait : *Regnabit Dominus Deus omnipotens; exsultemus et lætemur, demus ei claritatem; quoniam venerunt Agni nuptiæ, et uxor ejus se præparavit* (*Apoc.* XIX, 6, 7). Vides ergo et sponsam et uxorem dictam fuisse per Legem : sponsam, quod spondeo fidem me redditurum Domino salvatori; uxorem, quod per conceptum Baptismi spiritu maritante, filios uteri mei lavacro turgente producam In quo puerperio generationis gratioris, spiritus et anima nuptiali societate junguntur.

SYNAGOGA respondit : Illud scire desidero, ne forte putes me oblitam fuisse quod dixeris, totum ut videar scrutari, quid est quod Prophetam dixisse contendis, quid est quod ait in Deuteronomio, *Et erit pendens Vita tua ante oculos tuos die et nocte* (*Deut.* XXVIII, 66).

ECCLESIA dixit : Non quod te doceam, eloqui vel effari contendo; sed ne taciturnitas dubitationis lineam ducat : ac per hoc de tuo te Testamento convinco. Salvator enim die et nocte pependit in cruce, hoc est, sexta feria per diem, et hujus diei per noctem usque ad sabbatum, quo dixisti juxta Legem hominem in ligno non licere pendere. Hæc tibi interim, ut fecisti, dicta esse videantur : nam ad causam veritatis, et ad dogmatis nodum illud contemplare quod dicimus : *Et erit*, inquit, *Vita tua pendens ante oculos tuos die et nocte.* In una enim die fuit dies et nox. Lucem diei subito tenebrarum horrore nocturna caligo distinxit : sicut Salvator cum suspenderetur in ligno, ab hora diei sexta usque ad horam nonam tenebræ factæ sunt (*Matth.* XXVII, 45), nox lumen abstulit, et totam diem feralis et luctuosa caligo cæcavit. Vides ergo in una die et diem fuisse, et noctem. Merito propter hanc idem passionem in Deuteronomio ait : *Et erit Vita tua pendens ante oculos tuos die et nocte.*

SYNAGOGA respondit : Ergo si in cruce suspensus est, si pependit, si occisus est, quomodo resurrexit? Quomodo tu illum asseris vivere, resurrexisse, et in cœlis in dextera Patris residere? Doce ergo me, si mortem vicit, si resurrexit, qui videtur occisus : ita tamen ut mihi quæ dicis, de Prophetis assignes.

ECCLESIA dixit : Audi, misera; audi, infelicissima; audi, mulier parricida, quæ adhuc de Christi morte, de resurrectione subdubitas. Lege quid dixerit ex persona Salvatoris David in psalmo quinto decimo : *Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Quis est sanctus, nisi Christus? Quis est incorruptus, nisi Filius Dei? Sicut ait in psalmo vigesimo nono, *Domine, deduxisti ab inferis animam meam.* Item in psalmo tertio, *Ego dormivi, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Et idem rursus David ex persona Patris ad Filium ait, *Exsurge, gloria mea, exsurge : exsurgam diluculo* (*Psal.* LVI, 9). Nam, *diluculo*, quod ait, hoc est post diem tertiam, calcata morte inferisque damnatis, reciduat vivus ex mortuis venturus, ut ait Propheta : *Ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia* (*Psal.* XXIX, 6).

Synagoga respondit : Aliud interrogaveram, et aliud immisisti : de resurrectione cognovi, et quod inferos superavit addidici. Sed quoniam dixisti die tertia resurrexisse Dominum Salvatorem, quod an fuerit factum, ignoro.

Ecclesia dixit : Scio quia memor es : sed pœnitentiæ causa non vis confiteri quod nosti. Error macerat conscientiam, et crimen memoriam tollit. Audi ergo Christum ab inferis, ut nos vivificaret, die tertia resurrexisse. Lege Osee prophetam, qui ait, *Vivificavit nos die tertia* (*Osee.* VI, 3). Et in Deuteronomio sic ait : *Dixit Dominus ad Moysen, Descende, et sanctifica populum meum, sanctifica illos hodie et cras, et lavent vestem suam, et sint parati in perendinum diem*, id est, in diem ultra crastinum; *die enim tertia descendet Dominus in monte Sina* (*Exod.* XIX, 10, 11). Et in Evangelio sic ait : *Progenies nequam et adultera signum petit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Quomodo enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ* (*Matth.* XII, 39, 40; *Luc.* XI, 29, 30).

Synagoga respondit : Recognosco, vera sunt quæ mihi teste prophetia narrantur. Nunc scire desidero ubi sit, ubi lateat Christus, qui de terra resurrexit : volo enim videre, si postea per Prophetas aliquid post passionem vel post resurrectionem habeat potestatis. Legi enim, ad salvandum populum venturum esse Eliam unctum Dei.

Ecclesia dixit : Ergo, misera, quod negare non potes, confitere; et audi omnia quæ veritas celare non potest : tota se usque ad cœlos claritatis libertas extendit. Lege Danielem qui ait : *Videbam in visione noctis, et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniens venit usque ad Veterem dierum, et stetit in conspectu ejus, et qui assistebant obtulerunt eum. Et data est ei potestas regia, et omnes reges terræ per genus, et omnis claritas serviens ei : et potestas ejus æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus æternum, quod non corrumpetur* (*Dan.* VII, 13, 14).

Synagoga respondit : Gloriam habere unctum Dei, hoc est Christum, negare non possum : sed hoc mihi dicito, si posteaquam passus est, et resurrexit, gloriam istam adipisci potuit et tenere.

Ecclesia dixit : Lege Isaiam prophetam, qui ex persona Salvatoris ait : *Nunc exsurgam, dicit Dominus, nunc clarificabor et exaltabor, nunc videbitis, nunc intelligetis, nunc confundemini, vana erit fortitudo Spiritus vestri, ignis vos consumet* (*Isai.* XXXIII, 10). Sed et David ait : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, et dominaberis in medio inimicorum tuorum* (*Psal.* CIX, 1, 2).

Synagoga respondit : Ergo et Deus et Filius Dei.

Ecclesia dixit : Utique, stulta. Qui de homine gignitur, homo est, ita et qui de Deo oritur, Deus profecto signatur.

Synagoga respondit : Non assertionibus credo, sed Lege revinci desidero. Non enim te, sed Prophetas audire contendo.

Ecclesia dixit : Respice quod Psalmidicus ait, et scies Dominum Deum esse Salvatorem. *Exsurgat*, inquit, *Deus, et dissipentur inimici ejus, et effugiant qui oderunt eum a facie ejus. Sicut deficit fumus deficiant, et sicut tabescit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Cantate Deo, psallite nomini ejus, viam facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen est illi. Qui producit vinctos in fortitudine, qui habitant in monumentis* (*Psal.* LXVII, 2, 3, 5, 7). Et rursus idem David : *Exsurge, Domine, et judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus* (*Psal.* XXXVII, 22). Et alibi : *Deus deorum Dominus locutus est* (*Psal.* XLIX, 1). Et, *Pariet virgo Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* (*Isai.* VI, 9). Et, *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus* (*Psal.* XLIV, 8). Habes ergo et Deum, et Dominum, et Regem.

Synagoga respondit : Et Deum, et Dominum recognosco; sed Regem mihi probari desidero.

Ecclesia dixit : Stultissima mulierum, si Deum confiteris, Regem fateri non debes? Aut numquid Deus potest esse, nisi regnaverit? Omne regnum sub pedibus Dei jacet; et quidquid regna tenent, majestas possidet Dei. Ergo Regem dubitas, quem Deum profecto cognoscis?

Synagoga respondit : Non quidem dubito, sed volo mihi Israel veritate signari.

Ecclesia dixit : Lege David, et invenies in psalmo septuagesimo primo : *Deus, judicium tuum Regi da, et justitiam tuam filio Regis.* Et in psalmo septuagesimo secundo ait : *Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.* Et in psalmo secundo : *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, annuntians imperium ejus.* Et apud Malachiam sic ait : *Rex magnus sum ego, dicit Dominus, et nomen meum illustrabo apud gentes* (*Malach.* I, 14). Et in psalmo nonagesimo sexto : *Dominus regnavit; exsultet terra, lætentur insulæ multæ.* Et alibi : *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi* (*Psal.* XLIV, 2).

Synagoga respondit : Prævenisti me, respondere nihil possum : non assertione verborum, sed Lege videor esse damnata.

Ecclesia dixit : Interroga quæcumque volueris, et ego te de tuo Testamento revincam.

Synagoga respondit : Certe dicis te diffiteri non posse, quod Christus Deus sit Abrahæ, Deus Isaac, et Deus Jacob. Utique Abraham Judæus fuit, quomodo ergo me dicis damnandam?

Ecclesia dixit : Bene, quod jam cœpisti reciprocare sermones, et de obliquitate verborum per flexuras parabolarum membra palpare. Nam et Petrus et Paulus prædicatores mei, Judæi fuerunt, sed derelicta te ad fontem vitæ æternamque gratiam convenerunt. Nam Abraham, quem nominasti cum paganus esset, et idola confringeret, sic ad divinæ majestatis amicitias convolavit, inde incolumis jam Dei amicus, ad te rursus accessit : sed et postmodum a te ad Gentes, hoc est ad nos, iterum redire mandavit. Sic enim in Genesi ait : *Dixit*, inquit, *Dominus Deus Abrahæ, Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et vade in illam terram, quam tibi ostendero; et faciam te in gentem magnam, et benedicam te, et magnificabo nomen tuum* (*Gen.* XII, 1, 2). Vides ergo Abrahæ præceptum, ut exiret de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui; et veniret ad terram Gentium, et princeps fieret super Gentes, et magnum nomen acciperet. Nam et in figura Salvatoris benedixit Isaac Jacob : *Servient tibi*, inquit, *Gentes, et adorabunt te principes, et eris dominus fratribus tuis, et adorabunt te filii matris tuæ* (*Id.* XXVII, 29).

Synagoga respondit : Ergo omnes ad te venerunt, et ego, quæ tot et tantos filios habui, et filiorum multitudine gloriata sum, ut derelicta despicior, quæ fui mater populis : aut si tibi ut plures filios habeas in Lege mandatum est, probare debes ex Lege.

Ecclesia dixit : Nunc flecteris, nunc te antiquus rigor extollit, mox et ad malitiam replicaris. Dicit enim Dominus : *Dilata locum tabernaculi tui, et aulæorum tuorum longas fac mensuras, et palos tuos confirma adhuc in dextram tuam, et in sinistram extende : et semen tuum gentes possidebit, et civitates desertas inhabitabis. Noli timere, quia devicta es; neque verearis, quia maledicta es : quoniam confusionem æternam obliviseeris* (*Isai.* LIV, 2-4). Fui utique maledicta, cum idola sequerer; fui confusa, cum divinitatis mandata nescirem; fui sterilis, quia Baptismum non habebam, quo imperio majestatis filios enutrirem : nunc exaltata sum in filios, et per Dominum Christum æterna regna suscepi. Merito et in Βασιλειῶν, id est, Regnorum, ait : *Sterilis peperit septem; et quæ plurimos filios*

habebat, infirmata est (I *Reg.* II, 5). Et Apostolus ad septem Ecclesias epistolas mittit (*Apoc.* II, 11). Et Jacob accepit uxores duas, majorem Liam, oculis infirmioribus, typum Synagogæ; et minorem speciosam Rachel, typum Ecclesiæ: quæ et sterilis diu mansit, et postea peperit, et benedicta est (*Gen.* XXIX, 23, 28). Merito ait in Genesi: *Et dixit Dominus ad Rebeccam, Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo dividentur; et populus populum superabit, et major serviet minori* (*Id.* XXV, 23). Item apud Osee prophetam: *Vocabo*, inquit, *non populum meum, populum meum, et non dilectam, dilectam* [1] (*Osee* II, 24), etc.

« Ecclesia dixit: Gladius tuus per apicem mucronis medido adhuc cruore distillat, et revinci desiderat? Audi ergo quid Elias testatur: Æmulando, inquit, æmulatus sum homino meo omnipotenti, quoniam dereliquerunt te filii Israel, et altaria tua demolierunt, et Prophetas tuos interfecerunt gladio, et remansi ego solitarius, et quærunt animam meam ut auferant eam. Vide etiam quid Esdras prædixerit: Discesserunt a te et abierunt post legem tuam, et Prophetas tuos interfecerunt, qui obtestabantur eos ut reverterentur ad te. Sic etiam et Jeremias scripsit: Misi ad vos servos meos Prophetas: ante lucem mittebam, et non exaudiebatis, neque intendebatis auribus vestris, ne ambularetis post deos alienos, ut serviretis eis, et præcepta mea audire noluistis.

« Synagoga respondit: Nunc recolo, nunc recognosco. Sed quid diceretur ante, nescivi; quia Prophetas istos negligenter audivi.

« Ecclesia dixit: Non quod loqueris, sed quod intellexeris in Lege etiam videtur esse testamentum, ut ait Isaias: Erunt hi omnes sermones, sicut sermones libri qui signatus est. Quem si dederis homini nescienti litteras ad legendum, dicet: Non possum legere, signatus est enim. Sed in illa die audient surdi sermonem libri; et qui in tenebris, et qui in nebula sunt, oculi cæcorum videbunt. Et, ut Jeremias ait, in novissimo die cognoscetis eum vos; sic et Daniel scripsit, Muti sermones, signa librum usque ad tempus consummationis, quo adducantur multi et impleatur cognitio, quoniam cum fit dispersio, cognoscent omnia. Hæc cognita sunt omnia, et in suo ordine cuncta feliciter cucurrerunt. Et ideo tuo te gladio scito esse damnatam, tuo te Testamento percussam, tuorum Prophetarum, hoc est omnium Judæorum eloquiis. Ad hoc protuli quæ monstravi, Evangelia et Apostolos mihi meisque servando, quæ si legisses amplius immugisses. Gaudete, populi; gaudete, christicolæ: sterilis peperit; et quæ filios habebat, cum filiis suis ante defecit. » M.

[1] Hic in B. explicit Altercatio. Er. Lugd. Ven. et Lov. addunt: « Erit enim, quo loco dicetur, Non populus meus; illo loco dicentur filii Dei vivi. Nam et in Isaia legis: Terra vestra deserta, civitates vestræ exustæ: regionem vestram in conspectu vestro alii comedent, et ecce deserta est, et subversa populis alienis. Derelinquetur filia Sion sicut casa in vinea, et sicut custodiarium in cucumerario, et quasi civitas quæ expugnatur. Nunc ergo si juxta legem derelicta es et desolata, et quid ego feci, quæ quia credidi dotalibus tabulis, regnum magnum accepi; quod et tu procul dubio habere potuisses, si non te criminis furore et profano parricidio prædamnasses: nam memor es quid ex persona tua Esdras ille propheta tuus exclamet, ubi filiis tuis miserabilem servitutem indixisti: Ite, filii, quia vidua sum et derelicta: educavi vos cum lætitia, amisi vos cum luctu et tristitia.

« Synagoga respondit: Ergo homicidium feci?

« Ecclesia dixit: Video, si apud te, humani sanguinis persecutrix, homicidii crimen admiseris: nam negare non potes, quin justos Dei Prophetas occideris.

« Synagoga respondit: Quis mihi probat, quod maculaverim manus meas sanguine Prophetarum?

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Augustino in ante editis tribuitur, sed falso, uti probant Bellarminus, Vindingus, et alii. Non enim recensetur inter illius opuscula, nec in Retractationibus, nec in Possidii Indice. Stilus quoque ab Augustiniano diversus est, ac debilior disputandi ratio. Sed Augustinum tamen imitari auctor studuit, ejusque non modo sensus, sed ipsa interdum verba ex eo præsertim libro qui de Natura Boni contra Manichæos scriptus est, expressit. In antiquis codicibus reperitur proximo loco post Augustini Tractatum de Fide et Symbolo, interjecta annotatione, quæ in Fossatensi annorum octingentorum codice sic habet: *Explicit in Christo Jesu Filio Dei Tractatus Aurelii Augustini episcopi de Fide catholica. Incipit adversus Manichæos:* ubi spectata vocum interpunctione haud facile definias an ille de Fide catholica Tractatus appelletur qui explicit, an qui incipit. Atque inde factum putamus ut liber subsequens tribueretur Augustino, et de Fide inscriberetur. Verum isthæc inscriptio præcedenti libro bene conveniebat, non subsequenti, et eam ad præcedentem pertinere indicant alii Mss. codices in quibus est accuratior interpunctio; maxime vero vetustissimus Corbeiensis, cujus auctoritate hunc librum Evodii Uzalensis episcopi esse Sirmondus in Historia Prædestinatiana, cap. 1, dicit. Quippe ab illa quæ præcedenti libro apponitur clausula, *Explicit in Domino Christo Filio Dei Tractatus Aurelii Augustini de Fide catholica*, relicto septem circiter versuum spatio vacuo, exhibetur seorsim in alterius folii capite titulus subsequentis libri, hunc in modum: *Incipit ejusdem contra Manichæos. Utrum ejusdem, utrum sancti Euvodii ignoratur.* Corbeiensi codici consentit Colbertinus, aliique nonnulli manuscripti eamdem de auctore Augustino et Evodio dubitationem præferentes.

DE FIDE
CONTRA MANICHÆOS,
LIBER UNUS, EVODIO TRIBUTUS.

CAPUT PRIMUM. — Unus Deus Pater et Filius, et Spiritus sanctus, invisibilis, incomprehensibilis inenarrabilis, inviolabilis, incoinquinabilis, qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem (I *Tim.* VI, 16), ipse lumen verum, vita et veritas, bonus, summus et quæcumque de illo humanus sermo poterit enuntiare; quæ tamen ab illo dantur, et aliquo modo dici possint; ex quo omnia, per quem

omnia, sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; et omnia per ipsum et in ipso creata sunt (*Coloss.* I, 16), sicut in utroque Testamento humilibus et pie quærentibus manifestatur: ipsi gloria et honor et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT II. — Huic Manichæus adversarium esse dicit nescio quem gentis principem tenebrarum, quem etiam asserit ingenitum, nec habere auctorem a quo creatus sit. Et utique si ingenitus et non creatus est, per se ipsum est immortalis: et si per se immortalis est, non erit Deus qui habeat solus immortalitatem; et erit jam mendax Apostolus qui dicit de Deo, quod solus habeat immortalitatem (I *Tim.* VI, 16). Sed quia Apostolus mendax non est, Deus solus habet immortalitatem. Et ideo solus potest et animis et quibus vult corporibus præstare immortalitatem.

CAPUT III. — Falsum est ergo, quod Manichæus asserit, nescio quam mali naturam cum principe suo non habere auctorem, sed esse ingenitam. Deinde si ingenitus Deus, ingenita etiam nunc gens tenebrarum, non erit contrarium ingenitum et ingenitum, videns et videns, regnans et regnans, vivens et vivens, æternum et æternum. Et si contrarium est bono malum, ex aliqua ergo parte discordabit bonum a malo: ex multa vero conjunctum et concordans erit, et jam non erit merum malum, habendo tanta communia bona cum Deo. Si vero dicunt, Ingenitum est in suo; nihil dicunt. Nam ingenitum et ingenitum, æternum et æternum, in quantum ingenita et æterna sunt, nunquam erunt contraria. Num enim quia imperator in sua potestate magnus est, et mediastinus in operatione sua contemptibilis est, ideo mediastinus non erit homo, quia homo est imperator?

CAPUT IV. — Sed si quisquam quærit quid sit malum, audiat Apostolum dicentem: *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, a fide aberraverunt, et inseruerunt se doloribus multis* (*Ibid.*, 10).

CAPUT V. — Cupiditas autem in unoquoque homine est, non naturalis, sed voluntaria. Ideoque dixit, *quam quidam appetentes.* Quod enim appetendo habetur, si non appeteretur, non haberetur. Nam et Dominus ostendens quod in hominis potestate sit, ait: *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum* (*Matth.* XII, 33). In Actibus etiam conscriptis a Leucio [1], quos ipsi accipiunt, sic scriptum est: *Etenim speciosa figmenta et ostentatio simulata et coactio visibilium, ne quidem ex propria natura procedit, sed ex eo homine qui per se ipsum deterior effectus est per seductionem.* Ipse etiam Manichæus non potuit nisi fateri animas, etiam quas dicit ad Dei substantiam pertinere, propria voluntate peccare. Nam sic in secundo Thesauri libro dixit: *Hi vero qui negligentia sua a labe prædictorum spirituum purgari se minime permiserint, mandatisque divinis ex integro parum obtemperaverint, legemque sibi a suo liberatore datam servare plenius noluerint, neque ut decebat sese gubernaverint*, etc. Item in epistola Fundamenti sic dicit de illis animabus, *quæ mundi amore errare se a priore lucida sua natura passæ sunt, atque inimicæ lumini sancto exstiterunt, aperteque in perniciem sanctorum elementorum se armarunt, et igneo spiritui obsecutæ sunt, infesta etiam persecutione sua sanctam Ecclesiam atque electos in eadem constitutos cœlestium præceptorum observatores afflixerunt, a beatitudine et gloria terræ sanctæ arcentur. Et quia a malo se superari passæ sunt, in eadem mali stirpe perseverabunt, pacifica illa terra et regionibus immortalibus sibimet interdictis. Quod ideo illis eveniet, quia ita iniquis operibus se obstrinxerunt, ut a vita et libertate sanctæ lucis alienarentur. Non igitur poterunt recipi in regna illa pacifica, sed configentur in prædicto horribili globo, cui etiam necesse est custodiam adhiberi. Unde adhærebunt his rebus animæ eædem quas dilexerunt, relictæ* [1] *in eodem tenebrarum globo, suis meritis id sibi conquirentes. Neque enim futura hæc cognoscere studuerunt, atque ab iisdem, cum tempus dabatur, se segregaverunt.*

CAPUT VI. — Rogo vos, ubi audiuntur hæc verba, dubitatis adhuc Manichæum adactum esse confiteri, esse peccatum propriæ voluntatis? Non enim unum verbum inde dixit, sed tam multa, ut quemvis [2] gravi somno mersum excitaret. Dixit, *negligentia sua*: dixit, *minime permiserint*: Dixit, *parum obtemperaverint*: Dixit, *servare noluerint.* Item dixit, *obsecutæ sunt*: dixit, *se superari passæ sunt*: dixit, *se obstrinxerunt*: dixit, *suis meritis id sibi conquirentes*: dixit, *Neque enim futura hæc cognoscere studuerunt, atque ab iisdem, cum tempus dabatur, se segregaverunt*: et vos dubitatis dicere propria voluntate peccari?

CAPUT VII. — Iterum ipse dicit in eadem epistola, *Lucis autem succisivam partem, hoc est, animas peccatrices*: et vos non dicitis peccare nisi gentem tenebrarum? Sed quid de isto loquar, qui quamvis erraret, tamen evidentissima veritate hoc coactus est dicere; cum ipsum Dominum nostrum Jesum Christum nolitis intelligere dicentem, ignem præparatum esse peccatoribus, diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41), quos omnes voluit intelligi peccatores? Non enim injustitia est apud Deum, ut damnet eos qui omnino nihil peccaverunt.

CAPUT VIII. — Peccare enim quid aliud est, nisi in veritatis præceptis vel in ipsa non stare veritate? Quod si non voluntate faciunt peccatores, injuste judicantur. Pertinere autem et angelos ad judicium, Apostolus ostendit dicens: *Nescitis quoniam angelos judicabimus* (I *Cor.* VI, 3)? Non autem pertinerent ad judicium quo judicantur, si non pertinerent ad peccatum quo rei fiunt, nec possent merito judicari. Non enim homines justi de justis angelis judicaturi sunt, quibus similes erunt, sed utique de peccatoribus. Malefacti sui ergo per cupiditatem quisque auctor est.

CAPUT IX. — Est ergo in potestate ut sit cupiditas: et ideo etiam malum in potestate est. In potestate ergo est, quod in voluntate esse non debet: malum enim non potest esse natura, nec substantia, nec vita; quia hæc bona sunt, in quantum sunt. Sed et si aliquos naturaliter dicimus malos, propter originem veteris peccati dicimus, in quo jam nostra mortalitas nascitur. Totum itaque quod vocatur malum in hominibus, peccatum est et pœna. Peccatum fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium est: et pœna infligitur justitia Dei, quæ nihil facit injuste. Adversus hæc solita cæcitate Manichæi latrant; et cum convincuntur naturam non esse malum, sed in potestate esse hominis facere bene aut male, dicunt non esse animæ liberam voluntatem, et non vident cæcitatem suam.

CAPUT X. — Quis enim non clamet stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere; et iniquum esse, eum damnare cui non fuit potestas jussa complere? Et has injustitias et iniquitates miseri non intelligunt Deo se ascribere. Sed quid verum est, nisi et Dominum dare præcepta, et animas liberæ esse voluntatis, et malum naturam non esse, sed esse aversionem a Dei præceptis, et esse justum judicium Dei quo damnet peccantes?

CAPUT XI. — Interea cum dicat idem Manichæus, *Deum omnibus bonis abundantem, nullo in regnis ejus insignibus indigente aut infirmo constituto, ita etiam fundata ejusdem splendidissima sæcula, ut a nullo unquam concuti vel moveri possint*: in alio loco paulo post subjungit, et dicit, *Lucis vero beatissimæ Pater sciens labem magnam ac vastitatem quæ ex tenebris surgeret, adversus sua sancta impendere sæcula, nisi aliquod eximium ac præclarum, et virtute potens numen opponat, quo superet simul ac destruat stirpem tenebrarum, qua*

[1] In excusis, *a Leontio.* In Vaticano codice, *a Locutio.* In Corbeiensi, Cisterciensi et aliis quibusdam Mss., *a Leucio.* Conf. Acta cum Felice, lib. 2, cap. 6.

[1] Vaticanus Ms., *relicta luce.*

[2] In Mss., *ut quamvis.*

extincta quies lucis incolis pararetur.

CAPUT XII. — Certe ergo a nullo unquam concuti vel moveri potuerunt regna dei Manichæi. Si enim potuerunt, mentitus est dicendo, non posse regna illa ab aliquo concuti. Et si concussa sunt necessitate, aut timore; non erit Deus, qui sic concuti potuit. Nam videmus deum Manichæi secundum eumdem Manichæum malo necessitatis pressum, cum labes ac vastitas adversus sæcula ejus impenderet, aliudque quod faceret non haberet, partem suam ad pugnam dedisse ut vel hoc modo quietem lucis incolis compararet. Ipsa vero pars ejus, hoc est, de lumine lumen, de bono bonum, de sancto sanctum, de æterno æternum, de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, corrupta sit, mortificata sit, commixta sit per omnia mundi corpora a summo usque ad imum, a cœlo usque ad stercora, ut et meretrices in theatris et in locis turpioribus turpiores haberent in se oppressum Deum, qui liberari forte non possit. Dicit enim in fine ipsius epistolæ, unde unum capitulum jam posuimus, ipsam Dei partem quæ commixta est, non totam posse revocari ad pristinam libertatem.

CAPUT XIII. — Ecce victoria, ecce triumphus, qualem fecit Manichæi deus. Nam post amissam partem suam in luctu est, sicut Manichæus idem dicit: velum contra se habet, quod dolorem ejus temperet, ne corruptionem partis suæ videat. Hodie enim divina quam commemorat substantia, subjacet genti tenebrarum, ut lutum figulo. Hoc in primo libro Thesauri eorum scriptum est.

CAPUT XIV. — Qualis interea turpitudo, quam in eodem Thesauro inter cætera turpia in septimo libro scripsit, sic dicens: *Tunc beatus ille Pater, qui lucidas naves habet diversoria et habitacula secundum magnitudines* [1], *pro insita sibi clementia fert opem, qua exuitur et liberatur ab impiis retinaculis et angustiis atque angoribus suæ vitalis substantiæ. Itaque invisibili suo nutu illas suas virtutes, quæ in clarissima hac navi habentur, transfigurat, easque parere facit adversis potestatibus, quæ in singulis cœlorum tractibus ordinatæ sunt. Quæ quoniam ex utroque sexu masculorum ac feminarum consistunt, ideo prædictas virtutes partim specie puerorum investium* [2] *parere jubet generi adverso feminarum, partim virginum lucidarum forma generi contrario masculorum: sciens eas omnes hostiles potestates, propter ingenitam sibi letalem et spurcissimam concupiscentiam facillime capi, atque iisdem speciebus pulcherrimis quæ apparent mancipari, hocque modo dissolvi. Sciatis autem hunc eumdem nostrum beatum Patrem hoc idem esse, quod etiam suæ virtutes, quas ob necessariam causam transformat in puerorum et virginum intemeratam similitudinem. Utitur autem his tanquam propriis armis, atque per eas suam complet voluntatem.*

CAPUT XV. — *Harum vero virtutum divinarum, quæ ad instar conjugii contra inferna genera statuuntur, quæque alacritate ac facilitate id quod cogitaverint, momento eodem efficiunt, plenæ sunt lucidæ naves. Itaque cum ratio poposcerit ut masculis appareant eædem sanctæ virtutes, illico etiam suam effigiem virginum pulcherrimarum habitu demonstrant. Rursus cum ad feminas ventum fuerit, postponentes speciem virginum, puerorum investium speciem ostendunt. Hoc autem visu decoro illarum ardor et concupiscentia crescit, atque hoc modo vinculum pessimarum cogitationum earum solvitur, vivaque anima quæ eorumdem membris tenebatur, hac occasione laxata evadit, et suo purissimo aeri miscetur; ubi penitus ablutæ animæ ascendunt ad lucidas naves, quæ sibi ad vectationem* [3] *atque ad suæ patriæ transfretationem sunt præparatæ.*

CAPUT XVI. — *Id vero quod adhuc adversi generis maculas portat, per æstus atque calores particulatim descendit, atque arboribus cæterisque plantationibus ac satis omnibus miscetur, et coloribus diversis inficitur. Et quo pacto ex ista magna et clarissima navi figuræ puerorum et virginum parent contrariis potestatibus quæ in cœlis degunt, quæque igneam habent naturam; atque ex isto aspectu decoro, vitæ pars quæ in earumdem membris habetur, laxata deducitur per calores in terram: eodem modo etiam illa altissima virtus quæ in navi vitalium aquarum habitat, in similitudine puerorum ac virginum sanctarum per suos angelos apparet his potestatibus, quarum natura frigida est atque humida, quæque in cœlis ordinatæ sunt. Et quidem his quæ feminæ sunt, in ipsis forma puerorum apparet; masculis vero, virginum. Hac vero mutatione et diversitate personarum divinarum ac pulcherrimarum, humidæ frigidæque stirpis principes masculi seu feminæ solvuntur, atque id quod in ipsis est vitale, fugit: quod vero resederit, laxatum deducitur ad terram per frigora, et cunctis terræ generibus admiscetur.*

CAPUT XVII. — Quis non rideat, vel potius doleat et detestetur istum hominem, tam horrenda et exsecrabilia de divina substantia dicentem? Ergo substantiæ lucis æternæ, parti Dei, in captivitate, in calamitatibus, in ærumnis, in pressuris, in sordibus atque immunditia, secundum vestrum errorem, vestram constitutionem, non poterat aliter quotidie subveniri, nisi beatus Pater, qui naves lucidas habet diversoria, quem tertium legatum appellatis, et virtus altissima virtutes suas in diversi sexus naturam commutet: quas quidem intemeratas dicitis, sed tamen ut meretricum more pulchritudine sua principum tenebrarum letalem et spurcissimam concupiscentiam confusæ invicem accendant [4]. Non enim invenistis verum, quo tantam pulchritudinem aliquando honestius diceretis. Et qua causa hoc faciunt? Ut eis in libidinem concitatis, occasionem liberationis reperiat substantia divina. Quid aliud sonat, nisi ut etiam per genitalia dæmonum vias evadendi inveniat divina majestas? Deus magne, subveni animis ista turpia credentibus, ista nefanda sectantibus. Quis hæc non exhorreat, rogo vos? Quis tam cæcus est ut ista credat, rogo vos?

CAPUT XVIII. — Sed certe respondeatur mihi ab iis qui ipsum Manichæum sequuntur: Si Deus incorruptibilis est, vel omnis natura summi boni inviolabilis, immaculabilis, inadibilis, incoinquinabilis, incomprehensibilis, quid poterat facere mali natura huic tantæ naturæ, si nollet cum illa pugnare, ne ad tantum dedecus deduceretur? Hoc dixi, Quid factura erat Deo gens tenebrarum, si nollet cum illa pugnare? Si mihi dicitur, Nihil: quæro cur hodie ejus pars, hoc est, Dei, in calamitatibus, in pressuris, in captivitate, in subjectione sit constituta, ut tam turpiter etiam liberetur, et nec sic liberari tota possit; vel ipse Pater, ut luctum habeat memoratæ partis suæ causa, quem luctum Manichæus in suis libris apertissime prædicat?

CAPUT XIX. — Ait quidam, *Nihil ei fieri poterat, sed ut ostenderet præscientiam se habere cogitationum principum tenebrarum, et ut monstraret nihil se timere, propterea pugnavit.* Cui ego dixi, Qui potuit cogitationes principum tenebrarum videre, ac neminem timere, quare non vidit luctum sibi imminentem de partis suæ infelicitate, quam hodie patitur? Quam partem suam nunquam recipiet integram, quia remanet inde aliquid, sicut ipse dicit, quod purgari non poterit, et in globo tenebrarum in æternum damnabitur. Magna præscientia, vel potius inscientia, et misera infirmitas, hoc est totum quod neminem timebat. Certe si se tueri aliquo modo non poterat, rogaret ut sibi parceretur ne ad tantum dedecus integritas illa et decus omnium ornamentorum perduceretur.

[1] Laudunensis Ecclesiæ codex, *secum magnitudinis*. Corbeiensis, cum editione Am., *secum magnitudines*. In libro de Natura Boni, cap. 44, legitur, *seu magnitudines*.

[2] Corbeiensis Ms. a secunda manu, *puerorum in vestitu*.

[3] In tractatu de Natura Boni, cap. 44, B. et Lov. ferunt, *evectationem* (mendose); et hic, *evectionem*. Auctoritate Er. Lugd. Ven. ubique, *vectationem*, scripsimus. M.

[4] Sic Vaticanus Ms. Cisterciensis vero et Corbeiensis, *confudit, invicem accendant*. Er. et Lov, *confusæ et invitæ accendant*.

CAPUT XX. — Item dictum est a quodam, *Nihil ei poterat facere gens tenebrarum, sed ipse noluit pati rem malam circa fines suos, et misit qui eam debellaret.* Cui ego dixi, Si ita est ut dicis, ipse potius invenitur malus, qui rem vicinam nihil ei nocentem delere voluit. Et sicut malus in illam, sic crudelis in suam, aut ignarus futuræ calamitatis ejus Cum enim putat rem bonam se posse perficere, ut in regno mali, quod ei non nocebat, regionem suam extenderet, prius non prævidit infelicitatem, quæ memoratam partem ejus quotidie premat; deinde quod eam totam nunquam in pristinam libertatem recipere poterit.

CAPUT XXI. — Sed cum huic objectioni responderi minime possit, solitam imperitiam opponunt : Quid facturi erant Judæi Christo, si nollet ab eis pati? O utinam videre possent, quod facile viderent, nisi per nebulas contentionis excæcarentur, quid sit imminentis mali premi necessitate, quam Deum suum passum asseverant; et quid sit misericordiæ benignissimum officium, quam sapientia et virtus Dei Dominus Jesus Christus voluntate et ineffabili potestate, per hominem quem suscepit ex virgine, generi humano exhibere dignatus est, ut hominibus per hominem patientiæ demonstraret exemplum! Oportebat enim, et hoc justum erat, ut homines per patientiam humilitatis vincerent difficultatem infirmitatis carnis suæ : quia in eam per elationem superbiæ ceciderant, sicut in Adam primo homine nostra Scriptura indicat. Numquid et vos potestis dicere, quia erant aliqui homines quos Deus volebat docere patientiam, propterea voluit a gente tenebrarum tanta mala pati, quemadmodum Dominus a Judæis? Aut numquid potestis dicere, quia suscepit aliquam naturam passibilem Deus, in qua pateretur a gente tenebrarum quidquid ei facere potuit, ut tamen ipse in sua substantia nulla ex parte mutaretur; sicut Verbum Dei, qui est Filius Dei, etiam ipse sicut Pater incommutabilis, suscepit hominem mortalem, ut integra et inviolata deitate, in carne mortali doceret mortales per patientiam mortem vincere, et ipsius infirmæ carnis futuram in melius commutationem resurrectione monstraret?

CAPUT XXII. — Cum ergo esset per se ipsum invisibilis, visibilis in homine apparuit, quem de femina suscipere dignatus est, ut in Evangelio legimus (*Luc.* II). Dicit et Apostolus, *Factum de muliere* (*Galat.* IV, 4). Et isti dicunt, Quare non ait ex virgine? non intelligentes quod consuete dictum sit secundum proprietatem linguæ Scripturarum, sicut de Eva dictum est, *Formavit eam in mulierem* (*Gen.* II, 22), antequam vel ostenderetur viro. Quamvis Maria non incongrue propter partum dicitur mulier : virgo vero, quod virilem nescieri conventionem, neque pariendo virginitas ejus corrupta sit. Quod autem Angelus et Elisabeth dixerunt Mariæ, *Benedicta tu inter mulieres* (*Luc.* I, 42); nulla quæstio est, quia revera benedicta est virgo inter mulieres. Sed ne dicatis, Sicut Angeli apparuerunt, sic haberet corpus, ne de femina nasceretur. Quid si vobis dicatur, Ubi legistis Christum in carne venisse? Nonne dicturi estis, In Evangelio? Respondetur ergo vobis, Ibi scriptum est, Christum natum de virgine. Sed solita fœditate dicetis Scripturam ipsam falsam esse. Nec videtis aliquem similem vobis cæcum hoc posse facere, ut ea quæ vos dixeritis vera, ille falsa esse dicat; et quæ dicitis falsa, ille vera esse dicat : ac sic aperiatis januas omni hominum errori vel sceleri, ut unusquisque prout voluerit vel delectatus fuerit ipsas divinas Scripturas accipiat, respuat vero quæ non intelligens et offensus putaverit mala, et non jam inveniatur hac regula erroris vestri, unde tales corrigantur.

CAPUT XXIII. — Accipite integre canonicas Scripturas, si integri esse desideratis. Si enim intelligeretis vel crederetis certe quod Apostolus dixit, per feminam genus nostrum fuisse deceptum; ait enim, *Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur* (II *Cor.* XI, 3) : possetis intelligere per feminam nostrum genus oportuisse liberari; ut quoniam per feminam mors facta est, per feminam vita recuperaretur : atque ita demonstraretur non ipsam creaturam femineam esse culpandam, cujus est Deus conditor; sed voluntatem, qua Eva peccavit. Sed timent majestatis illam incoinquinabilem et ineffabilem potentiam in virginis utero credere fuisse, ne sanguine ejus polluceretur : cum et in Apostolis et multis dignis feminis et habitaverit, et nunc habitet, qui utique corpora habent, et sanguinem habent. Si enim in Maria coinquinari potuit, et in omnibus potuit : si autem non potuit in illis, utique nec in Maria potuit, in cujus visceribus susceptionem corporis operata est Dei Sapientia.

CAPUT XXIV. — Certe ipsum Manichæum de patre atque de matre natum fuisse non negabunt, cujus animam secundum suum errorem Deum esse omnipotentem similiter non negabunt : qui se mira superbia assumptum a genio suo, hoc est, a Spiritu sancto esse gloriatur. Et utique si genius est Spiritus sancti, et ipse sanctus Spiritus est, et ipse Deus omnipotens, ut Spiritus sanctus : qui tamen Manichæus carnem habuit, in qua si coinquinatus est Spiritus sanctus aut ejus anima genia Spiritus sancti, coinquinabilem Deum colunt. Si vero nusquam Deus coinquinatur; cum etiam lux corporum cœlestium usque ad terras perveniat, et non coinquinetur, cum manifestum sit solem istum, cui genu flectunt, in omnibus stercoribus et putoribus radios suos expandere, et eis nusquam coinquinari : desinant blasphemare, et rogent Deum ut ab errore liberentur. Incoinquinabilis enim substantia non ideo non coinquinatur, quia nihil attingit; sed quia permanet in sua munditia, qualecumque sit quidquid attigerit. Sicut corpus invulnerabile aut impenetrabile numquid illud dicimus quod non percutitur ferro, sed potius quod etiam cum percutitur non penetratur? Et ideo magis probatur Filius Dei non posse de sanguine feminæ coinquinari, quia per feminam natus est, quam si non per feminam nasceretur et membra illa devitasset : videretur enim judicasse, posse se inde pollui, et minus a nobis fidenter incoinquinabilis diceretur. Consecravit autem virginitatem, quia de virgine nasci voluit : et sola illi mater in terris eligenda erat ad suscipiendum hominem, qui jam patrem habebat in cœlis.

CAPUT XXV. — Sed dicunt, Quare ergo negavit matrem suam, quando ei dixit, *Quid mihi et tibi est, mulier* (*Joan.* II, 4); et quando, cum ei nuntiatum esset, quod eum vellet videre, respondit, *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei* (*Matth.* XII, 48); ac eos potius in hunc affectum computavit, qui facerent voluntatem Patris ejus? Quia exemplo suo jam docebat negandos esse terrenos parentes propter Deum. Opera enim divina facienti terrenus affectus obstrepere non debebat. Nam si propterea non habebat matrem, quia negavit matrem; nec Petrus et cæteri apostoli habebant patres, quia monuit eos, dicens : *Et patrem ne vocaveritis vobis super terram; unus est enim Pater vester qui in cœlis est* (*Id.* XXIII, 9). Quod ergo eos monuit de patre terreno, hoc de matre prior fecit. Hoc ergo dicimus, Sapientiam Dei suscipiendo hominem non esse coinquinatam; sed misericorditer ob hominum salutem hominem suscepisse, ut fieret, sicut Apostolus dicit, *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5). Non enim dubitanti discipulo suo mentiri potuit, qui dicit, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6), quando cicatrices vulnerum suorum, ut etiam manu tangeret, præbuit (*Id.* XX, 27). Quomodo enim huic in aliquo securi fidem haberemus, si discipulo suo sic mentitus esset? Absit talis blasphemia : nec eos ipsos in sempiternum reos teneat, qui hoc audent asserere aut credere; sed evigilent aliquando, et intelligant quam nefaria perversitate ista credantur.

CAPUT XXVI. — Nos autem Dominum verum hominem suscepisse credimus, et in ipso visibiliter invisibilem hominibus apparuisse, in ipso inter homines conversatum fuisse, in ipso ab hominibus humana pertulisse, in ipso homines docuisse a quibus esset recedendum, quid esset perferendum, quo esset tendendum. Totum autem hoc nulla fecit necessitate. Unde ipse dicit : *Propter hoc me Pater diligit, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam illam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso : potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* x, 17, 18). Non ergo mali necessitate amisit eam. Voluit enim, ut illa quæ in passione ejus facta sunt, omnia fierent ad humanam naturam docendam, non ad suam tuendam. Sicut enim nos qui ex anima et corpore constamus, cum simus invisibiles secundum animam, visibiles autem secundum corpus, omnia quæ visibiliter sive honoris et beneficiorum accipimus, sive contumeliæ vel injuriæ patimur, ad animam quæ invisibilis est, tanquam ad principem necesse est ut referamus, quia ipsa corpori principatur ; nam et cum simus secundum animam immortales, cum mortui corpori fuerimus, nos mortui dicimur : ita et Dominus secundum carnem et formam servi quam suscipere dignatus est, et contumelias passus, et vincula, et flagella, et mortuus esse manifestatur ; ut omnia veridice Veritas, et nihil falso fecisse credatur : quia potestate ac voluntate Verbum caro factum est, et natus, et passus, et mortuus, et resurrexit, nulla sua necessitate, sed voluntate et potestate : cujus nulla pars aliquando deprædata, nulla nunc usque captiva est, non solum divinæ, sed nec ipsius mortalis quam suscepit : sed nec unquam capi poterit, nisi ab eis qui ei per fidem voluerint mundo corde conjungi. Non sicut deus Manichæi, qui necessitatis malo pressus, hodie hic ex parte, quod negare non possunt, in miseriis et calamitatibus volutatur.

CAPUT XXVII. — Intelligite sane, si potestis, etiam inter ipsos homines quantum distet inter necessitatem et voluntatem. Si quis, verbi gratia, merito peccati sui in carcerem jubente justitia mittatur, alius adsit vir sanctus, qui eumdem carcerem ingrediatur propter illius consolationem aut liberationem ; numquid ambo in carcere ex una causa constituti sunt ? Ille missus est, ille ingressus ; ille pœnam patitur, ille misericordiam facit. Ille ingressus est cum voluit, egressus est quando voluit ; ille nisi interveniente indulgentia nullo jure poterit liberari. Et hoc homines facere possunt, et præstant libere beneficium, cum aliquando sibi nihil cupiant præstari. Cogitate ergo jam si Deus potest pati aliquam necessitatem, cum possint homines bene facere voluntate, nulla mercede conducti, nulla necessitate compulsi. Nullam ergo necessitatem patitur Deus, neque necessitate facit quæ facit, sed summa et ineffabili voluntate ac potestate.

CAPUT XXVIII. — Et tamen vos maxime secundum errorem vestrum non debuistis opponere istam contradictionem, qua dicitis, Quid facturi erant Judæi Christo, si nollet ab eis pati ? quia secundum ejusdem Manichæi blasphemias, Christus carnem non habuit, nec aliquid a Judæis passus est. Sic enim in epistola Fundamenti dicit : *Inimicus quippe, qui eumdem Salvatorem justorum patrem crucifixisse se speravit, ipse est crucifixus, quo tempore aliud actum est, atque aliud ostensum.* Princeps itaque tenebrarum affixus est cruci, idemque spineam coronam portavit cum suis sociis, et vestem coccineam habuit ; acetum etiam et fel bibit, quod quidam Dominum potasse arbitrati sunt : atque omnia quæ hic sustinere visus est, tenebrarum ducibus irrogata sunt, qui clavis etiam et lancea vulnerati sunt.

CAPUT XXIX. — Utquid ergo opponitis, dicentes, Quid facturi erant Judæi Christo, si nollet ab eis pati ? cum de passione ipsius ita sentiatis, ut non ipsum Deum passum aliquid in corpore suo, sed principem tenebrarum illa omnia passum putetis ? Contra fidem autem nostram quomodo ista opponitis ?

CAPUT XXX. — Nos enim credimus, ut in Evangelio scriptum est, quia Christus voluit pati, et quando voluit passus est. Non enim quando voluerunt Judæi, passionem ipsam fecerunt. Volebant quidem tenere et occidere, et secundum voluntatem suam jam perfecerant scelus, quod conabantur, et jam rei erant immanissimi peccati, quia volebant, etiamsi nihil fecissent : tamen ille qui potestatem habuit ponendi animam suam (*Joan.* x, 17), quando voluit eos facere permisit ; qui legionibus Angelorum potuit jubere ut Judæi perirent, vel uno verbo suo omnes interimere (*Matth.* xxvi, 53).

CAPUT XXXI. — Dominus ergo Christus secundum hominem quem suscepit, passus est : et nullum membrum ejus hodie tenetur a Judæis vel mortalis corporis quod susceperat, sicut supra diximus. Nam deus vester, o Manichæi, labe ac vastitate impendente pressus est ; non libera voluntate processit ad pugnam, sed necessitate compulsus est ; nec præstare aliquid voluit, sed resistere conabatur. Qui etiam in sua substantia, non in suscepto mortali corpore, devoratus atque commixtus est : qui ex parte hodie tenetur, ex parte in globo semper tenebitur. Et tamen quis ferat tam incredibiles blasphemias, quas isti de ipsa passione Domini proferre non dubitant ?

CAPUT XXXII. — Omnes Apostoli, omnes linguæ rationales Dominum Christum passum esse clamant ; omnis sana fides Christum pro nobis passum confitetur : et Manichæus iniquus dæmones illas passiones asserit pertulisse. Non enim propterea dicit eos passos, quia de ipsis Dominus triumphavit, et de ipsis nos per patientiam triumphare docuit : sed quia Dominum Christum negant habuisse carnem mortalem. Quibus dicimus, Si non habebat carnem mortalem, quid erat quod tenuerunt Judæi ? quid erat quod in cruce pendebat ? quid confixum erat clavis in ligno ? quid est percussum lancea, unde sanguis et aqua profluxit ? Si enim visa sunt tantum fieri et facta non sunt, phantasmata erant ; quod nefas est credere.

CAPUT XXXIII. — Si autem vere facta sunt, non tamen in carne mortali, sed in ipsa divina substantia facta esse dicitis, mutabilem esse dicitis divinam substantiam, et visibilem carneis oculis, et palpabilem carneis manibus, et vulnerabilem ferro : quæ rursus nefas est credere. Et ideo dum timet dicere Manichæus, quia ista facta non sunt ; et iterum timet dicere, quia in divina substantia facta sunt ; et non vult confiteri, quia nec intelligere potuit, quomodo Filius Dei per quem facta sunt omnia, sine aliqua mutatione vel coinquinatione divinæ substantiæ suæ, hominem cum carne susceperit : coactus est dicere, quia non Christus, sed princeps tenebrarum cum suis sociis illa omnia passus est. Miseri ! non timetis ne dicatur vobis in judicio, Ego eos liberavi, pro quibus passus sum ; ite, ille vos liberet, cui meas ascribitis passiones ?

CAPUT XXXIV. — Dicitis magno errore, sed tamen dicitis, Christum quotidie nasci, quotidie pati, quotidie mori. Numquid forte in iis qui credunt, et pro nomine ipsius tribulationes mortemque patiuntur ? Non, inquiunt, sed in cucurbitis, et in porris, et in portulaca, et in cæteris hujusmodi rebus. Magna ridicula, magna cæcitas : superius passionibus dæmonum, hic passionibus olerum homines liberantur a peccatis.

CAPUT XXXV. — Item cum eis dicimus, Quid factura erat Deo gens tenebrarum, si nollet cum illa pugnare ? Dicunt, Nihil fieri potuit Deo incorruptibili. Non enim si quis verbi gratia, sphæram vitream solidam unguibus lacerare voluerit, aliquid ei unquam faciet sævitia unguium suorum. Sed si vel talem substantiam divinam isti esse fingerent, ut omnis sævitia gentis tenebrarum talis ad illam esset, quales sunt ungues lacerantis ad sphæram vitream, non deus Manichæi hodie luctum pateretur de partis suæ abscissione vel amissione : quam partem dicunt, cum in

fructibus vel in herbis fuerit, id est, in melone, vel beta, vel talibus rebus, et principium suum et medietatem et finem nosse; cum autem ad carnem venerit, omnem intelligentiam amittere : ut propterea magister hominibus missus sit, quia stulta in illis facta est pars Dei; et propterea non sit missus melonibus, quia sapientem habent animam.

CAPUT XXXVI. — Quis ista credat vel ab hominibus aliquando, vel inter homines posse dici? Sed tamen quomodo nihil mali patitur substantia dei vetri, cum et in pomis ligatur, et in carne excæcatur, vel cum volens redire dejicitur ad terras a gente tenebrarum? Sed si nihil ei mali contigit vel contingit, falsa omnia sunt quæ Manichæus dixit in Epistola Fundamenti, quæ caput est omnium vanarum fabularum; vel in Thesauro, qui thesaurus est omnium turpitudinum et blasphemiarum, vel in cæteris omnibus libris, in quibus tanta loquacitate nihil aliud quam infelicitatem substantiæ Dei, quam commixtam dicit principibus tenebrarum, et in divinis virtutibus tristitiam, propter illam magnam sollicitudinem ut liberetur, affirmat. Nam revera nihil mali, aut potuit, aut poterit pati substantia Dei; nec aliquem habet inimicum, qui ejus partem ingenitam corrumpat : sed homines sunt Deo vel potius sibi inimici, non obtemperando præceptis Dei, et cupiditatibus se potius corrumpendo, non Deum.

CAPUT XXXVII. — Duorum vero Testamentorum concordiam simplici oculo intendere si velletis, o Manichæi, facillime videretis. Rabide enim ferimini in id quod scriptum est, *Spiritus Dei ferebatur super aquam* (*Gen.* I, 2); et, *Vidit Deus quia bonum est* (*Ibid.*, 10); et, *Adam ubi es* (*Id.* III, 9)? et, *Deus zelans* (*Exod.* XX, 5); et, *ignis edax* (*Deut.* IV, 24); et, *gladius meus* (*Id.* XXXII, 42), et cætera talia : non considerantes, quia si alius ita cæcus sit, ut reprehendere velit illud Domini quod in Evangelio dictum est, *Non jurabis per cœlum, quoniam sedes est Dei; neque per terram, quoniam scabellum est pedum ejus* (*Matth.* V, 35); et hoc dicat quod vos mira dementia dicere soletis, Ubi erat Deus antequam esset cœlum et terra? Aut quod scriptum est, *Et miratus est Jesus* (*Luc.* VII, 9); cum mirari nemo soleat, nisi de re quæ illi erat incognita : videre autem quia bonum est, non sit ignorantis, sed quia placuit ei quod fecit. Aut illud quod scriptum est dicente Domino, *Quis me tetigit* (*Id.* VIII, 45)? et de Lazaro, *Ubi posuistis eum* (*Joan.* XI, 34)? et, *Ego veni non pacem mittere super terram, sed gladium* (*Matth.* X, 34); et, *Ignem veni mittere in mundum* (*Luc.* XII, 49); et, *Veni ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX, 39); et, *Vendite res vestras, et emite vobis gladios* (*Luc.* XXII, 36); et Apostolus, *Zelo Dei vos zelo* (II *Cor.* XI, 2); et, *Revelabitur ira Dei de cœlo super omnem impietatem* (*Rom.* I, 18); et cætera innumerabilia ab ipso Domino, vel ab Apostolis dicta vel facta, quæ insanissime poterunt homines accusare non intelligentes. Nam et avari vel flagitiosi possunt aliter accipere quod Dominus ait, ut si quis dimiserit quæ habet, septuplum, aut etiam centuplum in hoc sæculo accipiat (*Matth.* XIX, 29); aut si aliquis uxorem, ancillam, vel etiam meretrices dimittere propter Dominum velit, spe illius multiplicationis faciat, non amore justitiæ. Possunt etiam horrere, male intelligentes quod ait, *Si quis non manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam* (*Joan.* VI, 54). Nam quod ait, *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* V, 22) : si dicant stulti, Ecce pro convicio gehennam minatur, quem dicitis misericordem ignoscere peccata : nonne ignorant ubi caput habeant, et tamen aliquid sibi videntur dicere? Aut quomodo tam multas animas necandas dæmonibus in porcis tradidit (*Luc.* VIII, 32), cum tales animas dicatis esse porcorum quales sunt hominum? Aut quemodo arborem, in qua fructus, quia non erat tempus, non invenit, verbo aridam fecit (*Marc.* XI, 13), quam animam intelligentem dicitis habere?

CAPUT XXXVIII. — Ecce quanta iniquissimi et cæci homines de divinis eloquiis possunt dicere, sicut vos in ea quæ mystice facta sunt vel dicta in veteribus Libris ignorantes ferimini, ut temere accusetis quod non intelligitis. Hæc autem cum de Novo Testamento vobis objecta fuerint, dicitis divina et spiritualia significare : Veteris autem Testamenti sanctas litteras figurate posse accipi negatis, cum et ipse Dominus figurate inde quædam dixerit, et apostolus Paulus omnia illi populo in figura contigisse scribat (I *Cor.* X, 11). Nam et ipse regulam monstrans, multa inde exposuit. Sed forte dicitis solita vanitate et obtuso corde contra Deum vel Apostoli auctoritatem loquentes, Veteris Testamenti dicta exponi prorsus non posse, solum autem Novum in talibus exponi posse. Et non consideratis non vos habere quid dicere, si ab aliis impiis vobis dicatur, Vetus potius exponi posse, Novum non posse. Mens autem sana utrumque Testamentum considerans, quæcumque in uno invenerit expositionem admittere, sine dubio in altero declarabit. Multum apparet imperitia vestra, vel potius malitia. Attendite in Actibus Leucii, quos sub nomine Apostolorum scribit, qualia sint quæ accipitis de Maximilla uxore Egetis : quæ cum nollet marito debitum reddere, cum Apostolus dixerit, *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro* (*Id.* VII, 3); illa supposuerit marito suo ancillam suam Eucliam nomine, exornans eam, sicut ibi scriptum est, adversariis lenociniis et fucationibus, et eam nocte pro se vicariam supponens, ut ille nesciens, cum ea tanquam cum uxore concumberet. Ibi etiam scriptum est, quod cum eadem Maximilla et Iphidamia simul issent ad audiendum apostolum Andream, puerulus quidam speciosus, quem vult Leucius vel Deum, vel certe angelum intelligi, commendaverit eas Andreæ apostolo : et perrexerit ad prætorium Egetis, et ingressus cubiculum eorum, finxerit vocem muliebrem, quasi Maximillæ murmurantis de doloribus sexus feminei, et Iphidamiæ respondentis. Quæ colloquia cum audisset Egetes, credens eas ibi esse, discesserit. Quid ad hoc dicitis, rogo vos? Quare non timuit Maximilla per turpissimum lenocinium ancillæ suæ ligare animas in carne? Cum autem illum puerulum tam turpiter credatis esse mentitum, quis vobis credat loquentibus, quando si mentiamini, Dominum vos dicitis imitari?

CAPUT XXXIX. — Sed vos temeritate pleni adhuc irruite in veteres Libros, ut quæ nescitis, potius accusare quam discere laboretis. Considerate quæ ibi miracula sint. Si miraculis Novi Testamenti delectamini, ibi mortui primo suscitati, ibi leprosi primo mundati, et alia multa quæ diligenter et pie quærentibus ad ædificandam fidem innotescunt. Si autem bonis præceptis delectamini, ibi primitus scripta sunt illa duo præcepta, quæ sublimiter Dominus laudat de diligendo Deo et proximo (*Matth.* XXII, 37, 39) : ibi dimittenda domus, parentes, filii, et cætera propter Dominum (*Id.* XIX, 29) : ibi non reddendum malum pro malo (*Rom.* XII, 17), ibi orandum pro inimicis (*Matth.* V, 44), ibi inimico ignoscendum, ibi tradenda maxilla ad accipiendam alapam (*Luc.* VI, 27; *Matth.* V, 39) : et quæcumque in Novo Testamento præcepta sunt, non solum ibi mandata, sed etiam a sanctis viris omni vigilantia completa. Numquid et hoc poterit dicere malitia vestra, quæcumque bona et magnifica ibi scripta sunt, falsa esse et apposita, illa vero quæ non intelligentes putatis mala, ea tantummodo vera esse? Debetis enim advertere, aliquos similiter impios ita de Novo Testamento facere posse, ut quæcumque ibi sunt quæ non intelligentes putaverint mala, ea reprehendant, et dicant ipsa ibi esse sola vera; illa autem omnia quæ ibi aperte magnificata sunt, dicant esse falsa, atque ab amatoribus Domini apposita, ne omnia viderentur fugienda : ut et vos et illi tali cæcitate percussi, jam judicati et damnati fugiamini. Tandem vigilate, et a blasphemiis conquiescite, atque omnium sanctarum canonicarum Scri-

plurarum, si Christiani esse cogitatis, auctoritatem recipite; et quæ non intelligitis, accusare nolite, sed potius eorum intellectum desiderate.

CAPUT XL. — Nam quale est etiam illud, quod resurrectionem carnis negatis? Paulus apostolus clamat, *Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione; seminatur in contumelia, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (I *Cor.* XV, 42-44). Et vos contra reclamatis, carnem hominis non posse resurgere, et eam tenebrarum principem habere auctorem; cum eamdem Apostolus membra Christi et templum Spiritus sancti esse dicat. *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra membra sunt Christi* (*Id.* VI, 15)? Quod non utique secundum infirmitatem præsentis corruptionis, quæ de peccati originalis pœna descendit, sed secundum adoptionem futuræ resurrectionis dicit: sicut alibi ait, *Et ipsi in nobis ingemiscimus, adoptionem expectantes, resurrectionem corporis nostri* (*Rom.* VIII, 23). Alibi etiam eamdem carnem Ecclesiæ comparavit, cum de conjugio loqueretur, dicens: *Nemo enim unquam carnem suam odio habet; sed nutrit et fovet eam, sicut Christus Ecclesiam* (*Ephes.* V, 29). Quod ergo alio loco dicit, *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* (*Galat.* V, 17); non carnem damnat, ut eam tanquam inimicam existimemus; sed admonet potius, ut subjugemus nobis eam ad bona opera concipienda, et parienda, ut velut conjux spiritui serviat: quod dicit non posse fieri, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Non enim natura carnis, sed pœna ejus nobis reluctatur; quia peccato meruimus esse mortales. Nam iterum dicit, *Corpus vestrum templum est in vobis Spiritus sancti* (I *Cor.* VI, 19). Et tamen cum ipsa caro propter præsentem infirmitatem fenum appelletur (*Isai.* XL, 6); creditis Joannem de feno aurum fecisse, et non creditis Deum omnipotentem de corpore animali spirituale corpus facere posse? Nam propter ipsam commutationem carnis, quæ futura est, quoniam de ista carne cœleste corpus Deus facturus est, quando erimus æquales Angelis Dei (*Matth.* XXII, 30), propterea verissime dicit idem apostolus, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (I *Cor.* XV, 50).

CAPUT XLI. — Sed non mirum quod ita cæci estis, ut non posse ab omnipotente Deo ista fieri putetis: cum etiam dicatis mundum, vel omnia quæ facta sunt, non potuisse aliter facere Deum, nisi magna et miserabili necessitate, et nisi esset materia quæ illum ad operationem mundi adjuvaret, ut inde posset partem suam liberare. Eligite ergo nunc quid sequi velitis: Deum minus potentem et infirmum, qui necessitate partis suæ in miseria constitutæ, a materia quam ipse non fecerat, ut mundum faceret adjutus est; an Deum omnipotentem qui nulla necessitate, sed propria voluntate et summa potestate, *dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt* (*Psal.* XXXII, 9; *Gen.* I, 3); *qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* (*Rom.* IV, 17).

CAPUT XLII. — Vos ergo homines, qui ista impietate Manichæi estis decepti, fugite, festinate dum licet, ne damnationem æternam ab illo justo judice mereamini. Pœniteat vos peccatorum vestrorum, si cupitis liberari; et nolite audire Manichæos dicentes, Non peccamus nos, hoc est, animæ lucis, sed peccat gens tenebrarum. Si enim ita est, quare nos terrent, ut eis credamus? Non enim possunt dicere, quia infidelitas non est peccatum; cum scriptum sit, *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18).

CAPUT XLIII. — Si ergo infidelitas peccatum est, et non peccat nisi gens tenebrarum, restat ut ab omni peccato pars lucis immunis inveniatur. Omnes ergo ad regnum redeunt, quia ipsi non peccant: et nihil timendum est alicui animæ, quia nihil peccat: et falsa sunt quæ Manichæus dicit, succisivam lucis partem, hoc est, animas peccatrices damnari ad custodiam globi, ut aliqua securitas divinis regnis in periculo constitutis tandem aliquando comparetur. Necesse est ergo ut aut pars lucis peccet, aut pars tenebrarum. Sed si pars lucis peccat, Deus peccat, quod nefas est dicere: si autem pars tenebrarum peccat, ipsa vocatur ad regnum per eum qui dixit, *Non veni vocare justos, sed peccatores*; quia, *non est opus sanis medicus, sed male habentibus* (*Matth.* IX, 13). Illa autem divinitas de divinitate, et lux de lumine, tenebrarum generi degenerans in æternum sociatur.

CAPUT XLIV. — O detestandum mentis errorem talia credentium! Vellem tamen ut attenderetis, et videre velletis, cum quem naturaliter summum malum esse dicitis, non posse fieri ut malus sit. Quoniam si quidquid facit, sic facit ut a natura sua recedere et aliter facere non possit, prorsus nihil peccat: si autem nihil peccat, nihil mali facit: et ideo si nihil mali facit, non est utique malus. Restat itaque ut pars Dei, quæ Deus intelligitur, quam animam dicitis, sola sit rea omnium peccatorum, et omnia illa quæ accusanda insanissime putatis, in deum vestrum refundatis. Sed quid veritas clamat? Corpus cum exanime est peccare non posse, sed per ipsum posse peccari: animam vero, irrationalem quidem peccare non posse; quia nec præcepta rationis potest accipere, neque ad beatitudinem pervenire, sed in suo gradu servare ordinem naturæ quem acceperit: rationalem autem, quia potest recte factorum rationabilia præcepta percipere, et recte factis ad æternam beatitudinem pervenire; si hoc peccando noluerit, juste ad inferiora damnari; quia inter ipsam et Deum non separat nisi voluntas prava.

CAPUT XLV. — Legite, Manichæi, et omni vigilantia ista discutite, et magis magisque legite atque discutite; sed animo æquo, non animo inimico. Legite illud attendentes, quia erit vobis in futuro judicio ista Scriptura testis, si agnoscentes vera esse quæ dicta sunt, ad sinum matris Ecclesiæ catholicæ, quæ sola veritatem docet, omni cursu non festinaveritis.

CAPUT XLVI. — Judicate tandem aut eligite, Manichæi, quem sequi vultis, Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum sanctum in Patris et Filii unitate communem, unum Deum omnipotentem, incorruptibilem, inadibilem, incommutabilem, verum, bonum, sanctum, clementem, justum, qui non habet partes, quia unus est; neque ejus particula separari ab eo potest, quia inseparabilis est; neque aliquid ejus immutari potest, quia totus incommutabilis est; neque vel leviter quodlibet ejus substantiæ corrumpi potest, quia totus incorruptibilis est: qui voluit, et facta sunt omnia quæcumque sunt, quæcumque vivunt, quæcumque intelligunt; ipse enim summa substantia, summa vita, summa veritas est: qui præcepit, et ordinata sunt omnia suis locis et temporibus bona; qui rationalem creaturam omni cæteræ creaturæ præficere dignatus est; qui ei per superbiam a suis legibus voluntate lapsæ et visibilia sequenti, misericorditer per suos ministros ac per se ipsum signis quibusdam visibiliter et exemplis et præceptis demonstratis quibus consurgere valeret, atque ad æternam vitam renovaretur, loqui dignatus est: quem prædicat catholica fides.

CAPUT XLVII. — An illum Deum qui falso dicitur incorruptus, quia postea invenitur malo necessitatis oppressus; timidum, quia imminente labe ac vastitate compulsus ad bellum est; ignorantiæ plenum, si suæ parti quid contingere posset, videre non potuit; crudelem, si prævidens miseriam futuram partis suæ, et qui cum ea securus posset quiescere, tamen eam misit ad miserabilem pugnam; malum, si cum sibi fieri a mali natura nihil posset, tamen conatus est eam ipse delere; temerarium, qui ausus est congredi cum ea, a qua ejus pars et captiva teneretur, et in sempiternum macularetur; commutabilem, quia jam ex parte mutatus est: corruptibilem, quia jam ex parte meretricantem, ex parte mentientem, ex parte blasphemantem, scelera omnia ex parte facientem, quia his omnibus ex parte commixtus est; lugentem, velo

luctuoso tectum; subjacentem dæmoniis ut lutum figulo, et usque ad turpem personam necessitate perductum, ut in pueros et virgines transfiguratus dæmonum libidinem accenderet, quem prædicat Manichæus. Aut certe, si potest, neget conscientia vestra, teste vobis vero Deo æterno, qui omnes judicaturus est, unum istorum vobis ipsis negate.

CAPUT XLVIII. — Si autem vera sunt quæ dicimus, tandem respicite, tandem videte, in qua estis morte constituti. Humiles estote, si optatis liberari, et nolite superbe et impie dicere, vos ipsos esse Deum omnipotentem. Hoc enim dicitis, cum animas vestras partes ejus esse asseveratis : non enim Deus in parte major, in parte minor est. Sed potius dicite vobis, Deus incommutabilis est, nos commutabiles sumus : Deus incorruptibilis est, nos cupiditatibus nostris corrumpimur : Deus incoinquinabilis est, nos peccatis nostris coinquinamur : Deus ipsa sapientia est, nos stulti ad sapientiam pervenire conamur : Deus ipsa æterna et beata vita est, nos peccatis nostris miseri sumus, et optamus fieri beati : non ergo sumus pars substantiæ ejus. Si enim partes ejus estis, et hæc tanta patimini, restat ut et ipse jam ex parte hæc omnia patiatur, et amplius pati potuerit, quod ejus contingit parti, nisi per vestram miseriam sibi provideret. Videte vos ergo quid estis : si partes ejus, Deus estis; si geniti ab illo estis, similiter Deus estis : quid tanta peccatorum corruptione turpamini? Si autem facti ab illo estis, hoc confitemini, et non jam eritis Manichæi.

CAPUT XLIX. — Manichæus enim duas dicit esse naturas, unam bonam et alteram malam : bonam quæ fecit mundum, malam de qua factus est mundus. Si autem vos Deus fecit, non invenit Manichæus unde vos Deus fecerit. Si enim de se ipso vos fecit, hoc estis quod ipse. Non ergo debuistis tanta peccatorum corruptione turpari, sicut jam dictum est. Si autem de alieno vos fecit, non ad illum pertinetis; quia sic vos fecit quomodo mundum. Si autem nec de se ipso, nec de alieno vos fecit, sed tantum omnipotentia sua voluit, et facti estis; hoc dicite Manichæo, et renuntiate ejus errori. Sic decet enim Omnipotentem facere quæ voluerit, sicut Catholica dixit, *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* XXXII, 9). Dicite vobis, Non sumus partes ejus, sed sumus opera ejus. Dicite vobis, Si Deus necessitate passus est, et evadere aliter non potuit, nisi partis suæ pateretur detrimentum; quis aliquando poterit de talibus necessitatibus liberari? Aut quis erit qui protegatur a Deo non valente se ipsum protegere? Aut quando me de hac necessitate captivitatis poterit liberare, qui me in integris regnis custodire non potuit? Non enim peccantem me inde dimisit, sed ad peccata ipsa [1] me misit. Aut quando mihi in alienis miserabiliter constituto prodesse poterit, qui ut sibi prodesset, me ad tantam perniciem dedit, ne pugnaret. Si incorruptibilis est ipse Deus, quid ei factura erat illa mali natura, si nollet cum illa pugnare, ne nunc ego sic cruciarer? Aut quæ ista injustitia, ut ad globum damner, cum ille ut modo aliquantulum securus sit, ego hæc tanta sustineam? Certe quoniam et ego sum quod ipse, quoniam pars ejus sum, nullo in regnis ejus insignibus indigente aut infirmo constituto, vicibus istam miseriam patiamur, ut et ego aliquantulum requiescam, et regna illa sine periculo possint esse pacata. Quanquam timendum sit ne ista natura mali nec in globo ipso inclusa custodiri possit. Si enim incorrupta regna corrupit, et inviolatam Dei substantiam violavit; quomodo pars illa lucis, hoc est, animæ peccatrices, quæ vitiatæ globo custodiendo infiguntur infirmæ ac debiles, quomodo non absorbentur ab ea, ut iterum regna illa divina nullo jam valente obsistere tota conturbet? Quis enim jam audeat procedere ad bellum, quando cum illa parte quæ processerat tam inique actum est, ut pro ejus requie sui cives [2] ad sempiternam globi custodiam damnarentur? Aut si non potest perrumpere globum, ut ad lucidum illud tectorium damnatarum animarum perveniat, quid opus eam est contegi divinorum damnatione membrorum? Si autem potest perrumpere globum, quis ei resistet saucius, qui integros sauciavit! Absit tam gravis et tam abominanda blasphemia. Nolite istam iniquitatem ad aures vestras admittere : nolite tali negotio mortifero vos implicare. Fugite Manichæum, et ad veritatis catholicæ ubera toto desiderio convolate.

[1] Cisterciensis Ms., *ipse*.

[2] Idem codex, *ut ejus requie succines ad sempiternam*, etc. Alii Mss., *ut ejus requie nulli sui cives*.

ADMONITIO IN COMMONITORIUM SUBSEQUENS.

Sub Augustini nomine vulgatum est in Appendice ad decimum tomum operum S. Augustini editionis perfectæ anno 1586. Circa idem tempus fuit etiam procurante Baronio in tomi quinti Annalium Ecclesiasticorum Appendice publicatum ex vetere codice Gervasiani collegii Parisiensis. Nunc demum prodit recognitum diligentius ad exemplar quod in bibliotheca reginæ Christinæ asservatur, necnon ad Prosperi cujusdam ex Manichæis conversi Anathematismos, quos edidit Sirmondus in tomo primo Conciliorum Galliæ.

COMMONITORIUM

VULGO

SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI ECCLESIÆ CATHOLICÆ,

QUOMODO SIT AGENDUM CUM MANICHÆIS QUI CONVERTUNTUR.

Cum Manichæi, qui convertuntur, et quos pœnitet hujus nefandissimi erroris, anathemaverint eamdem hæresim secundum formam infra scriptam, libellumque dederit unusquisque eorum confessionis et pœnitentiæ suæ atque anathematis eorum, petens in Ecclesia vel catechumeni, vel pœnitentis locum; si libellus ejus episcopo placuerit, eumque susceperit, det ei epistolam cum die et consule, ut neque de superiore tempore aliquam molestiam, vel publicis legibus, vel disciplina ecclesiastica patiatur. Et post ipsum

diem, si aliquibus indiciis manichæus apparuerit, sentiat justitiæ severitatem, quæ talibus adhibenda est : id est, ut ab ejus consortio, vel amicitia, vel quacumque societate Christiani se abstineant, secundum apostolicam disciplinam [1] (*Tit.* III, 10). Commendentur autem, qui epistolas ab episcopo acceperint, religiosis catholicis vicinis, vel cohabitatoribus suis, sive clericis, sive laicis, per quorum erga se curam frequentent ad audientiam sermonis Dei [2], et quorum testimonio possint innotescere : nec facile admittantur ad Baptismum, si catechumeni sunt, nec ad reconciliationem, si pœnitentiæ locum acceperunt, nisi periculo mortis urgente, vel si eos aliquanto tempore probatos esse cognoverit episcopus, per eorum testimonium, quibus fuerint commendati.

Forma ergo secundum quam debent hanc hæresim, qui corriguntur, anathemare, ista est :

I. — Qui credit duas esse naturas, diversis principiis existentes, unam bonam quod est Deus, alteram malam quam non creavit Deus, habentem principes suos et mala sua quæ non creavit Deus, anathema sit.

II. — Qui credit duas naturas bellum inter se gessisse, et partem naturæ Dei in eodem bello principibus tenebrarum et omnibus gentibus ad malam naturam pertinentibus fuisse permixtam, et ab eis teneri colligatam [3], oppressam, inquinatam, quod et credi facit naturam Dei esse mutabilem et coinquinabilem, anathema sit.

III. — Qui credit partem Dei ligatam et inquinatam teneri in dæmonibus, et in omnibus animalibus, fruticumque [4] generibus, et per escas Manichæorum Electorum solvi atque purgari, ut credatur pars Dei polluta teneri in cucumeribus, et melonibus, et radiculis, et porris, et quibusque vilissimis herbulis, et ei subveniri cum ab Electis Manichæorum ista comeduntur, anathema sit.

IV. — Qui credit hominem primum, qui est appellatus Adam, non a Deo factum, sed a principibus tenebrarum genitum, ut pars Dei, quæ in eorum membris captiva tenebatur, copiosius et abundantius in terra teneretur, et isto modo creatum, cum masculi et feminæ principes tenebrarum concubuissent, et fetus suos majori principi tenebrarum dedissent, et ille omnes comedisset, et cum sua conjuge concubuisset, atque ita ex illa Adam generasset, ligans in illo magnam partem Dei, quæ ligata fuerat in omnibus fetibus principum tenebrarum, quos ei manducandos dederunt, anathema sit.

V. — Qui credit principes tenebrarum ligatos esse in cœlo habentes in se colligatam in angustiis atque angoribus vitalem substantiam, hoc est partem Dei, et eo modo liberari de membris eorum, cum beatus Pater, qui lucidas naves habet diversoria et habitacula, id est solem et lunam, virtutes suas transfigurat in feminas pulchras quas opponit concupiscendas masculis principibus tenebrarum, et in masculos pulchros quos opponit concupiscendos feminis principibus tenebrarum, ut per ipsam concupiscentiam solvatur ex eis vitalis substantia, id est pars Dei, et ex eorum membris liberata purgetur, anathema sit.

VI. — Qui credit partem Dei, quæ de commixtione gentis tenebrarum non potuerit liberari atque purgari, damnari et in æternum affigi horribili globo, ubi includitur gens tenebrarum, anathema sit.

VII. — Qui credit legem, quæ data est per Moysen, non esse a bono [1] et vero Deo datam, nec Spiritu Dei boni et veri locutos Prophetas qui fuerunt in populo Israel, et in canone Scripturarum divinarum habentur apud catholicam Ecclesiam, anathema sit.

VIII. — Qui credit non habuisse veram carnem Filium Dei Dominum Jesum Christum, neque natum esse de virgine Maria, neque veram mortem fuisse perpessum, et a mortuis resurrexisse [2], sed tantummodo spiritum fuisse sine carne, sic autem apparere voluisse, ut caro putaretur, quæ non erat, atque hoc modo contradicit Evangelio, ubi legitur Domino ipso dicente, *Videte manus meas et pedes meos ; palpate et videte, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39) : qui ergo sic confitetur Christum Deum, ut verum et integrum etiam hominem neget, anathema sit.

IX. — Qui credit Manem sive Manichæum, qui supra scripta omnia, quæ anathemate et damnatione sunt digna, prædicavit et docuit, Spiritum sanctum habuisse paracletum, cum ea omnia docere non potuerit Spiritus veritatis, sed spiritus falsitatis, anathema sit,

X. — Et præcipue ipse Manes sive Manichæus, qui omnes suprascriptas impietates [3] et alias sacrilegas damnabilesque fabulas docuit et conscripsit, et credendas miseris persuasit, intendens spiritibus seductoribus et doctrinis dæmoniorum mendaciloquorum, anathema sit.

Item forma epistolæ quam dat episcopus conversis, ista est :

Quoniam te Manichæorum Auditorem pœnitet fuisse, sicut ipse confessus es, anathema dicens blasphemiis et impiissimæ atque immundissimæ hæresi eorum, ex qua te nonnisi fides catholica salvum facit ; habebis hanc epistolam adversus eos, qui tibi temporis præteriti errorem, quantum ad istam nefariam pertinet sectam, objiciendum putaverint, quæ scripta est die illo et consule illo.

Electis vero eorum, qui se converti dicunt ad catholicam fidem, etiamsi et ipsi secundum superiorem formam eamdem hæresim anathemaverint, non facile dandæ sunt litteræ : sed cum Dei servis esse debebunt, sive clericis, sive laicis in monasterio vel xenodochio, donec appareant penitus ipsa superstitione caruisse ; et tunc vel baptizentur, si non fuerint baptizati, vel reconcilientur, si pœnitentiæ locum acceperint : nec acceptis cito litteris, loca in quibus fuerant commendati, deserant.

[1] Alias, *auctoritatem.*
[2] Alias, *erga se securam frequenter audientium sermonis Dei.*
[3] Alias legitur. *et ab eis tenebris colligatam.*
[4] Alias, *fructuumque.*

[1] Alias, *ab uno.*
[2] Alias, *revixisse.*
[3] Alias, *qui omnes spiritus impietatis.*

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Pronuntiavit olim Erasmus, non esse probabile hunc dialogum esse Augustini, cujus non meminit in libris Retractationum. *Nam Actis ecclesiasticis,* inquit, *solet addi locus, interdum etiam quid fecerit qui proponit, aut qui respondet. Ad hæc, non solent Ariani tam facile concedere in disputando, quam hic facit Felicianus. Præterea densior est Augustinus in citandis Scripturis, quam hic est.* Notat postremo Erasmus phraseos dissonantiam, et concludit eruditum aliquem exercendi ingenii gratia fluxisse dialogum ; quod factum et ab Hieronymo vidomus. Dissimulata vero hac Erasmi censura, Lovanienses librum hunc excudi curarunt inter genuina opera et

cum nomine Augustini, quia videlicet ipsius esse agnoscit Beda vulgatus in Paulum ad I Cor. 1, et Lanfrancus in opere contra Berengarium : quibus adjungi potest Alcuinus, lib. 1 contra Elipantum, et Petrus Lombardus in 3 Sent. dist. 21, cap. *Sicut;* et dist. 22, cap. *Et utique*. Sed quod ad Bedam, certe Bedæ veri collectio in Paulum, quam in bibliotheca Germanensi habemus nondum vulgatam, caret prorsus eo loco libri hujus qui in collectione vulgata, cujus auctorem esse Florum sæpe notavimus, citatur tanquam Augustini. Nihil autem mirum quod Augustini creditus est liber, ejus revera nomine in vetustissimis codicibus prænotatus, et forte ipsi a vero illius auctore certis de causis suppositus. Id scilicet a Vigilio Tapsensi factitatum observavimus admonitione in Altercationem cum Pascentio, in Appendice tomi secundi. Hunc eumdem Vigilium subsequentis cum Feliciano Altercationis auctorem detexit demonstravitque Petrus Franciscus Chiffletius, non solum ob similitudinem stili cum indubitatis Vigilii contra Eutychem libris, sed etiam quia in Divionensi Abbatiæ codice antiquo (quem quidem ante annos circiter octingentos scriptum putamus) Vigilii nomen præfert. Vigilius ipse in præfatione librorum contra Varimadum, digestos a se in unum corpus de Unitate Trinitatis libellos memorat, ubi adversarii propositionibus, non testimoniorum auctoritate, sed rustico, ut ait, sermone, id est, quasi sacrarum litterarum rudis respondebat. Cæterum Optati nomen, cui directus liber notatur in editis, abest a Divionensi codice et ab aliis melioris notæ. In quibusdam tamen Mss. et titulus habet *De Unitate Trinitatis ad Optatum;* et præfatio *Extorsisti mihi, dilectissime fili Optate.*

CONTRA FELICIANUM
ARIANUM
DE UNITATE TRINITATIS
LIBER UNUS, VIGILIO RESTITUTUS.

CAPUT PRIMUM. — Extorsisti mihi, dilectissime fili, ut de unitate Trinitatis, quæ perfectus Deus semper ac summus est, officii non immemor sacerdotalis, aliquid scriberem; idque a me, cum propriæ infirmitatis conscius sæpius excusarem, multis modis exegisti; asserens communis fidei rationem, et religiosos accipere, et sacerdotes debere fidelibus non negare; ne aut illi dum non accipiunt, incipiant ab infidelibus facile decipi, aut ab his cum desiderata non tribuunt, cœlestis thesaurus Christi membris non expendi, sed in terra quodam modo sterilis peritiæ videatur abscondi. Itaque victum me fateor probabilibus causis, ne inermes tradere videar obsistentibus malis, dum adversus infideles non instruuntur munimine veritatis. Verum quia in hujusmodi quæstionibus quædam obscuritas continua oratione frequenter incurritur, idcirco id mihi visum est, ut eum sermonem qui inter me et Felicianum nuper est habitus, prænotatis propter personarum discretionem principalibus nominum litteris, præsentis libelli brevitate complecterer.

CAPUT II. — Nam cum ante hos dies pariter sederemus, tum ille : Inter alia, inquit, quæ me in vestris disputationibus frequenter offendunt, nihil deterius puto, quam quod sic præcepta fidei rudibus traditis, ut non de intelligendarum rerum ratione, sed potius de quadam testimoniorum ostentatione colloquentibus præscribatis. Quod ut non dicam vafrum, interim quam rusticum sit nullus ignorat. Primum quod si is qui edocetur libris jam credidit, obtemperat iste, non repugnat : alioquin non magis tibi quam iisdem testimoniis quæ pro affirmato ingeruntur, necesse est contradicat. Et ideo melior mihi ad docendum videtur hæc via, qua primum fidei ratio sine testimoniis redditur : post ratione convicto, iter illud Scripturis respondentibus expolitur. Et non immerito : si enim testimonia hæc eo probantur, quod ratione non careant, potest per se illa sufficere, quæ etiam hæc non nisi per se ipsam videtur astruere. Sin contra, quis potest irrationabilibus testimoniis, licet illa divina fingantur, rationabilis fidei colla submittere? Et illam quidem disputandi viam, fateor, in aliis tolerarem, quos imperitiæ necessitas, quia per se stare non queunt, cogit ad aliena confugere : in te vero idcirco nullo modo prorsus ista perpetior, quia eloquentiam pariter cum scientia fidei tibi video non deesse.

Tum ego : Non usque adeo, inquam, me duci putes laudibus meis, ut injuriam faciam præcedentibus sanctis. Nec præsumam unquam in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi (I *Cor.* I, 17. *Videatur Beda vulgatus in eumdem locum.*) : sed Scripturarum auctoritate contentus, simplicitati obedire potius studeo quam tumori. Sed melius, inquis, ratione quis quam testimoniis edocetur. Quid ergo? quam rationem afferre potes, si partum prædicas virginis, si redditos oculos non negas cæcis, si sepultos redisse ostendis a mortuis? Si ergo horum et incomprehensibilis ratio, et veritas prompta est; facilius in negotiis fidei testimoniis creditur, quam ratio vestigatur. Verum quia non nimis inconsequenter duo ista discernis, cum ratione præmissa etiam testimonia non omittis : idcirco in hac disputatione id me fateor secuturum, quod ipse probaveris.

CAPUT III.— Felicianus : Ergo, inquit, quoniam otiosi sumus, ad homousii vestri quæstionem, de quo non inter nos tantum, sed etiam inter majores nostros plerumque tractatum est, veniamus. Et ne longius evagetur oratio, ipse jam, ut soles, personam proponentis assume, et a nobis rationem nostræ fidei, quærentibus vicissim redditurus, inquire.

Tum ego : Dic mihi, inquam, verumne sit quod te audio dicere, Patri homousion non esse penitus Filium?

Felicianus : Verum est, nec persuaderi mihi potest id ingenitum esse quod genitum, ne eumdem Patrem videar prædicare quem Filium.

Augustinus : Non ita est : nam ne mihi quidem istud in animo est, eumdem ingenitum esse quem genitum; sed id potius ingenitum esse quod genitum.

Fel. Et quomodo non eumdem ingenitum dicis esse quem genitum, si utrumque unum putas esse, non alterum?

Aug. Animadverto vim te penitus non attendisse verborum : nam dum utrumque unum dico, substantiam veri Patris ac veri Filii ex toto non separo : et dum non eumdem Patrem quem Filium prædico, utriusque personam servata uniuscujusque proprietate discerno. Itaque si substantiam quæris, ipsa Trinitas unus est Deus ; si personam, alter est Filius.

Fel. Et quomodo et idem esse dicis, et alterum Filium.

Aug. Idem, inquam, communione substantiæ ; alterum proprietate personæ.

Fel. Nescio quo pacto una creditur esse substantia, cum non una dicatur esse persona.

Aug. Non est, inquam, una persona, quia una genuisse, et altera dicitur genita : et est tamen nati et gignentis non diversa substantia, quia non dissimilis generanti docetur exorta.

Fel. Velim quæso exemplo mihi faciliore dicta dilucides.

Aug. In rebus quidem incomprehensibilibus exempla non suppetunt disputanti : tamen in quantum fieri potest, etiam in hac parte non deero. Ecce igitur homo pater habet hominem filium : est quidem commune utriusque quod homo est, uni tamen quod filius, alteri proprium videtur esse quod pater est ; nam in utroque sic persona discernitur, ut communis humanitas non negetur, dum unus gignit, alius gignitur ; æque autem homo et qui genuit dicitur, et ille qui gignitur.

CAPUT IV. — Fel. Illud certe dicas velim, genitus ab ingenito utrum initio separetur, an non ?

Aug. Ne id quidem spiritualis intelligentiæ veritate recipitur, ut Pater a Filio interventu, non dico temporis, quod diebus constat ac noctibus, sed cujuslibet ævi vel ætatis [1] spatio separetur.

Fel. Hoc si ita est, duo fateris ingenita. Et quomodo altera Patris, altera Filii putatur esse persona, cum per significationem communis ingeniti utraque videatur esse confusa ?

Aug. In hoc quidem a majoribus vestris non mediocris calumniæ sophisma contexitur ; tamen per auxilium ipsius Trinitatis catholica necesse est simplicitate solvatur. Patrem namque ingenitum, Filium genitum dico, nec ideo tamen genitum ingenito coæternum esse non prædico, eo tantum docens ingenitum Patrem, quia non processit ex altero ; eo genitum Filium, quia non exstitit ex se ipso. Non est commune utrique nasci, non est commune, non gigni : et commune tamen est alterum ab altero interventu medii temporis non divelli. Itaque si proprium Patris quæris, sufficit quia solus non habet patrem ; si Filii, satis est quod non habet prolem : unam autem et coæternam Patris et Filii dicimus deitatem.

Fel. Quantum ad me attinet, non video quid ista nunc colligas. Nam quamvis Aristotelica mecum subtilitate contendas, fieri tamen non potest, ut eum qui genitus est, ab eo qui genuit nulla ævi intercedentis antiquitate discernas.

Aug. Scio equidem, ut ille ait, quam in difficili loco versetur oratio : tamen verendum nobis nihil est, qui per adjutorium sancti Spiritus, testimonium dicimus Deo. Quid ergo dicemus ? Estne aliquid in Patre quod negetur ingenitum, an non ? Si est, non in toto, sed in parte potius dicatur ingenitus ; alioquin non ex tempore cœpit esse Filius. Nam si paternitas non cœpit Patris, initium inveniri non potest prolis. Si initium dicitur prolis, non æterna paternitas docebitur Patris. Et quomodo stabit, quia totum in Patre docetis ingenitum, qui ipsius paternitatis nomen habere putatis initium, cum cœpisse ex tempore dicitis Filium, quo nondum exstante Patrem dici non potest vocitatum ?

Fel. Non sum tam stultus, ut tempus præferam Filio ; sed initium dari certum est genito.

Aug. Quid ergo ? inter Patrem et Filium dicis medium nihil fuisse ?

Fel. Ita prorsus.

Aug. Quomodo igitur negas Patri Filium coæternum, qui inter Patrem et Filium fateris esse nihil medium, ne idipsum non medium tam constet esse quam tertium ?

CAPUT V. — Fel. Quoniam me disputandi arte concludis, id quod a majoribus nostris dictum est, breviter explicabo. Aiunt enim, quoties de initio Filii et Patris æternitate tractatur : Erat quando non erat, et antequam nasceretur non erat.

Aug. Quantum adverto, manente malæ credulitatis errore sola verba mutata sunt. Dixisti namque, Erat quando non erat. Erat istud, ad ævum pertinere vultis, an ad Filium ? Si ad ævum, id est, velut quoddam ante Filii nativitatem æternitatis spatium ; ecce ad superiorem blasphemiam necessitate delaberis, cum inter Patrem et Filium, tertium quoddam tempus immittis, dicisque, quia erat ante Filium Pater et tempus, post hæc duo Filius, post tria ista Spiritus. Quod si admittimus, ut sine tempore gigni non potuerit Filius, vide quam late pateant ista quæ dicimus. Nam si non sine tempore est Filius, certe nec nisi in loco dicendus est genitus. Hoc admisso, ante Filium et Spiritum sanctum cœvus quodam modo Patri dicatur et locus. Quod si ita est, quod sine loco et tempore nasci non potuerit Filius, in quo loco, aut in quo tempore factum locum dicis et tempus ? Si in nullo, ecce sine tempore et loco fieri potuit tempus et locus. Si in aliquo, idipsum videtur tempus et locus, in cujus origine similiter et locus requiritur et tempus. Quod si usque adeo sine tempore et loco fieri aliquid potuit, ut nec in loco locum, nec in tempore factum doceas tempus ; nescio qua temeritate contendas, quod nasci sine his [1] non potuerit Filius, qui quantum ad sanam fidem, et locum docetur fecisse et tempus. Sed de hoc satis ; nunc quod a majoribus vestris dictum prædicas, repetamus. Erat, inquis, quando non erat. Si Erat istud, ad tempus referas, ecce ante Filium tempus : si ad Filium, nunquam non erat Filius ; erat enim jam quando non erat Filius, a quo factum dicitur tempus [2]. Sed, Antequam nasceretur, inquis, non fuit. Quis, quæso, non fuit antequam nasceretur ? Si Filius, ecce ipso intellectu ante Filium fuisse dicitur tempus. Si autem antequam nasceretur Filius, non erat tempus, sequitur ut dicatur Patri Filius coæternus. Inter quem et Patrem nullum fuisse dicitur tempus ; maxime cum inter cætera Evangelistis attestantibus, etiam tempus fecisse dicatur Filius. Sed forte de Patre dictum aliquis putet, Erat quando non erat Filius. Cui sententiæ secuta non concinunt, quibus dicitur, Et antequam nasceretur non erat : nam per se Pater semper existens etiam a vobis dici non potest natus, qui non ab initio docetur exortus ; et in Patrem cadere non potest, Erat quando non erat genitus.

Fel. Quoniam me verbis ut mea fert opinio, inopinata subtilitate certantibus non mediocriter defatigas, idcirco quæso, ut si fieri potest, exemplo cujuslibet rei, possibile id esse quod docere conaris, ostendas. Neque enim aliter credere possum, licet vi orationis [3] oppressus, coæternum esse genitum Patri, nisi aut utrumque genitum, aut utrumque patrem dixeris sibi.

Aug. Quoniam me ad incomparabilium rerum exempla compellis, idcirco quæ sit ignis potentia videamus, ex quo semper splendor, semper est vapor. Utrumque de eo nascitur, nec ideo tamen ignis sine horum quolibet aliquatenus invenitur. Hæc tria non se invicem gignunt, quia non de splendore ignis et vapor, aut de vapore ignis et splendor, sed de igne

[1] Ita omnes Mss. At Er. et Lov., *vel æternitatis.*

[1] Er. et Mss. omittunt, *sine his.*

[2] Sic Mss. At Lov., *erat enim jam Filius quando non erat tempus.*

[3] Er. et Lov., *vi rationis.*

splendor et vapor semper est genitus. Quæ cum ita sint, videsne etiam in creaturis posse aliquid nasci, nec ostendi tamen tempus, quo id de quo natum est sine genito potuerit inveniri? Si ergo visibilibus exemplis ista perspicimus, cur non de Patre, Filio et Spiritu sancto, quantum ad communem duntaxat atque indifferentem æternitatem, similia prædicemus? Neque enim ideo necesse est Patrem et Filium et Spiritum sanctum æque dicamus ingenitum, quia nullum ab altero ævo interveniente dicimus separatum: cum etiam ex aliis rebus quædam genita, nec ideo tamen aut æque gignentia, aut sine invicem docentur exstantia. Sed quid prodest horum multa colligere, cum paucorum testimoniis etiam cætera liceat æstimare?

CAPUT VI. — FEL. Quoniam sententiam meam, præcedentium patrum auctoritate fundatam, nova disputandi arte conturbas; idcirco velim mihi dicas de natura Filii Dei, id est, de substantia ipsa quid sentias. Si enim, ut dicere vos soletis, homousion est Patri, ipse quodam modo pater est sibi, alioquin consubstantialis esse non potest genitori. Nam quidam nostrum homousii opinionem ridere sic solebat, dicens, Si non extrinsecus, sed ex eodem ipso prolatus est Filius, in duos quodam modo divisus est unus, quandoquidem non aliud gignens dicitur esse quam genitus.

AUG. Dum nos Aristotelica dicis arte contendere, ipse ad dialecticorum videris laqueos confugisse. Sed nos fidei veritate confisos nequaquam possunt ista terrere. Quid igitur? dicis ex substantia, credo, Patris nasci Filium nequivisse, ne ingenitum Patrem Filii videamur generatione dividere[1]. Quod si ita est, male creditur Filius, qui non ex Patre, id est, non ex eodem ipso genitus, sed extrinsecus factus inter alia prædicatur. Quod ut sit intellectu facilius, id ipsum pro posse explicabo. (*a*) Filiorum namque adoptivi alii, naturales alii sunt. Ii qui geniti, ab initio filii semper ac proprii; illi primo alieni, post filii, cum per adoptionem in familiam videntur ascisci. Quibus ergo comparandus est Filius Dei? Si adoptivis, erit apud Patrem similis nobis; si propriis, ex substantia substitisse dicendus est genitoris. Sed in duo, inquis, substantia paterna dividitur, si ex solo Patre substantialiter Filius generatur. Hoc quam stultum sit, etiam visibilia ipsa nos docent. Quis enim unquam vel carnalium patrum gignendo divisus est? Quod si nec in conditionem corporis cadit ipsa divisio, nemo enim sic genuit filium ut se perderet medium, et salva integritate Patris non potuisse nasci dicitis Filium? Sed quid plura? Nativitatem Filii Dei ortumque rimantibus, hæc, ni fallor, occurrunt; id est, ut aut ex Patre sit, aut ex nihilo, aut ex altero, aut ex se ipso. Horum, quæso, consequentiam videamus. Si ex se ipso; non recte filius dicitur, qui non natus, sed ingenitus prædicatur: si ex nihilo; creatura cum cæteris, non creaturæ auctor ostenditur: si ex altero: non ejus cui credimus, sed nescio cujus incogniti patris filius prædicatur. Quod si præter quatuor hæc non inveniri potest quintum, nec de his propter evidentem blasphemiam tria prædicari penitus possunt; restat ut substantialiter de Patre sit genitus: quia, ut diximus, nec inveniri quintus, nec præter primum de his doceri potest aliquis modus; utpote cum nec creatura, nec alterius patris filius, nec ut Pater dicatur ingenitus.

FEL. Quasi vero ego aut præter hæc quintum, aut de his tribus aliquid prædicarim: qui sic non ex substantia Patris exstitisse Filium dico, ut tamen ex ejus voluntate non negem genitum.

AUG. In unum de supradictis consequentia ipsa detruderis. Cum enim de Filii substantia requirimus, quem tu ex Patre substantialiter genitum non fateris, sine dubio inter alia ex nihilo factum esse contendis: quandoquidem nec corruptibiles creaturas dicimus substitisse, nisi ut has Deum et voluisse per ineffabilem dispensationem, et potuisse per singularem potentiam dicamus efficere; dum et voluntatem fuisse novimus qua placuit Deo, et potestatem qua posse subjacet Domino.

FEL. Ergo ad exstantiam Filii potestas paterna non sufficit?

AUG. Quasi ego de potestate Patris, et non de ipsa paternitatis veritate contendam. An ei se dici maluit Patrem, quem non sibi, sed creaturis voluit esse consimilem? Et ideo fatendum tibi est, ex substantia Patris exstitisse Filium, si et natus et Deus est; aut Filium pariter et Deum negare, si non ex paterna substantia, sed ex nulla, operante tantum, sicut etiam in aliis creaturis, Patris voluntate et potestate creatus est.

CAPUT VII. — FEL. Quoniam me ad ejusmodi confessionem necessitate compellis, id quod a majoribus nostris dici assolet, non taceho. Aiunt enim, creaturam esse Filium, sed perfectam, et quæ dominari possit omnibus creaturis.

AUG. Gaudeo quidem quod irreligiosæ prædicationis intimum virus[1] manifesta confessione prodideris: nihil tamen quod credulitate dignum videatur, opponis. Creatura namque est, ex eo quod adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cujuslibet corruptibilis, quantum in se est, per omnipotentis Dei voluntatem facta substantia. Hæc definitio utrum in Dei cadat Filium videamus. Nam Filius in eo quod est, indifferentis naturæ veritate prolatus est; qui ex eo qui est, id est ex gignente, non dissimilis natus est. Et ideo inter Filium et creaturam primum, ni fallor, ista discretio est: quia ille ex Patre substantialiter gignitur; creatura non ex substantia facientis, sed ex sola voluntate ac potestate perficitur. Ista corruptibilis per naturam, nisi fuerit servata per gratiam; ille incorruptibilis, qui nascendo incorruptibilem ex incorruptibili Patre videtur habere substantiam. Filius per omnia similis Patri; dissimilis creatura factori. Ille non ex eo quod non est, in id quod est; et propterea nunquam in id quod non est, ex eo quod est: illa ex eo quod non est, in id quod est; et propterea quantum ad se attinet, ex eo quod est, in id quod non est, sui ortus conditi me revertitur.

FEL. Non video quid arcano hujus obscuritatis involveris: et ideo recte facies, si id quod a te, ut mea fert opinio, incomprehensibiliter dictum est, intelligibilius explicaveris.

AUG. Dixi, inquam, de Filio, cum eum a creaturæ definitione discernerem, quoniam is non ex eo quod non est, in id quod est: quod tale est ac si dicerem, non ex nihilo factus est. Et propterea nunquam in id quod non est, ex eo quod est; id est nunquam in nihilum, ex eo ipso quod est, naturæ suæ proprietate solvendus est. Creatura vero, ex eo quod non est, in id quod est: quo ostenditur, quia ex nihilo prolata est. Et propterea quantum ad se attinet, ex eo quod est, in id quod non est; id est, in nihilum, nisi perpetua[2] gratia fecerit, naturæ suæ qualitate vertenda est. Ergo nunquam non erit Filius, qui substantialiter docetur esse perpetuus; et hoc utpote proprio, a conditione omnium creaturarum, quæ per ipsum factæ sunt, non injuria noscitur separandus.

CAPUT VIII. — FEL. Licet intelligentiam meam nova rerum subtilitate perstringas; nescio tamen quo pacto dicas, quod coæternus Patri sit Filius: cum et communi loquendi modo et naturæ lege prior gignens videatur esse quam genitus.

AUG. Si naturæ auctorem creaturarum legibus

[1] Fr. Lugd. Ven. sic legunt hunc locum: *Quid ergo dicis, Ex substantia credo Patris nasci Filium nequivisse, ne ingenitum Patrem filii videamur generatione dividere.* Ed.

(*a*) Alcuinus, lib. 1 contra Elipantum.

[1] Mss., *quod prædicationis indito intimum virus.*

[2] Forte, *perpetuam.*

æstimamus, dum anteriorem esse Patrem Filio prædicamus : cur non eadem naturæ lege, fortiorem Patre Filium per accessum temporis dicimus ; dum nec huic desunt crementa nascenti, et imbecillitatis injuriam senectus ingerit Patri ? Quod si hoc ratio ipsa non recipit, omittamus in Deo corporalis intelligentiæ legem, ne operibus suis similem dicamus esse factorem : maxime cum ex eo quod apud nos evidens est, etiam id quod in occulto est possimus ostendere. Sicut enim sine exemplo mater genuit auctorem suum ; sic ineffabiliter Pater genuisse credendus est cœternum. De matre natus est qui ante jam fuit ; de Patre qui aliquando non defuit. Hoc fides credat, intelligentia non requirat : ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare. Ecce enim de matre natus est Christus, nec ideo est per contactum viri matris pudor imminutus. Virgo peperit, quia virgo concepit : et non servato rerum ordine, ex integro matris corpore integrum corpus Christus assumpsit. Si ergo novo more, nullo exemplo, secundum carnem natus docetur ex corpore ; quid mirum si non secundum consuetudinem humani partus processit ex Patre? Non minuit substantiam matris, ex sola genitus Filius ; et sine damno corporis parientis natum filii novimus corpus : et minuisse incorporalem Patrem substantiam creditur, cum ex eodem ipso substantialiter atque incorporaliter prolatus, dicitur genitus? Ergo si naturam rerum intelligentia duce perpendimus ; demus initium, si non negamus occasum. Alioquin ideo Filium non habere dicamus initium, quia non per gratiam, sed per naturam fatemur esse perpetuum. Ad summam, major et minor tribus modis dici potest ; id est, ætate, forma, potentia : ætate, senior puero ; forma, longior parvo ; potentia, fortior imbecillo. Videamus utrum aliquid horum accidat Filio : nam nec ætate minor est, quem de principio Patre constat exstitisse principium ; nec forma, quem non aliud fas est prædicare quam Deum ; nec potentia, a quo totum novimus esse perfectum.

CAPUT IX. — Fel. Scire cupio quo pacto et ad Filium transiit dignitas Patris, et ad Patrem non recurrit humilitas prolis.

Aug. Non secundum naturam ista nunc dici, quotidianarum rerum exempla nos docent. Ecce enim putemus aliquem regem ac regis filium depositis regiæ majestatis insignibus, subjecti militis indumenta suscipere, et propter certam patris dispensationem ac sociorum salutem, rebellium contumelias sustinere : numquid quia ad hunc participium regiæ potestatis, certum est nativitate decurrere, idcirco ad eum qui genuit, injuriam filii non compatiendi affectu, sed ipsa passionis proprietate certum est pervenire ? Non ita est, quia non ex filio patrem, sed ex patre filium certum est natum esse. Et propterea totum inter eos simile dicimus quod pertinet ad communionem naturæ : illud proprium quod per accidens uni noscitur evenisse personæ. Habet ergo nascendo totum Filius cum Patre quod Pater est : sed non cum Filio Pater quidquid specialiter ipse perpessus est. Non utrique commune est, quod ex homine natus est homo, sed accidens speciale, quod plerumque sine præjudicio communis naturæ neuter habere docetur in altero. Una est patris substantia, una persona. Hæc cum genuit, ex hac sine dubio non diversa noscitur exstitisse, sed altera ; quæ non aliud docetur esse quam prima, dum et communis docetur et propria : communis, inquam, unitate substantiæ ; propria, discretione personæ. Cum ergo in se exstet illa quæ nata est, non quidquid huic acciderit ad gignentem necessario transit, sicut ad nascentem quidquid proprium ac substantiale gignentis constat esse, pervenit. Non enim sicut Filio ipsa generatione collata est divinitas Patris, sic ad Patrem refertur cura, ægritudo, paupertas, mors, humilitas prolis. Quod ideo non fit, quia quamvis de una est, id est, Patris substantia fuerit similis genita : tamen quia jam in se ipsa exstat, quæcumque huic extrinsecus ingeruntur, non communia dicuntur esse, sed propria. Si ergo humani generis ista conditio est, ut non usque adeo filii ab eo qui genuit in aliud unquam mutata substantia est, ut non eadem possit esse, sed altera ; dum extrinsecus, filio accidentibus multis, manet nihilominus natura communis : quid nos de Deo atque ejus Filio dignum est credere ? quid decet prædicare ? quorum quamvis secundum individuæ majestatis simplicem gloriam non sit natura dissimilis, specialiter tamen a Filio corpus assumptum est ; ut humiliaretur in infirmitate carnis nostræ, qui pati nihil poterat in communis divinitate substantiæ. Non assumit homo hominis filius alteram naturam, et cum in eadem quæ cum patre communis est patiatur, ad patrem tamen non transmittit injuriam : et humiliatus in Filio Deus Pater passibiliter creditur, cum non in eadem ipsa quæ utrique communis est, sed in nostra potius, quam solus ipse suscepit, Judæorum creditur pertulisse perfidiam ? Ad summam, quid, precor, est quod pendebat in cruce ? Quid est quod lancea dicitur vulnerasse ? Caro passibilis, an substantia deitatis ? Si majestatem profanus incorporei prædicator assumpseris, corruptibilem Deum videris credere : si passibilem carnem, non est communis ista cum Patre, ut per hanc eum possit crux illa contingere.

CAPUT X. — Fel. Dum torrentis modo omnia quæ a nobis sunt dicta præcipitas, duos admodum christos, non unum prædicas. Et non immerito ; nam si in eo nihil penitus divinitas pertulit, secundum hominem Christus alius fuit : alioquin per affectum communis deitatis, etiam ad Patrem passio ipsa pervenit.

Aug. Non ita est ; ego enim Salvatorem nostrum non confundo, non divido : non confundo, ne aut incorpoream et imaginariam carnem, aut carnalem et mortalem prædicem deitatem : non separo, ne Dei Patris unam secundum carnem, et alteram secundum majestatem introducere videar prolem : quia idem Dei Filius et sine initio processit ex Patre, et secundum tempus nasci est dignatus ex virgine. Impassibilis in suo, passus in nostro, dum incomprehensibilem majestatem velut quodam indumento carnis vestire est dignatus ex utero[1]. Una Mediatoris persona, non una substantia : una, inquam, persona, ne sit non unus Christus ; non una substantia, ne Mediatoris dispensatione submota, aut Dei tantum dicatur, aut hominis filius. Non ergo in Christo susceptam carnem perpetuitate divinæ generationis extendo ; nec immensam deitatem corporei ortus ætate concludo : quia idem in divinitate auctor est rerum, qui in carne redemptor est hominum : idem impassibilis in se, qui passus in corpore ; dum sic utriusque naturæ proprietatem vere ex utraque gignenti similis natus expressit, ut et veram carnem suscepisse eum constet ex matre, et indifferentem deitatem habere constet ex Patre. Quibus in unam personam incomprehensibili Mediatoris dispensatione conjunctis, servavit singulis propria, sed conjunxit propriis aliena : servavit propria, dum non amisit immensitatem deitatis, et infirmitatem non respuit carnis : conjunxit propriis aliena, dum idem atque inseparabilis Christus, et proprio carnis occiditur, et proprio deitatis apud inferos non tenetur : proprio carnis gustavit vita mortem, proprio deitatis perpetuam reddidit carnem. Non ergo recte dicitur, In Filio Pater est passus : quoniam in carne quæ ei non est cum Patre communis, passus est Filius. Itaque glorificata est caro majestate, dum majestas humiliata docetur in carne. Sed utrumque, non de duobus christis, sicut putas, sed de uno atque eodem ipso, quem post partum virginis Deum et hominem novimus, nos certum est prædicare.

CAPUT XI. — Fel. Si ergo ex virgine natus est Christus, quomodo Deo Patri dicitur coæternus ?

[1] Chifflet. *dignatus est. Ex utroque una*, etc.

Aug. De hoc quidem nobis etiam adversus alios diversa contentio est ; et ideo ne difficilior sit explanatio veritatis causam primum proponemus erroris. Nam ab uno malæ credulitatis orsi principio, in duo quodam modo intelligentiæ dissimilis deliramenta finduntur [1]. Est namque utrisque commune, unam Christi nativitatem, non duas prædicare. Sed alii illam principalem, qua ante omnia ex Deo natus est Deus ; alii hanc tantum, qua ex virgine processit hic Dominus, proprii dogmatis definitione recipiunt ; qui per consequentiam male jacti seminis, in similis blasphemiæ barathrum ceciderunt. Ecce enim qui ex virgine non credunt natum, omnem Evangeliorum fidem, omnem Baptismatis utilitatem, omnem Apostolorum prædicationem, et ad summam omnem Novi Testamenti auctoritatem, velut quadam Judaicæ incredulitatis cæcitate subvertunt. Et ideo ne ipsam majestatem quidem Dei Filii cognovisse putandi sunt ; quia sacramentum Mediatoris, quo eum innotescere Pater gentibus voluit, abjecerunt. At vero hi qui non ex Patre ante omne initium, sed ex tempore virginis partu natum esse contendunt, non eum Creatorem omnium, non Dominum omnipotentia Patri ac majestate consimilem didicerunt. Quomodo enim fecisse putabitur cuncta, ante cujus ortum fuisse certum est universa ? Aut quomodo ejus divinitas est profitenda [2] quo necdum nato facta sunt singula ? Vel quomodo ejus divinitas creditur esse perpetua, cum non semper ut Patris, sed ex tempore prædicatur effecta ? Negant igitur etiam hi quodam modo Mediatoris consequentium rerum necessitate mysterium ; quia non Deum et hominem, non ex æternitate et tempore, non ex virtute et ex infirmitate, non ex Patre ante omnia Patri similem Filium, et ex matre inter omnia verum, non [3] imaginarium, hominis filium, in manifesto, non per verisimilitudinem, natum prædicant Christum. Quo fit, ut ne in carne quidem nosse putandi sint Deum, quem ante assumptionem carnis de Patre non putant genitum. Vides igitur quo pacto inter hos, licet discrepantibus mediis, idem tamen initium, idem exitus docetur erroris. Nos contra sic nativitatem utramque defendimus, ut neutram alterius affirmatione tollamus : nam nec temporalem primæ illius perpetuitate damnamus, nec æternam hujus temporalis brevitate concludimus ; scientes veri Dei inseparabilem prolem, et hujus veræ prolis postea verissimam carnem ; non tunc fatentes Christi divinitatem cœpisse cum virgo concepit ; nec tunc cœpisse carnem, cum ineffabili quodam partu monas illa, sine intercapedine medii temporis, in nullo differentem monadem, nisi quod monas docetur esse, genuit. Non infirmitatem voluntariam Christi omnipotens ejus majestas exhorruit, non omnipotentiam infirmitas corporalis exstinxit. Scio ad inferos divinitatem Filii Dei descendisse proprietate carnis, scio ad cœlum ascendisse carnem merito deitatis. Non est Dei proprium, quod famem sensit : sed Dei proprium est, quod paucis panibus tot millia hominum satiavit [4]. Non est proprium carnis, quod super frementes undas siccis pedibus ambulavit : sed carnis est proprium, quod sputa, palmas, flagella sustinuit. Unus tamen atque idem Christus est, qui et injurias tulit, et actus in profundo non mersit. Ex hoc pacto in Mediatore Dei et hominum, injuria assumpti corporis affectam fatemur [5] deitatem, sicut majestate deitatis glorificatam novimus carnem. Ergo Christus mortuus est, qui et resurrexit : nec ideo tamen utrumque ex uno, sed ex singulis singula, in utroque tamen perfectus ipse complevit, dum unus atque inseparabilis tam diversa complevit : uno mortem gustavit, altero mortuos suscitavit : sicque se Deum et hominem utriusque verus Mediator, nec geminata persona, nec substantia confusa monstravit. Ingressus est virginis uterum Dei Filius, ut iterum nasceretur ante jam genitus : suscepit totum hominem, qui jam habebat a Patre plenissimam deitatem. Non dissimilis genitori, cum nasceretur ex æterno perpetuus : non dissimilis homini, cum ex matre nascitur moriturus. Idem tamen et æternus in suo, et moriturus in nostro ; dum utrumque continet ex se ipso, et neutrum perdit ex altero. Sicque ex Deo et homine non imperfectus, sed in diversa proprietate plenissimus [1] natus est Christus, sicut ex anima et corpore unusquisque hominum docetur esse perfectus. Non alius homo corpus, alius animus : quamvis aliud animus, aliud corpus, unus tamen atque idem homo et corpus docetur et animus. Rursum non unum atque idipsum corpus et animus, quia ex utroque homo factus est unus. Non enim hæc aut substantiam confundunt in unitate personæ, aut personam geminant diversitate substantiæ, quandoquidem unus ex his homo nosciur exstitisse. Non perdunt propria : sed quia in unum atque inseparabile convenerunt, ex propriis videntur facta communia. Afficitur in corpore mens doloribus corporis, fatigatur corpus cogitationibus mentis : et unum tamen horum proprium est corporis, alterum mentis ; quod dum uni homini acciderit, et corporis commune videtur, et mentis. Sic post partum virginis, non alius Dei, et alius hominis, sed idem Christus Dei et hominis filius fuit. Et sicut in uno homine aliud animus, aliud corpus : sic in Mediatore Dei et hominum, aliud Dei Filius, aliud hominis fuit ; unus tamen ex utroque Christus Dominus fuit. Aliud, inquam, pro discretione substantiæ : non alius [2], pro unitate personæ.

CAPUT XII. — Fel. In superioribus quidem me ad credendam Christi ex matre nativitatem salva perpetuitate compuleras : sed quia contra rationem vi orationis extorta non in nobis possunt esse continua ; idcirco cum ad propositionem meam sollicita intentione respicio, necdum mihi videor in his quæ a te dicta sunt invenisse quod quæro. Nescio enim quomodo natum docealis ex tempore, quem coæternum Patri dicitis jam fuisse. Nasci enim est velut quidam motus rei non exstantis antequam nascatur, id agens beneficio nativitatis ut sit. Quo colligitur, Christum qui erat, nasci non potuisse ; si nasci potuit, non fuisse.

Aug. Ad inquisitionem nos incomprehensibilium rerum nova interrogandi curiositate compellis : et ideo non nisi quibusdam exemplorum lineamentis poterit explicari quod quæris. Patere igitur me pro affirmato afferre rem alterius quæstionis : qui cum eam non pro fide sui, sed pro alterius ostensione nunc profero, non in ea me conjicias explicare quod credo ; sed ita me credere ad præsens puta, ut intelligere facilius possis ista quæ dixero. Fingamus ergo, sicut plerique volunt, esse in mundo animam generalem, quæ sic ineffabili motu semina cuncta vivificet, ut non sit concreta cum genitis, sed vitam præstet ipsa gignendis. Nempe cum hæc in uterum passibilem, materiam ad usus suos [3] formatura pervenerit, unam secum facit esse personam ejus rei, quam non eamdem constat habere substantiam : et fit operante anima et patiente materia, ex duabus substantiis unus homo ; cum aliud anima docetur, aliud caro : sicque animam nasci fatemur ex utero, quam ad uterum venien-

[1] Sic aliquot Mss. At editi, *funduntur*.
[2] Quidam Mss., *probanda*.
[3] Hic Am. Er. et Lov. omittunt, *non*. Restituit Chifflet ius, sed relictis postea Mss. ita cum Am. Er. et Lov. habet : *non ex æternitate, sed ex tempore ; non ex virtute, sed ex infirmitate ; non ex Patre ante omnia Patri similem Filium, sed ex matre inter omnia ; non verum, sed imaginarium*.
[4] In Mss., *saginavit*.
[5] Sic Mss. At Am. Er. et Lov., *non fateor*.

[1] Aliquot Mss., *non imperfectis, sed in diversa proprietate plenissimis*.
[2] Am. Er. et Lov., *non aliud*. Male.
[3] Aliquot Mss., *ad partus suos*.

tem vitam dicimus contulisse concepto. Nasci, inquam, ex matre dicitur, quia ex hac sibi corpus aptavit, in quo nasci posset : non quia antequam nasceretur, quantum ad se attinet, ipsa penitus non fuisset. Et hic si verborum vim, quotidiani sermonis contemplator attendas, contraria proponimus, oppugnantia [1] prædicamus : et in his tamen verum constat esse quod dicimus. Ex matris utero cum corpore scimus animam nasci : sed etiam matre priorem videmus animam prædicari. In filio mater animam gignit : sed tamen etiam in ipsa matre non nisi animus vivit, sine quo ne ipsa quidem potest esse quæ genuit. Itaque si originem animantis potentiæ requiramus, prior est matre, et ex hac rursus nata videtur esse cum sobole : prior, inquam, anima, per quam mater est animata ; prior mater, per quam in filio nata videtur et anima : sed non mater in carnem animam vertit, nec carnem in animam commutavit ; sed animatam carnem de utero matris, idem carnis et animæ et totius hominis Creator exhibuit : qui per dispensationem analogiæ diversa jungentis in uno atque eodem homine, et utrumque insolubili unitate conjunxit, et neutrum ex alterius participatione confudit. Sic ergo, imo multo incomprehensibilius atque sublimius natus est susceptione perfecti hominis de matre Filius Dei, qui est per omnipotentiam singularem genitis omnibus, non facultas tantum, sed et causa nascendi : secundum hominem, inquam, de virgine natus est Deus ; eo parto quo cum corpore nasci docetur et animus : non quia utriusque est una substantia, sed quia ex utroque fit una persona : non alius homo corpus, et alius animus ; sed unus homo corpus et animus. Sic post partum virginis, non alius Dei filius et alius hominis ; sed idem Christus Dei et hominis filius. Et sicut in uno homine aliud corpus, aliud animus : sic in uno Mediatore aliud Dei, aliud hominis filius ; sed idem tamen et non alius Dei quam hominis filius, quamvis propter aliud Dei, et propter aliud hominis filius. Non ab initio carnis cœpisse dicimus Filium Dei, ne temporalem credat aliquis deitatem : non ab æterno Filii Dei novimus carnem, ne non veritatem humani corporis, sed quamdam eum suscepisse putemus imaginem. Neque enim consumit majestatem Filii Dei, veritas carnis ; aut veritatem carnis, immensitas deitatis ; dum unum radiat virtutibus suis, aliud docetur infirmitatibus nostris. Unus autem atque inseparabilis Christus et humiliatur in assumptis, et glorificatur in propriis ; cum et afflici non dedignatur injuriis, et æqualitatem custodit genitoris. Genuit ergo Maria et non genuit Filium Dei : genuit, quando ex ipsa secundum carnem natus est Christus ; non genuit quando de Patre sine initio exstitit Filius : genuit, quando ex hac Verbum caro processit, ut habitaret in nobis (*Joan.* I, 14) ; non genuit quando in principio erat Deus Verbum, quod originem præstitit universis. Nolite ergo partu virginis determinare originem Dei Verbi : nolite de virgine genitum corpus cœternum dicere deitati ; quia Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5) prima nativitate cœternus est Patri, secunda particeps temporis nostri ; in illa auctor temporis, in ista particeps est ætatis.

CAPUT XIII. — Fel. Quoniam de mysterio Mediatoris perspicua ratione, et ad credendum cuivis sufficienter tractasti ; idcirco quæso ut mihi quid etiam de anima Christi sentiendum sit, jubeas explicari. Ita enim a majoribus nostris semper est traditum, quod Christi corpus ad vicem animæ communis, ipsius Filii Dei habitus animarit ; nec accessione vitalis spiritus indigens fuerit, cui inhabitans fons vitæ potuit conferre quod vixit.

Aug. Possemus quidem id quod in hac quæstione catholicæ auctoritatis definitione præscribitur, divinorum voluminum testimoniis edocere : sed quia nunc non librorum indicio [2], sed sola ratione placuit cuncta discutere, idcirco in aliud tempus Scripturarum monumenta reservantes, sicut superius factum est, sic etiam de animæ inquisitione tractabimus. Quod ut fieri facilius possit, quæ Salvatori nostro suscipiendi hominis causa fuerit, una tantum Apostoli lectione subjecta breviter inquiramus : qua inventa, sine aliqua difficultate etiam ad hæc, quæ hujus præcedentis sunt consequentia, transibimus. Ab initio igitur ex corpore et anima Deus hominem fecit : qui legis præcepta transgressus, post usurpationem interdictæ arboris, sententiam quodam modo pœnæ capitalis excepit. Hic ad eum statum a quo lapsus est, non nisi auctoris sui gratia reformatus, postliminii quodam modo jure potuit remeare : sicut qui se de excelso in præceps voluntate demiserit, in sua quidem habuit potestate quod fecit, sed jam suo arbitrio certum est non subjacere quod cadit [3]. Surgit itaque beneficio alieno, qui cecidit vitio proprio. Nec ideo non suo dicendus est cecidisse, quia alieno noscitur surgere ; nec propterea suo surrexisse, quia non alieno certum est cecidisse. Sed de hoc alias, nunc ad propositum redeamus. Dicit ergo venerabilis Paulus, quoniam idcireo secundum carnem natus est Christus, ut *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et paulo post, *Sed non sicut delictum, ita et gratia. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donatio. Nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ et donum justitiæ accipientes in vita regnabimus per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem ; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obauditionem justi constituuntur multi* (*Rom.* V, 12, 15-19). Venit ergo Christus salvum facere quod perierat (*Luc.* XIX, 10). Prius ergo videamus, quid illud est, quod protoplasti transgressione perierit, et ex hoc facile scire poterimus, quid Dominus veniendo salvare potuerit. Requirendum igitur nobis est, quisnam legem Creatoris acceperit : ille enim sine dubio peccavit, qui præcepta contempsit ; ille præcepta contempsit qui quod prohibebatur admisit. Dicit autem Scriptura : *Præcepit Dominus Adæ, dicens, Ab omni ligno quod est in paradiso manducabitis, de ligno autem scientiæ boni et mali, non manducabitis de eo qua die autem manducaveritis, morte morieminî* (*Gen.* II, 16). Quæramus ergo nunc, utrum hanc legem totus homo acceperit? Si enim, ut in libro Geneseos continetur, ex corpore et anima jam perfectus accepit, totus transgrediendo peccavit : et si totus transgrediendo peccavit, totus peccati sui vitio tunc periit. Si autem totus periit, totus beneficio Salvatoris indiguit : et si totus beneficio Salvatoris indiguit, totum Christus veniendo salvavit : et si totum veniendo salvavit, non corpus absque anima ; sed corpus et animam, quibus constat totus homo, et quibus peccasse antea videtur assumpsit. Nam si toto homine peccante, solam ejus carnem Christus assumpsit, anima pœnæ primæ illius transgressionis sine aliqua spe etiam nunc addicta permansit. Quod si ita est, nescio quid nobis Mediatoris persona contulerit, quæ melius nostrum ex toto non redimens, brutam per se carnem, et quæ sine anima ne beneficium quidem ejus posset sentire, suscepit. Vellem tamen ab hujusmodi prædicatoribus quærere, cur accepta carne animam dispensatio Mediatoris omiserit : nisi forte aut innoxiam sciens medicinæ indigentem esse non crediderit, aut a se alienam putans, redemptionis beneficio non donaverit, aut ex toto insanabilem judicans, curare nequiverit, aut ut vilem et quæ nullis usibus

[1] Am. Er. et Mss., *oppugnanda.*
[2] Quidam Mss., *judicio.*
[3] Am. Er. et Lov., *quod surgat.*

apta videretur, abjecerit. Horum duo in ipsum totius hominis Creatorem blasphemi spiritus incredulitate desipiunt. Nam primo impotentem, secundo non omnium Deum crediderunt. Quomodo enim docetur Omnipotens, si curare non potuit desperatam? Aut quomodo omnium Deus, si non ipse fecit animam nostram? Duobus vero aliis, uno animæ causa nescitur, altero meritum non metitur [1]. Aut intelligere causam putandus est animæ, qui eam ad accipiendam legem, habitu insitæ rationis instructam, a peccato voluntariæ transgressionis nititur separare? Aut quomodo ejus generositatem novit, qui ignobilitatis vitio dicit esse despectam, prælata carne, quam non flatu Dei sicut animam, sed e limo terræ constat esse plasmatam? Si autem nihil horum de anima recte sentitur, credamus quia suscepit Redemptor noster hominem totum, ne intercidere quodam modo animæ nostræ videamur beneficium sempiternum. Proh dolor! carnem, inquit, solam Christus assumpsit, animam non quæsivit. Hic si originem utriusque gnarus rerum contemplator attendas, pretiosior est animæ substantia: si transgressionis culpam, propter intelligentiam, pejor est causa. Ego autem Christum et perfectum sapientia scio, et plissimum esse non dubito, quorum primo meliorem et prudentiæ capacem non despexit, secundo eam quæ magis fuerat vulnerata suscepit. Neque enim aut sapientiæ convenit, de duobus æque suis insipientissimam plus amare; aut perfectæ pietati, magis indigentem non juvisse.

CAPUT XIV. — Fel. Omnia quidem quæ a te non rationabiliter tantum, sed etiam veraciter dicta sunt, et intellexisse me in præcedentibus fateor, et probasse non nego: Christi autem divinitas quo pacto mortem sensisse dicatur, ignoro. De quo utrum tu obscure aliquid dixeris, an ego sufficienter dicta ingenii tarditate assequi non potuerim, nescio. Neque enim credere au im, quod fons ille vitæ, a quo habent universa quod vivunt, per triduum quo in sepulcro corpus jacuit, usque eo a naturæ suæ proprietate deciderit, ut si dici fas est, sepultis sensibus omnem substantiæ vitalis motum amitteret [2], et propter redemptionem humani generis non Patrem tantum, sed et omnia spiritualis gloriæ ornamenta desereret.

Aug. (*a*) Absit, absit a fidelibus ista suspicio, ut sic Christus senserit mortem nostram, ut quantum in se est, vita perderet vitam. Nam si hoc ita esset, quomodo illo triduo potuisse dicimus aliquid vivere, si vitæ fontem credimus aruisse? Sensit igitur mortem divinitas Christi, participatione humani affectus quem sponte sua susceperat, non naturæ suæ potentiam perdidit, per quam cuncta vivificat. Sic in sepulcro carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero virginis connascendo formavit: et sic in utroque et nasci et mori, non coactus ab altero, sed sponte Dominus voluit, ut hoc eum constet pertulisse quod fecit: nec ideo non patientem, quia ipse faciebat; nec ideo non facientem quia non alius tolerabat. Nam si dominicæ incarnationis mysterium salva individuæ Trinitatis cooperatione consideres, idem sibi in hac humilitate auctor et opus est: idem auctor, qui sponte nascitur, sponte patitur; idem opus, quia utrumque licet non alio cogente, solus tamen ipse perpetitur. Fecit carnem in utero matris; habes auctorem operis: ipse in hac nasci dignatus est; habes opus auctoris: una tamen persona est, salva utriusque proprietate substantiæ, et auctoris et operis. Sic ergo mortuus est non discedente vita, sicut passus est non pereunte potentia. *Nemo aufert animam ejus ab eo;* quia *potestatem habet ponendi, et potestatem assumendi eam;* habes etiam hic auctorem operis: *ponit animam pro amicis suis* (*Joan.* x, 18, 17), habes opus auctoris. Quod ut generali definitione concludam: quoties in carne Christus aliquid patitur, opus auctoris est: sed quia idipsum sua potestate, non alio cogente perpetitur, ipse auctor est operis. Non ergo ad Mariam locali motu divinitas venit, sed ineffabili potentiæ suæ manifestatione et uterum matris gignendus implevit: et quod totum est substantiæ suæ plenitudine non privavit. Non dimisit patrem cum venit ad virginem, ubique totus, ubique perfectus, quia nec divisionem in corporei simplicitas recipit, et partis nomen plenitudo non novit. Erat ergo uno atque eodem tempore ipse totus etiam in inferno, totus in cœlo: illic patiens injuriam carnis, hic non relinquens gloriam deitatis. Erat apud inferos resurrectio mortuorum, erat super cœlos vita viventium. Vere mortuus, vere vivus: in quo et mortem susceptio mortalitatis excepit, et vitam divinitas servata non perdidit. Quotiescumque ergo hæc quæ a Christo humiliter sunt tolerata, consideras, ipsum auctorem voluntariæ passionis agnoscas. Ita fiet, ut dum humilitas patienti, facienti virtus ascribitur; idem Christus uno atque eodem tempore cum patitur infirmus, cum facit omnipotens doceatur. Sed ne adhuc in morte Filii Dei aliquam insensibilitatem nos credatis accipere, importunum non est quæ de morte sensa sint investigare: in qua sine dubio destituit corpus, vita nostra non periit [1]; dum discedens anima non vim suam perdit, sed quod vivificaverat hoc dimittit, et quantum in se est, alterius mortem facit, ipsa non recipit. Facit, inquam, non vivificando quod deserit, non amittendo quod vivit. Itaque hominis mors nihil aliud quam carnis occasus est: a qua cum vis potentiæ vivificantis abscesserit, in terram de qua sumpta est, amissis quos non per se ipsam habuit sensibus redit. Atqui contraria, inquis, vitæ mors est. Fateor: sed non ex eo genere contrariorum, quæ existentis substantiæ oppositione se perimunt; sed ex eorum potius quæ dum cuilibet accidunt, simul quidem esse non possunt, sed unius tantum substantiæ habitu ac privatione gignuntur. Sicut, verbi gratia, noctem docemus ac diem: nam et hæc ejusdem generis docentur esse contraria, cum non utriusque, sed unius tantum videatur esse substantia. Ecce enim diem dicimus esse, cum sol est super terram: solem autem constat esse substantiam. Hic cum, peracto diurni temporis cursu, ab humani visus contemplatione discesserit, noctem discedendo mox facit. Facit, inquam, subtrahendo copiam luminis, non in se recipiendo substantiam noctis. Itaque una lucis substantia et noctem facere videtur et diem, sed non uno modo. Nam diem cum venit, noctem efficit cum recedit. Unde et Manichæorum non irreligiosam tantum, verum etiam stultam divisionem, qua bona a malis, æque exstantibus nituntur separare substantiis, plerumque confundimus: ostendentes eis luminare majus, quo fieri novimus diem; et cogentes ut et ipsi similiter nos docerent, quod esset, si dictu fas est, tenebrale majus [2], quo substantialiter fieri crederemus et noctem. Sed de his alias, qui per stultitiam blasphemi dogmatis, aut pro exstantibus non exstantia, aut pro principalibus consecuta, aut pro contrariis videntur affirmare communia. Quæ si quis fidei oculis non privatus excusserit, omnes eorum machinas facili ratione confundit. Ergo, ut dicere cœperamus, anima non aliter quam sol vitam tribuit carni cum venerit, mortem efficit cum recedit. Quam ne quis putet corporis morte consumi, audiat quid de hoc Dominus in Evangeliis generali auctoritate definiat: *Nolite*, inquit, *timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; sed timete eum potius qui animam et corpus potest occidere in gehenna ignis* (*Matth.* x, 28). Ergo superstite anima corpus constat occidi, et propterea consequens necessario non est, animas corporum internecione consumi: hoc si ita est, etiam post mortem corporis nihilominus

[1] Chiffletius et quidam Mss., *non videtur.*

[2] Ita Chiffletius et Mss. At Lov., *modum amitteret.* Am. et Er., *naturam amitteret.*

(*a*) 3 Sent. dist. 21, cap. *Sicut:* et dist 22, cap. *Et utique.*

[1] Ita Chiffletius et Mss. At Am. Fr. et Lov., *destitutum corpus vita animam nostram non perimit.*

[2] Er., *tenebrare majus.* M.

mentibus vivitur. Quod si de unoquoque nostrum recte sentitur, quomodo fons vitæ propter participationem humanæ mortis vivificandi potentiam perdidisse jactatur? Sed potest, inquis, anima et corpus occidi in gehenna ignis. Quod adversum nos primum idcirco non facit, quia mors ista non conditionis videtur esse, sed criminis. Nam remota culpa jubemur homines non timere, qui cum possint corpus, animam tamen negantur occidere. Deinde, quoniam hoc Deo tantum esse dicitur possibile, de quo Filium suum unigenitum et communione naturæ et æqualitate potentiæ non hoc credimus meruisse. Suscepit ergo Salvator conditionem mortis nostræ, sed non ita ut deteriorem faceret, cum præter consuetudinem dominari eam permitteret animæ : sed potius ut nihil hanc obesse animæ pariter justorum omnium probasset et vitæ.

CAPUT XV. — Sed fingamus, licet Evangeliis reclamantibus, animas interire : nonne in Salvatore nostro, licet in his mortem non repellente, tertium tamen atque speciale majestas est, quam non potuit mors humana contingere? Ad summam videamus, in cruce positus quid promisit? *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). *Hodie*, inquit, non post triduum, cum carnem meam de sepulcri requie suscitavero ; non cum in me primitias futuræ resurrectionis ostendero. Cujus putamus hæc vox est majestatis? mentis an corporis? Corpus autem in sepulcro[1] luisse nullus ignorat : restat ut divinitati vel menti vox ista conveniat. Sed dicit aliquis : Divinitatis hanc, non animæ Christi credimus vocem. Et quid in eo cui promittebatur accipimus? *Hodie* inquit latroni, *mecum eris in paradiso :* cujus corpus usque ad futuram resurrectionem mors communis inclusit. Anima igitur est, cui Dominus hoc promisit et præstitit. Si igitur mortuo corpore ad paradisum anima mox vocatur, quemquamne adhuc tam impium credimus, qui dicere audeat, quoniam anima Salvatoris nostri triduo illo corporeæ mortis apud inferos custodiæ mancipetur? Et quis, inquis, est alius qui instante passione sicut Christus ingemuit, dicens, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38)? Tristis usque ad mortem, propter affectum susceptæ carnis ; non post mortem, cum beatitudinem spondet societas deitatis. Non initium mœroris mors ista, sed finis est : nec incipiunt post hunc justorum flagella, sed desinunt ; cum et impedimenta maneriæ fluctuantis exponunt[2], et auctorem suum plenioris intelligentiæ contemplatione jam capiunt.

CAPUT XVI. — Ergo, inquis, mortem Dei Filius et in anima non pertulit, et in majestate non sensit? Quid ergo dicebas esse quod pertulit? Sensit prorsus et pertulit ; sed participatione morbi alieni, non proprietate vulneris sui. Sensit sicut omnes sentiunt, qui moriente carne mentibus vivunt : non sicut impii, qui in utraque, sicut idem ait, gehennæ ignibus occiduntur. Quidam sane communem mortem etiam hoc pacto definiunt, dicentes, nihil aliud hanc esse, quam cum diversarum rerum consensu vitam facientium, velut per discidium quoddam ab invicem fuerit facta dissensio. Hæc si hominis mors est quæ non consumit juncta, sed dividit, dum origini suæ utrumque restituit ; quid de Salvatoris anima nunc dicemus, quæ ut non dicam propter inhabitantem divinitatem, et propter justitiam singularem, certe propter communem moriendi sortem corpus illo triduo sic potuit descrere, ut ipsa non posset penitus interire?

CAPUT XVII. — Non ergo, inquis, apud inferos Christi anima, non divinitas fuit. Fuit, inquam : neque aliter eum video potuisse resuscitare carnem suam, si apud inferos prædicem velut absentis Dei non fuisse potentiam. Nec tamen ideo localem nos Dei credat aliquis præsentiam prædicare, de quo ista propter manifestationem certi operis dicimus, quia alicubi fuit qui ubique non defuit. Jacebat quantum ad carnem mortuus in sepulcro, mortuos resuscitans in inferno, vitam tribuens universis in cœlo : non mundum dimittens ad cœlos ascendit, nec cœlum deserens ad terram venit, sed uno atque eodem tempore totum totus implevit, qui alicubi manifestatione operum plus parens, agnitionem præsentiæ suæ indignis negavit, non immensæ deitatis absentiam procuravit.

CAPUT XVIII. — Vis nosse de hac Mediatoris morte quid sentiam? Omnium quæ a me in superioribus incidentium quæstionum necessitate dispersa sunt, prorsus ista sententia est, qua credo mortuum esse Filium Dei, non secundum pœnam injustitiæ quam ex toto non habuit, sed secundum legem naturæ quam pro humani generis redemptione suscepit : illa morte de qua dicitur, *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem* (*Psal.* LXXXVIII, 49)? non illa de qua Isaias dicit, *Mortui autem vitam non videbunt* (*Isai.* LXVI). Illa quæ secundum naturam generalis est cunctis, non illa quæ specialis est malis. Putemus ergo in hoc esse quodam modo vim ac potentiam seminis, qua et anima animas reparet ; et carne omnium nostrum carnem judicio imminente resuscitet : dum per operationem propriæ deitatis cuncta vivificans, ex uno suscepti hominis grano, innumerabilem Patri redditurus est messem. Tunc separaturus est a zizaniis segetem (*Matth.* XIII, 30), cum justis cœperit reddere mercedem.

[1] Chiffletius et mss., *in spelæo*.
[2] Sola editio Lov., *deponunt*.

QUÆSTIONES
DE TRINITATE ET DE GENESI,
EX ALCUINO DESCRIPTÆ (a).

QUÆSTIO PRIMA. Quomodo Deus vere sit unitas et vere trinitas. RESPONSIO : Unitas in substantia, trinitas in personis.

II. INTERROGATIO. Quid sit proprium uniuscujusque personæ in sancta Trinitate. RESP. Proprium est Patris quod solus est Pater, et quod ab alio non est nisi a se. Proprium est Filii, quod a Patre genitus est solus a solo, coæternus et consubstantialis genitori. Proprium est Spiritus sancti, quod nec ingenitus nec genitus est, sed a Patre et Filio æqualiter procedens.

III. INT. Quare Spiritus sanctus non debet ingenitus vel genitus dici? RESP. Quia si ingenitus diceretur sicut Pater, duo patres ; si genitus, duo filii æstimari possent in sancta Trinitate.

IV. INT. Utrum solus Pater, aut solus Filius, aut Spiritus sanctus per se plenus Deus et perfectus dici debeat? RESP. Utique Pater per se est plenus Deus, similiter et Filius plenus Deus, et Spiritus sanctus plenus Deus creditur.

V. INT. Si unaquæque persona per se plenus Deus dici potest, quare non tres deos dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum? RESP. Quia una substantia est Pater et Filius et Spiritus sanctus, et non

(a) Alcuini de Trinitate Quæstiones 28 ad Fredegisum.

tres substantiæ. Proinde unitas substantiæ tres deos prohibet dicere vel credere.

VI. Int. Dum tres personas dicimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quare non tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos dicere fas est? Resp. Quia Deus, et omnipotens, et magnus, et bonus, et æternus, substantialia nomina sunt, et ad se dicuntur; ideo non licet ea plurali numero dicere, sed singulari: et omne nomen quod substantiam Dei vel essentiam significat, semper singulari numero proferendum est. Pater autem, et Filius, et Spiritus sanctus, relativa sunt nomina; et ideo tres personæ recte dicuntur.

VII. Int. Quomodo relativa? Resp. Secundum dialecticam, relativa nomina sunt, quæ ad aliud aliquid referuntur; sicut dominus ad servum, et servus ad dominum; pater ad filium, filius ad patrem. Prorsus cum dico patrem, filium significo, quia non est pater, nisi filius sit cui sit pater: item non est filius, nisi pater sit cui sit filius.

VIII. Int. Utrum Spiritus sanctus relative vel substantialiter dicatur? Resp. Utique relative, quia spiritus alicujus spiritus est: sed non sicut in Patre et Filio relationis regula tenetur in eo.

IX. Int. Quare æqualem non habet relationis regulam Spiritus sanctus, sicut Pater et Filius? Resp. Quia circumferri potest Patris et Filii nomen ad invicem, ut si dicamus Pater Filii Pater, et Filius Patris Filius: non ita duplicem relationis circumversio in nomine sancti Spiritus inveniri potest.

X. Int. Qua necessitate accidit, ut ita non circumferri possit Spiritus sancti relatio? Resp. Quia recte dicere possumus Spiritum sanctum Patris et Filii Spiritum; sed converso ordine non possumus dicere, Patrem Spiritus sancti, sicut dicimus Patrem Filii, ne duo filii in sancta Trinitate æstimentur. Item non possumus dicere, Filium Spiritus sancti, sicut dicimus Filium Patris, ne duo patres in sancta Trinitate intelligantur. Dicimus itaque Spiritum sanctum Patris et Filii, sine reciprocatione conversionis nominum relativorum.

XI. Int. Utrum inseparabilia sint opera sanctæ Trinitatis? Resp. Utique quidquid operatur Trinitas sancta, inseparabiliter hæc eadem operatur; quia una est Trinitatis operatio, sicut una est substantia, essentia, et voluntas.

XII. Int. Utrum sancta Trinitas in personis separabilis sive inseparabilis dicenda est, dum alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus? Resp. Vere alius est Pater quam Filius in persona, sicut Filius alius est in persona quam Pater, et Spiritus sanctus alius est in persona quam Pater et Filius: non tamen aliud ille vel ille in natura, vel in deitate, aut in essentia. Nec enim Patrem potes dicere, nisi Filium intelligas; nec Spiritum sanctum, nisi intelligas cujus Spiritus sit. Quocirca omni modo inseparabilis est sancta Trinitas, sicut in operibus, sic etiam in personis dicenda.

XIII. Int. Si ad solam Patris personam pertinent quod dicitur, *Qui facit mirabilia magna solus* (*Psal.* LXXI, 18)? et Apostolus, *Qui solus habet immortalitatem* (I *Tim.* VI, 16)? Resp. Nullatenus ad solam Patris personam pertinet, dum dicitur solus Deus, sive in Novo, sive in Veteri Testamento, et quod Deus solus sive hoc sive illud habeat vel faciat: sed ad totam Trinitatem sanctam, quæ est unus Deus omnipotens, omnia faciens quæ in cœlo et in terra.

XIV. Int. Quomodo beatus Joannes evangelista dicit, *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* I, 18)? et ipse Dominus in alio loco, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8)? et Apostolus invisibilem Deum dicit (I *Tim.* I, 17)? Resp. Videri enim potest Deus, id est, intelligi secundum suæ donum gratiæ, sive ab Angelis, sive ab animabus sanctorum: plenam vero divinitatis naturam nec angelus quilibet, nec sanctorum aliquis perfecte intelligere poterit: ideo incomprehensibilis dicitur Deus.

XV. Int. Quod sanctis summum promittitur præmium æterna Dei visio, an æqualiter videbunt vel intelligent? Resp. Nullatenus æqualiter omnes vel Angeli vel animæ sanctorum Deum vel nunc vident, vel post resurrectionem videbunt: sed secundum donatoris dispensationem et meritorum qualitatem. Unusquisque tamen sufficientem in ejus visione suis meritis habebit beatitudinem, nec plus quæret quam habebit, nec se minus habere quam volet dolebit.

XVI. Int. An aliquid distet in Deo, esse, vivere, intelligere, posse? Resp. Nullatenus aliud est in Deo esse, aliud vivere, vel aliud intelligere, vel aliud posse: quia Deus eo ipso quo est, vivit; et eo quo vivit, intelligit; et eo quo intelligit, potest; et eo quo potest, est: quia simplex deitatis natura unum habet esse, vivere, intelligere, et omnia potest. Sed non est ita in nobis, dum aliud est in natura nostra vivere, aliud intelligere, aliud posse. In Deo vero hæc omnia unum atque idem sunt.

XVII. Int. Utrum de Filio sicut dicitur lumen de lumine, Deus de Deo, potest dici omnipotens de omnipotente, bonus de bono, magnus de magno, et cætera talia? Resp. Regulariter utique tenere debemus, quod omnia naturæ nomina æqualiter de Filio dici possunt sicut de Patre: id est, sicut dicitur Deus de Deo, lumen de lumine; ita dicendum est, omnipotens de omnipotente; bonus de bono, magnus de magno: sed non ita in relativis.

XVIII. Int. Sed quomodo in relativis nominibus dicendum est? Resp. Non possumus dicere Verbum de Verbo, quia relativum nomen est Verbum, quod solus est Filius; sicut dicimus Deum de Deo, quod non est solus Filius: nec Imaginem de Imagine, quia solus est Filius Imago (II *Cor.* IV, 4; *Coloss.* I, 15); sicut dicimus lumen de lumine, quod non est solus Filius, quia substantiale nomen est lumen.

XIX. Int. Numquid aliud lumen est Pater, et aliud Filius? Resp. Nequaquam aliud, sed unum lumen est Pater et Filius, sicut una substantia. Ideo recte dicitur lumen de lumine, sicut Deus de Deo. Sicut enim unus est Deus Pater et Filius, ita unum lumen.

XX. Int. Legimus, Apostolo dicente, Christum Dei esse virtutem et Dei sapientiam (I *Cor.* I, 24); numquid Pater non habet in se sapientiam, vel virtutem, nisi in Filio, quem Apostolus sapientiam Dei et virtutem nominavit? Resp. Plurimi ita arianam destruunt impietatem, dicentes impium esse credere unquam Deum Patrem esse sine sua sapientia, aut sine sua virtute. Sed melius est intelligere Patrem esse sapientiam et virtutem; imo et Spiritum sanctum sapientiam et virtutem: non tamen tres virtutes, nec tres sapientias; quia sapientia substantiale nomen est, sicut virtus. Nec aliud est in Deo esse, aliud sapere, aliud posse: sed unum est Deo esse, sapere, posse.

XXI. Int. Utrum ad solam sancti Spiritus personam pertineat charitas, dum apostolus dicit, *Deus charitas est* (I *Joan.* IV, 16), qui dilectio Patris et Filii esse legitur? Resp. Nullatenus ita Spiritus sanctus charitas intelligitur, quasi non sit Pater et Filius charitas. Sicut Spiritus sanctus est charitas, ita et Pater est charitas, et Filius est charitas: non tamen tres charitates, sed una charitas. Sed quia Spiritus sanctus donum Dei proprie dicitur (*Act.* II, 38 *et* VIII, 20), et nullum Dei donum charitate majus est, imo sine eo nullum donum ad perpetuam hominem deducere poterit beatitudinem, proinde Spiritus sanctus proprie dicitur charitas (*Rom.* V, 5).

XXII. Int. Numquid impii dona Dei habent? Resp. Habent utique per eum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). In eo enim sumus, movemur, et vivimus (*Act.* XVII, 28). Bona sunt enim dona Dei eis qui bene utuntur illis. Ideo charitas singulare est in sanctis donum, in qua filii Dei discernuntur a filiis impietatis.

XXIII. Int. Quare si Deus totus ubique est, in cœlo dicitur magis habitare quam in terra? Resp.

Quia major est cognitio in sanctis Angelis animabusque sanctorum divinitatis, cum sint apud Deum in cœlis, quam in terris : sicut enim in hoc mortali corpore quidam magis intelligunt divinam substantiam, quidam minus ; ita et in cœlo magis dicitur Deus esse quam in terra, quia plenius ejusdem substantia intelligitur ab inhabitatoribus cœli quam terræ incolis.

XXIV. Int. Si una substantia est Pater et Filius et Spiritus sanctus, quare solus Filius incarnatus dicitur? Resp. Quia alia est persona Filii, alia Patris, alia Spiritus sancti. Et sola quidem persona Filii incarnata est, operante tamen eamdem incarnationem tota sancta Trinitate, cujus opera sunt inseparabilia.

XXV. Int. Deum in Symbolo catholico cantari solet Dei Filium de Spiritu sancto et Maria virgine incarnatum ; quare non dicitur Filius Spiritus sancti, sicut dicitur beatæ Virginis? Resp. Non utique sic de illo sicut de illa natus est Filius Dei. De illa siquidem, id est, sancta Virgine natus est Filius Dei sicut de matre : non de illo, id est, Spiritu sancto, sicut de patre, ne duo patres dicerentur in sancta Trinitate.

XXVI. Int. Si una natura est Patris et Filii, et Filius incarnatus plenus est Deus et perfectus, quomodo non Pater incarnatus est? Resp. Filius plenus est Deus et perfectus, qui solus incarnatus est, et homo factus est. Nam ignis una substantia est, sed aliud in igne facit calor, aliud lux. Lux illuminat, calor calefacit : una tamen ignis natura utrumque facit et calorem et lucem.

XXVII. Int. Utrum divinitas cum carne concepta et nata et passa est, et cætera quæ humanitatis propria esse noscuntur? Resp. Utique divinitas suæ carnis conceptione concepta est, et nativitate nata, sensitque participatione humani affectus mortem, quam sponte susceperat, non naturæ suæ potentiam perdens, per quam cuncta vivificat. Et ipse auctor qui sponte natus est, sponte passus est. Et idem opus, quia utrumque unus, licet non alio cogente, solus Filius ipse perpetitur, salva divinitatis impassibilitate.

XXVIII. Int. Ex qua natura dicit, *Potestatem habeo ponendi animam meam* (*Joan.* x, 18)? Resp. Omnium quæ in Christo sunt operum auctoritas ex divinitate est : tamen carni convenit dicere, *Potestatem habeo ponendi animam meam*, non divinitati. Divinitas enim non dimisit animam postquam assumpsit eam in utero virginis, caro dimisit dum emisit spiritum in cruce Christus.

XXIX. (*a*) Int. Quomodo convenit quod in Genesi legitur, *Requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis* (*Gen.* II, 2) ; et in Evangelio, *Pater meus usquemodo operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 17)? Resp. Requievit a novarum conditione creaturarum, non a conditarum gubernatione. Et ideo Deus tunc creator in sex dierum creatione putandus est, nunc vero gubernator in totius mundi naturis.

XXX. Int. Quot creaturas rationales condidit Deus? Resp. Duas, angelicam et humanam ; et cœlum Angelis, et terram hominibus habitationem.

XXXI. Int. Quare angelicum peccatum silentio in Genesi absconditum est, et hominis patefactum est? Resp. Quia angelicum vulnus Deus non prædestinavit curare, hominis vero sanare prædestinavit.

XXXII. Int. Cur summi angeli peccatum insanabile fuit, et hominis sanabile? Resp. Quia angelus sui sceleris inventor fuit, homo vero alterius fraude seductus. Item quanto sublimior angelus in gloria, tanto major in ruina. Homo vero quanto fragilior in natura, tanto facilior ad veniam.

XXXIII. Int. Cur homo suæ potestatis creatus auctor est? Resp. Ut ipse sibi auctor esset ad vitam, sive ad mortem. Si vero necessitati esset subjectus, tunc nec boni operis haberet gloriam, nec mali pœnam, sed esset quasi unus ex pecoribus.

(*a*) Reliquæ sunt ejusdem Alcuini in Genesim.

DE INCARNATIONE VERBI

AD JANUARIUM

LIBRI DUO,

COLLECTI EX ORIGENIS OPERE ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ, JUXTA VERSIONEM RUFFINI.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM. — *Recolligit ea quæ de Deo ab Apostolis sunt prædicata.* (*a*) Species vero[1] eorum quæ per prædicationem apostolicam manifeste traduntur, istæ sunt. Primo quod unus est Deus qui omnia creavit atque composuit, quique cum nihil essent, esse fecit universa. Deus a prima creatura et conditione mundi omnium justorum, Deus Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, duodecim Patriarcharum, Moysi et Prophetarum. Et quod hic[2] Deus in novissimis diebus, sicut per Prophetas suos ante promiserat, misit Dominum Jesum Christum, primo quidem vocaturum Israel, secundo vero etiam gentes post perfidiam populi Israel. Hic Deus justus et bonus, Pater Domini nostri Jesu Christi, Legem et Prophetas et Evangelia ipse dedit, qui et Apostolorum Deus est, et Veteris ac Novi Testamenti. Tum deinde quia Jesus Christus qui venit ante omnem creaturam, natus ex Patre est : qui cum in omni conditione Patri ministrasset (*per ipsum* namque *omnia facta sunt* [*Joan.* I, 3]), novissimis temporibus se ipsum exinaniens homo factus est, incarnatus est cum Deus esset, et homo factus mansit quod erat Deus. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex virgine et Spiritu sancto est. Et quoniam hic Deus Jesus Christus natus et passus est in veritate, non per phantasiam, communem hanc mortem vere mortuus est[1]. Vere enim et a mortuis resurrexit, et post resurrectionem conversatus cum discipulis suis assumptus est. Tum demum natura, honore ac dignitate Patri ac Filio[2] sociatum tradidit Spiritum sanctum. Sane quod iste Spiritus sanctus unumquemque sanctorum vel Prophetarum vel Apostolorum inspiraverit, et non alius spiritus in veteribus, alius vero in his qui in adventu Christi inspirati sunt, fuerit, manifestissime in Ecclesia prædicatur.

CAPUT II. — *Animæ liberum arbitrium et origo.* Post hæc anima quod jam substantiam vitamque habens propriam, cum ex hoc discesserit mundo, pro suis meritis dispensabitur, sive vitæ æternæ ac beati-

[1] Hic addimus, *vero*, ex Mss. Vaticano et Victorino ; quod etiam apud Origenem legitur.
[2] Victorinus Ms., *hoc*.
(*a*) Ex Procemio libri I *peri Archôn*.

[1] Ms. Victorinus, *passus in veritate, et non per phantasiam communicavit hanc mortem vere mortuus. Vere enim.*
[2] Mss. omittunt, *Patri ac Filio*.

tudinis hæreditate potitura, si hoc ei sua gesta præstiterint : sive æterno supplicio mancipanda, si in hoc eamdem scelerum culpa detorserit. Sed et erit tempus resurrectionis mortuorum, cum corpus hoc *quod nunc in corruptione seminatur, surget in incorruptione ; et quod seminatur in ignominia, surget in gloria* (I *Cor.* xv, 42, 43). Est et illud definitum in ecclesiastica prædicatione, omnem animam esse rationalem, liberi arbitrii et voluntatis : esse quoque ei certamen adversus diabolum et angelos ejus contrariasque virtutes, ex eo quod peccatis eam illi onerare conteudant, nos vero si recte consulteque vivamus, ab hujuscemodi labe nos exuere conemur. Unde et consequens est intelligere, non nos necessitati esse subjectos, ut omnino, etiamsi nolimus[1], vel bona vel mala agere cogamur. Si enim nostri arbitrii sumus, impugnare nos foriasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, et aliæ juvare ad salutem : non tamen necessitate cogimur, vel recte agere vel male ; quod fieri arbitrantur hi qui stellarum cursum et motus, causam dicunt humanorum esse gestorum, non solum eorum quæ extra arbitrii accidunt libertatem, sed eorum quæ in nostra posita sunt potestate. De anima vero utrum ex seminis traduce ducatur, ita ut ratio ipsius, vel substantia inserta ipsis corporalibus seminibus habeatur : an vero aliud habeat initium : et hoc ipsum initium si est genitum, aut non genitum : vel certe si extrinsecus corpori inditur, necne, non satis manifesta prædicatione distinguitur.

CAPUT III. — *De diaboli statu.* De diabolo quoque et angelis ejus contrariisque virtutibus ecclesiastica prædicatio docuit, quoniam sint quidem hæc : quæ autem sint, aut quomodo sint, non satis clare exposuit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quod angelus fuerit iste diabolus, et apostata effectus quam plurimos angelorum secum declinare persuaserit, qui et nunc usque angeli ipsius nuncupantur.

CAPUT IV. — *Mundi principium et finis.* Est et præterea illud in ecclesiastica prædicatione, quod mundus iste factus sit, et a certo tempore cœperit, et sit pro ipsa sui corruptione solvendus. Quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid postmodum erit, non jam pro manifesto multis innotuit. Non enim evidens de his in ecclesiastica prædicatione sermo profertur.

CAPUT V. — *Scripturæ sensus arcanus.* Tum demum quod per Spiritum Dei Scripturæ conscriptæ sint, et sensum habeant, non eum solum qui in manifesto est, sed et alium quemdam latentem quam plurimos. Formæ enim sunt hæ quæ describuntur sacramentorum quorumdam, et divinarum rerum imagines : de quo totius Ecclesiæ una sententia est, esse quidem omnem Legem spiritualem ; non tamen ea quæ spirat Lex esse hominibus nota, nisi iis solum quibus gratia Spiritus sancti in verbo sapientiæ ac scientiæ condonatur (*a*).

CAPUT VI. — *Boni angeli.* Est etiam illud in ecclesiastica prædicatione, esse angelos Dei quosdam et virtutes bonas, quæ ei ministrant ad salutem hominum consummandam : sed quando isti creati sint, vel quales aut quomodo sint, non satis in manifesto distinguitur.

CAPUT VII. — *Quomodo indaganda veritas.* Oportet igitur velut elementis ac fundamentis hujusmodi uti secundum mandatum, quod dicit, *Illuminate vobis lumen scientiæ* : omnis qui cupit seriem quamdam, et corpus ex horum omnium ratione perficere, ut manifestis et necessariis assertionibus de singulis quibusque quid sit in vero rimetur, et unum, ut diximus, corpus efficiat, exemplis et affirmationibus, vel iis quas in sanctis Scripturis invenerit, vel quas consequenter ipsius indagine ac recti tenore repererit.

CAPUT VIII. — *Filius absque initio natus.* (*b*) Nos semper Deum Patrem novimus unigeniti Filii sui, ex ipso quidem nati, et quod est ab ipso trahentis, sine ullo tamen initio : non solum eo quod aliquibus temporum spatiis distingui non potest, sed ne illo quidem, quod sola apud semetipsam mens intueri solet, et nudo, ut ita dixerim, intellectu atque animo conspicari. Extra omne ergo quod vel dici vel intelligi potest initium, generatam esse Sapientiam credendum est. In hac ipsa ergo Sapientiæ subsistentia, quia omnis virtus ac deformatio futuræ inerat creaturæ, vel eorum quæ principaliter existunt, vel eorum quæ accidunt consequenter virtute præscientiæ præformata atque disposita : pro iis ipsis quæ in ipsa sapientia velut descripta ac præfigurata fuerant creaturis, se ipsa per Salomonem dixit creatam esse Sapientia initium viarum Dei (*Prov.* VIII, 22), continens scilicet in semetipsa universæ creaturæ vel initia, vel rationes, vel species. Quali autem modo intelleximus Sapientiam initium viarum Dei esse, et quomodo creata esse dicitur, species scilicet in se et rationes totius præformans et continens creaturæ, hoc modo etiam Verbum Dei eam esse intelligendum est : per hoc quod ipsa cæteris omnibus, id est, universæ creaturæ, mysteriorum et arcanorum rationem, quæ utique intra Dei Sapientiam continetur, aperiat : et per hoc Verbum dicitur, quod sit tanquam arcanorum mentis interpres. Joannes in initio Evangelii sui propria definitione Deum esse definiens Verbum, dicit : *Et Deus erat Verbum, et hoc erat in initio apud Deum* (*Joan.* I, 1). Qui autem dat initium Verbo Dei vel Sapientiæ Dei, intuere ne magis in ipsum ingenitum Patrem impietatem suam jaciet, cum eum neget semper Patrem fuisse, et genuisse Verbum, et habuisse Sapientiam in omnibus anterioribus vel temporibus vel sæculis, vel si quid illud est quod nominari potest.

CAPUT IX. — *Rationes exemplares in Verbo.* Hic ergo Filius, etiam omnium quæ sunt, veritas est, et vita, et via, (*Id.* XIV, 6). Et recte. Nam quomodo viverent quæ facta sunt, nisi ex vita ? Vel quomodo veritate constarent ea quæ sunt, nisi ex veritate descenderent ? Vel quomodo rationales esse possent substantiæ, nisi verbum vel ratio præcederet ? Vel quomodo possent esse sapientes, nisi esset sapientia ? Via factum est Verbum Dei et Sapientia, quæ via idcirco dicitur, quod ad Patrem ducit eos qui incedunt per eam. Quæcumque ergo dixerimus de Sapientia Dei, hæc etiam convenienter aptabuntur, et intelligentur pro eo quod Filius Dei vita est, et pro eo quod verbum est, et pro eo quod veritas est, et pro eo quod via est, et pro eo quod resurrectio est : quia hæ omnes appellationes ex operibus ejus ac virtutibus nominatæ sunt ; et in nulla harum vel levi opinione intelligi corporale aliquid potest, vel quod magnitudinem designare videatur, vel habitum, vel colorem.

CAPUT X. — *Incogitabilis Verbi nativitas.* Verum quoniam ii qui apud nos filii hominum videntur vel cæterorum animalium, semini eorum a quibus seminati sunt, respondent, vel etiam earum in quarum utero formantur ac nutriuntur, habentes ex his quidquid illud est quod in lucem hanc assumunt ac deferunt processuri : infandum est et illicitum, Deum Patrem in generatione unigeniti Filii sui, atque in substantia ejus exæquare alicui vel hominum vel aliorum animantium generanti. Sed necesse est exceptum aliquid esse, et Deo dignum, cujus nulla prorsus comparatio, non in rebus solum, sed ne in cogitatione quidem vel sensu inveniri potest, ut humana cogitatio possit apprehendere, quomodo ingenitus Deus Pater efficitur unigeniti Filii. Est ita namque æterna ac sempiterna generatio, sicut splendor generatur ex luce. Non enim per adoptionem spiritus, Filius fit exstrinsecus : sed natura Filius est. Videamus tamen quomodo hæc quæ dicimus etiam divinæ Scripturæ auctoritate muniantur. Ait apostolus Paulus, unigenitum Filium imaginem esse invisibilis Dei, et primogenitum eum esse totius creaturæ (*Coloss.* I, 15). Ad Hebræos vero scribens de eo di-

[1] Victorinus Ms., *volumus*.

(*a*) Hic nonnulla Origenis prætermissa.

(*b*) Deinceps ex capite 2 libri I *peri archôn*.

cit, quod sit *splendor gloriæ*, *et figura expressa substantiæ ejus* (*Hebr.* I, 3). Invenimus etiam nihilominus in Sapientia, quæ dicitur Salomonis, descriptionem quamdam de Dei Sapientia, hoc modo scriptam: *Vapor est enim*, inquit, *virtutis Dei*, *et ἀπόῤῥοια*, id est, *emanatio gloriæ Omnipotentis purissima*. Ideo ergo nihil commaculatum in eam incidere potest. *Splendor est enim lucis æternæ*, *et speculum immaculatum inoperationis Dei*, *et imago bonitatis ejus* (*Sap.* VII, 25, 26). Sapientiam vero Dei dicimus, sicut superius diximus, subsistentiam habentem non alibi nisi in eo qui est initium omnium, ex quo nata est. Quæ Sapientia, quia ipse est qui est solus natura Filius, idcirco et Unigenitus dicitur.

CAPUT XI. — *Verbum imago Patris.* Videamus sane quid intelligi debeat etiam de hoc, quod imago invisibili Dei dicitur, ut per hoc advertamus quomodo Deus rectus Pater dicitur Filii sui. Et consideremus primo ex iis quæ consuetudine hominum imagines appellari solent. Imago interdum dicitur ea quæ in materia aliqua, id est, ligni vel lapidis depingi vel sculpi solet. Interdum imago dicitur ejus qui genuit is qui natus est, cum in illo similitudinem [1] lineamenta ejus qui genuit in eo qui natus est mentiuntur. Puto ergo posse priori quidem exemplo aptari eum qui ad imaginem et similitudinem Dei primus factus est hominum, de quo diligentius, Deo favente, cum locum ipsum in Genesi exponere cœperimus, videbimus. Secundæ vero comparationi imago Filii Dei, de quo nunc sermo est, comparari potest, etiam secundum hoc quod invisibilis Dei invisibilis imago est. Sicut secundum historiam dicimus imaginem Adæ esse filium ejus Seth. Ita enim scriptum est, *Et genuit Adam Seth secundum imaginem suam*, *et secundum speciem suam* (*Gen.* V, 3). Quæ imago etiam naturæ ac substantiæ Patris ac Filii continet unitatem. Si enim omnia quæ fecit Pater, hæc et Filius similiter facit (*Joan.* V, 19); in eo quod ita fecit omnia Filius sicut Pater, imago Patris deformatur in Filio, qui utique natus ex eo est velut quædam voluntas [2] ex mente procedens. Et ideo ego arbitror, quod sufficere debeat voluntas Patris ad subsistendum hoc quod vult Pater. Volens enim non alia via utitur, nisi quæ consilio voluntatis profertur. Ita ergo et Filii ab eo subsistentia generatur, quod necesse est in primis suscipi ab his qui nihil ingenitum, id est, innatum præter solum Deum fatentur Patrem. Observandum namque est, ne quis incurrat in illas absurdas fabulas eorum qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt, ut divinam naturam in partes vocent, et Deum Patrem, quantum in se est, dividant: cum hoc de incorporea natura vel leviter suspicari non solum extremæ impietatis sit, verum etiam ultimæ insipientiæ, nec omnino vel intelligentiam consequens, ut incorporeæ naturæ substantialis divisio possit intelligi. Magis ergo sicut voluntas procedit ex mente, et neque partem mentis aliquam secat, neque ab ea separatur aut dividitur, tali quidem specie putandus est Pater Filium genuisse, imaginem scilicet suam: ut sicut ipse invisibilis est per naturam, ita imaginem quoque invisibilem genuerit. Verbum enim est Filius, et ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. Sapientia est, et in sapientia nihil corporeum suspicandum est. *Lumen est verum*, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Id.* I, 9): sed nihil habet commune ad solis hujus lumen. (*a*) Imago ergo est invisibilis Dei Patris Salvator noster: quantum ad ipsum quidem Patrem veritas, quantum autem ad nos quibus revelat Patrem, imago est per quam cognoscimus Patrem, *quem nemo alius novit nisi Filius*, *et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27). Revelat autem per hoc quod ipse intelligitur. A quo enim ipse fuerit intellectus, consequenter intelligitur et Pater, secundum hoc quod ipse dixit, *Qui vidit me*, *vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9).

CAPUT XII. — *Christus figura substantiæ paternæ.* Sed quoniam sermonem Pauli inseruimus de Christo dicentis, in eo quod ait, quia *splendor est gloriæ Dei*, *et figura expressa substantiæ ejus* (*Hebr.* I, 3); quid de hoc sentiendum sit, videamus. *Deus lux est*, secundum Joannem (I *Joan.* I, 5). Splendor ergo lucis est unigenitus Filius, ex ipso inseparabiliter, velut splendor ex luce procedens, et illuminans universam creaturam. Secundum hoc namque superius exposuimus, quomodo via sit et ducat ad Patrem: et quomodo Verbum sit, arcana sapientiæ et scientiæ mysteria interpretans, ac proferens rationabili creaturæ: quomodo etiam veritas, vel vita est, vel resurrectio est [1]. Consequenter intelligere debemus etiam splendoris opus. Per splendorem namque quid sit lux ipsa cognoscitur et sentitur. Qui splendor fragilibus se et infirmis mortalium oculis placidius ac lenius offerens, et paulatim velut edocens et assuescens claritatem luminis pati, cum ab eis dimoverit omne quod visum obducit et impedit, secundum quod dixit Dominus, *Ejice trabem de oculo tuo* (*Matth.* VII, 5), capaces eos efficit ad suscipiendam gloriam lucis, etiam in hoc velut quidam mediator hominum ac lucis effectus. Verum quoniam non solum splendor gloriæ esse dicitur ab Apostolo, sed et *figura expressa substantiæ* vel *subsistentiæ ejus* (*Hebr.* I, 3); non mihi videtur otiosi esse intellectus, advertere quomodo alia præter ipsam Dei substantiam vel subsistentiam, quæcumque illa substantia vel subsistentia dicitur, figura substantiæ ejus esse dicatur. Et vide ne forte quoniam Filius Dei, qui et Verbum ejus et Sapientia dicitur qui et solus novit Patrem, et revelat quibus vult (*Matth.* XI, 27): id est, qui capaces verbi ipsius et sapientiæ fuerint, secundum hoc ipsum quod intelligi atque cognosci Deum facit, figuram substantiæ vel subsistentiæ ejus dicatur exprimere: id est, cum in semetipsa primum describit Sapientia quæ revelare vult cæteris, ex quibus ab illis cognoscitur et intelligitur Deus: et hæc dicatur figura expressa substantiæ Dei. Ut autem plenius adhuc intelligatur quomodo Salvator figura est substantiæ vel subsistentiæ Dei, utamur etiam exemplo, quod quamvis rem non plene nec proprie significet de qua agimus, tamen ad hoc solum videatur assumptum, quod exinaniens se Filius qui erat in forma Dei (*Philipp.* II, 6), per ipsam sui exinanitionem studuit nobis divinitatis plenitudinem demonstrare. Verbi gratia: si facta esset aliqua statua talis quæ magnitudine sui universum orbem terræ teneret, et pro sui immensitate considerari a nullo posset, fieret autem alia statua membrorum habitu ac vultus lineamentis, specie ac materia per omnia similis absque magnitudinis immensitate, pro eo ut qui illam immensam consideraret atque intueri non possent, hanc videntes illam se vidisse considerent, pro eo quod omnia, id est membrorum vel vultus lineamenta, vel ipsam speciem materiamque similitudine prorsus indiscreta servaret; tali quadam similitudine exinaniens se Filius Dei de æqualitate Patris, et viam nobis cognitionis ejus ostendens figura expressa substantiæ ejus efficitur: ut qui in magnitudine claritatis suæ [2] positam gloriam meræ lucis non poteramus aspicere, per hoc quod splendor nobis efficitur, intuendæ divinæ lucis viam, per splendoris capiamus aspectum. Comparatio sane de statuis quasi in rebus corporalibus [3] posita, ad nihil aliud recipiatur quam ad hoc, quod Filius Dei brevissime insertus humani corporis formæ, ex operum virtutisque similitudine, Dei Patris in se immensam atque invisibilem magnitudinem designabat, per hoc quod dicebat ad discipulos suos, quia, *Qui vidit me*, *vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); et, *Ego*, *et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30). Quibus et illud

[1] Mss., *nulla similitudinum.* Origenes, *in nullo.*
[2] Mss. addunt, *ejus.*
(*a*) Hæc vert a aliter translata a Hieronymi epistola 59 ad Avitum, cap. 1; et August. de Hæres. 45.

[1] Mss., *oratio.* Forte pro, *ratio.*
[2] Mss., *divinitatis suæ.*
[3] Mss., *materialibus.*

simile intelligendum est quod ait, quia *Pater in me, et ego in eo* (*Joan.* XIV, 10).

CAPUT XIII. — *Filius vapor virtutis divinæ.* Videamus nunc etiam illud qualiter sentiendum est, quod in Sapientia Salomonis scriptum legimus, qui ita ait de Sapientia, quia *Vapor est quidam virtutis Dei, et ἀπόῤῥοια*, id est, *emanatio Omnipotentis gloriæ purissima, et splendor lucis æternæ, et speculum immaculatum inoperationis* sive *virtutis Dei, et imago bonitatis ejus* (*Sap.* VII, 25). Quinque igitur hæc de Deo definiens, ex singulis quibusque certa quædam inesse sapientiæ Dei designat. Virtutem namque Dei nominat, et gloriam, et lucem æternam, et inoperationem, et bonitatem. Ait autem sapientiam vaporem esse non gloriæ Omnipotentis, neque æternæ lucis, nec inoperationis Patris, nec bonitatis ejus; neque enim conveniens erat alicui horum ascribi vaporem: sed cum omni proprietate ait virtutis Dei vaporem esse sapientiam. Intelligenda est ergo virtus Dei, qua viget; qua omnia visibilia et invisibilia vel instituit, vel continet, vel gubernat; quia ad omnia sufficiens est quorum providentiam gerit, quia [1] velut unita omnibus adest. Hujus ergo totius virtutis tantæ et tam immensæ vapor, et, ut ita dixerim, vigor ipse in propria subsistentia effectus, quamvis ex ipsa virtute velut voluntas ex mente procedat; tamen et ipsa voluntas Dei nihilominus Dei virtus efficitur. Efficitur ergo virtus altera in sua proprietate subsistens, ut ait sermo Scripturæ, *vapor quidam primæ et ingenitæ virtutis Dei:* hoc quidem quod est, inde trahens. Non est autem quando non fuerit. Si enim quis dicere voluerit quasi prius non exstiterit, sed postea ad subsistentiam venerit; dicat causam quare, qui eam subsistere fecit Pater, hoc ante non fecerit. Quod si aliquod initium semel dederit, quo initio vapor iste ex virtute Dei processerit; iterum interrogabimus, quare non et ante illud quod dixit initium. Et ita semper de anterioribus inquirentes, et verbo interrogationis ascendentes, perveniemus in illum intellectum, ut quoniam et poterat Deus semper et volebat, nunquam vel decuerit, vel causa aliqua existere potuerit, ut non hoc quod bonum volebat semper habuerit. Ex quo ostenditur semper fuisse vaporem istum virtutis Dei, nullum habentem initium, nisi ipsum Deum. Non enim decebat aliud esse initium, nisi ipsum unde est et nascitur, Deum. Secundum Apostolum vero dicentem, quia *Christus Dei virtus est* (*I Cor.* I, 24): jam non solum vapor virtutis Dei, sed virtus ex virtute dicenda est. (*a*) Ne autem videatur alicui anterior esse in Deo Omnipotentis appellatio nativitate sapientiæ, per quam Pater vocatur, quoniam dicta est aporrhœa Omnipotentis gloriæ purissima esse sapientia, qui est Filius Dei: audiat qui hæc ita vult suspicari, quod manifeste pronuntiat Scriptura divina, dicens, quia *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24). Et Evangelium docet, quia *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Et intelliget ex hoc, quia non potest antiquior esse in Deo appellatio Omnipotentis quam Patris. Per Filium etenim omnipotens est Pater. Sed quoniam gloriam dixit esse Omnipotentis, cujus gloriæ aporrhœa est sapientia, hoc intelligi datur, quod etiam in omnipotentiæ gloria societatem habeat sapientia, per quam Deus omnipotens dicitur. Per sapientiam quæ est Christus, tenet Deus omnium potentatum, non solum dominantis auctoritate, verum etiam subjectorum spontaneo famulatu. Ut autem unam eamdemque omnipotentiam Patris ac Filii esse cognoscas, sicut unus atque idem est cum Patre Deus et Dominus; audi hoc modo Joannem in Apocalypsi dicentem, *Hæc dicit Dominus Deus, qui est, qui erat, et qui venturus est, Omnipotens* (*Apoc.* I, 8). Qui enim venturus est, quis est alius nisi Christus? Et sicut nemo debet offendi cum Deus sit Pater, quod etiam Salvator Deus est: ita et cum omnipotens dicitur, Pater, nullus debet offendi quod etiam Filius Dei omnipotens dicitur. Hoc namque modo verum erit illud quod ipse dicit ad Patrem, quia *Omnia mea tua sunt, et tua mea, et glorificatus sum in eis* (*Joan.* XVII, 10). Si ergo omnia quæ Patris sunt Christi sunt, inter omnia vero quæ est Pater, est etiam omnipotens; sine dubio etiam unigenitus Dei Filius esse debet omnipotens, ut omnia quæ habet Pater, etiam Filius habeat. *Et glorificatus sum*, inquit, *in eis: in nomine enim Jesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 10, 11). Igitur aporrhœa gloriæ Dei, secundum hoc quod omnipotens est, pura ac limpida ipsa sapientia est Dei glorificata tanquam aporrhœa omnipotentiæ vel gloriæ. Ut autem manifestius intelligatur quæ sit gloria omnipotentiæ, etiam hæc addimus. Deus Pater omnipotens est, eo quod potentatum omnium teneat, id est, cœli et terræ, maris et omnium quæ in eis sunt. Horum autem potentatum gerit per Verbum suum; quoniam in nomine Jesu omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Si omne genu flectitur Jesu, sine dubio Jesus est omnipotens [1], cui subjecta sunt omnia; et ipse est qui potentatum agit in omnibus, et per quem subjecta Patri sunt omnia. Per sapientiam namque, id est, verbo et ratione, non vi et necessitate subjecta sunt. Et ideo in eo ipso quod obtinet omnia, gloria sua est: et hæc est omnipotentiæ purissima ac limpidissima gloria, cum ratione ac sapientia, non vi aut necessitate, cuncta subjecta sunt.

CAPUT XIV. — *Gloria et splendor et ἐνέργεια. Sempiternum quod dicatur. Inoperatio Dei quid sit.* Purissima vero ac limpidissima gloria sapientiæ satis convenienter dictum est, ad distinctionem ejus gloriæ quæ non pura nec sincera gloria dicitur. Omnis enim natura quæ convertibilis et commutabilis est, etiamsi glorificetur in operibus justitiæ vel sapientiæ, per hoc ipsum quod accidentem habet justitiam vel sapientiam, et quod accidit etiam discedere potest, gloria ejus sincera ac limpida dici non potest. Sapientia vero Dei, qui est unigenitus Filius, quoniam in omnibus inconvertibilis est et incommutabilis, et substantiale in eo omne bonum est, quod utique mutari ac converti nunquam potest, idcirco pura ejus ac sincera gloria ejus prædicatur. (*a*) Sempiternum vel æternum proprie dicitur quod neque initium ut esset habuit, nec cessare unquam potest esse quod est. Hoc autem designatur apud Joannem cum dicit, quia *Deus lux est* (*I Joan.* I, 5). Splendor autem lucis ejus, sapientia sua est, non solum secundum id quod sempiterna lux est, ita ut æternus et æternitatis splendor sit sapientia sua. Quod si integre intelligatur, manifeste declarat, quia substantia Filii ab ipso Patre descendit, sed non temporaliter, neque ab ullo alio initio, nisi, ut diximus, ab ipso Deo. Sed et speculum immaculatum paternæ inoperationis [2] Dei esse sapientia nominatur. Ergo inoperatio virtutis Dei quæ sit, prius intelligenda est, quæ est vigor quidam, ut ita dixerim, per quem inoperatur Pater, vel cum creat, vel cum providet, vel cum judicat, vel cum singula quæque in tempore suo disponit atque dispensat. Sicut enim in speculo omnibus motibus atque omnibus actibus, quibus is qui speculum intuetur movetur vel agit, iisdem ipsis etiam ea imago quæ per speculum deformatur actibus vel motibus commovetur, vel agit, in nullo prorsus declinans; ita etiam sapientia de se vult intelligi, cum speculum immaculatum paternæ virtutis inoperationis Dei nominatur: sicut et Dominus Jesus Christus, qui sapientia Dei est, de semet ipso pronuntiat, dicens,

[1] Mss, *quibus*.

(*a*) Hic nonnulla Origenis verba relicta.

[1] Vss. omittunt, *omnipotens*.

[2] Manuscripti, *virtutis inoperationis*.

(*a*) Ex eodem Origenis loco, versibus aliquot prætermissis.

quia *Opera quæ facit Pater, hæc etiam et Filius facit similiter*. Et iterum dicit, quoniam *Non potest Filius a semetipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* v, 19). Quoniam ergo in nullo prorsus Filius a Patre virtute operum immutatur ac differt, nec aliud est opus Filii quam Patris, sed unus atque idem, ut ita dicam, etiam motus in omnibus est : idcirco eum speculum immaculatum nominavit; ut per hoc nulla dissimilitudo Filii intelligatur a Patre cum in Evangelio Filius non dicatur similia facere, sed eadem similiter facere.

CAPUT XV. — *Filius imago bonitatis divinæ*. Superest, quid sit imago bonitatis ejus inquirere : in quo eadem, ut opinor, intelligi convenit, quæ superius de imagine ea quæ per speculum formatur expressimus. Principalis namque bonitas sine dubio Pater est, ex qua Filius natus, qui per omnia imago dicitur. Non enim alia aliqua secunda bonitas existit in Filio, præter eam quæ est in Patre. Unde et recte ipse Salvator in Evangelio dicit, quia *Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Marc.* x, 18). Quo scilicet per hoc intelligatur Filius non esse alterius bonitatis, sed illius solius quæ in Patre est : cujus recte imago appellatur; quia neque aliunde est nisi ex ipsa principali bonitate, nec altera bonitas quam ea quæ in Patre est, videtur in Filio; neque aliqua dissimilitudo aut distantia bonitatis in Filio est. Propter quod non debet velut blasphemiæ aliquod genus putari in eo quod dictum est, quia *Nemo bonus nisi unus Deus* : ut propterea putetur, vel Christus, vel Spiritus sanctus negari quod bonus sit : sed, ut superius diximus, principalis bonitas in Deo Patre sentienda est ex quo vel Filius natus, vel Spiritus sanctus procedens, sine dubio bonitatis naturam in se fert, quæ in eo fonte de quo vel natus est Filius, vel procedens est Spiritus sanctus. Jamvero si qua alia bona in Scripturis dicuntur, vel angelus, vel homo, vel servus, vel thesaurus, vel cor hominum, vel arbor bona; hæc omnia abusive dicuntur, accidentem, non substantialem in se continentia bonitatem.

CAPUT XVI. — *Spiritus sancti dignitas*. Multum autem est, et alterius vel operis vel temporis, congregare omnes Filii Dei appellationes : verbi causa, quomodo vel lumen verum est, vel ostium, vel justitia, vel sanctificatio, vel redemptio, et alia innumerata; et quibus ex causis, vel virtutibus, vel affectibus unumquodque horum nominetur exponere. Sed contenti his de quibus superius disseruimus, consequenter etiam reliqua perquiramus. (*a*) Consequens est igitur nunc de Spiritu sancto, quam possumus breviter, requiramus. Et omnes quidem, qui quoquo modo providentiam esse sentiunt, Deum esse ingenitum qui universa creavit atque disposuit, confitentur, eumque parentem universitatis intelligunt : huic tamen esse Filium, non nos soli pronuntiamus : quamvis satis hoc et mirum et incredulum videatur his qui apud Græcos vel Barbaros philosophari videntur; tamen a nonnullis etiam ipsorum habita videtur ejus opinio, cum verbo Dei vel ratione creata esse omnia confitentur. Nos vero secundum fidem doctrinæ ejus quam divinitus inspiratam pro certo habemus, eminentiorem divinioremque rationem de Filio Dei nullius alterius possibilitatis esse credimus exponere, atque in hominum cognitionem proferre, nisi ejus Scripturæ solius quæ a Spiritu sancto inspirata est, id est apostolicæ atque evangelicæ, necnon Legis et Prophetarum, sicut ipse Christus asseruit. De substantia vero Spiritus sancti nec suspicionem ullam habere quis potuit, præter eos qui in Lege et Prophetis versati sunt, vel eos qui se in Christo credere profitentur. Nam de Deo quidem Patre quamvis digne proloqui nemo valeat, tamen possibile est intellectum aliquem capi ex occasione visibilium creaturarum, et ex his quæ humana mens naturaliter sentit, insuper etiam de Scripturis sanctis confirmari possibile est. Sed et de Filio Dei, quamvis nemo noverit Filium nisi Pater, tamen ex divinis Scripturis etiam de ipso qualiter sentiri debeat, mens humana formatur, non solum ex Novo, sed etiam ex Vetere Testamento, per ea quæ a sanctis gesta figuraliter ad Christum referuntur, ex quibus adverti vel divina natura ejus, vel humana quæ ab eo est assumpta, potest. De Spiritu vero sancto, quod sit, multæ nos Scripturæ docuerunt : sicut David in quinquagesimo Psalmo dicit, *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L, 13). Et in Daniele dicitur, *Spiritus sanctus qui in te est* (*Dan.* IV, 5, 6, 15, *et* V, 11). In Novo vero Testamento abundantibus testimoniis edocemur, cum Spiritus sanctus super eum descendisse scribitur (*Matth.* III, 16); et cum ipse Dominus insufflavit in Apostolos post resurrectionem, dicens : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 22). Et ad Mariam dicitur ab Angelo, *Spiritus sanctus superveniet in te* (*Luc.* I, 35). Paulus vero docet, quia *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3). Et in Actibus Apostolorum per impositionem manuum apostolicarum Spiritus sanctus dabatur in Baptismo (*Act.* VIII, 17). Ex quibus omnibus didicimus tantæ esse auctoritatis et dignitatis Spiritus sancti substantiam, ut salutare Baptisma non aliter nisi excellentissimæ omnium Trinitatis auctoritate [1], id est, Patris et Filii et Spiritus sancti cognominatione compleatur, et ingenito Deo Patri et unigenito ejus Filio nomen quoque Spiritus sancti copuletur. Quis ergo non stupescat quanta majestas sit Spiritus sancti, cum qui dixerit verbum in Filium hominis, audeat sperare posse veniam; eum vero qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, veniam non habere, neque in præsenti sæculo, neque in futuro?

CAPUT XVII. — *Spiritus vocabulum in Scripturis*. (*a*) Verumtamen usque ad præsens, nullum sermonem in Scripturis sanctis invenire potuimus, per quem Spiritus sanctus factura esse vel creatura diceretur, ne in eo quidem modo quo de sapientia referre Salomonem supra edocuimus, vel quæ [2] de vita vel verbo aliisque appellationibus Filii Dei intelligenda esse tractavimus. Spiritus igitur Dei qui super aquas ferebatur, sicut scriptum est, in principio factura mundi (*Gen.* I, 2), puto quod non sit alius quam Spiritus sanctus, secundum quod ego intelligere possum : sicut et cum ipsa loca exponeremus, ostendimus, non tamen secundum historiam, sed secundum intelligentiam spiritualem. Quidam sane ex prædecessoribus nostris, in Novo Testamento observaverunt, quod sicubi spiritus nominatur sine adjectione ea quæ designet qualis sit spiritus, de Spiritu sancto debere intelligi : utputa, *Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax* (*Galat.* V, 22), etc. Item et ibi, *Cum cæperitis Spiritu, carne consummamini* (*Id.* III, 3). Nos vero etiam in Vetere Testamento putamus distinctionem istam posse servari : sicut cum dicit, *Qui dat Spiritum populo qui est super terram, et Spiritum his qui calcant eam* (*Isai.* XLII, 5). Sine dubio enim omnis qui calcat terram, id est, terrena et corporalia, particeps est Spiritus sancti, a Deo eum accipiens. (*b*) Sicut enim de Filio dicitur, quia *Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27) : hæc eadem etiam de Spiritu sancto docet Apostolus, cum ait, *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei* (I *Cor.* II, 10). Sed et rursus in Evangelio de divinis ac profundioribus doctrinis commemorans Salvator, quæ nondum capere poterant discipuli sui, ita ait ad Apostolos : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo* [3] : *cum autem venerit consolator Spiritus sanctus, qui a Patre procedit, ille vos docebit omnia, et commonebit omnia quæ dixi vobis* (*Joan.* XVI, 13).

CAPUT XVIII. — *De Spiritus sancti influxibus et*

(*a*) Initium capitis 2 libri I *peri Archôn*.

[1] Origenes, *Omnitrinitatis*.
[2] Mss., *quo*.
[3] Mss., *modo capere*
(*a*) Hic omittuntur Origenis versus undecim
(*b*) Hic decem versus omittuntur.

variis operationibus. Et ita sciendum [1] est, quod sicut Filius qui solus cognoscit Patrem, revelat cui vult; ita et Spiritus sanctus, qui solus scrutatur etiam alta Dei, revelat Deum cui vult. *Spiritus* enim *ubi vult spirat* (*Joan.* III, 8). Neque enim putandum est, quod etiam Spiritus Filio revelante cognoscit. Si enim Filio revelante cognoscit Patrem Spiritus sanctus, ergo ex ignorantia ad scientiam venit : quod utique et impium pariter et stultum est, Spiritum sanctum confiteri, et ignorantiam ei ascribere. Non enim cum aliquid aliud esset antequam Spiritus sanctus, per profectum venit in hoc ut Spiritus sanctus esset : ut quis audeat dicere, quia tunc quidem cum nondum esset Spiritus sanctus, ignorabat Patrem, postea vero quam recepit scientiam, etiam Spiritus sanctus effectus est. Quod si esset, nunquam utique in unitate Trinitatis, id est, Dei Patris inconvertibilis [2], et Filii ejus, etiam Spiritus sanctus haberetur, nisi quia et ipse semper erat Spiritus sanctus. Hoc sane quod dicimus, vel Semper, vel Erat, vel si quod aliud tale temporalis significationis nomen asciscimus, simpliciter et cum venia accipiendum est : quoniam nominum quidem horum significationes temporales sunt; ecce autem de quibus loquimur, tractatu quidem sermonis temporaliter nominantur, natura autem sui omnem intelligentiam sensus temporalis excedunt. (*a*) Deus Pater omnibus præstat ut sint : participatio vero Christi secundum id quod verbum vel ratio est, facit ea esse rationabilia. Ex quo consequens est, ea vel laude digna esse, vel culpa, quia et virtutis et malitiæ sunt capacia. Propter hoc consequenter adest etiam gratia Spiritus sancti, ut ea quæ substantialiter sancta non sunt, participatione ipsius sancta efficiantur. Cum ergo primo ut sint habeant ex Deo Patre; secundo, ut rationabilia sint habeant ex Verbo; tertio ut sancta sint, habeant ex Spiritu sancto : rursum Christi secundum hoc quod justitia Dei est, capacia efficiuntur ea quæ jam sanctificata ante fuerint per Spiritum sanctum. Et qui in hunc gradum profecere per sanctificationem Spiritus sancti, consequuntur nihilominus donum sapientiæ secundum virtutem inoperationis Spiritus Dei. Et hoc puto Paulum dicere, cum ait, *quibusdam dari sermonem sapientiæ, aliis sermonem scientiæ secundum eumdem Spiritum*. Et designans unamquamque discretionem donorum, refert omnia ad universitatis fontem, et dicit, *Divisiones enim inoperationum sunt, sed unus Deus, qui operatur omnia in omnibus* (I *Cor.* XII, 8, 6). Unde et inoperatio Patris, quæ esse præstat omnibus, clarior ac magnificentior invenitur : cum unusquisque per participationem Christi, secundum id quod sapientia est, et secundum id quod scientia est et sanctificatio est, proficit, et in altiores profectuum gradus venit : et per hoc quod participatione Spiritus sancti sanctificatus est quis, purior ac sincerior effectus, dignius recipit sapientiam ac scientiæ gratiam; ut depulsis omnibus expurgatisque pollutionis atque ignorantiæ maculis, tantum profectum sinceritatis ac puritatis accipiat, ut hoc quod accepit a Deo ut esset, ~~talo~~ sit quale Deo dignum est, qui ut esset utique pure præstitit ~~ac perfecte~~, ut tam dignum sit id quod est, quam est ille qui id esse fecit. Ita namque et virtutem semper esse, atque in æternum manere percipiet a Deo is qui talis est, qualem eum voluit esse ille qui fecit. Quod ut accidat, et ut indesinenter atque inseparabiliter assistant ei qui est, ea quæ ab ipso facta sunt sapientiæ, id opus est instruere atque erudire ea et ad perfectionem adducere Spiritus sancti confirmatione atque indesinenti sanctificatione, per quam solum capere possunt. Ita ergo indesinenti erga nos opera Patris et Filii et Spiritus sancti per singulos quosque profectuum gradus instaurata [3], vix forte aliquando intueri possumus sanctam et beatam vitam. In quam cum post multos agones pervenire potuerimus, ita perdurare debemus, ut nulla unquam nos boni illius satietas capiat, sed quanto magis de illa beatitudine percipiemus, tanto magis in nobis vel dilatetur desiderium ejus, vel augeatur, dum semper ardentius ac capacius Patrem et Filium et Spiritum sanctum vel capimus, vel tenemus. Si autem satietas aliquando ceperit aliquem ex his, qui in summo perfectoque constiterint gradu, non arbitror quod ad subitum quis evacuetur atque decidat; sed paulatim et per partes defluere eum necesse est : ita ut fieri possit interdum, ut si brevis lapsus aliquis acciderit, et cito resipiscat, atque in se revertatur, non penitus ruere, sed revocare pedem, et redire ad statum suum, ac rursum statuere posse id quod per negligentiam fuerat elapsum. (*a*) Nam unigenitus Filius Dei qui erat Verbum et Sapientia Patris, cum esset in ea gloria apud Patrem, quam habuit antequam mundus esset, exinanit semetipsum, et formam servi accipiens efficitur obediens usque ad mortem : ut obedientiam doceret eos qui non aliter, nisi per obedientiam, salutem consequi potuerant, in semetipso prius complens, quod ab aliis volebat impleri. Idcirco non solum usque ad mortem crucis Patri obediens factus est, verum etiam in consummationem sæculi, in semetipso complectens omnes quos subjicit Patri, et qui per eum veniunt ad salutem; cum et ipsi et in ipsis ipse quoque subjectus dicitur Patri : dum omnia in ipso constant, et ipse est caput omnium, et ipse est salutem consequentium plenitudo. Hoc ergo est quod de eo dicit Apostolus : *Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui sibi subdidit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* XV, 28). Verum nescio quo pacto hæretici non intelligentes Apostoli sensum, qui in his verbis continetur, subjectionis in Filio nomen infament : cujus appellationis proprietas si requiratur, ex contrariis facile poterit inveniri. Nam si subjectum esse, non est bonum; restat ut illud quod contrarium est, bonum sit, id est, non esse subjectum. Sermo namque Apostoli, secundum quod isti volunt, hoc videtur ostendere, dum dicit, *Cum autem subjecta fuerint ei omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui sibi subdidit omnia* : ut quasi is qui nunc Patri subjectus non sit, tunc subjectus futurus sit, cum prius ei Pater universa subjecerit. Sed miror quomodo hoc intelligi possit, ut qui nondum subjectis sibi omnibus non est ipse subjectus, tunc cum subjecta sibi fuerint omnia, cum rex omnium fuerit, et potestatem tenuerit universorum, tunc eum subjiciendum putent, cum subjectus ante non fuerit : non intelligentes quod subjectio Christi ad Patrem beatitudinem nostræ perfectionis ostendit, et susceptí ab eo operis palmam declarat; cum non solum regendi atque regnandi summam, quam in universa emendaverat creatura, verum etiam obedientiæ et subjectionis correcta reparataque humani generis Patri offerat instituta. Si ergo bona et salutaris accipitur ista subjectio, qua subjectus esse dicitur Filius Patri; valde consequens et cohærens est, ut et inimicorum, quæ dicitur Filio Dei esse subjectio, salutaris quædam intelligatur esse et utilis : ut sicut cum dicitur Filius Patri subjectus (*Ibid.*), perfecta universæ creaturæ restauratio declaratur; ita cum Filio Dei inimici dicuntur esse subjecti (*Ibid.*, 25), subjectorum salus in eo intelligatur et reparatio perditorum. Verum certis quibusque et modis et disciplinis et temporibus subjectio ista complebitur, id est, non necessitate aliqua ad subjectionem cogente, nec per vim subditus fiet omnis mundus Deo, sed verbo, ratione, doctrina, provocatione meliorum, institutis optimis, comminationibus quoque dignis et competentibus, quæ juste immineant his qui salutis et utilitatis suæ curam sanitatemque contemnunt. Denique etiam nos homines, vel cum servos vel filios erudimus, dum adhuc per ætatem rationis incapaces sunt, minis eos et metu coercemus : cum vero boni

[1] Mss., *sentiendum*.
[2] Mss. omittunt, *inconvertibilis*.
[3] Origenes, *instauralo corde*.
(*a*) Multis omissis, reliquum ex capite 3 libri 1 *peri Archôn* exscribitur.

(*a*) Deinceps ex capite 5 libri 3 *peri Archôn*.

et utilis et honesti intelligentiam ceperint, tunc jam cessante verberum metu, verbo atque ratione suasi, ad omnia quæ bona sunt, acquiescunt. Quomodo autem servata omnibus rationabilibus creaturis arbitrii libertate, unusquisque debeat dispensari, id est, quos velut jam paratos et capaces sermo Dei et inveniat et instruat, quos autem interim differat, a quibus vero penitus occultetur, et longe eorum a se fieri dispenset auditum, quousque rursum contemnentes indicatum sibi et prædicatum verbum Dei correptionibus quibusdam et castigationibus illatis perurgeat ad salutem, conversionemque eorum quodam modo exigat et extorqueat; quibus vero etiam occasiones quasdam præstet salutis, ita ut interdum etiam ex responsione sola fide prolata indubitatam quis ceperit salutem, quibus hæc ex causis, vel quibus occasionibus fiant; quid vel introspiciens divina sapientia, vel quos motus propositi eorum videns hæc universa dispenset, soli Deo cognitum est, et Unigenito ejus per quem creata ac reparata sunt universa, et Spiritui sancto per quem cuncta sanctificantur, qui ab ipso Patre et Filio [1] precedit, cui est gloria in æterna sæcula.

[1] Mss. non habent, *et Filio*; nec Origenes.

LIBER SECUNDUS.

EX ORIGENIS ITIDEM LIBRIS DECERPTUS.

(*a*) Ubique et in omnibus dicimus esse Deum, pro eo quod nihil potest esse vacuum Deo: non tamen ita esse dicimus, ut omnia sit nunc in quibus est. Unde diligentius intuendum est quale est hoc quod perfectionem beatitudinis rerumque finem significat, quod non solum in omnibus Deus esse dicitur, sed etiam omnia esse dicitur Deus. Quæ sunt ergo ista omnia, quæ Deus futurus sit in omnibus, inquiramus. Et ego quidem arbitror, quia hoc quod in omnibus omnia esse dicitur Deus, significet etiam in singulis eum omnia esse. Per singulos autem omnia erit hoc modo, ut quidquid rationabilis mens expurgata omnium vitiorum fæce, atque omni penitus extersa nube malitiæ, vel sentire, vel intelligere, vel cogitare potest, omnia Deus sit; nec ultra jam aliud aliquid nisi Deum sentiat, Deum cogitet, Deum videat, Deum teneat, omnis motus suus Deus sit: non enim jam ultra mali bonique discretio; quia nusquam malum: omnia enim ei Deus est, cui jam non adjacet malum: nec ultra ex arbore sciendi bonum et malum edere concupiscet, qui semper in bono est, et cui omnia Deus est. Sic ergo finis ad principium reparatus, et rerum exitus collatus initiis, restituet illum statum quem tunc habuit natura rationalis, cum de ligno sciendi bonum et malum edere non egebat: et amoto omni malitiæ sensu et ad sincerum purumque deterso, solus Deus qui est unus bonus, hic ei fiet omnia, et non in paucis aliquibus vel pluribus, sed ut in omnibus ipse sit omnia: et cum jam nusquam mors, nusquam aculeus mortis, nusquam omnino malum, tunc vere Deus omnia in omnibus erit.

CAPUT XIX. — *Quomodo Filius Patri subjiciendus.* (*b*) Tempus est jam decursis his prout potuimus, quæ supra dicta sunt, nunc commemorationis gratia eorum quæ sparsim diximus, recapitulare singula: et primo omnium de Patre et Filio et Spiritu sancto repetere. Deus Pater cum et indivisibilis [1] sit, et inseparabilis a Filio, non per prolationem ab eo, ut quidam putant, generatus est Filius. Si enim prolatio est Filius Patris, prolatio vero dicitur quæ talem significat generationem, qualis animalium vel hominum solet esse progenies; necessario corpus est, et is qui protulit, et is qui prolatus est. Non enim dicimus, sicut hæretici putant, partem aliquam substantiæ Dei in Filium versam, aut ex nullis subsistentibus Filium creatum a Patre, id est, extra substantiam suam, ut fuerit aliquando, quando non fuerit: sed abscisso omni sensu corporeo, ex invisibili et incorporeo Deo Verbum et Sapientiam genitam dicimus absque ulla corporali passione, velut si voluntas procedat e mente. Nec absurdum videbitur cum dicatur Filius charitatis, si hoc modo etiam voluntatis putetur. Sed et Joannes indicat, quia *Deus lux est* (I *Joan.* I, 5): et Paulus designat, quia *Filius splendor lucis æternæ sit* (*Hebr.* I, 3). Sicut ergo nunquam lux sine splendore esse potuit, ita nec Filius quidem sine Patre intelligi potest; qui et figura expressa substantiæ ejus, et Verbum, et sapientia dicitur. Quomodo ergo potest dici, *quia fuit* aliquando, quando non erat vel fuerat Filius? Nihil enim aliud est dicere, nisi quia fuit aliquando, quando veritas non erat, quando sapientia non erat, quando vita non erat: cum in his omnibus perfecte Dei Patris substantia censeatur. Non enim ab eo dirimi hæc, vel ab ejus possunt unquam substantia separari. Quæ quidem quamvis intellectu multa esse dicantur, re tamen et substantia unum sunt, in quibus est plenitudo divinitatis. Hoc autem ipsum quod dicimus, quia nunquam fuit quando non fuit, cum venia accipiendum est, ne et hæc ipsa nomina temporalis vocabuli significantiam gerant, id est Quando, vel Nunquam: supra omne autem tempus, et supra omnia sæcula, et supra omnem æternitatem intelligenda sunt ea quæ de Patre et Filio et Spiritu sancto dicuntur. Hæc enim sola Trinitas est, quæ omnem sensum intelligentiæ, non solum temporalis, verum etiam æternalis excedit: cætera vero quæ sunt extra Trinitatem, in sæculis et in temporibus metienda sunt. Hunc igitur Filium Dei secundum hoc quod Verbum est Deus, qui erat in principio apud Deum (*Joan.* I, 1), nemo consequenter putet in loco aliquo contineri, neque secundum quod sapientia est, neque secundum quod vita est, vel justitia, vel sanctificatio, vel redemptio: hæc enim omnia non indigent loco, ut agere quid vel operari possint, sed pro his qui virtutis ejus inoperationisque participant, hæc singula intelligenda sunt. Si vero quis dicat per eos qui participes sunt Verbi Dei, vel sapientiæ ejus, vel veritatis, vel vitæ, etiam ipsum Verbum et sapientiam videri in loco [1] esse; respondendum est ei, quia dubium non est, quod Christus secundum quod Verbum et sapientia est, et cætera omnia, erat in Paulo. Propter quod dicebat: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Et iterum: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20). Tunc ergo cum esset in Paulo, quis dubitabit quod similiter erat in Petro, et in Joanne, et in singulis quibusque sanctorum, et non solum in his qui in terris sunt, verum etiam et in his qui in cœlis sunt? Absurdum namque est dicere, quia in Petro quidem et in Paulo erat Christus, in Michaele vero archangelo et in Gabriele non erat. Ex quo manifeste deprehenditur, quia divinitas Filii Dei non in loco aliquo concludebatur; alioquin in ipso tantum fuisset, et in altero non fuisset: sed secundum incorporeæ naturæ majestatem, cum in nullo loco concludatur, in nullo rursum deesse intelligitur. Verum illa sola intelligenda est differentia quod etiamsi sit in diversis, sicut diximus in Petro, vel in Paulo, vel Michaele, vel Gabriele, non tamen in universis similiter est. Plenius enim et clarius, et, ut ita dixerim, apertius in Archangelis est, quam in aliis sanctis viris. Quod ex eo manifestum est, quia

[1] Mss., *invisibilis.*

(*a*) Ex Origene, capite 6 libri 3 *peri Archôn*, paulo post initium.

(*b*) Initium Anacephaleoseos Origenis ad lib. 1 *peri Archôn.*

[1] Mss., *in omni loco.*

cum ad summam perfectionem pervenerint sancti quique, dicuntur Angelis similes effici vel æquales, secundum evangelicam sententiam (*Matth.* xxii, 30). Unde constat, in singulis quibusque tantum effici Christum, quantum ratio indulserit meritorum. His igitur nobis de Trinitatis fide breviter repetitis, consequens est etiam illud pariter admonere, quod per Filium creata dicuntur omnia, *quæ in cœlis sunt, et quæ in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt : et ipse est ante omnes, et omnia illi constant qui est caput.* Quibus consona etiam Joannes in Evangelio dicit, quia *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* i, 3). David vero totius Trinitatis mysterium in universorum conditione significans, ait, *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* xxxii, 6). Post hæc vero competenter admonebimus de adventu corporali et incarnatione unigeniti Filii Dei : in quo non ita sentiendum est, quod omnis deitatis ejus majestas intra brevissimi corporis claustra conclusa sit, ita ut omne Verbum Dei et sapientia ejus, ac substantialis veritas et vita, vel a Patre divulsa sit, vel intra corporis illius coercita et circumscripta brevitatem, nec usquam præterea putetur operata. Sed inter utrumque tanta pietatis debet esse confessio, ut neque aliquid deitatis in Christo defuisse credatur, et nulla penitus a paterna substantia, quæ ubique est, facta putetur divisio. Tale namque aliquid etiam Baptista Joannes indicat, cum corporaliter absente Jesu dicebat ad turbas, *Medius vestrum stat quem vos nescitis, qui post me venit, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum* (*Joan.* i, 26). Quod utique dici non poterat, de eo qui absens erat, quantum ad præsentiam corporalem pertinet, quod medius staret eorum inter quos corporaliter non aderat. Unde ostenditur, quia et in corpore totus, et ubique totus aderat Filius Dei. Ne quis tamen nos existimet per hoc illud affirmare, quod pars aliqua deitatis Filii Dei fuerit in Christo, reliqua pars alibi vel ubique : quod illi sentire possunt, qui naturam substantiæ incorporeæ atque invisibilis ignorant. Impossibile namque est de incorporeo divisionem aliquam fieri. Sed in omnibus et per omnia et super omnia est, eo modo quo superius diximus : id est, quo vel sapientia, vel verbum, vel vita, vel veritas intelligatur, per quem intellectum omnis sine dubio conclusio localis excluditur. Volens igitur Filius Dei Deus pro salute generis humani apparere hominibus et inter homines conversari, suscepit non solum corpus humanum, ut quidam putant, sed et animam, nostrarum quidem animarum similem per naturam, proposito vero et virtute similem sibi, et talem quali omnes voluntates et dispensationes Verbi et sapientiæ indeclinabiliter posset implere. Quod autem habuerit animam, manifestissime in Evangelio designat ipse Salvator dicens, *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam a me ;* et iterum, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Id.* x, 18) ; et rursum, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* xxvi, 38) ; et iterum, *Nunc anima mea turbata est* (*Joan.* xii, 27). Neque enim tristis et turbata anima, Verbum Dei intelligendum est, quod ex auctoritate deitatis dicit, *Potestatem habeo ponendi animam meam.* Nec tamen ita dicimus fuisse Filium Dei in illa anima, sicut fuit in anima Petri vel Pauli cæterorumque sanctorum, in quibus Christus similiter ut in Paulo loqui creditur. Sed de illis omnibus illud sentiendum est quod Scriptura dicit, quia *Nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus* (*Job* xxv, 4). Hæc vero anima quæ in Christo fuit, priusquam sciret malum, elegit bonum (*Isai.* vii, 15) : et quia dilexit justitiam, et odio habuit iniquitatem, propterea unxit eam Deus oleo lætitiæ præ participibus suis (*Psal.* xliv, 8). Oleo ergo lætitiæ ungitur, cum Verbo Dei immaculata fœderatione conjuncta est : et per hoc sola omnium animarum peccati incapax fuit, quia Filii Dei bene et plene capax fuit : ideoque et unum cum ipso est, atque ejus vocabulis nuncupatur, et Jesus Christus appellatur, per quem omnia facta esse dicuntur (*Joan.* i, 3). De qua anima, quoniam totam in se sapientiam Dei et veritatem vitamque receperat, etiam illud arbitror dixisse Apostolum, quod ait, quoniam *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo : cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* iii, 3). Quis enim alius hic intelligendus est Christus, qui in Deo absconditus dicitur, et postea apparaturus ; nisi ille qui oleo lætitiæ unctus, refertus, id est, substantialiter Deo repletus est, in quo nunc absconditus dicitur ? Propterea enim et omnibus credentibus ad exemplum Christus exponitur, quia sicut ille semper, et antequam sciret omnino malum, elegit bonum, et dilexit justitiam, et odio habuit iniquitatem, et propterea unxit eum Deus oleo lætitiæ ; ita et unusquisque vel post lapsum vel post errorem expurget se a maculis, exemplo proposito, et habens itineris ducem, arduam viam virtutis incedat : ut si forte per hoc in quantum fieri potest, per imitationem ejus particeps efficiatur divinæ naturæ, sicut scriptum est, quia *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare* (I *Joan.* ii, 6). Hoc ergo Verbum et hæc sapientia, per cujus imitationem, vel sapientes, vel rationabiles dicimur, omnibus fit omnia, ut omnes lucrifaciat, et fit infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciat. Et quia infirmus efficitur, propter hoc dicitur de eo, *Etiamsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (II *Cor.* xiii, 4). De quo Corinthiis qui infirmi erant, Paulus nihil se scire indicat inter ipsos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (I *Cor.* ii, 2). Quidam autem volunt de ipsa anima dictum videri, cum primum de Maria corpus assumpsit, etiam illud quod Apostolus dicit : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philipp.* ii, 6) : quo eam sine dubio in formam Dei melioribus exemplis et institutionibus repararet, atque in eam plenitudinem unde se exinaniverat, revocaret. Sicut autem participatione Filii Dei quis in filium adoptatur, et participatione sapientiæ in Deo sapiens efficitur ; ita et participatione Spiritus sancti, sanctus et spiritualis efficitur. Unum enim atque idem est Spiritus sancti participium sumere, quod est Patris et Filii ; quippe cum una et incorporea natura sit Trinitatis. (*a*) Igitur unigenitus Filius Dei, per quem omnia facta esse visibilia et invisibilia, in superioribus sermo disputationis edocuit, secundum Scripturæ sententiam, et fecit omnia, et quæ fecit diligit. Nam cum invisibilis Dei ipse sit imago invisibilis, participationem sui universis rationabilibus creaturis invisibiliter præbuit, ita ut tantum ex eo unusquisque participii sumeret, quanto erga eum dilectionis inhæsisset affectu. Verum cum pro liberi arbitrii facultate varietas unumquemque ac diversitas habuisset animorum, ut alius ardentiore, alius tenuiore et exiliore erga suum auctorem amore teneretur : illa anima, de qua dixit Jesus, quia *Nemo aufert a me animam meam* (*Joan.* x, 18), inseparabiliter atque indissociabiliter inhærens, utpote Verbo et sapientiæ Dei et veritati ac luci veræ, et tota totum recipiens, atque in ejus lucem splendoremque ipsa cedens, facta est cum ipso principaliter unus spiritus. Sicut et Apostolus his, qui eam imitari deberent, promittit, quia, *Qui se jungit Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* vi, 17). Hæc ergo substantia animæ inter Deum carnemque mediante (non enim possibile erat Dei naturam corpori sine mediatore misceri) nascitur, ut diximus, Deus homo, illa substantia media existente, cui utique contra naturam non erat corpus assumere. Sed neque rursum anima illa, utpote substantia rationabilis, contra naturam habuit capere, in quem, ut superius, diximus, velut

(*a*) Deinceps ex capite 6 libri 2 *peri Archôn.*

Verbum et sapientiam et veritatem tota jam desserat : unde et merito pro eo quod vel tota esset in Filio Dei, vel totum in se caperet Filium Dei, etiam ipsa, cum ea quam assumpserat carne, Dei Filius, et Dei virtus, et Dei sapientia appellatur. Et rursum Dei Filius, per quem omnia creata sunt, Jesus Christus et filius hominis nominatur : nam et Filius Dei mortuus esse dicitur, pro ea scilicet natura, quæ mortem utique recipere poterat : et filius hominis appellatur, qui venturus in gloria Dei Patris cum sanctis Angelis prædicatur. Et hac de causa per omnem Scripturam, tam divina natura humanis vocabulis appellatur, quam humana natura nuncupationis divinæ insignibus decoratur. Magis enim de hoc, quam de ullo alio dici potest, quod scriptum est, quia *Erunt ambo in carne una* (*Gen.* II, 24) ; et, *Jam non sunt duo, sed una caro* (*Matth.* XIX, 5). Magis Verbum Dei cum anima in carne una esse, quam vir cum uxore putandus est : sed et unus spiritus esse cum Deo, cui magis convenit, quam huic animæ, quæ se ita Deo per dilectionem junxit, ut cum eo unus spiritus merito dicatur, Propheta dicente, *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem ; propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). Dilectionis ergo merito ungitur oleo lætitiæ, id est, anima cum Verbo Dei Christus efficitur. Ungi namque oleo lætitiæ, non aliud intelligitur quam Spiritu sancto repleri. Quod autem præ participibus dixit, indicat, quia non gratia Spiritus, sicut Prophetis, ei data est, sed ipsius Verbi Dei in ea substantialis inerat plenitudo, sicut et Apostolus dixit, *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9). Denique propter hoc, non solum dixit, *Dilexisti justitiam ;* sed addidit, *et odisti iniquitatem.* Odisse enim iniquitatem, illud est quod Scriptura dicit de eo, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*Isai.* LIII, 9 ; *I Petr.* II, 22 ; *I Joan.* III, 5). Et quod ait, *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato* (*Hebr.* IV, 15). Et iterum ipse dicit de se, *Ecce venit princeps mundi hujus, et in me non invenit quidquam* (*Joan.* XIV, 30). Quæ omnia nullum in eo peccati sensum indicant extitisse. Quod ut propheta evidentius designaret, quia nunquam in eum iniquitatis sensus intrasset, ait : *Priusquam sciret puer vocare patrem aut matrem, avertit se ab iniquitate* (*Isai.* VIII, 4). Quod si alicui difficile videbitur, pro eo quod rationabilem animam esse in Christo supra ostendimus, cum utique naturam animarum boni malique capacem per omnes disputationes nostras frequenter ostendimus, hoc modo hujus rei explanabitur difficultas. Arbitror sane etiam Jeremiam prophetam intelligentem quæ sit in eo natura Dei sapientiæ, quæ etiam hæc quam pro salute mundi susceperat, dixisse : *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui diximus, quod in umbra ejus vivemus in gentibus* (*Thren.* IV, 20). Pro eo enim quod sicut umbra corporis nostri inseparabilis est a corpore, et indeclinabiliter motus ac gestus corporis suscipit ac gerit ; puto eum animæ Christi opus ac motum qui ei inseparabiliter inhærebat, et pro nutu [1] ejus ac voluntate cuncta perpetrabat, ostendere volentem, umbram Christi Domini hanc vocasse, in qua umbra nos viveremus in gentibus. In hujus namque assumptionis sacramento gentes vivunt, quæ imitantes eam per fidem veniunt ad salutem. Sed et David dicens, *Memor esto opprobrii mei, Domine, quo exprobraverunt me in commutationem Christi tui* (*Psal.* LXXXVIII, 51) : similia mihi videtur ostendere. Et Paulus quid aliud sentit, cum dicit, *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3) ? Et quid enim in alio loco dicit, *An experimentum* [2] *quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII, 3) ? Et nunc Christum in Deo dicit absconditum : cujus rei intellectus est difficilis, nisi talis aliquis judicetur, qualem per umbram Christi a Propheta significatum esse, supra diximus. Fortassis etiam hoc sensum humanæ mentis excedit. Quin imo, quod verius est, massam, sicut in fornacibus sæpe fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus ; quia nec aliud in ea nisi ignis cernitur : sed et si quis contingere atque contrectare attentaverit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima, quæ quasi ferrum in igne ; sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est : omne quod agit, quod sentit, quod intelligit Deus est. Et ideo nec convertibilis, nec mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possidebit. Ad omnes denique sanctos calor aliquis Verbi Dei putandus est pervenisse : in hac autem anima ignis ipse divinus substantialiter requievisse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit. Denique quod dixit, quia *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8) : ostendit quod ista anima aliter oleo lætitiæ, id est, Verbo Dei et sapientia ungitur ; et aliter participes ejus, id est, sancti Prophetæ et Apostoli. Illi enim in odore unguentorum ejus cucurrisse dicuntur (*Cant.* I, 3) : ista vero anima vasculum unguenti ipsius fuit, ex cujus fragrantia participantes digni quique Prophetæ flebant et Apostoli. Sicut ergo alius est unguenti odor et alia unguenti substantia ; ita aliud est Christus, et aliud participes sui. Et sicut vas ipsum quod substantiam continet unguenti, nullo genere potest aliquid recipere fœtoris ; hi vero qui ex odore ejus participant, si se paulo longius a fragrantia ejus removerint, possibile est ut incidentem recipiant fœtorem : ita anima Christi velut vas in quo inerat substantia unguenti, impossibile fuit ut contrarium reciperet odorem ; participes vero ejus quam proximi fuerint vasculo, tam odoris erunt participes et capaces. Hoc modo hujus rei explanabitur difficultas. Naturam quidem animæ illius hanc fuisse, quæ est omnium animarum, non potest dubitari : alioquin nec dici anima potuit, si vere non fuit anima. Verum quoniam boni malique eligendi facultas omnibus præsto est, hæc anima quæ Christi est, ita elegit diligere justitiam, ut pro immensitate dilectionis ei inconvertibiliter atque inseparabiliter adhæreret : ita ut propositi firmitas, et affectus immensitas, et dilectionis inexstinguibilis calor omnem sensum conversionis abscinderet : ut quod in arbitrio erat positum, longi usus affectu jam versum sit in naturam. Ita et fuisse quidem in Christo humana et rationabilis anima credenda est, et nullum sensum vel possibilitatem eam putandum est habuisse peccati. Ad pleniorem tamen rei explanationem non videtur absurdum, si etiam similitudine aliqua utamur : licet in re tam ardua tamque difficili, ne exemplis quidem uti commodis copia est, tamen ut absque aliquo præjudicio dicamus : Ferri metallum capax est et frigoris et caloris. Si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris omnibusque venis ignem recipiens, et tota ignis effecta, si neque ab ea ignis cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur ; numquid dicemus hanc quæ natura quidem ferri massa est, in igne positam et indesinenter ardentem posse aliquando frigus recipere ? Sed (*a*) et quamplurima alia in Scripturis divinis de umbræ significantia videmus inserta : ut illud in Evangelio secundum Lucam, cum dicit Gabriel ad Mariam, *Spiritus Domini veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Et Apostolus de Lege dicit, quia similitudini et umbræ deserviunt cœlestium, hi qui carnalem habent circumcisionem (*Hebr.* VIII, 5). Et alibi dicitur, *Nonne vita nostra umbra est super terram* (*Job* VIII, 9) ? Si ergo et lex quæ super terram est, umbra est, et vita omnis nostra quæ est super terram, umbra est, et in umbra Christi vivimus inter gentes ; videndum est ne omnium harum veritas umbrarum in illa revelatione noscatur, cum jam non per speculum, et in ænigmate, sed facie ad faciem (*I Cor.* XIII, 12),

[1] Mss., *pro motu.*
[2] Mss., *an doctrinam.* Origenes, *an documentum.*

(*a*) Postrema verba capitis 6 libri 2 *περὶ ἀρχῶν.*

sancti quique, et Gloriam Dei, et rerum causas ac veritatem speculari merebuntur : cujus veritatis accepto jam pignore per Spiritum sanctum, dicebat Apostolus : *Et si cognovimus Christum secundum carnem aliquando, sed nunc jam non novimus* (II *Cor.* v, 16). Hæc interim nobis ad præsens de rebus tam difficilibus disputantibus, id est, de incarnatione et deitate Christi, occurrere potuerunt. Si quis sane melius aliquid potuerit invenire, et evidentioribus de Scripturis sanctis assertionibus confirmare quæ dicit, illa potius quam hæc recipiantur.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Distributus olim fuit in tredecim capita, quorum posteriora novem contractum interpolatumque omnem fere librum Augustini contra Sermonem Arianorum, dictis eorumdem hæreticorum sine distinctione positis, continebant. Capita autem priora quæstiones aliquot dialogi Orosii qui in sexti tomi Appendice est, decurtatas et depravatas referunt, ut verisimilius sit hunc librum ex Dialogo, quam ex hoc libro Dialogum locupletatum fuisse. In ea porro Dialogi parte quæ huc translata est, verba Augustini nonnulla reperies : illud exempli gratia quod hic legitur in capite 3 et in quæstione dialogi 9, « Si Spiritus filius diceretur, amborum « filius diceretur; nullus autem filius est duorum, nisi, » etc., descriptum est ex Tractatu 99 in Joan. et ex lib. 15 de Trinitate. Altera parte capitis ejusdem tertii exhibentur breviora quædam excerpta ex libro secundo de Trinitate. Tandem caput quartum sumptum est ex libro Quæstionum de Novo Testamento, quæst. 93; qui Quæstionum liber in Appendice tomi tertii exstat.

DE TRINITATE ET UNITATE DEI

Liber unus.

CAPUT PRIMUM. — (*a*) Personam geniti Filii principium Geneseos evidenter ostendit : ait enim, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* i, 1). Quem alium principium intelligendum putamus, nisi Filium? Ipse enim de se interrogantibus Judæis quis esset, respondit, *Principium qui et loquor vobis* (*Joan.* viii, 25). Ergo principium Filius. Per Filium fecit Deus cœlum et terram, sicut Joannes evangelista narrat : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Id.* i, 3). Filius Dei natura est Filius, non adoptione, sicut scriptum est : *Ante luciferum genui te* (*Psal.* cix, 3). Deus Pater uterum non habet sicut nos, aut corporeus esse credendus est; sed per uterum substantiam intelligi voluit, de qua natus est Filius. Quod est Pater, hoc genuit : Deus Deum, lux lucem; sicut homo hominem gignit, et canis canem. Nunquam visum est ut homo gigneret canem. Ac per hoc Pater non de nihilo, neque de aliqua alia substantia, sed de se ipso genuit Filium.

(*b*) Spiritum sanctum, neque ingenitum, neque genitum fides recta declarat : quia si dixerimus ingenitum, duos patres affirmare videbimur; si autem genitum, duos filios credere culpamur. Sed quod certa fides tenet, nec ingenitus est, nec genitus, sed ab utroque procedens, id est, a Patre et a Filio. Et ut hoc testimoniis approbemus, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum ad discipulos audi dicentem : *Cum venerit*, inquit, *Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (*Id.* xv, 26). Et rursum ipse Dominus Jesus Christus post resurrectionem suam, ut ostenderet a se procedere Spiritum sanctum, sicut et a Patre; insufflans in discipulos suos, ait : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* xx, 22). Unus est ergo Spiritus Patris et Filii, unus amborum Spiritus. Igitur quod Patris sit Spiritus, ipse Dominus et Salvator noster discipulis suis ait : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20). Et quod idem et Filii sit Spiritus, Paulus apostolus testis est : *Si quis autem*, inquit, *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* viii, 9).

CAPUT II. — (*a*) Procul dubio in nomine Dei, Pater; in nomine principii, Filius intelligendus est. Profecto cum dixisset, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* et subsecutus adjunxit, *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* i, 1, 2) : qui est tertia in Trinitate persona. Igitur si non esset trina persona, nunquam Dominus noster Jesus Christus diceret discipulis suis, *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii, 19). Nec baptizato Domino a Joanne in Jordane fieret vox de cœlo, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Id.* iii, 17). Nec Spiritus sanctus in specie columbæ descendisse super eum, et mansisse diceretur. Ideo tres personas secundum Scripturas sanctas intelligimus, id est, alium esse Patrem, alium Filium, qui genitus est a Patre, alium Spiritum sanctum : non aliud, quia substantia unum sunt. Personas distinguimus, non deitatem separamus. (*b*) Quod autem Pater et Filius et Spiritus sanctus de una substantia sit, beatus Paulus apostolus de Filio ad Romanos scribens demonstrat : *Quorum patres*, inquit, *et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* ix, 5). Et iterum in Evangelio secundum Joannem, *Ut cognoscant te solum verum unum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3) : id est, te, et quem misisti Jesum Christum, verum unum Deum. Et rursus Scriptura dicit, *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo, ipse est verus Deus et vita æterna* (I *Joan.* v, 20). Et ut æqualitatem suam ostenderet, ait ipse Dominus, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30) : scilicet natura, non persona. Et iterum inquit, *Propterea quærebant Judæi interficere Jesum, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Id.* v, 18). Et rursus Paulus inquit, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philipp.* ii, 6). Non poterat esse rapina, ubi æqualis erat natura; non erat usurpata, sed nata; non rapuit, quia vere ha-

(*a*) Ex quæstione 1 dialogi inter Orosium et Augustinum.
(*b*) Ex quæstione 2 ejusdem dialogi.

(*a*) Ex quæstione 4 dialogi inter Orosium et Augustinum.
(*b*) Ex quæst. 3 ejusdem dialogi.

bait. Spiritum vero sanctum Deum, Acta Apostolorum apertissime docent : *Anania*, inquit Petrus, *cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Et infra, *Non hominibus mentitus es, sed Deo* (*Act.* v, 3, 4). Et in Evangelio inquit secundum Joannem : *Dominus spiritus est* (*Joan.* iv, 24). Paulus ad Corinthios scribens, ait : *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* Idem Paulus, *Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro* (1 *Cor.* vi, 19, 20). Pater, inquam, Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus : non tres dii, sed unus est Deus, ut Moyses dicit : *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, unus est Deus* (*Deut.* vi, 4). Ac per hoc sicut dicimus, non tres deos, non tres essentias ; ita nec tres sapientias, nec tres spiritus. Nam interrogati de singulis personis, si sit Pater sapientia, vel Filius, vel Spiritus sanctus : respondemus, Pater est sapientia, Filius est sapientia, Spiritus sanctus est sapientia : non tres sapientiæ, nec tres spiritus ; sed una sapientia, et unus spiritus ; sicut una substantia, et una essentia : quia hoc illi Patri est esse, quod Filio sapientiæ et Spiritui sancto est esse. (*a*) Et cum æquales sint Pater et Filius et Spiritus sanctus, Filius tamen dicit, *Pater major me est* (*Joan.* xiv, 28) ; et, *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Id.* vi, 38, 40) ; et, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* xxvi, 39) ; et, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit* (*Joan.* vii, 16). Ista omnia, et alia quæ dicit Filius, secundum formam servi quam assumpsit, intelligenda et dicta sunt. Igitur cum primus homo conditus esset a Deo, et libero arbitrio muneraretur, præceptumque ei positum esset, ut si custodisset quæ ei Deus præceperat, non morte corporis, nec animæ moreretur : sed ille inobediens mandato Dei, atque elatus superbia, suasioni serpentis obediens, mandata contempsit. Et hæc causa exstitit ut mortis periculum incurreret ; et ab illo uno homine omnis humana natura vitiata, atque peccato obnoxia, mortalis existeret. Unde apostolus Paulus inquit, *Per unum hominem peccatum introivit in mundum, et per peccatum mors : et ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes homines peccaverunt. Quia sicut per unum hominem omnes homines in condemnationem ceciderunt, ita et per unius justitiam omnes homines in justitiam vitæ surrexerunt* (*Rom.* v, 12, 18) ; et iterum, *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis* (1 *Cor.* xv, 47). Cœlestem itaque dico, quia non ex humano conceptus semine, sed de Maria virgine, pro nostra salute, assumptus a Filio Dei, sicut Joannes testatur : *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Id.* i, 14). Verbum caro factum est, non in carnem mutatum, ut desisteret esse quod erat, sed cœpit esse quod non erat : sumpsit enim carnem, non convertit in carnem. Carnem istam a parte totum hominem intelligimus, id est, carnem et animam rationalem : ut primus homo et carne et anima mortuus fuerat ; ita etiam oportuit ut per Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, et carne et anima vivificaretur. Ergo, ut supra diximus, secundum assumptionis formam carnis dictum est, *Pater major me est* (*Joan.* xiv, 28). (*b*) Non est credendum posse Filium Dei et Filium hominis duos filios esse ; quia non sunt duo filii, sed unus. Nam ille qui erat Filius Dei, factus est filius hominis in unitate personæ. Ut anima et caro unus est homo, ita Verbum et homo unus est Christus. Duas substantias accipimus in uno Filio Dei ; unam deitatis, aliam humanitatis, non duas personas. Et si dixerimus duas personas, introducemus etiam duos filios Dei : et jam tunc non erit Trinitas, sed quaternitas ; quod absit. Profecto enim per id quod est Deus, et æqualis Patri, et ubique præsens est, et in cœlo est totus, et in terra totus, et in nullo continetur loco : per id quod homo, et passus et mortuus, et resurrexit et ascendit in cœlum, sedetque ad dexteram Patris, et sic veniet ad judicandum vivos et mortuos, quemadmodum est ire visus in cœlum, in eadem forma carnis atque substantia ; cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. (*c*) Licet una substantia sit, neque persona Patris, neque Spiritus sancti, sed sola Filii suscepit carnem. Et ut hoc intelligamus, comparationibus utar. Certe (ut ex creatura intelligas Creatorem) sic in anima est ratio, et cum sint unum, aliud anima agit, aliud ratio ; anima vivimus, ratione sapimus : ita Pater et Filius et Spiritus sanctus cum sint una substantia, tota Trinitas operata est hominem, quem non tota Trinitas assumpsit, sed sola Filii persona. (*b*) Nec voluntate, nec necessitate genuit Pater Filium. Non necessitate, quia necessitas in Deo non est : non voluntate, quia voluntas præire sapientiam non potest, quæ est Filius. Igitur prius est rationabiliter sapere, quam rationabiliter velle. Unde nec voluntate nec necessitate, sed naturaliter sola sapientia Pater genuit Filium. (*c*) *Sicut Pater vitam habet in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* v, 26). Scimus Filium Dei a semetipso non esse, sed a Patre genitum esse : Patrem vero a nullo genitum esse, a nullo vitam accepisse. Dedit Pater Filio vitam, gignendo vitam quam Pater habuit in se. Non quod prius fuerit Filius sine vita, et postea acceperit vitam ; sicut nos qui per peccatum amisimus vitam, et per gratiam Salvatoris recepimus vitam. Ideo de eo dicitur, Filius a Patre accepit vitam, quia non a se ipso est genitus : non existenti dedit, sed gignendo.

CAPUT III. — (*d*) Quoniam et oratione et testimoniis persuasimus de subjectione Filii, quia non secundum substantiam minor, sed secundum formam servi quam assumpsit : sed ut missus esse dicatur, aliquid dicere volumus. Scimus sicut Filius non secundum substantiam dicitur missus, seu minor : ita nec Spiritus sanctus propter columbam vel ignem missus dicitur : scilicet quia non in ea substantia, qua æqualis est Patri, apparuit ; sed, ut dictum est, per subjectam creaturam. Non enim sicut Filius hominem assumpsit, ut in æternum permaneat, sic Spiritus sanctus columbam vel ignem : sed illæ factæ visiones de creatura inferiore ad manifestandum Spiritum, esse postea destiterunt. Nunquam enim illa incomprehensibilis immutabilisque divinitas, quæ est Trinitas Deus, ab oculis carnalibus videri potest, nisi, ut dictum est, per subjectam creaturam. Inter genitum Filium et processionem Spiritus sancti hoc distat, quod Filius Dei sic est de Patre, quomodo natus, non quomodo datus : Spiritus vero sanctus sic est de Patre et Filio, non quomodo natus, sed quomodo datus. Filius natus solius est Patris, non Spiritus sancti. Amborum est Spiritus, id est, Patris et Filii : quia (*e*) si Spiritus Filius diceretur, amborum Filius diceretur. Nullus autem filius est duorum nisi patris et matris : quod absit ut inter Deum Patrem et Filium quis suspicetur, quia nec filius hominis simul et ex patre et matre procedit : sed cum procedit ex patre, non tunc procedit ex matre ; et cum procedit ex matre in hanc lucem, non tunc procedit et ex patre. Spiritus vero sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit. (*f*) De eo quod a Joanne dicitur, quod Spiritus sanctus *non loquitur a semetipso ; sed quæcumque audiet, loquetur* (*Id.* xvi, 13) ; non loquitur a semetipso, quia non est a se ipso : Pater enim a nullo est natus, Filius a Patre est genitus, Spiritus sanctus a Patre et Filio procedens :

(*a*) Ex quæst. 4 dialogi inter Orosium et Augustinum.
(*b*) Ex quæstione 5 ejusdem dialogi.
(*a*) Ex quæst. 6 dialogi inter Orosium et Augustinum.
(*b*) Ex quæst. 7 ejusdem dialogi.
(*c*) Ex quæst. 8 ejusdem dialogi.
(*d*) Ex quæst. 9 ejusdem dialogi.
(*e*) Verba Augustini in Tractatu 99 in Joan., n. 9.
(*f*) Ex quæst. 11 et 12 dialogi Oros. e. ex libro 2 Augustini de Trinitate, cap. 5-7.

ideo non loquitur a se ipso; sed quæcumque audiet, loquetur. Audire illi esse est, a se non est, sed a Patre : ideo quæcumque audiet, loquetur. Quid sit quod Spiritus sanctus pro nobis interpellare dicitur, quod dicit Paulus ad Romanos scribens : *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis* (*Rom.* VIII, 26). Modus iste loquendi, qui frequenter in Scripturis sanctis invenitur, est sicut Deus dicit ad Abraham, *Nunc cognovi, quoniam timeas Deum*, (*Gen.* XXII, 12), hoc est, cognoscere te feci : sicut dicit Apostolus, *Nunc cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo* (*Galat.* IV, 9). Nempe omnia in præsentia Dei sunt a tequam fiant; præsentia sunt futura, quasi jam facta sint : quomodo dicit, *cogniti a Deo*, nisi faciente Deo ut cognoscamus Deum; sic et hic scribitur Spiritus sanctus gemere pro nobis, id est, gementes nos facere, infundendo nobis charitatem in Deum et proximum : sicut legitur, Lætus dies, quia lætos homines faciat Pater solus nusquam legitur missus, sed missionem Filii ita scribit Apostolus : *Cum autem venerit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret* (*Ibid.* 4, 5). Quod Filius Dei natus de Maria virgine, venit in mundum, testatur evangelista, dicens, *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est* (*Joan.* I, 10). Et ipse ait, *Ego a Patre exivi, et veni in hunc mundum* (*Id.* XVI, 28). Item Evangelista dicit, *Et mundus eum non cognovit.* Deinde subjungit, *In sua propria venit* (*Id.* I, 10, 11). Illuc utique missus est, quo venit : sed in hunc mundum est missus, ubi erat; quæ missio tamen esse opus sanctæ Trinitatis, nulli sit catholico dubitandum. Nusquam scriptum est, quod Deus Pater major sit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor Deo Patre, quia non ita est. Quia persona divinitatis suæ assumpta est a Filio Dei ex virgine Maria, in personam suæ humanitatis, unitatem habitumque conjunxit in æternum. Quamvis Spiritus sanctus apparuisset in specie columbæ vel ignis, non possumus tamen dicere Spiritum sanctum Deum et columbam, aut Deum et ignem, sicut dicimus Filium Deum et hominem. Propter has igitur corporales formas, in quibus apparuit Spiritus sanctus, missus dicitur : non propter has minor Patre dici potest; sicut Filius propter formam servi, quæ inhæsit illi ad unitatem personæ perpetualiter. Illæ vero species corporales, ut est columbæ vel ignis, ad demonstrandum quod opus fuit, ad tempus apparuerunt, et esse postea destiterunt. Nonne apparere debuerunt creaturæ sicut oportuit, servientes Creatori ad nutum ejus; qui incommutabiliter in se ipso permanet, ad eum significandum et demonstrandum, sicut significari et demonstrari mortalibus oportebat, mutatæ atque conversæ?

CAPUT IV.— (*a*) A quibusdam dubitari solet, an Spiritum sanctum habuerunt Apostoli illo tempore, quo fuerunt cum Christo Domino, secundum quod Evangelista dicit, *Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (*Id.* VII, 39). Et in alio loco ait, *Si diligitis me, præcepta mea servate : et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis : quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, neque cognoscit eum.* Vos autem videtis eum, *et cognoscitis eum; quia apud vos manet, et vobiscum est* (*Id.* XIV, 15-17). Et etiam post resurrectionem suam legitur insufflasse et dixisse discipulis, *Accipite Spiritum sanctum* (*Id.* XX, 22). In Pentecoste vero legitur Spiritus sanctus in Apostolos descendisse (*Act.* II,). Ad hæc dicendum, quia unus Spiritus est, sed dona habet multa. Non est dubium, quin Spiritus sanctus erat cum eis : quia ubi Christus est, Spiritus sanctus est. Et quia venturum Spiritum sanctum a Patre promiserat Christus, non defuit in hoc indifferens ejus divinitas. Trium officiorum formæ dons Spiritus sancti in Apostolis sunt ostensæ : quarum prima est, quæ ad jus ecclesiasticum pertinet, in regenerandis. Ecclesiastica potestas intelligitur esse in officiis episcoporum et sacerdotum, qui omnia in traditione dominica per Spiritum sanctum agere debent. Unde illis dicit Jesus, *Quorum tenueritis peccata, tenebuntur; et quorum remiseritis, remittentur eis* (*Joan.* XX, 23). Secunda est, quæ in Pentecoste data est, quæ generalis est : non solum enim in Apostolos, verum etiam in omnes credentes decidit Spiritus sanctus. Tertia forma est, quæ solum Apostolis vel ordinatis in initio concessa est, in signis ac virtutibus faciendis, usquedum fidei semina jacerent ad crementum. Semina enim fidei sunt virtutes per Apostolos factæ : ipsi enim Apostoli antistites positi sunt hujusmodi veritatis, qui per signa et prodigia rationabilem esse fidem nostram testantur. Igitur Spiritus sanctus datur omnibus generaliter credentibus, sed si manet in eis : in signis vero et prodigiis filii Dei esse probantur. Etiam Spiritus sanctus non manet quandoque in homine, sed vocatus advenit, ut suggerat necessaria, et recedat. Similiter et in traditione vel ordinatione, deforis gratiam et tuitionem præstat devotis fidei, ut commendatiores habeantur per inspirationem ejus.

CAPUT V.—(*a*) Pater, Filius, et Spiritus sanctus unus est verus Deus, secundum illud quod scriptum est, *Audi, Israel; Dominus Deus tuus unus est* (*Deut.* VI, 4). Et in Evangelio scriptum est, *Ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Et de Christo dicitur a Joanne apostolo, *Ipse est verus Deus, et vita æterna* (1 *Joan.* V, 20). Ante omnia tempora Filius erat, ut intelligendum in hoc est, *In principio erat Verbum* : et, *Omnia per ipsum facta sunt.* Quia et tempus sine aliquibus creaturæ motibus non potest esse. Et ideo per Filium facta confitemur et tempora, per quæ facta sunt omnia : ideo procul dubio æqualis genitus, et coæternus est Patri Filius. Dicitur [Filius Dei ex voluntate et præcepto Patris, cœlestia, terrestria, visibilia et invisibilia, corpora et spiritus ex nullis exstantibus, id est, ex nihilo ut essent, sua virtute fecisse (*b*) :] cum ipse ex nullis exstantibus, hoc est, ex nihilo non factus sit, sed ex Deo Patre Deus : quæ res indicat unam et eamdem Patris Filiique naturam. Filius per se ipsum non potuit, tanquam non esset ante quam fieret, ut esset ipse per quem fieret idem ipse. Porro si per aliquem alium a Patre factus est Filius; quis est ipse alius, cum omnia per ipsum facta sunt, hoc est, per Verbum ejus? [Antequam faceret universa, omnium futurorum Deus et Dominus, rex et creator erat constitutus, et omnium futurorum in natura habens præscientiam, et in faciendo in omnibus exspectans Patris jussionem. Ipse voluntate Patris descendit de cœlo, et venit in mundum, sicut ipse ait : *Non enim a me ipso veni, sed ille me misit* (*c*).] Una quippe ipsa Trinitas est, quoniam *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Dicimus jubente Patre Filium creasse omnia, non esse nisi Verbum, per quod facta sunt omnia. Quod autem Pater miserit Filium, qui cum ipso venit, ipse testatur qui ait, *Non sum solus, quoniam Pater mecum est.* Nunquam ideo diversa natura est, quia Pater mittit, et mittitur Filius. Potest homo pater mittere hominem filium, non unius ejusdemque substantiæ, cum homo missus ab homine mittente separetur : quod non potest Deus. Sed ignis mittit splendorem suum, nec potest splendor separari ab igne mittente. Cum enim splendorem mittit ignis, longius pervenit inde splendor, quo ignis non pervenit. Unde splendor ab igne qui est in lucerna missus [1],

(*a*) Ex Quæstionibus de Novo Testamento, quæst. 03.

[1] Augustinus in libro contra Sermonem Arianorum scripsit : *Non utique posset verum dicere in pariete, quo sine lucernæ igne pervenit, ignis qui me misit mecum est : potuit*

(*a*) Ex libro contra Sermonem Arianorum, cpp. 1, 2, etc.
(*b*) Arianorum verba.
(*c*) Item verba Arianorum.

utique vere possit dici in pariete, quo sine lucernæ igne pervenit ignis. Super hoc Filius dicit, *Qui me autem missus a Patre Filius dicere, Pater mecum est.* Sententiam turpiter de ornat exscriptor; nec aliquid deinceps adjungit præter excerpta ex eodem Augustini libro contra Sermonem Arianorum, male compacta et cæde truncatis aut interpolatis sententiis inepta lectuque indigna.

misit, mecum est (*Joan.* VIII, 42, 16, 29) : quod vere potuit Filius dicere, *Pater mecum est.* Cum igitur hæc a Patre missio Filii prorsus ineffabilis sit, nec capi ullius cogitatione possit, hoc etiam hic potest intelligi, ut a Patre missus esse dicatur, quod Filius hominibus apparuit in carne, non Pater. Quo enim mittitur Filius, ubi non est? Ubi autem non est sapientia Dei? etc.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Non uni Augustino, sed aliis multis auctoribus æque falso tributus fuit, Ambrosio, Hieronymo, Anselmo, Bonaventuræ. Quanquam apud Hieronymum non totus exstat, sed tantum usque ad verba, *Hæc omnia quæ prædicta sunt*, etc., col. 1208, cap. 2; apudque ipsum inscribitur, *De his quæ Deo in Scripturis attribuuntur.* Apud Anselmum, *De vestimentis et membris et actibus Deo tributis.* Apud Bonaventuram, *De essentia et invisibilitate et immensitate Dei.* In Mss. Vaticano et Victorino sub Augustini nomine titulum habet, *De essentia divinitatis et de invisibilitate atque incommutabilitate Dei.* Prima et maxima pars libri ex Eucherii Lugdunensis opere de Formulis spiritualis intelligentiæ sumpta, continet totum caput ejusdem operis primum, quod est de Divinis nominibus.

DE ESSENTIA DIVINITATIS

LIBER UNUS.

I. Omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus atque trinus, unus videlicet in natura, trinus vero exstat in personis : solus invisibilis, solus immensus atque incomprehensibilis, solus incircumscriptus, solus immutabilis, incorporeus et immortalis, ubique præsens, sed latens : ubique totus, sed immensus. Invisibilis est, quia in essentia sua videri non potest, Apostolo testante, qui ait, *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* (I *Tim.* VI, 16). Et in Evangelio, *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* I, 18). Incorporeus est, quia nullis membrorum lineamentis compositus, sive compactus existit, sicut Veritas in Evangelio ait, *Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Id.* IV, 24). Immensus est, quia quantitas ejus vel qualitas a nullo ex creaturis metiri potest : cui Salomon in oratione sua supplicans ait, *Si cœlum et cœli cœlorum te non capiunt, quanto magis domus ista quam ædificavi* (III *Reg.* VIII, 27)? Incircumscriptus est, quoniam circumscribi non potest. Illocalis est, quoniam de loco ad locum nequaquam transit, sed neque in loco quolibet retinetur [1], ipso de semetipso per Isaiam prophetam testimonium perhibente atque dicente, *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum* (*Isai.* LXVI, 1). Et per Jeremiam, *Nonne cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus* (*Jerem.* XXIII, 24)? Cujus immensitatem propheta in Psalmo confitens ad ipsum Deum ait, *Si ascendero in cœlum, tu illic es; et si descendero ad infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 8). De cujus immensitate adhuc in libro beati Job scriptum est, *Excelsior cœlo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces* (*Job* XI, 8)? Longior terra mensura ejus, et latior mari. Qui enim cœlum et terram implet, procul dubio nullus est locus ab ejus præsentia absens. Super omnem quippe creaturam præsidet regendo atque imperando : subtus omnia est sustinendo atque portando, non laboris pondere, sed infatigabili virtute : quoniam nulla creatura ab eo condita per se subsistere valet, nisi ab ipso sustentetur qui illam creavit. Extra omnia est, sed non exclusus : intra omnia est, sed non inclusus. Immutabilis est, quia ab eo quod est mutari omnino non potest, ipso dicente per Malachiam prophetam, *Ego Dominus et non mutor* (*Malach.* III, 6). Ideo autem Deus immutabilis dicitur, quia in natura ejus, ira, furor, pœnitentia, oblivio, recordatio, et alia his similia, nullo modo accidunt. Simplex enim natura est, et immutabilis atque imperturbata; neque aliud est ipse, et aliud quod habet; sed ipsum est quod habet et quod est. Immortalis est, quia mori nullo modo potest, Apostolo hoc attestante atque dicente, *Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* (I *Tim.* VI, 16). Ubicunque autem sacra Scriptura sparsim per divinos Libros, in Deo motus animæ seu humana membra describit, id est, caput, capillos, oculos, palpebras, aures, nares, os, labia, linguam, cor, imaginem, uterum, manus, dexteram, sinistram, digitos seu digitum, brachium, alas, scapulas, posteriora, pedes; item motus animæ, iram, furorem, oblivionem, recordationem, pœnitentiam, et alia his similia : non carnaliter juxta historiam a recte intelligentibus sentienda [1] sunt, sicut a Judæis et a plerisque hæreticis carnaliter sapientibus, qui Deum corporeum atque localem opinantur; sed spiritualiter omnia de eo intelligenda et confitenda sunt. Si quis autem in Deo humana membra, seu motus animæ more humano inesse credit, procul dubio in corde suo idola fabricat. Igitur, ut dictum est, figuraliter in Deo caput cum legimus, ipsam essentiam divinitatis ejus, quæ omnia præcedit, et cui universa subjecta sunt, intelligere debemus. Capillos vero capitis ejus, sanctos Angelos seu universos electos typice accipi oportet. De quo sacramento in libro Danielis prophetæ scriptum est, *Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit : vestimentum ejus quasi nix candida et capilli capitis ejus quasi lana munda* (*Dan.* VII, 9). Hoc enim significat per vestimentum ejus candidum, quod et per capillos capitis ejus, sanctos videlicet Angelos et multitudinem sanctorum dealbatorum. Vel certe ideo capilli ejus lanæ mundæ comparantur, ut per hoc Antiquus dierum esse credatur. Oculos habere dicitur Deus, pro eo quod omnia videt, et nihil eum latet, *in cujus conspectu*, ut ait Apostolus, *nulla creatura invisibilis est. Omnia enim nuda et aperta sunt*

[1] Ms. Vaticanus, *continetur.*

[1] Apud Hieronymum, *sumenda.*

oculis ejus (*Hebr.* IV, 13). Aliter vero oculi Domini respectus gratiæ ejus intelliguntur, ut est illud in Psalmo, *Oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII, 16). Item aliter oculi Domini, præcepta ejus per quæ nobis lumen scientiæ subministratur, mystice accipiuntur : ut est illud in Psalmo, *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Psal.* XVIII, 9). Palpebræ Domini, occulta atque incomprehensibilia judicia ejus, sive spiritualis in divinis Libris locutio ejus innuitur : de quibus occultis atque incomprehensibilibus sacramentis atque judiciis in Psalmo scriptum est, *Palpebræ ejus interrogant filios hominum* (*Psal.* X, 5), id est, probant. Aures habere dicitur Deus propter quod omnia audit, et nihil illum sub silentio latet : de quo in libro Sapientiæ scriptum est, *Auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur* (*Sap.* I, 10). Nares Dei, inspiratio ejus in corda fidelium : ut est illud in libro Regum, *Ascendit fumus de naribus ejus* (II *Reg.* XII, 9), id est, lacrymosa compunctio pœnitentiæ per inspirationem [1] illius. Facies Dei, cognitio divinitatis ejus ad homines : de qua cognitione in Psalmo scriptum est, *Ostende nobis, Domine, faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX, 4); hoc est, da nobis cognitionem tuam : quæ cognitio per Filium hominibus innotuit ipso dicente in Evangelio, *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27). Aliter vero facies Dei significat invisibilem essentiam divinitatis Filii Dei : de qua ipse Dominus ad Moysen per Angelum respondens ait, *Posteriora mea videbis; faciem autem meam videre non poteris* (*Exod.* XXXIII, 23); ac si diceret, Incarnationem meam videbis in novissimis diebus, divinitatem autem meam videre non poteris. Os Dei, Filius Dei Patris, id est, Christus Dominus : de quo Isaias propheta ex persona Judæorum effatus ait, *Quia os ejus ad iracundiam provocavimus* (*Thren.* I, 18). Aliter vero os Domini, sermo ejus sive jussio accipitur : de quo sermone Domini prædictus propheta ait, *Os Domini locutum est* (*Isai.* LVIII, 14); hoc est, Verbum Dei, Patris filius, per quod omnia facta sunt : de quo in Psalmo, *Verbo Domini cœli firmati sunt* (*Psal.* XXXII, 6). Et alibi, *Misit Verbum suum, et sanavit eos* (*Psal.* CVI, 20). Et in Evangelio, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Lingua Dei mystice significat Spiritum sanctum, per quem Deus Pater secretum suum hominibus manifestavit : unde in Psalmo, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV, 2). Labia Domini, utriusque Testamenti consonantia intelliguntur : de quibus duobus Testamentis in Proverbiis scriptum est, *Divinatio in labiis ejus, in judicio non erravit os ejus* (*Prov.* XVI, 10). Brachia Dei Patris, Filius ejus et Spiritus sanctus intelliguntur : sicut est illud in Isaia propheta, *Et brachia mea populos judicabunt* (*Isai.* LI, 5). Brachium Dei Patris singulariter, Filius ejus accipitur : de quo Jeremias propheta ad ipsum ait, *Et nunc, Domine Deus, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti et brachio extento* (*Jerem.* XXXII, 21). Idcirco autem Filius Dei Patris, brachium ejus dicitur, quia omnis creatura electa ab ipso continetur. Dextera Dei Patris, idem unigenitus Filius accipitur : de quo in Psalmo ex persona hominis assumpti, *Dextera*, inquit, *Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me* (*Psal.* CXVII, 16). Aliter autem dextera Domini gloriam Patris significat, id est, æternam beatitudinem : de qua in Psalmo ex persona Patris ad Filium, *Sede a dextris meis* (*Psal.* CIX, 1). Dicitur autem et dextera Dei omnis electa creatura in cœlo et in terra, sicut et per sinistram ejus intelligitur reproba creatura, id est, dæmones et omnes impii qui ad lævam positi æterna supplicia sustinebunt. Manus Dei Patris, Filius Dei accipitur, pro eo quod per ipsum omnia facta sunt : sicut est illud in Isaia propheta, *Omnia hæc manus mea fecit* (*Isai.* LXVI, 2), et facta sunt omnia. Aliter vero manus Dei potestas ejus intelligitur : de qua potestate in libro Jeremiæ scriptum est, *Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, domus Israel* (*Jerem.* XVIII, 6). Item manus Dei flagellum accipitur : de cujus percussione in Sophonia propheta scriptum est, *Extendam manum meam super Judam et super habitantes Jerusalem, et disperdam de loco hoc reliquias Baal*, etc. (*Sophon.* I, 4). Pro qua Domini percussione beatus Job de semetipso ait, *Manus Domini tetigit me* (*Job.* XIX, 21). Digitus Dei singulariter, Spiritus sanctus accipitur, a quo Spiritu sancto Lex in duabus tabulis lapideis in monte Sina scripta narratur. Ipse enim scripsit qui scribenda dictavit, id est, Spiritus sanctus, de quo Spiritu sancto Dominus in Evangelio, *Si ego*, inquit, *in digito Dei ejicio dæmonia* (*Luc.* XI, 20). Quod alius evangelista aperte declarans ait, *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (*Matth.* XII, 28). Sicut enim digitus cum manu vel brachio, manus vero vel brachium cum corpore unum sunt in natura; ita Pater et Filius et Spiritus sanctus tres quidem sunt personæ, una autem substantia divinitatis. Digiti Dei pluraliter, sancti intelliguntur Prophetæ, per quos Spiritus sanctus libros Legis ac Prophetarum sua inspiratione descripsit : de quibus in Psalmo scriptum est, *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum* (*Psal.* VIII, 4). Per cœlos enim, libros Legis et Prophetarum; per digitos vero, sanctos, ut dictum est, Prophetas mystice insinuavit. Imago Dei Patris invisibilis, unigenitus est Filius ejus, de quo Apostolus ait, *Qui est imago Dei invisibilis* (*Colos.* I, 15). Aliter namque est imago Dei Patris in Filio suo, quem non aliunde, sed de semetipso, hoc est, de substantia sua per omnia sibi similem genuit et æqualem : aliter vero in anima hominis, quam non ex se, id est, de substantia sua, sicut plerique hæretici opinati sunt, genuit, sed ex nihilo creavit. Sicut aliter est imago cujuslibet regis in filio ejus quem ex semetipso sibi similem genuit, id est, homo hominem; aliter vero in annulo ejus, sive in cera imago illius impressa, quæ non est hoc quod ipse, sicut filius qui naturaliter, hoc est quod et pater. Cor Dei Patris, arcanum sapientiæ ejus mystice innuit, ex quo Verbum, id est, Filium suum impassibiliter sine initio genuit, ipso dicente per prophetam, *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV, 2). Alas habere legitur Deus, pro eo quod more avis electos suos tanquam pullos sub se colligit, fovet, et ab insidiis diaboli et malorum hominum protegit : de cujus protectione Propheta in Psalmo ad ipsum ait, *Sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* XVI, 8). Scapulas habere dicitur Deus, quia infirma membra Ecclesiæ patienter quasi in scapulis portat, et portando protegit : de quo in Psalmo viro justo dicitur, *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis* (*Psal.* XC, 4). Venter Dei Patris, secreta origo substantiæ ejus accipitur, ex qua origine ineffabiliter ante omnem creaturam Filium suum genuit : ipso testimonium perhibente per prophetam ac dicente, id est, Patre ad Filium, *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3). Aliter uterus Dei incomprehensibilia et occulta judicia ejus, quæ rimari nequeunt, mystice insinuat : de quibus occultis judiciis ejus in Job scriptum est, *De cujus utero egressa est glacies, et gelu de cœlo quis genuit* (*Job* XXXVIII, 29)? Posteriora Filii Dei, incarnatio ejus accipitur, quæ extremo tempore ad redemptionem humani generis facta est : de qua posteriori parte Filius Dei in monte Sina ad Moysen per angelum loquens ait, *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris* (*Exod.* XXXIII, 23); ac si ei diceret, Incarnationem meam videbis, deitatem meam videre non poteris. Pedes Dei, stabilimentum virtutis ac potentiæ ejus sunt, eo quod ubique præsens sit, et universa illi sint subjecta, ipso dicente per Isaiam prophetam, *Cœlum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum* (*Isai.* LXVI, 1). Aliter vero pedes Filii Dei, incarnatio ejus intelligitur, quæ divinitati subjecta est, tanquam capiti pedes, sive pro

[1] Ms. Sorbonicus, *inspiratione*. Hieronymus, *de inspiratione*.

eo quod circa finem mundi ipsa incarnatio facta est. Sicut enim per caput, ut dictum est, divinitas; ita per pedes figuraliter humanitas ejus exprimitur : de qua humanitate in Exodo scriptum est, *Viderunt Deum Israel*, hoc est, Moyses et Aaron et Nadab et Abiu et septuaginta de senioribus populi, *et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum cum serenum est* (*Exod.* XXIV, 10). Sicut autem per lapidem sapphirinum cœlestes creaturas, id est, sanctos Angelos; ita per cœlum serenum sanctam electorum Ecclesiam ex hominibus assumptam figuraliter demonstrare voluit. Super quas duas creaturas homo assumptus a Filio Dei in perpetuum regnat. De quo in Psalmo, *Omnia*, inquit, *sub pedibus ejus* (*Psal.* VIII, 8). Aliter per pedes Domini, id est, Jesu Christi, significati sunt sancti prædicatores, de quibus in Deuteronomio scriptum est, *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus* (*Deut.* XXVIII, 3). Vestimentum Filii Dei aliquando caro ejus, quæ a divinitate assumpta est, in divinis Libris figuraliter accipitur : de quo indumento carnis ejus Isaias propheta vaticinans ait, *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra* (*Isai.* LXIII, 1)? Rursum vestimenta ejusdem Domini, sancta accipitur Ecclesia, quæ per fidem et dilectionem ei conjuncta est : de qua in Psalmo scriptum est, *Dominus regnavit, decorem indutus est* (*Psal.* XCII, 1); et in alio psalmo ad ipsum Dominum, *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento* (*Psal.* CIII, 2). Pallium Christi, jam dicta ejus Ecclesia recte intelligitur : de qua in libro Genesis scriptum est, *Lavabit in vino stolam suam*, hoc est, in sanguine passionis carnem suam; *et in sanguine uvæ pallium suum* (*Gen.* XLIX, 11), id est, Ecclesiam suam. Calceamenta Domini nostri Jesu Christi mystice significant incarnationem ejus, quam ex mortalitate generis humani assumere dignatus est : de qua incarnatione sua ipse per Prophetam in Psalmo ait, *In Idumæam extendam calceamentum meum* (*Psal.* LIX, 10) : id est, plebi Gentilium manifestabo incarnationem meam. Gressus Dei, adventus Filii Dei in mundum, et regressio ejus ad Patrem : de quibus gressibus Psalmista canit, *Visi sunt gressus tui Deus, ingressus Dei mei regis qui est in sancto* (*Psal.* LXVII, 25). De cœlo enim venit in uterum virginis, de utero vero nascendo, positus est in præsepio. Postquam autem omnia implevit, pro quibus a Patre missus venerat, appensus est in ligno crucis : de cruce autem depositus, secundum carnem sepultus est, secundum animam vero ad inferna descendit : tertia autem die per potentiam divinitatis suæ carnem suam de sepulcro suscitavit : et post dies resurrectionis suæ, quadragesimo scilicet die, videntibus Apostolis ascendit in cœlum (*Act.* I, 9), et sedet ad dexteram Patris, id est, in gloria ejus. Hi sunt enim gressus Filii Dei, iste descensus et ascensus ejus qui frequenter in sacris Scripturis legitur. Ascendere Deus dicitur, cum Filius Dei carnem de nobis assumptam in cœlum velut captivam duxit : sicut est illud in Psalmo, *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem* (*Psal.* LXVII, 19); quia naturam humani generis, quæ a diabolo captiva in mundo retinebatur, assumens, secum in cœlum ubi nunquam antea fuerat, tanquam captivam deportavit. Abscondere faciem suam Deus legitur, cum quibusdam reprobis eorum exigentibus culpis cognitionem suam abscondit : sicut in populo Judæorum nunc impletum videmus; qui negantes Filium Dei, scientiam veri Dei perdiderunt, ut similes fierent Gentibus quæ Deum non noverunt. Ostendere faciem suam dicitur Deus, cum respectu gratiæ suæ quibus vult, electis scilicet suis, se ipsum in corda eorum occulta inspiratione insinuat, et ad diligendum se amorem suum infundit. Sedere dicitur Deus, non corporaliter humano more, sed potentialiter super omnem creaturam rationalem præsidere [1], ut est illud in Psalmo, *Regnavit Dominus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam* (*Psal.* XLVI, 9). Sedere etiam dicitur Deus super Cherubim, quod interpretatur, Scientiæ plenitudo, sive multitudo, per quod significantur sancti Angeli, sive mentes spiritualium virorum in quibus Deus invisibiliter præsidet et regnat. In illis enim sedet, qui scientia ejus et dilectione pleni sunt. In Proverbiis quippe Salomonis scriptum est, *Anima justi sedes est sapientiæ*. Sapientia vero Dei Patris Christus est, qui in animas justorum sedere dicitur. Descendere in mundum Deus legitur, quando aliquid novum quod antea non fuerat in creatura humana operatur : sicut Filius Dei Patris descendisse narratur, quando veram carnem ex Maria virgine propter redemptionem nostram suscepit, et verus homo fieri dignatus est, non amittendo quod erat, sed assumendo quod non erat : de cujus descensione, hoc est, incarnatione in Psalmo scriptum est, *Inclinavit cœlos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus* (*Psal.* XVII, 10). Cœlos inclinavit, quia ante adventum suum prænuntios Angelos sive Prophetas misit, qui ejus adventum hominibus nuntiarent. Caligo sub pedibus ejus fuit, quia impii homines a sua malitia cæcati, ejus incarnationem agnoscere non potuerunt : sed neque nunc possunt. Stare Deus dicitur, cum nos infirmos, id est, creaturam suam ad pœnitentiam et conversionem vitæ patienter sustinet : ut est illud in Habacuc prophetæ, *Stetit, et mensus est terram, et dissolvit gentes* (*Habacuc* III, 6); id est, stetit ad subveniendum, et dissolvit credentes in se a vinculis peccatorum. Transire dicitur Deus, cum a cordibus quorumdam hominum, in quibus ante per fidem inhabitare credebatur, postea subrepente perfidia vel quolibet delicto ab his recedit, et ad alios transit. Quemadmodum de Judæis ad Gentes, et de hæreticis ad catholicos, seu de quibuslibet irreligiosis et negligentibus pro vitio suo recedere dicitur Deus, et ad alios transire, quod non localiter aut visibiliter, sed invisibiliter occulto justoque judicio facere consuevit. Ambulare dicitur Deus, non de loco ad locum transeundo, quod impium est ita credere : sed deambulatio ejus est in cordibus sanctorum delectari; sicut scriptum est, *Et inhabitabo in eis, et inambulabo, et ero illorum Deus* (*Levit.* XXVI, 12). Vel certe ambulare Dei, est in sanctis prædicatoribus suis de loco ad locum transire. Loqui Dei est, invisibiliter sine sono vocis vel quolibet strepitu occulte [2] in mentibus sanctorum voluntatem suam atque rectum intellectum inspirare, seu futura sicut sanctis Prophetis revelare. Quæ locutio Dei, ut quidam volunt, tribus modis accipitur. Primo namque modo per subjectam creaturam, sicut ad Moysen, in rubo et igne apparuit; vel sicut ad Abraham, et Jacob, sive jam dictum Moysen et cæteros sanctos, quibus voluit, in Angelis apparere dignatus est. Secundo modo in somnis, sicut ad Jacob et ad Zachariam prophetam, et ad Joseph sponsum Mariæ, et ad alios sanctos quibus voluit secreta revelare. Tertio autem modo, neque per creaturam visibilem, neque per somnium, sed occulta tantum inspiratione invisibiliter corda sanctorum tangendo loquentes efficit [3], quemadmodum in libris Prophetarum legitur, cum ipsi Prophetæ divino subito afflati Spiritu exclamabant dicentes, *Hæc dicit Dominus*. Videre Dei, est acta bona approbare : sicut illud est in Genesi, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat. et erant valde bona* (*Gen.* I, 31); id est, intelligentibus bona esse demonstravit. Aliter videre Dei, est mala hominum sciendo reprobare, sicut est illud in Isaia propheta, *Et vidit Dominus, et apparuit malum in oculis ejus* (*Isai.* LIX, 15). Item aliter videre Dei, est nos videntes, id est, scientes facere : ut est illud in Psalmo, *Proba me, Domine, et scito cor meum, interroga me, et cognosce semitas meas, et vide si via iniquitatis in me est*, etc. (*Psal.* CXXXVIII, 23). Modus iste locutionis et

[1] Apud Hieronymum, *super omnem creaturam regnando præsidere.*

[2] Alias, *occultum.*

[3] Apud Hieronymum, *tangendo afficit.*

in libro beati Job similiter reperitur, ubi de sapientia Dei Patris, postquam plurima et insignia locutus est de Deo Patre, adjecit : *Tunc vidit illam, et narravit et investigavit et præparavit* (*Job* xxviii, 27); id est, videntes fecit atque prædicantes et investigantes atque aliis nuntiantes. Cognoscere Dei, est cognoscentes facere, sicut ait ipse ad Abraham, *Nunc cognovi quod timeas Deum* (*Gen.* xxii, 12). Neque enim ille ex tempore novit, qui scit omnia antequam fiant : sed cognoscere dicitur Deus cognoscentes facere, ut qui prius de se quales essent incogniti erant, per ejus interrogationem, id est, probationem sibimetipsis manifesti fierent. Tale est et illud in lege Moysi de populo Israelitico, *Ut tentem*, inquit, *eos, utrum custodiant mandata mea, an non* (*Deut.* xiii, 3). Nescire Dei, est quosdam reprobos reprobare : sicut est illud in Evangelio, *Nescio vos unde sitis, recedite a me, omnes qui operamini iniquitatem* (*Luc.* xiii, 27; *Psal.* vi, 9). Zelare dicitur Deus, cum creaturam suam quam non vult perire, sæpe castigat, corripit atque flagellat, et flagellando ad se reducit. Vel certe zelare Deus dicitur, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere. Justus enim est, et ideo omnis injustitia exsecrabilis est illi, quam, ut dictum est, impunitam nullo modo patitur. Irasci dicitur Deus, non animi motu vel qualibet perturbatione, quæ illi omnino accidere non potest; sed creaturæ delinquenti, id est, hominibus impiis et peccatoribus justam inferre dicitur ultionem, hoc est, illis reddere quod merentur : et hæc ultio divina et ira vel furor ejus dicitur. Pœnitere Deus dicitur, non quod more hominum pro transactis operibus suis pœniteat; qui enim omnia novit antequam fiant, pro præteritis factis suis pœnitere non potest : sed pœnitentia Dei est statuta mutare, et quod prius aliter inchoatum fuerat, in aliud mutare; id est, aut de bono exigentibus culpis in malum, sicut de Saule legitur pœnituisse Deum, quod constituisset eum regem (I *Reg.* xv, 11); vel sicut nunc videmus in populo Judæorum factum, qui cum esset populus Dei, ob impietatem suam facti sunt synagoga satanæ : de malo vero in bonum, sicut accidit in populo Gentium, qui ante non populus Dei, nunc autem per gratiam Christi populus Dei effectus est. Hoc quippe modo occulto Dei judicio Judas proditor de apostolatus gradu lapsus in inferni barathrum demersus est, latro vero post crimen rapacitatis de cruce ad paradisum translatus est. Hanc quoque immutationem de bono ad malum, ut dictum est, sive de malo ad bonum, quæ occulto justoque judicio Dei, seu per severitatem justitiæ, seu per misericordiam ejus fiat, pœnitentiam Dei dicimus. Quod expressius in libro Jeremiæ prophetæ scriptum est. Non pœnitere Dei, est statuta nullo modo mutare : ut est illud in Psalmo, *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum;* id est Pater ad Filium, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec* (*Psal.* cix, 4). Sacerdos Patris dictus est Filius Dei, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem, in qua se semetipso pro nobis per passionem et mortem suam acceptabile sacrificium Deo Patri obtulit, ut ipse esset sacerdos, qui et sacrificium. Oblivisci dicitur Deus, cum quibusdam impiis et peccatoribus non misereturi, quod utique non facit per crudelitatem quæ in Deo non est, sed per occultum justumque judicium suum. Indurare dicitur Deus quorumdam malorum corda, sicut de Pharaone rege Ægypti scriptum est : non quod omnipotens Deus per potentiam suam corda eorum induret, quod est impium ita credere; sed exigentibus eorum culpis, cum duritiam cordis quam ipsi sibi mala perpetrando nutriunt, non aufert, quasi ipse illos indurat, quia justo judicio indurari sinit. Dormire Dei, est cum unigenitus Filius Patris in assumpta carne pro nobis mori dignatus est : cujus mors recte dulcis somnus prædicatus est, ipso dicente per Jeremiam prophetam, *Ideo quasi de somno suscitatus sum; et vidi, et somnus meus dulcis est mihi* (*Jerem.* xxxi, 26). Aliter dormire dicitur Deus, cum fides ejus inter prospera hujus mundi in quorumdam fidelium corde non vigilat, sed dormit. Hanc dormitionem Salvator noster in se significavit, cum in navi inter fluctus maris dormivit (*Matth.* viii, 24). Vel certe dormire Dei est, electis suis in tribulationibus hujus mundi positis tardius subvenire, sicut est illud in Psalmo, *Exsurge, quare obdormis, Domine* (*Psal* xliii, 23)? Vigilare Dei est, in defensionem electorum suorum, et ultionem inimicorum suorum se manifestum demonstrare [1].

II. Hæc omnia quæ prædicta sunt, et alia his similia, quæ de Deo sacra Scriptura juxta historiam narrat, non secundum litteram, ut dictum est, sed significativa locutione accipienda sunt : quia omnipotens Deus in essentia divinitatis suæ spiritus est, non caro; invisibilis atque incorporeus, nullisque humanis membris compositus : et idcirco non de oculis carnis, sed de oculis cordis contemplandus est. Deus sapientia est, veritas est, charitas est, justitia est; et ideo eisdem oculis videndus est quibus hæc omnia contemplantur : et idcirco non corporeis, ut dictum est, obtutibus, sed ex corde mundo a fidelibus intuendus est. Scriptum quippe est in Evangelio, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Hoc est enim præmium sanctorum, non in hac tantum vita, sed potius in futura repromissum; dicente beato Joanne apostolo, *Charissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus enim quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* iii, 2). Hæc promissio, ut dictum est, post resurrectionem carnis et judicium Dei, est in sæculo futuro sanctis reposita. In præsenti vero vita nullus tam sanctus, nemo ita perfectus ex electis Dei, qui ipsum Dominum in essentia divinitatis suæ, sicuti est, vidit unquam, aut videre poterit : ipso testante ad Moysen, *Non enim videbit me homo, et vivet* (*Exod.* xxxiii, 20); ac si diceret, Nemo quamdiu mortaliter vivit, Deum ut est videre poterit. Vident enim sancti in præsenti vita Deum, non ita ut est in substantia sua, sed per speculum et in ænigmate, postea autem facie ad faciem (I *Cor.* xiii, 12). Vident in hac vita credendo, non corporeis oculis cernendo. Videre enim Deum, est recte illum credere et ex corde diligere. Hoc quippe significat nomen Israel, quod interpretatur, Vir videns Deum. Sed quia Filius Dei qui in substantia divinitatis cum Patre unum est, ob reparationem humani generis quod in Adam lapsum fuerat, prope finem mundi in uterum Mariæ virginis illapsus, veram carnem ex ejus substantia creavit, atque in singularitate personæ suæ ita univit, ut Deus pariter esset et homo; simplici vero persona, ut dictum est, gemina vero substantia ex eadem virgine incorrupto pudore nasceretur; ut qui erat et est in divinitate verus Deus ex vero Patre genitus invisibilis, incorporeus atque incomprehensibilis sicut et Pater, ipse esset et verus homo visibilis, corporeus, et circumscriptus; atque idem ipse, non alius Deus et alius homo, sed Deus et homo, unus Christus Dei Filius, passus pro salute nostra, in sola carne mortuus et sepultus, in eadem carne in qua etiam die tertio per virtutem divinitatis suæ de sepulcro resurgens, ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Patris : quem inde venturum ad judicandum vivos et mortuos in eadem carne in qua ascendit, sed glorificata, universalis exspectat Ecclesia, quemadmodum in Symbolo universi decantant fideles; idcirco eumdem Dei Filium secundum substantiam divinitatis suæ invisibilem et incorporeum et immortalem atque incircumscriptum, sicut et Patrem et Spiritum sanctum credere et confiteri oportet : juxta humanitatem vero visibilem, corporeum, localem atque omnia membra humana veraciter habentem credere convenit et confiteri. Quoniam sicut eumdem Dei Filium et redemptorem nostrum secundum divinitatem invisibilem et incorporeum, sicut et Patrem et Spiritum sanctum non credere impium est : ita eumdem Dei Filium in

[1] Hic desinit liber iste in Ms. Sorbonico et apud Hieronymum.

homine assumpto, visibilem et corporeum atque localem post resurrectionem non credere et profiteri, profanum est. Illud autem quod in Genesi scriptum est, dicente Deo Patre ad Filium, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26) : non ita accipiendum est quasi Deus corporeus sit, et membrorum lineamentis compositus, ad quam compositionem corpoream exteriorem hominem nostrum, humanum videlicet corpus, veluti ad similitudinem suam fecerit; sicut Judæi et cæteri infideles plerique opinati sunt, quod ita credere impium est. Deus autem, ut sæpe dictum, spiritus est, non caro : sapientia [1] est, non corpus Ad imaginem quippe suam Deus hominem fecit, non in corpore, sed in anima; non in corpore, sed in sensu; non in exteriore homine, sed in ratione. Animaque hominis, ut dictum est, ideo ad imaginem Dei facta esse perhibetur, quia spiritualis creatura est invisibilis et incorporea atque immortalis : non de substantia Dei originem trahens, sicut Manichæi et Priscillianistæ hæretici false opinati sunt; sed ex nihilo a Deo creata. Quæ initium habet, finem vero habere nescit. Quæ humana anima, ob hoc quod a Deo rationalis, quod intellectualis facta est, imago Dei esse dicitur. Inest enim illi per naturam rationalis sensus, per quem intelligit, sapit, atque inter bonum malumque discernit. Inest illi memoria, per quam transacta recordatur : inest voluntas per quam quæ vult eligit : inest sensus, per quem et sentit : inest ratio, per quam et occulta et invisibilia contemplatur, per quam Deum creatorem suum intelligit, per quam vera a falsis discernit, per quam invisibilia et Deum oculis cordis contemplatur seu speculatur [1]. In his omnibus anima hominis ad imaginem Dei facta esse narratur : hæc omnia communia habet cum angelis, corpus vero cum animalibus brutis quæ intellectu carent. Hujus animæ origo occulta est, et soli Deo cognita. Ipsa quoque anima hominis pro eo quod spiritualis creatura est, in sacra Scriptura aliquando spiritus dicitur, aliquando vero natura [2], aliquando etiam vita, nonnunquam vero cor esse dicitur : et cum sit una in natura sua, propter varios effectus [3], diversa vocabula sortita est. Similitudo vero Dei in nomine refertur ad opus justitiæ, dicente Domino in Lege, *Sancti estote, quia ego sanctus sum Deus vester* (*Levit.* XIX, 2). De qua sanctitate beatus Paulus apostolus informans nos ait, *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV, 23). Et iterum ipse, *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* XI, 1). Et beatus Joannes exhortans ait, *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ille ambulare* (I *Joan.* II, 6). Et Veritas in Evangelio, *Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est* (*Luc.* VI, 36). Sicut enim imago Dei ad naturam pertinet animæ, ita et similitudo refertur ad opus justitiæ.

[1] Sic Ms. Victorinus. At editi, *substantia*.

[1] Ms. Victorinus et Vaticanus, *et de oculis cordis speculatur*.

[2] Ms. Vaticanus et Victorinus, *aliquando anima*.

[3] Ms. Victorinus, *diversos affectus*.

DE UNITATE
SANCTÆ TRINITATIS
DIALOGUS [a].

Cum me pervigil fidei cura fecisset exsomnem, his me interrogationibus percontavi, et tali studio scholæ nostræ lumen accendi. Judicet vero lector, an utile sibi hoc sit; mihi tamen, si neglexerit, nihil subtrahit. INTERROGATIO. Pater, inquiunt, Deus est? RESPONSIO. Nec profanus ignorat. INT. Filius Deus est? RESP. Apostolus testis est. INT. Quid enim ait? RESP. *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem qui est super omnes Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). INT. Quid de Spiritu sancto autumaris? RESP. Magna mihi brevitas docendi quod Deus sit, suffragatur. INT. Quæ illa sit, aveo scire. RESP. Quod ex Patre procedat : probem solum, quod et peccata dimittat. INT. Ubi istud legis? RESP. In Joanne, cum insufflavit Dominus in faciem discipulorum, et ait : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remissa erunt; et quorum detinueritis, detenta sunt* (*Joan.* XX, 22, 23). INT. Nihil fortius. RESP. Alia multa nescis? INT. Quæ? RESP. Quod Christum creat in viscere, quod super Christum venit in flumine, quod vivificat omnia, quod Baptismum consecrat, quod Christum dirigit, quod replet orbem, quod Trinitati contaxatur, quod novit, capit et regit omnia, nec solum terrestria, sed et cœlestia, quod Apostolos eligit ac destinat, quod dona sua et prophetias quibus velit impertiat : et plura quæ in Scripturis sanctis posita, ad momentum non occurrunt. Et si istis non tangeris, mihi tamen solum quod de Patre est, ad documentum deitatis ipsius sufficisset. Sunt et sententiæ singulares, hujus scilicet veritatis astipulatrices, ut illæ Pauli : *Divisiones ministeriorum sunt, idem ipse Dominus; et divisiones operationum sunt, ipse autem Deus, qui operatur omnia in omnibus* (I *Cor.* XII, 5). Et inter cætera Petri : *In veritate*, inquit, *scio, quia non est Deus personarum acceptor.* Cum cogitanti et hæsitanti de visu, Spiritus sanctus dixerit, *Surge, et vade cum illis nihil dubitans; ego misi illos ad te* (*Act.* X, 20, 34). Nam David sæpenumero eum nuncupat *Spiritum rectum* in quinquagesimo psalmo. Dominum Deum appellat in nonagesimo primo : *Quoniam rectus est*, inquit, *Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo*; et, *Dominus super aquas multas*, in psalmo vigesimo octavo prodit, quibus in exordio suo Genesis Spiritum Dei superferri depromit (*Gen.* I, 2). Licet illud manifeste noverim, nunquam annumerari Spiritum sanctum Patri, vel etiam Filio potuisse, cum dictum sit, *Ite, baptizate gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19) : nisi socia deitate regnaret. INT. Quid ergo? tres Dei sunt? RESP. Absit : *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli.* INT. An duo sunt? RESP. Nequaquam, quia nemo potest duobus dominis servire (*Id.* VI, 24). INT. Unusne

(*a*) Ignoti auctoris, sed antiquissimi. Non exstat in codicibus annorum octingentorum, duobus videlicet Remigianis, quorum alter titulum sine Augustini nomine hunc ipsum præmittit, « Incipit libellus seu dialogus de Unitate sanctæ Trinitatis; » alter autem dialogum Augustino tribuit hacce inscriptione, « Incipit Tractatus sancti Augustini episcopi a semetipso « ad semetipsum : » falso quidem, uti satis ex dicendi ratione liquet, tametsi iste ipse codex ante annos circiter octingentos scriptus putetur, et ad antiquius aliud exemplar exaratus, quemadmodum ostendit scriptura hæc in dialogi fine calamo prorsus eodem facta, scilicet post verbum, « nanciscantur, » continuo in ipsa linea sequitur, « Contuli, ut potui, cum omni solertia : qui legis, ora pro me. »

probari licet? Resp. Nullus Deus nisi unus. Int. Istud lego : sed qualiter id de tota Trinitate verum sit, nosse volo. Resp. Scies, si mentem dictis infigas : Pater enim est nomen appellativum, Filius est nomen appellativum, ita quoque Spiritus sanctus appellativum et naturale nomen est. Licet Pater ad Filium et Filius ad Patrem dicatur, relativa hæc nomina nuncupentur. Deus autem nomen est proprium Patri et Filio et Spiritui sancto : sicut scribitur in Psalmo, *Secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ* (*Psal.* XLVII, 11). Ergo appellativa nomina Pater et Filius, et Spiritus sanctus; proprium vero, Deus, Deus, Deus. Int. Ergo tres dii sunt? Resp. Rogo, recole denuo aliud : *Audi, Israel ; Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4). Videsne, quæso, in hoc dicto regalem [1] quamdam altitudinem sensus? Int. Expone breviter, audiam. Resp. *Dominus*, inquit, *Deus tuus, Dominus unus est.* Ni fallor, hic trinam taxationem Dei univit : *Dominus*, inquit, et *Deus tuus*, et *Dominus*. Habes quid Pater, quid Filius, quid Spiritus sanctus sit. Et mox intulit, *Unus est.* O lumen unitatis clarum! Int. Ubi est ergo Trinitas? Resp. In gignente, genito, et procedente; id est, in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, in appellativis videlicet vel relativis nominibus. Int. Quid, in propriis nominibus, id est Deus, et Deus, et Deus, triplicatio non admittitur? Resp. Non. Int. Quare? Resp. Quia unus est, propria vocabula non triplicantur. Int. Ergo in relativis nominibus Trinitas accipitur. Resp. Ita est. Int. In quibus? Resp. In personarum videlicet et nominum discretione, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Denique ipse Christus non ait, *Ite, baptizate gentes* in nomine deorum ; sed, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, ut Trinitatem doceret in relativis personarum nominibus, Dei autem nomen, quod non triplicatur, in singularitate monstraret. Int. Non ergo discurrunt propria cum appellativis? Resp. Discurrunt. Int. Ergo et connumerantur? Resp. Absit : quia si triplicaverimus, deorum inducimus pluralitatem. Int. Ergo non est Pater Deus? Resp. Deus est plane. Int. Ergo Filius non est Deus? Resp. Deus est omnino. Int. Ergo Spiritus sanctus non est Deus? Resp. Deus est absque ambiguo. Int. Vides ergo tres, audes dicere Deos? Sed, ut video, in relativis creditur vocabulis Trinitas. Resp. Et in naturalibus plane et personis, et nominibus relativis. Int. Quare Deus, et Deus, et Deus? Resp. Naturalia nomina sunt. Naturale est singulis Deus, sed proprium nomen. Non enim possumus dicere tres deos, sed dicimus Trinitatem in relativis naturæ vocabulis, et personis, id est, in Patre et Filio et Spiritu sancto. Dicimus autem unitatem in Deo, et Deo, et Deo. Int. Non ergo dicitis tres personas? Resp. Dicimus. Int. Et in singulis personis Deum, et Deum, et Deum esse creditis? Resp. Hoc sine palpatione credere manifestum est. Int. Ergo sicut dicitis tres personas, dicitis et tres Deos? Resp. Absit. Int. Quare? Resp. Quia in personis est distinctio, in deitate autem non est. Int. Quæ est ista distinctio? Resp. Quia Pater Pater est, Filius Filius est, Spiritus sanctus Spiritus sanctus est. Int. Per diversitatem te asseris colere Trinitatem? Resp. Personarum et nominum, non naturæ, quia una est. Int. Certe jamdudum et hæc nomina naturalia esse dixisti, et appellativa, et quæ sunt propria repete [2]? Resp. Deus, et Deus, et Deus, hæc ergo triplicata distantiam non faciunt [3]. Int. Cum appellativis ergo naturalibus, propria non triplicantur. Resp. Nullo modo. Int. Non ergo sibi conjunguntur, Pater et Deus, aut Filius et Deus, aut Spiritus sanctus et Deus. Resp. Conjunguntur plane; et idem Pater Deus est, et idem Filius Deus est, et idem Spiritus sanctus deitati suæ absque dubio copulatur. Int. Triplicabitur deitas. Resp. Sacrilegii noxa est [1] : quia sub Deo est numerus, non inter Deum. Int. Ergo nec Pater appellatur Deus, nec Filius, nec Spiritus sanctus. Resp. Et sic docemur, et ita credimus, ut nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum sua deitate privemus. Int. Quasi vero non id facis, cum dicis, Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, quos simul alter Deos esse concludit. Resp. Itane hoc humanæ aures audiant, ac non sputis omnes inlinient? Verumtamen in vocabulis appellativis, id est in personis Trinitatem accipio, deitatem autem nullo modo triplicari posse confido [2] ; quia varietatem et discretionem in natura non invenio. Int. Quot ergo nomina credis? Resp. Relativa in personis tria. Int. Propria quot? Resp. Jam te sæpius sustinui, pluraliter de proprio nomine conquirentem, sed proprium deitatis unum est nomen. Int. Abstulisti grandem macheriam [3], sed aveo dicas, hoc nomen naturale est? Resp. Utique. Int. Et relativa quæ appellativa taxas, naturalia sunt? Resp. Etiam, sed per efficientiam generationis et processionis, non per proprietatem indivisæ deitatis. Int. Ergo Filius nisi Filius Dei esset Deus, esse non posset? Resp. Quid dubitas? Int. Quia ergo Dei Filius, ideo Deus. Resp. Assentio. Int. Et nisi esset efficientia generationis quæ conferret nomen appellativum in Filium, nec haberet nomen proprium deitatis, et non esset Deus. Resp. Utique ex generatione Filius et vere Filii Dei proprium nomen Deus : quod non postea ubi non erat antea, sed cum generaretur ab intemporali intemporaliter sumpsit. Int. Quid Spiritus sanctus? Resp. Ipse quoque nisi de Patre procederet et substantiam ejus haberet, Deus non esset. Int. Ergo processio ei contulit deitatem? Resp. In Spiritu sancto et nomen est et natura, sed quia de Patre processit, ideo nomen proprium deitatis obtinuit. Neque enim aliud de Patre procedere potuit, quam quod ipse est, nec tamen aut effetatus est, aut divisus. Vocabulum ergo appellativum naturale et personale Spiritus sanctus; proprium vero, Deus. Int. Nomen istud quod dicis proprium, quam continet rationem, ut in tribus personis currat unum idemque, nec tamen triplicetur? Sicut verbo tenus plures taxare possumus, Statius, aut Salustius, aut Horatius. Resp. Enubilem ratione quam valeo, si intentus adsis. Int. Adsum. Resp. Paulum legimus de Christo dicentem, quod ipse sit pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes* II, 14). Sed hoc invictissimæ causæ nostræ suffragium ad id valeat, quo facilius credatur, ideo Christum sub nomine pacis esse taxatum, quia nec discindi, nec distrahi potest, nec ullo modo duplicari. Jam vero qui fecit utraque unum, multo magis ipse cum Patre et Spiritu sancto unum est ; non est autem unum, si sit divisus. Ergo et unum cum Patre et Spiritu sancto est, et unus; quia alios conjungit, divisionem penitus non admittit. Int. Accipio istud firmissimum contra rebelles telum ; sed quo ista propositio excurrat, nosse desidero. Resp. *Pax* sit Deus, ut volumus, et nos prospero cursu ducat. Int. Ita est, nunc perge. Resp. Hæc igitur ipsa *Pax* quia litteris scribitur tribus, recipitne pluralem numerum? Int. Non. Resp. Æstima ergo *P* Patrem dici, *A* Filium nuncupari, et hoc sine ratione subtilissima ne dictum putes. *A* enim principium litterarum est, nec ante se ullum habere cognoscitur elementum, ut probatum habeas ante Filium nihil esse. Neque vere id absque divini testimonii documento relinquam : ipse enim se principium esse Judæis interrogantibus indicavit (*Joan.* VIII, 25). Hanc ergo litteram nulla alia præcedit : et quia omnis littera habet tempus ; ergo et tempus defuit. Verumtamen ipsa hæc syllaba et longa est, et prima est : sed quod longa est, æternitatem Filii Dei, non temporalitatem, insinuat. Quod syllaba, quia Pater in Filio et Filius in Patre est, et hoc unum est. Quod vero

[1] Mss., *regale.*
[2] Alias, *reperi.*
[3] Mss., *distantiam nominum faciunt.*

[1] Alias, *nota est.*
[2] Alias, *concedo.*
[3] Remigianus alter Ms., *macæriam.*

prima est, quia Filius secundus non est. Namque et in Apocalypsi Joannes proprie ipsam litteram ponens ait, *Ego sum α et ω, primus et novissimus, initium et finis* (*Apoc.* I, 8). Sed ideo novissimum accipe, quia dignatus est in fine temporum humiliter nasci et mori, et judicium novissimum ipse suscipere. *X* autem tertia est in fine littera, ubi intelligas Spiritum sanctum non ad finem tendere, sed in superna semper majestate procedere. Ideoque et Paulus apostolus, *Quæ sursum sunt sapite*, ait (*Coloss.* III, 2) : ut sursum corda habeamus ad Deum ; et utique *Dominus Spiritus est. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III, 17). Non itaque dubito, quod in hujus excellentissimam gloriam Apostolus invitans ita loqueretur : *Unum autem quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, sequor secundum intentionem ad palmam supernæ vocationis Dei* (*Philipp.* III, 13, 14). Ut fiat igitur *Pax* ad *P* conjungitur *A*, vocalis scilicet littera, ne *P* muta remaneat : quia Deus Pater voci et Verbo suo semper annectitur. Sed ut *Pax* sit, additur *X* quæ duplex ponitur pro consonantibus littera, ut et hic consonantiam atque participium Spiritus sancti cum Patre et Filio videas, collegiumque [1] ejus in superna et perfecta Trinitate cognoscas. Discrepant a se hæ litteræ appellationibus et personis, quia illud *P*, hoc *A*, istud *X* nuncupatur et scribitur : sed tamen ut sit *Pax*, sibi eæ litteræ invicem connectuntur. *P* autem littera est substantialiter, et *A* littera est substantialiter, et *X* littera est substantialiter ; sicut et Pater Deus est naturaliter, et Filius Deus est naturaliter, et Spiritus sanctus Deus est naturaliter. Illa autem discrepatio characterum, discrepationem facit appellationum et personarum non naturæ, quia totum littera est. Sicut in his tribus litteris diversis appellationibus vocitatis *Pax* scribitur, quæ plurali numero non tenetur : ita quoque appellatio Patris et Filii et Spiritus sancti documentum est Trinitatis ; sed quemadmodum *Pax*, ita Deus singularem obtinet numerum deitatis. In hac igitur copulatione litterarum trium divisio non admittitur, ut *Pax* impleatur. Si enim vel unam subtraxeris, nec Trinitas, nec *Pax* erit. INT. Repete, quæso, ista lucidius. RESP. Adverte animum. Et *P*, inquam, littera est, et *A* littera est, et *X* littera est ; sicut et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus : sed diversæ sunt appellationes et personæ, licet incorporalis Patris et Filii et Spiritus sancti. Verumtamen quid est, *P* et *A* et *X* ? *Pax* scilicet, quæ pluralem in se numerum non admittit. O stultitia incredulorum, quæ ante oculos suos posita non attendit ! Nam ideo, ut existimo, hæc impius minime intelligit, quia in simplicitate cordis Deum non quærit. INT. Verum est, verum est omnino quod dicis. Nam quid isto exemplo propinquius ? Quid ista ratione clarius invenitur ? RESP. Sed repeto ista tibi, et vero libentius demonstrabo. Igitur ut tribus personis, et vocabulis diversis harum litterarum fit *Pax* ; sed hoc ad concordiam et societatem personarum accipe : ostendit quoque ut et illa littera, et hæc littera, et ista littera sit, sed *Pax* singularis sit. Hic ergo in Deo et Deo et Deo unum Deum demonstratum aspice. Quamvis enim aliud nomen, et aliam personam habeat *P*, aliud nomen et aliam personam habeat *A*, aliud nomen et aliam personam habeat *X* ; sicut aliud nomen et aliam personam habet Pater, et aliud nomen et aliam personam habet Filius, et aliud nomen et aliam personam habet Spiritus sanctus : tamen et ista littera, et hæc littera, et illa littera dicitur ; sicut et iste Deus, et hic Deus, et ille Deus absque ambiguo creditur, sed unus Deus agnoscitur, quia *Pax* plurali numero non tenetur. Nisi si quid habes ad hæc. INT. Ego ne quidem alios hinc hæsitare vellem, ita mihi hujus manifestationis lumen effulsit. Sed magis est, ut intelligo, ista deliciosius [2] credere, neque hinc ullo modo palpitare ; ut quod homines carnalibus cæcati curis videre non possunt, saltem fidei compendio nanciscantur.

[1] In Mss., *colligiumque*.

[2] Mss., *delicatius*.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Liquet non esse Augustini, tametsi in codicibus bene multis ipsi ascribatur, et ipsius nomine citetur a Magistro Sententiarum, lib. 2, dist. 35, cap. *Quocirca* ; lib. 3, dist. 1, cap. *Diligenter* ; et lib. 4, dist. 12, cap. *Institutum*. Trithemius Alcuino assignat in lib. de Scriptoribus Eccles. et in lib. 2 de Viris illustr. ord. S. B., cap. 26. Eidem Joannes Baleus, Centuria 2 Scriptorum Britanniæ. Patero episcopo Gratianus, de Consecrat. dist. 2, cap. 13. Gennadio Algerus, lib. 1 de Corpore et Sanguine Domini, cap. 22 ; et S. Thomas, quodlib. 12, art. 11, et in Catena ad primum caput Matthæi : ipse quoque Magister Sent. in lib. 2, dist. 8, editionis Lovaniensis ; et alii plures, quibus manuscripti quidam suffragantur : inter eos unus e Colbertinis optimæ notæ in fronte libri habet : *Incipit liber Ecclesiasticorum Dogmatum Gennadii* ; et in fine, *Explicit definitio Ecclesiasticorum Dogmatum Gennadii*. Ratramnus Corbeiensis monachus, in lib. 3 contra opposita Græcorum, cap. 5 : *Gennadius*, ait, *Constantinopolitanus episcopus vir multa lectione antiquorum peritus, in libro Ecclesiasticorum Dogmatum de Spiritus sancti processione sic loquitur*. Græcum sane scriptorem redolent verba nonnulla ; exempli gratia, quæ cap. 14 leguntur, *et aliqui Latinorum præsumptores affirmant*. Attamen Gennadii Massiliensis nomine ab aliis laudatur, scilicet a Platina in Symmacho, ubi episcopum eum perperam appellat, a Valafrido Strabone in lib. de Rebus Ecclesiasticis, cap. 20, in hæc verba : *Gennadius Massiliensis presbyter in Dogmate Ecclesiastico*, etc. Fausto tribuit codex Padolironensis haecce inscriptione : *Incipiunt definitiones Dogmatum Ecclesiasticorum Fausti episcopi Ecclesiæ Maxiliensis* ; ex Itinere Italico litterario ad 24 maii 1686, pag. 208. In antiquissimo omnium codice Colbertino ante annos fere nongentos scripto, exstat sine auctoris nomine sub hocce titulo : *Incipit dogma sanctorum Patrum trecentorum et octo episcoporum congregatis* (f. *congregatorum*) *apud Niceam*. Tum capiti primo hæc præfiguntur : *In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitas æqualitasque substantiæ ; et hæc tria unum propter Patrem, æqualia propter Filium, connexa propter Spiritum sanctum. Credimus unum esse Deum Patrem*, et cætera deinceps, ut in aliis Mss., nisi quod in eo et melior est capitulorum ordo, collocatis continenter omnibus quæ spectant ad Baptisma,

ad Eucharistiam et Pœnitentiam ; et auctior est liber, addito ibidem capitulo de Baptismate et capitulo de Pœnitentia, præter alia quædam de aliis rebus in libri fine. Porro post caput 21, ea quæ in editis sequebantur usque ad cap. de Baptismate nunc 22, absunt ab omnibus manuscriptis, fuerantque contra superiorum capitulorum errores quosdam huc translata ex Cœlestini epistola ad Galliæ episcopos, ex Concilio Carthaginensi contra Pelagianos, et ex Arausicano secundo, quæ omnia sinceriora in fine tomi decimi habes. Hæc itaque capitula numero triginta, necnon alia tria ante caput nunc 30 contra manuscriptorum fidem interjecta sustulimus. Sed veteres codices non omnes ad cap. nostrum 55 desinunt, additurque alia et alia in diversis codicibus capitula.

Juvat hic demum annectere Lovaniensium Theologorum censuram. *Liber hic*, inquiunt, *non est catholici scriptoris, sed Gennadii Massiliensis in Gallia presbyteri..... de factione Gallorum, contra quam scribunt Prosper et Hilarius Augustino, et contra quam congregatum fuit concilium Arausicanum secundum. Porro, ut sæpius in catalogo Virorum illustrium graves habet errores ; sic et in his Dogmatibus Ecclesiasticis quædam habet a lectore caveuda. Sane hic auctor nusquam in hoc libro meminit peccati originalis, aut baptismatis infantium in remissionem peccatorum : cumque multos nominet hæreticos, nusquam meminit Pelagii aut catholici dogmatis contra eum prolati ; sed contra, diligenter inculcat animas non esse ex traduce, eo quod sciret Pelagium inde suum dogma statuere.*

DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS

LIBER GENNADIO TRIBUTUS.

CAPUT PRIMUM. — Credimus unum esse Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Patrem, eo quod Filium habeat : Filium, eo quod Patrem habeat : Spiritum sanctum, eo quod sit ex Patre et Filio [1]. Pater ergo principium deitatis : qui sicut nunquam fuit non Deus, ita nunquam fuit non Pater : a quo Filius natus : a quo Spiritus sanctus non natus, quia non est Filius ; neque ingenitus, quia non est Pater ; neque factus, quia non est ex nihilo, sed ex Deo Patre et Deo Filio Deus procedens. Pater æternus, eo quod æternum habeat Filium, cujus æternus sit Pater : Filius æternus, eo quod sit Patri coæternus : Spiritus sanctus æternus, eo quod sit Patri et Filio coæternus. Non confusa in una persona Trinitas, ut Sabellius dicit : neque separata aut divisa [2] in natura divinitas, ut Arius blasphemat : sed alter in persona Pater, alter in persona Filius, alter in persona Spiritus sanctus ; unus natura [3] in sancta Trinitate Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus.

CAPUT II. — Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed Filius tantum : ut qui erat in divinitate Dei [4] Filius, ipse fieret in homine hominis filius : ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset nativitate Filius Dei [5]. Ergo Dei Filius hominis factus est filius, natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, et secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius : ut veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet, et esset verus Deus et verus homo unus Filius. Non ergo duos christos, neque duos filios [6], sed Deum et hominem unum Filium ; quem propterea et unigenitum dicimus, manentem in duabus substantiis, sicut ei naturæ veritas contulit, non confusis naturis, neque immixtis, sicut Timotheani volunt, sed societate unitis. Deus ergo hominem assumpsit, homo in Deum transivit ; non naturæ versibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt, sed Dei dignatione : ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam assumendo hominem, nec homo in divinam glorificatus in Deum : quia mutatio vel versibilitas naturæ et diminutionem et abolitionem substantiæ facit [1]. Natus est ergo Dei Filius ex homine, non per hominem, id est, non ex viri coitu, sicut Ebion dicit : sed carnem ex Virginis corpore trahens, et non de cœlo secum afferens, sicut Marcion, Origenes et Eutyches affirmant [2]. Neque in phantasia, id est, absque carne, sicut Valentinus : neque δοκήσει (*a*), id est, neque putative imaginatum ; sed corpus verum ; non tantum carnem ex carne, sicut Marcianus ; sed verus Deus ex divinitate, et verus homo ex carne, unus Filius : in divinitate Verbum Patris et Deus, in homine anima et caro. Anima non absque se. su et ratione, ut Apollinaris ; neque caro absque anima, ut Eunomius : sed anima cum ratione sua, et caro cum sensibus suis, per quos sensus veros in passione et ante passionem suæ carnis dolores sustinuit.

CAPUT III. — Neque sic est natus ex Virgine, ut et deitatis initium homo nascendo acceperit, quasi antequam nasceretur ex Virgine Deus non fuerit, sicut Artemon et Berillus et Marcellus docuerunt : sed æternus Deus, et homo ex Virgine natus est.

CAPUT IV. — (*b*) Nihil creatum aut serviens in Trinitate credendum, ut vult Dionysius fons Arii : nihil inæquale, ut Eunomius : nihil æquale [3] gratia, ut vult Aetius : nihil anterius posteriusve aut minus, ut Arius : nihil extraneum aut officiale alteri, ut Macedonius : nihil pervasione [4] aut surreptione insertum, ut Manichæus : nihil corporeum, ut Melito et Tertullianus : nihil corporaliter effigiatum, ut Anthropomorphus [5] et Vadianus : nihil sibi invisibile [6] ut Origenes : nihil creaturis visibile, ut Fortunatus : nihil moribus vel voluntate diversum, ut Marcion : nihil ex Trinitatis essentia ad creaturarum naturam deductum, ut Plato et Tertullianus : nihil officio singulare nec alteri communicabile, ut Origenes : nihil confusum, ut Sabellius : sed totum perfectum ; quia

[1] Editi hic addunt, *procedens, Patri et Filio coæternus ;* quod abest a Mss.
[2] Aliquot Mss., *diversa.*
[3] Mss., *in natura.*
[4] Editi addunt, *Patris.*
[5] Editi, *æterna nativitate Filius ;* omisso, *Dei.*
[6] Editi addunt, *fatemur.*

[1] Hic editi inserunt : *Creditur a nobis sine confusione conjuncta sancta Trinitas, sine separatione distincta.* Abest a Mss.
[2] Plures Mss., *sicut Marcion, Origenes, eorumque sectatores.*
[3] Sic Mss. At editi, *inæquale.*
[4] Alias, *versuasione.*
[5] Forte, *Anthropomorphitæ.*
[6] Editi addunt, *a creatu is.*
(*a*) Vid. Cyrill. catech. 4.
(*b*) Nicet. in Nazianz. de S. Bapt.

totum ex uno et unum [1] : non tamen solitarium, ut præsumunt Praxeas et Sylvanus, Pentapolitana damnabilis illa doctrina.

CAPUT V. — Homousios ergo, id est, coessentialis in divinitate Patri Filius, homousios Patri et Filio Spiritus sanctus, homousios Deo et homini unus Filius, manens Deus in homine suo in gloria Patris, desiderabilis videri ab Angelis : sicut Pater et Spiritus sanctus adoratur ab Angelis et ab omni creatura : non homo præter Deum [2], vel Christus cum Deo, sicut blasphemat Nestorius; sed homo in Deo, et Deus in homine.

CAPUT VI. — Erit resurrectio mortuorum omnium, sed una et insimul et semel : non prima justorum, et secunda peccatorum, ut fabula est somniatorum [3]; sed una omnium. Et si id resurgere dicitur quod cadit, caro ergo nostra in veritate resurget, sicut in veritate cadit. Et non secundum Origenem immutatio corporum erit, id est, aliud novum corpus pro carne : sed eadem caro corruptibilis quæ cadit, tam justorum quam injustorum, incorruptibilis resurget, quæ vel pœnam sufferre possit pro peccatis, vel in gloria æterna manere pro meritis.

CAPUT VII. — Omnium hominum erit resurrectio : si omnium erit, ergo omnes moriuntur, ut mors ab Adam ducta omnibus filiis ejus dominetur, et maneat illud privilegium in Domino, quod de eo specialiter dicitur : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* xv, 10). Ejus enim caro non vidit corruptionem. Hanc rationem maxima Patrum turba tradente suscepimus. Verum quia sunt et alii æque catholici et eruditi viri, qui credunt, anima in corpore manente mutandos ad incorruptionem et immortalitatem eos, qui in adventu Domini vivi inveniendi sunt, et hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem [4] immutatione deponant, non morte : quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi ex contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in Ecclesiæ lege carnis resurrectionem credere futuram de morte.

CAPUT VIII. — Quod autem dicimus in Symbolo, in adventu Domini vivos ac mortuos judicandos, non solum justos et peccatores significari, sicut Diodorus putat, sed et vivos eos qui in carne inveniendi sunt credimus, qui adhuc morituri creduntur; vel immutandi sunt, ut alii volunt, ut suscitati continuo vel reformati cum ante mortuis judicentur.

CAPUT IX. — Post resurrectionem et judicium non credamus restitutionem futuram, quam Origenes delirat; ut dæmones vel impii homines post tormenta quasi suppliciis expurgati, vel illi in angelicam qua creati sunt, redeant dignitatem, vel isti [5] justorum societate donentur; eo quod hoc divinæ conveniat pietati, ne quid ex rationalibus pereat creaturis, sed quolibet modo salvetur. Sed nos credamus ipsi judici omnium et retributori justo, qui dixit, *Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* xxv, 46), ut percipiant fructum operum suorum.

CAPUT X. — In principio creavit Deus cœlum et terram et aquam ex nihilo. Et cum adhuc tenebræ ipsam aquam occultarent, et aquam terra absconderet facti sunt Angeli et omnes cœlestes Virtutes, ut non esset otiosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spatia bonitatem suam ostenderet : et ita hic visibilis mundus ex his quæ creata fuerant factus est et ornatus.

CAPUT XI. — Nihil incorporeum et invisibile natura credendum, nisi solum Deum, id est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Qui ex eo incorporeus creditur, quia ubique est, et omnia implet atque constringit; et ideo invisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est.

CAPUT XII. — Creatura omnis corporea est : Angeli et omnes cœlestes Virtutes corporeæ [1], licet non carne subsistant. Ex eo autem corporeas esse credimus intellectuales naturas, quod localitate circumscribuntur; sicut et anima humana quæ carne clauditur, et dæmones qui per substantiam angelicæ naturæ sunt.

CAPUT XIII. — Immortales esse credimus intellectuales naturas, quia carne carent, nec habent quo cadant ut resurrectione egeant post ruinam.

CAPUT XIV. — Animas hominum non esse ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec simul creatas, sicut Origenes fingit : neque cum corporibus per coitum seminatas, sicut Luciferiani, et Cyrillus, et aliqui Latinorum præsumptores affirmant, quasi naturæ consequentiam servantes [2]. Sed dicimus creationem animæ solum Creatorem omnium nosse, et corpus tantum per conjugii copulum seminari, Dei vero judicio coagulari in vulva et compingi atque formari, ac formato jam corpore animam creari et infundi, ut vivat in utero homo ex anima constans et corpore, et egrediatur vivus ex utero plenus humana substantia.

CAPUT XV. — Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Jacobus et alii Syrorum scribunt, unam animalem qua animetur corpus et immixta sit sanguini, et alteram spiritualem quæ rationem ministret : sed dicimus unam esse eamdemque animam in homine, quæ et corpus sua societate vivificet, et semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in suæ substantiæ [3] eligat cogitationes quod vult.

CAPUT XVI. — Solum hominem credimus habere animam substantivam, quæ exuta corpore vivit, et sensus suos atque ingenia vivaciter tenet. Neque cum corpore moritur, sicut Aratus [4] asserit : neque post modicum intervallum, sicut Zenon dicit; quia substantialiter vivit.

CAPUT XVII. — Animalium vero animæ non sunt substantivæ [5], sed cum carne ipsa carnis vivacitate nascuntur, et cum carnis morte finiuntur : et ideo nec ratione reguntur, sicut Plato et Alexander putant, sed ad omnia naturæ incitamento ducuntur.

CAPUT XVIII. — Anima humana non cum carne moritur, quia non cum carne, ut superius diximus, seminatur; sed formato in ventre matris corpore, Dei judicio creatur et infunditur, ut vivat homo intus in utero, et sic procedat nativitate in mundum.

CAPUT XIX. — Duabus substantiis tantum constat homo, anima et carne; anima cum ratione sua, et carne cum sensibus suis. Quos tamen sensus absque animæ societate non movet caro. Anima vero et sine carne rationale suum tenet.

CAPUT XX. — Non est tertius in substantia hominis spiritus; sicut Didymus contendit : sed spiritus ipsa est anima, pro spirituali natura, vel pro eo quod spiret in corpore spiritus appellatus. Anima vero ex eo vocatur, quod ad vivendum vel ad vivificandum animet corpus. Tertium vero qui ab Apostolo cum anima et corpore inducitur, spiritum gratiam sancti Spiritus esse intelligamus, quam orat Apostolus ut integra perseveret in nobis, ne nostro vitio aut minuatur aut fugetur a nobis (1 *Thess.* v, 23); quia *Spiritus sanctus effugiet fictum* (*Sap.* i, 5).

CAPUT XXI. — Libertati arbitrii sui commissus est homo statim in prima conditione, ut sola vigilantia mentis annitente, etiam in præcepti custodia perseveraret, si vellet in eo quod creatus fuerat perma-

[1] Editi addunt, *ex toto*.
[2] Editi, *non homo factus præter Deum*. Quidam Mss., *non homo factus propter Deum*. Et nonnulli postea, *vel Christus sine Deo*.
[3] Mss., *ut fabula somniatur*.
[4] Hic Mss. quidam addunt, *præsentis vitæ*.
[5] Juniores Mss., *injusti*.

[1] Mss. aliquot, *corpore*.
[2] Mss. sex, *consequentia servientes*. Alii tres, *consequentiæ serviente*.
[3] Mss. omnes, *in sua substantia*.
[4] Mss. omnes, *Arab.*
[5] Mss. aliquot, *sub tantiæ*. Alii, *substantes*.

nere. Postquam vero seductione serpentis per Evam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter et vigorem arbitrii : non tamen electionem, ne non esset suum quod emendaret [1] peccatum, nec merito indulgeretur quod non arbitrio diluisset. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrii libertas [2], id est rationalis voluntas, sed admonente prius Deo et invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei. Ut autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse libere confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus; ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est; ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris : ut non labamur ab indepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est et cœlestis pariter adjutorii; ut labamur, potestatis nostræ est et ignaviæ.

CAPUT XXII (alias 52). — Baptisma unum est, sed in Ecclesia, ubi una fides est, ubi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti datur. Et ideo si qui apud illos hæreticos baptizati sunt qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, et veniunt ad nos; recipiantur quidem quasi baptizati, ne sanctæ Trinitatis invocatio vel confessio annuletur : sed doceantur ante et instruantur, quo sensu sanctæ Trinitatis mysterium in Ecclesia teneatur : et si consentiunt credere, vel acquiescunt confiteri, purgati jam fidei integritate confirmentur manus impositione. Si vero parvuli sunt vel hebetes qui doctrinam non capiant; respondeant pro illis qui eos offerunt juxta morem baptizandi : et sic manus impositione et chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur. Illos autem qui non in sanctæ Trinitatis invocatione apud hæreticos baptizati sunt, et veniunt ad nos, baptizari debere pronuntiamus, non rebaptizari. Neque enim credendum est eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti juxta regulam a Domino positam tincti sunt : ut sunt Paulianistæ [3], Procliani, Borboritæ, Siphori, qui nunc vocantur Bonosiani, Photiniani, Montanitæ et Manichæi, varia impietatis germina : vel cæteræ istorum originis sive ordinis pestes, quæ duo principia sibi ignota introducunt, ut Cerdon et Marcion; vel contraria, ut Manichæus; vel tria et barbara, ut Setianus et Theodosius [4]; vel multa, ut Valentinus; vel Christum hominem fuisse absque Deo, ut Cerinthus, Ebion, Artemon et Photinus. Ex istis, inquam, si qui ad nos venerint, non requirendum ab eis utrum baptizati sint, an non; sed hoc tantum, si credant in Ecclesiæ fidem, et baptizentur ecclesiastico Baptismate.

CAPUT XXIII (al. 53). — Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo nec vitupero. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit [5]. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione quam purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, et communicaturus satisfaciat lacrymis et orationibus, et confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo dico quem capitalia et mortalia peccata non gravant : nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, et ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere. Sed et secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus; sed mutato prius sæculari habitu, et confesso religionis studio per vitæ correctionem, et jugi, imo perpetuo luctu miserante Deo, ita duntaxat, ut contraria pro iis quæ pœnitet agat, et Eucharistiam omnibus dominicis diebus supplex et submissus usque ad mortem percipiat.

CAPUT XXIV (al. 54). — Pœnitentia vera est, pœnitenda non admittere, et admissa deflere. Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere.

CAPUT XXV (al. 55). — In divinis repromissionibus nihil terrenum vel transitorium exspectemus, sicut Meletiani sperant. Non nuptiarum copulam, sicut Cerinthus et Marcion delirant [6]. Non quod ad cibum vel ad potum pertinet, sicut Papia auctore (*a*), Irenæus, Tertullianus et Lactantius acquiescunt. Neque per mille annos post resurrectionem regnum Christi in terra futurum, et sanctos cum illo in deliciis regnaturos speremus, sicut Nepos docuit, primam justorum resurrectionem, et secundam impiorum : et inter has duas mortuorum resurrectiones, gentes ignorantes Deum in angulis terrarum in carne reservandas : quæ post mille annos regni in terra justorum, instigante diabolo movendæ sint ad pugnam contra justos regnantes; et Domino pro justis pugnante imbre igneo compescendas : atque ita mortuas, cum cæteris in impietate ante mortuis ad æterna supplicia in incorruptibili carne resuscitandas.

CAPUT XXVI (al. 56). — Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire. Nullum invitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari. Nullum nisi orantem auxilium promereri. Nullum Dei voluntate perire, sed permissu, pro electione arbitrii, ne ingenuitas potestatis semel hominibus attributa ad servilem cogatur necessitatem.

CAPUT XXVII (al. 57). — Malum vel malitiam non esse a Deo creatam, sed a diabolo inventam, qui et ipse bonus a Deo creatus est. Sed quia libero arbitrio, utpote rationalis creatura, commissus est, et cogitandi acceperat facultatem, scientiam boni vertit ad malum : et multa cogitando factus est inventor mali : et quod in se perdiderat, invidit in aliis, nec contentus solus perire, suasit aliis, ut qui esset suæ malitiæ inventor, fieret et aliorum auctor : et ex eo malum vel malitia percurrit in cæteras rationales creaturas.

CAPUT XXVIII (al. 58). — Unde cognoscimus nihil esse natura immutabile, nisi solum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui mutari non potest a bono, quia natura possidet bonum, nec potest aliud quid esse quam bonum.

CAPUT XXIX (al. 59). — Angeli vero qui in illa qua creati sunt beatitudine perseverant, non natura possident bonum, ut non mutarentur cum cæteris, sed arbitrii servantes bonam voluntatem, et bonum conditionis, et fidem suo Domino servaverunt. Unde et merito ab ipso Domino sancti Angeli vocantur, quod tenuerint arbitrii sanctitatem, nec sociorum exemplo deviaverint a bono [7].

[1] Mss. *lures*. At editi, *eritque et*.

[2] Nonnulli codices sic prosequuntur : *Non tamen ad obtinendam sine illo qui quærentes facit invenire, qui pulsantibus aperit, qui petentibus donat. Sicut ergo initium Deo miserante et inspirante habere nos credimus, ita arbitrium naturæ nostræ sequax esse divinæ inspirationis libere confitemur. Igitur ut non labamur*, etc. Id vero ab homine catholico insertum putant propter latentem illic Pelagianorum errorem.

[3] Sic Mss. At editi, *Paulini*.

[4] Mss., *Theodotus*; vel, *Thendotus*.

[5] Sic Mss. At editi, *sine affectu peccandi sit*.

[6] Mss., *delectantur*.

[7] Ante editis tria isthæc capitula quæ a manuscriptis absunt, adjecta fuerant :

« Fides vera, quæ est catholica, omnium creaturarum « sive spiritualium sive corporalium bonam confitetur substantiam, et malum nullam esse naturam; quia Deus, qui « universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde et « diabolus bonus esset, si in eo quod factus est permaneret. Sed quia naturali excellentia male usus est, et in veritate non stetit; non in contrariam substantiam transiit, « sed a summo bono cui debuit adhærere discessit.

« Virtutes angelicæ quæ in divino amore fixæ perstiterunt lapsis superbientibus angelis, hoc munere remunerationis acceperunt, ut nulla jam rubigine subripienti

(*a*) Vide Hieronymum, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

CAPUT XXX (al. 63). — Bonæ sunt nuptiæ, sed causa filiorum et compescendæ fornicationis obtentu [1].

CAPUT XXXI (al. 64). — Melior est continentia; sed non sibi sufficit ad beatitudinem, si pro solo amore pudicitiæ retinetur, sed si et hoc cum affectu causa vacandi Domino eligitur: alioquin divortium magis conjugii videbitur esse, quam castitas.

CAPUT XXXII (al. 65). — Virginitas utroque bono præcelsior est, quia et naturam vincit et pugnam: naturam, corporis integritate; pugnam, pace castimoniæ.

CAPUT XXXIII (al. 66). — Bonum est in cibum cum gratiarum actione sumere quidquid Deus edendum præcepit. Abstinere autem ab aliquibus, non quasi malis, sed quasi non necessariis, non est malum. Moderari vero eorum usum [2] pro necessitate et tempore, proprie Christianorum est.

CAPUT XXXIV (al. 67). — Malas dicere nuptias, vel fornicationi comparandas aut stupro; cibos vero credere malos, vel mali causam percipientibus [3], non est Christianorum, sed proprie Encratitarum [4] et Manichæorum.

CAPUT XXXV (al. 68). — Sacratæ Deo virginitati nuptias coæquare, aut pro amore castigandi corporis abstinentibus a vino vel carnibus nihil credere meriti accrescere, nec hoc Christiani, sed Joviniani est.

CAPUT XXXVI (al. 69). — Integra fide credendum est, beatam Mariam Dei Christi matrem et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse. Nec est blasphemiæ Helvidii acquiescendum, qui dixit: Virgo ante partum, non virgo post partum.

CAPUT XXXVII (al. 70). — Elementa, id est, cœlum et terram non credimus abolenda per ignem, sed in melius commutanda: figuram quoque mundi, id est, imaginem, non substantiam transituram.

CAPUT XXXVIII (al. 71). — Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare. Melius est pro intentione sequendi Dominum semel donare [5], et absolutum sollicitudine cum Christo egere.

CAPUT XXXIX (al. 72). — Maritum duarum post Baptismum matronarum Clericum non ordinandum. Neque eum qui unam quidem, sed concubinam, non matronam habuit. Nec illum qui viduam, aut repudiatam, vel meretricem in matrimonio sumpsit. Neque eum qui semetipsum quolibet corporis sui membro indignatione aliqua vel justo injustove timore [6] superatus truncaverit. Neque illum qui usuras accepisse convincitur, aut in scena lusisse dignoscitur. Neque eum qui publica pœnitentia mortalia crimina deflet. Neque illum qui aliquando in furiam versus insanivit, vel afflatione diaboli vexatus est. Neque eum qui per ambitionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam offert.

CAPUT XL (al. 73). — Sanctorum corpora, et præcipue beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra sincerissime honoranda, et basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca divino cultui mancipata, affectu piissimo et devotione fidelissima adeundas credimus [7]. Si quis contra hanc sententiam venit, non Christianus, sed Eunomianus et Vigilantianus creditur.

« culpæ mordeantur: ut et in contemplatione Conditoris « sine felicitatis fine permaneant, et in hoc sic conditæ « æterna stabilitate subsistant.

« Tales creati sunt angeli: ut si vellent, in beatitudinis « luce persisterent; si autem vellent, etiam labi potuissent. « Unde et Satan cum sequentibus legionibus cecidit. Sed « post ejus lapsum ita confirmati sunt Angeli qui perstite- « runt, ut cadere omnino non possent; quia ne omnino jam « caderent, virtutem incommutabilitatis acceperunt. »

[1] Quidam Mss., *non concupiscentiæ et fornicationis obtentu.*

[2] Mss., *Moderari vero carnium usum.*

[3] Editi, *vel malitias causare percipientibus.*

[4] Editi, *Hieracitarum.*

[5] Editi, *insimul donare.*

[6] Colbertinus Ms., *justo injustove judicio.*

[7] Abest, *credimus*, a Mss.

CAPUT XLI (al. 74). — Baptizatis tantum iter esse salutis credimus. Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credamus, excepto martyrio, ubi tota Baptismi sacramenta complentur. Baptizandus confitetur fidem suam coram sacerdote, et interrogatus respondet: hoc et martyr coram persecutore facit, qui et confitetur fidem suam, et interrogatus respondet. Ille post confessionem, vel aspergitur aqua, vel intingitur: et hic vel aspergitur sanguine, vel contingitur igne [1]. Ille manus impositione pontificis accipit Spiritum sanctum: hic locutorium [2] efficitur Spiritus sancti, dum non est ipse qui loquitur, sed Spiritus Patris qui loquitur in illo. Ille communicat Eucharistiæ in commemoratione mortis Domini: hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur se mundi actibus renuntiaturum: hic ipsi renuntiat vitæ. Illi peccata omnia dimittuntur: in isto exstinguuntur.

CAPUT XLII (al. 75). — In Eucharistia non debet pura aqua offerri, ut quidam sobrietatis falluntur imagine; sed vinum cum aqua mixtum: quia et vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio, cum dixit, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* (*Matth.* XXVI, 29); et aqua mixtum, quod post cœnam dabatur. Sed et de latere ejus, quod lancea perfossum est, aqua cum sanguine egressa, vinum de vera ejus carnis vite cum aqua expressum ostendit.

CAPUT XLIII (al. 76). — Bona est caro nostra et valde bona, utpote a bono et a solo Deo condita; et non est mala, ut volunt Sethianus et Ophianus [3] et Patricianus: nec mali causa, ut docuit Florinus [4]: nec ex malo et bono compacta, ut Manichæus blasphemat. Sed cum sit creatione bona, arbitrio animæ efficitur nobis vel bona vel mala, non mutatione substantiæ, sed exsecutionis mercede [5]. Ipsa enim est quæ stabit ante tribunal Christi, in qua referat anima propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum.

CAPUT XLIV (al. 77). — In resurrectione ex mortuis sexus forma non mutabitur: sed vir mortuus resurget in forma viri, et femina in forma feminæ, carens sexus tamen hujus vitæ tantum conditione, non specie naturali; ne non sit vera resurrectio, si non id resurget quod cadit.

CAPUT XLV (al. 78). — Ante passionem Domini omnes animæ sanctorum in inferno sub debito prævaricationis Adæ tenebantur, donec auctoritate Domini per indebitam ejus mortem de servili conditione liberarentur.

CAPUT XLVI (al. 79). — Post ascensionem Domini ad cœlos, omnium sanctorum animæ cum Christo sunt, et exemptes de corpore ad Christum vadunt, exspectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram et perpetuam [6] beatitudinem cum ipso pariter immutentur: sicut et peccatorum animæ in inferno sub timore positæ exspectant resurrectionem sui corporis, ut cum ipso ad pœnam detrudantur [7] æternam.

CAPUT XLVII (al. 80). — Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiamsi in ultimo vitæ spiritu admissorum pœniteat, et publica lamentatione peccata prodantur: quia propositum Dei, quo decrevit salvare quod perierat, stat immobile: et ideo quia voluntas ejus non mutatur, sive emendatione vitæ, si tempus conceditur, sive supplici [8] confessione, si continuo vita exceditur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur a perditione pœnitendo (*Ezech.* XVIII, 32, *et* XXXIII, 11), et salvatus miseratione Domini vivat. Si quis aliter de justissima Dei

[1] Mss., *vel intingitur igne.*

[2] Sic Mss. Editi, *habitaculum.*

[3] Mss., *Ophitanus.*

[4] Sic Mss. At editi, *Florianus.*

[5] Aliquot Mss., *excusatione commercii.* Quidam autem *exsecutione commercii.*

[6] Quidam Mss., *perfectam.*

[7] Mss., *convertantur.*

[8] Aliquot Mss., *sive publica.*

pietate sentit, non Christianus, sed Novatianus est.

CAPUT XLVIII (al. 81). — Internas animæ cogitationes diabolum non videre, certi sumus : sed motibus eas corporis ab illo et affectionum indiciis colligi, experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille novit ad quem dicitur, *Tu solus nosti corda filiorum hominum* (III *Reg.* VIII, 39).

CAPUT XLIX (al. 82). — Non omnes malæ cogitationes nostræ semper diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrii motu emergunt. Bonæ autem cogitationes semper a Deo sunt.

CAPUT L (al. 83).— Dæmones per energicam operationem [1] non credimus substantialiter illabi animæ; sed applicatione et oppressione uniri. Illabi autem menti illi soli possibile est qui creavit, qui natura subsistens incorporeus, capabilis est suæ facturæ.

CAPUT LI (al. 84). — Signa et prodigia et sanitates etiam peccatores in nomine Domini facere ab ipso Deo didicimus : et cum alios hac præsumptione juvent, sibi per ambitionem humanæ gloriæ nocent; quia gloriantur in dato falso, id est non meritis debito.

CAPUT LII (al. 85). — Signis et prodigiis clarum posse fieri Christianum, non tamen sanctum, si intemperatis et asperis motibus agat : temperatis autem et placidis motibus, etiam absque signorum efficacia, et sanctum et perfectum et Dei hominem fieri recte credimus.

CAPUT LIII (al. 86). — Nullus sanctus et justus caret peccato : nec tamen ex hoc desinit esse justus et sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. Non enim naturæ viribus, sed propositi adjumento per Dei gratiam acquirimus sanctitatem. Et ideo veraciter se omnes sancti pronuntiant peccatores, quia in veritate habent quod plangant, et si non reprehensione conscientiæ, certe mobilitate prævaricatricis naturæ.

CAPUT LIV (al. 87). — Pascha, id est, dominicæ resurrectionis solemnitas, ante transgressum vernalis æquinoctii et quartæ decimæ lunæ perfectionem non potest celebrari [1], eodem tamen mense natæ.

CAPUT LV (al. 88). — Propter novellos legislatores, qui ideo animam tantum ad imaginem Dei creatam dicunt, ut quia Deus incorporeus recte creditur, etiam incorporea anima esse credatur, libere confitemur, imaginem in æternitate, similitudinem in moribus inveniri.

[1] Habent Mss., *per energiam*, et omittunt, *operationem*.

[1] In codicibus Mss.. *et quintæ decimæ* (vel, *sextæ decimæ*) *lunæ initium non potest celebrari.*

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC TOMO OCTAVO CONTINENTUR.

IN OCTAVUM TOMUM PRÆFATIO. 9-10
ADMONITIO IN LIBRUM DE HÆRESIBUS. 15-16
De eodem libro Epistolæ quatuor. *Ibid.*
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE HÆRESIBUS AD QUODVULTDEUM LIBER UNUS. 21-22
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, TRACTATUS ADVERSUS JUDÆOS. 51-52
CAPUT PRIMUM. Severitatis Dei exemplum in excisione Judæorum ; bonitatis vero, in insitione Gentium. Judæorum cæcitas ex Scripturis Veteris Testamenti convincenda. *Ibid.*
II. Instrumenti Veteris libros ad nos pertinere, eorumque præcepta per nos melius impleri. *Ibid.*
III. Christus legem non evacuavit arguendo, sed implendo mutavit. Mutatio veterum sacramentorum prædicta in Psalmis. 53
IV. Christus in Psalmo quadragesimo quarto prænuntiatus. *Ibid.*
V. Titulo Psalmi sexagesimi octavi, qui de Christi passione scriptus est, etiam mutatio prædicitur. 54
VI. Titulus quoque Psalmi septuagesimi noni prænuntiat mutationem. Mutationis faciendæ testimonia contra Judæos apertiora. 55
VII. Judæi prophetias quasdam pro se non recte interpretantes. Quæ magis in Judæos quadrant Prophetarum voces 57
VIII. Judæorum a Deo dimissio per Isaiam prænuntiata. 59
IX. Dimissio Judæorum clarius prædicta per Malachiam. Sacrificium Christianorum ubique in terra et in cœlo offertur. 60
X. Qua charitate invitandi Judæi ad fidem. 63
ADMONITIO IN LIBRUM DE UTILITATE CREDENDI. 63-64
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE UTILITATE CREDENDI AD HONORATUM LIBER UNUS. — Contra Manichæos disputat, probatque ipsos sacrilege ac temere in eos invehi, qui catholicæ fidei auctoritatem sequentes, ad mysteriorum intelligentiam sese illius subsidio comparant, dum ea credunt quæ nondum valent animo percipere. Sed imprimis ostendit Vetus Testamentum perperam ab iisdem hæreticis reprehendi. 65-66
CAPUT PRIMUM. Quo consilio hæc Honorato scribat. Hæreticus et hæreticis credens, non idem. Operis argumentum. Quomodo per Manichæos Augustinus deceptus evaserit. Manichæorum dictum in suæ sectæ desertores. *Ibid.*
II. Manichæi Vetus Testamentum reprehendunt apud imperitos 67
III. Quadruplex Scripturas Veteris Testamenti tractandi ratio. Historia et ætiologia in Scripturis. Analogia. Allegoria. Lex non necessaria nisi iis quibus utilis est servitus ac timor. Mysteria in Veteri Lege velata. 68
IV. Triplex error legentium. 72
V. Tres Scripturarum quarumque differentiæ. Ecclesia catholica erroris secundum ullum modum ex prædictis redargui non potest in Veteris Testamenti lectione. 73
VI. De Scripturis non credendum expositoribus earum inimicis. 74
VII. Quærenda vera religio. In eis quærenda qui excellunt famæ celebritate et omnium occupatione populorum. Objectari frustra, apud paucos esse veritatem, nec quærendam in multitudine Catholicorum. Temere visum Honorato, absurda quædam tradi in catholica religione. A religione quærenda apud Catholicos nihil prohibebat. Cum inquiritur vera religio, sumendum exordium a catholica Ecclesia. 75
VIII. Qua Augustinus via venerit ad catholicam religionem. 78
IX. Catholica Ecclesia venientibus præcipit fidem; hæretici promittunt rationem. Nihil vitii esse in fide, atque inter credentem et credulum (quod nomen culpæ datur) plurimum interesse. 79
X. Turpe non esse credere in religione. Rationi percipiendæ idonei perpauci : via ad religionem tutior et tenenda ab omnibus fides. 81
XI. Credentes ab opinantium temeritate quomodo alieni. Intelligere, credere, opinari. 82
XII. Credere in multis quam necessarium ad humanam societatem. Rectissimum obtemperare sapientibus. 84
XIII. Qui sapientia caret, non quærit sapientem, nisi esse credat. Ita et religio non quæritur, nisi esse credatur. 85
XIV. Si nihil credendum est, nec ipsa esse religio credetur. Christo credendum esse docent omnes etiam hæretici. Christus ipse maxime exegit fidem. 86
XV. Sapientia Dei incarnata, via ad religionem commodissima. 88
XVI. Auctoritas divinitus constituta, quæ partim miraculis, partim sequentium multitudine movet ad fidem. 89
XVII. Mores boni populis quam utiliter auctoritate persuasi. Ecclesiæ catholicæ auctoritas. 90

XVIII. Conclusio per exhortationem. Persica fabella. 91
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE DUABUS ANIMABUS CONTRA MANICHÆOS LIBER UNUS. — Manichæis hæreticis duas animas in unoquoque homine esse, unam de Dei substantia bonam, alteram malam de tenebrarum gente nec a Deo conditam dicentibus docet se Augustinus sic adhærisse, ut ei rationes quibus deliramentum istud evertitur, tam obvias tamque manifestas non attenderit. Primum enim consideranti facile apparere, omnem animam, cum vita quædam sit, resque intelligibilis, ac prolude luce visibili, quam a Deo esse Manichæi fatentur, præstantior, auctori Deo tribuendam. Loca vero scripturæ quibus illi malos ex Deo non esse disputant, aliorum locorum comparatione melius explicari. Postea etiam ex peccati et voluntatis definitione, ex venia peccatorum quæ peccantibus datur in Ecclesia, tandemque ex pœnitendi affectu pio atque utili, evidenter omnino demonstrari, peccantes animas non natura malas esse. 93-94
CAPUT PRIMUM. Manichæorum error de duabus animabus, quarum altera non sit a Deo, qua ratione expugnatur. Anima omnis cum vita quædam sit, nonnisi a Deo vitæ fonte esse potest. *Ibid.*
II. Si lux quæ sensu percipitur Deum habet auctorem, ut fatentur Manichæi, multo magis anima quæ solo intellectu percipitur. *Ibid.*
III. Corpus etiam omne a Deo esse unde probatur. Animam illam quæ mala dicitur a Manichæis, luce esse meliorem. 95
IV. Anima etiam muscæ præstantior ista luce. 96
V. Vitiosæ animæ quamquam damnandæ, quomodo huic luci, quæ in genere suo laudanda est, antecellant. *Ibid.*
VI. An ipsa etiam vitia tanquam intelligibilia luci sensibili præferenda sint, et Deo ut auctori tribuenda. Vitium animi est defectus quidam, recte non fatur intelligibilia numerandus. Ipsi defectus, etiamsi inter intelligibilia numerarentur, nunquam anteponendi rebus sensibilibus. Si lumen visibile a Deo est, multo magis ab ipso anima, quæ in quantum vivit intelligibilis res est, etiamsi vitiosa. Objectantur contra a Manichæis loca Scripturæ. 97
VII. Mali quomodo ex Deo, et non ex Deo. 100
VIII. Quærunt unde malum, et hac quæstione vincere se putant Manichæi. Cognoscant prius quod facillimum est, nihil vivere posse sine Deo. Summum malum non cognoscitur nisi cognito summo bono, quod est Deus. 101
IX. Augustinus familiaritate cum Manichæis et successu victoriæ de Christianis imperitis a se reportatæ deceptus. Manichæi ex cognitione item peccati et voluntatis facile refellendi. 102
X. Peccatum nonnisi a voluntate. Vita et voluntas sua cuique notissima. Voluntas quid sit. 103
XI. Peccatum quid. 103
XII. Ex datis definitionibus peccati et voluntatis hæresim Manichæorum totam evertit. Ex malarum item animarum justa damnatione sequitur non natura, sed voluntate malas esse. Animas esse natura bonas, quibus datur venia peccatorum. *Ibid.*
XIII. Ex deliberatione in malum et in bonam partem non haberi duo animarum genera. Concesso genere animarum illicentium ad furta, non sequitur esse natura malas, alias esse summum bonum. 108
XIV. Rursum ex puniendi utilitate monstratur animas non natura malas esse. Demonstrationi tam certæ nonnisi ex consuetudine errandi contradicitur. 109
XV. Orat pro amicis quos habuit erroris socios. 110
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, ACTA SEU DISPUTATIO CONTRA FORTUNATUM MANICHÆUM LIBER UNUS. 111-119
DISPUTATIO PRIMÆ DIEI. *Ibid.*
DISPUT. SECUNDÆ DIEI. 121
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA ADIMANTUM MANICHÆI DISCIPULUM LIBER UNUS. — Conciliantur inter se Scripturarum sententiæ, quas de Testamento Vetere ac Novo, velut invicem contrarias Adimantus, utrumque Testamentum ab uno et eodem Deo esse non posse contendens, corraserat. 129-130
S. AURELII AUG., HIPPONENSIS EPISC., CONTRA EPIST. MANICHÆI, quam vocant FUNDAMENTI, LIBER UNUS. — Refellit priores partes Epistolæ Manichæi, ostendens ipsum pro manifesta quam politebatur, et pro certa cognitione, nonnisi incerta et absurda deliramenta suis sectatoribus proponere. 173-176
CAPUT PRIMUM. Hæretici sanandi magis quam perdendi. *Ibid.*
II. Causæ cur mitius agendum cum Manichæis. *Ibid.*
III. Augustinus quondam Manichæus. *Ibid.*
IV. Argumenta fidei catholicæ. 175
V. Contra titulum Epistolæ Manichæi. 176
VI. Cur apostolum Christi se scripserit. 177
VII. Manichæus Spiritus sanctus quomodo creditus a suis. 178
VIII. Festum natalis Manichæi. *Ibid.*
IX. Spiritus sanctus quando missus. 179
X. Spiritus sanctus bis datus. 180
XI. Veritatem pollicetur Manichæus, non exhibet. 181
XII. Deliramenta Manichæi. Prælium ante mundi constitutionem commissum. 182
XIII. Duæ substantiæ contrariæ. Regnum luminis. Incerta pro certis tradi a Manichæo. *Ibid.*
XIV. Pollicebatur rerum certarum cognitionem, et imperat incertarum fidem. 185
XV. Non solum incerta, sed etiam falsa esse quæ tradit. Deliramentum de terra et gente tenebrarum juxta latus terræ sanctæ ac substantiæ Dei. Confutatur primo, quia naturæ Dei partes et latera tribuit tanquam sua mole per locorum spatia distendatur. 184
XVI. Animam ipsam, etsi mutabilis sit, per spatia locorum non distendi. Nam tota sentit in singulis partibus corporis. *Ibid.*
XVII. Memoria capit maximorum locorum imagines. 185
XVIII. Intelligendi potentia de rerum veritate deque ipsa cogitatione judicat. 186
XIX. Si anima per locos non extenditur, multo minus Deus. *Ibid.*
XX. Deliramentum de duplici terra refellitur. 187
XXI. Eamdem terram lucis, si terræ tenebrarum jungitur, esse corpoream. Figura terræ tenebrarum junctæ cum terra lucis. *Ibid.*
XXII. Figura terræ lucis fœdior. 188
XXIII. Levius peccant Manichæis Anthropomorphitæ. 189
XXIV. De numero naturarum in phantasmate Manichæi. 190
XXV. Ex nihilo creari per Omnipotentem bona alia aliis inferiora. In figura conjunctionis duarum terrarum, qualiscumque fingatur, semper inesse deformitatem aut absurditatem. 191
XXVI. Coarctantur Manichæi, sive tortuoso latere conjunctionem illam fieri dicant, sive curvo, sive recto. In hoc tertio genere junctura esset concordia et pulchritudo utrique terræ conveniens. 192
XXVII. Pulchritudo recti lateris posset terræ tenebrarum detrahi sine ulla detractione substantiæ. Sic malum animæ accedit nulla addita detractave substantia. Latus terræ tenebrarum in quantum rectum esset, boni aliquid haberet a Deo conditore. 193
XXVIII. In terra tenebrarum naturas quinque ponit Manichæus. 194
XXIX. Refelli ur hoc deliramentum. *Ibid.*
XXX. Quam multa bona in iis naturis, quas ponit Manichæus in terra tenebrarum. 195
XXXI De eodem argumento. 196
XXXII. Manichæus ex iis quæ hic vidit, ordinavit sua phantasmata. 197
XXXIII. Natura omnis, ut natura est, bona est. 198
XXXIV. Natura nunquam sine aliquo bono. Sola mala considerant Manichæi. 199
XXXV. Malum nihil aliud quam corruptio: ipsa autem corruptio non natura est, sed contra naturam. Ubicumque corruptio, ibi bonum fuit. 200
XXXVI. Unde malum, sive corruptio boni. 201
XXXVII. Solus Deus summe bonus. 202
XXXVIII. Natura a Deo, corruptio ex nihilo. 203
XXXIX. Mala quomodo sint a Deo. 204
XL. Corruptio tendit ad non esse. *Ibid.*
XLI. Corruptio permissu Dei a nobis est. 205
XLII. Hortatur ad summum bonum. 206
XLIII. Conclusio. *Ibid.*
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA FAUSTUM MANICHÆUM LIBRI TRIGINTA TRES. 207-208
ADMONITIO. 517-518
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE ACTIS CUM FELICE MANICHÆO LIBRI DUO. 519-520
LIBER PRIMUS. — Acta primæ diei. *Ibid.*
LIBER SECUNDUS. — Acta secundæ diei. 535-536
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE NATURA BONI CONTRA MANICHÆOS LIBER UNUS. 551-552
CAPUT PRIMUM. Deus summum bonum et incommutabile; a quo cætera omnia bona spiritualia et cor-

poralia. 551-552
II. Quomodo id possit ab corrigendos Manichæos sufficere. *Ibid.*
III. Modus, species et ordo generalia bona in rebus a Deo factis. 553
IV. Malum est corruptio modi, speciei aut ordinis. *Ibid.*
V. Natura excellentioris ordinis etiam corrupta melior interdum inferiore etiam incorrupta. *Ibid.*
VI. Naturam quæ corrumpi non potest, summum bonum; quæ potest, aliquod bonum esse. *Ibid.*
VII. Rationalium spirituum corruptio alia voluntaria, alia pœnalis. 554
VIII. Ex rerum inferiorum corruptione ac interitu pulchritudo universi. *Ibid.*
IX. Pœna peccanti naturæ, ut recte ordinetur, constituta. *Ibid.*
X. Naturæ corruptibiles, quia ex nihilo factæ. *Ibid.*
XI. Noceri nec Deo potest, nec alii naturæ nisi ipso permittente, 555
XII. Omnia bona nonnisi a Deo. *Ibid.*
XIII. Bona singula seu parva, seu magna, esse a Deo. *Ibid.*
XIV. Parva bona in majorum comparatione contrariis nominibus appellantur. *Ibid.*
XV. In simiæ corpore pulchritudinis bonum inesse, licet minus. *Ibid.*
XVI. Privationes in rebus decenter a Deo ordinatæ. 556
XVII. Natura in quantum natura est, nulla mala. *Ibid.*
XVIII. Hylen, quæ rerum informis materies antiquis dicebatur, non esse malum. *Ibid.*
XIX. Esse vere, proprium Dei. 557
XX. Dolor nonnisi in naturis bonis. *Ibid.*
XXI. Medica a modo dicta. *Ibid.*
XXII. Modus an aliqua ratione Deo ipsi conveniat. 558
XXIII. Unde interdum dicatur malus modus, mala species, malus ordo. *Ibid.*
XXIV. Testimoniis Scripturæ probatur Deum esse incommutabilem. Filium Dei esse genitum, non factum. *Ibid.*
XXV. Illud Evangelii, *Sine ipso factum est nihil*, male intellectum a nonnullis. 559
XXVI. Creaturas ex nihilo factas esse. *Ibid.*
XXVII. *Ex ipso* et *De ipso* non idem significare. 560
XXVIII. Peccata non esse ex Deo, sed ex voluntate esse peccantium. *Ibid.*
XXIX. Peccatis nostris Deum non inquinari. *Ibid.*
XXX. Bona etiam minima et terrena esse a Deo. *Ibid.*
XXXI. Punire ac donare peccata peræque ad Deum pertinere. 561
XXXII. A Deo esse et ipsam nocendi potestatem. *Ibid.*
XXXIII. Angelos malos non a Deo, sed peccando factos esse malos. *Ibid.*
XXXIV. Peccatum non est malæ naturæ appetitio, sed melioris desertio. 562
XXXV. Arbor Adamo vetita, non quia mala, sed quia homini bonum ut subditus sit Deo. *Ibid.*
XXXVI. Nulla creatura Dei mala, sed ea male uti est malum. *Ibid.*
XXXVII. Malis peccantium Deus bene utitur. 563
XXXVIII. Ignis æternus malos crucians non malus. *Ibid.*
XXXIX. Æternus ignis dicitur, non sicut Deus, sed quia sine fine. *Ibid.*
XL. Nec Deo nocere potest nec alii, nisi Dei justa ordinatione. 565
XLI. Quanta bona Manichæi ponant in natura mali, et quanta mala in natura boni. *Ibid.*
XLII. Manichæorum de Dei natura blasphemiæ. 565
XLIII. Mala ante mali commixtionem multa tribui naturæ Dei a Manichæis. 566
XLIV. Turpitudines incredibiles a Manichæo excogitatæ in Deo. 567
XLV. Turpitudines quædam nefariæ de ipsis Manichæis non immerito creditæ. 569
XLVI. Epistolæ Fundamenti nefaria doctrina. *Ibid.*
XLVII. Turpitudines horribiles cogit perpetrare. 570
XLVIII. Orat Augustinus pro Manichæorum resipiscentia. 571

SECUNDINI MANICHÆI EPISTOLA AD AUGUSTINUM. — Manichæi doctrinam commendat tuetur que cum catholicæ fidei reprehensione, indigne ferens quod eam scriptis oppugnet Augustinus, quem a Manichæo timore quodam et honoris cupiditate defecisse insimulat, atque ut ad illius sectam tandem redeat, exhortatur. 571-572

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA SECUNDINUM MANICHÆUM, LIBER UNUS. — Docet Augustinus quare Manichæi sectam reliquerit, eamque ex Secundini ipsius epistola prolatis argumentis refellit. 577-578

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA ADVERSARIUM LEGIS ET PROPHETARUM LIBRI DUO. 603-60

LIBER PRIMUS. Veteris Testamenti loca calumniose reprehensa vindicantur. *Ibid.*

LIBER SECUNDUS. — Novi Testamenti loca, quæ Legis et Prophetarum Adversarius velut eis contraria collegit, discutiuntur. 637-638

CONSULTATIO sive COMMONITORIUM OROSII AD AUGUSTINUM DE ERRORE PRISCILLIANISTARUM ET ORIGENISTARUM. 665-667

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, AD OROSIUM CONTRA PRISCILLIANISTAS ET ORIGENISTAS LIBER UNUS. 669-670

SERMO ARIANORUM. 677-678

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA SERMONEM ARIANORUM LIBER UNUS. 683-684

ADMONITIO IN COLLATIONEM ET LIBROS DUOS CONTRA MAXIMINUM. 707-708

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, COLLATIO CUM MAXIMINO ARIANORUM EPISCOPO. 709-710

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA MAXIMINUM HÆRETICUM ARIANORUM EPISCOPUM LIBRI DUO. 743-744

LIBER PRIMUS. — Ostendit Augustinus, ea quæ in collatione ipse dixit, Maximinum non potuisse refellere. *Ibid.*

CAPUT PRIMUM. De duobus diis. *Ibid.*
II. De humanis contagiis. *Ibid.*
III. De invisibili Deo. 745
IV. De immortali Deo. 746
V. Unde major sit Pater. *Ibid.*
VI. De veris filiis animalium. 748
VII. De magnitudine Filii. 749
VIII. De subjectione Filii. 750
IX. Utrum adoret Patrem Spiritus sanctus. *Ibid.*
X. Quomodo sit unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. 751
XI. De templo Spiritus sancti. 752
XII. De eo quod Pater et Filius unum sint. 753
XIII. De testimonio quod Pater perhibuit Filio. 754
XIV. De dilectione Patris et Filii. *Ibid.*
XV. De invisibilitate Trinitatis. *Ibid.*
XVI. De solo sapiente Deo. 755
XVII. De infecto Deo. *Ibid.*
XVIII. De ingenito Patre. 756
XIX. De æqualitate Spiritus sancti cum Patre. *Ibid.*
XX. Licet ingenitus Pater, æqualis tamen Filius. 758

LIBER SECUNDUS. — Refelluntur sigillatim quæ in collatione Maximinus dixit ultima sua disputatione, cujus disputationis suæ prolixitate respondendi tempus tunc eripuit Augustino. 757-758

ADMONITIO IN LIBROS DE TRINITATE. 815-816

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE TRINITATE LIBRI QUINDECIM. 819-820

LIBER PRIMUS. — Secundum Scripturas sacras ostenditur unitas et æqualitas summæ Trinitatis, et quædam loca contra Filii æqualitatem allata diluuntur. *Ibid.*

CAPUT PRIMUM. Scribit contra eos qui ratione abutentes calumniantur fidem Trinitatis. Error disputantium de Deo, ex triplici causa. Scriptura sacra remotis falsitatibus evehit gradatim ad divina. Immortalitas vera. Fide nutrimur, ut habiles ad divina capienda efficiamur. *Ibid.*
II. De Trinitate quomodo hoc in opere disserendum. 822
III. Quid a suis lectoribus exposcat Augustinus. Lectorum tardiorum errores auctori non tribuendi *Ibid.*
IV. Quæ sit doctrina fidei catholicæ de Trinitate. 824
V. Difficultates de Trinitate: quomodo tres unus Deus. *Ibid.*
VI. Filium esse verum Deum ejusdem cum Patre substantiæ. Non solus Pater, sed Trinitas dicta immortalis. Non ex solo Patre omnia, sed etiam ex Filio. Spiritum sanctum esse verum Deum Patri et Filio æqualem. 825
VII. Filius quomodo minor Patre ac seipso. 828
VIII. Scripturas de subjectione Filii sub Patre perperam intellectas explicat. Regnum Patri non sic tradet Christus, ut adimat sibi. Contemplatio promissa finis omnium actionum. Spiritus sanctus ad beatitudinem nostram sufficit perinde ac Pater. 829
IX. In una persona interdum intelliguntur omnes. 833
X. Quomodo Christus tradet regnum Deo et Patri. Tradito regno Deo et Patri, Christus jam non interpellabit pro nobis. 834
XI. Regula qua intelligitur Filius in Scripturis, nunc æqualis, nunc minor. 836

XII. Qua ratione Filius dicatur nescire diem et horam quam scit Pater. Dicta de Christo alia secundum formam Dei, alia secundum formam servi. Dare regnum quomodo et Christi est, et Christi non est. Quomodo Christus et non judicabit et judicabit. 836
XIII. De eodem Christo diversa prædicantur, ob diversas naturas hypostaseos. Cur Pater dicitur non judicaturus sed judicium dedisse Filio. 840
LIBER SECUNDUS. — Rursum defendit Augustinus æqualitatem Trinitatis, et de Filii missione ac Spiritus sancti agens, variisque Dei apparitionibus, demonstrat non ideo minorem esse mittente qui missus est, quia ille misit, hic missus est; sed Trinitatem per omnia æqualem, pariter in sua natura immutabilem et invisibilem et ubique præsentem, in missione seu apparitione qualibet inseparabiliter operari. 845-846
PROŒMIUM. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Regula duplex ad intelligendum Scripturarum locutiones de Filio Dei. Locutiones triplicis generis. *Ibid.*
II. Ex utralibet regula intelligi quasdam locutiones de Filio. 847
III. De Spiritu sancto quædam ex altera tantum regula intelliguntur. *Ibid.*
IV. Glorificatio Filii a Patre, non arguit inæqualitatem. 848
V. Filius et Spiritus sanctus non ideo minor quia missus. Filius etiam a seipso missus. De missione Spiritus sancti. *Ibid.*
VI. Non sic assumpta creatura a Spiritu sancto, ut caro in Verbo. 851
VII. Dubitatio de apparitionibus divinis. 853
VIII. Tota Trinitas invisibilis. 854
IX. Contra eos qui credebant solum Patrem immortalem et invisibilem. Pacifico studio quærenda veritas. *Ibid.*
X. An indiscrete Deus Trinitas Patribus apparuerit, an aliqua ex Trinitate persona. Apparitio Dei Adamo. De eadem apparitione. Visio Abrahæ. 855
XI. De eadem visione. 858
XII. Visio Loth excutitur. 859
XIII. Visio in rubo. *Ibid.*
XIV. De visione in columna nubis et ignis. 861
XV. De visione in Sina. An Trinitas, an aliqua proprie persona in ea visione loquebatur. *Ibid.*
XVI. Moyses quomodo viderit Deum. 862
XVII. Posteriora Dei quomodo visa. Resurrectionis Christi fides. Catholica Ecclesia sola est locus unde videntur posteriora Dei. Posteriora Dei ab Israelitis visa. Deum esse Patrem solum nunquam Patribus visum existimare temeraria opinio est. 863
XVIII. Visio Danielis. 866
LIBER TERTIUS. — Quæritur, an in illis de quibus superiore libro dictum est, Dei apparitionibus, per corporeas species factis, tantummodo creatura formata sit, in qua Deus sicut tunc potuisse judicavit, humanis ostenderetur aspectibus; an angeli qui jam antea erant ita mittebantur, ut ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea, aut ipsum corpus suum in species quas vellent accommodatas actionibus suis vertentes secundum attributam sibi a Creatore potentiam; ipsa autem Dei essentia nunquam per se ipsam visa fuerit. 867-868
PROŒMIUM. Cur de Trinitate scribat, quid a lectoribus desideret. Quid dictum sit in superiore libro. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Quid deinceps dicendum. 870
II. Voluntas Dei causa superior omnis corporeæ mutationis. Exemplo id demonstratur. 871
III. De eodem argumento. 872
IV. Deus omnibus creaturis utitur ut vult, et visibilia facit ad se ipsum demonstrandum. 873
V. Miracula cur non consueta opera. 874
VI. Sola varietas facit miraculum. *Ibid.*
VII. Miracula magna per magicas artes. 875
VIII. Solus Deus creat etiam illa quæ magicis artibus transformantur. *Ibid.*
IX. Causa originalis omnium a Deo. 877
X. Quot modis creatura assumitur ad significandum Eucharistia. 879
XI. Essentia Dei nunquam per se apparuit. Angelorum ministerio factæ divinæ patribus apparitiones. Objectio ex loquimodo ducta diluitur. Apparitionem Dei ipsi Abrahæ perinde ac Moysi, per Angelos factam esse. Idem probatur ex lege data Moysi per Angelos. Quid dictum in hoc libro, quid dicendum in sequente. 881
LIBER QUARTUS. — Explicat ad quid missus sit Filius Dei: Christo videlicet pro peccatoribus moriente persuadendum nobis fuisse imprimis et quantum nos dilexerit Deus, et quales dilexerit. Opportune etiam ut ad contemplandum Deum et cohærendum Deo mundaremur, Verbum in carne venisse, ipsius morte una et simplici duplicem nostram solutam esse; ubi edisserit quemadmodum simplum Salvatoris nostri duplo nostro concinat ad salutem, et de perfectione numeri senarii, in quem numerum ipsa simpli ad duplum ratio deducitur, fusius agit. Docet colligi omnes ex multis in unum per unum Mediatorem vitæ Christum, per quem solum vera fit animæ purgatio. Cæterum Filium Dei, quamquam missione factus sit minor propter formam servi quam suscepit, non tamen ideo minorem Patre secundum formam Dei, quia ab ipso missus est; eamdemque de Spiritus sancti missione rationem esse demonstrat. 885-886
PROŒMIUM. Scientia Dei a Deo petenda. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Per agnitionem infirmitatis nostræ perficimur. Verbum incarnatum tenebras nostras pellit. 887
II. Quomodo per Verbum incarnatum reddimur habiles percipiendæ veritati. 889
III. Una mors et resurrectio corporis Christi, duplici nostræ morti ac resurrectioni corporis et animæ concinit ad salutem. Duplæ morti nostræ quomodo simpla mors Christi impensa. *Ibid.*
IV. Ratio simpli ad duplum ex perfectione senarii numeri. Senarii perfectio in Scripturis commendata. Annus senario numero pollet. 892
V. Senarius item in ædificatione corporis Christi ac templi Jerosolymitani commendatus. 893
VI. Triduum resurrectionis, in quo etiam apparet ratio simpli ad duplum. 894
VII. Quomodo per unum Mediatorem ex multis colligamur in unum. 895
VIII. Quomodo Christus vult omnes in se unum esse. 896
IX. Sequitur de eodem argumento. *Ibid.*
X. Ut Christus mediator vitæ, ita diabolus mediator mortis. *Ibid.*
XI. Miracula quæ a dæmonibus fiunt, spernenda. 897
XII. Diabolus mortis, Christus vitæ mediator. *Ibid.*
XIII. Mors Christi spontanea. Quomodo vitæ Mediator mediatorem mortis expugnavit. Quomodo diabolus suos inducat in contemptum mortis Christi. 898
XIV. Christus perfectissima victima pro mundandis vitiis nostris. In omni sacrificio quatuor consideranda. 901
XV. Superbi putantes se propria virtute posse purgari ad videndum Deum. *Ibid.*
XVI. Philosophi veteres de resurrectione ac rebus futuris non consulendi. 902
XVII. Futura quot modis præsciantur. Philosophi nec illi qui inter antiquos excelluerunt consulendi sunt de resurrectione mortuorum. *Ibid.*
XVIII. Filius Dei incarnatus est ut per fidem mundati evehamur ad incommutabilem veritatem. 903
XIX. Filius quomodo missus et prænuntiatus. Quomodo missione nativitatis in carne factus minor sine detrimento æqualitatis cum Patre. 905
XX. Mittens et missus æqualis. Filius cur dicitur missus a Patre. De missione Spiritus sancti, quomodo et a quo missus sit. Pater totius deitatis principium. 906
XXI. De sensibili demonstratione sancti Spiritus, et de coæternitate Trinitatis. Quid dictum sit, et quid dicendum restet. 909
LIBER QUINTUS. — Venit ad hæreticorum argumenta illa quæ non ex divinis libris, sed ex rationibus suis proferunt; et eos refellit, quibus ideo videtur non eamdem Patris ac Filii esse substantiam, quia omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dici putant; et propterea et gignere et gigni, vel genitum esse et ingenitum, quopiam diversa sunt, contendunt substantias esse diversas; demonstrans, non omne quod de Deo dicitur secundum substantiam dici, sicut secundum substantiam dicitur bonus et magnus, et si quid aliud ad se dicitur; sed dici etiam relative, id est non ad se, sed ad aliquid quod ipse non est, sicut Pater ad Filium dicitur, vel Dominus ad creaturam sibi servientem: ubi si quid relative, id est ad aliquid quod ipse non est, etiam ex tempore dicitur, sicuti est, *Domine, refugium factus es nobis*; nihil ei accidere quo mutetur, sed omnino ipsum in natura vel essentia sua immutabilem permanere. 911-912
CAPUT PRIMUM. Quid a Deo, quid a lectore auctor exposcat. In Deo nihil mutabilis et corporei cogi-

tandum.
II. Deus sola incommutabilis essentia. 911-912
III. Arianorum argumentum ex voce *geniti* et *ingeniti* desumptum diluitur. *Ibid.*
IV. Accidens arguit semper aliquam rei mutationem. 913
V. In Deo nihil secundum accidens dicitur, sed secundum substantiam aut secundum relationem. *Ibid.*
VI. Occurrit hæreticorum cavillationibus in eadem voce *geniti* et *ingeniti*. 914
VII. Negatio addita non mutat prædicamentum. 915
VIII. Quidquid substantialiter de Deo dicitur, de singulis personis singulariter et simul de ipse Trinitate dicitur. In Deo una essentia, tres Græcis hypostases, Latinis tres personæ. 916
IX. Personæ tres non proprie dictæ. 917
X. Quæ Deo absolute conveniunt ut essentia, de Trinitate singulariter dicuntur, non pluraliter. 918
XI. Quid in Trinitate relative dicatur. *Ibid.*
XII. In relativis mutuis interdum desunt vocabula. 919
XIII. Principium quomodo in Trinitate relative dicatur. 920
XIV. Pater et Filius unicum principium Spiritus sancti. *Ibid.*
XV. An Spiritus sanctus esset donum et antequam daretur. 921
XVI. Quod de Deo ex tempore dicitur, relative dicitur, non accidentaliter. 922

LIBER SEXTUS. — In quo proposita quæstione, quomodo dictus sit Christus ore apostolico, *Dei virtus et Dei sapientia*, disputatur utrum Pater non sit ipse sapientia, sed tantum sapientiæ Pater, an sapientia sapientiam genuerit : et dilata paulisper solutione, probatur unitas et æqualitas Patris et Filii ac Spiritus sancti : et non Deum triplicem, sed Trinitatem credi oportere. Illud postremo loco explicatur Hilarii dictum : *Æternitas in Patre, species in Imagine, usus in Munere.* 923-924

CAPUT PRIMUM. Filius secundum Apostolum virtus et sapientia Dei patris. Hinc ratiocinatio Catholicorum contra priores Arianos. Difficultas an Pater non sit ipse sapientia, sed tantum sapientiæ Pater. *Ibid.*
II. Quæ de Patre et Filio simul dicuntur, quæ non. *Ibid.*
III. Unitatem essentiæ Patris et Filii haberi ex verbis *Unum sumus.* Filius et in sapientia et in cæteris æqualis Patri. 926
IV. Sequitur de eodem argumento. 927
V. Spiritus sanctus etiam Patri et Filio æqualis in omnibus. *Ibid.*
VI. Quomodo Deus substantia simplex et multiplex. 928
VII. Deus Trinitas, sed non triplex. 929
VIII. Dei naturæ nulla fit accessio. *Ibid.*
IX. An una vel tres simul personæ dicantur solus Deus. 930
X. Attributa per Hilarium singulis personis. Trinitas in rebus factis repræsentatur. 931

LIBER SEPTIMUS. — Superioris libri quæstio, quæ dilata fuerat, explicatur ; quod videlicet Deus Pater qui genuit Filium virtutem et sapientiam, non solum sit virtutis et sapientiæ Pater, sed etiam ipse virtus et sapientia : similiter et Spiritus sanctus. Nec tamen tres esse virtutes aut tres sapientias, sed unam virtutem et unam sapientiam, sicut unum Deum et unam essentiam ostenditur. Deinde quæritur quomodo dicatur in Deo, a Latinis, una essentia, tres personæ ; a Græcis, una essentia, tres substantiæ vel hypostases : et utrumque elocutionis necessitate dici monstratur, ut ne omnino taceremus interrogati quid tres sint, quot tres esse veraciter confitemur, Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum sanctum. 931-932

CAPUT PRIMUM. Redit ad quæstionem, an quælibet Trinitatis persona per se sit sapientia. Quam difficile, quave ratione solvatur quæstio proposita. *Ibid.*
II. Pater et Filius simul una sapientia, sicut una essentia, tametsi non simul unum Verbum. 936
III. Sapientiæ nomine cur Filius potissimum insinuetur in scripturis, cum et Pater et Spiritus sanctus sit sapientia. Spiritum sanctum simul cum Patre et filio unam sapientiam esse. 936-937
IV. Qua necessitate Græci tres hypostases dixerint ; Latini, tres personas. Scriptura nullibi dicit tres personas in Deo. 939
V. In Deo substantia abusive dicitur, essentia proprie. 942
VI. Cur in Trinitate non dicitur una persona, et tres essentiæ. De Trinitate quid credere debet qui supra dicta non capit. Homo et ad imaginem et imago Dei. 943

LIBER OCTAVUS. — Ratione reddita monstrat, non solum Patrem Filio non esse majorem, sed nec amplius simul aliquid majus esse quam Spiritum sanctum, nec quoslibet duos simul in eadem Trinitate majus esse aliquid quam unum, nec omnes simul tres majus aliquid esse quam singulos. Deinde agit ut et ex veritatis intellectione, et ex notitia summi boni, et ex insito amore justitiæ, propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum justo, intelligatur ipsa natura Dei : maxime vero admonet ut Dei cognitio quæratur per charitatem, quæ in Scripturis Deus dicitur ; qua in charitate etiam Trinitatis vestigium quoddam inesse observat. 945-946

PROŒMIUM. Epilogus superius dictorum. Regula in difficilioribus fidei quæstionibus servanda. *Ibid.*

CAPUT PRIMUM. In Deo non esse majus quid tres quam unam personam, ratione monstratur. 947
II. Resquenda omnis corporalis cogitatio, ut Deus capiatur quomodo Deus est veritas. 948
III. Quomodo cognoscatur Deum esse summum bonum. Animus nonnisi conversione ad Deum fit bonus. 949
IV. Deus prius fide non errante cognoscendus, amari possit. 951
V. Quomodo Trinitas diligatur incognita. 952
VI. Quomodo nondum justus justum cognoscat quem diligit. 953
VII. De vera dilectione, per quam ad Trinitatis cognitionem pervenitur. Quærendus Deus, non exterius, appetendo mira facere cum Angelis ; sed interius, imitando bonorum angelorum pietatem. 956
VIII. Quod qui fratrem diligit, Deum diligat, quia amat ipsam dilectionem quæ ex Deo est, et Deus est. 957
IX. In dilectionem justorum accendimur ex ipsa dilectione incommutabilis formæ justitiæ. 959
X. Tria quædam in charitate, velut vestigium Trinitatis. 960

LIBER NONUS. — Trinitatem in homine, qui imago Dei est, quamdam inesse : mentem scilicet, et notitiam qua se novit, et amorem quo se notitiamque suam diligit ; atque hæc tria æqualia inter se, et unius ostenduntur esse essentiæ. 959-960

CAPUT PRIMUM. De Trinitate quomodo inquirendum. *Ibid.*
II. Consideranda tria illa quæ reperiuntur in charitate. 961
III. Trinitatis imago in mente hominis noscentis se et amantis. Mens se ipsam per se ipsam novit. 962
IV. Tria unum et æqualia, mens ipsa, et amor, et notitia ejus. Tria eadem substantialiter esse, ac relative dici. Tria eadem esse inseparabilia. Tria eadem non partium instar juncta et commixta esse ; sed esse unius essentiæ, ac relativa. 963
V. Ea tria esse singula in se ipsis, et invicem tota in totis. 965
VI. Alia notitia rei in ipsa re, alia in ipsa æterna veritate. Quod ex æternæ veritatis regulis judicium de rebus etiam corporeis fiat. *Ibid.*
VII. Verbum intus ex rebus in æterna veritate conspectis conci, imus ea gignimus. Verbum amore concipitur sive creaturæ, sive Creatoris. 967
VIII. Cupiditas et charitas quo differunt. *Ibid.*
IX. In amore spiritualium verbum natum idem quod conceptum : secus in amore carnalium. 968
X. An sola notitia amata sit verbum mentis. *Ibid.*
XI. Mentis se ipsam noscentis imaginem seu verbum genitum ipsi æquale esse. 969
XII. Cur sicut notitia mentis est proles, non etiam amor partus ejusdem sit. Solutio quæstionis. Trinitatis imago, mens cum sua ipsius notitia et amore. 970

LIBER DECIMUS. — Trinitatem aliam in hominis mente inesse ostenditur, eamque longe evidentiorem apparere in memoria, intelligentia et voluntate. 971-972

CAPUT PRIMUM. Amorem studentis animi, id est, scire cupientis, non esse amorem ejus rei quam nescit. *Ibid.*
II. Nemo prorsus amat incognita. 974
III. Quod mens amet se ipsam non incognitam sibi. 975
IV. Quomodo mens non ex parte, sed totam se cognoscat. 976
V. Animæ cur præceptum ut se cognoscat. Unde errores mentis de sua ipsius substantia. 977
VI. Fallax mentis de se ipsa existimatio. 978
VII. Philosophorum opiniones de animæ substantia. Error opinantium animam esse corpoream, non venit ex eo quod anima eorum notitiæ desit, sed quod alienum quidquam adjungant. Invenire quid *Ibid.*
VIII. Quomodo se ipsam anima inquirat. Error animæ

de se ipsa unde. 979
IX. Mens eo ipso se cognoscit, quo intelligit præceptum se cognoscendi. 980
X. Mens omnis tria de se ipsa certo scit, intelligere, esse, et vivere. *Ibid.*
XI. In memoria, inteligentia, et voluntate, observatur ingeniosa doctrina et usus. 982
XII. Mens imago Trinitatis in sui ipsius memoria, intelligentia et voluntate. 984
LIBER UNDECIMUS. — Trinitatis imago quædam monstratur etiam in exteriore homine: primo quidem in his quæ cernuntur extrinsecus; ex corpore scilicet quod videtur, et forma quæ inde in acie cernentis imprimitur, et utrumque copulantis intentione voluntatis: tametsi hæc tria neque inter se æqualia sint, neque unius subtantiæ. Deinde in ipso animo ab his quæ extrinsecus sensa sunt, velut introducta observatur altera trinitas, seu tria quædam unius substantiæ; imaginatio corporis quæ in memoria est, et inde informatio, cum ad eam convertitur acies cogitantis, et utrumque conjungens intentio voluntatis: quæ nimirum altera trinitas ad exteriorem quoque hominem pertinere dicitur quod de corporibus illata sit, quæ sentiuntur extrinsecus. 983-984
CAPUT PRIMUM. Vestigium Trinitatis etiam in exteriore homine. *Ibid.*
II. Trinitas quædam in visione. Tria quæ in visione sunt, natura sua differre. Quomodo ex re visibili gignatur visio, seu imago ejus rei quæ videtur. Exemplo clarius res demonstratur. Quomodo tria illa in unum coeunt. 985
III. Trium unitas in cogitatione fit memoriæ, internæ visionis, et voluntatis utramque copulantis. 988
IV. Quomodo fit hæc unitas. 989
V. Trinitas hominis exterioris, seu visionis externæ, non est imago Dei. Dei similitudo etiam in peccatis appetitur. In externa visione est quasi parens forma corporis, proles visio, ea vero conjungens voluntas insinuat Spiritum sanctum. 990
VI. Requies et finis voluntatis in visione qualis censeri debeat. 992
VII. Trinitas alia in memoria recogitantis de visione. 992-993
VIII. Varia cogitandi ratio. 994
IX. Species a specie vicissim gignitur. 996
X. Etiam non visis addit imaginatio quæ in aliis vidimus. 997
XI. Numerus, pondus, mensura. 998
LIBER DUODECIMUS. — Præmissa distinctione sapientiæ a scientia, in ea quæ proprie scientia nuncupatur, quæve inferior est, prius quædam sui generis trinitas ostenditur; quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei vel appellanda vel putanda. 997-998
CAPUT PRIMUM. Homo exterior et interior qualis. *Ibid.*
II. Æternas rationes in corporalibus homo solus animantium percipit. 999
III. Ratio superior quæ ad contemplationem, et inferior quæ ad actionem pertinet, in mente una. *Ibid.*
IV. Trinitas et imago Dei in ea sola parte mentis quæ pertinet ad contemplationem æternorum. 1000
V. Opinio fingens imaginem Trinitatis in conjugio masculi et feminæ ac eorum prole. *Ibid.*
VI. Cur illa opinio respuenda. 1001
VII. Homo imago Dei, quomodo. Annon et mulier Dei. Dictum Apostoli, quod vir imago Dei sit, mulier autem gloria viri, quomodo figurate ac mystice intelligendum. 1003
VIII. Deflexus ab imagine Dei. 1005
IX. Sequitur de eodem argumento. *Ibid.*
X. Gradus ad turpissima. 1006
XI. Imago pecudis in homine. *Ibid.*
XII. In interiore homine quoddam secretum conjugium. Cogitationum delectationes illicitæ. 1007
XIII. Opinio eorum qui viro mentem, mulieri sensum corporis significari senserunt. 1008
XIV. Inter sapientiam et scientiam quid distet. Cultus Dei, amor ejus. Quomodo per sapientiam fiat cognitio intellectualis rerum æternarum. 1009
XV. Contra reminiscentiam Platonis et Pythagoræ. Samius Pythagoras. De differentia sapientiæ a scientia, et de quærenda trinitate in scientia temporalium. 1011
LIBER TERTIUS DECIMUS. — Prosequitur de scientia, in qua videlicet, etiam ut a sapientia distinguitur, trinitatem quandam inquirere libro superiore cœpit, qua occasione hic fidem christianam commendans, explicat quomodo credentium sit fides una et communis. Tum beatitudinem omnes
omnium esse fidem qua ad beatitudinem pervenitur. Hanc autem fidem in Christo esse defluitam qui in carne resurrexit a mortuis, nec nisi per illum liberari quemquam a diaboli dominatu per remissionem peccatorum; et fuse ostendit diabolum non potentia, sed justitia vinci a Christo debuisse. Tandem hujus verba fidei dum memoriæ mandantur, inesse quamdam in animo trinitatem, qua et in memoria sunt verborum soni, etiam quando homo inde non cogitat: et inde formatur acies recordationis ejus, quando de his cogitat; et demum voluntas recordantis atque cogitantis utrumque conjungit. 1013-1014
CAPUT PRIMUM. Sapientiæ et scientiæ officia ex Scripturis discernere aggreditur. Ex Joannis exordio alia dicta ad sapientiam, alia ad scientiam pertinere. Quædam ibi fidei tantum auxilio cognita. Quomodo fidem quæ in nobis est videmus. In eadem Joannis narratione, alia sunt corporis sensu, alia tantum animi ratione cognita. *Ibid.*
II. Fides res cordis, non corporis, quomodo communis et una omnium credentium. Fides credentium una, non secus ac volentium voluntas una. 1016
III. Voluntates quædam eædem omnium singulis notæ. Ennius poeta. 1017
IV. Beatitudinis habendæ voluntas una omnium sed de ipsa beatitudine varietas magna voluntatum. 1018
V. De eadem re. 1019
VI. Cur cum omnes velint beatitudinem, id eligatur potius, quo ab ea receditur. 1020
VII. Fides necessaria, ut aliquando sit homo beatus, quod nonnisi in futura vita consequetur. Philosorum superborum ridenda et miseranda beatitudo. *Ibi l.* 1 22
VIII. Beatitudo sine immortalitate non potest esse
IX. Non humanis argumentationibus, sed fidei auxilio dicimus beatitudinem futuram esse vere sempiternam. Ex filii Dei incarnatione credibilis fit immortalitas beatitudinis. 1023
X. Incarnatione Verbi convenientior non fuit modus alius liberandi hominis a mortalitatis miseria. Merita quæ dicuntur nostra, dona sunt Dei. 1024
XI. Difficultas, quomodo justificati sumus in sanguine Filii Dei. 1025
XII. Omnes propter Adæ peccatum traditi in potestatem diaboli. 1026
XIII. Non potentia sed justitia eruendus homo fuit a diaboli potestate. *Ibid.*
XIV. Christi mors indebita liberavit obnoxios morti. 1027
XV. De eodem argumento. 1028
XVI. Reliquiæ mortis et sæculi mala cedunt in bonum electis. Quam convenienter electa mors Christi, ut justificaremur in sanguine ipsius. Ira Dei quæ sit. 1029
XVII. Alia incarnationis commoda. 1031
XVIII. Cur Filius Dei hominem suscepit de genere Adæ, et ex virgine. 1032
XIX. Quid ad scientiam, quid ad sapientiam pertineat in Verbo incarnato. 1033
XX. Quid actum in hoc libro. Quomodo gradatim perventum est ad trinitatem quamdam quæ in scientia activa et vera fide reperitur. 1034
LIBER QUARTUS DECIMUS. — De sapientia hominis vera dicit, ostendens imaginem Dei, quod est homo secundum mentem, non proprie in transeuntibus, veluti in memoria, intellectu et amore, sive ipsius temporalis fidei, sive etiam mentis circa se ipsam versantis, sed in permanentibus rebus collocatam; ac eam tunc perfici, cum mens renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit hominem ad imaginem suam, et sic percipit sapientiam, ubi contemplatio est æternorum. 1035-1036
CAPUT PRIMUM. Quæ sit sapientia de qua hic agendum. Philosophi nomen unde exortum. De scientiæ ac sapientiæ distinctione quid jam dictum. *Ibid.*
II. In fidei temporalis retentione, contemplatione ac dilectione trinitas quædam, sed nondum proprie imago Dei. 1038
III. Difficultas contra id quod mox dictum est, diluitur. *Ibid.*
IV. In immortalitate animæ rationalis quærenda imago Dei. Trinitas in mente quomodo monstrata sit. 1040
V. Infantium mens an se noverit. *Ibid.*
VI. In mente se ipsam cogitante trinitas quædam quomodo existat. Quid in hac trinitate præstet cogitatio. 1041
VII. Exemplo res declaratur. Quomodo res ad juvandos lectores tractata sit. 1042
VIII. Trinitas quæ imago Dei, jam quærenda in principali mentis parte. 1044
IX. An justitia et cæteræ virtutes desinant in futura vita. 1045

X. Quomodo mente sui recordante seque intelligente ac diligente trinitas fiat. 1046
XI. An et præsentium sit memoria. 1047
XII. Trinitas in mente eo est imago Dei, quo meminit, intelligit et diligit Deum, quod est sapientia. 1048
XIII. Quomodo Dei oblivisci et meminisse quis possit. 1049
XIV. Mens se recte diligendo diligit Deum, quem si non diligat, se ipsam odisse dicenda est. Mens etiam infirma et errans pollet semper memoria et intellectu et amore sui. Ad Deum convertatur, ut ipsius recordando, eumque intelligendo et diligendo beata sit. *Ibid.*
XV. Anima tametsi beatitudinem speret, non tamen reminiscitur beatitudinis amissæ, sed Dei reminiscitur et regularum justitiæ. Regulæ immutabiles bene vivendi, etiam impiis notæ. 1051
XVI. Imago Dei quomodo reformatur in homine. 1052-1053
XVII. Imago Dei in mente quomodo renovetur, donec perfecta sit in ea similitudo Dei in beatitudine. 1054
XVIII. Sententia Joannis an intelligenda de futura nostra similitudine cum Filio Dei ipsa etiam immortalitate corporis. 1055
XIX. Joannes potius intelligendus de perfecta nostra similitudine cum Trinitate in vita æterna. Sapientia perfecta in beatitudine. *Ibid.*

LIBER QUINTUS DECIMUS. — Principio, quid in singulis quatuordecim superioribus libris dictum sit, exponit breviter ac summatim, eoque demum pervenisse disputationem docet, ut Trinitas quæ Deus est, jam in ipsis rebus æternis, incorporalibus et immutabilibus, in quarum perfecta contemplatione nobis beata vita promittitur, inquiratur. Hanc vero Trinitatem ostendit hic videri a nobis tanquam per speculum et in ænigmate, dum videtur per imaginem Dei, quod nos sumus, ut in similitudine obscura et ad perspiciendum difficili. Sic et ex verbo mentis nostræ Verbi divini generationem, nonnisi difficulter, propter eam quæ inter utrumque verbum interesse observatur disparitas quam maxima; et ex dilectione quæ a voluntate adjungitur, Spiritus sancti processionem conjici utcumque et explicari posse demonstrat. 1057-1058

CAPUT PRIMUM. Supra mentem Deus. *Ibid.*
II. Deus incomprehensibilis semper quærendus. Trinitatis vestigia non frustra quæsita in creatura. *Ibid.*
III. Omnium superiorum librorum breviarium. 1059
IV. Quid universa natura nos de Deo doceat. 1061
V. Quam difficile demonstrare ratione naturali Trinitatem. *Ibid.*
VI. Quomodo in ipsa simplicitate Dei sit Trinitas. An et quomodo ex monstratis trinitatibus in homine ostendatur Trinitas Deus. 1063
VII. Haud facile posse ex dictis trinitatibus deprehendi Trinitatem Deum. 1065
VIII. Deum nunc videri a nobis per speculum quomodo dicat Apostolus. 1067
IX. De ænigmate et tropicis locutionibus. 1068
X. De verbo mentis, in quo tanquam speculo et ænigmate videmus verbum Dei. 1069
XI. Verbi divini similitudo qualiscumque in verbo nostro non exteriore ac sensibili, , sed in interiore ac mentali quærenda. Dissimilitudo quam maxima inter verbum ac scientiam nostram et verbum scientiamque divinam. 1071
XII. Academica philosophia. 1073
XIII. Item de differentia scientiæ ac verbi mentis nostræ, a scientia et verbo Dei. 1075
XIV. Verbum Dei per omnia æquale Patri de quo est. 1076
XV. Quanta sit dissimilitudo verbi nostri et Verbi divini. Verbum nostrum sempiternum esse aut dici non potest. 1077
XVI. Verbum nostrum, etiam cum similes Deo erimus, nunquam Verbo divino coæquandum. 1079
XVII. Quomodo Spiritus sanctus dicatur charitas, et an solus. Spiritum sanctum in Scripturis proprie nuncupatum esse vocabulo Charitatis. *Ibid.*
XVIII. Nullum Dei donum charitate excellentius. 1082
XIX. Spiritus sanctus dictus Dei Donum in Scripturis. Donum Spiritus sancti dictum pro Donum quod est Spiritus sanctus. Spiritus sanctus proprie Charitas dicitur, quamvis non solus in Trinitate charitas sit. 1083
XX. Contra Eunomium dicentem Filium Dei non naturæ, sed voluntatis esse Filium. Epilogus superdictorum. 1087
XXI. De proposita similitudine Patris et Filii in memoria et intelligentia nostra. De similitudine Spiritus sancti in voluntate seu amore nostro. 1088
II. Quanta dissimilitudo inter repertam in nobis imaginem Trinitatis et ipsam Trinitatem. 1089
XXIII. Prosequitur disparitatem Trinitatis quæ in homine est, a Trinitate quæ Deus est. Trinitas per speculum nunc videtur auxilio fidei, ut postea clarius videri possit in promissa visione facie ad faciem. 1090
XXIV. Infirmitas mentis humanæ. 1091
XXV. In beatitudine tantum intelligetur quæstio cur Spiritus sanctus non sit genitus, et quomodo de Patre ac Filio procedat. *Ibid.*
XXVI. Spiritus sanctus a Christo bis datus. Processio Spiritus sancti a Patre et a Filio est sine tempore, nec amborum filius dici potest. 1092
XXVII. Quid hic sufficiat ad solutionem quæstionis, cur Spiritus non dicatur genitus, et cur solus Pater ingenitus. Quid agendum iis qui hæc non intelligunt. 1095
XXVIII. Conclusio libri, cum precatione et excusatione de multiloquio. 1097

APPENDIX TOMI OCTAVI OPERUM S. AUGUSTINI, IN QUA SUBDITITIA QUÆDAM OPUSCULA EXHIBENTUR. 1099-1100
ADMONITIO IN TRACTATUM ADVERSUS QUINQUE HÆRESES. *Ibid.*
ADVERSUS QUINQUE HÆRESES, SEU CONTRA HOSTIUM QUINQUE GENERA TRACTATUS. 1101-1102
CAPUT PRIMUM. Quinque genera hostium. *Ibid.*
II. Fiducia adversus hæreticos. *Ibid.*
III. Ex Hermete et Sybilla adversus Paganos. *Ibid.*
IV. Ex Vetere Testamento adversus Judæos. 1104
V. Contra Manichæos. 1106
VI. Contra Arianos. 1107
VII. Contra Sabellium. 1112
VIII. Conclusio. 1116
ADMONITIO IN SERMONEM DE SYMBOLO CONTRA JUDÆOS, PAGANOS ET ARIANOS. 1117-1118
CAPUT PRIMUM. Christianæ vigiliæ. *Ibid.*
II. Diabolus qui sit. *Ibid.*
III. Renuntiare satanæ, quid. *Ibid.*
IV. Relapsus a Baptismo. 1119
V. Triadis unitas. *Ibid.*
VI. Trinitas incomprehensibilis. 1120
VII. Contra Arianos. 1121
VIII. Æqualitas personarum. *Ibid.*
IX. Christi nativitas. 1122
X. Crudelitas Herodis. *Ibid.*
XI. Contra Judæos, ex Isaia et Jeremia. 1123
XII. Ex Daniele. *Ibid.*
XIII. Testimonia cætera ex lege et prophetis. 1124
XIV. Simeonis et Zachariæ testimonium. 1125
XV. Ex libris Ethnicorum. *Ibid.*
XVI. Ex Sibyllinis vaticiniis. Vaticinium Sybillæ. 1126
XVII. Testimonia et coelo, ex mari, ex terra, ex infernis. 1127
XVIII. Ex eventis. 1128
XIX. Contra Arianos. *Ibid.*
XX. Resurrectio. 1129
XXI. Differentia temporalis vitæ et æternæ. *Ibid.*
XXII. De via ad patriam. 1130
DE ALTERCATIONE ECCLESIÆ ET SYNAGOGÆ DIALOGUS. 1131-1132
ADMONITIO IN LIBRUM DE FIDE CONTRA MANICHÆOS. 1139-1140
DE FIDE CONTRA MANICHÆOS LIBER UNUS, Evodio tributus. *Ibid.*
ADMONITIO IN COMMONITORIUM SUBSEQUENS. 1153-1154
COMMONITORIUM vulgo S. AUGUSTINI EPISCOPI ECCLESIÆ CATHOLICÆ, quomodo sit agendum cum Manichæis qui convertuntur. *Ibid.*
ADMONITIO IN LIBRUM DE UNITATE TRINITATIS. 1155-1156
CONTRA FELICIANUM ARIANUM DE UNITATE TRINITATIS LIBER UNUS, Vigilio restitutus. 1157-1158
QUÆSTIONES DE TRINITATE ET DE GENESI, ex Alcuino descriptæ. 1171-1172
DE INCARNATIONE VERBI AD JANUARIUM LIBRI DUO, collecti ex Origenis opere περὶ ἀρχῶν, juxta versionem Rufini. 1173-1176
LIBER PRIMUS. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Recolligit ea quæ de Deo ab apostolis sunt prædicata. *Ibid.*
II. Animæ liberum arbitrium et origo. *Ibid.*
III. De diaboli statu. 1177
IV. Mundi principium et finis. *Ibid.*
V. Scripturæ sensus arcanus. *Ibid.*
VI. Boni angeli. *Ibid.*
VII. Quomodo indaganda veritas. *Ibid.*
VIII. Filius absque initio natus. *Ibid.*
IX. Rationes exemplares in Verbo. 1178
X. Incogitabilis verbi nativitas. *Ibid.*
XI. Verbum imago Patris. 1179
XII. Christus figura substantiæ paternæ. 1180
XIII. Filius vapor virtutis divinæ. 1181

XIV. Gloria et splendor et [illegible]. Sempiternum quod dicatur. Inoperatio Dei quid sit. 1183
XV. Filius imago bonitatis divinæ. 1183
XVI. Spiritus sancti dignitas. *Ibid.*
XVII. Spiritus vocabulum in Scripturis. 1184
XVIII. De Spiritus sancti influxibus et variis operationibus. 1185
LIBER SECUNDUS, ex Origenis itidem libris decerptus. 1187-1198
CAP. I. Quomodo Filius Patri subjiciendus. *Ibid.*

ADMONITIO IN LIBRUM DE TRINITATE ET UNITATE DEI. 1193-1194
DE TRINITATE ET UNITATE DEI LIBER UNUS. *Ibid.*
ADMONITIO IN LIBRUM DE ESSENTIA DIVINITATIS 1199-1200
DE ESSENTIA DIVINITATIS LIBER UNUS. *Ibid.*
DE UNITATE SANCTÆ TRINITATIS DIALOGUS. 1207-1208
ADMONITIO IN LIBRUM DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS. 1211-1212
DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS LIBER Gennadio tributus. 1213-1214

FINIS TOMI OCTAVI

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

DEC 2 1 1948